
NAZIONALE
13
13 E
11

13-21. i 34.

Digitized by G[illegible]

AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI CATHOLICI DOCTORIS
SVMMA DE POTESTATE ECCLESIASTICA

EDITA ANNO DN̄I. MCCCXX.



ROMÆ, Ex Typographia Georgij Ferrarij. M. D. LXXXIIII.

SANCTISSIMO PATRI ET DOMINO NOSTRO GREGORIO XIII. PONT. MAX.

F. AVGVSTINVS FIVIZANIVS ROMANVS
SACRISTA, ET ORDINIS AVGVSTINIANI
VICARIVS GENERALIS S. P. D.

QVANTA VI, Gregori Pontifex Beatiſsime, quantiſq. fraudibus, ac dolis, antiquus humani generis hoſtis Sathan, ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordijs, Chriſtianæ Religionis veritatem oppugnarit, atque in dies magis, nouis machinis adhibitis oppugnare non deſiſtat, cum ex Eccleſiaſticis hiſtorijs, omniq. antiquitatis memoria apertè cognoſcimus, tum noſtris ipſi oculis, quod non ſine magno doloris ſenſu commemorandum eſt, planè perſpicimus. Sed admirabili Dei prouidentia factum eſt, vt longè aliter ſemper euenerit, quàm teterrimus aduerſarius opinabatur. nam ſiue Leonis rabie, & immanitate repræſentata, homicida ille per efferatos Principes, omni acerbitatis genere Eccleſiam diuexandam ſuſcepit, ſiue tamquàm venenata aſpis, aut vafra vulpecula, hæreticorum calliditate, & fallacijs, fidei integritatem labefactare conatus eſt, numquam victor, numquam ſuperior diſceſſit. immo verò ſuis artibus captus, in ipſam quam fecerat foueam incidit. verè enim à Leone Magno Summo Pont. ſcriptum eſt, Non minuitur perſecutionibus Eccleſia, ſed augetur. Itaq. & tyrannorum crudelitas, tot fortiſsimos Chriſti martyres effecit, & hæreticorum impietas, tot ſacra Concilia Oecumenica, tamquàm totidem fidei propugnacula extruxit, & viros doctiſsimos Apoſtolici depoſiti, ideſt veræ, & incorruptæ Religionis cuſtodes vigilantiſſimos, & defenſores acerrimos penè innumerabiles Eccleſiæ ſanctæ peperit. Etenim quemadmodum nullo vmquam tempore defuerunt ſcelerati Ciues Babylonis, qui

Ciuitatem Dei impugnarent, ita etiam Spiritu ſancto auctore, omnibus ſæculis Doctores pij, & Catholici extiterunt, quorum virtus, & conſtantia in propulſandis hæreſibus, & prophanis nouitatibus refellendis perpetuo eluxit. In quorum ſanè numero iure optimo (vt arbitror) reponendus eſt, vir beatæ memoriæ Auguſtinus Triumphus, qui Anconæ familia vetuſta, & honorata natus, atque ab ineunte ætate, ordinem Eremitarum Sancti Patris Noſtri Auguſtini profeſſus, ante annos ducentos ſexaginta, eximia vitæ ſanctitate, & ſingulari omnium doctrinarum laude floruit. Is autem cum alia quamplurima reliquit monumenta ingenij ſui, quibus non ſolum Philoſophiam, & Theologicam Scholã, ſed diuinam etiam ſcripturam magnopere illuſtrauit, tum illud in primis præſtantiſſimum, atque eruditiſſimum opus confecit, De Eccleſiaſtica poteſtate. in quo quidem opere ſumma auctoritas Romani Pontificis, vniuerſalis Eccleſiæ Paſtoris, Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſoris, & Ieſu Chriſti legitimi Vicarij, ita ſubtiliter, & luculenter explicata eſt, vt nihil eruditius, nihil enucleatius ſcribi potuiſſe videatur. Ac mihi quidem Pater Beatiſſime nihil neceſſe eſt plura dicere de Auguſtino noſtro, præſertim apud Sanctitatem Veſtram, quæ huic ſcriptori, atque adeo huic libro, ſuo peracri iudicio plurimum tribuere ſolita eſt. Illud certè conſtat, eos, qui poſtea hunc locum tractarunt, præſtanti doctrina, & eruditione viros, multa ex hoc fonte hauſiſſe, atque hunc ſibi auctorem potiſſimum ad imitandum propoſuiſſe, huius denique ſolidam doctrinam, ad ſuas de rebus grauiſſimis ſententias confirmandas, frequentiſſimè adhibuiſſe. Cum igitur animaduerterem librum inſignem, & non ſolum ſacræ Theologiæ, ſed Pontificij quoque iuris ſtudioſis perneceſſarium, atque hiſce noſtris temporibus ad profligandos multos hæreticorum errores, valdè accommodatum, nuſquàm ferè venalem reperiri, arbitratus ſum ad noſtri ordinis dignitatem, atque etiam ad nonnullam officij mei rationem pertinere, vt theſaurus iſte abditus propemodum, atque abſconditus in paucorum bibliothecis, ad communem omnium vtilitatem ederetur in lucem. Curaui autem non mediocri ſtudio, ac labore, vt non ſolum quàm emendatiſſimus liber prodiret, ſed etiam auctus quibuſdam notationibus, quas & rei propoſitæ congruentes, & æquo Lectori non ingratas, neque infructuoſas forè confido. Illud verò percommodè accidit, vt hoc tempore in aula haberemus ex eadem familia hominem omni humanitate excultum, Ioannem Baptiſtam Triumphum, Sanctitatis Veſtræ familiarem, veterem amicum meum, atque Auguſtinianæ familiæ multis nominibus coniunctiſſimum: nam cum ego pro huius muneris officio, quod mihi à Sanctitate Veſtra impoſitum eſt, Religionis noſtræ negocijs valdè diſtinerer, is occupationes meas libri editione ſedulo, ac diligenter procuranda, amiciſſimè ſubleuauit: qua in re & pietatem præſtitit erga gentilem ſuum, cuius memoriam vnice colit, & Sanctitati Veſtræ, cui addictiſſimus eſt, inſeruire ſtuduit. Ita verò affectus atque animatus eſt, vt omnia huius doctiſſimi ſcriptoris opera typis imprimi & vehementer cupiat, & vt id celeriter fiat, omni ope, atque opera curaturus ſit. Ego verò me illi adiutorem ſtrenuum, promptum

prum certè, atque alacrem adiungam. Iampridem enim in eâ cogitatione verſor, vt lucubrationes doctorum virorum, quos Religio noſtra, tamquàm ager diuinæ gratiæ irrigatione fœcundus, complures ſanè tulit, e tenebris eruam, & huic tam erudito ſæculo ſpectandas proponam. Et ſi autem ſatis ad id per me ipſe ſum incenſus, multo me tamen vehementius incendit auctoritas Sanctitatis Veſtræ, eiusque ſumma quædam propenſio ad fouenda ingenia, bonasq. artes, & diſciplinas illuſtrandas, & Catholicam Religionem propagandam, qua vna in re, omnes Sanctitatis Veſtræ curæ, & ſolicitudines defixæ ſunt. Interea igitur dum Sanctitatis Veſtræ patrocinio, atque auſpicijs cætera paramus, hanc Auguſtini Summam, tamquam primitias quaſdam, ei humiliter offero, eiusque ſanctiſſimo nomine munitam, atque ornatam, eruditis omnibus legendam trado: quod vt facerem cum auctoris ipſius iudicium, qui eam Ioanni XXII. Sanctitatis Veſtræ prædeceſſori dicauit, tum libri ipſius argumentum admonuit, quod totum eſt de Pontificis ſummi Poteſtate, tum illud denique impulit maximè, quod nihil ab hac ingenij mei mediocritate proficiſci poteſt, quin Sanctitati Veſtræ debeatur quicquid enim ſum, eius ſecundum Deũ benignitate ſum; quare indicium aliquod grati animi mei, quod pro tam multis, tamquam Illuſtribus in me meritis, ſanè exiguum eſſe intelligo, extare tamen volui: fretus eadem benignitate Sanctitais Veſtræ, quæ illius exemplo, cuius vices in terris gerit, cum magna præſtet parua, atque humilia non aſpernatur. Pater Beatiſſime Deum oro, vt Sanctitatem Veſtram Eccleſiæ ſanctæ ſuæ diu incolumem conſeruet. Romæ ſexto idus Maij M. D. LXXXII.

Dilecto filio Ioanni Baptiſtæ Triumpho de numero participantium Secretario & familiari Noſtro.

GREGORIVS PAPA XIII.

DILECTE Fili ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. *Exponi nobis nuper feciſti, quod cum quondam Auguſtinus Triumphus Ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini, & Theologiæ profeſſor, vt alijs iuxta traditum ſibi à Deo talentum prodeſſe poſſet inter alia vnum opus, ſeu librũ de Poteſtate Eccleſiaſtica compoſuerit, & compilauerit, tu ad communem omnium Chriſti fidelium vtilitatem & ſalutem imprimi facere intendis nobis humiliter ſupplicari feciſti, quatenus tibi in præmiſſis opportunè prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos igitur te ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, Tibi vt ad decennium dumtaxat à data primæ impreſſionis dicti operis, ſeu libri computandum nullus alius opus prædictum ſine tua expreſſa licentia imprimere, & imprimi facere, vel aliter, quam de dicta licentia impreſſum vendere, ſeu alibi habere, tenere, permutare, ſeu donare, aut venalia exponere poſſit Apoſtolica authoritate tenore præſentium indulgemus, diſtrictius inhibentes vniuerſis & ſingulis bibliopolis, ac alijs librorum impreſſoribus & venditoribus cæteriſq; perſonis cuiuſcunq; ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtentibus, ac tam extra, quam intra Italiam in ſtatu Eccleſiaſtico, & terris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ mediate, vel immediate ſubiectis degentibus ſub excommunicationis latæ ſententiæ & quingentorum ducatorum auri de Camera ac ammiſſionis typorum & librorum pro vna Cameræ Apoſtolicæ & altera medietatibus tibi applicandorum ipſo facto etiam ſine declaratione cuiuſcunq; Iudicis incurrendis pœnis, ne opus prædictum dicto decennio durante ſine dicta licentia imprimere, ſeu imprimi facere, aut ab alijs impreſſum per ſe vel alium, ſeu alios vendere, aut venale proponere, tenere, & habere audeant, ſeu præſumant: ac irritum & inane ſi ſecus ſuper his à quoquam quauis authoritate ſcienter, vel ignoranter attentari contigerit dicta authoritate decernimus. Non obſtantibus Apoſtolicis ac in prouincialibus & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel ſpecialibus conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon vrbis & quarumcumq; aliarum Ciuitatum, Prouinciarum, Regionum, & locorum etiam iuramento confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus: Priuilegijs quoque indultis, & literis Apoſtolicis etiam Populo Romano ſuper librorum imprimendorum facultate ſub quibuſcunque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsq; efficacioribus & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus & alijs decretis in genere, vel in ſpecie etiam motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus conceſſis. Quibus omnibus etiam ſi de illis ſpecialis ſpecifica, & expreſſa mentio habenda foret illis aliàs in ſuo robore permanſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;. Dat. Tuſculi ſub annulo Piſcatoris. Die XI. May M. D. LXXXII. Pontificatus Noſtri Anno Decimo.*

Cæ: Glorierius.

AVTORIS VITA
EX VARIIS PROBATISSIMISQVE SCRIPTORIBVS COLLECTA.

TRIVMPHORVM familia Anconæ eſt, honeſta & vetus, cuius rei illud argumento eſſe poteſt, quòd iam inde ab Hadriani primi Sūmi Pontificis temporibus Gratioſum Nouarienſem epiſcopum tulit, doctrina, & paſtorali ſolicitudine commendatum, quemadmodum in diptycis Nouarienſium epiſcoporum diligenter notatum eſt. Ex ea familia natus eſt Anconæ Auguſtinus Benedicto patre anno Domini MCCXLIII. Innocentio IIII. ſummo Pontifice. Adhuc puer celeritate ingenij, morum grauitate, in Deum & parentes, vt in eam cadere ætatem poterat, pietate prope ſingulari, qui & quantus vir poſtea eſſet euaſurus, manifeſte indicauit, liberalibus diſciplinis, quibus ætas puerilis informari ſolet, ſuorum cura eruditus, ſtatim ad Guillelmum patruum eremitam Auguſtinianum ſe contulit, clarum virum, & præſtantiſſimo Cardinali Vgoni Dominicano valde carum. Spiritu autem ſancto iam illum ſuauiter attrahente patrui etiam virtute & doctrina, vt veriſimile eſt, allectus in eundem ipſe quoque ordinem adſcribi voluit, annos natus XVII. ac felici quodam auſpicio ſancti patris Auguſtini nomen accepit. Florebat autem eo tempore omni litterarum & ſanctitatis genere Auguſtiniana Religio, quæ tum Dei prouidentia, & Alexandri IIII. optimi Pontificis beneficio coniunctis diuerſorum ordinum eremitis, in vnum quaſi corpus coaluerat. Non multo poſt logicis & philoſophicis præceptis inſigniter doctus, ad excolenda ſacræ theologiæ ſtudia, à Lanfranco Septala Mediolanenſi Priore ordinis generali admiſſus, duos illuſtres theologos ſui ordinis Leonardum Viterbienſem, & Iacobum Peruſinum doctores habuit: ac breui quidem eos in theologia progreſſus fecit, vt à Clemente Auximate acris iudicij viro, Lanfranci ſucceſſore dignus ſit habitus, qui vna cum Aegidio Columna Romano, qui poſtea clariſſimus theologus fuit, Lutetiam Pariſiorum mitteretur, vt duos illos theologorum facile principes Thomam

Aquinatem, & Bonauenturam Balneoregienſem audiret, & tamquam generoſus quidam tyro maioribus in caſtris ſub magnis Imperatoribus militaret, quibus ſane doctoribus quantum profecerit, cum Quodlibeta, quæ publice Pariſiis eruditiſsime defendit, tũ in ſententias Petri Lombardi ſubtiliſſima ſcripta, quæ eo tempore ſumma cum laude in lucem dedit, tum denique tot volumina omni eruditionis lumine referta, quæ varijs argumentis tractandis ad triginta ſex confecit, apertiſſime teſtantur. Pariſiis Baccalaureus, & poſtea Magiſter factus, ſcholas & priuatas apud ſuos, & publicas in Vniuerſitate magna diſcipulorum frequentia ſuſtinuit. Iam vero non minus virtute, & bonitate, quàm ætate & eruditione proficiebat, ſimulque cum doctrina creſcebat in eo pietas, & ardor quidam amoris erga ſanctam Eccleſiam Catholicam, pro cuius ueritate, & gloria perpetuã aduerſus improbos, & inſanos quoſdam homines propugnationem ita ſuſcepit, vt & pene etiam adoleſcens, & vir factus, & ſenio iam confectus à libris conſcribendis, prout rerum & temporum neceſſitas poſtulabat, numquam ceſſauerit. Nam iuuenis libello Simonis natione Galli presbyteri Cardinalis Sanctæ Cæciliæ, qui poſtea ad ſummum Pontificatum euectus Martinus quartus vocatus fuit, cohortatione edito, quem contra diuinatores inſcripſit, Fraticellorum maxime ineptias, & ſomnia commoſtrauit, rationibusque firmiſſimis confutauit: tum etiam Ariolorum, Augurum, Aruſpicum, Coniectorum, atque id genus vaniſſimorum hominum ſtultas prædictiones coarguit. Concilio Lugdunenſi ſecundo à Gregorio decimo indicto cum interfuiſſet, in locum miſſus Thomæ Aquinatis præceptoris ſui, qui per illud fere tempus ad præmium eximiæ ſanctitatis, & doctrinæ euolarat in cælum, paulo poſt Patauium à Franciſco Carrara Patauinorum principe, prædicationis cauſa vocatus eſt, ibique cum quartum & trigeſimum annum nondum confeciſſet, librum de amore Spiritus ſancti, & alterum de reſurrectione mortuorum iam inchoatos expoliuit, atque abſoluit; quos ambos Leonardo Quercino S. R. E. Cardinali epiſcopo Albano dedicauit. Patauio in patriam reuerſus, cum vt ipſe quoque multis in locis ait, numquam minus eſſet ocioſus, quàm cum erat ocioſus, multa quæ & Pariſijs & alibi inſtituerat, perfecit; quædam, quæ iam confecerat, accuratius perpoliuit: plura etiam primum noua excudit. In ijs commentarios ſuper Priora & Poſteriora Ariſtotelis, quos olim ſcripſerat rogatu nobilis iuuenis diſcipuli ſui Corradi fratris Auguſtiniani filij Guidonis Comitis Montis Silicis diſtinctius ornatiusq́. digeſſit. Tractatus nouos tres de animę potẽtijs, de prædicatione generis & ſpeciei, & de eradicatione Porphyrianæ arboris litteris mandauit. Decretalem, Firmiter, de Sum. Trin. & fide Cathol. etiam petente Ioanne Britanno viro illuſtri, & eccleſiæ Varadienſis rectore breui perſpicuaque explanatione declarauit. Partem Euangelij Lucæ, quæ incipit, Miſſus eſt, & canticum Magnificat non minus pie, quàm docte expoſuit, aliaq́. permulta ad diuinam ſcripturam, & theologorum ſcholam illuſtrandam egregie commentatus eſt. Cum igitur præclara ac celebris de Auguſtino fama non Galliam modo, vbi ob excellentem doctrinam notiſſimus erat, ſed

Italiam

Italiam etiam vniuerſam peragraſſet, Carolus ſecundus Neapolitanorum Rex magno cum videndi & alloquendi deſiderio captus, miſſis Anconam regijs triremibus cum honeſtiſſimo comitatu Auguſtinum ad ſe nihil ei non pollicens aduocauit: qui Neapolim aduectus ſumma humanitate, & comitate à clariſſimo Rege exceptus eſt, cui & Roberto filio cum ob eruditionem & ſanctitatem, tum etiam ob ſingularem prudentiam ita carus atq; acceptus fuit, vt intimis de regno conſilijs admiſſus, ſæpe etiam illuſtres ad Chriſtianos principes, eorum nomine legationes obierit, grauiſſima negotia tractauerit, in omni denique rerum adminiſtratione magnam apud eos auctoritatem & gratiam perpetuo obtinuerit. Ceterum cum erga matrem ſuam cariſſimam Auguſtinianam religionem incredibili amore, ac pietate afficeretur, Regum familiaritate, & auxilio effecit, vt ea prouincia, quæ magna olim Græcia appellata eſt, multis in illa extructis cœnobijs eremitis Auguſtinianis primo accederet: anno vero M CCC. cũ generalia ordinis comitia Neapoli ſolemni more haberentur, placuit religioſiſſimo Regi, & Reginę patrum conuentum ſua præſentia honeſtare, multisq́. muneribus munifice ornare, inter quæ illud ampliſſimum & plane regium fuit, ſacrũ inquam & venerandum caput ſancti Lucæ Euangeliſtæ, quod Triumphi manibus congregatis patribus traditum eſt, atque in Eccleſia ſancti Auguſtini decenti loco collocatum, vbi adhuc magno religionis cultu ſeruatur. Et ſi autem Auguſtino in regijs negotijs valde occupato numquam fere à Regum latere diſcedere licuit; tamen vt erat diuina quadam ingenij fœcunditate, ſuccisiuis horis, partem veteris legis, ideſt Ezechielem prophetam, & totam nouam multiplici interpretatione enucleate explicauit. Nam primum quidem quatuor Euangeliſtas, Pauli epiſtolas omnes, & eas quæ Canonicæ appellantur, Acta prætèrea Apoſtolorum, & Apocalypſim Ioannis illuſtribus interpretationibus explanauit. Iterum vero ſtylo diuerſo, ſed ornatiore aliquanto & vberiore in nouum teſtamentum commentarios edidit. Tertio adhuc Pauli, & Canonicas epiſtolas multo quam antea copioſius, multoque ingenioſius expoſuit; opuſque plane elaboratum Gerardo archidiacono Toloſano dedicauit, Gerardi Parmenſis Cardinalis epiſcopi Sabinenſis fratris filio: ſed omnes ingenij ſui uires effudit in eo libro, quem de Poteſtate Eccleſiaſtica inſcripſit, & Ioanni XXII. ſummo Pontifici conſecrauit: quem præcipue librum quamplurimi præſtanti iudicio & doctrina viri ita admirantur, ita laudibus in cælum ferunt, vt nihil in eo genere doctius, vberius, abſolutius ſcribi potuiſſe teſtentur. Commentariũ ſententiarum ſancti Auguſtini, quod milleloquium appellauit, opus maximi laboris, ſed non minoris vtilitatis, cum morte ſublatus imperfectum reliquiſſet, Bartholomæus Vrbinatium epiſcopus eius diſcipulus, tamquã impreſſa præceptoris veſtigia ſtrenue perſecutus, ad exitũ aliquando perduxit. At vero vniuerſa opera & libros percenſere, quos vir doctiſſimus, & in ſcribendo maxime exercitatus confecit, longius laborioſiusq́; eſt, quàm vt breuiter debeat poſſitq́; hoc loco oſtendi. Nec ſane minus longum eſſet referre, clarorum virorum teſtimonia, & in omni diſciplinarum genere præſtantiũ,

qui

qui in ſuis ſcriptis Auguſtini noſtri ita meminerunt, vt quanti eius doctrinam faciant, cum crebra ſententiarum ex eodem Auguſtino acceptarum vſurpatione, tum verbis honorificentiſſimis declarent; nec ſolum ſuperiorum temporum vetuſtiores iuriſconſulti, & theologi, vt Ioannes Andr. S. Antoninus, Turrecremata, Felinus, Decius & alij, ſed noſtri etiam ſæculi viri eruditiſſimi Martinus Nauarrus, Didacus Couarruuias, Melchior Canus, & alij quam plurimi qui ſtudioſis inter legendũ facile occurrerent. Illud certum eſt virum ſanctum à talentorum, quæ ſummus ei Paterfamilias tradiderat, fideli negociatione nunquam ceſſaſse, neque à meditatione ſacrarum ſcripturarum, & ſcriptione pro ſancta Dei Catholica Romana Eccleſia vnquam conquieuiſſe, donec ætate iam exacta egregiorum, facinorum ſuorum præmia à Deo percepturus Neapoli ex corporis vinculis ſolutus in cælum commigrauit, anno ſalutis M CCCXXVIII. quarto Nonas Aprilis, cuius ſanctitatem inde vel maxime perſpicere licet, quod & in lapide vetuſto quo in ædibus ſancti Auguſtini, illius corpus honorifice contegebatur, nomen Beati inſculptum iam inde à principio fuerit, & Volateranus grauis autor, alijq; non pauci eum Beatum appellauerint; & Patres Auguſtiniani eum ſemper, & ſcripto Beatum nominauerint, & pictura eius effigiem triumphali Beatorum corona decoratam expreſſerint, vt is qui ex Triumphorum familia natus eſt, quique diuina gratia adiutus de carne, & mundo triumphauerat, nunc vere cum Chriſto, & Beatis triumphare ad Dei gloriam, & fidelium ædificationem oſtendatur.

EIVSDEM AVGVSTINI TRIVMPHI EPITAPHIVM

Neapoli in Eccleſia Eremitarum Auguſtinianorum.

ANNO. DOMINI. M CCCXXVIII.
DIE. SECVNDA. APRILIS
INDICTIONE. XI.

OBIIT. BEATVS. AVGVSTINVS
TRIVMPHVS. DE. ANCONA
MAGISTER. IN. SACRA. PAGINA
ORDINIS. PATRVM. EREMITARVM
SANCTI. AVGVSTINI
QVI. VIXIT. ANNOS. LXXXV.
EDIDITQ;. SVO. ANGELICO. INGENIO
XXXVI. VOLVMINA. LIBRORVM
SANCTVS. IN. VITA. ET
CLARVS. IN. SCIENTIA
VNDE. OMNES. DEBENT. SEQVI
TALEM. VIRVM. QVI. FVIT
RELIGIONIS. SPECVLVM

COMPENDIUM VITAE AUCTORIS EX SUPPLEMENTO *Supplementi Chronicorum IACOBI PHILIPPI Bergomatis.*

AVGVSTINVM etiam Auconitanum ordinis eremitarum diui Auguſtini profeſſum virum ſane & doctrina, & vitæ integritate celeberrimum cum praefatis floruiſſe conſtat, quod & ipſe librum de Eccleſiaſtica poteſtate ad Ioannem Pontificem prædictum inſcripſerit, & vltra eum omnes ſuæ ætatis theologos ſine contradictione exceſſerit, à Mathæo exordiens totum nuuum teſtamentum accuratiſſime declarauit, & commentauit: inter quæ commentaria in Pauli epiſtolas admiratione digna habentur, ſed & ſuper actus Apoſtulurum, ſuper Apocalypſim, & ſuper ſeptem epiſtolas Canonicas ad inſtar beati Thomæ opus edidit aureũ, tractatusq; celebres, ſuper Miſſus eſt, & ſuper Magnificat compoſuit. Floruit Anno Domini M CCCXXI.

EX MAGNIS CHRONICIS DE HISTORIIS AETATVM MVNDI, AC deſcriptione vrbium collectis à Doctore ARTMANNO SCHEDEL.

AVGVSTINVM Auconitanum ordinis eremitarum diui Auguſtini pruſeſſum virum ſanè & doctrina, & vitæ integritate celeberrimum floruiſſe hac tempeſtate conſtat, quod & ipſe librum de Eccleſiaſtica poteſtate ad Ioannem XXII. Puntificem inſcripſerit, & vltra eum umnes ſuæ ætatis theologos ſine contradictiune exceſſerit, a Matthæo exordiens totum nuuum teſtamentum accuratiſſime declarauit: inter quæ commentaria iu Pauli epiſtolas admiratione digna habentur, ſed & ſuper actus Apoſtolorum, ſuper Apocalypſim, & epiſtolas Canunicas ad inſtar beati Thumæ opus edidit auteum: tractatus quoque ſuper Magnificat compoſuit. Floruit ſub Ludouico Bauaru Imperatore IIII. Anno Domiui M CCCXX.

IOANNES TRITTEMIVS IN LIB. DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

AVGVSTINVS de Ancona ordinis fratrum eremitarum ſancti Auguſtini, vir iu diuinis ſcripturis ſtudioſus & eruditus; & ſæcularis philoſophiæ non ignarus: ingenio prumptus & ſermone ſcholaſticus, ſcripſit multa non ſpernendæ lectiunis volumina, quibus memoriam ſui nomiuis commendauit poſteritati. De quibus ſubiecta feruntur, ad Ioannem Papam XXII. opus non paruum de Poteſtate Eccleſiaſtica. Super Sententias, Quodlibeta quoque. De Spiritu ſancto contra Græcos. De decem churdis. De introitu terræ promiſſionis. De potentijs animæ. De reſurrectione. In Matthæum. In Marcum. In Lucam quoque. In Ioannem. Super Miſſus eſt. Super Magnificat. In epiſtolas Pauli. In epiſtolas Canonicas. In Actus Apoſtulurum. In Apocalypſim, & alia complura. Hic volumen inſigne ex ſcriptis diui patris Auguſtini incepit quod Milleloquium prænotauit: ſed morte præuentus imperfectum reliquit, quod puſtea Bartholomæus Vrbiuatus eiuſdem ordinis perfecit. Claruit ſub Ludouico Bauaro Imperatore Quarto, & Ioanne Papa XXII. Anno Domini M CCCXX.

RAPHAEL VOLATERANVS IN ANTHROPOLOGIA LIB. XXI. cap. Eremitarum Ordinis viri.

AVGVSTINVS Anconitanus plures & vtiles commentarios reliquit, inter quos de Eccleſiaſtica Puteſtate ad Iuannem XXII. Vitæ præterea integritate & abſtinentia clarus, quapropter in Beatorum, & ipſe numero recenſetur.

F. SIXTVS SENEN. IN BIBLIOTHECA SANCTA LIB. IIII.

AVGVSTINVS Auconas ordinis eremitarum S. Auguſtini vir in diuinis ſcripturis eruditus & in theologia ſcholaſtica, & ſacruſanctis Pontificum decretis exercitatiſſimus ſcripſit poſtillari ſtudio in totum nouum teſtamentum commentariorum infraſcriptos libros, &c. *Poſtmodum recenſet opera ipſius Auguſtini*, Claruit ſub Ludouico Bauaro IIII. Imperatore, & Ioanne XXII. Pontifice, cui upus de Puteſt. Eccleſiaſtica dedicauit Anno. Domini M CCCXX.

HIERONYMVS SERIPANDVS IN COMMENTARIIS ORD. S. AVGVSTINI.

BEATVS Magiſter frater Auguſtiuus de Ancoua vir ſacræ theologiæ peritus, & multis ſuper ſcripturam editis uperibus inſignis, Carolo & Roberto regibus Neapolitanis clarus exiſtens Neapoli obijt.

IOSEPHVS PAMPHILIVS EPISCOPVS SIGNINVS IN CHRONICA Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini.

AVGVSTINVS de Ancona de familia de Triumphis, quæ antiquiſſima eſt, vt plurimurum monumenta teſtantur, doctrina & vitæ integritate celeberrimus, Regibuſq; Neapolitanis Carolo & Ruberto carus Neapuli de hac vita deceſſit Anno Dumiui M CCCXXVIII. ibidemq; in templo S. Auguſtini ante maius altare ſepultus iacet. Multa hic ſcripſit volumina, & cet. *poſtmodum ea ſingula recenſet, & addit* Omnia autem eius upera Illuſtriſs. Senatus Anconitani ſumptibus ab archetypis tranſcripta Romæ in bibliotheca Vaticana magnis & pulcherrimis voluminibus aſſeruantur. *Demum ponit eum in catalogo Beatorum.*

PANEGYRICVS IN AVGVSTINVM TRIVMPHVM.

MAGNO AVGVSTINO vt quondam vetus illa TAGESTA
Claruit, vnde auctam ſe Aphrica iactat ouans:
Sic præclara ſuo fulgens ANCONA TRIVMPHO
Europæ eximio cingit honore caput:
Ergo alter Lybiæ, Italiæ decus addidit alter:
Sic patriam cælo tollit vterq; ſuam.
Ille ſui meruit fieri Pater Ordinis almi,
Auguſtique, nitens moribus, atque fide.
Hic minor, at tanto ſoboles patre digna, nec vſquam
Degener inceptis inſtitit egregijs.
Doctoris laudata ſequens veſtigia ſancti,
Mirifica inſignes condidit arte libros:
Plurima multiplici populo ſermone diſertus
Diſſeruit, phaleras vſque valere ſinens;
Fucum omnem procul abijciens, & inania verba:
Qui proſit, numero ſimpliciore fluens.
Tartareas acies telis confixit acutis,
Nomine pro CHRISTI, Religione, Fide.
Quis numeret ſpolia, aut victor quot ab hoſte triumphos
Duxerit? Auguſti cedite Romulidæ.
Vos terræ periturus honos inflauit, & aura
Fluxior: Ille polo digna trophæa tulit.
Dicite quò veſtri vos euexère Triumphi?
Dicite quò tandem gloria parta abijt?
Sublimes quondam celſa ad Capitolia curru
Pergentes ſtupuit maxima Roma diu.
Nunc verò en tanti in nihilum recidere Triumphi,
Et vos Styx miſeros, Tartaraq; ima tenent.
Ille triumphatis Satana, Mundoq; triumphans
Aethera conſcendit victor, & aſtra tenet.
Ergo opus hoc planè Auguſtum, ac memorabile, PETRI
Extollens ſolium, Pontificiſque manum
Quem pigeat verſare? typis dum cætera ſenſim
Cudentur, fruere his Lector amice, Vale.

CATHALOGVS OPERVM
Auguſtini Triumphi.

IN Ezechielem, liber vnus.
In Matthæum, liber vnus.
In Marcum, liber vnus.
In Lucam, liber vnus.
In Ioannem, liber vnus.
In Actus Apoſtolorum, liber vnus.
Iterũ in Acta Apoſtolorũ Catena Patrũ.
In omnes Epiſtolas Pauli, lib. XIIII.
Iterum in omnes Epiſtolas Pauli Catena.
In omnes Epiſtolas Canonicas, lib. VII.
In eaſdem Epiſtolas Catena.
In Apocalypſim, liber vnus.
In eandem Catena.
In primũ cap. Lucæ ſup Miſſus eſt, & ſup Aue Maria, & ſuper Canticum Magnificat.
De introitu terræ Promiſſionis.
De cantico ſpirituali ſiue de decem cordis.
Sermones Dominicales ad Clerum.
Sermones de ſanctis ad Clerum.
Milleloquium ex ſcripturis D. Auguſtini.
Tabula ſeu Index ſuper Moralia Sancti Gregorij.

In quatuor libros ſententiarum.
De Amore ſpiritus ſancti.
De ſpiritu ſancto contra Græcos.
De Prædeſtinatione, & Præſcientia.
De libero Arbitrio.
De Reſurrectione Mortuorum.
De Conſolatione animarum beatarum.
De Poteſtate Eccleſiaſtica.
De Poteſtate collegij mortuo Papa.
De Poteſtate Prælatorum.
De Theſauro Eccleſiæ.
Quolibeta Pariſiis diſputata.
Contra diuinatores & ſomniatores.
Super facto Templariorum.

De Prædicatione generis & ſpeciei.
Deſtructio totius arboris Porphirij.
De Cognitione & potentijs animæ.
Expoſitio & quæſtiones in libros priorum Ariſtotelis.
Commentatio in libros Poſteriorum.
Commentatio ſuper duodecim libros Metaphiſicorum.

SANCTIS-

SANCTISSIMO AC REVRENDISS. IN CHRISTO PATRI AC DOMINO DOMINO IOANNI DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XXII.

F. AVGVSTINVS TRIVMPHVS DE ANCONA Ordinis fratrum Eremitarum ſancti Auguſtini cum omni famulatu & reuerentia poſt pedum oſcula beatorum.

QVAMVIS Dei filius humani generis naturam aſſumens infirma mundi elegerit, vt fortia quæque confunderet: eccleſiaſticæ tamen poteſtatis altitudinem ſuos fideles latere noluit: quinimmo tamquam ſupra petram fundatam, ipſam eſſe ſupra omnem principatum, & poteſtatem: vt ei genua cuncta curuentur, cæleſtium, terreſtrium & infernorum, verbis apertiſſimis declarauit: Vnde error eſt, pertinaci mente non credere Romanum Pontificem vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem, Petri ſucceſſorem: & Chriſti legitimum vicarium ſupra ſpiritualia & temporalia vniuerſalem non habere primatum. In quem quandoque multi labuntur dictæ poteſtatis ignorantia. Quæ cum ſit infinita, eo quòd magnus Dominus & magna virtus eius, & magnitudinis eius non eſt finis, omnis creatus intellectus in eius perſcrutatione inuenitur deficere. Multi vero hominum complacentia: quia ſic multa de diuino cultu & Chriſti reuerentia vſurpata ſunt: quæ honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera. Multo magis hac duplici cauſa multa ſubtrahuntur de Chriſti vicarij dominio & potentia. Multi autem curioſa ſcientia, & vtinam non elata ſuperbia cupientes ex quibuſdam nouis, videri potius, quàm videre, & ſciri, potius, quàm ſcire: imitantes in hoc illos curioſos, & ſuperſtitioſos Athenienſes, qui ad nihil aliud vacabant niſi audire, vel diſcere aliquid noui. His omnibus modis impugnatur quandoque Chriſti ſponſa, ſed vinci non poteſt: tempeſtates ſuſcipit, ſed non demergitur: iacula mittuntur in eam, ſed non perforatur, machinamenta præparantur, ſed turris dauidica non eliditur. Huic tamen peſtifero morbo ſalubri remedio prouidetur, cum à ſacræ ſcripturæ Doctoribus varia, & diuerſa conſcribuntur, quia enim nullus vnquam hominum ita clare locutus eſt, vt in omnibus ab omnibus intelligi poſſet. Ideo vtile fore cenſuit. Auguſtinus diuerſos libros à diuerſis fieri, etiam de eiſdem quæſtionibus, diuerſo ſtilo, non diuerſa fide, vt veritas quidem ipſa ad omnes perueniat: ad alios ſic: ad alios autem ſic. Nec aliud intelligo ſcripturam voluiſſe ſignificare, quod adducebantur Salomoni equi de Aegypto, & de cunctis regionibus terræ, niſi quia ſummo Pontifici diuerſi libri à cunctis Chriſti militibus offeruntur. Nec mirum quia Lectulum eius ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Iſrael: omnes tenentes gladios & ad bella doctiſsimi.

Summam igitur de poteſtate eccleſiaſtica prætitulatam ſanctitati veſtræ dignum putaui præſentandam fore: vt ſicut talis potentia à vobis, tamquam à fonte deriuatur in omnes per vniuerſalem influentiam: ſic quod corrigendum eſt in ea, veſtro iudicio reſeruetur per diſcuſsionis prudentiam: & quod tenendum eſt comprobetur per confirmationis ſententiam.

SVM-

SVMMAE AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI CATHOLICI DOCTORIS

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini

PARS PRIMA.

DE POTESTATE PAPAE SECVNDVM SE.

QVIA de Poteſtate Eccleſiaſtica tractare ſermonem aſſumpſimus, cum potentia referatur ad actum, & ad effectum, & per potentiam ſtatus vnius diſtinguatur ab alio, triplex conſideratio de potentia Papæ occurrit. Primo, vt conſideratur ſecundum ſe. Secundo, vt comparatur ad effectum. Tertio, vt comparatur ad ſtatum, quem per talem potentiam homo conſequitur.

De Potentia verò Papæ ſecundum ſe, triplex conſideratio eſt neceſſaria.
Primo, reſpectu Dei à quo eſt principaliter, & effectiuè.
Secundo, reſpectu eligentium, à quibus eſt inſtrumentaliter, & cooperatiuè.
Tertio, reſpectu ipſius Eccleſiæ, cui præeſt adminiſtratiuè, & auctoritatiuè.

QVAESTIO PRIMA DE PAPAE POTESTATE.

CIRCA primum quæruntur Decem.
Primo, Vtrũ ſola poteſtas Papæ ſit à Deo immediatè, & nulla alia.
Secundo, Vtrum poteſtas cuiuslibet Papæ ſit à Deo.
Tertio, Vtrum poteſtas Papę ſit vniuerſaliter maior omni alia.
Quarto, Vtrũ aliquis poſſit eſſe ęqualis Papę in ptāte.
Quinto, Vtrum ſingularius ſit à Deo poteſtas Papæ, quàm aliqua alia.
Sexto, Vtrum poteſtas Papæ ſit vna, vel plures.
Septimo, Vtrum ſit ſimul Sacerdotalis, & Regalis.
Octauo, Vtrum ſit ſimul temporalis, & ſpiritualis.
Nono, Vtrum eius potentia ſit ſimul æterna, & temporalis.
Decimo, Vtrum ſit vtile de tali poteſtate diſputare.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLA POTESTAS Papæ ſit à Deo immediatè, & nulla alia.

Turrecrem. in Summa de Eccleſia lib. 2. cap. 38. & in cap. in nouo. 21. diſt. gloſſa, Compoſtel. Abbas, & Felinus in cap. translato. de conſtit.

AD PRIMVM ſic proceditur. videtur enim, quòd ſola poteſtas Papæ non ſit immediatè à Deo effectiuè: quia quæ non ſunt eiuſdem rationis, vnum non reducitur in alterum: ſed poteſtas Papæ, & poteſtas ſecularium Principum nõ ſunt eiuſdem rationis. ergo videtur, quod vtraque ſit immediatè à Deo, & vna nõ reducatur ad aliam.

2 Præterea. Poteſtas imperialis immediatè eſt a Deo; quia ſicut dicitur 23. quæſt. 4. c. Quæſitum. A Deo conceſſa eſt poteſtas imperialis, & propter vindictam noxiorum, gladius fuit permiſſus. ergo videtur, quòd talis poteſtas non ſit à Papa, nec ab homine, & per conſequens immediatè à Deo.

3 Præterea. Quæ diſtincta ſunt in ſe, & ad diſtinctos fines ordinantur, vnum non eſt ab altero, immo immediatè reducuntur ad aliquod tertium: ſed poteſtas ſpiritualis, & poteſtas ſecularis ſunt diſtinctæ in ſe, & ordinantur ad diſtinctos fines, ſicut habetur 10. diſt. cap. Quoniam idem, & 86. diſt. cap. Duo ſunt quippe. ergo iſtæ duæ poteſtates ſunt immediatè à Deo.

4 Præterea. Quod non poteſt auferri ab homine, immediatè eſt à Deo: ſed poteſtas Epiſcoporum non poteſt auferri ab eis per Papã, nec per aliquem hominem. ergo immediatè eſt à Deo.

IN CONTRARIVM eſt. Quia ſicut eſt in corpore naturali, ita debet eſſe in corpore myſtico: ſed ita eſt in corpore naturali, quod omnia membra recipiunt influẽtiam ab vno, ſcilicet à corde. ergo ita erit in corpore myſtico, quòd omnia recipient influentiam à Summo Pontifice, & ſic ſolum ſua poteſtas eſt immediatè à Deo, & nulla alia.

RESOLVTIO.

Poteſtas iuriſdictionis ſpiritualiũ, & temporalium immediata eſt in ſolo Papa: Deriuata in omnibus Epiſcopis, & Prælatis: Poteſtas autem in miniſterium data in omnibus ſecularibus, & Principibus ponenda eſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd dimiſſis opinionibus, ad quæſtionem, puto, ſic eſſe dicendum, quod duplex eſt poteſtas, videlicet ordinis & iuriſdictionis, poteſtas iuriſdictionis diuiditur in temporalem, & ſpiritualem: & tunc reſpondendum eſt, quòd loquendo de poteſtate iuriſdictionis temporalis, & ſpiritualis, dicere poſſumus, quòd talis poteſtas eſt triplex, ſcilicet immediata, deriuata, &

E in miniſterium data. Primo modo poteſtas iuriſdictionis omniũ ſpiritualium, & temporalium eſt ſolũ in Papa. Secundo modo eſt in omnibus Epiſcopis, & Prælatis. Tertio modo poteſtas iuriſdictionis tẽporalis eſt in omnibus Imperatoribus, Regibus, & Principibus ſecularibus. Et dico poteſtas iuriſdictionis temporalis, quia loquendo de poteſtate ſpirituali quantum ad poteſtatem ordinis, quæ reſpicit corpus Chriſti verum, & quæ eſt reſpectu ipſorum Sacramẽtorum, puto quòd talis eſt in Papa, in quantum eſt Epiſcopus, & in oĩbus Epiſcopis immediatè à Deo. Cuius ratio eſt, quòd talis poteſtas non conuenit Papæ inquantum Papa: quia ſi aliquis eligatur in Papam nullum ordinem habens, erit verus Papa, &

F habebit omnem poteſtatem iuriſdictionis in ſpiritualibus, & temporalibus, & tamen nullam habebit poteſtatem ordinis. conuenit ergo talis poteſtas ordinis Papæ inquantum eſt Sacerdos, vel Epiſcopus. Vnde Saluator Ioann. 20. Aequaliter, & immediatè conceſſit hanc poteſtatem Petro, & alijs, quorũ perſonas repræſentant Epiſcopi: quia ſicut ſolus ipſe Chriſtus fuit inſtitutor Sacramentorum, ita ſolus ipſe hanc poteſtatem, quæ reſpicit Sacramenta, & Corpus Chriſti verum, habet immediatè concedere: vnde dicitur 21. diſt. c. In nouo teſtamento, quòd ceteri Apoſtoli cum eodem Petro pari cõſortio honorem, & poteſtatem acceperũt: ſed loquendo de poteſtate iuriſdictionis, tã ſpiritualium, quàm temporaliũ, talis eſt in Papa immediatè. quod probatur tripliciter.

G Primo ſic: Auctoritas iuriſdictionis non conceditur, niſi per claues Eccleſiæ: ſed claues Eccleſię Chriſtus non conceſſit, niſi Petro ſingulariter, ſicut patet Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum: ſuper quo verbo dicit gloſ. quòd Chriſtus ſolum vnũ Vicariũ, & vnũ caput voluit eſſe in Eccleſia, ad quẽ diuerſa membra recurrerent, ſi fortè ab inuicem diſſentirẽt.

Secundo ſic: Ille, qui non dat aliquod, non poteſt auferre: ſed ſi Papa nõ daret poteſtatem iuriſdictionis ſpiritualium, & temporalium Epiſcopis, & Prælatis, non poſſet eos deponere, & dicta auctoritate priuare, quod eſt falſum: quia aliquando Papa priuat eos auctoritate, quando deponit eos: aliquando priuat eos executione auctoritatis, quando ſuſpendit: poteſtas ergo iuriſdictionis reſidet ſolum in Papa.

H Tertio ſic: In illo reſidet immediatè poteſtas iuriſdictionis ſpiritualium, & temporalium, cuius auctoritate fit Prælatorum electio, & confirmatio: ſed auctoritate Papæ fit Prælatorum electio, & eorũ confirmatio: vnde eis dicitur: Damus vobis auctoritatem adminiſtrãdi in ſpiritualibus, & temporalibus: ergo talis poteſtas immediatè reſidet ſolum in Papa: ſed poteſtas Epiſcoporũ, & Prælatorum iuriſdictionis temporalium, & ſpiritualium eſt deriuata, & non immediata. Deriuata enim eſt in eis à Chriſto, mediante Papa, quod patet tali ratione: Sicut ſe habent riuuli ad fontem; & radij ad Solem, rami ad arborem: ſic ſe habet poteſtas Epiſcoporum ad poteſtatẽ Papæ. Nam, vt dicitur in capitulis Epheſini Cõcilij: Quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnũ: & rami arboris multi, ſed robur vnũ: & cũ de fonte vno riuuli plurimi defluũt, numeroſitas licet diffuſa videatur

Et habetur 24. q. 1. cap. loquitur dominus. Ex S. Cypriani tract. de ſimplic. Prælatorum.

exundan-

exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: ſic Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius miræ fœcunditatis extēditur: & epiſcopatus vnus eſt, cuius a ſingulis pars in ſolidum tenetur: ſed conſtat, quòd aqua riuulorum non eſt aqua fontis immediata, ſed deriuata. ergo poteſtas iuriſdictionis Epiſcoporum non eſt immediata a Chriſto, ſed deriuata in eis, mediante Papa. Patet hoc etiam auctoritate Cyrilli Patriarchæ Alexandrini, qui ſic ait in libro Theſaurorum: Sicut Chriſtus accepit a Patre ducatum, & ſceptrum eccleſiæ gentium ex Iſrael, egrediens ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & ſuper omne quodcunque, vt ei genua cuncta curuentur: ſic Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimam conceſſit poteſtatē, & nulli alij, quàm Petro, quod ſummum eſt & plenū, ſed ſoli ſibi commiſit totum. Sed quòd poteſtas temporalis Imperatorum, Regum & aliorum Principum ſæcularium ſit in miniſterium data à Deo Papæ, & alijs Prælatis eccleſiæ, in quibus reſidet poteſtas ſpiritualis, probatur quantum ad præſens quattuor rationibus.

Primo ſic. Illa poteſtas eſt data ad miniſterium alteri, per quam habet inſtitui, regulari, & ordinari, atque confirmari, ſi bona ſit; & per quam habet iudicari, & condemnari, ſi non bona ſit: ſed talis eſt poteſtas ſæcularium Imperatorū, Regum, & Principum; quia per poteſtatem Papæ habet inſtitui, & regulari, & ordinari, ſi bona eſt: & per ipſam habet condemnari, & iudicari, ſi bona non ſit: ergo talis poteſtas non eſt immediate à Deo, ſed eſt in miniſterium poteſtatis ſpiritualis data. Vtrumque membrum probatur: ſcribitur enim 22. diſt. Quia poteſtas Papæ cuiuslibet ordinis dignitatem, & gradus inſtituere habet, ipſam verò ſolus Chriſtus fundauit, &, ſupra petram fidei mox naſcentis erexit, qui Beato Petro æternæ vitę clauigero terreni ſimul, & cæleſtis imperij iura commiſit. Quòd vero habeat omnem poteſtatem ſecularem iudicare, & deponere, ſi non bona ſit, patet. 15. quæſt. 6. cap. Alius. vbi dicitur, quòd Zacharias Romanus Pontifex Regem Francorum, nō tam pro ſuis iniquitatibus, quàm etiam pro eo, quod tantę poteſtatis erat inutilis, a regno depoſuit, & Pipinum patrem Caroli Imperatoris loco eius inſtituit.

Secundo ſic. Illa poteſtas eſt in miniſterium data alteri, cui iuramentum fidelitatis præſtat, & ab eo * cognoſcit eſſe omne, quod habet: ſed omnis poteſtas ſæcularium Principum, Imperatorum, & aliorum eſt talis. dicitur enim. 63. diſt. cap. Tibi domino. quia Imperator iurat ſummo Pontifici nunquam mandatum eius præterire, & ſibi in omnibus fidelitatem ſeruare. ergo talis poteſtas eſt ſibi ſolum in miniſterium data. Et ſi inueniatur quandoque aliquos Imperatores dediſſe aliqua temporalia ſummis Pontificibus, ſicut Conſtantinus dedit Siluestro, hoc nō eſt intelligendū, eos dare quod ſuum eſt, ſed reſtituere quod iniuſtè, et tyrannice ablatum eſt. Eodem modo, ſi legatur quandoque aliquos ſummos Pontifices dare bona temporalia Imperatoribus, & Regibus, hoc nō eſt intelligendum eos facere in dominij recognitionem, ſed magis in pacis eccleſiaſticæ conſeruationem. quia ſeruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetū eſſe ad omnes.

* al. ab ea.

2. Cor. 2.

Tertio ſic. Illa poteſtas eſt in miniſterium data alteri, quæ eſt ſubdelegata reſpectu eius: ſed omnis poteſtas Imperatorū, & Regum eſt ſubdelegata reſpectu poteſtatis Papę. nā vt dicitur. 2. q. 6. cap. Quicunque litem habens cuilibet licitum eſt Sacroſanctę ſedis Antiſtitis iudicium eligere. ergo omnis poteſtas ſæcularis eſt in miniſterium data poteſtati ſpirituali.

Quarto ſic. Illa poteſtas eſt in miniſterium data alteri, quæ eſt reſtringenda, amplianda, & executioni mandanda ad imperium illius, cui eſt in miniſteriū data: ſed talis eſt omnis poteſtas ſæcularis. dicit enim Bern. ad Eugenium Papam ſuper verbo: Ecce gladij duo hic; Quid denuò vſurpare gladium tētas, quem ſemel iuſſus es reponere in vaginam? & loquitur de gladio temporali, & ſubdit: Quem tamen qui tuum eſſe negat, non ſatis videtur mihi attendere verbum Domini dicentis ſic: Conuerte gladium tuum in vaginam. tuus ergo, & ipſe tuo forſitan nutu, & non tua manu euaginandus: alioquin ſi nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apoſtolis: Ecce duo gladij hic; non reſpondiſſet Chriſtus ſatis eſt, ſed nimis eſt. Poteſtas ergo, iuriſdictionis ſpiritualium, & temporalium immediata eſt in ſolo Papa: deriuata vero eſt in omnibus Epiſcopis, & Prælatis. ſed in omnibus ſæcularibus, & principibus eſt in miniſterium data. & iſta eſt concluſio, quam nunc ad præſens teneo de quæſtione.

lib 4. de cōſid.
Luc. 22.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo dicendum, ꝙ poteſtates prædictæ, licet nō ſint eiuſdem rationis ſecundū rationem ſpecificam: ſunt tamen eiuſdem rationis ſecundum rationem analogicam. & hoc ſufficit, vt vna reducatur in aliam ordine quodam.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd verum eſt poteſtatem imperialem eſſe a Deo, quia non eſt a Papa, vt eſt homo: ſed eſt a Papa, vt gerit vicem Chriſti in terra, qui fuit verus Deus, & verus homo.

Ad tertium eſt dicendum, quòd prędictę poteſtates ſunt diſtinctæ: quia non conueniunt vni eodē modo, quia poteſtas iuriſdictionis ſpiritualium conuenit Papæ ſecundum immediatam inſtitutionem, & executionem: ſed poteſtas iuriſdictionis temporalium conuenit ſibi ſecundum inſtitutionem, & auctoritatem; nō tamen ſecundum immediatam executionem, niſi forte in quibuſdam caſibus, qui notātur extra Qui fi. ſint legi. c. Per venerabilem.

Ad quartum eſt dicendum, quòd characteris impræſſio, quæ confertur in omnibus ordinibus, vel characteris perfectio, quæ confertur in ordine epiſcopali, talis poteſtas ſiue reſpiciat characteris impreſſionē, ſiue characteris perfectionem, non poteſt auferri per Papam, quia non confertur ab eo: ſed omnis poteſtas iuriſdictionis poteſt auferri, ſicut ſupradictum eſt, vel per depoſitionem, vel per ſuſpenſionem.

ARTICVLVS II.

VTRVM POTESTAS cuiuslibet Papæ ſit a Deo.

Ioannes And. in cap. 1. de renunc. lib. 6. Turrecremata in cap. Sacroſancta, & cap. Omnes. 22. diſt.

AD ſecundũ ſic proceditur. videtur enim, quòd poteſtas cuiuslibet Papæ non ſit a Deo, quia Dei perfecta ſunt opera: ſi ergo omnis poteſtas Papæ ſit a Deo, omnis talis poteſtas erit perfecta; cuius contrarium videmus ad ſenſum.

2 Præterea. Illorum poteſtas eſt a Deo, qui vocãtur
Hebr. 5. a Deo tamquam Aaron: quia dicente Apoſtolo, Nullus debet ſibi aſſumere honorem põtificatus, niſi qui vocatur a Deo tamquam Aaron; ſed multi Papæ non vocantur a Deo, ſed magis induſtria, & ſagacitate hominum. ergo poteſtas talium non erit a Deo.

3 Præterea. Illius poteſtas non eſt a Deo, cuius vſus eſt contra Deum: ſed multi Papæ vtuntur poteſtate Papali contra Deum, & præcepta, & mandata eius. ergo talium poteſtas non eſt a Deo.

IN CONTRARIVM eſt Apoſtolus ad Rom. 13. vbi ait, ꝙ non eſt poteſtas niſi a Deo. & quia quæ a Deo ſunt, ordinata ſunt, concludit ibi, ꝙ qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit.

RESOLVTIO.

Papa omnẽ poteſtatẽ a Deo eſſe tribus modis dicas licet: Effectiue, quatenus ab eo oĩa entia deriuãtur, & cauſantur: Formaliter, ratione eius ordinationis id eſt, ſuperioris, & inferioris, & e conuerſo. qui quidem & ſi mali, ordo tamen habet rationem boni. Finaliter tandẽ, ratione eius reductionis. Hanc autem poteſtatem, ratione praua adeptionis, exequutionis, & intentionis a Deo eſſe, non eſt cenſendum.

RESPONDEO, Dicendum, quòd in quolibet principatu, & in qualibet poteſtate tria poſſumus conſiderare, ſecundum quæ omnis talis principa-
H tus, & omnis talis poteſtas eſt a Deo. & tria alia poſſumus conſiderare, ſecundum quæ principatus, & poteſtas non eſt a Deo, ſed potius a malitia, & prauitate hominum. Eſt namque Deus cauſa cuiuslibet rei habentis entitatem, & bonitatem in triplici genere cauſæ, efficientis, formalis, & finalis, vt dicit Commentator 10. Metaph. dicemus ergo, ꝙ omnis principatus, & omnis poteſtas eſt a Deo efficiẽter ratione eius deriuationis: formaliter ratione eius ordinationis: & finaliter ratione eius reductionis. eſt enim in principatibus, & poteſtatibus, ſicut in aliis rebus.

Sicut ergo omnia entia cauſantur, & deriuantur ab vno ente; & ſicut omnes ſubſtantiæ deriuantur ab vna ſubſtãtia; ita omnis principatus deriuatur cauſaliter ab vno Principe. talis autem princeps Deus eſt.

E Propter quod ſicut omnes riuuli deriuantur a fonte, ſic omnis poteſtas deriuatur a fonte primo, qui eſt
Deus, in cuius fęmore ſcriptum eſt: Rex regũ, & Dominus dominantium. Apoc. 19.
Vnde ſcribitur Sap. 6. Data eſt a domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo, qui interrogabit opera noſtra. eſt ergo poteſtas a Deo effectiue ratione eius deriuationis.

Secundo eſt a Deo formaliter ratione eius ordinationis. Nam in quolibet principatu eſt ordo quidam ſuperioris ad inferiorem, & inferioris ad ſuperiorem. & quantumcunque ſuperiores vel inferiores ſint mali: ipſe tamen ordo de ſe habet rationem boni, quia etiam ipſa mala bene ordinata, & ſuo loco poſita laudabiliora ſunt, & eminentius commendant bona, & ſemper ex tali ordine conſurgit aliquod bonum. pro-
F pter quod etiam ex principatu malorum ratione ordinis, & ratione diuinæ ordinationis inſurgit aliquod bonũ. Vnde dicit Auguſtinus, & habetur in gloſſa, ꝙ per poteſtatem a Deo diabolo datã Iob probatus eſt, vt iuſtus appareret: & Petrus tentatus eſt, ne de ſe præſumeret: & Paulus colaphizatus eſt, ne ſe extolleret: & Iudas dãnatus, vt ſe ſuſpenderet. eſt ergo ſecundo poteſtas a Deo formaliter rõne eius ordinationis.

Tertio eſt a Deo finaliter ratione eius reductionis. Nam quamdiu ſumus in hoc mundo; ſumus in via, & ſumus in quodam bello: in bello autem neceſſario ſunt aliqui principãtes, & aliqui ſubſeruientes. et ideo quamdiu ſumus bellatores, & ſumus in exercitu, tamdiu angeli dominabũtur angelis, et homines homini-
bus: quia tota Eccleſia militaris eſt terribilis, vt caſtro- Cant. 6.
G rum acies ordinata. ſed cum peruenerimus ad Deum, tamquam ad terminum, & finem felicitatis noſtræ, non erimus amplius bellatores, nec erit amplius neceſſaria dominatio, vel prælatio. Vnde dicitur. 1. ad Cor. 15. quia cum ipſe filius tradiderit regnum, id eſt, ſuos electos, Deo patri, tunc erit finis; quia tunc euacuatus erit omnis principatus, & omnis poteſtas, vt gloſſa ibi dicit. omnis ergo poteſtas eſt a Deo finaliter ratione eius reductionis.

Poſſumus autem tria alia conſiderare in principatu, & in poteſtate, ſecundum quæ talis poteſtas non eſt a Deo. Primo ipſius principatus prauã adeptionẽ. Secundo eius prauam executionem. Tertio eius prauã intentionem.

Sunt enim aliqui, qui ipſum principatũ, & ipſam
H prælationem prauè adipiſcuntur: quia vel per ſimo-
niam, vel per minas. in quorũ perſona dicit Prophe- Amos. 6.
ta: In fortitudine noſtra ſumpſimus nobis cornua.

Aliqui vero ſunt, qui principatum, & prælationem adeptam prauè exequuntur, qui non vtuntur principatu, & tali prælatione ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum: ſed potius econtrario. In quorum perſona dicit Propheta: Regnauerunt non ex
me, principes adſtiterunt, & non cognoui eos. Oſee. 8.

Sed aliqui tertio modo ſunt, qui in principatu, & prælatione adepta prauam intentionem habent. quia & ſiqua bona faciũt, praua intentione illa agunt: vt propter ſuæ gloriæ famationem magis, quàm propter iuſtitiæ obſeruationem, & quæ exterius demonſtrant, interius non habent. De quibus dicebat Iob. 34. Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.

puli. igitur principatus,& poteſtas non eſt a Deo ratione prauæ adeptionis: nec etiã a Deo ratione prauæ exequutionis: nec ſimiliter eſt a Deo ratione prauæ intentionis,niſi permiſſiuè. Vnde dicit Gregor. & habetur in gloſs. Quia potentiam principatus, & poteſtatem Deus tribuit; elationem vero potentiæ malitia noſtra inuenit. & ſubdit: Tumoris namque elatio, non ordo poteſtatis in crimine eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd opera immediate a Deo facta perfecta ſunt: ſed in operibus, quæ fiunt a Deo, mediante creatura, poteſt defectus, & imperfectio eſſe, ratione actionis creaturæ, quæ defectibilis eſt.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd gloſ. ibi dicit, illum vocari a Deo, quem eligit communitas eccleſiç: vel ille vocatur a Deo, non ꝙ vox diuina ſemper ibi audiatur, ſed ab illis, qui boni ſunt, tamquam ſi Deus diceret: Veni, quia dignus es: vel vocatur quis a Deo, eo ipſo, quòd vocatur voce eligentium, qui a Deo ordinati ſunt.

AD tertium patet ſolutio. quia licet poteſtas boni Pontificis, & mali ſit a Deo, abuſus tamen talis poteſtatis a Deo non eſt.

ARTICVLVS III.

VTRVM POTESTAS Papæ ſit maior omni alia.

Vide Turrecrematam, in Summa de Eccleſia, lib. 2. cap. 52.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poteſtas Papæ non ſit maior omni alia. Quia Moyſes fuit maior Aaron in poteſtate; eo quòd poteſtate ipſius Moyſi, Aaron in ſacerdotem electus eſt, iuxta illud Exo. 28. Applica quoque tibi Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi: ſed Moyſes, qui fuit ductor populi Iſraelitici, videtur repræſentare Imperatorem, vt Auguſtinus videtur dicere: Aaron vero, qui fuit ſummus Pontifex, repræſentauit Papam. videtur ergo, quòd poteſtas Imperatoris ſit maior poteſtate Papæ.

2 Præterea. Dans tributum minor eſt recipiente tributum, ſicut dans decimas minor eſt decimam recipiente, vt dicit Apoſtolus ad Hebr. 7. ſed Papa dat tributum Imperatori, ſicut habetur. 11. quæſt. 1. c. ſi tributum. vbi Papa dicit, ꝙ ſi tributum petit Imperator, non negamus. ergo minor eſt Papa in poteſtate, quàm Imperator.

3 Præterea. Illius poteſtas non eſt vniuerſaliter maior omni alia, ad cuius iudicium non defertur omnis appellatio: ſed à ſententia lata ab Imperatore, vel Iudice ſęculari non defertur appellatio ad Papam, ſi-

A cut patet extra de appel. cap. ſi duobus. ergo videtur, quòd poteſtas Papæ non ſit vniuerſaliter maior omni alia.

IN CONTRARIVM eſt. quia poteſtas illius eſt maior omni alia, qui poteſt omnia * iudicare, & ipſe a nullo iudicatur: ſed Papa, cuius poteſtas ſpiritualis eſt, poteſt omnia iudicare, & a nemine iudicari, iuxta illud Apoſtol. 1. ad Cor. 2. Spiritualis homo omnia iudicat, & ipſe a nemine iudicatur. ergo ſua poteſtas maior eſt omni alia. * al. omnes.

RESOLVTIO.

Papæ poteſtas tribus modis omnem aliam excellit poteſtatem. Ratione dignitatis, quatenus ſpiritus corpore,
B *& vita ſpiritualis dignior terrena habetur. Ratione cauſalitatis, qua omnem aliam cauſat poteſtatem: Ratione auctoritatis maioris, qua ceterarũ poteſtatum leges confirmantur, & approbantur.*

RESPONDEO, Dicendum, ꝙ triplici maioritate poteſtas Papæ eſt maior omni alia. Primo maioritate dignitatis. Secundo maioritate cauſalitatis. Tertio maioritate auctoritatis.

Dignitate quidem maior eſt poteſtas Papę omni alia. Quia ſicut dicit beatus Ambroſius, & ponitur 96. diſt. cap. Duo ſunt quippe. Aurum non tam præcioſius plumbo, quàm regia poteſtate altior eſt ordo ſacerdotalis. videmus enim colla Regum, & Principũ ſubmitti genibus Sacerdotum, & ab eis benedici, &
C iniungi. & ſecundum Apoſtolum ad Hebræ. 7. Sine ulla contradictione, quod minus eſt a meliore benedicitur. Patet hoc etiã per Hugonẽ de Sancto Victore 2. lib. de ſacramentis 2. parte cap. 4. vbi diſtinguit duplicem vitam ſpiritualem, & corporalem: duplicem populum laicorum, & clericorum: duo bona ſpiritualia, & temporalia: duplicem poteſtatem ſpiritualem, & ſæcularem. Et poſtea ſubdit, ꝙ quantum vita ſpiritualis dignior eſt, quàm terrena: & ſpiritus, quàm corpus, tantum ſpiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, & ſæcularem & honore, & dignitate præcedit.

Secundo. Poteſtas Papæ eſt maior omni alia, maioritate cauſalitatis. quia eius poteſtas cauſat omnem aliam poteſtatem, examinando, confirmando, & iudicãdo. Vnde dicitur. 22. diſt. † Quia cuiuslibet ordinis cap. Omnes
D dignitatem, & poteſtatem Romnus Pontifex habet inſtituere, & confirmare: eius vero poteſtatem ſolus Chriſtus fundauit, & confirmauit. nullius namque poteſtatis electio temporalis, vel ſpiritualis eſt ipſa confirmatio, niſi ſolum electio ipſius Papæ, vel de auctoritate eius.

Tertio. Poteſtas Papæ eſt maior omni alia, maioritate auctoritatis. Quia nullius Imperatoris, Regis, vel alterius Principis leges, ſeu ſtatuta alicuius roboris, vel firmitatis eſſe cenſentur, niſi quatenus ſunt per auctoritatem Papæ confirmatæ, & approbatæ, vt dicit Aug. & ponitur. 9. diſt. c. 1. Quia quicunq. legibus Imperatorum, quę pro Dei veritate ferũtur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium: quicunque autem legibus Imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande

 præmium.

præmium. eſt namque tanta anctoritas Eccleſiæ, & Romani Pontificis, vt Auguſtinus dicat contra epiſtolam fundamenti: Ego non crederem Euangelio, niſi me catholicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. E

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Moyſes repreſentabat Chriſtum, cuius vicem Papa gerit in terris. Vnde dictum eſt Moyſi Deutero. 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui. Similiter Aaron Chriſtum repreſentabat; quia vt allegatum eſt Exod. 28. Applica tibi Aaron cum filijs ſnis, vt ſacerdotio fungantur mihi. Snper quo verbo dicit gloſ. quòd ſicut tabernaculum cum * ornatibus, & vaſis ſuis ſignificabat eccleſiam pulchram, virtutum, & perſonarum varietate diſtinctam, ita ſummus ſacerdos Aaron tabernaculi Chriſtum verum pontificem ſignificabat, qui ſemetipſum pro nobis obtulit in cruce. Aliter tamen Moyſes, & aliter Aaron Chriſtum ſignificabant, quia Moyſes ſignificabat Chriſtum vt legiſlator: Aaron vero vt ſummus ſacerdos. & Chriſtus, cuius vicem Papa gerit, fuit legiſlator, iuxta illud Iſa. 33. Dominus legifer noſter, Dominus iuſtus noſter. Et fuit ſacerdos, iuxta illnd pſal. 109. Tn es ſacerdos in æternum ſecundnm ordinem Melchiſedech. per hoc ergo, quòd Aaron, & filij eius applicati ſunt Moyſi, vt ſacerdotio Dei fungerentur, ſignificatum eſt, quod omnes præſules, & doctores, qui ad paſtorale, & ſacerdotale officium aſſumuntur, tanto ſtudio, & amore debent legi Dei adhærere, vt germana cognatione videantur coniungi, ſicut gloſ. ibidem dicit. Dato ergo, quòd poteſtas Moyſi fuerit maior poteſtate Aaron; quia poteſtas Moyſi fuit imperialis in legiſdatione, & fuit ſacerdotalis in votorum populi oblatione. quia ſicut dicit gloſ. ſuper illo verbo pſal. 98. Moyſes, & Aaron in ſacerdotibns eius. Moyſes ſacerdos fuit, non hoſtia, ſed vota populi offerens Deo. per hoc tamen non excluditur, quin poteſtas Papæ ſit maior omni alia; cum ipſe gerat vicem Chriſti, cuins poteſtas ſignata eſt per Moyſen, & Aaron, vt dictum eſt.

* al. ornamentis.

F

G

Ad ſecundum eſt dicendnm, quòd Papa non ſoluit tributum Imperatori in recognitionem dominij, ſed ſolnm pro pace, & quiete Eccleſiæ ſeruãda, quam ipſe Imperator tenetur tueri, & conſeruare, ſicut habetur 23. quæſt. 8. cap. tributum in ore piſcis. Nec etiam de omnibus ſoluitur tributũ Imperatori, quia non de oblationibus, & primitijs, ſed ſolum de exterioribns bonis per principes ſeculares Eccleſię conceſſis.

H

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ appellatio interpoſita pro cauſis minimis, & pro leuibus quæſtionibns ad Papam non eſt deferenda, ſicut dicitur extra de appel. ſed pro cauſis ardnis, & pro grauibus quæſtionibus omnis appellatio poteſt deferri ad Papam. quia 11. quæſt. 1. cap. quicunque litem habens: cuilibet licitum eſt ſacroſanctæ ſedis Antiſtitis iudicium eligere.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM QVILIBET Epiſcopus ſit æqualis Papæ in poteſtate.

Vide Turre Crematam in cap. manus, de conſecratione, diſtinctione 5.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, enim quòd quilibet Epiſcopus ſit æqualis Papæ in * potentia. Qnia vnns frater non eſt maior alio: ſed Papa appellat omnes Epiſcopos fratres. ergo omnes Epiſcopi æquales ſunt Papę in potentia. * al. poteſtate.

2 Præterea. Secundnm Apoſtolum ad Hebræ. 7. Abſque vlla contradictione verum eſt, ꝙ ſemper qui minor eſt à maiore benedicitur: ſed Papa benedicitur, & conſecratur ab Oſtienſi. ergo videtur, quod non ſolum Oſtienſis ſit æqualis: ſed etiam quilibet Epiſcopus ſit maior in poteſtate.

3 Præterea. Ille eſt maior alio in poteſtate, qni poteſt in aliquem effectnm, in quem non poteſt alius: ſed Imperator in mnltos effectus poteſt, in quos Papa non poteſt; vt leges condere, quibus ipſe Papa vtitur, & indicia ſæcularia exercere. ergo Imperator maior eſt Papa in poteſtate.

In Contrarium eſt. Quia, ſicut dicit Chryſoſtomus in quadam homilia de Pent. Eccleſia maior eſt cælo, angelis, & omni creatura. ergo poteſtas Papę, qui eſt caput Eccleſiæ, maior eſt omni alia, & nulla æqualis ſibi. Tom. 3.

RESOLVTIO.

Epiſcopi omnes, qui perſonas Apoſtolorum repręſentant, ſunt ęquales Papæ poteſtate ordinis, & ratione conſecrationis, non adminiſtrationis, ſicut in huiuſmodi poteſtate Apoſtoli fuerunt æquales Petro. Poteſtate vero iuriſdictionis in ſpiritualibus non item. In temporalibus idem cenſendum eſt, ratione immediatę auctoritatis. Ratione vero immediatæ executionis Principes ipſi, & Reges poſſunt eſſe ipſo maiores.

Reſpondeo, Dicendnm, quòd poteſtas eſt dnplex: vna ordinis, & alia iuriſdictionis. Loquẽdo ergo de poteſtate ordinis, omnes Epiſcopi ſunt æquales Papæ in tali poteſtate. Cuius ratio duplex eſt.

Prima talis: omnis poteſtas ordinis, vel reſpicit characteris impreſſionem, vel reſpicit characteris perfectionem. Nam characteris impreſſio fit in ſeptem † ordinibus; quia in quolibet ordine imprimitur character. In Epiſcopatn vero licet non imprimatur character, perficitur tamen character iam impreſſus, vt per talem perfectionem poſſit epiſcopus, qui eſt perfectus ſacerdos, ſibi ſimiles generare. Sed omnes Epiſcopi habent characteris impreſſionem, & characteris perfectionem. ergo omnes Epiſcopi ſunt æquales Papæ in poteſtate ordinis.

† Vide San. Tho. in qõnibus additis ad 3. partem. q. 35. art. 2.

Secunda ratio eſt talis: Omnes Apoſtoli ſimul cum Petro æqualiter receperunt poteſtatẽ ordinis a Chriſto, Ioannis 20. quando dictum eſt eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. nec talis poteſtas ordinis ſingularius fuit data Petro, quàm alijs Diſcipulis, quia nõ eſt dictum ſibi: Accipias, ſed Accipite: ſed perſonas Apoſtolorũ repræſentant † Epiſcopi, ſicut Papa gerit vicem beati Petri: ergo omnes Epiſcopi æquales ſunt Papæ in poteſtate ordinis, ſicut omnes Apoſtoli æquales fuerunt Petro in prædicta poteſtate. Vnde dicitur 21. diſtinctione. cap. in nouo teſtamento: Quia cæteri Apoſtoli cum eodem Petro pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt. quod eſt verum quantum ad ordinem, & ratione conſecrationis; non ratione adminiſtrationis, vt Gloſſator notat ſup dicto verbo.

† Vide Concil. Trident. ſeſs. 23. in prin. cap. 4. & c. quorũ vices. diſt. 61.

B Sed ſi loquamur de poteſtate iuriſdictionis, ſiue accipiatur talis poteſtas iuriſdictionis in ſpiritualibus, ſiue in temporalibus, nullus eſt æqualis Papæ in tali poteſtate. quia omnes alij Epiſcopi vocati ſunt in partem ſollicitudinis, & adminiſtrationis: ſolus autem Papa habet adminiſtrationem vniuerſalem in toto orbe. Vnde dicit Chryſoſtomus in homi. 87. ſuper Ioann. 21. Quia Chriſtus Iacobum localiter in vno loco Prælatum determinauit: ſed Petrum totius orbis ordinauit Magiſtrum, & doctorem. Et idem ſuper Actis apoſtolorum dicit, quòd Petrus a filio ſuper omnes filij poteſtatem accepit. non vt Moyſes in gente vna, vel in vno populo: ſed in vniuerſo orbe terrarum. Si vero loquamur de poteſtate iuriſdictionis temporalis, ſimiliter nullus eſt æqualis ſibi in C tali poteſtate, quantum ad immediatam auctoritatẽ, & vniuerſalem iuriſdictionem: licet quantum ad immediatam executionẽ, & adminiſtrationem Imperator, & alij Reges, & Principes poſſint eſſe maiores eo.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Epiſcopos eſſe fratres Papæ, quatuor modis intelligi poteſt. Primo, naturæ conformitate. & ſic verum eſt, quòd non ſolum Papa, verum etiam ipſe Chriſtus, qui fuit Deus, & homo, non confunditur omnes homines fratres vocare, dicens: Nomen tuum nunciabo fratribus meis. Secundo, meriti ęqualitate. & ſimiliter ſic verum eſt: quia ſicut non derogatur pręſulatui D beati Petri dicere aliquem martyrem, vel confeſſorem fuiſſe ſibi fratrem, vel æqualem in merito: ſic non derogatur Papę dicere omnes Epiſcopos in hoc eſſe eius fratres ſibi ęquales. Vnde dicitur 2. quæſt. 7. cap. puto. quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus epiſcopus apoſtolo Petro comparatur, quantum attinet ad martyrij coronã: quia & ſi diſtat cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria. Tertio, poteſt intelligi ordinis dignitate: & ſic eodem modo verum eſt: quia ſicut apoſtoli ſimul cum Petro tanquam fratres, & ęquales pari conſortio hunc honorẽ, & hanc dignitatem ordinis receperunt à Chriſto: ſic omnes epiſcopi ſunt fratres, & æquales Papę in tali dignitate. Quarto, poteſt intelligi, iuriſdictionis paritate: vt quòd Epiſcopi ſint fratres, & pares ipſi Pa-

Hebr. 2.

A pæ in poteſtate iuriſdictionis. et ſic non eſt verum, Epiſcopos eſſe fratres Papæ; immo ipſe eſt pater, & caput ipſorum, ſicut Chriſtus in hoc fuit pater, & caput * ipſorum Apoſtolorum, ut dicit Cyrillus in libro Theſaurorum; quia Apoſtoli in Euangelijs, & epiſtolis affirmauerunt, in omni doctrina Petrum eſſe loco Domini, & eius Eccleſiæ regimen tenere; dantes eidem locum in omni Capitulo, & Synagoga, in omni electione, & confirmatione. Cui, ſcilicet Petro, omnes, iure diuino, caput inclinant, & Primates mundi tamquam ipſi Domino Ieſu obediunt.

* al. omniũ

AD ſecundum eſt dicendum, quòd in poteſtate ordinis non eſt inconueniens Oſtienſem * & alios Epiſcopos eſſe maiores Papa; quia ſi aliquis Diaconus eligatur in Papam, ſimplex Sacerdos erit maior eo, quantum ad characteris ſacerdotalis impreſſionem: & ſimplex Epiſcopus erit maior quantum ad characteris perfectionem. Quod totum contingit, quia talis poteſtas ordinis non competit Papæ, niſi inquantum eſt Sacerdos, vel Epiſcopus, aut in aliquo ordine ordinatus. Vnde poterit eſſe verus Papa habens plenam adminiſtrationem, & iuriſdictionem in tota Eccleſia: & tamen carebit omni poteſtate ordinis, quia ſi eſt diaconus, carebit poteſtate ſacerdotali, & Epiſcopali, niſi conſecretur.

* alias vel.

AD tertium eſt dicendum: Quòd ſicut dicit Apoſtolus ad Cor. 1. Ad iudicia, & litigia determinãda cõtemptibiles de Eccleſia debent eligi. Per hoc enim ꝙ Imperatores, & Reges leges cõdunt, per quas iudicia, & litigia ſæcularium perſonarum terminantur; non habetur, quòd ipſi ſint maiores; ſed potius contemptibiles, & inferiores in Eccleſia, vt dicit Cyprianus, & ponitur x. diſt. c. quoniam idem. Quia Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigẽt: Pontifices vero pro curſu rerum temporalium tantummodo legibus imperialibus vtuntur, ne ſeruientes Deo implicent ſe negotijs ſæcularibus. Vel poteſt dici, quòd in legibus condendis, & iudicijs proferendis Imperatores, & Reges non habent immediatam iuriſdictionem, & confirmationem. quia auctoritate Papę oportet, quòd talia ſint roborata, & confirmata: habent tamen immediatam executionem & adminiſtrationem. ex hoc tamen non arguitur, ꝙ ſint maiores, vel æquales ſibi in ptãte: ſed potius inferiores.

1. Cor. 1.

ARTICVLVS V.

VTRVM POTESTAS Papæ ſit ſingularius à Deo, quàm poteſtas aliorum.

Vide Turre Crematam in ſumma de Eccleſia, lib. 2. cap. 38. & 39.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poteſtas Papæ non ſit ſingularius à Deo, quàm poteſtas aliorum. Quia ille, qui habet æqualiter curam de omnibus, non magis ſpecialiter reſpicit principatũ vnius, quàm principatũ alterius: ſed ſcribitur Sap. 6. quòd puſillũ,

&

& magnum ipſe Deus fecit, & æqualiter ſibi cura eſt E de omnibus. ergo non videtur, quòd poteſtas Papæ ſit ſingularius a Deo, quàm poteſtas aliorum.

2 Præterea. Contingit in principatu eccleſiaſtico aſſumi quãdoque malos, & bonos Paſtores: ſicut contingit malos, & bonos Rectores eligi ad principatum ſæcularem. non ergo poteſtas Papæ ſingularius eſt a Deo, quàm poteſtas aliorum.

3 Præterea. Ibi eſt magis ſuccurrendum per ſpecialem prouidẽtiam, vbi eſt maius periculum: ſed in regimine rerum temporalium videtur eſſe maius periculum propter pluralitatem negotiorum occurrentiũ, quàm in regimine ſpirituali. ergo videtur, ꝙ poteſtas ſæcularium Principum magis ſingulariter ſit a Deo, quàm poteſtas Papæ.

In Contrarium eſt. Quia ſicut ſe ha- F bet poteſtas ſpiritualis ad temporalem, ſic ſe habet ſpirituale ad corporale: ſed ſpirituale principalius, & ſingularius eſt à Deo, quàm corporale; cũ ipſe Deus ſpiritus ſit: ergo eodem modo principalius, & ſingularius eſt à Deo poteſtas Papæ, quã poteſtas aliorum.

RESOLVTIO.

Poteſtas Papę, quamuis omnis poteſtas ſit à Deo, ſingularius à Deo eſt, quàm aliorum poteſtas. Idq́; tribus de cauſis. Ratione videlicet Electionis, Gubernationis, Impugnantiumq́; punitionis.

Respondeo, Dicendum, ꝙ in poteſtate Papæ poſſumus tria cõſiderare. Primo eius electionẽ. G Secundo eius gubernationem. Tertio impugnantiũ, & non obedientium ſibi punitionem. Et ſecundum iſta tria, tribus modis poteſt oſtendi, quòd poteſtas Papę ſingularius eſt a Deo, quàm poteſtas aliorum.

Primo quantum ad eius electionẽ, licet enim omnis poteſtas ſit a Deo, vt dicitur ad Roma. 13. poteſtas tamẽ Papę immediatius, & ſingularius eſt a Deo, quàm alia. Quia ſicut Deus generaliter habet eſſe in omnibus rebus creatis per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, in ſuis tamen fidelibus habet eſſe quodam ſpeciali modo per gratiam, & charitatem: ſic, licet in electione omnium poteſtatum Deus operetur, quodã tamen ſingulari modo operatur in electione ſummi Pontificis, qui ſuos fideles habet regere, & ordinare ad cultum Dei. Vnde multum peccant electores, H qui huic ſingulari diuinæ prouidẽtię, qua regit Eccleſiam ſuam, non innituntur. Contingit tamen, eos rationabiliter in ſtultum finem quãdoque adduci, & eorum fine priuari, quem non bonum, ſed prauum in tali electione quãdoque ſibi præfigũt. Vnde ſcribitur Iob. 13. Quia ipſe Deus adducit conſiliarios in ſtultũ finem, & iudices in ſtuporem.

Secundo quãtum ad eius gubernationem. quamuis. n. Deus habeat curam generalem de gubernatione omnium rerum: ſingulari tamen modo habet curam de poteſtate ſummi Pontificis regentis, & gubernantis ſuam Eccleſiam. Vnde dicit Chryſo. in quadã Tom. 3. Homilia de Pẽtecoſte, ꝙ magna cura eſt Deo de Eccleſia ſua, non muro circundata, ſed fide circumſepta. Nam propter eccleſiam cælum extenſum eſt, aer ſparſus eſt, mare diffuſum eſt, terra fundata eſt, Paradiſus plantatus eſt, & multa mirabilia facta ſunt. Propter Eccleſiam mare diuidebatur, & iterũ ſuebatur: petra ſcindebatur, & iterum coniungebatur: manna pluebat de cęlo, & tamquam pruinoſa ponebatur menſa. Propter eccleſiam Prophetæ, propter eccleſiam Apoſtoli, propter Eccleſiam vnigenitus Dei Filius factus eſt homo. Ego ipſam ſtatui, qui cęlum fundaui, & angelos creaui: ſed propter cælũ crucifixus non ſum: propter cęlum cæleſte corpus non accepi, nec naturã angelorũ aſſumpſi; vt diſcas, quoniã cælo, angelis, & oĩ creatura ſingularior, & honorabilior eſt Eccleſia.

Tertio quantum ad impugnantium, & non obedientium ſibi punitionem. Gerit enim ſummus Pontifex in Eccleſia vicem illius Prophetæ, de quo dicitur Deuter. 18. Prophetam ſuſcitabo vobis de fratribus veſtris. quicunque non audierit Prophetam illum, ego vltor exiſtam, pœnam æternam, & temporalem ſibi infligendo, vt gloſ. dicit. Ex quo verbo habetur, ꝙ impingentes in ſummum Pontificem, & reſiſtẽtes ſibi, grandi pœna puniendi ſunt. Significatur enim ſummus Pontifex per montem Sinai, de quo dicitur Exod. 19. ꝙ die tertio deſcendit dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai, dicens filijs Iſrael: Ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines eius. Omnis enim qui tetigerit montem, morietur. Significatur ẽt ſummus Pontifex per talem montem, ratione eius generalitatis: quia ſicut mediante tali monte deſcendit Deus coram toto populo Iudæorum: ſic Chriſtus, mediante poteſtate ſummi Pontificis, in lege noua deſcendit ſuper toto populo Chriſtianorũ. Et ratione ſublimitatis. Quia ſicut ille mons ſublimior erat omni alio, ſic Papa ſublimior eſt omni alio Prælato. Et ratione legalis* auctoritatis, quia ſicut de illo mõte data eſt lex, ſic ab ipſo Papa omnes leges, & omnia iura exquirenda ſunt. Omnis ergo, qui hunc montem auſu temerario tangit, impugnando, vel ſibi non obediendo, mori debet: non quacumque morte. quia manus ſic morientem non debent tangere: ſed lapidibus eſt opprimendus, & iaculis confodiendus in deteſtationem talis peccati, vt dicitur eodem libro. Quantũ ergo ad electionem, & quantum ad gubernationem, & quantum ad impugnantium punitionem ſingularius, & ſpecialius poteſtas Papæ eſt a Deo, quàm poteſtas aliorum.

*al. veritatis.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ prouidentia generali Deus habet æqualem curã de omnibus: ſed quadam prouidentia ſingulari Deus habet ſpecialem curam de poteſtate Papæ, mediante qua regit Eccleſiam, quam non habet de poteſtate aliorum. ſecundum quem modum loquitur Apoſtolus 1. ad Cor. 9. vbi ait: Nunquid Deo cura eſt de bobus?

Ad ſecundum dicendum eſt, ꝙ contingit, aliquos aſſumi ad ſummum Pontificium, qui ſi non ſunt boni homines, ſunt tamen boni Prælati. Nam bonum hominem facit ſola charitas. quia ipſa diuidit inter filios æterni regni, & filios perditionis æternæ. Sed Prælatus bonus poteſt eſſe per prudentiam, & ſcientiam,

A tiam, quæ ſunt dona ſe tenentia ex parte intellectus, ſecundum quæ non dicitur homo bonus ſimpliciter, ſed ſecundum quid; eo quòd ſecundum ipſa poteſt eſſe vtilis ad regimen aliorum. (c. ſtatuim*.) Dicitur enim 41. diſt. quòd rudibus, & imperitis gubernacula Eccleſiæ non ſunt committenda. et in hoc apparet ſingularis prouidentia Dei, quia regit Eccleſiam ſuam mediante poteſtate malorum hominum bene, & vtiliter ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum. Si vero cõtingat, aliquos ad ſummum pontificium aſſumi, qui ſint mali homines, & mali prælati, talium poteſtas etiam ſecundum Aug. ſingulariter eſt a Deo: Ait enim in de ciuita. Dei. c. 8. (Vide B. Auguſt. in lib. de fide ad Petrum. c. 43. tom. 3.) Sicut ſub eodem igne aurum rutilat, & ſtipula fumat: & ſub eadem tribula conteruntur paleæ, & granum purgatur: ſic ſub eodem principatu boni, & prædeſtinati purgantur, & finaliter ſaluantur per ipſius principatus perſecutionem: Mali vero conteruntur, & finaliter damnabuntur per illius promotionem, & exaltationem. B

Ad tertium eſt dicendum. Quòd ſi contingit ſæculare, & temporale regimen habere maiorem mentis diſtractionem, quàm regimen ſpirituale propter temporalium implicationem: bonum tamen regimen temporale ex bono regimine ſpirituali dependet. quia vt dicit Chryſoſt. ſuper Matthæ. Sicut omne malum egreditur a ſacerdotio: ſic omne bonum a ſacerdotio procedit. & ideo ſingularior cura habenda eſt de poteſtate ſacerdotij, & regiminis tam ſpiritualis, quàm temporalis. Si enim ſacerdotium fuerit integrum, vt idem dicit, totus populus floret, & reſidet in pace; ſi vero ſacerdotium fuerit diſſolutum, & inordinatum, tota plebs marcida erit. C

ARTICVLVS VI.

VTRVM POTESTAS Papæ ſit vna.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poteſtas Papæ non ſit vna: quia multi ſunt ordines Epiſcoporum, vt dicit Magiſter ſentent. lib. 4. (Diſt. 24.) ergo multæ ſunt poteſtates in Eccleſia. poteſtas ergo Papæ, quæ præeſt toti Eccleſiæ, non eſt vna, ſed plures. D

2 Præterea. Poteſtates diſtinguuntur per actus, & per obiecta: ſed aliud obiectum eſt ſpirituale, & aliud temporale. alia ergo erit poteſtas in Papa reſpectu ſpiritualium, & alia reſpectu temporalium.

3 Præterea. Poteſtates Eccleſiæ ſignificantur per gladios duos, de quibus dicitur Lucę 22. Ecce gladij duo hic. cum ergo omnis poteſtas Eccleſiæ reſideat in Papa, videtur quòd in Papa non ſit vna poteſtas, ſed plures.

In Contrarium eſt. Quia poteſtas Papæ eſt reſpectu Eccleſiæ, cuius adminiſtrationem gerit: ſed Eccleſia eſt vna, iuxta illud Cant. 6. Vna eſt columba mea, vna eſt perfecta mea, vna eſt matri ſuę, electa genitrici ſuæ. ergo poteſtas Papę ſimiliter erit vna.

A

RESOLVTIO.

Poteſtas Papæ vna tantum eſt. idque aſſerendum eſſe non dubitamus, reſpectu corporis Chriſti veri, id eſt ratione poteſtatis ordinis: & reſpectu corporis Chriſti myſtici, hoc eſt ratione poteſtatis iuriſdictionis, vel adminiſtrationis.

RESPONDEO, Dicendum, ꝙ in Papa eſt duplex poteſtas. Vna reſpectu corporis Chriſti veri, & iſta vocatur poteſtas ordinis. Alia eſt reſpectu corporis Chriſti myſtici, & iſta vocatur poteſtas iuriſdictionis, vel adminiſtrationis. Si ergo loquimur de poteſtate Papæ reſpectu corporis Chriſti veri, quę eſt B poteſtas ordinis, talis nõ eſt niſi vna vnitate reali, quia in omnibus Sacerdotibus, & Epiſcopis talis poteſtas non plurificatur; nec ex parte ipſorum Sacerdotum, vel Epiſcoporum offerentium. quia omnes offerunt in perſona vnius Sacerdotis, puta Chriſti. Non enim illa verba: Hoc eſt corpus meum, proferuntur in perſona Sacerdotis, vel Epiſcopi conſecrantis, ſed in perſona Chriſti. Vnde dicit Chryſ. in Homil. de proditione Iudæ †, (Tom. 3.) ꝙ Chriſtus, qui menſam illam ornauit diſcipulorum in cena, præſto eſt menſæ noſtrę, quam conſecrat. († Vide San. Tho. 3. par. quæſt. 78. ar. 1.) Quia non eſt homo, qui propoſita, panem, & vinum, corpus, & ſanguinem facit: ſed ille, qui eſt crucifixus pro nobis Chriſtus, cuius virtute conſecrãtur, licet Sacerdotis ore proferantur. Nec plurificatur, ex parte rei oblatę, quia non aliud corpus offertur per C vnum Epiſcopum, vel per vnum Sacerdotem, & aliud per alium: ſed illud idem corpus numero offertur per vnum, quod per omnes alios. Nec tertio plurificatur ex parte paſſionis commemoratæ. quia vna, & eadem paſſio Chriſti ſemel recepta, commemoratur per omnes. Vnde dicitur 1. ad Cor. 11. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annunciabitis, donec veniat. Poteſtas ergo ordinis, quæ eſt reſpectu corporis Chriſti veri, vna eſt realiter in Papa, & in omnibus Sacerdotibus, & Epiſcopis, quia in tali poteſtate omnes Sacerdotes nõ ſunt niſi vnus Sacerdos: & omnes Epiſcopi, niſi vnus Epiſcopus: & per vnitatem vnius Sacerdotis conſecrãtis, & vnius rei oblatæ, & vnius paſſionis commemoratæ. Vnde Apoſtolus ad Hebræ. 7. dicit. Quia in D ſacerdotio Leuitico plures quidem facti ſunt Sacerdotes: ſed hic, ſcilicet Chriſtus, * vnum habet ſacerdotium. (* al. ſempiternum.)

Si vero loquimur de poteſtate Papę reſpectu corporis Chriſti myſtici, quæ eſt poteſtas iuriſdictionis, talis ſimiliter eſt vna in Papa, vnitate cuiuſdam ordinis: Nam in corpore myſtico triplicem ordinem diſtinguere poſſumus. vnum, quo clerici ordinantur ad clericos. alium, quo laici ordinantur ad clericos. tertium, quo laici ordinantur ad laicos. Et quia ordinatio, qua laici ordinantur ad laicos, eſt poteſtas corporalis, & temporalis; cum ſemper corporale, & temporale debeant regulari per ſpirituale; neceſſariũ eſt, ꝙ talis poteſtas laicorum reguletur per poteſtatem ſpiritualem, qua ipſi clerici ordinantur ad laicos. Similiter poteſtas clericorum, qua ordinantur ad laicos,

regulanda

regulanda eſt, & ordinanda per poteſtatem, qua Clerici ordinantur ad clericos: & potiſſime per poteſtatẽ illam, qua Clerici ordinãtur ad Summũ clericorum, qui eſt Papa. Ita ꝙ Papa per vnam poteſtatem ordine quodã habet ordinare clericos ad clericos, & clericos ad laicos, & laicos inter ſe. & iſta eſt deductio B. Aug. 3. de Tri. c. 4. vbi ait: Quod quemadmodum corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora reguntur per ſpiritum vitæ; & ſpiritus vitæ irrationalis regitur per ſpiritum vitæ rationalem: & ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atq. peccator regitur per ſpiritum vitæ rationalem pium, & iuſtum: & ſpiritus iuſtus, & pius regitur per ipſum Deum. & ſic vniuerſa creatura regitur per* ſuum Creatorẽ, ex quo, & per quem, & in quo condita, atque inſtituta eſt. E

*al. ſummũ

F

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo dicendum eſt, quòd ordines Epiſcoporum ſunt plures, non * per plures poteſtates ordinis; cum in tali poteſtate, vt dictum eſt, omnes Epiſcopi non ſint niſi vnus Epiſcopus. & omnes Sacerdotes vnus Sacerdos: ſed propter plures communitates, & adminiſtrationes, quibus pręſunt. Diſtinguuntur enim per Philoſophũ quinque cõmunitates. quarum prima eſt communitas vici, quæ reſultat ex pluribus domibus. Alia eſt communitas ciuitatis, quę conſtituitur ex pluribus vicis. & iſta eſt communitas perfecta ſecundum Philoſophum. quia ſi ciuitas bene ordinata eſt, in ea debet inueniri quidquid neceſſariũ eſt ad vitam humanam. Tertia eſt communitas prouinciæ, quę inſurgit ex pluribus ciuitatibus. Quarta eſt communitas regni, quæ reſultat ex pluribus prouincijs. Quinta eſt communitas totius orbis, quæ cõſtituitur ex omnibus regnis. In prima ergo communitate præſunt Presbyteri parochiales, quorum quilibet regit vnum vicum, & vnam parochiam. In ſecunda vero præſunt Epiſcopi † quia ciuitas quælibet eſt communitas perfecta, ſicut quilibet Epiſcopus eſt ſacerdos perfectus, cũ poſſit ſimile ſibi generare. In tertia vero cõmunitate pręſunt Archiepiſcopi, vel Metropolitani. In quarta præſunt Patriarchæ, & Primates. G

*al. propter

† Vide Gratianũ in c. eccleſiis. 5. inter epos. diſt. 68. & c. Epi. diſt. 80.

Sed in quinta communitate præeſt ſummus Pontifex. Quia quantum eſt de iure † omnes, qui ſunt in toto orbe, debent ſubijci ſummo Pontifici. Sicut enim de iure legis diuinę nullus poteſt ſaluari, niſi ſit de corpore Eccleſiæ; quia extra Eccleſiam non eſt ſalus: ita de iure eſt, quòd omnes, qui ſunt in toto orbe, ſint ſub poteſtate Papæ. H

† Vide extrauagãtem Bonif. viij. incip. vnam ſanctã. titu. de maio. & obedien.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ verum eſt, corporale, & ſpirituale eſſe diſtincta: ſed ſpirituale, vt patet per Aug. habet regere, & regulare, & gubernare ipſum corporale, & temporale. Aliquando quidem per ſeipſum, aliquando verò mediante alio corporali, vel mediante alio temporali. Sic & Papa ſua poteſtate ſpirituali aliqua temporalia, & corporalia regit per ſeipſum: aliqua vero mediante poteſtate aliorũ Principũ ſęculariũ, quorũ poteſtas corporalis, & temporalis eſt.

Ad tertiũ eſt ſimiliter dicendum, quòd per illos duos gladios duę poteſtates intelligũtur: vna tamen reducitur ad aliam, ſecundum ordinem ſupradictum.

ARTICVLVS VII.

VTRVM IN PAPA SIT poteſtas Regalis, & Sacerdotalis ſimul.

Turrecremata, in Summa de Eccleſia, lib. 2. cap. 4. ad ſecundum argumentum.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd in Papa nõ ſit poteſtas Regalis, & Sacerdotalis ſimul. Quia Papa gerit vicem Chriſti, vt conuerſatus eſt in hoc mundo: ſed ſecundum talem conuerſationẽ Ioan. 18. Chriſtus dixit Pilato: Regnum meum non eſt de hoc mundo: ſi enim ex hoc mundo eſſet regnũ meum, miniſtri mei utique decertarent, vt non traderer Iudæis. ergo videtur, ꝙ in Papa non ſit poteſtas regalis in hoc mundo.

2 Præterea. Poteſtas Chriſti figurata eſt in lege veteri: ſed in lege ueteri diſtinctæ erant tribus Iudaica, de qua fiebant reges, & tribus Leuitica, de qua fiebant Sacerdotes. cũ ergo Chriſtus ortus ſit de Tribu Iuda, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt, vt dicit Apoſtolus ad Heb. 7. videtur, ꝙ in Chriſto non fuerit poteſtas ſacerdotalis.

3 Pręterea. Ille, qui cedit dominio regni, non efficitur Rex: ſed Chriſtus ceſſit dominio regni; Scribitur enim Ioan. 6. ꝙ cum cognouiſſet Ieſus, quia venturi erant illi homines, quos pauerat, vt raperent eum, & facerent eũ Regem, fugit in montem. Ergo non videtur, ꝙ in Papa gerẽte vicẽ Chriſti ſit poteſtas Regalis.

4 Præterea. Fruſtra eſt in aliquo potentia, quæ ad actum non reducitur: ſed non videmus, quòd Papa vtatur regali poteſtate. ergo videtur, quòd in eo poteſtas Regalis non ſit.

In Contrarivm eſt. quia Papa conſecratur, vt Sacerdos, & coronatur vt Rex, & feſtũ coronationis nunciat omnibus Regibus. ergo vtraque poteſtas reſidet in eo.

RESOLVTIO.

Papa vicem Chriſti gerens, quem Regalem, & Sacerdotalem poteſtatem in Incarnatione, Conuerſatione, Paſſione, & in Reſurrectione habuiſſe conſtat; vtrãque pro certo habet.

Respondeo, Dicendum, quòd Papa gerit vicem Chriſti, ſaltem quantum ad poteſtatem, & iuriſdictionem officij: in Chriſto autem planum eſt fuiſſe poteſtatem Regalem, & Sacerdotalem. quod oſtenſum eſt. Primo in eius Incarnatione. Secundo in eius Conuerſatione. Tertio in eius Paſſione, & in eius Reſurrectione. Nã in eius Incarnatione poteſtas regalis eius oſtenſa eſt. quia ex tribu Regali traxit originẽ ſecundum carnem: poteſtas vero Sacerdotalis, quia ſuum aduentum per Ioan. Baptiſtam, qui fuit filius

Sacerdo-

Sacerdotis voluit nunciari. Vnde dicit Aug. in lib. de conſenſu Euangeliſtarum: Quod quia Chriſtus (Tomo 4.) futurus erat Rex, Propheta, & Sacerdos, ideo diuina prouidentia factū eſt, vt tres Euangeliſtæ, qui Chriſtum, quantum ad humanam naturam aſſumptam notificare ſumpſerunt, hoc ordine eorum Euãgelia inceperunt: quia Matthæus incipit à ſemine Regali dicẽs: Liber generationis Ieſu Chriſti, filij Dauid Regis. Marcus verò à vaticinio Prophetali, dicens: Initium Euangelij Ieſu Chriſti, ſicut ſcriptum eſt in Iſaia Propheta. Sed Lucas à ſacrificio Sacerdotali, dicens: Fuit in diebus Herodis Sacerdos quidã nomine Zacharias. Secundo oſtenſum eſt in eius conuerſatione. Cum enim Matth. 17. Illi, qui accipiebant didragma, dicerent Petro: Quare magiſter neſter non ſoluit didragma? Chriſtus præueniens eũ volentem interrogare, dixit: Quid tibi videtur, Petre, Reges terræ, à quibus accipiunt tributum, à filijs ſuis, an ab alienis? quo reſpondente: ab alienis, concluſit: Ergo liberi ſunt filij Regum. Super quo (In Matth. lib. 4. c. 17.) verbo dicit Hierony. quòd dominus noſter, & ſecundum carnem, & ſecundum ſpiritum filius Regis erat: quia ſecundum humanitatem ex Dauid ſtirpe erat generatus: ſecundum verò diuinitatem omnipotentis Patris erat verbum, & ideo tamquã Regum Filius tributa ſoluere non debebat.

Tertio, oſtenſum eſt hoc in eius paſſione. Nã poteſtatem regalem oſtendit, quando intrans Hieruſalẽ cum Diabolo pugnaturus, regalem reuerentiã ſuſcepit ab Apoſtolis ſternentibus veſtimẽta, & ramos de arboribus in via: vnde & teſtimonium Prophetę Zachariæ inductum eſt per Euangeliſtam Matthęũ, (Matth. 21.) dicentem, Zachariæ 9. Ecce Rex tuus venit tibi mã ſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum eius.

Poteſtatem uero Sacerdotalem oſtẽdit tunc, quãdo ſeipſum obtulit in ara crucis; idem enim fuit Sacerdos offerens, & oblatum. Vnde dicit Auguſt. 4. (Tomo 3.) de Trinit. cap. 14. Quatuor conſiderantur in omni ſacrificio; ſcilicet cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. Idẽ ipſe vnus, veruſq. mediator Chriſtus per ſacrificium pacis reconcilians nos Deo, vnum cum illo manſit, qui offerebat, vnum in ſe fecit, pro quibus offerebat, vnus ipſe eſſet, qui offerebat, & quod offerebat.

Quarto, hoc oſtenſum eſt in eius reſurrectione. (Matth. 27.) Quia poteſtatem regalem oſtendit in Diaboli expoliatione, quando multa corpora Sanctorum ſurrexerunt cum eo, & introiuerunt in ſanctam ciuitatem, multis apparentes in ſignum victoriæ obtentæ.

Sacerdotalẽ vero oſtendit in Spiritus ſancti datione, quando dixit Ioan. 20. Accipite Spiritũ ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Vnde Matth. vltimo, dicit: Data eſt mihi omnis poteſtas, ſcilicet Sacerdotalis, & Regalis in Cœlo, & in terra.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ ſicut dicit (Super Ioã. tract. 15. & 115. Tomo 9.) Auguſt. Regnum Chriſti, ſuper quo regnans fideles eius, ſunt credentes in eum, quibus dicit: Vos de hoc mundo non eſtis: quia ſi de hoc mũdo fuiſſetis,

A mundus, quod ſuum erat, diligeret. Chriſtus ergo non dixit: Regnum meum non eſt in hoc mundo: quia, & in hoc mundo, & in futuro regnat ſuper fideles ſuos: hic per gratiam, & in futuro per gloriã: ſed dixit: Non eſt de hoc mundo, quia de hoc mundo eſt quidquid * homini eſt à Deo creatum, & ex (* al. hominum.) vitiata ſtirpe Adæ generatum. Sed iam factum eſt Regnum, non de hoc mundo, quidquid de ipſis hominibus per ipſum Chriſtum regeneratum eſt, dicẽte Apoſtolo: Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, (Coloſſ. 1.) & tranſtulit nos in regnum filij charitatis ſuæ. Vel poteſt dici ſecundum Chryſoſt. ꝙ regnum Chriſti (Homil. In Ioan. 83.) non fuit de hoc mundo: quia non fuit modo mundano, quo modo ſunt alij Reges, qui ex fortitudine miniſtrorum accipiunt poteſtatem regnandi: ipſe autem regnando ſuper ſuos ſibijpſi ſufficiens eſt, nullo alio adminiculo indigens.

B AD ſecundum eſt dicendum, quòd Sacerdotiũ, & Regale dominium Chriſti non eſt propriè figuratum per Sacerdotium, & dominium Leuiticum, in quo erant diſtinctæ tribus Sacerdotalis, & Regalis, ſed magis per Sacerdotium, & dominium Melchiſedech, qui fuit ſimul Rex, & Sacerdos. Vnde dicit Apoſtolus ad Heb. 7. Hic enim Rex ſalem, & Sacerdos Dei ſummi. Vel poteſt dici, quòd ſummi Sacerdotes in Sacerdotio Leuitico habebãt poteſtatem Regalem, non quidem in executione; ſed in depoſitione, & cõfirmatione ipſorum. Vnde 1. Reg. (Reg. 15. & 16.) Samuel Sacerdos Dauid Regem conſtituit, & Saul depoſuit.

AD tertium eſt dicendum, quòd Chriſtus ceſſit dominio Regali, oblato ſibi per homines, quia noC luit Rex per homines fieri, qui Regnum dabat hominibus, vt dicit Aug. vel propter exemplum noſtræ (Tract. 25. ſuper Ioan. Tomo 9.) humilitatis, quia homines pernicioſè honoribus, & Imperiis inhiabant, Rex fieri noluit: quia verò diuitias pernicioſè appetebãt, pauper eſſe voluit: & quia mortem, & contumelias homines ſuperbiſsimè horrebant, crucem, & omne genus contumeliarum ſuſtinuit, & vt ſic ad vnum dicere, quidquid Dei filius in terris per hominem, quem ſuſcepit, dignatus eſt operari, diſciplina morum fuit, ſicut dicit Aug. de (Tomo 1.) vera Religione, cap. 16.

AD quartum eſt dicendum, quòd cum aliquid eſt in ſuperiori, & inferiori, & in principali agente, & miniſtro, longè nobilius, & excellentius eſt in principali agente, quàm in inferiori, & * inſtrumento. Po- (* al. miniſtro.) D teſtas ergo Regalis eſt in Papa, & in alijs Regibus, & Principibus mundi: nobiliori modo tamen, & excellentiori eſt in Papa, quàm in eis: quia in Papa eſt per confirmationem, & * diſpo- (* al. depoſitionem.) ſitionem, atque correctionem ipſorum: in eis autem eſt per executionem, & adminiſtrationem.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

VTRVM IN PAPA SIT ſimul poteſtas temporalis, & ſpiritualis.

Turrecremata in cap. Cum ad verum diſt. 96. & in Summa de Eccleſia lib. 2. cap. 13. 14. & 15.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd in Papa non ſit poteſtas temporalis ſimul, & ſpiritualis, quia ſcribitur Matth. 22. Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo: ſed Papa gerit vicem Dei in terris: ergo ad ipſum pertinet cura ſpiritualium tantum: & ad Cæſarem, vel Imperatorem pertinet cura temporalium.

2 Præterea: Ad poteſtatem Papæ pertinet ſuos ſubditos in vita ſpirituali viuificare, & ad diuinum cultum ordinare: ſed ſcribitur Ioann. 6. Spiritus eſt, qui viuificat: caro autem non prodeſt quidquam: ergo videtur, quòd ſolum poteſtas ſpiritualis ſit in eo.

3 Præterea: Papa eſt caput Diſcipulorum, & Apoſtolorum Chriſti: ſed de Diſcipulis Chriſti dictum eſt: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus: ergo uidetur, quòd Papa ſuper temporalia poteſtatem non habeat. (Luc. 14.)

4 Præterea: Scribitur Numeri 18. Filij autem Leui nihil poſſideant decimarum, oblatione dumtaxat contenti: præter ergo decimas, & oblationes videtur, quòd Papa ſuper alia temporalia poteſtatē non habeat.

IN CONTRARIVM eſt. quia qui poteſt in maius, poteſt in minus: ſed maius eſt poſſe in ſpiritualia, quàm in corporalia, & temporalia: ergo cum Papa habeat poteſtatem ſuper ſpiritualia, habet etiā poteſtatem ſuper temporalia.

RESOLVTIO.

Papa in terris Dei vicem gerens, à quo ſpiritualia, & temporalia eſſe non ambigimus; poteſtatem temporalem, & ſpiritualem pro certo habet.

RESPONDEO, dicendum; quòd bona temporalia, & ſpiritualia ad tria poſſunt comparari. Primo ad eorum productionem. Secundo ad eorum ordinationem. Tertio ad eorum motionem, vel actionem. Et ſecũdum iſta tria tribus rationibus oſtendi poteſt in Papa eſſe potentiam ſuper omnia bona temporalia, & corporalia.

Primo quidem propter eorum productionem. Quia non ab alio producta ſunt temporalia, & ab alio ſpiritualia, ut †Manichæi putauerunt: ſed ab eodem Deo, à quo producta ſunt ſpiritualia, ab eodem etiam producta ſunt corporalia, & temporalia. Papa ergo, qui gerit vicem Dei in terris, ex quo habet poteſtatem ſpiritualium, habebit ſimiliter poteſtatem temporalium, & corporalium.

(† De hoc Manichæorum errore vide D. Augu. 1. de lib. arbit. & de morib. Eccleſiæ, & Nicephor. Calliſtū lib. 6. hiſt. Eccleſ. c. 31. & 32. & Euſebiū, lib. 7. c. 25.)

Secundo, hoc patet propter eorum ordinationē. Ordinantur enim ipſa bona temporalia, & corporalia ad bona ſpiritualia tamquam organa, & tamquā inſtrumēta. Vnde Philoſophi poſuerunt, quòd ſine exterioribus bonis, quorum fortuna putabatur domina, non contingit eſſe felicem, & uirtuoſe operari. componitur enim homo ex anima, & corpore. Vnde ſicut ipſum corpus ordinatur ad animā, & eſt inſtrumentum eius, mediante quo exercet operationes ſuas, ſic ipſa bona temporalia ad bona ſpiritualia ordinãtur mediante Papa. Papa ergo, qui habet prouidere ſuis fidelibus de ſpiritualibus, habet eodem modo prouidere de temporalibus, & corporalibus, ſine quibus ſpiritualia in vita iſta politica exerceri non poſſunt. Vnde Apoſtolis dicentibus: Dimitte turbas, vt ſibi emant eſcas, dictum eſt: Non habent neceſſe ire, date vos illis manducare. (Luc. 9.)

Tertio † hoc patet propter eorum motionem, & operationem. videmus enim, quòd temporalia & corporalia mouentur, & regulantur in eorum operationibus per ipſas intelligentias, in tantum, vt Philoſophi ſecundum numerum mobilium corporum poſuerunt numerum motorum, ſicut patet 12. Metaphyſicæ. Iſtos etiam motores poſuerunt omnes regulari, & moueri ab vno motore primo, qui eſt Deus. Aug. etiam dicit, omnem ſubſtantiam temporalē, & corporalem adminiſtrari per Angelos. Papa ergo, in quo eſt poteſtas ſpiritualis, habebit per ipſam poteſtatem ſpiritualem ſimiliter diſponere, & ordinare de temporalibus.

(Vide S. Thomā par. 1. q. 112. ar. 2.) (Pſal. 103.)

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd per illud dictum: Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo; non ſubtrahitur potentia tēporalium à Papa, ſed datur intelligi quædam iuſtitia legalis, vt vnicuique reddatur quod ſuum eſt, modo, quo dicit Apoſtolus ad Rom. 13. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, & cui uectigal, vectigal, & cui honorem, honorē: & cui timorē, timorem. Imperatoribus autē, & Regibus reddenda ſunt temporalia quaſi pro ſtipendijs ipſorum, quia miniſtri Dei ſunt, vt dicit Apoſtolus. Tenentur enim Eccleſiam Dei defendere, & chriſtianum populum gubernare, & Rempublicam in pace conſeruare. Pro quo miniſterio ſtipendiandi ſunt theſauro Eccleſiæ corporali: quia quodam iure naturæ, & diuino pro tali miniſterio debetur eis tale ſtipendium temporale, iuxta illud Apoſtoli 1. ad Cor. 9. Quis, inquit, militat proprijs ſtipendijs? Quis paſcit gregem, & de lacte eius nō comedit? Super quo uerbo dicit Aug. & ponitur 23. q. 1. cap. Militare, quòd quadam diuina prouidētia ſunt militibus ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quæritur, prædo* graſſetur. Et Apoſtolus ad Rom. 13. Dei, inquit, miniſtri ſunt in hoc ipſum ſeruientes, & ideo tributa præſtatis. Ex tali ergo iure Regū, & Imperatorū accipiēdi ſtipendia, non arguitur, Papam non habere poteſtatē tempo-

(Matth. 22.) (Rom. 13.) (* al. præda graſſetur)

temporalium,& corporalium:ſed potius oppoſitum, quia sũt Reges,& Imperatores quaſi miniſtri,& ſtipẽdiarij ipſius Papæ,& ipſius Eccleſiæ, & per eum ſtipẽdiandi ſunt theſauro corporali ipſius Eccleſiæ pro pace, & defenſione eios, ſecundum taxationem ipſius. nec aliter ſunt in ſtatu ſalutis,ſi vltra ſtipendia eis taxata volunt bona temporalia à fidelibus Eccleſiæ ſubripere. Vnde Luc.3.cum milites veniſſent ad Ioannẽ,& quęſiuiſſent ab eo: Quid faciemus nos,ut ſalui ſimus? Reſpoodit: Neminẽ concutiatis per violentiam, neq; calumniam faciatis, per fraudulentam nequitiam: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris, hoc eſt, ſtipendijs pro vobis taxatis, vt exponit Chryloſtomus.

AD Secundum eſt dicendum,ꝙ carnalia,& corporalia bona per ſe ſumpta non proſunt quidquam ad vitam: ſed vt ordinantur ad ipſa ſpiritualia, tamquam organa,& tamquam inſtrumenta. proſont & ad ipſorum ſpiritualium conſecutionem, & ad ipſorum peccatorum remotionem, & ad virtutum operationem. Vnde dicitur Thobiæ 12. quòd eleemoſyna,quę de bonis temporalibus,& corporalibus fit, à morte liberat, peccata purgat, & ipſa facit inuenire vitam æternam. Et ad hunc finem Papa habet poteſtatem ordinandi de ipſis corporalibus, & temporalibus bonis: aliter non eſt poteſtatis vſus, ſed abuſus.

AD tertium eſt dicendum,ꝙ iſta fuit inſtantia Iuliani hæretici,qui bona patrimonialia chriſtianis auferens dicebat: Chriſtus veſter dicebat in Euãgelio: Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Non eſt tamen de ratione vitæ perfectę, & diſcipulorum Chriſti nihil temporalium poſſidere: cum ipſi multa temporalia in communi haberent,& vniculque prouidebatur, ſicut cuique opus erat. Nam Abraham perfectus homo erat, & multas diuitias habebat. Poſſidere ergo diuitias, non vt in eis ſpes ponatur,ſed vt in eis diuinum pręceptum impleatur ad præſentis vitæ ſuſtentationem, ad pauperum erogationem, & virtutum operationem, eſt de ratione vitæ Apoſtolicæ.

Luc. 14.

De hoc articulo vide extrauagantē Ioan. 22. incip. cũ inter nonnullos. ext. de verb. ſignif.

AD quartum eſt dicendum, quòd Papa poteſtatẽ temporalium poteſt habere ad duplicem actum. Primo quantum ad ſui,& aliorum miniſtrorum Eccleſię gubernationem. & in hoc primitiis, & oblationibus, & alijs redditibus Eccleſię debet eſſe contentus. Secundo, quantum ad ipſorum temporalium ordinationem, diſpoſitionem, & diuini cultus ampliationem. & ſic etiam ſuper alia bona temporalia omnium fideliũ Eccleſiæ poteſtatem habet.

ARTICVLVS IX.

VTRVM POTESTAS Papæ ſit ſolum temporalis.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poteſtas Papæ ſit ſolum temporalis. Quia Papa non pręeſt Eccleſię, niſi quamdiu eſt militaris, & quamdiu ipſi fideles ſunt viatores: ſed non ſemper Eccleſia erit militans, nec ſemper fideles erunt viatores. ergo poteſtas Papæ ſolum temporalis eſt.

2 Præterea. Papa præeſt Eccleſiæ, mediantibus clauibus ſibi collatis à Chriſto. Matth.16. Tibi dabo claues: ſed non ſemper Papa vtitur clauibus; quia doctrinæ exhortatio,& peccatorum abſolutio, in quibus conſiſtit * vſus clauium, non ſemper erunt neceſſaria. ergo poteſtas Papæ non ſemper durabit.

* al. vis.

3 Præterea. Vita ſummorum Pontificum non ſemper durabit: ergo poteſtas eorum eodem modo non erit perpetua. Conſequentia patet, quia Aug. dicit v.de Trin. cap. 16. Quia non debemus concedere, Deum fuiſſe Dominum ab æterno, ne cogamur dicere creaturam fuiſſe ab æterno, quia ille ab æterno non dominaretur, niſi creatura ab æterno famularetur.

IN CONTRARIVM eſt. Quia poteſtas Papæ eſt poteſtas Chriſti, cũ vicem eius gerat in terris: ſed poteſtas Chriſti eſt poteſtas æterna. ſcribitur enim Daniel.7 poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur,& regnum eius, quod non corrumpetur. ergo ſimiliter poteſtas Papæ eſt æterna.

2 Præterea Poteſtas Papæ principaliter eſt poteſtas Sacerdotalis: ſed Apoſtolus ad Hebiæ 7. ponens differentiam inter Sacerdotium Chriſti, & Sacerdotium Leuiticum, dicit, quòd in Sacerdotio Leuitico plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohibentur permanere: ſed Chriſtus eo, quòd manet in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. vnde & in perpetuum ſaluare poteſt. ergo poteſtas Papæ ſimiliter erit perpetua.

3 Præterea Illius poteſtas eſt perpetua, cuius nõ eſt finis: ſed de poteſtate Chriſti, cuius Vicarius eſt ipſe Papa; ſcribitur Lucæ.1. Dabit ei Dominus ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternũ: & regni eius non erit finis. poteſtas ergo Papæ erit æterna.

RESOLVTIO.

Si rectè de hac poteſtate Papæ diſtinctio perpendatur, rationes, quæ ſibi inuicem pugnare videntur, concedendas eſſe non negabimus.

RESPONDEO, Dicendum, quòd Papæ poteſtas, cum ſit collata ſibi à Chriſto, dupliciter poteſt accipi. Primò, vt eſt à Chriſto mediante Papa adminiſtrata. Secundo, vt eſt ab ipſo Chriſto immediate operata. Nam aliter eſt loquendum de poteſtate Chriſti, qua regnat ſuper ſuos fideles, vt eſt ab eo, mediante Papa, tamquam mediante ſuo Vicario, & mediatore adminiſtrata: & aliter eſt loquendum de tali poteſtate, vt eſt ab ipſo tamquam a principali auctore immediate operata. quia primo modo poteſtas Chriſti eſt temporalis, ſecundo modo perpetua, & æternalis.

Primum ſic probatur. Nam poteſtas Chriſti, qua nunc regnat, mediante Papa, tamquam mediante ſuo Vicario, conſiſtit principaliter in tribus. Primo in debellatione Tyrannorum. Secundo in ordinatione ſubditorum. Tertiò in admonitione & exhortatione diuinorum mandatorum. iſta autem tria non ſunt ne-

ceſſaria,niſi in præſenti vita; nam præſenti vita termi-
nata,non erit amplius neceſſarium,vt Tyranni,& mali
homines compeſcantur.Iam pace data fidelibus Chri
ſti, & quando iam omnes inimici eius poſiti erunt
ſub ſcabello pedum eius, nec amplius erit neceſſariũ
vt ſubditi diſponãtur,& ordinentur, cum iam omnes
ordinati,& præſentati erunt ſub dominio Chriſti. Vn
de ſuper illo verbo 1.ad Cor.15. Cũ tradiderit Chri-
ſtus regnum (puta fideles ſuos) Deo,& patri, euacua-
bit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem.
dicit gloſ. Quòd dũ durat mundus, Angeli Angelis,
dæmones dæmonibus, homines hominibus præſunt
ad vtilitatem credentium: ſed omnibus iam collectis
in vnum,amplius prælatio non erit neceſſaria,nec vlte
rius erit neceſſarium, vt homines in diuinis inſtruan-
tur, & moneantur; quia tunc omnes erunt docibiles
Dei,vt dicitur Ioh.6.Vnde ſcribitur Hier.31.Non do-
cebit vltra vnuſquiſque proximum ſuum,& vir fratrẽ
ſuum,dicens: Cognoſce Dominum, quoniam omnes
cognoſcent me a minimo vſque ad maximum. Pote-
ſtas ergo Chriſti,vt eſt in præſenti vita, mediante Pa-
pa,tamquam mediante ſuo Vicario, & mediatore ad-
miniſtrata, eſt temporalis; quia ſolũ quamdiu durat
mundus,eſt neceſſarium, ꝙ Papa ſit doctor in exhor-
tatione diuinorum: & ſit Sacerdos, & Prælatus in or-
dinatione, & diſpoſitione ſubditorum:& ſit Rex in
debellatione tyrãnorum: ſed præſenti vita terminata,
non erit amplius neceſſaria exhortatio diuinorum,
nec diſpoſitio,vel ordinatio ſubditorum, nec debella-
tio Tyrannorum.Si vero loquamur de poteſtate Chri
S.Thom 1. par. q.59. ſti,quæ in futura vita erit ab ipſo tamquam mediante
principali auctore immediate operata, tunc talis pote-
ſtas æterna erit, & perpetua. fuit namque de Chriſti
Regno,& poteſtate triplex falſa opinio.

Vna fuit Chriſti parentum, & conſanguineorum,
qui putauerunt, eum debere regnare modo munda-
no,& carnali affectione,vel carnali propagatione. Au-
diuerant enim, eum denunciatum ab Angelo, quòd
deberet ſedere in ſede Dauid eius patris, & pro eo re-
gnare in domo Iacob, Lucę.1. ideo crediderunt, au-
dientes tot mirabilia, & magnifica fuiſſe facta in ſuo
ortu, & in ſuæ vitæ progreſſu futurum eſſe Regem ex
carnis propagatione, & regnaturum fore modo mun-
dano,& carnali affectione. Quo errore decepta ſoror
matris Ieſu mater filiorum Zebedæi, audacia aſſum-
pta de conſanguinitate Chriſti, petiuit ab eo, Matth.
20.Dic,vt ſedeant hi duo filij mei,vnus ad dexteram,
& alius ad ſiniſtram tuam in regno tuo.

Secunda fuit Gentilium,& Romanorum.diffama-
uerũt enim Iudęi Chriſtum apud Romanos, & apud
Pilatum, & Herodem, quòd regnum vellet inuadere
poteſtate tyrannica,poteſtate armorum, & miniſtro-
rum,ad quod videbatur diſpoſitus propter mirabilia,
quæ faciebat, & propter multitudinem populi, quæ
ipſum ſequebatur. Vnde in aduentu Magorum nun-
ciantium Regem Iudæorum eſſe natum, turbatus eſt
Herodes, & omnis Hieroſolyma cum illo,vt dicitur
Matth.2. Et Ioan.19. Ex hoc audiuit Pilatus ab ipſis
Iudæis incuſantibus Chriſtum: Si hunc dimittis, non
es amicus Cęſaris. omnis enim, qui ſe Regem facit,
contradicit Cæſari.

E Tertia fuit credentium Iudæorum,qui putauerunt
Chriſtum regnaturum quadam temporali ſucceſſio-
ne: ſciebant enim, ſe eſſe priuatos regno, & ad Genti-
les Romanos Regnum Iudæorum eſſe deuolutum.vn
de ſcientes, Chriſtum eſſe natum ex tribu Iuda, de
qua conſueuerant eſſe Reges, crediderunt videntes
eum eſſe potentem in opere, & ſermone reſtauraturũ
Regnum Iſrael, & liberaturum Iudæos de manibus
Romanorum. Vnde poſt mortem eius duobus Diſci
pulis euntibus in Emaus * conferentibus ad inuicem * al. cõquærentibus.
de ipſo Chriſto,quando apparuit eis in Peregrini ſpe-
cie,vnus eorum dixit: Nos ſperabamus, quòd ipſe eſ-
ſet redempturus Iſrael, vt ſcribitur Luc.24.Hanc au-
tem triplicem falſam opinionem de ſua poteſtate, &
Regno Chriſtus repulit Ioan.19.In tribus verbis,quæ
F locutus eſt Pilato.Nam falſam opinionem Parentum,
& conſanguineorum, credentium eum regnaturum
modo mundano, & carnali propagatione, ſeu carnis
affectione repulit,quando dixit: Regnum meum non Ioan.18.
eſt de hoc mundo.mundum enim (dicit Chryſoſt.) no
minauit mundanam ſui generis parentelam, ex qua
non contraxit poteſtatem, & virtutem regnandi: ſed
potius infirmitatem moriendi. quia ex forma ſerui
crucifixus eſt,ſed regnat ex virtute Dei, vt dicit Apo-
ſtolus. Opinionem vero Gentilium,putantium eum 2.Cor.13.
regnaturum miniſtrorum, & armorum virtute, & ty-
rannica dominatione repulit, quando dixit: Si enim Ioan.18.
Regnum meum eſſet de hoc mũdo, miniſtri mei vti-
que decertarent, vt non traderer Iudæis. Miniſtros
namque,vt Chryſoſtomus dicit, Apoſtolos, & Ange-
G los appellauit,quorum auxilio noluit vti, vt regnaret:
quia Apoſtolos compeſcuit,vt gladium conuerterent
in vaginam: patrem vero deſtitit rogare,qui exhibuiſ- Matth.26.
ſet ſibi pluſquam duodecim legiones Angelorum.
Sed tertiam opinionem credentium Iudæorum, pu-
tantium eſſe regnaturum temporali ſucceſſione repu-
lit,quando dixit: Nunc autem Regnum meum non Ioan.18.
eſt hinc. ac ſi diceret: Regnum meum non ordino ad
temporalem ſucceſſionem, ſed redempturus ſum Re-
gnum Iſrael ad poſſidendam æternam manſionem.
poteſtas ergo Chriſti, qua regnabit in futura vita ſu-
per ſuos fideles immediate,erit ſpiritualis, non ex car
nali propagatione,ſeu affectione,vt fuit opinio Paren-
tum,& conſanguineorum.Erit virtualis non ex poten
tia armorum,& tyrannica dominatione,vt fuit opinio
H Gentilium Romanorum.Erit perpetua, & æternalis,
non ex temporali ſucceſſione,vt fuit opinio credentiũ
Iudæorum.

Ad Argumenta.

Rationes autem factas in contrarium pro, & con-
tra, concedimus. quia vtræque arguunt
veritatem ſecundum diſtinctio-
nem ſuperius fa-
ctam.

ARTI-

ARTICVLVS X.

VTRVM SIT VTILE DE poteſtate Papæ diſputare.

Vide S.Thom. 2.2. q.10. ar.7.

2.Tim.2.

AD decimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſit vtile de poteſtate Papæ diſputare. Quia illud, quod poteſt eſſe cauſa litis, & diſcordiæ, nō eſt vtile; eo quòd Seruum Dei nō oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes; vt dicit Apoſtolus: ſed diſputare de tali potentia eſt cauſa litis, & diſcordiæ; cum ſemper in diſputatione ſit curioſitas, & vanitas. ergo non eſt vtile diſputare de ipſa.

2 Præterea. Poteſtas Papæ eſt poteſtas à Chriſto ſibi collata: dubitare ergo de poteſtate Papæ eſt dubitare de poteſtate Chriſti; ſicut Phariſæi dubitantes de poteſtate Chriſti reprehenſi ſunt, & vehementer obiurgati à Chriſto, Matthæi 12. Cum enim dixiſſent: Magiſter, volumus a te ſignum videre, reſpondit: Generatio praua, & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, et cet. ergo eo modo diſputare, vel dubitare de poteſtate Papæ non eſt ſecurum.

3 Præterea Præſumptuoſum videtur eſſe agere, vel tractare de his, quæ ſunt ſuper ſenſum, & intellectum hominis. ſcribitur enim Eccl. 3. Altiora te ne quæſieris, & ſupra ſenſum tuum ne ſcrutatus fueris. Cum ergo poteſtas Papę ſit poteſtas Chriſti, & illa ſit ſupra ſenſum, & intellectum hominis, videtur, quòd præſumptuoſum ſit de ipſa diſputare, vel tractare.

4 Præterea. Illud eſt vitandū in diſputatione, quod poteſt eſſe cauſa falſitatis, & erroris: ſed diſputare de poteſtate Papæ poteſt eſſe cauſa falſitatis; quia aliqui nimis ipſam reſtringunt, vel ampliant. ergo non eſt vtile de ipſa diſputare.

Cap. de Relat. in calce.

IN CONTRARIVM eſt. quia dicit Philoſophus in prædicamentis, quòd dubitare de ſingulis nō eſt inutile, & potiſſime quando res difficiles ſunt. ſcribitur enim Eccl. 1. quòd cunctæ res ſunt difficiles, & nō eſt aliquis, qui poſſit eas explicare ſermone. diſputare ergo de poteſtate Papę eſt vtile.

Eccleſiaſtes 1.

RESOLVTIO.

De poteſtate Papæ non eſſe diſputandum, quis; niſi cæcutiens, affirmabit? Triplex enim ex hac diſputatione vtilitas naſci poteſt: Ignorantia videlicet remouetur: Veritas elucidatur: Chriſtique Doctrina ſuſpicio vitatur.

RESPONDEO, Dicendum, quòd diſputare de poteſtate Papę vtile eſt propter tria. Primo propter ignorantiæ remotionem. Secundo propter veritatis elucidationem. Tertio propter doctrinæ Chriſti vitandam ſuſpicionem.

Primum ſic oſtenditur. Nam in omni negotio ignorantia eſt periculoſa, quia multa mala ſequuntur ex ipſa. vnde dicit Ambroſius: Grauiſſime peccas, ſi ignoras. ſi ergo ignoratur, quanta eſt; & quæ eſt poteſtas Papæ, eſt valde periculoſum, & ex parte eius, qui præeſt; & ex parte illorum, qui ſibi ſubijciuntur. Cum enim Papa præſit fidelibus Eccleſiæ, mediantibus clauibus ſibi à Chriſto collatis; ſi ſcitur, quanta eſt poteſtas eius, & circa quæ, tunc ſcitur quòd præeſt eis; clauem potentiæ non excedendo; & circa clauem ſcientiæ non errando: ſed ſi talis poteſtas ignoratur; tunc præeſt ſubditis ſuis ignoranter: & illa, quæ facit, agit poteſtate excedente, & claue ſcientię errante, quod ſine periculo ſui, & ſubditorum eſſe non poteſt.

† Ariſtot. 1. Metaphyſ. cap. 2.

lib. 3. t. 1.

Secundum ſic oſtenditur. Nam humana natura dubitando, & admirando eſt apta nata veritatem inquirere: Et † propter dubitare, & admirari nunc, & prius Philoſophi inceperunt philoſophari. vnde dicitur tertio Methaphyſicæ: Volentibus aliquam veritatem inquirere, neceſſarium eſt bene dubitare; quia cognitio veritatis eſt ſolutio dubitatorum. Propter quod illud verbum Philoſophi inductum eſt: Dubitare de ſingulis non eſt inutile. Quod ſic eſt intelligendum, quòd ad ſingulas veritates, dubitationes pro, & contra inducere, vtile eſt. quia in ſolutione ipſarum, veritates ipſæ magis eluceſcunt. Licet enim dubitare, an nix eſſet alba eſſet inutile, quia talis indigeret ſenſu viſus: dubitare tamen, an nix eſſet alba, rationes pro, & contra adducendo, vt ex ſolutione ipſarum veritas magis eluceſceret, eſſet valde vtile. iſto ergo modo dubitare, & diſputare de poteſtate Papæ, in ſingulis articulis, rationes pro, & contra adducēdo, vt ex ſolutione ipſarum veritas ipſa magis eluceſcat, vtile eſt.

Tertium ſic patet. Nam doctrina Chriſti, cuius poteſtate Papa fungitur in terris, caret omni ſuſpicione: & quanto plus probatur, & ventilatur, & quanto plures libri, & quæſtiones de ipſa fiunt, tanto magis eius veritas diuulgatur, & eius claritas manifeſtatur. non autem ſic fuit de doctrina Mahumeti, qui habens ſuam doctrinam, & legem ſuſpectam, omnem diſputationem de ea fieri prohibuit: ſed Chriſtus doctrinam ſuam, tamquam veram, & luce clariorem diſputandam omnibus expoſuit. Vnde ſcribitur Actuum 6. Quia ſurrexerunt aliqui, qui erant de Synagoga Alexandrinorum diſputantes ibi cum Stephano. Et de Paulo ſcribitur, quod loquebatur cum Iudæis, & diſputabat cum Græcis. Naſcitur etiam ex tali diſputatione maxima vtilitas, quia ex diuerſo ſtylo ſcribendi, & ex diuerſo modo argumentandi veritas ipſa ad omnes peruenit, ſecundum diuerſam capacitatem recipientium. Vnde dicit Auguſtinus primo de Trinitate cap. 3. quod quia nullus hominū in ſacra Scriptura ita locutus eſt, vt in omnibus ab omnibus intelligeretur. ideo neceſſe eſt, & vtile, in ipſa plures libros à pluribus fieri, diuerſo ſtylo: nō tamen diuerſa fide, etiam de eiſdem quæſtionibus, vt veritas quidem ipſa ad omnes perueniat. ad alios quidem ſic, ad alios autem ſic.

Act.9.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicendum eſt, quòd diſputare de poteſtate Papæ hac intentione, vt homo eam minuat,& minorem, quàm ſit, credere faciat: vel hac intentione, vt cauſa fauoris, vel complacentiæ, vltra quam debet, extendat, eſt cauſa litis,& diſcordię. quia ſemper extrema in materia morali ſunt vitupera bilia,& culpabilia: ſed diſputare de tali poteſtate hac intentione, vt ſciatur, quanta ſit,& vt ſibi,& ſuis ſubiectis veritas clarius eluceſcat, qualiter cuncta ipſe faciat, & diſponat, ſecundum rectum vſum clauium, poteſtate non excedente, & ſcientia non errante, non eſt cauſa litis, & diſcordiæ, ſed pacis, & veritatis.

Homil. 44. in Matth. AD ſecundum eſt dicendum, quod ſecundũ Chryſoſtomum, ideo Phariſæi reprehenſi ſunt, volentes ſignum videre de poteſtate Chriſti, quia doloſe volebant prædictam poteſtatem calumniari. vel quia ſigna, quę prius viderant,& per ipſum oſtenſa fuerant, debuerant eos in fide firmare, nec vlterius debebant alia ſigna poſtulare. & vtróque modo ſic diſputare de poteſtate Papæ doloſè calumniando, vel ipſam non credendo, eſſet reprehenſibile, & damnabile.

E Sed per rationes pro, & contra ipſam elucidando, & per diuerſos articulos diſtinguendo, eſt ſalubre, & commendabile.

AD tertium eſt dicendum, quòd dubitare, & inueſtigare illa, quæ ſunt ſupra ſenſum, & intellectum hominis pertinaciter aſſerendo, & propriæ ſententię arroganter * innitẽdo, præſumptuoſum eſt: ſed talia inueſtigare per dicta Sanctorum, qui Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt, & per auxilia, quæ Deus contulit ſuis fidelibus, vt talia inueſtigarent: puta per naturales rationes,& per illa, quæ ſacrę Scripturæ non contradicunt, non eſt præſumptio, ſed eſt quædam

*al. intendendo.

F ſupererogatio, de qua dicitur Luc. 10. quia Samaritanus, proiectis duobus denarijs in curatione ſemiuiui, ait ſtabulario: Quodcunque ſupererogaueris, ego, cũ rediero, reddam tibi.

G AD quartum eſt dicendum, quòd reſtringere talẽ poteſtatem, in quibus non eſt reſtringenda, vel ampliare, in quibus non eſt amplianda, poſſet eſſe cauſa errandi, potiſſime ſi arroganter, & † pertinaciter fieret: ſed elucidando,& diſtinguendo, qualis, & quanta ſit per dicta Sãctorum, per rationes, quibus ſacra Scriptura non contradicit, non eſt cauſa erroris, & falſitatis, ſed potius exquirendæ veritatis.

† Bene dicit: Pertinaciter, quia non eſt hęreſis ſine pertinacia. S. Tho. par. 1. q. 32. art. 4. & Albertinus tract. de agnoſcẽ. aſſert. q. 2. & q. 29.

QVAE.

QVAESTIO SECVNDA DE PAPAE ELECTIONE

DEINDE conſiderandum eſt de potentia Papæ reſpectu eligentium, à quibus eſt miniſterialiter, & cooperatiuè. De quo octo conſideranda occurrunt.

Primo, de ipſius Papæ electione.
Secundo, de electorum iuriſdictione.
Tertio, de eius renunciatione.
Quarto, de eius depoſitione.
Quinto, de eius ſententiæ appellatione.
Sexto, de eius reprehenſione.
Septimo, de eius repræſentatione.
Octauo, de eius reuerentiæ exhibitione.

Circa primum quæruntur octo.

PRIMO, Vtrum conueniens ſit, Papam fieri hominum electione, vel magis immediate à Chriſto.
Secundo. Vtrum quilibet Papa poſt Petrum factus ſit per electionem.
Tertio, Vtrum magis eſſet conueniens fieri per ſucceſſionem, quàm per electionem.
Quarto, Vtrum ad minus duæ partes Cardinalium debeant in eius electionem concurrere.
Quinto, Vtrum electio Papæ poſſit in aliquo vitiari.
Sexto, Vtrum eius electio cadat ſub aliqua examinatione, ſicut electio aliorum.
Septimo, Vtrum Imperator, vel alius Princeps poſſit habere ius in electione Papæ.
Octauo, Vtrum Laici poſſint, & debeant electioni Papæ intereſſe.

ARTICVLVS I.

VTRVM CONVENIENS ſit, Papam fieri immediate à Deo, vel hominum electione.

AD PRIMVM ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa debeat eligi immediate à Chriſto, & non hominum electione. Quia ſcribitur ad Hebræ. 5. Nullus aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron: ſed honor pontificatus Papalis eſt * ſummus in tota Eccleſia, ergo ad talem honorem nullus debet aſſumi, niſi diuina voce, & à Chriſto immediate.

* al. ſupremus.

A 2 Præterea. In electione Papæ debet eſſe maior certitudo, & maior * prouidẽtia, quàm in quocũque alio negotio humano; cum ipſe conſtituatur Rector, & caput totius orbis: ſed electio hominum fallit, & fallitur; ſcribitur enim Sap. 9. Quia cogitationes hominũ ſunt timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ. ergo immediatè eſt eligendus à Chriſto, cuius electio non fallit, neque fallitur.

* al. prudentia.

3 Præterea. Maioris perfectionis eſt ſummus ſacerdos præſentis temporis, quàm fuit ſummus Sacerdos veteris legis, & quàm fuerit Matthias, qui non in ſummum Sacerdotem: ſed ſolum ad Apoſtolatum poſt Chriſti Aſcenſionem, loco Iudæ ſubrogatus eſt: ſed B ſummus Sacerdos in veteri lege fiebat ſorte, & diuina electione immediate; Nam frondente virga Aaron in ſummum Sacerdotem electus eſt; vt ſcribitur Nume. 17. & de Zacharia ſcribitur Luc. 1; Quia ſorte exiit, vt incenſum poneret ingreſſus in templum Domini. De Matthia vero ſcribitur Act. 1. Quia cecidit ſors ſuper Matthiam, & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. ergo multo fortius Papa, qui eſt ſummus Sacerdos, tali ſorte, & à Chriſto immediatè eligendus eſt.

Act. 1.

IN CONTRARIVM eſt. Quia ſicut ſe habet Deus in hominum electione, ſic ſe habet in eorũ productione, & formatione: ſed de communi lege C producit, & format vnum hominem, mediante alio; paucorum enim corpora hominum Deus immediatè formauit, & produxit; quia ſolum tria, puta corpus Adæ, & Euæ, & Chriſti corpus præter communem productionem, & formationem formatum eſt. ergo eodem modo de cõmuni lege vnum hominem eligit in Paſtorem, & Summum Pontificem, mediante alio; paucorum autem electionem ipſe immediatè fecit.

RESOLVTIO.

Papam fieri non immediate à Deo, ſed ex hominum D electione poſt Chriſti Aſcenſionem, tribus rationibus congruum eſſe nulla dubitatione, aut heſitatione affirmamus.

RESPONDEO, Dicendum, quòd in electione Papæ tria poſſumus conſiderare. Primo ipſum Papam electum. Secundo ipſos eligẽtes. Tertio ipſum Chriſtum, cuius auctoritate Papa fungitur in terra ſuper ipſos fideles: & ſic tribus rationibus oſtendi poteſt; congruum eſſe poſt Chriſti Aſcenſionem, Papam fieri hominum electione, & non immediatè à Chriſto.

Primo, ex parte ipſius Papæ, qui eligitur. Nam E
ſuper illo verbo ad Hebræ. 5. Omnis Pontifex ex ho-
minibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in
his, quæ ſunt ad Deum; dicit Auguſtinus, quod homo
per hominem liberatur, & in Deum reducitur, &
ordinatur. et ideo conuenienter ex hominibus, &
per homines eligitur, & conſtituitur. Potuit enim
Deus immediate Cornelium per Angelum inſtruere,
& ad Deum reuocare: ſed hoc non fecit, niſi median-
te Petro. vnde dictum eſt ei Act. 10. per Angelum:
Mitte viros, & accerſiri facias Simonem quendam:
qui cognominatur Petrus, hic dicet tibi, quid te opor
tet facere. Potuit ſimiliter Deus plebem Iudaicam
inſtruere per angelos, quando Apoſtoli fuerunt reclu-
ſi in carcere, & tamen hoc non fecit: ſed Angelus do-
mini per noctem aperiens ianuam carceris educens F
Act. 5. eos dixit: Ite, & conſtanter loquimini in templo plebi
omnia verba vitæ huius.

Secundo hoc patet ex parte hominum eligentium.
Nam aliud eſt loqui de poſſe Dei, & aliud eſt loqui
de eius operari; quia cum in poſſe eius includatur om
ne poſſe, poteſt per ſeipſum immediate quidquid po-
teſt mediantibus creaturis. ſed non operatur imme-
diate omnia per ſeipſum; quia ſic ſubtraheret opera-
tiones proprias ab ipſis creaturis, & eſſent ſuperuacua
opera ſapientię ſuæ; cum quælibet res ſit vana, & fru-
ſtra, ſi priuetur propria operatione. vnde dicit Aug.
7. de ciu. Dei. c. 30. quòd Deus ſic adminiſtrat omnia,
quæ creauit, vt etiam ipſa proprios motus exercere,
& agere ſinat. Si ergo Apoſtoli, & ſucceſſores eorum
non eſſent cooperatores Dei in electione Summi G
Pontificis, fruſtrarentur adminiſtratione operum Dei.
cuius contrarium dicit Apoſtolus. 1. ad Cor. 4. Sic nos
exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſato-
res myſteriorum Dei. Myſteria Dei appellauit di-
uerſos ordines in Eccleſia, vt Epiſcopos, Sacerdotes,
& Diaconos, quos eligere, & ordinare Chriſtus Apo-
ſtolis, & ſucceſſoribus eorum, poteſtatem reliquit, vt
gloſ. ibidem dicit.

Tertio hoc patet ex parte Chriſti, cuius auctoritate
Papa ſuper fideles fungitur. Nam qui conſtituitur
aliorum caput, & rector debet eſſe eiuſdem naturæ
Hebræ. 2. cum eis, & eiuſdem conuerſationis in vita. Vnde hac
de cauſa decuit Chriſtum per omnia fratribus ſimi-
lari, quia ſuit caput, & rector Eccleſiæ. Dicit enim
Tract. 80. ſ Ioan. to. 9. Aug. ſuper illo verbo: Ego ſum vitis, & vos palmites; H
Quod in hoc Chriſtus dicit ſe eſſe caput Eccleſiæ, eo
quòd vnius naturę ſunt vitis, & palmites. propter
quod cum Dei filius eſſet Deus; cuius naturę non ſu-
mus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana na-
tura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus.
Tamdiu ergo decuit Chriſtum per ſeipſum Sum-
mum Pontificem ſuum ſucceſſorem eligere, quamdiu
fuit eiuſdem conuerſationis, & diſpoſitionis cum ſuis
membris: ſed iam poſt aſcenſionem factus alterius
gloriæ, & alterius conuerſationis, decens fuit Apoſto-
lis relinquere, & ſucceſſoribus eorum, vt ex ſeipſis, &
ex numero hominum humana vita viuentium in ca-
Homil. 81. in cap. 20. Ioan. put, & paſtorem Eccleſiæ eligerent. Vnde ſuper illo
verbo Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim aſcen-
di ad patrem meum, dicit Chryſo. quòd volebat mu-
lier illa humana conuerſatione cum Chriſto conuerſa E
ri poſt reſurrectionem, ſicut ante paſſionem faciebat.
a qua cogitatione Chriſtus reuocans eam, ait: Noli
me tangere; quia & ſi eiuſdem naturæ ſum, vt prius:
ſum tamen alterius gloriæ, † & alterius vitæ. & ſi non- † S. Thom. par. 3. q. 55. art. 6 ad 3. argum.
dum aſcendi ad patrem, ſum tamen aſcenſurus, viuen
do cæleſtiali vita, non terrena.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, quòd voca-
tur quis a Deo, quemcumque eligit communitas Ec-
cleſię, etiam ſi malus ſit. quod ſæpe contingit, vel
pro malo ſuo, vel populi, vel vtriuſque peccato, vt glo.
ibi dicit. Ille autem ſibi aſſumit honorem pōtificatus,
F qui ingerit ſe, & non recte eligitur. non ergo requi-
ritur, quòd in electione Summi Pontificis ſemper di-
uina vox audiatur exterius, ſed ſufficit quod propter
virtutes Dei ab illis, qui boni ſunt, eligatur, ac ſi dice-
ret Deus ſibi: Veni, quia dignus es.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd tam in electio-
ne facta immediate à Deo, quàm in electione facta
per homines, contingit eligi bonos, & malos. Nam
dupliciter contingit aliquos in Paſtores eligi. Primo,
ad vitæ æternæ hęreditatem; qua electione fuerunt ele
cti vndecim Apoſtoli a Chriſto. de qua electione di-
cit Apoſtolus ad Ephe. 1. Elegit nos in ipſo ante mun-
di conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati
in conſpectu eius, qui prædeſtinauit nos in adoptio-
nem filiorum Dei. Secundo, ad Eccleſię, & humani
G generis vtilitatem; & tali electione fuit electus Iudas,
qui fuit vnus de duodecim Apoſtolis electis. vnde ſu-
per illo verbo Ioan. 6. Nonne ego vos duodecim ele-
gi, ſed vnus ex vobis diabolus eſt? Dicit Auguſtinus, Tract. 27. ſ Ioan. to. 9.
quòd ad aliud elegit Chriſtus vndecim, & ad aliud
elegit Iudam. Nam vndecim elegit, vt in Apoſtolica
dignitate perſeuerarent: Iudam vero elegit, vt per
perditionis eius officium humani generis operaretur
ſalutem: non enim, vt dicit, electio Dei violentiam † † S. Thom. par. 1. q. 22. ar. 4. & q. 23. ar. 2.
infert his, quæ futura ſunt; ſed in voluntate cuiuslibet
poſitum eſt ſaluari, & perire. & ſicut iniqui homines
male vtuntur bonis operibus Dei, ſic è conuerſo Deus
bene vtitur malis operibus hominum. Quid enim Iu-
da peius? malo tamen eius bene vſus eſt Dominus, de
quo nolēte, & neſciente tantum bonum operatus eſt,
vt per eum tradi ſe permitteret, vt redimeret nos.

H Ad tertium eſt dicendum, ſicut Beda dicit, Ideo
Matthias in Apoſtolatum ſorte electus eſt, ne Apoſto
li diſcreparent à lege, in qua ſummus Sacerdos ſorte
quærebatur. ſicut de Zacharia legitur, quòd ſorte Luc. 1.
ſurrexit, vt incenſum poneret. et hoc ideo dicit: quia
quęrendus erat verus Sacerdos, donec veniret ille, qui
per proprium ſanguinem * introiret ſemel in ſancta * al. introiuit
ſanctorum, cuius hoſtia in paſcha Immolatur. Sed
die Pentecoſtes, Spiritu ſancto apparente, illa lex, & il- Act. 2.
la conſuetudo conſummata fuit, & perfecta, nec vlte-
rius debuit obſeruari; quia tamdiu figura licuit exer-
ceri * donec veniret veritas. Figurabat autem ſors il * al. exorari
la gratiam Spiritus ſancti, quæ viſibiliter in die Pente-
coſtes ſuper Apoſtolos apparuit. Vnde ad Ephe. 1.
Ipſam diuinam electionem, & gratiam Apoſtolus
nominat

nominat ſortem, dicens: Sorte vocati ſumus, ſecun-
Act. 1. dum propoſitum voluntatis ſuę. & ideo Matthias, qui ante Pentecoſten ordinatus eſt in Apoſtolatum, ſorte electus eſt more legali: ſed poſt Pentecoſten ſeptem
Act. 6. Diaconi ordinati ſunt, non ſorte, ſed Diſcipulorum electione, & Apoſtolorum oratione, & manus impoſitione, ſecundum quem modum nunc eliguntur Summi Pontifices, & alij Paſtores Eccleſiæ.

ARTICVLVS II.

VTRVM QVILIBET Papa poſt Petrum fuerit factus per electionem.

Turrecremata, & alij in Decreto 8. quæſt. 1. in principio.

c. ſi Petrus. AD Secundum ſic proceditur. videtur enim, quòd non quilibet Papa poſt Petrum fuerit factus per electionem. Quia, vt ſcribitur 8. quæſt. 1. * Beatus Petrus elegit Clementem in Summum Pontificem; & ſic per ſucceſſionẽ, non per electionem Summus Pontifex factus eſt.

2 Præterea. Minoris auctoritatis eſt Epiſcopus, quàm Papa: ſed Epiſcopus poteſt ſibi ſucceſſorem inſtituere abſque electione. ſcribitur enim. 7. quæſt. 1. c. Petiſti: Si dominus dederit (dicit Papa Zacharias Epiſcopo Maguntino) iuxta petitionem tuam hominem perfectum, qui poſſit ſollicitudinem habere, & curam pro ſalute animarum; illum pro tua perſona, & loco tui Epiſcopum ordinabis. ergo multo fortius Papa poteſt ſibi ſucceſſorem inſtituere abſque alia electione.

3 Præterea. Auguſtinus, viuente Valerio Epiſcopo, & ipſo petente, cathedram Epiſcopalem ſuſcepit. ergo multo magis, Papa viuente, & petente, vel eligente, poteſt alius Papatum ſuſcipere.

4 Præterea. Papa repræſentatur per Moyſen, qui fuit Rex, & Sacerdos, ſicut ipſe eſt: ſed Moyſes elegit, Ioſua ipſo viuente ſic enim ſcribitur Numeri. 27 Tolle Ioſue filium Num, & pone manum tuam ſuper eũ, ne ſit populus Domini abſque Paſtore. ergo ſimiliter Papa, ipſo viuente, poteſt Summum Pontificem cõſtituere abſque alia electione.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur. 80. diſt. in prin. quod electionem Summorum Pontificum ſibi Dominus reſeruauit, licet electionem eorũ bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populis conceſſiſſet.

RESOLVTIO.

Papa quilibet poſt Petrum per electionem factus fuit. Idque congruum tribus rationibus eſſe duximus. hoc eſt, propter uitandum hominum fallibile iudicium, propter vitandum poſterorum exemplum, & propter habendum Populi teſtimonium.

A RESPONDEO, Dicendum, quòd ſemper poſt Petrum, Papa fuit factus per electionem, & hoc multum conuenienter propter tria. Primo propter vitandum hominum fallibile iudicium Secundo propter vitandum poſterorũ exemplum. Tertio propter habendum populi teſtimonium. Nam Chriſtus fuit Deus, & homo, ideo in ſuo iudicio non potuit falli, neque fallere: ſed quia iudicium humanum eſt fallibile, quia purus homo poteſt falli, & fallere. ideo conueniens fuit poſt Chriſti aſcenſionem, & poſt mortem illius, qui immediate à Chriſto electus fuit, promotio cuiuslibet alterius ſummi Pontificis facta fuerit per electionem: vt ex collatione, & concordia plurium, talis electio careret errore, & mereretur ſuſcipere diuinam inſpirationem. Nam quia plura vident plures, 1. Reg. 16.
B quàm vnus, eo quòd homines iudicant de his, quæ foris parent, ſolus autem Deus intuetur cor, ideo talis electio caret errore, & meretur ſuper hoc diuinam inſpirationem, ipſo Saluatore dicente: Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in Matth. 18. medio eorum.

Fuit ſecundo hoc conueniens ad vitandum poſterorum exemplum. Nam ſi quis dignitates, & beneficia † eccleſiaſtica quaſi iure hæreditario poſſet alijs relinquere, & pro libito ſibi vendicare, ſpiritualia beneficia à carnalibus, & temporalibus non diſtinguerentur. Vnde dicitur. 8. q. 1. Quòd ab illis exemplũ beati Petri ſibi ſucceſſorem inſtituentis valet aſſumi; qui tales ſibi ſubſtituerunt, qualem ipſe ſucceſſorem quæſiuit. Verum quia poſtmodum officium non vi-
C tæ, ſed ſanguini cœpit deſeruire: atque ad Epiſcopatum tales quiſque ſucceſſores ſibi quærere cœpit qui vel odioſi populis, vel a plebe docendi inueniuntur. Ideo ſacris canonibus inſtitutum eſt, ne aliquis in beneficio eccleſiaſtico ſibi ſucceſſorem quærat, ſed ſolum electione approbetur.

† Conc. Trident. ſeſsio. 25 de reformatione, cap. 7.
c. Apoſtolica.

Tertio fuit hoc cõueniens propter populi teſtimonium bonum. Nam vt ſcribitur. 1. ad Timot. 3. Oportet Paſtorem teſtimonium bonum habere ab his, qui foris ſunt. Super quo verbo dicit Auguſtinus, quòd non ſolum oportet Paſtorem habere bonum teſtimonium à domeſticis; verumetiam ab alienis, iudæis, gentilibus, & hæreticis: vt, qui detrahũt religioni, ſaltẽ vitæ eius detrahere nõ audeant: & talis melius inuenitur in hominũ electione, q̃ hominum affectione.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Petrus potuit ſibi ſucceſſorem eligere Clementem, quia nondum ſtatutum erat in contrarium: videns tamen Clemens † quòd hoc erat pernicioſum exemplum poſteris, quòd aliquis ſibi ſucceſſorem eligeret, renunciauit Papatui, & electus communiter Lynus. quo mortuo, fuit cõmuniter electus Cletus. poſtmodum quarto loco iterum fuit electus Clemens, ac ſi ex illa ſucceſſione nullum ius fuiſſet ſibi acquiſitum. ſicut expreſſe notatur. 8. q. 1. c. ſi Petrus.

† Vide notata in vita B. Clementis, in 1. tomo. Conciliorũ pag. 155. in Suriana editione.

AD ſecundum eſt dicendum, q̃ Zacharias Papa non conceſſit Epiſcopo Maguntino, ſucceſſorem poſſe ſibi inſtituere; ſed bene conceſſit aliquem Epiſcopum poſſe ſibi coadiutorem aſſumere: qui poſt obitum eius ad Apoſtolicam Sedem accederet eligẽdus, & confirmandus.

AD

A D tertium, eſt dicendum. Quòd Auguſtinus factus eſt Epiſcopus, Valerio viuente, qui renunciauit Epiſcopatui. & tunc ipſe potuit eligi, & ſic per electionem non per ſucceſſionẽ Epiſcopus factus eſt. Scribitur enim. 7. q. 1. Quia ſi Epiſcopus fortaſſe pro moleſtia ſua petierit, vt ab Epiſcopali honore debeat vacare, eo petitionem ſcripto dante, concedendum eſt. Et credendum eſt, Auguſtinum factum fuiſſe Epiſcopum per ceſſionem Valerij. vnde eo. c. ſubditur quòd Auguſtinus non ſucceſſit, ſed acceſſit ad Epiſcopatum. Si vero dicatur, quòd Valerius non ceſſit Epiſcopatui, ſed ſolum adminiſtrationi; Tunc dicendum eſt, quòd illo viuente fuit coadiutor eius: poſtmodum, eo mortuo, fuit electus. Et hoc ſatis videntur ſonare verba ſua: quæ ponuntur. 4. diſt. c. Ante omnia. vbi dicit: Quando ſecundus locus gubernaculorum mihi tradebatur, id eſt, Epiſcopatus, tunc remum tenere non noueram.

c. Sicut vir.

Ad quartum eſt dicendum, quòd Moyſes auctoritate Dei elegit ſibi ſucceſſorem, non tamen de conſanguinitate, & parentela ſua, nec de ſua tribu, cum tamen potuiſſet, nullo præcepto, vel ſtatuto apparente in cõtrarium. Vnde dicit Hieronymus, & ponitur 8. q. 1. Quia potuit Moyſes ſucceſſores principatus filios ſuos facere; & poſteris propriam relinquere dignitatem: ſed tamen ex alia tribu extraneus per eum eligitur Ieſus Naue, vt ſciremus principatũ in populos non ſanguini deferendum eſſe: ſed meritis vitæ.

In c. primũ ad Titum.

ARTICVLVS III.

VTRVM ESSET MAGIS conueniens Papam fieri per ſucceſſionem, quàm per electionem.

De materia huius articuli, vide apud Gratianum. 8. quæſt. 1. per totum: Et Turrecrematam In ſumma de Eccleſia, lib. 2. c. 51.

AD Tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd magis eſſet conueniens, Papam fieri per ſucceſſionem, quàm per electionem. Vnumquodque enim quanto eſt magis proprium, tanto magis diligitur, & maior diligentia, & ſolicitudo circa illud habetur: ſed officium Papatus magnam ſolicitudinem, & diligentiam requirit. ergo ſi illud eſſet proprium, quod daretur iure hæreditario per ſucceſſionem, ſicut alia bona propria: videtur, quòd maior diligentia, & maior ſolicitudo circa ipſum haberetur.

2 Præterea. Materia litis, & diſcordiæ, potiſſime in Chriſti ſacerdotio eſt vitanda; quia ſeruos Dei nõ oportet litigare, ſed manſuetos eſſe ad omnes: vt ſcribitur. 2. ad Timot. 2. Sed plerumque de electione Papæ oriuntur lites, & diſcordiæ inter eligentes, quæ ceſſarent, ſi Papa non per electionem, ſed per ſucceſſionem fieret.

3 Præterea. Quanto regimen eſt magis naturale, E tanto magis remotum eſt a cupiditate, & tyrannide: ſed regimen eccleſiaſticum potiſſime debet eſſe remotum à tyrannide, & cupiditate; quia venenum charitatis eſt cupiditas, vt dicit † Auguſtinus. Ergo magis deberet eſſe naturale. Quod eſſet, ſi fieret per ſucceſſionem, non per electionem.

† lib. 83. quæſt q. 36. 10. 4.

4 Præterea. Si Papa fieret per ſucceſſionem, Eccleſia nullo tempore careret Paſtore: ſed ſi fit per electionem, contingit, Eccleſiam quãdoque magno tempore Paſtorem non habere: melius ergo eſſet per ſucceſſionem fieri.

In contrarium eſt. Quia ſi Papa fieret per ſucceſſionem, vel fieret per ſucceſſionem filiorum, vel conſanguineorum. Non primo modo; quia clericorum filij† ad ſacra officia admittendi non ſunt, vt dicitur F 56. diſt. cap. 1. Nec ſecundo modo; quia officium eccleſiaſticum non carni, & ſanguini, ſed vitæ meritis deſeruire debet, vt notatur. 8. q. 1. c. Moyſes.

† cap. præſenti. & c. conquerente, extra de filiis presbyter. & Concil. Trident. ſeſs 25. de reform. c. 15.

RESOLVTIO.

Papa ni fieret per electionem, tolleretur Chriſti ſacerdotij vniuerſalitas, in quo perſonarum acceptio nõ datur. Tolleretur item in eligente iuriſdictio: in electo ſanctitas, & doctrina: & in Populo fructus, & vtilitas. Quæ omnia abſurda eſſe fatendum eſt.

RESPONDEO, Dicendum, quòd Sacerdotium Chriſti, in quo Papa tenet ſupremum gradum, quatuor per ordinem requirit. Primo in ipſo Sacerdotio vniuerſalitatem. Secundo in ipſo electo ſanctitatem, & doctrinæ veritatem. Tertio in eligente iuriſdictionem; & poteſtatem. Quarto: in populo, cui præeſt, fructum, & vtilitatem. Et ex iſtis quatuor poteſt oſtendi, quòd magis eſt conueniens, Papam fieri per electionem, quàm per ſucceſſionem: G

Primo quidem propter Chriſti Sacerdotij vniuerſalitatem. Nam ſacerdotium Leuiticum inſtitutum fuit per rectam lineam; nam ſolum Aaron, & filij eius ab eo ſucceſſiuè deſcendentes ad ſacerdotium aſſumebantur, & non niſi de tribu Leui. Quamuis enim ſummus Sacerdos forte eligeretur: non tamen niſi de determinata Tribu. Sed ſacerdotium Chriſti eſt vniuerſale; quia in eo non eſt acceptus, neque Græcus, neque Latinus; non ſeruus, neque liber. Omnes vnum ſunt in Chriſto, vt ſcribitur ad Gal. 3. Vnde H hac de cauſa Saluator noſter non de Tribu Leui, ſed de Tribu Iuda ortus eſt, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. 7. Si ergo Papa fieret per ſucceſſionem, fieret ex determinata parentela, & determinato genere, & ſic non poſſet indifferenter eligi Græcus, vel Latinus; diues, vel pauper, ex quo non haberet talem vniuerſalitatem.

Num. 17.

Secundo propter electi ſanctitatem, & doctrinæ veritatem. Nam, vt dicit Hiero. & ponitur. 8. q. 1. c. Licet. Ad ſacerdotium nõ eligatur niſi, qui doctior, & ſanctior † cæteris habeatur. Si autem Papa fieret per ſucceſſionem, caſuale eſſet, quòd eſſet pollens vitæ ſanctitate, & doctrinæ veritate: cum contingat plerumque, illum, qui ſuccedit alteri, Iure hæredita-

† Conc. Triden. ſeſſ. 24. de reform. cap. 18.

rio in aliquo regimine malum eſſe, & ſtultum. Non eſt autem conueniens, q̃ regimen Eccleſiaſticum, & ſpiritualium donorum caſui, & fortunæ exponatur: potiſſime, quia præſumptionis eſt, q̃ quę Dei ſunt, ab homine dari debeant. Vt dicit Hilarius. & ponitur 8. quæſtione. 1. c. plerique.

Tertio propter eligentis poteſtatem: Quia ſi Papa eligeret ſibi ſucceſſorem, hoc faceret in virtute ſtatuti Eccleſiæ: ſed ſtatuta Eccleſiæ ſunt in contrarium; ſicut patet. 8. qō. 1. per totum. Sed ſi quæratur, † ſi Papa faceret ſtatutum in contrarium de eligendo ſucceſſore, poſſet ne ipſe ſucceſſorẽ dimittere; Dicendũ eſt, q̃ non; quia faceret ſtatutum valiturum pro futuro tempore, in quo ipſe non eſſet iudex, vt virtute eius ſtatuti poſſet ſucceſſorem dimittere, ſicut notatur. 8. q. 1. c. Apoſtolica.

† De hac q̃ſt. ne ſpet Doctores in c. Apoſtolica. 8. q. 1. Vide Zabarellã ĩ Clem. 1. de elect. §. 1. q. 5. & Ludouicũ Gomez. in regula cã cell. de infirmis reſignãtibus. q. 1.

Quarto, talis ſucceſſio non haberet populi, cui præeſſet, vtilitatẽ. Nã (vt dicit Hieronymus.) Nunc videmus homines ſic affectos, vt cernamus plurimos hanc rem pro beneficio facere, vt non quærant hodie illi, qui habent Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare, illos in Eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcant Populo, & Eccleſiæ prodeſſe: ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti, (vt deteriora taceam) qui, vt clerici fierent, muneribus impetrarunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, q̃ bona temporalia poſſunt eſſe propria ipſis Laicis: Eccleſiaſtica vero non ſunt propria † clericis: quia clerici propria habere non debent; ſed iuxta regulam Apoſtolorum, *Omnia debent eis eſſe communia. Circa quæ tanto maiorem diligentiam, & ſolicitudinem habere debẽt, quanto magis charitas, quæ, dicente Apoſtolo, non quærit, quæ ſua ſunt, communia propriis, nõ propria communibus anteponit, ſecundum Auguſtinum in Regula.

† S. Thom. 2.2.q.185. art. 6 & 7. & Sotum, lib. 10. de iuſt. & iure. q. 4. art. 3.
** 1. Cor. 13.*

AD ſecundum eſt dicendum, quòd diſcordiæ, lites; immo & contentiones poſſunt eſſe in electione Papæ abſque peccato. dummodo ſic diſcordantes ordinent eorum conſcientiam ad bonum ſtatum Eccleſiæ. Volebat enim Michael, ſicut legimus in Daniele, liberare Iudæos de captiuitate Babylonica, credens hoc eſſe faciendum propter multos bonos Iudæos ibi commorantes, & talem liberationem petentes. Princeps vero Regni Perſarum reſtitit ei. 21. diebus videns multa bona contingere Perſis, quorũ erat Princeps, propter Iudæos ibi commorantes: vterque autem pugnabat bono animo, quia vterque erat bonus Angelus. Tamdiu ergo durauit talis pugna, & talis diſcordia inter eos, quamdiu ſuper hoc receptum fuit diuinum reſponſum, ſecundum quod Iudæi fuerunt * liberati: Sic in quolibet capitulo Canonicorũ, & in collegio Cardinalium poſſunt eſſe pugnæ, & diſcordiæ; & vnus poteſt contradicere alteri in electione alicuius abſque peccato. Sicut enim diuerſæ naues ad diuerſas partes tendere poſſunt, eodem vento, aliter, & aliter ordinando vela: ſic ſecundum, q̃ aliter, & aliter eſt ordinata conſcientia vnius Cardinalis,

Daniel. 10.
** al. liberandi.*

A & alterius: & vnius Canonici, & alterius poſſunt vno, & eodem ſpiritu bono, & eodem zelo ſibi inuicẽ reſiſtere, & declinare in aliam, & aliam partem.

AD tertium eſt dicendum, Quòd vinculum ſpirituale fortius ſtringit, & fortius ligat, quàm naturale. Fortius enim coniungit Deo, & ſeparat à cupiditate bonorum temporalium ſpirituale bonum, quàm temporale; tanto ergo ſummi Pontifices, & Paſtores Eccleſiæ plus tenentur eſſe bonorum Eccleſiaſticorũ fideles diſpenſatores, & à cupiditate bonorum temporalium magis tenentur eſſe ſemoti; quanto ipſi talia bona adminiſtrant, quæ gratis acceperunt, & per conſequens gratis debent ipſa *reddere pauperibus. Dicit enim Ambro. & ponitur 23. qō. 8. cap. Conuenior. Omnia, quæ * mea ſunt, pauperum ſunt. de illis

B vero, quæ Eccleſiæ † ſunt, nihil poſſum, nec detrahere, nec tradere; cum illa ſolum cuſtodienda, & non tradenda acceperim.

** al. diſpenſare.*
** al. a me.*
† S. Thom. 2.2.q. 185. art. 6. & 7.

AD quartum eſt dicendum, Quòd diuturna vacatio Eccleſiæ quandoque eſt bona, ſi fiat propter bonum finem, vt ſi fiat propter hoc, vt ſufficientior, & ſanctior quæratur. Tutius eſt enim, vel ſaltem minus malum populo Chriſtiano tẽpore aliquo Paſtore carere: quàm diſcolum, ſtultum, & malum habere; qui non vt Paſtor, ſed vt mercenarius propriũ bonum quærat: vel vt lupus oues diſpergat.

ARTICVLVS IIII.

C *VTRVM, AD MINVS, duæ partes Cardinalium in electione Papæ debeant conuenire.*

Vide cap. vbi periculum de elect. lib. 6. Et Clement. ne Romani de elect. Vide Aluarum de planctu Eccleſię lib. 1. c. 1. & Armillam tit. Papa, & alios in Summis.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſit opportunum, vt duæ partes Cardinalium in electione Papæ debeant conuenire. Nam ſuper illo verbo ad Hebræ. 5. Nullus ſibi aſſumat honorem, niſi qui vocatur à Deo tã-

D quam Aaron; non dicit glo. quòd in electione Aaron in Sacerdotem oſtenditur, quòd paucorum electio, ſi iuſta, & canonica eſt, præualere debeat: ſed Aaron fuit ſummus Pontifex. Ergo ſufficit q̃ in electione Papæ, qui eſt ſummus Pontifex, pauciores cõueniant, quàm duæ partes.

2 Præterea. Scribitur 79. diſt. cap. Si trãſitus, Quòd electio Romani Pontificis cum deliberatione Prædeceſſoris fieri debet: Et ibidem ſubditur: Si ſtudia eligentium cœperint eſſe diuerſa, eorum, de quibus certamen emerſerit, conuincat ſententia plurimorũ. Sufficit ergo, quòd in electione Papæ conueniat maior pars: & non duæ partes Cardinalium.

3 Præterea. Vbi eſt maius periculum, ibi celerius remedium eſt apponendum: ſed in dilatione electionis Papalis magnum periculum imminet Eccleſię: ſicut

pater

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

paret extra de elect. lib. 6. cap. Vbique periculum. & elect. poteſt: ergo celerius remedium apponendum eſt, quod tunc fieret, ſi ſolum maioris partis conſenſus ſufficeret in electione eius.

In Contrarium eſt quod ſcribitur extra de ele. cap. Licet, † vbi habetur quòd ſi inter Cardinales plena concordia de ſubſtituendo Summum Pontificem haberi non poteſt, tunc duabus partibus concordantibus, ſi tertia pars concordare noluerit, ille abſque vlla exceptione ab vniuerſali Eccleſia Romanus Pontifex habeatur, qui à duabus partibus receptus fuerit, & electus.

† Statutū in hoc c. Licet, cōfirmatur in cap. vbi periculū de elect. lib. 6.

RESOLVTIO.

F *Duæ ſaltem Cardinalium partes in Papæ electione debent conuenire. Id quod tribus de cauſis congruum eſſe dicas licet. hoc eſt, propter diuinum auxilium impetrandum, ad quod obtinendum duorum conſenſum Saluator approbauit. Propter periculum euitandum. Propter Priuilegium prædictæ electionis, in qua ad ſuperiorem non datur recurſus, ſi quid ambigui accidat. In electione verò inferiorum Prælatorum non item.*

Respondeo, Dicendum, quòd congruum fuit hanc taxatam formã prænotari in electione Papæ: vt ſaltem duæ partes Cardinalium in eius electione conuenirent propter tria. Primo propter impetrandum diuinum auxilium. Secundo propter remouendum futurum periculum. Tertio propter prædictæ electionis ſingulare priuilegium.

G Scribitur enim Matth. 18. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quãcunque petierint, fiet illis a patre meo, qui in cœlis eſt. Super quo verbo dicit Chryſoſt. quòd duorum cõſenſum Saluator poſuit fore neceſſarium ad impetrandum à Patre cœleſti. Propter euangelicam cõuerſationem: quia duo, & duo miſſi ſunt ad Euangelium enunciandum. Propter corporis, & animæ colligationem; quia vbi corpus, & anima conſentiunt, & inter ſe bellum voluntatum diuerſarum non habent, ibi dubium nõ eſt, quin bonarũ rerum poſtulatio ſubſequatur. Et propter Dei, & proximi dilectionem, quia duo ſunt præcepta charitatis: Et quia in electione Papæ potiſſimè diuinum auxilium eſt impetrandum, vt ille, qui facit concordiam in ſublimibus ſuis, efficiat Cardinalium corda pacifica, & vnita; quatenus talis prouiſio ſubſequatur, ſecundum quòd ſalus animarum exigit; & totius orbis requirit vtilitas: ideo congrua forma taxata eſt in electione Papæ, vt ſaltem duæ partes Cardinalium in tali electione debeant conuenire.

Iob. 25.

H Secundo eſt hoc congruum propter vitandum futurum periculum. Nam, vt ponitur. 69. diſt. c. Si duo, Si duo Apoſtolici temeritate concertantium fuerint electi; tunc nullus eorum in Sede Apoſtolica ſedere debet. Sed, vt notatur ibi, conuocandum eſſet in tali caſu generale Concilium; & tũc ex noua ordinatione ille intronizari deberet in Cathedra beati Petri, quem vniuerſitatis conſenſus eligeret. Vt ergo tantum periculum euitetur, congruum fuit taxari determinatum numerum illorũ, ad quos ſpectat prædicta electio.

E Tertio eſt hoc congruum propter prædictæ electionis ſingulare priuilegium. Quia, vt ſcribitur extra de elec. cap. Licet. Ideo in electionibus inferiorum Prælatorum ſufficit maioris, & ſanioris partis conſenſus: quia, quod in eis in dubium venerit, poteſt ſuperiori iudicio diffiniri: Sed in electione Sũmi Pontificis aliquod ſpeciale ſtatutum debuit fieri, & in aliqua forma determinata prænotari; quia † non poteſt ad ſuperiorem haberi recurſus.

† Hoc ſpectat Decret. Nico. Papæ. 28. c. fin. & 96. ſcript. Et vide Armillam tit. Papa.

Ad Argumenta.

Ad Primum eſt ergo dicendum, quòd illa gloſ. eſt intelligẽda de electione communiter ſumpta; in qua ſufficit ſanior pars, ſi fuerit iudicio.* ſuperiorũ approbata: vel intelligitur de electione, quæ fit immediate inſpiratione diuina, ſigno miraculoſo exterius apparente, ſicut fuit in electione Aaron, qui factus eſt ſummus Sacerdos, frondente virga eius, aliorum virgis remanentibus ſiccis; vt ſcribitur. Num. 17.

* al. ſuperioris.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Papam fieri cum prædeceſſoris deliberatione poteſt intelligi dupliciter. Primo, quòd Papa de electione ſucceſſoris poſſit habere aliqualem collationem, quod licitum eſt ſibi. vel quòd habeat de tali electione iuriſdictionem, vt quòd ſuæ dignitatis poſſit hæredem ſubſtituere. quod non poteſt: ſicut dictum eſt in ſuperiori quæſtione. Quòd verò additur: Plurimorum ſententia conuincat, ſi vota eligentium ſunt diuerſa; intelligitur ſententia plurimorum; quia duæ partes debent eſſe ſecundum formam prænotatam. extra de elec. c. Licet.

Ad tertium eſt dicendum, quòd remedium apponendum in electione Papæ debet eſſe feſtinum, & celere: debet tamen cum hoc eſſe rationale, & ſecurũ. Si autem ſufficeret maior pars, vel minor, ſi eſſet ſanior, dato quòd celerius poſſet talis electio fieri per hunc modum: non tamen eſſet ſic rationabilis, & ſic ſecura, cum in dubijs eius ad ſuperiorem recurſum haberi non poſſet.

ARTICVLVS V.

VTRVM ELECTIO PAPAE poſſit vitiari, ſicut electio aliorum.

Vide Extrauagantem Pauli IIII. incip. Cum ſecundum Apoſtolum. Vide etiam ſtatutum Iulij II. in Concilio Lateranenſi, ſeſſione 5. Et ſuper hoc vide Armillam tit. Papa.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd electio Papæ poſſit vitiari, ſicut electio aliorũ. Quia, quod Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt, ſicut ſcribitur Matth. 19. ſed poſito, quòd aliquis coniugatus eligatur in Papam, cuius uxor creditur mortua, & non eſt. ſi igitur petat debitum, videtur quòd talis teneatur redire ad vxorem, & Papatum dimittere: ergo.

Præ-

2 Præterea. Vt ſcribitur 79. diſt. cap. Si quis pecunia, vel gratia humana, aut populari, vel militari tumultu ſine concordi, & canonica electione Cardinalium Sedis Apoſtolicæ fuerit intronizatus, non Apoſtolicus, ſed apoſtaticus habeatur; poteſt ergo electio Papæ vitiari.

Præterea. Scribitur extra de electio. c. Vbi maius periculum. lib. 6. Quòd electio Papę debeat celebrari in Ciuitate, in cuius Territorio, ſeu diſtrictu Pontifex obijt, niſi forſitan ſit interdicta, vel contra Romanã Eccleſiam in aperta rebellione cõſiſtat. Si ergo electio fieret in terra interdicta, vel quæ eſſet in rebellione cõtra Eccleſiam, videtur, q talis electio nulla ſit.

In Contrarium eſt quod ſcribitur extra de elect. c. Licet. Vbi habetur, q electus a duabus partibus Cardinaliũ abſque vlla exceptione Summus Pontifex habeatur.

RESOLVTIO.

Papa electio tribus modis vitiari poteſt. hoc eſt, eligentium, electi, electioniſq; ratione.

Respondeo, Dicendum, quòd tribus modis poteſt electio Papæ vitiari. Primo ex parte eligentium; vt ſi aliquis eligeretur, vel intronizaretur per ſeditionem, & per potentiam laicalem: talis enim non eſſet cenſendus Apoſtolicus, ſed inuaſor, & deſtructor totius chriſtianitatis, & perpetuo anathemate cũ ſuis auctoribus ſequacibus irretitus eſſet, ſicut patet 23. diſt. c. In nomine domini. Secundo, ex parte ipſius electi; Vt ſi ille, qui eligeretur, depræhendatur eſſe in manifeſta hæreſi. Et dico manifeſta: quia euidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris. Vnde ipſo facto talis eſſet depoſitus. quia ipſe ſolus habet de hæreſi iudicare, & terminare. propter quod deuians manifeſte à fide ad Papatũ aſſumi non poteſt, quia talis electio non caderet ſuper materia debita. Vnde ſcribitur. 40. diſt. c. Si Papa: Quòd eius culpas nullus mortalium redarguere in hac vita præſumit: quia cunctos ipſe † iudicaturus, a nemine iudicandus eſt; niſi depræhendatur deuius à fide. Tertio, ex parte ipſius electionis; vt ſi careat electio prænotata forma poſita extra de electionibus. c. Licet. Puta quòd a paucioribus, quàm duabus partibus Cardinalium aliquis eligatur. Tunc enim, niſi maior concordia interceſſerit, nullatenus eſt aſſumendus. Vnde D dicitur. 79. diſt. c. ſi quis. Quòd ſi quis ſine concordi, & canonica electione Cardinalium in Sede Apoſtolica intronizatur: non Papa, vel Apoſtolicus; ſed apoſtaticus habeatur.

† Vide Armillam, & alios Summiſtas tit. Papa.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd in tali caſu, ex quo certum eſſet, vxorem ſuam eſſe, quæ debitum peteret, inducenda eſſet ad continentiã ſeruandam. quod ſi facere nollet, poſſet Papatui renunciare, & ad ipſam accedere: alias teneretur ei debitũ reddere, quia continentia clericorum eſt conſiliũ, † & de iure poſitiuo: reddere autem debitum uxori eſt

A præceptum, & de iure naturali, & diuino. Vbi autem ius poſitiuum contradicit, vel impedit ius naturale, vel diuinum, ſeruandum non eſt. vt ſi appropriatio rerum eſt de iure poſitiuo, & conſeruatio vitæ eſt de iure naturali. tunc ſi conſeruatio vitę meæ non poteſt eſſe ſine acceptione rerum alterius, licite poſſum ſumere: quia in tali caſu ius poſitiuum impedit naturale, & non poteſt cum ipſo ſtare. Et ſi dicatur, quòd ſcandalum eſſet in populo, ſi ſciretur, quòd Papa redderet debitum vxori, tale ſcandalum eſſet paſſiuum, non actiuum: quod non eſt dimittendum propter veritatem doctrinę, & æquitatem iuſtitię, & ſanctitatem vitæ, vt dicit Hieronymus.

† Circa hoc dictũ vide omnino S. Thom. 2. 2. q. 88 ar. 11. & Turrecremata c. Sacerdotibus. 21. diſt. Et hunc Doct. infra q. 92. art. 3.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd illud Decretum intelligitur, quando aliquis eligeretur, non à B Cardinalibus, ad quos ſpectat electio: ſed potentia laicorum, vel ex clamore populi. Sed ſi electus eſt à duabus partibus Cardinalium, dato quòd pecunia, † & ſimoniacè ſit electus, non eſt deponendus. Et ſi dicatur, quòd ipſa ſimonia eſt hęreſis, vt patet prima, q. 1. c. Cum liqueat. Dicendum, quòd hæreſis eſt largè loquendo. Hęreſis autem pro qua deponẽdus eſt Papa, accipitur propriè, ſecundum quod opponitur articulis fidei, vel his, quæ ſunt immediatè annexa articulis.

† Vide extra uag. Iul. II. incipientẽ: cum tam diuino.

Ad tertium eſt dicendum; quòd illa Decretalis ſtringit Cardinales, vt electio Papę fieri debeat in Ciuitate, in qua prædeceſſor obijt, niſi ſit interdicta, vel in manifeſta rebellione Eccleſiæ. Tunc enim indulget, quod poſſint alibi ſe trãsferre ad dictam electionem C faciendam. Si tamen in terra interdicta fieret, non propter hoc vitiaretur electio.

ARTICVLVS VI.

VTRVM ELECTIO PAPAE debeat examinari, ſicut electio aliorum.

AD Sextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd electio Papæ debeat examinari ſicut electiones aliorum: quia ſi non examinatur; hoc eſt, quia eius electio eſt confirmatio: ſed multorum aliorum Prælatorũ electio eſt confirmatio: Ergo hoc non eſt ſingulare in electione Papę.

2 Præterea: Chriſtus examinauit Petrum. Ioã. 21. quando ſibi Eccleſiam commiſit, dicens, trina interrogatione facta: Paſce oues meas. Super quo verbo dicit Auguſtinus, quòd paſcere oues, eſt credentes in Chriſto, ne a fide deficiant, confortare. Terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, ſubditis miniſtrare. Exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere. Aduerſariis obſiſtere. Errantes ſubditos corrigere. In quibus verbis cõſiſtit tota examinatio Prelatorum. Sicut patet 23. diſt. c. Qui Eṗs ordinandus eſt, Ergo eodẽ modo electio Papę per hunc modũ eſt examinanda.

Præ-

3 Præterea: Omnia, quæ requirunt debitam formam, & debitam materiam, cadunt ſub examinatione: qnia ſi carent altero eorum, carent eorum virtute, & efficacia, ſicut patet de ſacramentis, quorum virtus requirit † determinatam formam verborum, & determinatam materiam: puta Baptiſmus, ſi non fiat in aqua cum expreſſione Trinitatis, nullius efficaciæ eſſe dignoſcitur: Sed electio Papæ requirit debitá formam, & debitam materiam. Ergo cadit ſub examinatione: qnia ſi deficeret in aliquo iſtorum nulla electio eſſet.

† S.Thom. 3.par.q 60. art.5.& 6.

In Contrarium eſt: Quia illius electio non debet examinari, cõtra quam nulla exceptio recipitur: ſed ſcribitur extra de elect.c. Licet. Quòd abſq; vlla exceptione electus à duabus partibus Cardinalium ab vniuerſali Eccleſia Summus Pontifex habeatur: ergo eius electio non eſt examinánda.

RESOLVTIO.

Papę electionem ſub examine cadere, poteſt duobus modis intelligi. hoc eſt, vel propter electionem canonicam celebrandam: vel propter ſuperioris iudicio approbandam, aut reprobandam. Primo modo conceditur: Secundo non item.

Respondeo, Dicendum, quòd electionem Papæ cadere ſub examinatione, dupliciter, quãtum ad præſens ſpectat, poteſt intelligi. Primo, quòd talis electio inter ipſos eligentes ſic examinetur, quatenus ritè, & canonicè celebretur, ſecundum formá annotatam in iure. Secundo, quòd ſuperioris iudicio talis electio diſcutiatur, approbetur, vel reprobetur.

Primo modo magis examinãda eſt, & magis diſcutienda electio Papæ tamquàm capitis, & Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, quàm alicuius alterius. Vnde dicitur. 63. diſt. c. Inter nos, & vos pacti ſerie ſtatutum, & confirmatum eſt, q electio, & confirmatio *futuri Romani Pontificis nõ niſi iuſte, & canonicè fieri debeat.

*al. Conſecratio.

Secundo modo non; qnia ſuperiorem non recognoſcit, cuius iudicio approbetur, vel reprobetur. Comparatur enim ſupremus Pontifex ad omnes alios, tam ad laicos, quàm clericos, qui ſunt de corpore Eccleſiæ: ſicut ſpirituale comparatur ad corporale, vel animale: Sed conſtat, quòd illud, quod ſpirituale eſt, non debet examinari, ſeu iudicari per corporale; ſed potius è conuerſo. Vnde ſuper illo verbo 1. ad Cor. 2. Animalis homo nõ percipit quę ſunt ſpiritus Dei, quia ſpiritualiter examinatur. Dicit Auguſtinus in libro de vera religione: Quòd examinatio, & probatio ſpiritualium fit tantũmodo ſpiritualiter, & a ſpirituali homine: quia ſpiritus omnia ſcrutatur, etiam profunda Dei, non autem debet fieri examinatio, & probatio ab homine temporali, & carnali, quia ſpiritualis homo omnia iudicat; & ipſe à nemine iudicatur, vt dicit Apoſtolus. Quod non eſt ſic intelligendum, vt vniuerſaliter Papa ſubterfugiat omne iudicium. quia cum, dicente Apoſtolo, Oporteat nos omnes manifeſtari ante tribunal Chriſti tam ſpirituales, quàm carnales; vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore; Oportebit (vt dicit Auguſti- E nus) Papam, & omnes ſpirituales à lege diuina iudicari, & per legem diuinam examinari. Non ergo ab aliquo infra ſe poteſt ſpiritualis homo, puta Papa, examinari, vel iudicari, ſed ſolus ipſe poteſt dicere: Qui autem examinat me, vel iudicat me, dominus eſt.

H

cap. 31. to. 1.

a. Cor. 5.

1. Cor. 4.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd ſi aliquorum electio non examinatur, eo quòd electio ipſorum eſt confirmatio, hoc non eſt auctoritate propria, quod ſuperiorem non recognoſcant. Non enim poſſet Papa eximere aliquos clericos, vel laicos, quòd non ſubiicerentur iuriſdictioni ſuæ: ſed bene poteſt eximere aliquos, vt electio eorum non tranſeat per F examen communis iuris. Electio autem Papæ ſic eſt confirmatio, quòd ſua propria auctoritate non poteſt per aliquem ſuperiorem examinari, vel approbari.

Ad ſecundum, eſt dicendum, quòd ſicut dicit Auguſtinus: Ideo Chriſtus examinauit Petrum de trina dilectione: quia trinę negationi eius, voluit, q trina confeſſio reſponderet, quatenus nõ minus amori lingua eius deſeruiret, quàm timori. Sic etiam Papa (vt dictum eſt) per legem diuinam bene examinabitur, & iudicabitur: ſed à puro homine nec examinari, nec iudicari poteſt.

Tract. 154. in Ioan. to. 9.

Ad tertium patet ſolutio, quòd bene debet examinari inter eligentes, vt talis electio ritè, & canonicè celebretur, vt ſit facta in debita forma: & cadat ſuper debitam materiam: ſed poſtquam facta eſt, ſuperioris iudicio, nec examinãda, nec diſcutienda eſt. G

ARTICVLVS VII.

VTRVM IMPERATOR iuriſdictionem habeat in electione Papæ.

De materia huius articuli vide latè Turrecrematam in cap. Quia ſancta. §. Verum. diſt. 63.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Imperator iuriſdictionem habeat in electione Papæ. Quia, vt ſcribitur. 63. diſt. cap. Hadrianus. Carolus Imperator Romam veniens Papiam obſedit: ibique relicto exercitu, in ſancta reſurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè receptus eſt. qui Adrianus cum vniuerſa Synodo tradidit dicto Carolo Imperatori ius, & poteſtatem eligendi ſummum Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam Sedem. Hoc idem Decretum confirmauit Leo Papa, dans auctoritatem Othoni primo Regi Teutonicorum, & ſucceſſoribus eius in perpetuum eligendi ſucceſſorem, atque ordinandi Sedis Apoſtolicæ ſummum Pontificem, ſicut patet in capitulo ſequenti. Videtur ergo, quòd electio Romani Põtificis ad ius Imperatoris pertineat.

Præte-

2 Præterea: Papa præeſt mti Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus, vt ſuperius dictum eſt: ergo ſicut eius electiu debet fieri per Cardinales, & per Clericos propter adminiſtrationem ſpiritualium: ita debet fieri per Imperatorem, & per Laicos Principes propter adminiſtrationem temporalium. Potiſſime cum temporalia Papæ per Imperatorem tradantur, ſicut patet. 63. diſt. c. Ego Luduuicus.

3 Præterea: Semper poſterius depender a priori: ſed prius fuit Regnum Imperiale, quàm Sacerdotale. Ergo videtur, ꝙ electiu ſummi Sacerdotis ſine cõſenſu Imperatoris fieri non debeat.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur. 63. diſt. c. Valentinianus, vbi dicitur, ꝙ electioni Epiſcoporum Imperator intereſſe non debeat. Cum enim dixiſſet clero: Talem in Pontificali Sede conſtituite, cui nos, qui gubernamus Imperium, ſincerè noſtra capita ſubmittamus: & eius munita, dum tamquàm homines delinquimus, neceſſario curantis medicamina ſuſcipiamus. Cui cum dixiſſet Synodus, vt magis ipſe decerneret, quis ad hoc ſapiens, & pius exiſteret. Reſpondens ſuper vos (inquit) eſt talis electio: quia diuina gratia potiti, & illius ſplendore fulgentes melius poteritis eligere.

RESOLVTIO.

Imperator in Papę electione iuriſdictionem non habet, niſi in eligentium incluſione. Id quod de Imperatore, alijsque Principibus aſſeuerandum eſt propter certius iudicium ferendum: & propter periculum euitandum. Imperatores enim quandoque in hæreſim inciderunt, & catholica matri Eccleſię ſunt aduerſati.

Respondeo, Dicendum, ꝙ nec Imperator, nec aliquis ſęcularis Princeps ſecundum moderna iura habet iuriſdictionem aliquam in electione Papæ: ſed bene habent iuriſdictiunem in eligentium incluſione, vt faciant obſeruari in electione Papę, omnia illa, quæ ponuntur extra de elect. c. Vbi periculum, lib. 6. Conuenienter autem ſubtractum eſt ius Imperatori, & alijs Principibus de electione Summi Pontificis propter certius iudiciũ in tali electione ferendum, & propter periculum euitandum. Nam vnuſquiſque bene iudicat de his, quæ nouit, & horum eſt bonus iudex, vt ſcribitur primu Ethicorũ. (Ethic. lib. 1. cap. 3.) De electione ergo Papæ, qui debet pollere ſanctitate vitæ, & veritate doctrinæ, magis credendum eſt litteratis, quàm idiotis: & magis clericis, quàm laicis. Euitatur etiam ſuper hoc periculum fidei: quia quãdoque etiam Imperatores in hęreticorum perfidiam lapſi ſunt, & catholicæ matris Eccleſiæ vnitatem impugnare conati ſunt. Ideo ſanctorum Patrum ſtatuta aduerſus eos prodierunt, vt nullo modu ſe electioni ſummurum Pontificum inſererent: & quicunque eorum ſuffragiu, & adminiculo Summum Pontificiũ obtineret, anathematis vinculo innodaretur.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd illi A primi Imperatores tamquã chriſtianiſſimi, fuerunt multum fauorabiles Eccleſiæ: & ideo, vt daretur eis occaſio maioris fauoris, & protectionis; illa poteſtas eligẽdi Summum Pontificem à ſanctis Patribus fuit eis conceſſa: ſed poſtmodum * excreſcente eorum malitia, & cupiditate, illa poteſtas rationabiliter eſt ſubtracta. (* al. excreſcente.) Nun enim eſt putandum ex leuitate animorum procedere, ſi pro diuerſitate rerum, & temporum præcepta mutantur, & gratię ſubtrahantur, vt ſcribitur Heſter vltimo. Vnde magna auctoritas habenda eſt hodie in Eccleſia, vt ſi nunnulli ex prædeceſſoribus, & maioribus fecerunt aliqua, quę illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem, ſi ſine Tarditate aliqua, & cum magna auctoritate à poſteris deB ſtruantur. vt. 63. Diſt. dicitur cap. Quia ſancta Romana.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod Papa non recognoſcit temporalia ab Imperatore, vel ab aliis Principibus, propter aliquam poteſtatem, in qua nõ ſubiiciantur ei; cum ab eodem principio ſint corporalia, & ſpiritualia. Sed vel hoc eſt propter immediatam adminiſtrationem, quam non habet Summus Pontifex indifferenter in omnibus temporalibus, ſicut ſæculares principes: Vel propter pacis, & quietis Eccleſiæ conſeruationem, vel propter ipſorum temporalium tyrannicè ablatorum reſtitutionem.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſi temporale dominium præceſſit Sacerdutale, hoc non fuit dignitate, & cauſalitate; ſed potius hominum prauitate, ad C quorum depreſſionem, & correctionem, & quandoque innocẽtum defenſionem, permiſit Deus aliquos in dominium ſurgere. Sed dominium naturale, & temporale in miniſterium, & in obſequium regiminis ſpiritualis datum eſt; vt ſuperius eſt tactum, & amplius inferius tangetur.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM LAICI DEBEANT electioni Papæ intereſſe.

Doctores in cap. Oſius extra de elect.

D Ad Octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Laici debẽt electiuni Papæ intereſſe. quia ſcribitur 23. Diſt. c. In nomine Domini. Si prauorum hominum peruerſitas ita inualuerit, vt in Vrbe gratuita non poſſit fieri electiu; tũc Cardinales Epiſcopi cum religioſis Clericis, & catholicis Laicis, licet paucis, ius poteſtatis obtineant eligere Apoſtolicæ Sedis Puntificẽ, vbi congruerit. Videtur ergo, ꝙ Laici nun ſulum debeant electioni Papæ intereſſe: verumetiam, ꝙ iuriſdictiunem habere poſſint in tali electione.

2 Præterea: Scribitur 63. Diſt. Ego Luduuicus. Quòd Clerus, & Populus electioni Põtificis īterſint.

C Non

Non ergo excluduntur Laici in tali electione fienda. 3 Præterea: Eius eſt electioni intereſſe, cuius eſt electioni conſentire. ſed dicitur diſt. ſupradicta, c. Cũ longe, ꝙ licet plebis non ſit eligere, eius tamen eſt electioni conſentire. Videtur ergo, ꝙ abſque conſenſu Populi, & Laicorum talis electio rite celebrari non poſſit.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur eadẽ diſt. cap. Non licet. Non licet populo facere electionem eorum, qui ad Sacerdotium promouentur: immo Laici excludendi ſunt ab electione Sacerdotum: quia non libertas imperandi, vel eligendi; ſed potius neceſſitas obediendi eis iniungitur.

RESOLVTIO.

Papæ electioni Laici intereſſe non poſſunt quantum ad iuriſdictionem: Sed quantum ad repræſentationem propter inuaſionem Hæreticorum vitandam: Et quantum ad publicationem, propter gaudium nunciandum, & ne clandeſtina electio exiſtimata reprobetur.

RESPONDEO, Dicendum, quòd, Laicos poſſe intereſſe electioni Papæ, tribus modis intelligi poteſt. Primo quantum ad iuriſdictionem. Et ſic ſecundum moderna iura nullam iuriſdictionem habent. Et ſatis conuenienter excluſi ſunt: quia Populus, perſuaſione, aut corruptione cito à iudicio deuiat. Non eſt enim populus ſequendus, ſed inſtruendus. Vnde ſuper illo verbo Exodi 23. Non ſequeris turbam ad faciendum * iudicium: nec iudicio plurimorum adquieſces ſententiæ, vt à veritate deuies; (*al. malum.) dicit gloſ. quod populus ſequendus non eſt in iudicio; ſed Doctores, qui, licet ſint pauciores numero, ſunt tamen ſaniores cõſilio. Secundo quantum ad repræſentationem. ſcribitur enim. 63. diſt. cap. Cum longe, ꝙ electiones ſummorum Pontificum, & aliorum Epiſcoporum quondam Imperatoribus, & alijs Laicis Principibus repræſentabãtur: ſicut de electione Beati Ambroſij, & Beati Gregorij legitur. & hoc ad vitandum ſchiſmaticorum, & hæreticorum inuaſionem, & perſecutionem; contra quos legibus fideliſſimorum Imperatorum frequenter Eccleſia munita legitur. Præſentabatur ergo talis electio catholicorum Principibus, vt eorum auctoritate roborata nullus hæreticorum, *vel ſchiſmaticorum auderet contraire. (*alias, &) & ſic adhuc Laicos electioni Papæ intereſſe cõgruum eſt. Vnde & Romano Pontifice creato, & coronato, eius coronato, & creatio Regibus, & Principibus mundi denunciatur. Tertio, quantum ad publicationem. quia non eſt ponenda talis electio ſub modio, ſed ſuper candelabrum, quatenus ſi ius adquiſitum eſt, electio non poſſet aliqua tergiuerſatione celari. Vnde ſcribitur extra de elect. cap. Quia propter. Electiones quoque clandeſtinas reprobamus, ſtatuentes, vt quam cito electio fuerit celebrata, ſolenniter publicetur. Eſt etiam hoc conueniens ſic populo publicari ad gaudium nunciandum. Legitur etiam in Chalcedonẽſi Concilio; ꝙ totus populus, & tota ſynodus acclamauit electioni Papæ: Leo ſanctiſſimus Apoſtolicus viuat per multos annos.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illud Decretum intelligitur, vel ſecundum antiqua iura, quibus conceſſum fuit aliquibus Laicis iuriſdictionẽ habere in electione Papæ propter fauorem Eccleſiæ: vel intelligitur, ꝙ electio illis Laicis eſt repræſentanda, vt eorum virtute, & fauore nulli poſſent prædictã electionem perturbare.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut notatur ſuper illo Decreto, quod Laici vocandi ſunt ad electionem, intelligitur de talibus Laicis, qui ſunt Patroni Eccleſiarum, ad quos pertinet præſentare, & eligere ordinandos in Eccleſiis, quarum ſunt Patroni, & fundatores. Sicut patet 16. quæſt. 7. cap. Decernimus. Si vero intelligatur de electione Papæ, tunc debet intelligi quantum ad repræſentationem: vel quantum ad publicationem, ſicut ſuperius dictum eſt. Nulla tamen talium conditionum exiſtente, non eſſet talis electio infringenda; quia contra ipſam nulla exceptio recipienda eſt.

AD tertium eſt dicendum, quòd conſenſus populi, & approbatio requirenda eſt in electione iam facta; non in electione fienda. Quia electio illius, qui Princeps pacis eſt, pacem, & vnitatem animorum ſuorum ſubditorum requirit.

QVAE-

QVAESTIO TERTIA DE ELIGENTIVM IVRISDICTIONE.

A *VISO de Papa electione, reſtat nunc inquirere de eligentium iuriſdictione. Circa quod quæruntur vndecim.*

Primo, Vtrum ſolum ad Collegium Cardinaliũ ſpectet Papã eligere.

Secundo, Vtrum, deficiente tali Collegio, electio Papę deuoluatur ad generale Concilium.

Tertio, Vtrum tale Collegium teneatur eligere ſemper hominem ſufficientioris ſcientię.

Quarto, Vtrum ſemper teneatur eligere hominẽ ſanctioris vita.

Quinto, Vtrum teneatur magis eligere Iuriſtam, quàm Theologum.

B *Sexto, vtrum teneatur magis eligere hominem de Collegio, quàm extra Collegium.*

Septimo, Vtrum maiorem poteſtatem habeat Collegium eligens, quàm Papa electus.

Octauo, Vtrum, Papa mortuo, poteſtas eius remaneat in Collegio.

Nono, Vtrum, mortuo Papa, Collegium poſſit quidquid poteſt Papa viuens.

Decimo, Vtrum in tali electione debeat pracedere tractatus, vel aliqua prelocutio.

Vndecimo, Vtrum tutius ſit celeriter eligere, vel diu in tali electione cogitare.

C

ARTICVLVS I.

VTRVM, SOLVM AD Collegium Cardinalium ſpectet eligere Papam.

Turrecremata in cap. In nomine Domini. q. 2. diſt. 23.

AD Primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ad Cardinales ſolum pertineat electio Summi Pontificis. Quia ſicut Papa vocatus eſt in vniuerſalẽ adminiſtrationem, ſic Epiſcopi vocati ſunt in ſolicitudinis partem; ſed partibus conuenit prouidere de toto: ergo videtur, ꝙ ad Epiſcopos pertineat ſummi Pontificis electio.

D Præterea: Electio, & quęlibet actio eſt particulariũ ſuppoſitorũ: ſed licet Papa ſit Paſtor totius orbis: habet tamen particularem Sedem, puta Romanã: ſicut beatus Petrus apud Antiochiam prius, quàm Romã veniret, habitauit, & Ignatium illic Epiſcopum conſtituit. vbi primum nomen Chriſtianorum † exortũ eſt. Poſtmodum prima Sedes beati Petri cœleſti beneficio Romana Eccleſia ordinata eſt, quã beatiſſimi Petrus, & Paulus ſuo martyrio cõſecrauerũt: † electio ergo ſummi Põtificis ad Clericos Romanę Sedis pertinere videt̃, cũ illa ſit prima ſua particularis cathedra.

† Id conſtat ex actibus Apoſt c. 11.

† cap. Quãuis. 21. diſt.

Præterea: Electio communis Paſtoris communitatem eligentium requirit: ſed Papa eſt communis Paſtor totius orbis: videtur ergo, ꝙ Prælati totius mũdi ad eius electionem debeant conuenire.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de elect. c. Licet. Vbi habetur, ꝙ duæ partes Cardinalium requiruntur ſolũ ad electionem Summi Pontificis. & extra de elect. c. Vbi periculũ. lib. 6. habetur, ꝙ ſolum Cardinales includi debent ad electionem Papæ faciendam.

RESOLVTIO.

Papę electio ad Cardinalium, non Epiſcoporum Collegium ſpectat. Illi enim, tamquam Apoſtoli Chriſto, ipſi Papę eius vicemgerenti aſſiſtunt. Hi autem quamuis Apoſtolorum perſonas repræſentent, non tamen eorum, qui pręſentialiter Chriſto aſtiterunt. Adde etiã, ꝙ in paucioribus via certior, & ſecurior iudicatur.

C RESPONDEO, Dicendum, quòd ſcribitur Heſter vltimo: Non eſt putandũ, ſi diuerſa iubentur, ex animi imperantis prouenire leuitate: ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, vt Reipub. poſcit vtilitas, ferre ſententiam. quamuis ergo ſecundũ antiqua iura fuerit conceſſum primò Romanis omnibus ius eligendi Papam: quia, vt notatur. 63. diſt. c. Ego Ludouicus; omnes Romani vno Concilio, atque concordia ſinè aliqua promiſſione ſummum Pontificẽ eligebãt. ita, ꝙ olim Romani omnes ex conſuetudine antiqua electioni ſummi Pontificis intererãt: & poſtmodum ex fauore catholicorum, & ad expugnationẽ Hęreticorum, & Schiſmaticorum quibuſdam Chriſtianiſſimis Imperatoribus ius eligẽdi Papam fuerit

D conceſſum: nunc autem tantum ad ſolos Cardinales electio ſummi Põtificis dignoſcitur pertinere. Et hoc ſatis conuenienter propter duo. Primo propter eorũ aſſiſtentiam: quamuis enim Epiſcopi repræſentent perſonas Apoſtolorum: non tamẽ repræſentant perſonas eorum, vt Chriſto, vel ipſi Papæ vicem eius gerenti, præſentialiter aſtiterunt, vel aſſiſtunt; ſed magis vt ipſi diffuſi in orbem terrarum, quilibet aliquã partem mundi in ſorte prædicationis acceperunt. Cardinales vero perſonas Apoſtolorũ repręſentant, vt Chriſto, & Papę vicẽ eius gerenti præſentialiter aſtiterũt, vel aſſiſtũt. & ideo cõuenientius electio ſummi Pontificis

ficis fit per eos, quàm per Epiſcopos, vel alios Prælatos Eccleſiæ. Secundo propter eorum conuenientiam. Nam ſecundum Philoſophum; In paucioribus via certior, & ſecurior. Quanto ergo periculo per pauciora remedia poteſt ſubueniri, tanto citius, & ſecurius ſubuenitur. quia igitur vacatio Sedis Apoſtolicæ nimis eſt periculoſa fidelibus, vt citius, & ſecurius tali periculo poſſit remedium adhiberi, congruè ad paucas perſonas, puta ad Cardinales tãtum, electio Papæ deuoluta eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi non habent illam conuenientiam in electione Summi Pontificis, ſicut Cardinales, vt dictum eſt; cum ipſi Papæ ſemper præſentialiter aſſiſtant.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut Papa, non obſtante, quòd ſit vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor: eſt tamen ſingulariter prætitulatus Epiſcopus, & Romanus Pontifex. Quia ſedem illã, poſtquam de Antiochia venit, Beatus Petrus ſimul cum Paulo eorum martyrio conſecrauerunt, vt dicitur diſt. 22. c. Sacroſancta. Si Cardinales, non obſtante quod ſint Iudices, & Principes totius mundi. Iuxta illud Pſal. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. Prætitulantur in titulis Eccleſiarũ Romæ, & in diſtrictu Romanæ vrbis exiſtẽtium. Vnde Clerici Romanæ Eccleſiæ appellati ſunt.

Pſal. 44.

AD tertium eſt dicendum, quòd communitatis non eſt eligere: quia ſecundum Damaſc. De Orthod. fide lib. 11. c. 22. Electio eſt de duobus exiſtentibus, vnum præ altero eligere. Hoc autem non pertinet ad omnes: ſed ad aliquas perſonas ſingulariter, & ad talem actionem deputatas, quæ polleant auctoritate, ſapientia, & ſanctitate. Vnde nec Chriſtus, qui fuit Paſtor omnium ouium, vocauit omnes ad Apoſtolatum, nec omnibus ſua ſecreta reuelauit. Vnde dixit Petrus Act. 10. Dedit autem Deus pater eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo.

ARTICVLVS II.

VTRVM, DEFICIENTE Collegio Cardinalium, electio Papæ ad clerum Romanum deuoluatur.

Cardinalis Albanus in tractatu de Cardinalatu.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd, deficiente Collegio Cardinalium, ad Romanũ clerum electio Papę deuoluatur. Quia poteſtas eligendi Papam nunc ſolis Cardinalibus eſt conceſſa: ſed ſucceſſores Cardinalium ſunt Romani clerici; cum ipſi Romani clerici

E appellentur; ergo videtur, ꝙ ad clerum Romanum, Cardinalibus deficientibus, ſpectet eligere Papam.

Præterea. Concilium non habet auctoritatem ſine Papa. ſcribitur enim 17. diſt. c. Regula. quòd non eſt ratum Concilium, quod auctoritate Romanæ Eccleſię fulcitum non fuerit. Et ibidem c. Multis, ſubditur: non eſt Concilium: ſed conuenticulum, quod ſine Sedis Apoſtolicæ auctoritate celebratur: ad Concilium ergo electio Summi Pontificis ſpectare non poteſt, ſine Papæ auctoritate.

Præterea. Concilium generale non poſſet Papã eligere, niſi eſſet congregatum: ſed ad nullum alium ſpectat Concilium generale congregare, niſi ad Papam. ſcribitur enim diſt. ſupradicta, cap. Synodum. Abſque Romani Pontificis auctoritate Synodus non debet F congregari. Et ibi ſubditur: Abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate ſynodum aliquibus congregare non licet. Non ergo ad Concilium generale poteſt ſpectare electio Summi Pontificis.

IN CONTRARIVM eſt. Quia eorum eſt eligere, & conſtituere, quorum eſt deponere, & deſtituere: ſed totius Eccleſiæ, & generalis Concilij eſſet Papã deponere, & deſtituere, ſi in hæreſi depræhenderetur. Scribitur enim. 21. diſt. cap. Nunc autem, quòd cum Marcellinus Epiſcopus à Paganis eſſet compulſus, vt templum eorum ingreſſus tria genera thuris ſuper prunis imponeret; tũc vniuerſo Concilio Sanctorum, & Epiſcoporum collecto, & Inquiſitione ſuper hoc facta, omnes dixerunt ſibi: Ore tuo iudica cauſam tuam, quia ex ore tuo iuſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis. Ad Concilium ergo generale videtur G ſimiliter pertinere Summum Pontificẽ eligere, & conſtituere, Collegio Cardinalium deficiente.

RESOLVTIO.

Cardinalium Collegio deficiente, electionem Papę ad Clerum Romanum ſpectare nonnulli aſſeuerant, cum Papa ſit Epiſcopus Romanus: Sed ſine præiudicio tunc ad Concilium confugiendum eſſe quis non fatebitur propter ſciſma euitandum, & dubium interpretandum?

RESPONDEO, Dicendum, quòd aliqui dicũt ad Romanum clerum deuolutam eſſe electionem ſummi Pontificis, Cardinalibus deficientibus: H & quia iſti ſunt ſucceſſores Cardinalium, vt ſupradictum eſt. Et quia ipſe Papa ſingulariter eſt Epiſcopus Romanus. Vnde ad Canonicos, & clericos epiſcopatus, puta ſancti Ioannis Lateranenſis ſpectaret electio Papæ, deficiente Cardinalium collegio. Sed ſine præiudicio puto, tali caſu interueniẽte, ꝙ collegium deficeret; & magis fore tutũ, & ſecurum, ꝙ generale Concilium ad talem electionem faciendam congregaretur propter duo. Primo propter ſciſma vitandum, quia ſicut dicit Auguſt. in lib. de vera religione. c. 6. Catholica fides, & religio Chriſtiana ſine vlla nouitate, & ſciſmatis, vel hæreſis ſeminatione, aut conuenticulorum ſegregatione eſt tenenda, & prædicanda. Quia igitur caſu tali interueniente, quòd collegium Cardinalium deficeret, ſi electio fieret per Romanum

Tomo 1.

num clerum, poſſet eſſe materia ſchiſmatis: quia electus fortè ab vniuerſali Eccleſia nō reciperetur, calumnia, vel dubitatione de poteſtate eligendi in tali electione interpoſita: ideo magis tutum, & ſecurum eſſet, vt talis electio per Concilium Prælatorum vniuerſalis Eccleſię fieret.

Secundo propter dubium interpretandū. Nam ſecundum Aug. in lib. ſupradicto. cap. 10. In catholica Eccleſia ſemper falſa ſunt reſpuenda: vera verò ſemper tenenda; dubia vero tamdiu credēda, donec eſſe reſpuenda vel ratio doceat, vel præcipiat auctoritas. Quia ergo dubium eſt ad quos ſpectaret electio Summi Pontificis, tali caſu interueniente, cum dubia interpretari, quæ emergunt in Eccleſia, ad generale Concilium ſpectet; videtur in tali caſu magis eſſe ſecurum, quòd talis electio ad Conciliū generale deuoluatur. quia ſemper in † ambigua voce legis ea potius ſignificatio eſt accipienda, quæ vitio caret: præſertim cum voluntas Legiſlatoris ex hoc colligi poſſit, vt dicitur in prin. Digeſtorum.

Titul. de legib. l. In ambigua voce.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Romani clerici ſunt ſucceſſores Cardinalium in nominatione, non iuriſdictione: quia planum eſt, ꝙ non habent auctoritatem, nec dignitatem illam, quam habent Cardinales. Et ideo niſi fieret ſpeciale ſtatutum per Papam, quòd, deficiente collegio, poteſtas eligendi remaneret in Romanis clericis, vel in Canonicis ſancti Ioannis; non conueniret eis eligere ſummū Pontificē magis, quàm aliis. Quia ſicut Papa eſt Romanus Epiſcopus ſingulariter, ſic ſingulares perſonæ, & ſingulares Clerici ſunt deputati ad talem electionem faciendam; puta Cardinales, quibus deficientibus, nullis alijs Clericis, vel Canonicis ſingularibus poteſtas in tali electione conueniret: niſi ſuper hoc nouum ſtatutum conderetur.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa decreta intelliguntur, Papa viuente. tunc enim abſque eius auctoritate Concilium, nec fieri, nec congregari deberet, nec alicuius firmitatis eſſet abſque Romani Pontificis auctoritate: ſed ipſo mortuo, & collegio deficiente, poſſet Concilium ordinare, & terminare de omnibus, quę pertinent ad vtilitatem Eccleſiæ.

Ad tertium eſt dicendum, quòd in tali caſu Imperator, & alij Reges, & Principes Chriſtianorum poſſent, & deberent Concilium Epiſcoporum, & Prælatorum congregare ad talem electionem faciendam. Et puto, quòd ſic poſſet eos includere, & conſtitutionem illam ſeruare circa eos, quæ ponitur extra de elect. cap. Vbi periculum. ſicut nunc tenetur facere obſeruare Communitas Terræ, vbi Papa decedit, erga Cardinales. Scribitur enim 17. diſtin. cap. Concilia. Quia cum quædā imponerentur Symmacho præſuli Apoſtolicæ Sedis, ex authoritate Theodorici Regis, ſanctū Conciliū congregatum fuit, vbi dictus Rex dixit, nihil ad ſe pertinere præter reuerentiam de negotijs Eccleſiaſticis: ſed ipſi Prælati

A videretur, & deliberarent, quid magis putarent vtile: & dummodo pro venerādi prouiſione Concilij pax in ciuitate Romana daretur, & in toto orbe; ipſe totū ratum, & firmum haberet.

ARTICVLVS III.

VTRVM COLLEGIVM teneatur eligere ſemper hominem ſufficientioris ſcientiæ.

B Huc ſpectant tradita per gloſſam, & doctores in c. Conſtitutis. el, 2. extra de appellation. & per Couarruuiā in regula, peccatum, de regul. iur. lib. 6. par. 2. relectionis. §. 7.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſemper Collegium teneatur eligere in Papam hominem ſufficientioris ſciētiæ. Quia dicit Hieronymus ſuper Leuiticum: Et ponitur. 8. quæſt. 1. c. Licet. Requiritur in ordinādo ſummum Sacerdotem & populi præſentia, vt ſciant omnes, & certi ſint: quoniam qui præſtantior eſt ex omni populo, qui doctior, qui C ſanctior, qui in omni virtute eminētior, ille ad ſummum Sacerdotium eligitur. Videtur ergo, ꝙ hominem ſufficientioris ſcientiæ ad ſummum Pontificatum ſemper teneatur eligere.

2 Præterea: Super illo verbo Iac 2. Nolite in perſonarum acceptione Fratres cariſſimi habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti; dicit Auguſtin. epiſt. 29. Quod ſi hanc diſtantiam ſedēdi, & ſtandi referamus ad honores Eccleſiaſticos, non eſt putādum leue eſſe peccatum, diuitem ad ſedem honoris Eccleſiæ eligere, paupere contempto inſtructiore, & ſanctiore. Videtur ergo, quòd ſemper Collegium hominem ſufficientioris ſcientiæ teneatur eligere. Tomo 2.

3 Præterea dicit Gregorius prima parte ſui Paſtoralis c. 1. Nulla ars præſumitur doceri, niſi prius intēta D meditatione diſcatur. & ſubdit: Ab imperitis ergo Paſtoribus Magiſterium paſtorale in magna temeritate ſuſcipitur. quoniam ars eſt artium regimē animarū. Vnde ſummo Sacerdoti intelligitur eſſe dictum per Prophetā: Quia tu ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Videtur ergo, quòd ſemper ſufficientioris ſcientiæ homo debeat eligi in ſummum Sacerdotem. Oſeę 4.

4 Præterea dicit Leo Papa: Ex presbyteris eiuſdem Eccleſiæ ſemper optimus eligatur. cui conſonat, quòd ſcribitur extra de elect. cap. Nihil. vbi habetur: Nihil eſt, quod Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni Prælati aſſumantur in regimine animarum. Et ſi iſtud veritatem habet vniuerſaliter de Prælatis, multo fortius de ſummo Pontifice.

E In Contrarivm eſt, quod ſcribitur extra de elect. cap. Ne pro defectu Paſtoris. vbi dicitur, ꝙ ſufficit idoneam, & perſonam ſufficientem ad prælaturam eligere. Si ergo ſufficit electo, quòd ſit ſufficiens, & idoneus, debet hoc ſufficere eligenti; puta ꝙ eligat ſufficientem. Et ſic non tenetur ſufficientiorẽ ſemper eligere.

RESOLVTIO.

Minus doctus doctiori in electione an ſit præferendus, vel è conuerſo, ex tricipiti diſtinctione planum eſſe dicimus: Ex Eligentis, Electi, & Status parte.

F Respondeo, Dicendum, quòd aliqui ſine diſtinctione reſpondent, ad hanc quæſtionem, quòd duobus exiſtentibus, quorum vnus ſit minus bonus, & minus doctus: alius verò magis bonus, & magis doctus; dicunt, quòd ſufficit eligere minus doctũ, & minus bonum. & exponunt, ꝙ bonus eſt quis eo ipſo, quòd non eſt malus; & doctus eo ipſo, quòd non eſt indoctus. Non attendentes ad hæc verba Gregor. Hom. 13 in Euang. dicentis: Minus eſt mala non agere, niſi quiſque ſtudeat bonis operibus inſudare. quod maxime de Prælatis eſt vniuerſaliter verũ, quibus non ſufficit, quòd non ſint mali, ſed oportet quòd ſint boni: & non ſint indocti: ſed quòd ſint idonei, vt alios poſſint docere. Nam dicit Apoſtolus 2. ad Tim. 2. Hæc (puta Prælaturã, & paſtorale officiũ) commẽda hominibus fidelibus, quæ idonei ſint alios docere.

G Puto ergo (abſque præiudicio melioris ſententiæ) diſtinguendum eſſe, tam ex parte eligentis, quàm ex parte electi, & ex parte ſtatus, ad quẽ homo eligitur.

Ex parte eligentis quidem, quia ſi per eligentem põt eligi æqua facilitate doctior, & ſufficientior, ſicut minus ſufficiens, & minus doctus: puto, quòd tenetur doctiorem, & ſufficientiorem eligere, æqua facilitate ſuppoſita.

Ex parte vero electi diſtingnendũ eſt. quia ſi minus doctus, & minus ſufficiens haberet plures voces: & magis ſufficiens, magis doctus haberet pauciores, tunc ſi eligenti dictaret conſcientia, quòd amitteret vocem ſuam, ſi eligeret magis ſufficientem, & magis doctum: puto, quòd licitè in tali caſu poteſt conformare conſcientiam ſuam cum alijs, vt eligeret minus doctum, & minus ſufficientem: Sed ſi tot voces

H haberet vnus, ſicut alius, & crederet, quòd per vocem ſuam augeretur numerus eligentium magis doctum, & magis ſufficientem: puto, quòd in tali caſu tenetur eligere magis doctum, & magis ſufficientem: quia conſcientia ſtringit eum ad iſtud. Illi autem, qui dicunt, quòd ſufficit eligere doctum, & ſufficientem, veritatem habẽt, nulla comparatione facta boni ad meliorem; vel docti ad doctiorem. vbi autem fit, non ſufficit: Multum enim haberet quis largam conſcientiam. quando æqua facilitate poteſt habere meliorem, ſicut bonum, & doctiorem: ſicut doctum, & magis bonum, & magis doctum dimitteret, & minus bonum, & minus ſufficientem eligeret.

Ex parte verò ſtatus eſt diſtinguẽdum. quia aliqua perfectio doctrinæ requiritur in vno ſtatu, quæ non requiritur in alio: maior enim perfectio ſcientię requiritur in Papa, quàm in Epiſcopo; & maior in Epiſcopo, quàm in Presbytero. Vnde dixit Valentinianus Imperator, ſicut ponitur. 63. diſt. cap. Valentinianus, Talem in pontificali ſedę conſtituite, cui & nos, qui gubernamus imperium, noſtra capita ſubmittamus: & eius monita, dum tamquàm homines delinquimus, neceſſario curãtis medicamina ſuſcipiamus. Puto enim, quòd ſpecialiter in electione Summi Pontificis, ſi ſcienter præferatur minus bonus meliori, & minus doctus doctiori, acceptio perſonæ eſt.

Ad Argumenta.

F Ad Primvm ergo eſt dicendum, Quòd illud dictum Hieronymi (vt dicunt aliqui) eſt conſiliũ, non præceptum: vel, ſi intelligatur eſſe præceptum, ſupponitur æqua facilitas. quia tunc non ſine ſcrupulo conſcientiæ poſſet eligi minus ſufficiens, & minus doctus, dimiſſo ſufficientiori, & doctiori.

Ad ſecundum eſt ſimiliter dicendũ, quòd ibi loquitur Iacobus de diuite, & paupere. Planũ eſt enim, quòd ſi eligatur diues ad honorem Eccleſiæ, quia diues, dimiſſo paupere, quia pauper, doctior tamẽ, & ſanctior illo; ſine acceptione perſonę, & ſine peccato fieri non poteſt. Quia vt ſcribitur Prouerbiorum. 19. Melior eſt pauper, qui ambulat in ſimplicitate ſua, quàm diues torquens labia ſua, & inſipiens. Iac. 2.

G Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Gregorius accipit imperitiam pro * neſciẽtia, vel pro inexperientia. Multi enim ſunt ſcientes aliqua ſpeculatiua: qui tamen carent experientia, & prudentia agibilium, qualiter ſuccurrendum eſt languoribus animarum. quia ſine dubio (vt ipſe dicit in eodem libro.) magna cautio eſt adhibenda in regimine animarum; quia aliquorum vitia ſtatim ſunt corrigenda: aliquorum vero leuiter ſunt increpanda: aliquorum vero ad tempus ſunt diſſimulanda: quia vulnera ſtatim ſecta deterius quandoque inferueſcunt. Nam quia ars† artium eſt regimen animarnm: qui tali arte carent, ad prælaturam, & potiſſime ad Summum Pontificium aſſumi non debent, quantumcunque ſint inſtructi in aliquibus ſcientijs, & vigeant aliqua doctrina ſpeculabilmm.

* al. inſcientia.

† Vide Cõcil. Lateran. ſub Innocẽ. III. cap. 27.

H Ad quartum eſt dicendum, quòd aliqui dicunt illud dictum Leonis intelligendum eſſe, quando Prælatus eligitur extra collegium proprium. tunc enim melior, & optimus eligendus eſt: Sed quando eligitur de proprio collegio, ſufficit eligere ſufficientem, & idoneum. Vel intelligitur, ſuppoſita ęquali facilitate, ſicut dictum eſt in alijs.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

VTRVM COLLEGIVM teneatur eligere in Summum Pontificem ſemper hominem melioris vitæ.

S. Thom. 2. 2. q. 185. art. 3. adde Concilium Triden. ſeſſio. 24. de reform. cap. 18.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd collegiū ſemper teneatur eligere in ſummum Pōtificem hominem melioris vitæ. quia homo tenetur conformare voluntatem ſuam voluntati diuinę. Iuxta illud Aug. ſuper illo verbo. Non adhæſit mihi cor prauum. Dicit enim ibi, quòd cor prauum, & diſtortum habet, qui non vult, quod Deus vult: ſed Deus vult eligi in ſuum Vicariū ſemper ſanctiorem, & meliorem, quia cum ipſe ſit bonum omnis boni, ſemper præfert maius bonum minus bono. Ergo videtur quòd collegium ſemper hominem ſanctioris vitæ teneatur eligere.

In pſal. 100. to 8.

2 Pręterea: In Summum Pontificem debet eligi ſimpliciter bonus. Sed doctrina, vel ſcientia non facit hominem ſimpliciter bonum, ſolum autem facit hominem bonum ſecundum intellectum; quod eſt eſſe bonum ſecundum quid. Sed eſſe bonum ſecundum affectum, & ſecundum voluntatem (quod requirit ſanctitatem vitæ) eſt eſſe bonum ſimpliciter: ergo videtur, quòd collegium hominem ſaltem ſufficientioris vitæ, licet non hominem ſufficientioris ſciētię, teneatur eligere.

3 Præterea: homo tenetur in electione ſequi conſcientiam rectā: ſed cuilibet conſciētia recta dictat, quòd minori bono maius bonum pręeligendum eſt: ergo ſemper eligere meliorem, & ſanctiorem tenetur.

IN CONTRARIVM eſt, quia illi habent bonum Zelum in electione, qui eligunt talem, in quo nullum eſt canonicum impedimentum, ſicut patet extra de elect. c. Dudum. ſed eligendo hominem ſufficientem, & idoneum nō eſt aliquod canonicum impedimentum, quia canones non plus dicunt, niſi, quod perſona ſufficiens, & idonea eligatur: ſufficit ergo in vita ſufficientem eligere.

D

RESOLVTIO.

Homo vita bona in Pontificem ex neceſſitate, & pręcepto eligendus eſt: Homo autem melioris vita non niſi ex conſilio, & vtilitate. Quamuis enim Deus meliorem, & ſanctiorem velit; non tamen ex præcepto. poteſt etiam minus bonus, aut minus ſanctus melior eſſe in Prælatione.

RESPONDEO, Quòd concordando iura, quæ diuerſimode loquūtur, de electione Pręlatorū, poſſumus dicere, quòd eorum, quæ in iure mandan-

A tur, quædam imperantur, vt quæ ſunt neceſſitatis: quædam vero ſuadentur, vt quæ ſunt vtilitatis. Prima cadunt ſub præcepto. Secunda veró ſub conſilio. Nam Apoſtolus. 1. ad Corinth. 7. dicit: De virginibus autem præceptum Domini non habeo, conſiliū autem do. Et 2. ad Cor. 8. ait: Non quaſi imperans dico, ſed per aliorum ſolicitudinem veſtrum bonum ingenium comprobans. Habere ergo bonum Prælatū eſt neceſſitatis; habere vero meliorem, vel optimum eſt vtilitatis. Planum eſt autem, quòd non minor requiritur perfectio in electo, quàm in eligente. propter quod ſi electo ſufficit, quòd bonus, & ſufficiens in vita, & in ſcientia eligatur: multo magis (vt puto) ſufficit eligenti, quòd bonum, & ſufficientem eligat. Expedit tamen, & ſuadendum eſt ſibi, quòd meliorem, & optimum eligat. Hinc eſt ergo, quòd attendē-

B do ad illud, quod ſufficit, & quod imperatur, dicunt aliqua iura, quòd ſufficiens, & idoneus eligatur, ſicut patet extra de electionibus, per totum: attendendo vero ad illud, quod expedit, & quod conſulitur, dicunt iura aliqua, quòd ille, qui doctior eſt, & qui ſanctior, eligatur: ſicut allegatū fuit ſupra 8. queſtione prima. cap. Licet. Si enim Prælatum eſſe bonum in vita, & ſcientia ſufficit Deo, ſufficit Eccleſiæ, & ſufficit electo: non videtur eſſe dubitandum, quare non deberet ſufficere eligenti: iſtud autem ſufficere ſatis expreſſe videtur notare Hug. 8. quæſt. 1. cap. Licet.

Ad Argumenta.

C AD PRIMVM ergo eſt dicendum, Quòd nō eſt certum, immo eſt dubium: vtrum Deus velit maius bonum magis eligi, & ſanctiorem magis præfici in pręlatura. Forte enim, qui minus bonus eſt, & minus ſanctus, melior erit in Prælatione. Et ideo Deus vult ipſum magis eligi. Vel aliter poteſt dici, quòd non ſequitur, ſi Deus vult meliorē, & ſanctiorem magis eligi, quòd propter hoc iſtud teneatur velle ex præcepto. Sicut Deus vult magis me eſſe in religione, quàm in ſęculo; non tamen teneor ex præcepto religionem intrare. vnde cum dicitur, quòd tenemur conformare voluntatem noſtram voluntati diuinę; intelligendum eſt reſpectu eorum, quæ ſunt in præcepto, non in conſilio.

D AD ſecundum eſt dicendum, quòd bonum hominem ſimpliciter facit charitas. & quia charitas eſt in voluntate; ideo dictum eſt, quòd eſſe bonum ſecundum affectum, eſt eſſe bonum ſimpliciter: talis tamen bonitas quandoque non ſufficit in regimine Pręlaturæ, quia dicit Hiero. in Epiſtola ad Paulinum: Sancta quippe ſimplicitas ſolum ſibi prodeſt, & quanto plus ædificat Eccleſiam Dei ex vitæ merito: tāto plus nocet, ſi contradicentibus non reſiſtit. Ad hoc igitur vt aliquis eligatur in Paſtorem, ſufficit quòd eligatur bonus in vita, & ſcientia, ſuffragante alia bonitate, quæ requiritur ad Prælaturam. Epiſt. c. 3.

AD tertium eſt dicendum, quòd recta conſcientia aliquid dictat, vt faciendum ex debito: & hanc homo ſemper tenetur ſequi: Aliud vero vt faciendum de expedienti, vel de congruo: & hanc non tenetur ſequi.

ARTI-

ARTICVLVS V.

VTRVM COLLEGIVM teneatur eligere in Papam Iuriſtam potius, quàm Theologum.

Huc ſpectant tradita per Hoſtienſem, & alios in cap. 1. extra de conſanguinit. & affinit. & per Albertinum tract. de agnoſ. aſſert. qõ. 10. & per Gaietanum 2. 2. qõ. 185. & art. 3. & Sotum lib. 10. de iuſt. & iur. quæſt. 2. artic. 3.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Collegium magis teneatur eligere Iuriſtam, quàm Theologum in Papã. quia Papa potiſſime eligitur ad quæſtiones, & iurgiorum litigia determinanda, quæ tot quotidie inſurgunt, vt niſi iuſtitia conatus eius ſua virtute reprimeret, ius humani fœderis litigatorum abuſus extingueret: & dato libello repudij, concordia extra mũdi terminus exularet: Vt ſcribitur extra in prœmiũ Decretalium: Rex pacificus. Sed in quæſtionibus terminandis, & imponendo finem litibus, plus valent Iuriſtæ, quàm Theologi. Scribitur enim. 20. diſt. cap. Decretales. Quòd in Sacrarum Scripturarum expoſitionibus ſacræ Scripturę Tractatores Põtificibus præponantur: Sed in negotijs diffiniendis, & in cauſis determinandis ſecundum, poſt eos, locum merentur tenere. Videtur ergo, quòd magis Iuriſtam, quàm Theologum collegium teneatur eligere.

G

Iſa. 56. Præterea: Super illo verbo Prophetæ: Canes muti non valentes latrare; dicit Auguſtinus: Baculo, & manu arcendi ſunt lupi. Et ſuper illo verbo Ezechielis. 13. Hæc dicit Dominus de Prophetis inſipientibus: Nõ aſcendiſtis ex aduerſo, nec poſuiſtis vos vt murum pro domo Iſrael, vt ſtaretis in prælio, in die Domini: Dicit Gregorius in Paſtorali 2. par. cap. 4. Quòd ex aduerſo quippe aſcendere, eſt pro defenſione veritatis libera voce huius mundi poteſtatibus cõtraire. Sed hęc omnia (vt videtur) melius poteſt homo facere per Iura, quàm per Theologiam. Magis ergo Collegium tenetur eligere Iuriſtam, quàm Theologũ.

H

Præterea: Quanto oppoſitum alicuius eſt magis periculoſum, tanto illud eſt magis neceſſarium: ſed oppoſitum iuris & iuſtitiæ eſt iniuſtitia, de qua dicit Philoſophus. 5 Ethicorum, & primo Politicorum, ꝙ eſt crudeliſſima, & ſæuiſſima habens arma. quia ſicut homo lege, & iuſtitia perfectus, eſt optimum animalium: ſic ſeparatus à lege, & iuſtitia eſt peſſimum omnium. Cui concordat illud, quod ſcribitur Eccl. 10. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos: Sed Papa debet eſſe optimus inter homines, quantũ ad omnia iſta: Videtur ergo, quòd plus expediat Eccleſiæ Dei, quòd Papa ſit Iuriſta, quàm Theologus. — Ariſt. 1. Polit. 2. ſub finem.

E

Preterea: ſuper illo verbo. Exo. 28. Applica quoque tibi Aaron fratrem tuum, dictum eſt Muyſi; Dicit Greg. quòd qui ad Summum Sacerdotium aſſumuntur tanto ſtudio, & amore debẽt legi, & iuſtitiæ adhęrere, vt germana videantur cognatione coniungi: videtur ergo, quòd Papa magis debeat eſſe Iuriſta, quàm Theologus.

IN CONTRARIVM eſt Hieronymus in quadam Epiſtola, vbi fortiter reprȩhendit Clericos, & Prȩlatos Eccleſiæ, qui potius in manibus portant codices Imperatorum, quàm Euangeliſtarum. Epiſto. 11.

Prȩterea ſcribitur. 36. diſt. cap. Qui, quòd ad ſummum Sacerdotium nõ aſpiret qui diuinis ſtipendijs, & diſciplinis non eſt eruditus.

F

RESOLVTIO.

Theologus bonus magis, quàm Iuriſta bonus in Pontificem eligendus eſt: ex parte Eccleſiæ, Status, Scientiæ, atque Iudicij. Id quod legenti facillimè patere poteſt.

RESPONDEO, Dicendum, quòd Papa, quantum ad præſens ſpectat, quatuor modis cõſiderari poteſt. Primo ex parte Eccleſiæ, cui præficitur. Secundo ex parte ſtatus, in quo conſtituitur. Tertio ex parte ſcientię, qua perficitur. Quarto, ex parte iudicij, quod per ipſum fertur. omnibus autem iſtis modis liquidè poteſt apparere, quòd Collegium magis tenetur eligere bonum Theologum, quàm bonũ Iuriſtam in Summum Pontificem.

G

Primo quidem ex parte Eccleſię; cui præficitur: Nomine namque Eccleſiæ principaliter non intelliguntur muri, oliueta, & bona temporalia: de quibus inſurgunt omni die lites, & diſcordię; ad quarum determinationem valent iura, & leges; ſed magis intelliguntur animæ ipſorum fidelium: ad quarum informationem, vt Chriſto ſponſo Eccleſiæ coniungantur, non eſt neceſſaria, niſi ſacra Theologia. Pro Eccleſia enim, vt nominat murus, caſtra, ciuitates, & alia tẽporalia bona, Chriſtus mortuus non fuit, nec paſſus. Immo omnia talia intantum contempſit, vt diceret volenti ſequi ipſum propter temporale ſubſidium: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet: Sed pro Eccleſia ut nomine Eccleſię intelligũtur animę fidelium, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, & ſanguinem ſuum effudit. Vnde dicit Chryſoſtomus in quadam homilia de Pentecoſte: Magna cura eſt Deo de Eccleſia ſua, non muro circundata, ſed fide circunſepta. Et Apoſtolus. 2. ad Cor. 12. Chriſti veſtigia ſequens dicit: Ego autem libentiſſime impendã, & ſuper impendar ego ipſe pro animabus veſtris. — Luc. 9. — Tom. 3.

H

Secundo hoc patet ex parte ſtatus, in quo Papa cõſtituitur. Nam Papa idem ſonat quod pater patrũ, ita quod debet eſſe medius inter Deum, & alios Paſtores, & Prælatos Eccleſiæ. Nam ſuper illo verbo, quod dictum eſt Muyſi. Exo. 4. Tu eris in his, quę ad Deum pertinent, & Aaron frater tuus loquetur pro te ad populum; dicit Auguſtinus, quòd Summus Pontifex, cuius figuram gerebat Muyſes, medius debet eſſe in- — Papa quid ſonet. — Qõ. ſuper Exodum. q. 10.

ter

ter Deum & Aaron, qui geſſit figuram aliorum prælatorũ. *al. Vade Nam * cum ipſe Moyſes vellet terminare quæſtiones, & iurgia in populo, audiuit à Ietro cognato ſuo. Exodi 18. Stulto labore conſumeris. Eſto tu in populo in his, quæ ad Deum pertinent, & oſtendas populo cęrimonias, & ritum colendi Deum: ad lites vero, & quæſtiones determinandas prouide de omni plebe viros timentes Deum; in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam.

Tertio iſtud patet ex parte ſcientiæ, qua Summus Pontifex perficitur. Sicut enim ipſe Papa præfertur omnibus alijs Prælatis, & Pontificibus: ita ſcientia, qua ipſe perficitur, & qua debet eſſe perfectus, præferenda eſt omnibus alijs ſcientijs; vt ſicut ſciẽtia pręfertur ſcientię; ita profeſſor pręferatur profeſſoribus. Conſtat autem, quòd Sacra Scriptura eſt illa, quæ B præfertur omnibus legibus, & ſcientijs. Ergo Theologus in electione Papæ præferendus eſt omnibus iuriſtis, & aliarum ſcientiarum profeſſoribus.

Quarto hoc patet ex parte iudicij, qđ per ipſum Papam profertur, eſt enim ipſe Papa vniuerſalis iudex totius orbis, & omnium quæſtionum inſurgentium. Conſtat autem, quòd iura ciuilia non corrigunt omnia mala, & multa impunita relinquunt, quæ per diuinam legem, & ſacram Theologiam iudicantur. Tomo 1. Vnde dicit Auguſtinus in 1. lib. cap. 5. de libero arbitrio: Videtur mihi lex iſta, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atque multa impunita relinquere, quæ tamen per diuinam ſcientiam iudicantur. Et 10. diſt. cap. Lege, ſcribitur, quòd legibus Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis controuerſijs vtendum eſt: C præſertim cum inueniantur Euãgelicæ, ac Canonicæ ſanctioni aliquoties obuiare.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd ad lites, & quæſtiones terminandas Papa aſſumere debet 1. Cor. 6. contemptibiles de Eccleſia: puta ſæculares Iudices, ſicut dicit Apoſtolus: non autem ipſe per ſeipſum. Act. 6. Vnde & Apoſtoli ſeptẽ Diaconos elegerũt, qui temporalibus inſiſterent: quatenus ipſi orationi, & miniſterio verbi Dei quietius poſſent inſiſtere. nec bonus Theologus nudus eſt à legibus, quantũ ad illud, quod veritatis, & iuſtitię eſt in eis, aliter leges dicendę nõ ſunt, ſi non ſunt iuſtæ, & veræ: vt dicit Auguſtinus lib. 19. Tomo 5. D de ciuit. Dei. cap. 21. Quia lex (vt mihi videtur) dicenda non eſt, quæ iuſta non eſt. Quicquid enim veritatis, & iuſtitiæ eſt in omnibus ſcientijs, in Sacra Scriptura perfectius inuenitur. Quicquid autem falſum, & noxium eſt, in ea damnatur, ſecundũ Auguſtinum. *al. Vade * Nam ipſa de ſemetipſa loquitur Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernũt.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd latrare contra lupos, ne animas fidelium rapiant: & ſtare ex aduerſo contra volentes inuadere Dominicum gregem, melius eſt per Sacras Scripturas, quàm per leges, & iura facere. Quia finis eius eſt charitas: Iuxta illud Apoſtoli: 1. Timot. 1. Finis præcepti eſt charitas: Quæ, vt ſcribitur in Canti. Canti. 4. Eſt omnis armatura fortium: qua expoliatus Petrus vna mulieris voce percuſſus, dũ mori timuit A vitam negauit. Et qua veſtitus dixit: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Act. 5.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Summus Pontifex debet eſſe perfectus principaliter lege diuina: de qua ſcriptũ eſt: Lex Domini immaculata conuertens animas. Pſal. 18. Legem autem humanam aliquando aſſumere poteſt, non ad intentum principale; ſed ad aliquod adiutorium temporale, & corporale. Vnde dicit Auguſtinus: Et ponitur. 10. diſtinct. cap. Si in adiutorium. Si in adiutorium veſtrum terreni Imperij leges aſſumendas putatis, non reprehendimus. Nam fecit Act. 25. hoc Paulus, cum aduerſus iniurioſos Cæſarem appellauit, Act. 22. & ciuem Romanum ſe eſſe proteſtatus eſt.

Ad quartum eſt dicendum, quòd illud verbum Gregorij de lege diuina intelligitur: Si vero intelligatur B de lege humana, quòd Summus Pontifex lege humana germana cognatione debeat eſſe cõiunctus. Intelligendum eſt ſicut dicit Cyprianus: Et ponitur, 10. diſtinct. cap. Quoniam. Quòd Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo imperialibus legibus vti debent: quatenus ſpiritualis homo negotiis ſęcularibus ſe non implicet.

ARTICVLVS VI.

VTRVM COLLEGIVM debeat eligere in Papam vnum de Collegio.

C

Turrecremata in cap. in nomine Domini. 23. diſt. in 3. quæſt. Hodie per recentiores conſtitutiones Apoſtolicas eligi iubetur Papã de ſolo ipſo Cardinalium Collegio.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd collegium Cardinalium non de ipſo collegio Papã debeat eligere. Quia Sacerdotiũ Chriſti differt à Sacerdotio Leuitico: ſed illud Sacerdotium ad iudicandum ſemper aſſumebatur de Collegio, & familia Leuitica, iuxta illud Deutero. 17. Si difficile, & ambiguũ apud te iudicium perſpexeris, inter ſanguinem, & ſan- D guinẽ; cauſam, & cauſam; leprã, & non leprã: & Iudicum intra portas tuas videris verba variari; venies ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem, qui fuerit illo tempore, & quęres ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem. In ſacerdotio ergo Chriſti Summus Pontifex extra Collegium aſſumendus eſt, vt differat ab illo.

Præterea. Summus Pontifex in magna reuerentia debet haberi ab ipſis Cardinalibus: ſed ſecundum Philoſophum; Nimia familiaritas cõtemptum parit: magis ergo debet eligi in Summum Pontificem extraneus, quàm de collegio, vt in maiori reuerentia ab eis habeatur.

Præterea. Super illo verbo. 1. Cor. 4. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur; dicit

Tomo 1. Auguſtinus in de vera religione, cap. 25. Quia nunc bene videndum eſt,& bene diſcutiendum,quibus de diuinis credendum eſt, vt idoneus, & fidelis inueniatur in eis:ſed aliquando magis idoneus,& magis fide lis inuenitur extra collegium. Ergo talis citius ad Papatum eſt aſſumendus.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur.23. cap.In nomine Domini. Eligatur,inquit, Summus Pontifex de ipſius Eccleſiæ gremio, ſi reperitur idoneus: Hugutio notat.8.quæſt.1.cap.Licet,ꝙ ſi Prælatus eligitur de proprio Collegio,requiritur,ꝙ ſit ſufficiens: Si vero extra Collegium,requiritur,ꝙ ſit melior,vel optimus.

RESOLVTIO.

F *Vnum extra Collegium Cardinalium in Pontifici eligere licet: ſed vnum de Collegio magis expedit quinque rationibus.Id quod hodie per recentiores conſtitutiones Apoſtolicas obſeruatur.*

RESPONDEO, Dicendum, ꝙ ſicut dicit Apoſtolus.1.Cor.6. Multa licent, quæ nõ expediūt. Si ergo quæratur de licere, planum eſt,ꝙ non præcluditur via Cardinalibus ex aliquo ſtatuto,quin poſſint eligere in Papam quemcunque volunt. Sed ſi quæratur de expedire,poſſumus dicere,quòd propter quinque magis expedit Cardinalibus eligere de Collegio, quàm extra Collegium,& potiſſimè,ſuppoſita æquali ſufficientia.

G Primum quidem: quia ſic electus de ipſis Cardinalibus,habet pleniorem cognitionem, quorum conſilio agere debet quicquid agit. Non enim eſt parum Summo Pontifici cognoſcere illos,de quorum conſilio regit totum mundum: cuius zeli, & cuius conditionis ſunt, & qua affectione de negotijs Eccleſiæ loquuntur. quia aliquando ſub pelle ouina latet mens

1.Ioan.3. vulpina. Vnde ipſe Papa ſpecialiter non debet omni ſpiritui credere: ſed iuxta Apoſtolicum documentū probare debet, an ſpiritus ex Deo ſit.

Secundo, quia de ordinatione Eccleſiæ habet plenam informationem. Si igitur aſſumatur de Collegio, de ordinationibus,& conſuetudinibus Eccleſiæ, non eſt nouitius, ſed plenius informatus. Vnde,nec nouas conſuetudines,nec nouas ordinationes inducit,quę poſſint eſſe cauſa admirationis, vel perturbationis audientium, vel videntium: ſecundum enim

H Auguſtinum:Scire quid facias,& neſcire ordinem faciendi non eſt perfectæ cognitionis.quia ordinis ignorantia conturbat meritum formam.

Tertio,quia de poteſtate clauium,quibus Papa Eccleſiæ præeſt, habet magis conſuetum vſum, & magis conſuetam iuriſdictionem. Aſſumptus enim de Collegio plenius nouit conſuetum vſum, & conſuetā iuriſdictionem poteſtatis clauium: extraneus verò quandoque nimis excedit, quandoque nimis reſtringit,& in rebus nouis conſtituendis ſemper eſt periculum,niſi euidens appareat vtilitas.

Quarto,quia de fidelibus, & ſubditis Eccleſiæ habet pleniorem recordationem: quia enim ſurrexit

Exod.1. Rex nouus in Egypto,qui ignorabat Ioſeph,ideo Rex

E ille incępit perſequi filios Iſrael. Timendum eſt ergo, vt ſi non aſſumatur in Summum Pontificem de Collegio,qui plenè poſſit recordari,qui fuerunt fideles,& qui rebelles Eccleſię, ne exaltet deprimendos, & deprimat exaltandos.

Quinto,quia de tanto dominio,ſicut eſt dominiū Summi Pontificis, habet quandam propinquam diſpoſitionem. aſſumpti enim repente de paruo ſtatu ad magnum, ſecundum Philoſophum neſciunt ferre fortunam, & neſciunt vti tanto dominio Cardinales aūt,& ratione ſtatus, & ratione præſentialis exiſtētiæ non habent admirationem de Papatu: & ideo aſſumptus de Collegio melius deberet vti tanta poteſtate. Ariſt.4. polit. xi.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Sacerdotiū Chriſti differt à Sacerdotio Leuitico in vniuerſalitate:quia in eo non eſt acceptus Græcus, neque Latinus:non autē ſic erat in Sacerdotio Leuitico. Ex hoc tamen non arguitur, quin de proprio Collegio Cardinalium magis congruè debeat eligi in Papatū, quàm de alio.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ familiaritas parit contemptum inter ſtultos: ſed inter ſapientes nõ; quia ipſi ſciunt quibus, & quando reuerentia eſt exhibenda. Vel poteſt dici,ꝙ reuerentia, quæ exhibetur extraneo tamquam ſeparato à familiaritate, magis quandoque fit ex ſeruili timore, quàm ex filiali amore. nam ſi plus habet de honoris exhibitione, minus tamen habet de filiali dilectione. Sed reuerentia,quę exhibetur familiariter coniuncto, & ſi minus habet de exteriori reuerentia; plus tamen habet de interioris amoris diligentia.

AD tertium eſt dicendum, quòd argumentum arguit in oppoſitum.eo enim ipſo,ꝙ Cardinales ſe ipſos noſcunt,& de ſeipſis ſunt experti, tam de diuinis, quàm humanis; certius poſſunt de ſeipſis credere, quàm de extraneis: quia experientia facit artem: inexperientia verò caſum, vt ait Philoſophus rectè in Metaphyſica. Metaph.lib. 1.cap.1.

ARTICVLVS VII.

VTRVM COLLEGIVM eligens Papam ſit maioris poteſtatis, quàm Papa.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim,ꝙ Collegium eligens Papam ſit maioris poteſtatis, quàm Papa. quia qui poteſt in maius,poteſt in minus: ſed Collegium poteſt ipſum Papam eligere. Ergo poteſt totum, quod poteſt ipſe Papa,& adhuc plus.

2 Præterea: Quicquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati:ſed Collegium eſt cauſa ipſius Papæ:Ergo eſt cauſa omnium eorum,quę fiunt à Papa. Poteſt ergo Collegium quicquid poteſt Papa,& adhuc plus.

Præ-

3 Præterea: Sic videtur cōparari Collegium ad Papam, ſicut Papa comparatur ad Epiſcopos, & alios Prælatos Eccleſię. quia ſicut Papa poteſt eligere Epiſcopos, & Archiepiſcopos, & eius electio eſt eorum confirmatio, ſic Collegium poteſt eligere Papā, & illa electio eſt eius confirmatio. ſed planum eſt, ꝙ Papa poteſt quidquid Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, etiam in propria diœceſi, & adhuc plus: ergo ſimiliter Collegiū poteſt quidquid poteſt Papa, & adhuc amplius.

Præterea: Nemo dat, quod non habet: ſed Collegium dat electo Papatum, & per conſequens auctoritatem ſequentem Papatum; ideo Collegium eligens habet illam auctoritatem, quam dat Papæ electo, & adhuc maiorem.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſi Collegium eligens haberet maiorem auctoritatem, q̃ Papa electus, non eſſet neceſſarium tunc Papam eligere; conſequens eſt falſum: igitur & antecedens.

RESOLVTIO.

Collegium eligens Papam eſt minoris poteſtatis, quàm Papa, cum Papatus quantum ad officium, & auctoritatem conſideratus ſit immediate à Chriſto: ſi autem Papatus, quatenus huiusve perſonæ determinationem denominat, conſideretur, non eſt niſi eorū auctoritate, qui auctoritate Papæ hunc, vel illū elegerūt.

RESPONDEO, Dicendum, ꝙ poteſtas Collegij differt à poteſtate Papæ, nec eſt eiuſdem ordinis vna cum alia. Papa enim electus poteſt duo nominare: vel officium, & auctoritatē. & iſtud eſt quid formale in Papa: Vel determinationem perſonæ talis, puta, Petri, vel Iacobi. & iſtud eſt in Papa quid materiale. Si ergo conſideretur Papatus quantum ad officium, & auctoritatem; quod eſt quid formale, ſic Papatus non eſt per electionem Collegij, ſed per electionem immediate à Chriſto: quia oēs Papæ, qui fuerunt à principio, & erunt vſque in finem mundi, non ſunt, niſi vnus Papa. quia ex quo habent omnes illud idem officium, & illam eandem auctoritatem, quā habuit beatus Petrus, qui fuit primus; ſequitur, ꝙ omnes formaliter non ſint niſi ſicut Petrus, & ꝙ omnes non ſint niſi primus Papa, qui non fuit electus à puro homine, ſed immediate à Chriſto, à quo recepit auctoritatem Papatus in perſona omnium ſequentium.

Si vero conſideretur in Papatu terminatio perſonæ illius, vel iſtius; quod eſt quid materiale: iſto modo Papatus bene eſt per electionem Cardinalium, & hoc non niſi auctoritate eius. quia poſſunt, Papa mortuo, eligere, & terminare hanc perſonam, vel illam, ita vt fungatur auctoritate Papatus ſuper vniuerſalem Eccleſiam: & hoc non niſi auctoritate Papæ: quia, ꝙ ipſi Cardinales ſint deputati, vt poſſint eligere, & terminare perſonam hanc, vel illam ad Papatum, non niſi auctoritate Papæ hoc faciunt. Planum eſt enim, ꝙ illud Decretum poſitū. 23. diſt. † Vbi agitur de electione Summi Pōtificis: Quòd mortuo Papa, primò Cardinales Epiſcopi: deinde reliqui ſequaces, & vniuerſus Clerus ad electionem Summi Pontificis accedant, Nicolaus Papa edidit. planum eſt ſimiliter, ꝙ Decretalis illa: † vbi taxatur modus eligendi; Quòd à duabus partibus Cardinalium electus, in Summū Pontificem habeatur, ab ipſo Papa eſt edita. vnde tam electio, quàm modus eligendi roboratur in Collegio auctoritate Papæ.

† cap. In nomine Domini. refertur in Pannormi. lib. 3. cap. 1.

† In c. Licet extra de electio. qđ eſt ſumptū ex Conc. Lateranen. ſub Alexan. III. cap. 1.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum: ꝙ illud dictum: Quod poteſt maius, poteſt minus: non eſt vniuerſaliter verum, nec in ſpiritualibus, nec in naturalibus. Planum eſt enim, ꝙ gratia expellit peccatum mortale † quod eſt maius, & non expellit veniale, quod eſt minus: & homo poteſt generare hominem, & non poteſt generare aſinum: & bubalus non poteſt intrare per foramen paruum, & mus poteſt: cum tamen bubalus ſit maior mure. Habet ergo veritatem illud dictum, quando vnum eſſentialiter ordinatur ad aliud. & quia poteſtas Papæ eſt alterius ordinis, q̃ eſt poteſtas Collegij: Ideo non ſequitur, ꝙ ſi Collegium poteſt eligere Papam, ꝙ poſſit quicquid Papa poteſt.

† S. Thom. 1. 2. q. ar. 8.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Collegium non eſt cauſa Papatus, quātum ad officium, & auctoritatem. quod eſt quid formale in Papatu; ſed eſt cauſa determinationis perſonæ per conſenſum † eius. & hoc non niſi auctoritate Papæ. vt ſupra dictum eſt.

† Itē per ſtatutū Eccleſiæ ſtatuētis electum tali modo eſſe papam.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illud, ſicut, non eſt per omnem modum, ſicut argumentum à ſimilitudine quantum in vno congruit, tantum in alio diſcrepat. Papa ergo poteſt eligere Epiſcopum, vel Archiepiſcopum; quia ab eo deriuatur auctoritas, & officiū quantum ad illud, quod iuriſdictionis eſt: ſicut à Petro deriuata fuit auctoritas iuriſdictionis in Apoſtolis: ſed Collegium ſic eligit Papam, ꝙ tamen Papatus non eſt à Collegio, quantum ad auctoritatem, & officium, quod eſt quid formale in Papatu. Iſto enim modo omnis Papa eſt à Chriſto immediatè.

AD quartum eſt dicendum, ꝙ Collegium dat electo Papatum, quantum ad illud, quod eſt materiale: puta quantum ad determinationem perſonę: non autem quantum ad illud, quod eſt formale: vt quantum ad auctoritatem, & dignitatem, ſecundum quem modum Papatus eſt a Chriſto, & non à Collegio.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM, MORTVO PAPA, poteſtas eius remaneat in Collegio.

Vide Aluarum de planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 20.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ mortuo Papa, poteſtas eius remaneat in Collegio. Quia poteſtas Eccleſiæ non moritur: ſed planum eſt, ꝙ moritur iſte Papa, vel ille: Ergo, mortuo Papa, poteſtas eius in Collegio remanet.

Præterea: Papa eſt ſummus in Sacerdotio Chriſti,

quia

quia gerit vicem Chriſti: ſed Sacerdotium Chriſti fuit æternum, & per hoc differt à Sacerdotio Leuitico. Nam dicit Apoſtolus ad Hebr.7. Quòd in Sacerdotio Leuitico plures ſunt facti Sacerdotes, idcirco ꝙ morte prohiberentur permanere. Christus autem eo ꝙ manet in ęternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Mortno ergo Papa, poteſtas eius Sacerdotij remanet in Collegio, aliter non eſſet æterna.

Luc. 21. In Ser. de Pentecoſte. Tom. 3. Pręterea Cryſoſt. ſuper illo verbo: Cœlũ, & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt; dicit, ꝙ verba in æternum manſura ſunt illa, quæ locutus eſt Petro. Matthæi 16. Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: quia ſuper petram, & non ſuper Petrum fundata eſt Eccleſia, quam multi Tyranni voluerunt extinguere: ſed non potuerunt, eo ꝙ ſupra petram fundata eſt: ſed planum eſt, F quòd moritur, vel extinguitur iſte, vel ille Papa. Ergo poteſtas Eccleſiæ in Collegio remanet, aliter non eſſet fundata ſupra petram.

Elicitivè ex Ariſtot. multis in locis. In Contrarivm eſt; Qnia potentia eſt fruſtra ſine actu: ſed mortno Papa, vel vacante Eccleſia, nihil fit de his, quæ ſunt actionis, & iuriſdictionis Papæ: ergo poteſtas eius nõ remanet in Collegio, ipſo mortuo.

RESOLVTIO.

Papę poteſtas, ipſo mortuo, non moritur, ſed remanet quantũ ad radicem: & quantum ad auctoritatis iuriſdictionem: non autem quantum ad actualem administrationem.

G

Respondeo, dicendum, ꝙ duobus modis poteſtas Papæ remanet in Collegio, Papa defuncto. Primo, quantum ad radicem: Comparatur enim Collegium ad Papam, ſicut radix ad arborem, vel ad ramum. Vnde ſuper illo verbo ad Roma. 11. Si radix ſancta, & rami: dicit gloſ. ꝙ per radicem ſanctam intelliguntur Patriarchæ, & Eccleſia fidelium, à quibus arbores, & rami trahunt humorem. Ex quo verbo datur intelligi, quòd ſicut poteſtas rami, vel arboris, quę floret, & fructum producit, remanet in radice, ipſo ramo, vel ipſa arbore destructa: ſic (vt videtur) poteſtas Papalis remanet in Collegio, vel in Eccleſia, ipſo Papa mortuo: In Collegio quidem tamquam in radice propinqua: & in Eccleſia Pręlatorum, & aliorum H fidelium, tanquam in radice remota. Secundo talis poteſtas remanet in Collegio, quantũ ad illud, quod in Papatu eſt materiale. quia Papa mortuo, poteſt Collegium per electionem perſonam determinare ad Papatum, vt ſit talis, vel talis. & ſicut radix producit arborem, mediante qua, floret, & fructum facit; ſic Collegium poteſt Papam eligere, mediante quo, floret, & fructum facit in Eccleſia. Vnde, ſi nomine Papatus intelligimus perſonæ electionem, & determinationẽ (quod eſt quid materiale in Papatu, vt ſuperius dictũ eſt) ſic talis poteſtas remanet in Collegio, Papa mortuo. Si vero nomine poteſtatis Papalis intelligimus eius auctoritatis iuriſdictionem (quod eſt quid formale) ſic talis poteſta nunquam moritur: quia ſemper remanet in Chriſto: qui reſurgens à mortuis iam Rom. 6.

E non moritur. Vnde ſuper illo verbo Matth. vlt. Data eſt mihi oĩs poteſtas in cælo, & in terra: & ecce ego vobiſcũ ſum vſq; ad conſummationẽ ſęculi; Dicit Aug. In de Gen. ad literam lib. 6. c. 8. Tomo 3. ꝙ Apoſtoli, quibus Chriſtus loquebatur, non permanſuri erant vſque ad conſummationẽ ſæculi. ſed eis locutus eſt in perſona omnium ſequentium, tamquam vni corpori Eccleſiæ. Sed ſi nomine poteſtatis Papalis intelligimus actualem adminiſtrationem (quod eſt quid materiale, & formale in Papatu) ſic talis actualis adminiſtratio benè moritur, mortuo Papa. Quia nec remanet in Collegio actualis adminiſtratio poteſtatis Papalis, ipſo mortuo, niſi quantum per ſtatutum prædeceſſoris eſt eis commiſſum: nec remanet iſto modo in Chriſto. quia de cõmuni lege Chriſtus poſt Reſurrectionem non eſt executus talem poteſtatem, niſi mediante Papa. licet enim ipſe ſit oſtium, Petrum tamen, & ſucceſſores eius conſtituit oſtiarios, mediantibus quibus aperitur, & clauditur ianua intrandi ad ipſum.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd poteſtas Eccleſiæ non moritur quantum ad iuriſdictionem, vt eſt in Chriſto: nec quantum ad perſonæ electionem, vel terminationem, vt eſt in Collegio, vel in Eccleſia: ſed bene moritur in iſto Papa, vel in illo, quantum ad actualem adminiſtrationem, quia, mortuo Papa, Eccleſia vacat, & priuatur adminiſtratione talis poteſtatis.

G Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Sacerdotium Leuiticum non fuit ęternum nec quantum ad illud, quod erat materiale: vt quantum ad perſonas; nec quantum ad illud, quod fuit formale: vt quantum ad poteſtatẽ, & legem Sacerdotij. quia tranſlato Sacerdotio, facta eſt tranſlatio legis, vt dicit Apoſtolus. Hebræ. 7. Sed Sacerdotium Chriſti æternum eſt, quantum ad illud, quod formale eſt in *Chriſto. quia ſicut omnes Sacerdotes non ſunt niſi vnus Sacerdos, puta Chriſtus, quantum ad poteſtatem conficiendi; quia omnes conficiunt in perſona eius; ſic omnes Pontifices non ſunt niſi vnus Pontifex. & omnes Papæ non ſunt niſi vnus Papa, puta Chriſtus. quia omnes recipiunt iuriſdictionem, & poteſtatem adminiſtrandi immediatè ab eo. moritur tamen actualis adminiſtratio dictæ poteſtatis, mortuo iſto Papa, vel illo.

* al. ipſo.

H Ad tertium eſt dicẽdum, quòd Chryſoſtomus loquitur de Eccleſia, quantum ad congregationem fidelium, quæ numquam perſecutione Tyrannorum deficit, † vel deficiet. quia ſi non remaneret, niſi vnus fidelis: in eo remaneret Eccleſia.

† Hinc illud: Fluctuat, aſt nũquã deſinet eſſe ratis.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

VTRVM, MORTVO PAPA, Collegium poſsit quicquid poteſt Papa viuens.

Mortuo aliquo, ad quem transferatur eius poteſtas; Vide Hoſtienſem in cap. Ad abolendam extra de hæret.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, quod mortuo Papa Collegium poteſt quicquid poteſt Papa viuens. quia* Eccleſia eſt nomen iuriſdictionis. Sed Eccleſia non perdit iuriſdictionem ſuam per mortem Papæ. Ergo quicquid iuriſdictionis erat in Papa viuente, remanet in Collegio, vel in Eccleſia, ipſo mortuo. [* al. Papat*.] B

2 Præterea: Non minus poteſt Collegiū Cardinalium mortuo Papa, quàm capitulum Canonicorum, mortuo Epiſcopo. ſed capitulum, mortuo Epiſcopo, tenet audientiam, excommunicat, adminiſtrationem ſacramentorum committit, & facit illa: quæ ſunt poteſtatis Epiſcopalis. Ergo multo magis poteſt hoc facere Collegium, mortuo Papa.

3 Præterea: Papa non poteſt ſibi ſucceſſorem eligere. vt notatur, 8. quæſt. 1. per totam quæſtionem. Sed Collegium poteſt Papam eligere. Ergo, ſaltem quantū ad hoc, poteſt aliquid Collegium, quod nō poteſt Papa viuens.

IN CONTRARIVM eſt, quia non plus poſſunt Cardinales ſine Papa, quàm Apoſtoli ſine Chriſto. quia Ioh. 15. Chriſtus dicit Apoſtolis ſuis: Sine me nihil poteſtis facere. ergo Collegium Cardinaliū ſine Papa ſimiliter nihil poteſt. C

RESOLVTIO.

Collegium, mortuo Papa, non poteſt quicquid poteſt Papa viuens, niſi quod ei eſt conceſſum per ſtatutum Papæ, aut prædeceſſorum. Papa enim eſt ſuperior Collegio, ſicut Chriſtus Apoſtolis.

RESPONDEO, dicendum, quod & ſi aliquā in dubiū venit, vel venire poſſet: an Collegiū poſſet, Papa mortuo, diſpenſare in conſtitutionibus eius, vt addere, vel diminuere, ſeu ordinare aliqua: quæ ſpectarent ad iuriſdictionem Papæ, tamen rationabiliter in dubium venire non debet. quia lex ſuperioris per inferiorem tolli non poteſt. Papa autem ſuperior eſt Collegio, ſicut Chriſtus ſuperior Apoſtolis. Vlterius quando ſtatutum ſuperioris ligat inferiorem, inferior mandatum ſuperioris tollere non valet: quia ſicut ſecundum Auguſtinum; [1. de Trin. cap. 1. to. 3.] Nulla res ſeipſam generat, vt ſit: ita nulla res ſeipſam ſoluit, vel ligat. Amplius in mandatis, & ſtatutis ſuperioris quicquid nō eſt inferiori permiſsum, videtur eſſe ei prohibitum, vbi expreſſe datur intelligi, quòd potentiæ ſuperioris ſit reſeruatum. Quicquid ergo per iura condita à Papa; & per ſtatuta facta per ipſum non eſt Collegio D

A conceſſum, vel permiſſum: intelligitur Papæ potentiæ eſſe reſeruatum. Nunc tamen prædictum dubiū eſt expreſſe determinatum extra in conſtitutionibus Clement. † c. Ne Romani electioni Pontificis. [† lib. 1. De elect. & electi poteſtate.] Vbi vacante Sede, nihil Collegio exercendum permittitur, niſi loco Camerarij Eccleſiæ, vel alicuius pœnitentiarij, ſi contingeret, eos, Sede vacante, debitum humanæ naturæ perſoluere, alium, vel alium ſubrogare. Puto ſimiliter, quòd ſi periculum immineret in terris, rebus Eccleſiæ poſſet Collegium remedium ſalubre apponere. Vniuerſaliter tamen dicendum eſt, quod nihil poteſt Collegium, Papa mortuo, niſi quod eſt eis per ſtatutum eius, vel * Prædeceſſoris conceſſum, vel permiſſum. [* al Prædeceſſorum]

Ad Argumenta.

B AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Eccleſia nō perdit ſuā iuriſdictionem, ſed bene perdit ad tempus dictæ iuriſdictionis actualem adminiſtrationem: quia actualis adminiſtratio non fit, niſi per Papam. mortuo ergo Papa, ceſſat illa actualis adminiſtratio vſque ad creationem alterius.

AD ſecundum eſt dicendum, quod capitulum Canonicorum, mortuo Epiſcopo, non poteſt aliquid de iis, quæ ſpectant ad iuriſdictionem Epiſcopi, niſi *quatenus per iura, & ſtatuta ipſius Epiſcopi eſt eis conceſſum. & ſic, nec Collegium poteſt de his, quæ pertinent ad iuriſdictionem Papæ, niſi ſit eis eius auctoritate permiſſum. [* al. quantū]

AD tertium eſt dicendum, quod hoc ipſum, quod tale C Collegium per talem modum eligat Papā, facit eius auctoritate, non ſua propria.

ARTICVLVS X.

VTRVM IN ELECTIONE Papæ debeant præcedere tractatus, & prælocutio.

AD decimum ſic proceditur. Videtur enim, quod tractatus, & prælocutio non debeant præcedere in tali electione: quia potiſſime in electione Papæ omnia pericula ſunt vitanda. ſed aliquādo ex diuturno tractatu, & prælocutione fit inter eligētes per pecuniam promiſſam magna corruptio. In quorum perſona ſcribitur in Pſalmo 13. Corrupti ſunt, & abhominabiles facti ſunt. Quandoque vero in talibus prælocutionibus fit magna fictio, & deceptio. In quorū perſona ſcribitur 2. Petri 2. Fictis verbis de vobis negociabūtur. Quandoque autem fit mala conſpiratio: In quorum perſona ſcribitur Iſa. 30. Væ vobis, qui cogitaſtis, vt faceretis Concilium, ſed non ex me, & orditemini telam, & non per ſpiritum meum. vt igitur omnia iſta pericula vitentur: congruum eſt, vt ſine tractatu, & prælocutione aliqua electio Papæ fiat. D

2 Præterea: De eo, quod oportet neceſſario fieri, nul

3 Ethic. 3. lus conſiliatur, & nullus tractatus debet fieri: nullus enim conſiliatur, vtrum cras orietur ſol. ſed electio Papæ eſt neceſſaria † fienda ab illis, qui habent poteſtatem eligendi. Ergo talem electionem non debet præcedere tractatus, vel aliquod conſilium.

† Et Cardinales cōpelli poſſunt ad eligēdū, c. vbi periculū. de elect. lib. 6.

3 Præterea: ſecundū † Auguſtinum. In dubiis tenēdum eſt certum, & dimittendum eſt incertum. Sed ſcribitur Sapien 9. ꝙ timidæ ſunt cogitationes noſtrę & incertæ prouidentiæ noſtræ. Ergo in noſtro tractatu, & prælocutione non eſt confidendum, ſed totum eſt Deo relinquendum.

†De vera relig. c. 10. & 11.

In Contrarium eſt. quia magis neceſſarium eſt tractatus, & bonum conſilium † in capitis Eccleſię electione, quàm in rerum Eccleſiaſticarum condonatione, ſeu permutatione. ſed ſcribitur 12. q. 2. c. Sine exceptione, cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu fiat, quòd non ſit dubium profuturū Eccleſiæ. & agitur ibi de condonatione, & commutatione rerum Eccleſiaſticarum, quibus non tāquàm proprijs, ſed tamquàm commendatis Pręlatus † vti debet. Ergo multo magis capitis Eccleſiæ electionem tractatus, & maturum conſilium præcedere debet.

† Vide extrauagantē Pii 2. ſcip. in eligendis eccleſiarum Prælatis.

† S Thom. 2. 2. q. 185. art. 6. & 7.

RESOLVTIO.

Papa electionem conſilia pręcedant oportet: cum conſilium ſit eorum, quæ ſunt ardua, varia, nec non in noſtra poteſtate. Quę quidem omnia in Papa electione reperiri, quiſnam inficias ibit?

Respondeo, dicendum, ꝙ electionem Papę debeat præcedere tractatus, & conſilium iura dicunt, & ratio perſuadet Scribitur enim. 23. Diſt. cap. In nomine Domini, ꝙ Romanæ Eccleſiæ Pontifice defuncto, Cardinales ſimul diligentiſſimè * de electione tractantes, mox ad conſenſum nouę electionis accedant. & extra de elect. c. In Geneſi; Scribitur, ꝙ electio nulla eſt, in qua tractatus non præcedit, & collatio facta non fuerit de perſona ad perſonam, de zelo ad zelum, & de numero ad numerum: Ratio vero iſtud perſuadet. nam ſecundum Philoſophum 3. Ethicorum: Conſilium eſt fiendum, & tractatus de his, quæ potiſſime habent tres conditiones.

* al. ita: Diligentiſſima dilectione.

Eth. 3. c. 3.

Primo: Arduitatem. quia, quæ ſunt leuia, & parui ponderis non debent cadere ſub conſilio, ſed quæ ſunt ardua, & magna, & quæ poſſunt in magnum nocumentum, vel in magnum profectum redundare.

Secundo: Varietatem, quia, quæ ſunt vniformia, & neceſſaria non cadunt ſub conſilio: nemo enim de conuerſionibus aſtrorū conſiliatur, quæ vniformiter ſemper mouentur. ſed cōſilium, & tractatus propriè ſunt de actibus humanis, qui ſunt multipliciter variabiles.

Tertio: noſtræ actionis poteſtatem. quia, quæ non ſunt in poteſtate noſtra agere, vel non agere, non cadunt ſub conſilio. Vnde dicit Philoſophus, ꝙ nullus Lacedæmoniorum conſiliatur qualiter Scythę optimè conuerſentur. nec nos Latini conſiliamur, qualiter viuant Barbari. quia eorum negotia non ſunt in poteſtate noſtra. Cum ergo electio Papæ habeat arduitatem, varietatem, & ipſorum Cardinalium actio-

Ethic. 3. c. 3.

E nis poteſtatem; congruum eſt, ꝙ talem electionē pręcedat tractatus, & matura prælocutio.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ de illis, quę Deus poſuit in poteſtate noſtra, debemus facere totum, quod in nobis eſt. Quem finē autem debeant ſortiri opera noſtra, Deo debemus relinquere: qui ex malis noſtris poteſt bona elicere, & diligentibus eum eorum mala ipſe cooperatur eis in bonum: quia ergo electionem Papæ Deus poſuit in poteſtate hominū, Iuxta illud Sapientiæ. 6. Data eſt nobis à Domino hæc poteſtas, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogat opera noſtra; Ideo in ipſa debet præcedere tractatus, & conſilium ſicut in omnibus negotijs: quæ in poteſtate hominum poſita ſunt: neceſſaria eſt tamen ante F omnia ſpiritus Sancti inuocatio, qui remoueat ab ipſis eligentibus in eorum tractatu, & prælocutione, corruptionem, fictionem, & malam conſpirationem.

Rom. 8 ſed vide declarationē Aegidii noſtri Romani 2. ſent. par. 2. pag. 541. & ibidē in margine gloſſā: & intelligitur indirectè.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ non fit tractatus, vel conſilium de electione fienda, ſed de modo eligendi, quia multipliciter poteſt fieri electio: vel per inſpirationem, vel per compromiſſum, ſicut patet extra de elect. c. Quia propter diuerſos Similiter de perſona, quæ debet eligi comparando zelum ad zelū, vel perſonam ad perſonam, vel numerum ad numerum, ſicut ſupradictum eſt.

Ad tertium eſt dicēdum, quòd de eo, quod eſt certum in electione, non debet præcedere tractatus, ſed de eo, quod eſt incertum, puta quem finē debeat ſortiri dicta electio, non eſt tractandum, ſed Deo relinG quendum.

ARTICVLVS XI.

VTRVM SIT MAGIS ſecurum in electione diu cogitare, quàm celeriter eligere.

Ad vndecimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ magis ſit ſecurum diu cogitare in tali electione, quā celeriter, & feſtinanter eligere. Quia eligentes debent velle in tali electione, quod Deus vult. Sed H Deus vult aliquando ſuam Eccleſiam eſſe ſine Rege, & ſine Principe, iuxta illud Oſeę. 3. Diebus multis expectabitis me, quia per dies multos ſedebitis ſine Rege, & ſine Principe.

2 Præterea: In his, quæ habent litem, & diſcordiā annexam, expectanda eſt ſemper terminatio diuinæ ſententiæ, ſicut patet Danielis. 10. de Michaele Archangelo volente liberationem Iudæorum: qui tandiu pugnauit cum Principe Regni Perſarum, eorum liberationem impediente, quandiu ſuper hoc terminatio Diuinæ ſententiæ eſt recepta. ſed vt plurimum electio Papæ habet litem, & diſcordiam annexā. quia (vt ſupra dicebatur) bono zelo vnus alteri in tali electione poteſt contradicere. Ergo in hoc ſemper

ſemper expectanda eſt terminatio diuinæ ſententię.

3 Pręterea: Scribitur Iob. 12. ꝙ in antiquis eſt ſapientia,& in multo tẽpore prudẽtia. Et philoſophus dicit, quòd ſemper noſtrum intelligere eſt cum continuo, & tempore. ſed in prædicta electione maxime eſt neceſſaria prudentia, & ſapientia. Ergo potiſſime requirit diuturnitatem temporis.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur Iob 12. Adducit Deus conſiliarios in ſtultum finem, & Iudices in ſtuporem. quod tunc fit (vt not. gloſſa dicit) quando homines de eorum prudentia, & ſagacitate confidentes diu conſiliantur, & tamen eorũ fine,& intentione fruſtrantur.

Resolutio.

Actus moralis cum ex fine ſortiatur ſpeciem bonitatis, & prauitatis; hinc moram, aut feſtinationem in electione Papæ, bonam, aut malam non niſi ex intentione dicas.

Respondeo, dicendum, quòd, per ſe loquẽdo, mora temporis non facit actum aliquẽ eſſe vitioſum, vel virtuoſum: ſed conſenſus, vel ordinatio voluntatis in bonum finem, vel in malum. quia actus moralis ex fine ſortitur ſpeciem bonitatis, vel malitiæ. ſi ergo eligentes protrahunt moram in electione hac intentione, vt de perſona magis idonea † prouideatur, vel vt diſcordia apparens inter eos ad vnitatẽ reducatur; vel vt diuinum adiutorium ſuper hoc per multiplicationem orationum fidelium recipiatur, talis diuturnitas temporis propter conſenſum in bonum finem eſt bona, & virtuoſa. Si vero protrahant moram in prædicta electione hac intentione, vt vnus per alterum decipiatur, vel vt mors alicuius expectetur, vel vt per arctitudinem loci citius finem ſuũ conſequatur, talis mora propter cõſenſum in malum finem eſt mala, & vitioſa. Tutius tamen eſt (vt puto) & magis ſecurum, præcedente conuenienti tractatu,

† Vide Cõcil. Trident. ſeſſ. 24. de reformat. cap. 18.

A celeriter talem electionem facere, quàm longo tempore protrahere, quia & hoc citius periculo Eccleſiæ ſubuenitur, & pręſumptio humanæ confidentiæ vitatur. Nam ſuper illo verbo Apoſtoli: Tentatio vos non apprehendat, niſi humana; dicit Auguſtinus, ꝙ tentatio ibi accipitur pro dubitatione, vt tentatio, & dubitatio nos apprehendat de homine, ſed non de Deo. quia ſicut dubitare de homine,& non confidere de ipſo, ſaluberrimũ eſt; ita dubitare de Deo perniciosum eſt, & ideo ad diuinum adiutorium in tanto negocio ſecurius acceditur. Scribitur 2. Paralipo. 20. In perſona illius ſancti Ioſaphat: Cũ ignoramus, quid agere debeamus, hoc ſolum eſt nobis reſidui, vt B oculos noſtros dirigamus ad Deum.

1. Cor. 10.

Q. 99. Vet. & no. teſt. to. 4.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ cooperatores Dei ſumus, & ideo non eſt ſemper expectanda vocaliter terminatio diuinæ ſententiæ, ſed illum eligit Deus: quem eligit charitas Eccleſiæ, & communis conſenſus eligentiũ, ſicut dicit † Augu. ad Heb. 5.

† Hæc verba incluſa deſunt ĩ vetuſtiſſimo quodã codice Vaticano manuſcripto.

Ad ſecundum eſt dicẽdum, ꝙ tunc recipitur terminatio diuinæ ſententiæ, quando diſcordes ad concordiam reducuntur. quia ille, qui facit concordiam in ſublimibus, & in Angelis, ille idem facit concor- C diam in hominibus. Verum aliquando Deus ſuam ſententiam immediate profert: aliquando vero mediantibus creaturis. Nihil enim terminatur in nobis, ſecũdum Auguſtinum, niſi quod de aula ſummi Imperatoris aut iubetur, aut permittitur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ prudentia † eſt recta ratio rerum agibilium. Agibilia autem homo rectè agere non poteſt, niſi præfigendo ſibi bonum finem. quia ſecundum Philoſophũ: † Impoſſibile eſt nõ entem bonum, eſſe prudentem. Sicut ergo in tali electione celeriter poteſt homo ſibi præfigere bonũ finem: ita abſque longa temporis mora poteſt habere prudentiam ad talem electionem neceſſariam.

† S. Thom. 2.2 qō. 47. ar. 2. Et Ariſtot. lib. 6. Ethic. c. 5.

† Ethic. 6. c. 12.& 13.

QVAESTIO QVARTA DE PAPAE RENVNCIATIONE.

Super tota hac quæſtione obſeruandum eſt, iure cautum eſſe, vt Papa poſſit liberè renunciare Papati, cap. 1. de renunc. lib. 6. Vide Ludouicum Gomeſium in Regula Cancellariæ de infirmis reſignantibus quæſt. 1.

Restat nunc conſiderare de Papa renunciatione. Circa quod quæruntur octo.

Primo, Vtrum Papa poſſet renunciare, ſi in Papatu imprimeretur character.

Secundo, Vtrum Papa poſſet renunciare, ſi Papatus eſſet nomen ordinis, & non iuriſdictionis.

Tertio, Vtrum, quia Papatus eſt à ſolo Deo, Papa poſſit ex ſe renunciare.

D *Quarto, Vtrum Papa poſſit renunciare propter votũ emiſſum de cura Eccleſia habenda.*

Quinto, Vtrum Papa poſt eius legitimam confirmationem, & adminiſtrationem renunciare poſſit.

Sexto, Vtrum, quia Sacerdotium Papa eſt æternum, poſſit renunciare.

Septimo, Vtrum poſſit probari per rationes, ꝙ Papa renunciare poteſt.

Octauo, Vtrum iſtud poſſit probari per auctoritates.

ARTICVLVS I.

VTRVM IN PAPATV imprimatur character.

In quibus ordinibus imprimatur character vide S. Thomam in quæſtionibus additis ad 3.partem.q.35.art.2. Et Canoniſtas in cap. Cleros 21. diſt. Et Summiſtas Tit. Ordo.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in Papatu imprimatur character. Quia character imprimitur in quolibet ordine. Sed dicitur. 4. Sententiarum diſtin. 24. Ordo Epiſcoporũ quadripartitus eſt,& in quarto ordine ſupremum gradum tenet Romanus Pontifex. Ergo videtur,quòd in Papatu character imprimatur.

Præterea: Poteſtas clauium videtur eſſe poteſtas characteris.ſed talis poteſtas collata fuit Petro. Matt. 16. inquantum erat futurus Papa, & ſucceſſor Chriſti. Ergo in Papatu caracter imprimitur.

Præterea: Dicitur.4. ſententiarum Diſt. ſupra dicta: Ordo, vt in eo imprimitur caracter, eſt ſignaculum quoddam, in quo poteſtas ſpiritualis traditur ordinato; ſed talis poteſtas traditur Papæ;cum ipſe poteſtatem recipiat ſuper totam Eccleſiam.Ergo videtur,ꝙ in Papatu character imprimatur.

IN CONTRARIVM eſt. Quia character non confertur in ordine, niſi inquantum eſt ſacramentum, ſed ſeptem ſunt ordines,& ſeptimum gradum tenet ordo presbyteratus.ergo nec in Epiſcopatu,nec in Papatu character imprimitur.

RESOLVTIO.

Character in Papatu non imprimitur, cum Papa Papatui renunciare poſſit. Adde etiam,quòd quis in Papam eligi poteſt, non factus Epiſcopus, nec Sacerdos. Epiſcopus non item. Sacerdos autem fieri poteſt Diaconus non factus. In quolibet enim ordine imprimitur character diſtinctus.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſi in Papatu imprimeretur character,vel perfectio characteris, duo inconuenientia ſequerentur.

† Poteſt aũt Papa renũciare papatui c. 1. De renũc. li 6.

H Primum,ꝙ Papa non poſſet renunciare Papatui.† Secundum eſt,quòd nõ poſſet aliquis eligi in Papam niſi eſſet Sacerdos, vel Epiſcopus, quod vtrumque eſt falſum.

Nam cũ character ſit poteſtas ſpiritualis data homini à Chriſto ſupra corpus eius verum: (quia omnes ordines ad Sacramentum Euchariſtiæ ordinantur,in quo corpus Chriſti verum continetur) nõ poteſt talis poteſtas ab homine auferri,poſtquã ſibi imprimitur. Vnde ponunt Doctores, quòd remanet in anima ſeparata: ſi ergo in Papatu imprimeretur talis poteſtas characteris, vt Papa, vel perfectio characteris; non poſſet Papa renunciare,nec poſſet cedere tali poteſtati: quia Sacerdos non poteſt renunciare, quòd non ſit Sacerdos, recepto charactere Sacerdotali. nec

E Epiſcopus poteſt renunciare, ꝙ non ſit Epiſcopus, recepta perfectione characteris, per quam poteſt fideles ordinare ad conficiendum corpus Chriſti verũ. Similiter ergo Papa non poſſet renũciare Papatui,recepto charactere Papali. Eſt enim hoc infallibiliter verum, ꝙ omnia illa,quæ pertinent ad poteſtatem ordinis,vel ad ordinis perfectionem,nõ poſſunt tolli, nec auferri quocumque modo,vel per ceſſionem, vel per depoſitionem. Sed illa, quæ pertinent ad poteſtatem iuriſdictionis,poſſunt tolli,& auferri. Propter quod, ſi in Papatu imprimeretur aliqua poteſtas ordinis alia à ſeptem ordinibus, vel aliqua perfectio ordinis alia ab illa, quæ imprimitur in Epiſcopatu, non poſſet talis poteſtas à Papa tolli, nec per eius ceſſionem, nec per aliquam depoſitionem.

F Secundum inconueniens ſequeretur, ꝙ nõ poſſet aliquis eligi in Papam,niſi eſſet Sacerdos, vel Epiſcopus. Tota enim cauſa,quare non poteſt aliquis fieri Epũs,niſi ſit Sacerdos,eſt,quia in Epiſcopatu nõ imprimitur alius character ab ordine Presbyterij. Vnde notatur 52.Diſt. c.Solicitudo,ꝙ ſi in Epiſcopatu imprimeretur character alius à 7.ordinibus,poſſet quis fieri Epiſcopus per ſaltum;quia poſſet fieri Epũs non factus Sacerdos, ſicut põt fieri Presbyter non factus Diaconus: quia in quolibet ordine imprimitur diſtinctus character,quod tñ non eſt: quia (vt ibi dicitur) non põt fieri Epiſcopus, qui non habet characterem Sacerdotalem. Nam ſicut oẽs characteres,qui imprimũtur in ordinibus, & in Sacramento cõfirmationis præſupponunt characterem baptiſmalẽ:ita perfectio

Epiſcopus non põt fieri niſi ſacerdos.

Presbyter põt fieri nõ factus Diaconus.

G characteris,quæ imprimitur in Epiſcopatu, præſupponit characterem Sacerdotalem. Si ergo in Papatu imprimeretur character, aut eſſet diſtinctus à charactere 7.ordinum. & ſic ordo presbyterij non teneret ſeptimum ordinem (vt ſupradictũ eſt)aut eſſet perfectio characteris Sacerdotalis,vel Epiſcopalis,& ſic nõ poſſet fieri aliquis Papa,niſi eſſet Epiſcopus,vel Sacerdos,quod eſt falſum;quia põt eligi aliquis in Papam, qui non ſit nec Epiſcopus,nec Sacerdos, & erit verus Papa,quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, licet nõ quantum ad † omnem poteſtatem ordinis.

Papa fieri põt etiamſi non ſit Epiſcopus, nec ſacerdos.

† Videtur,ꝙ dictio, omnẽ, ſit ſuperflua, & in aliquot manuſcriptis etiã deeſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Epiſcopatus eſt ordo,& non eſt ordo. Nam ſi loquamur de poteſtate ordinũ quantum ad diſtinctionẽ,ſic non eſt alia poteſtas in Presbytero,q̃ in Epiſcopo;cum in Sacramento ordinis ordo presbyterij teneat ſeptimum gradũ.Idem enim character,& eadẽ poteſtas ſpiritualis,quæ eſt in Presbytero,eſt & in Epiſcopo:ſed vt eſt in presbytero eſt modo imperfecto, & modo paruo: vt vero eſt in Epõ eſt modo pfecto,& modo magno: quia per illam poteſt ſibi ſimilem generare, vt alios Sacerdotes,& alios Epõs ordinare,& conſecrare; qđ non poteſt ſimplex presbyter. Vnde ſicut eadẽ poteſtas generatiua eſt in puero, & in eo * facto viro: ſic eadem poteſtas eſt in presbytero, & ipſo facto iam * Epiſcopo: ſed bene eſt ordo, quantum ad ipſius poteſtatis perfectionem, quia cũ alia perfectione eſt dicta poteſtas in Epiſcopo, q̃ in presbytero, ſed ſupra ordinẽ Epiſcopatus non imprimitur aliqua poteſtas ordinis;

*al. Viro pfecto.

* al.& ĩ Epiſcopo.

ordinis; quæ ſit alia in diſtinctione ab illa, quæ imprimitur in ſeptem ordinibus: neque ſit alia in perfectione ab illa, quæ imprimitur in Epiſcopatu.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ poteſtas clauium eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi, & poteſtas diſcernendi. quę cum reſpiciat corpus Chriſti myſticum, importat poteſtatem iuriſdictionis. Vnde ideo ſingulariter fuit data Petro, quia ab eo deriuanda erat in omnes alios. ſed poteſtas ordinis immediatè fuit data à Chriſto omnibus Apoſtolis. Ideo non poteſt per hominem auferri, nec tolli. poteſtas autem iuriſdictionis tolli poteſt, aut per voluntariam ceſſionē, aut per depoſitionem.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ poteſtas Papæ diſtincta eſt ab omnibus. quia ſolus ipſe aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis totius Eccleſiæ: non tamē (B) talis diſtinctio dicit alterius poteſtatis ordinis perfectionem, vel diſtinctionem aliam ab illa: quæ imprimitur in ſeptem ordinibus, & in Epiſcopatu. quia nihil poteſt Papa in poteſtate ordinis, niſi quantum poteſt Presbyter, vel ſimplex Epiſcopus. Dicit ergo talis diſtinctio poteſtatis aliam iuriſdictionem ſolum.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSET renunciare Papatui; ſi Papatus eſſet nomen ordinis, & non iuriſdictionis.

Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 2. cap. 18. (C)

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit renūciare, non obſtante, ꝙ Papatus (vt videtur) eſt nomen ordinis, & nō iuriſdictionis. Quod probatur. quia ſi Papatus eſſet nomen iuriſdictionis ſolum, tunc Laicus poſſet eligi in Papā, cuius contrarium dicitur. 59. diſt. cap. Hoc ad nos. vbi habetur, ꝙ cuiuslibet meriti ſit Laicus, ad ſummum Sacerdotium non aſpiret.

Præterea: Epiſcopatus eſt nomen ordinis, vt ſupradictum eſt, ſed Papa ſcribit ſe Epiſcopum ſeruum ſeruorum Dei. Ergo Papatus nomen ordinis eſt, & (D) non iuriſdictionis tantum.

Præterea: Summus Sacerdos præſupponit minorem, ſicut ſuperlatiuus præſupponit poſitiuum, & comparatiuum: ſed Papa eſt ſummus Sacerdos. Ergo Papatus eſt nomen ordinis, & non iuriſdictionis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Sacerdos non poteſt deſinere eſſe Sacerdos, nec Epiſcopus pōt deſinere, ꝙ non ſit Epiſcopus: ſed Papa poteſt deſinere, ꝙ non ſit Papa, per renunciationem, † vel per depoſitionem, ſi comprehenderetur in hæreſi. Ergo eſt nomen iuriſdictionis, & non ordinis.

† Poteſt. n. Papatui renunciare c. 1. de renūc. lib. 6.

RESOLVTIO.

Papa, vt Papa, ſuper corpus Chriſti verum poteſtatem non habet. Poteſtate ordinis carere poteſt: Papatui renunciare valet: Aequalis denique, aut ei adſimilis in Papatu non datur. Hinc Papatum Iuriſdictionis nomen, non ordinis eſſe affirmamus. (A)

RESPONDEO, dicendum, quòd inter poteſtatē ordinis, & poteſtatem iuriſdictionis, quātum ad p̄ſens, quatuor differentias poſſumus aſſignare.

Prima: quia poteſtas ordinis eſt incorruptibilis, & immutabilis: Poteſtas vero iuriſdictionis eſt mobilis, & tranſitoria: Nam poteſtas ordinis, vel dicit characteris impreſſionem, vel characteris perfectionē. ſed tam characteris impreſſio, quàm characteris perfectio indelebiliter ineſt animę: cui imprimitur, & remanet in anima ſeparata, non quantū ad hūc vſum, (B) qui eſt corpus Chriſti conficere: * qui eſt vſus characteris Sacerdotalis. nec quantum ad hunc vſum: qui eſt Sacerdotes ordinare: * qui eſt vſus perfectionis characteris Epiſcopalis: Sed quantum ad hūc vſum, qui eſt decor, & gloria, quantum ad ſaluatos: vel vituperium, & confuſio, quantū ad damnatos. non enim poſſet poteſtas ordinis auferri, vel tolli ab ipſo ordinato ſine iniuria Sacramenti. Vnde ſi degradetur † Sacerdos, vel deponatur Epiſcopus, adhuc ſi Sacerdos conficit corpus Chriſti, confectum eſt: & ſi Epiſcopus ordinat Sacerdotes, reordinādi non ſunt. Sed poteſtas iuriſdictionis mobilis eſt, & tranſitoria. quia poteſt auferri ab homine, vel ſui arbitrij libertate, cū poſſit homo renunciare ſuo iuri abſque iniuria alicuius. ſicut enim nulli facit iniuriam, qui vtitur iure (C) proprio: ita nulli facit iniuriam, qui renunciat, & cedit ſuæ iuriſdictioni, vel ſuperioris poteſtate: vt ſi forte faciat contra legem à ſuperiore datam, ex cuius tranſgreſſione debeat tali iuriſdictione priuari.

* al. quod

* al. quod

† S Thom. 3. par. qō. 82. art. 7. & 8.

Secunda differentia eſt, quia poteſtas ordinis per ſe reſpicit corpus Chriſti verum, quia ipſum corpus Chriſti conficere poteſt, quantum ad poteſtatem Sacerdotalem, vel fideles ordinare, vt corpus Chriſti poſſint conficere, quantum ad poteſtatem Epiſcopalem. Sed poteſtas iuriſdictionis magis reſpicit corpus Chriſti myſticum; quia exequi poteſtatem ordinis in ipſos fideles à peccatis ligando vel ſoluendo cōuenit alicui per poteſtatem iuriſdictionis.

Tertia differentia eſt. Quia poteſtas ordinis non recipit magis, & minus. nam poteſtate ordinis, vt dicit characteris impreſſionē, omnes Sacerdotes ſunt (D) æquales in Sacerdotio; & omnes Diaconi ſunt æquales in Diaconatu: & ſic de alijs. Similiter de poteſtate ordinis, vt dicit characteris perfectionem, omnes Epiſcopi ſunt æquales in Epiſcopatu. Sed poteſtas iuriſdictionis recipit magis, & minus: quia in tali poteſtate vnus Sacerdos poſſet eſſe maior alio: & vnus Epiſcopus maior alio Epiſcopo. & ſupremus in ordine Epiſcoporum eſt ipſe Papa: qui indefinitā iuriſdictionem habens, omnibus habet talem poteſtatem iuriſdictionis diffinitè taxare, & determinare.

Quarta differentia eſt. quia vna iſtarum poteſtatū poteſt cōferri ſine alia. Nam ſi Epiſcopus ordinat aliquos Religioſos in Sacerdotes, dat eis oēm poteſtatē ordinis: non tamen confert eis poteſtatem iuriſdictionis, cum de iure communi non conueniat eis cu-

ra animarum. Similiter ſi Papa confert præbendam E aliquam alicui, dat ei poteſtatem iuriſdictionis; non tamen confert ei poteſtatem ordinis: quia, ſi forte eſt puer, diſpenſat cum eo ſuper defectum ſcientiæ, & ætatis. Ex iſtis ergo quatuor differentiis patet, ꝙ Papatus eſt nomen iuriſdictionis, & non ordinis.

Primo, quia poteſt cedere Papatui, vt nõ ſit Papa: ſed non poteſt cedere, ꝙ non ſit Sacerdos, vel Epiſcopus, quæ ſunt nomina poteſtatis ordinis.

Secundo, quia in Papatu nullus eſt ſimilis, vel æqualis ſibi: ſed in poteſtate Epiſcopali, vel Sacerdotali omnes Epiſcopi, & Sacerdotes ſunt ſibi æquales.

Tertio, quia Papa, vt Papa non habet poteſtatem ſuper corpus Chriſti verum. Nam ſi Papa non eſſet Sacerdos non poſſet Chriſti corpus conficere, nec poſſet fideles in Sacerdotes ordinare, vt dominicum F corpus conficerent, ſi non eſſet Epiſcopus; quantumcumque eſſet verus, & legitimus Papa.

Quarto, quia poſſet habere omnem poteſtatem pertinentem ad Papam, & tamen carere poteſtate ordinis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Laicus ſine literatura, quantumcumque polleret ſanctitate vitæ, non debet aſpirare ad ſummum Sacerdotiũ, quia electio non caderet ſuper materia congrua: Si tamen litteratus eſſet, & alia conditio non obſtaret; puto quòd ſuppoſito, ꝙ eſſet Laicus, & non eſſet conſtitutus in ſacris, electus in Papam eſſet verus Papa; G & haberet omnem poteſtatem iuriſdictionis Papalis, cum etiam de alijs dignitatibus ſcribatur extra de ætate, & qualit. præſi. † ꝙ in minoribus ordinibus conſtituti poſſunt aſſumi ad Prælationẽ, dummodo tales ſint ꝙ infra breue tempus poſſint in Presbyteros, vel Epiſcopos ordinari.

† c. A multis. lib. 1 Decretalium tit. 14.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Papa vocat ſeipſum Epiſcopum ſeruum ſeruorum Dei, quia ſi nõ eſt Epiſcopus, quando in Papã eligitur, vel presbyter, debet in presbyterum ordinari, & in Epiſcopum conſecrari per Oſtienſem: & ex hoc magis conuincitur, quòd Papa magis ſit nomen iuriſdictionis, quàm ordinis: quia ipſo Papa exiſtente Papa ſimplex Epiſcopus eſt maior eo poteſtate ordinis: quia ſecundum Apoſtolum ad Hebr. Abſque vlla cõtradictione, ſemper quod minus eſt à maiori benedicitur. Eo ipſo H ergo ꝙ Papa exiſtens Papa conſecratur, & benedicitur ab Oſtienſi: † ſequitur ꝙ ſimplex Epiſcopus ſit maior eo poteſtate ordinis.

Papa cur ſeruus ſeruorum Dei dicatur.

Epiſcopat° quo maior Papatu. Hebr. 7.

† Vide Bartholomæũ Caſſaneum in catalogo gloriæ mũdi par. 4 cõſideratione. 8.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ eſſe Papam, & eſſe ſummum Sacerdotem, duo poteſt importare: vel ipſius poteſtatis ordinis impreſſionẽ, & ſic omnes Epiſcopi ſunt ſummi Sacerdotes. quia poteſtatem Sacerdotalem habent perfectam, & in ſupremo gradu, in quo poteſt haberi: & quantum ad hoc, dato, ꝙ Papa ſit Epiſcopus, nõ eſt magis ſummus Sacerdos, quàm vnus alius Epiſcopus. Vel poteſt dicere dictæ poteſtatis executionem: & ſic ſolus Papa eſt ſummus Sacerdos: quia ſolus ipſe poteſt ipſam exequi, & executioni mandare indefinitè, & vniuerſaliter.

ARTICVLVS III.

VTRVM, QVIA PAPATVS eſt à ſolo Deo; Papa poſſit ex ſe renunciare.

Vide cap. 1. & ibi Doct. de Renunc. lib. 6. Et omnes Summiſtas Tit. Votum. Vide Aegidium Columniũ Romanum tractantem diffuſiſſimè, & diſcutientem hanc materiam in Tractatu de Renunciatione Papæ.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ, ex quo Papatus eſt à ſolo Deo, non poſſit Papa renunciare. quia, quod eſt à ſolo Deo non poteſt tolli per aliquem, qui non ſit Deus: ſed Papatus eſt à ſolo Deo, ergo per nullum poteſt tolli, qui non eſt Deus.

Præterea: Qui non dat poteſtatem aliquam, nõ poteſt illam auferre: ſed nullus homo poteſt dare Papatum. Ergo nullus homo poteſt auferre. Ex ſeipſo ergo Papa non poteſt renunciare.

Præterea: Nulla virtus increata, & ſuperior poteſt tolli per virtutem creatam inferiorem: ſed Papatus eſt virtus increata, & ſuperior omni alia. Ergo per nullam virtutem inferiorem poteſt tolli.

IN CONTRARIVM eſt, quia anima rationalis à ſolo Deo corpori infunditur, & tamen opere humano à corpore poteſt tolli, & ſeparari.

Præteres: Papatus poteſt eſſe in hac perſona, vel in illa per conſenſum eligentium, & ipſius electi: Ergo per eius diſſenſum poteſt ab iſta perſona, vel ab illa ſeparari Papatus: quia per illa, per quæ res cõſtruitur, per alia contrario modo facta deſtruitur, & corrumpitur.

RESOLVTIO.

Papatus quamuis à Deo ſit effectiuè, ſubiectiuè, formaliter, necnon gubernatiuè; tamen à Deo cum ſit in hoc, vel illo homine, conſenſu hominis cooperante; eiuſdem diſſenſu, & volitione cooperante ab eodem tolli poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ quæſtio præſupponit Papatum eſſe a Deo. & quærit, an per hoc Papa ex ſeipſo poſſit renunciare: rationabiliter autem præſupponitur, Papatum eſſe à Deo. Nam quatuor modis poſſumus dicere, quantum ad præſens, ſingulariter Papatum eſſe à Deo.

Primo quidem cauſaliter, & effectiuè. quãuis enim omnis poteſtas vniuerſaliter ſit à Deo: vt dicitur ad Roma. 13. ſingulariter tamen Papalem poteſtatem Deus Petro tribuit. Vnde ſuper illo verbo Matt. 16. Tibi dabo claues Regni Cœlorum; Dicit Chryſoſt. Filius, quæ patris eſt, & ipſius filij, poteſtatẽ Petro vbique terrarum conceſſit: Et homini mortali omniũ, quæ in cœlo ſunt, dedit auctoritatem Dei, vt per poteſtatem clauium vbique terrarum Eccleſiam amplificaret.

Homil. 55. in Matth.

† Videtur legendū ita: Quia etsi & c. vij quodam manuſcripto Vaticano. Secundo: Materialiter,& ſubiectiue. quia † ſi omnis poteſtas innititur poteſtati Diuinæ tamquam fundamento: ſingulariter tamen poteſtas Papalis fundata eſt ſuper Chriſtum. Iuxta illud Apoſtoli: *Fundamentum nemo ponat præter illud,quod poſitum eſt,quod eſt Chriſtus Ieſus. Et Chryſoſto. dicit ſuper Matth. * Ideo Chriſtus dixit: Non ſuper Petrum, ſed ſuper petram fundatam eſſe Eccleſiam, quia non ſuper homines; ſed ſuper fidem Chriſti poteſtatem Eccleſiæ fundauit. A

* 1.Cor.3.

* Tomo.1. ſer.de Pentecoſte.

Tertio: Formaliter, & quidditatiuè. Nam & ſi omnis poteſtas formaliter conſiſtit in quodam ordine Superioris ad inferiorem; (vnde,cum dixiſſet Apoſtolus omnē poteſtatem eſſe à Deo; ſtatim ſubdit: Quæ autem à Deo ſunt,ordinata ſunt) ſingulariter tamen poteſtas Eccleſiæ ſic eſt à Deo ordinata: vt de ea dicatur Cit.4. Eſt terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.

Rom. 13.

Quarto: Finaliter,& gubernatiuè. dicit enim Aug. ſuper illo verbo. 1. Corinth. 9. Nunquid Deo cura eſt de bobus. Quòd prouidentia † quidem generali Deus habet curam de bobus, & de omnibus creaturis: Cum dicat Propheta: Ipſe det iumentis eſcam ipſorum,& pullis coruorum. &c. Sed quandam ſingularem curam habet de ſua Eccleſia, quam ad creaturas irrationales non extendit.

In Pſalm. 145. to8.

† S. Thom. par.1.q 22. art. 2.

Pſal. 146.

Iſtis tamen non obſtantibus, quibus oſtenſum eſt, Papatum eſſe ſingulariter à Deo; poſſumus probare, ꝙ Papa ex ſe ipſo poteſt renunciare Papatui, tali ratione: Illud, quod eſt à Deo, homine cooperante, effectiuè, fundatiuè, ordinatiuè,& gubernatiuè, poteſt, homine cooperante, his quatuor modis tolli, & deſtrui. C Quod patet in naturalibus, in moralibus,& in artificialibus. In naturalibus quidē, quia anima rationalis ſingulariter à Deo infunditur corpori, cū nullus poſſit infundere,& creare ipſam, niſi Deus: & tamē, quia infunditur à Deo, homine cooperante; (quia homo generant hominem, & ſol). Ideo opere humano poteſt anima à corpore tolli, & ſeparari. In moralibus vero videmus, quòd gratia ſingulariter à Deo infunditur animæ, cooperante tamen homine. † Vnde ſuper illo verbo Tren. 4. Cōuerte nos Domine ad te, & conuertemur; dicit gloſ. quòd gratia Dei non conuertimur niſi ex noſtra voluntate conuertamur. ideo ſenſus eſt: Cōuerte nos per gratiam,& conuertemur quantum in nobis eſt, arbitrio libertatis. Sicut ergo gratiæ infuſio eſt à Deo: per hominis tamen conſenſum,& liberi arbitrij conuerſionem: ita eius ſeparatio poteſt eſſe per hominis diſſenſum, & eius liberi arbitrij à Deo auerſionem. In artificialibus autem planum eſt, ꝙ templum Salomonis,& tabernaculū Moyſi ex mandato Dei fabricata ſunt, immo ſingula in tabernaculo illo operata, Deo ſingulariter dictante, & præcipiente, facta ſunt. & tamen, quia cooperante homine omnia illa fabricata ſunt; Ideo, cooperante homine, omnia illa ſunt corrupta. Simili ergo modo, non obſtante, ꝙ Papatus ſingulariter ſit à Deo; tamen, quia non eſt à Deo in iſto homine, vel in illo, niſi cooperante eius conſenſu, & eius volitione; ideo poteſt ab eo tolli, cooperante eius diſſenſu, & volitione.

Ariſt.2.Phyſic.t. c.26.

† Vide Cōc. Trid.ſeſs 6. de iuſtificatione, c.5.& eadem ſeſſione de iuſtificatione canone 4.

Ad Argumenta.

AD rationes ergo in oppoſitum eſt dicendum: ꝙ omnes illæ tres rationes ex vno fundamento procedunt, quia omnes arguunt Papatum non poſſe tolli, quia eſt à ſolo Deo. Quòd ſi arguant, ſic eſſe à ſolo Deo, ꝙ non cooperante homine, planum eſt, ꝙ falſa aſſumunt. Si vero ſic arguant eſſe à Deo Papatum, ꝙ tamen cooperetur homo, tunc per ſuperius dicta planum eſt, ꝙ quæ ſic ſunt à Deo cooperante homine, per hominem tolli poſſunt.

ARTICVLVS IIII.

B *VTRVM PAPA POSSIT renunciare Papatui, cum emiſerit votum de cura ipſius Eccleſiæ habenda.*

Vide Aegidium Columnium Romanum in eodem Tractatu ſupra citato. Et Armillam Tit. Papa. Nam Papa renunciare poteſt, etiam ſi non renunciare iuraſſet, cū adeſt rationabilis cauſa, vt fecit PP. Ciriacus,& multi alij, vt dicit Arch. Flo.3.parte.Tit.23.Et de Renūc. lib.6. cap 1. Vide Aluarum de planctu Eccleſiæ lib. 2. cap.10. Vbi ponitur renunciatio Celeſtini, & Petri de Morron in quo erat ſanctitas, ſed non aderat ſcientia, & induſtria. Hæc ille.

C AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd poſt votum emiſſum de cura habenda ipſius Eccleſię, Papa renunciare nō poſſit. Quia fortius eſt vinculum ſpirituale, quàm carnale, ſicut ſcribitur extra de tranſla.Epi.cap.inter corporalia. Sed poſt conſenſum contractum per verbum de præſenti vinculum matrimoniale tolli nō poteſt. Ergo eodem modo vinculum ſpirituale contractum inter Papam,& Eccleſiam, poſt votum emiſſum de cura habenda, tolli non valet.

Præterea: Votum eſt promiſſio facta ſoli Deo. Sed Papa votum emittit de cura habenda de Eccleſia, eo D ipſo, ꝙ Papatum ſuſcipit. Ergo per nullum alium abſolui poteſt alligatus voto, niſi per Deum.

Præterea: Nullus ligatus poteſt ſeipſum abſoluere: ſicut nulla res ſeipſam generat. vt dicit Auguſt. 1. de Trin.cap.1.ſed Papa, ſuſcepto Papatu, ligatus eſt lege Diuina ad curam habendam de grege ſibi commiſſo. Ergo à tali lege ſeipſum abſoluere non poteſt. Tomo 4.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſcribitur. 22. quæſt. 4. auctoritate Iſidori: In malis promiſſis reſcindenda eſt fides, & in turpi voto mutandum eſt decretum. Sed videtur eſſe turpe votum, ꝙ homo obliget ſe perpetuo ad illud, quod perficere non poteſt, ſalua conſcientia,* & Reipublicę vtilitate. Ergo, cum Papa videt ſe impotentem, & inſufficientem ad curā habendam de Eccleſia, videtur, quòd licet ſibi voti promiſſionem non implere. c. In malis

* al. Saluata Reip. vtilitate.

R E.

RESOLVTIO.

Votum, ſicut iuramentum, veritatem, iudicium & iuſtitiam requirit. Vno igitur horum deficiente, reuocari poteſt. Hinc votum Papa renunciationem impedire non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd tam votum, quàm iuramentum tres comites † debent habere: veritatem, iudicium, & iuſtitiam.* Exponitur auctoritate Hierony. 22. qō. 4. cap. Innocens. Eſt enim votum promiſſio facta Deo: Sed quando talis promiſſio eſt iuramento firmata, eſt votum, & iuramentum. Quod quidem ex parte vouentis † requirit veritatem cognitionis: vt illud, quod homo vouet, vel iurat, non repugnet veritati ſuæ conſcientiæ. Ex parte vero modi vouendi, vel iurandi requirit iudicium diſcretionis: vt illud, quod homo vouet, vel iurat non ſit incautum, vel indiſcretum. Sed ex parte rei, de qua fit votum, vel iuramentum, requirit iuſtitiam debitę impletionis, vt fiat de tali re votum, vel iuramentum, quam homo teneatur, & poſſit implere abſque alterius prȩiudicio, & abſque detrimento Reipublicæ. In tali ergo voto, qđ Papa emittit de cura habenda ipſius Eccleſiæ: etiam ſi non ponatur, intelligitur conditio bona, debita, & honeſta. Puta quòd talem curã habebit, quandiu officium retinebit, non vſque ad mortem, quia ſic tale uotum obligaret eum ad impoſſibile; cum poſſet demens fieri, & aliquam infirmitatem incurrere, per quam redderetur impotens ad talem curam habendam, & per conſequens tale uotũ careret iudicio diſcretionis. Similiter ſi conſpiceret ſe inſufficientem: & talem curam vellet exercere contra remorſum conſcientiæ, careret tale votum veritate cognitionis. Vlterius ſi conſpiceret Rempublicam per ſuum officium male tractari: & ſub eius tegimine Eccleſiam languere: tale votum caderet ſuper re iniuſta, & iniqua, quam homo non tenetur per votum implere, ſed ponens in ea decretum mutare. quia, vt ſcribitur 22. quæſt. 4. cap. Si publicis: Tolerabilius eſt ſtultæ promiſſionis vota reijcere, quàm crimen cõmittere: & per conſequens tale votum careret iuſtitia debitæ obſeruationis. Puto ergo eſſe dicendum, ꝙ non obſtante voto, & obligatione prædicta, Papa renunciare poteſt.

† S. Thom. 2. 2. qō. 89. art. 3.
* al. vt Super Hierem.
† S. Thom. 2. 2. qō. 88. art. 3.

F

G

H

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ vinculũ ſpirituale fortius eſt, quàm carnale dignitate, & perfectione: non autem temporis duratione. quia planũ eſt, quòd Epiſcopus de Eccleſia, cum qua contractum eſt matrimonium ſpirituale, poteſt trãsferri ad aliam Eccleſiam. ſicut patet extra de transla. Epiſc. † ſed non poteſt vir transferri de vna vxore ad aliam vxorem, illa viuente. Vel poteſt dici, quòd eſt fortius diſtrictione, non autem perpetua obligatione. quandiu enim durat, fortius ſtringit vinculum ſpirituale, quàm carnale, eo ꝙ maiorem curam debet habere Epiſcopus de Eccleſia, quàm vir de uxore. non tamẽ tenetur perpetuo talem curam habere Epiſcopus de Eccleſia, ſi-

† cap. inter corporalia. & cap. Licet lib. 1. Decretaliũ tit 7.

E cut uir de uxore; eo, ꝙ dimiſſio uxoris licet eſſet bonum particulare, & bonum hoic; eſſet tamen malum uniuerſale, & malum Reipublicę. Econuerſo dimiſſio curæ Eccleſiæ, ſi Papa eſſet impotens, uel inſufficiens; quàmuis forte eſſet malum huic, & malum particulare; eſſet tamen bonum vniuerſale, & bonũ pro tota uniuerſalitate Eccleſię.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſemper in votis, & iuramentis, etiam nõ appoſita, intelligitur conditio debita, & honeſta. obligatio ergo, qua Papa obligat ſe ad habendam curam de Eccleſia, includit in ſe hanc conditionem: quandio cum ſufficientia, & potentia hanc curam exercere ualet. Poteſt enim Papa renunciando mereri, & demereri. quia ſi ſcit, & poteſt curam habere de Eccleſia, renunciando demeretur: potiſſimè, quia ex tali renunciatione quandoque ſcandalum incurritur. Si vero neſciat, nec poteſt, renunciando meretur. nec puto, ꝙ propter ſcandalum talem renũciationem dimittere debeat. quia ſecondũ Hierony. Veritas doctrinæ, & ſanctitas vitæ, & ęquitas iuſtitiæ propter ſcandalum paſſiuum omittenda non ſunt.

AD tertium eſt dicẽdum, quòd ſi illa ratio arguat de ligatione, & abſolutione à culpa, tunc non eſt ſimile. quia homo ligatus per abſolutionem à culpa aſcendit, per renunciationem vero, & per abſolutionẽ à Papato deſcendit. Planum eſt autem ꝙ homo per ſeipſum non poteſt aſcendere, ſed bene per ſeipſum poteſt deſcendere. Vel poteſt dici, quòd ad abſolutionem, vel ligationem requiritur poteſtas ordinis, ſecundum quam ex præcepto Dei tenetur homo ab altero abſolutionem recipere: Iuxta illud Iacobi. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra. Sed renunciatio, & abſolutio à Papatu pertinet ad poteſtatẽ iuriſdictionis, quam ſicut Papa per ſeipſum recipit conſentiendo eius electioni; ita per ſeipſum poteſt dimittere, & ab ea ſeipſum abſoluere, cõſentiendo eius ceſſioni.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POST eius legitimam confirmationem, & adminiſtrationem renunciare poſſit.

Vide Aegidium Columnium Romanum Tractatu ſupra citato: & eoſdem Doct. ſupra nominatos.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poſt confirmationem, & adminiſtrationem, Papa renunciare non poſſit. Quia, vt ſcribitur extra de Tranſl. Epiſcopali. cap. Inter corporalia: Epiſcopus poſt confirmationẽ, & conſecrationem non poteſt cedere. poteſt enim (vt ibi dicitur) à Metropolitano confirmari, & conſecrari: non tamen poteſt, niſi per Summum Pontificem condemnari, vel deponi. Cum ergo Papa nul-

pa nullum ſuperiorem habeat, in cuius manibus reſignet, videtur quòd poſt confirmationem, & adminiſtrationem non poſſit Papatui cedere, nec renunciare.

Præterea: Quæ ſunt iuriſdictionis poſſunt tolli, & auferri non niſi per ſuperiorem. Sed per confirmationem, & adminiſtrationem Papa acquirit iuriſdictionem: Ergo poſt talem confirmationem non poteſt ab eo tolli.

Præterea: Sacerdos per conſenſum recipit characterē: & Epiſcopus perfectionem characteris, & per diſſenſum eius, Sacerdos non poteſt perdere characterem; nec Epiſcopus perfectionem characteris. Ergo eodē modo, quamuis Papa per eius conſenſum recipiat Papatum; per eius tamen diſſenſum non poterit Papatum dimittere.

In Contrarium eſt, quod Papa ſtatim cum conſentit ſuæ electioni, eſt cōfirmatus, & ſtatim poteſt adminiſtrare. ergo ſtatim cum diſſentit eius ceſſioni, ſtatim debet ab adminiſtratione ceſſare.

RESOLVTIO.

Poteſtas iuriſdictionis poſt eius receptionem, tolli poteſt: Ordinis verò poteſtas auferri non poteſt. Hinc Papa renunciare poteſt, poſt Papatus confirmationē, Quod alijs Prælatis non conceditur. Hi enim ſuperiorē habent, à quo ipſi confirmantur: Ille verò non item: ſed ſeipſum confirmat.

C Respondeo, dicendum, quod ad ſoluendam iſtam quæſtionem, facienda eſt duplex diſtinctio: quarum vna eſt, quæ eſt ratio, quod poteſtas ordinis poſt eius receptionem tolli non poteſt: ſed poteſtas iuriſdictionis poſt eius receptionem tolli poteſt. Secūda eſt, quare ſolum in electionem Papæ habet locum, quòd ſicut ſeipſum confirmat, ita ſeipſum poteſt deponere.

Propter primum eſt intelligendum, quòd quandoque *intelligitur eſſe prohibitum illud, quod non eſt conceſſum. quandoque verò econuerſo intelligitur illud eſſe conceſſum: quod non inuenitur prohibitum. Et quamuis Iuriſtæ dicant, quòd prima regula tenet in his, quæ ſunt ſtricti iuris: Secunda vero tenet in alijs; Poſſumus tamen dicere, quantum ad præſens occurrit, quòd quandoque negotium, de quo
D agitur, eſt ſupra actionem cauſę, & ſupra naturam rei: & tunc illud intelligitur eſſe prohibitum: quod non eſt conceſſum, vel eſt potentiæ ſuperioris reſeruatum, ſicut patet in naturalibus, & moralibus. In naturalibus quidem: Nam quia ambulare ſuper mare, ſiccis pedibus, eſt ſupra actionem cauſæ, & ſupra naturā rei: ideo in talibus, niſi alicui eſſet ſpecialiter hoc conceſſum, ſicut fuit Petro, intelligitur eſſe prohibitum, vel potentiæ ſuperioris agentis reſeruatum. In moralibus vero: Nam quia ordinare totam Eccleſiam quantum ad omnes gradus dignitatum, & depoſitio, & tranſlatio Epiſcoporum, vel etiam ceſſio, & confirmatio ipſorum pertineat ſolum ad Romanū Pontificem, qui eſt caput totius Eccleſiæ: ideo conſtitutio vel renunciatio ipſorum Epiſcoporum, & aliorū Præ-
A latorum eſt ſupra actionem, & ſupra naturam omnium illorum, qui ſunt infra Papam, quorum confirmatio, & renunciatio non valet, nec tenet, niſi ſecundum ordinationem, & conceſſionem ipſius: vt quod non eſt per eum in talibus conceſſum, intelligitur eſſe prohibitum; vel potentiæ ipſius Papæ immediatè reſeruatum. Vnde quia non eſt conceſſum Metropolitano † quod poſſit ipſius Epiſcopi renunciationem acceptare; ſicut eius electionem confirmare: Ideo intelligitur eſſe hoc prohibitum, vel potentię Papæ immediatè reſeruatum. Quandoque vero negotium, de quo agitur non eſt ſupra actionem cauſæ, nec ſupra naturam rei: Et tunc in talibus intelligitur eſſe cōceſſum, quod non eſt prohibitum: Vnde quia aliquos ſubeſſe, & aliquos præeſſe in Eccleſia non eſt ſupra actionē cau-
B ſæ, nec ſupra naturam rei: immo † naturale eſt, quòd vigentes intellectu præſint, & potentes viribus corporalibus ſubſint, vt dicit Philoſophus; Ideo in talibus intelligitur eſſe conceſſum quod non eſt prohibitum. Cum ergo talis poteſtas ordinis, quę dicit characteris impreſſionem, vel characteris perfectionem, ſit ſupra actionem cauſæ, & ſupra naturam rei: quia iſtud natura rei non patitur, quod aqua tangens corpus exterius mundet animam interius à culpa, imprimendo characterem baptiſmalem, vel quod Sacerdos per impreſſionem characteris poſſit conficere corpus Chriſti, vel quod Epiſcopus habens perfectionem characteris poſſit Sacerdotes ordinare. ideo in omnibus talibus, quod non eſt conceſſum, intelligitur eſſe prohibitum, vel potentiæ diuinæ immediate reſeruatum. Poteſtatem
C ergo ordinis cōceſſit Chriſtus miniſtris Eccleſię poſſe conferre: ſed non conceſſit eis poſſe auferre. ideo per hominem poteſtas ordinis tolli non poteſt. Sed quia poteſtas iuriſdictionis, qua vnus præeſt alteri, non eſt ſupra actionem cauſæ, nec ſupra naturam rei: Ideo in hoc intelligitur eſſe conceſſum, quod non eſt prohibitum. Et quia prohibitum non eſt quod homo ſuo iuri renunciare non poſſit: Ideo iſtud intelligitur eſſe conceſſum: vt ſicut homo per ſuum liberum conſenſum poteſt onus, & curam aliorum ſuſcipere: ita quod per diſſenſum poteſt illud onus deponere, & illi curæ renunciare. Et per conſequens poteſtas iuriſdictionis, ſicut per hominem poteſt acquiri, ita per hominē poteſt tolli, & perdi. Et ſi quęratur, an Papa poſſit facere ſtatutum prohibens, quòd Papa renunciare non † poſſit. puto eſſe dicendum, quod talē ſtatutum eſſet cō-
D tra veritatem, & contra Reipublicæ vtilitatem. Nullus enim dubitare debet, quin talis poſſit eligi in Papam, qui nec ſcientia, nec experientia ſufficiens eſſet ad regendam totam Eccleſiam: ſicut aliquando electus eſt. Vnde ſi ſibi renunciare non liceret, faceret contra veritatem ſuæ conſcientiæ: ex quo Eccleſia langueret ſub regimine ſuo, eſſet tale ſtatutum contra commune bonum totius Eccleſiæ. Eo ergo modo dicendum eſt Papam tale ſtatutum facere non poſſe. quomodo dicit Apoſtolus. 2. Corinth. 13. Non poſſumus aliquid aduerſus veritatē, ſed pro veritate.

Propter ſecundum eſt intelligendum, quòd in electionibus aliorum Prælatorum, quia ſuperiorem ſe recognoſcunt, nec per ſeipſos ſe confirmant, nec per ſeipſos ſe depónūt. ſed quia Papa inter homines ſuperiorem

† Dist. 32. cap. De illo Clerico. Et 27. q. 2. cap. Lex diuinę. Et l. 1. ff. de teſtibus. l. ab ea parte. ff. de probation. l. maritus. § 1. ff. de procurat.

† Cap. Inter corporalia, de tranſlatione epiſcopali lib. 1. Decretal. tit. 7.

† Ariſt. 1. Pol. 3. & 4. Hinc illud: Conſilio pollet, cui vim natura negauit. & vide pro hac re Aegid Roma 2 ſent. diſt. 44 q 2. art 2. colū. 2. lit. C.

† Statutum extat in cōtrarium, videlicet, quod poſſit liberè renūciare in c. 1. de Renunc. lib. 6. Vnde intelliges rectè loqui hic Auguſtinū.

riorem ſe non habet. Ideo ſicut conſentire electioni de ſe factæ eſt eius confirmatio; quia ſtatim habet omnem Papalem iuriſdictionem; ita renunciare, & diſſentire eius iuriſdictioni, eſt eius depoſitio. Vnde loquendo de confirmatione viſibili, quæ fit per hominem, ſicut Papa ſeipſum confirmat, ſuæ electioni conſentiendo: ita ſeipſum deponit, ſuæ iuriſdictioni renunciando.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ confirmatio, depoſitio, & tranſlatio Epiſcoporum pertinet immediate ad Papã, vt in illa decretali† dicitur: Vnde quia per Papam conceditur Metropolitano, ꝙ poſſit Epiſcopum confirmare, non autem quòd poſſit eius renunciationem acceptare: Hinc eſt, ꝙ renunciatio Epiſcopi non tenet, ſi fiat coram Metropolitano; poſſet tamen Papa, ſi vellet, concedere vnum ſicut cõcedit reliquum.

† cap. Inter corporalia, de translat. epiſcopali.

F

AD ſecundũ eſt dicendũ, ꝙ de Prælatis, qui ſuperiorem habẽt, veritatem habet, ꝙ illa, quæ ſunt iuriſdictionis, ab eis tolli nõ poſſunt, niſi per ſuperiorem. Sed quia Papa ſupra ſe non recognoſcit aliquem; per quem opere humano poſſit confirmari, vel deponi: Ideo ſicut per ſeipſum humano opere poteſt ſe confirmare: ita per ſeipſum poteſt renunciare.

AD tertium eſt dicendum, quòd tam characteris impreſſio, quàm characteris perfectio eſt ſupra actionem cauſæ, & ſupra naturam rei. & ideo dato, quòd Sacerdos, vel Epiſcopus recipiat characterem, vel perfectionem characteris ſuſcipiendo Sacramentum ordinis per eorum conſenſum non poſſunt tamen prædicta ab eis auferri per eorum diſſenſum.

G

ARTICVLVS VI.

VTRVM, CVM SACERDOtium Papæ ſit æternum, renunciare illi poſſit.

Vide eoſdem Doctores ſupra citatos, & loca vbi ſupra.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ, quia Sacerdotium Papæ eſt æternum, renunciare non poſſit. Nam magis eſt eſſe ſummum Sacerdotem, quã ſimplicem Sacerdotem: Sed ſimplex Sacerdos non poteſt deſinere, ꝙ non ſit ſimplex Sacerdos. Ergo multo magis ſummus Sacerdos non poteſt deſinere, quin ſit ſemper ſummus Sacerdos.

H

2 Præterea: Apoſtolus dicit ad Heb. 7. quòd Chriſtus viuit in æternum, eo quòd habet ſempiternum Sacerdotium: non poteſt igitur eſſe vita Summi Pontificis ſine ſempiterno Sacerdotio. ſed ſi ipſe Summus Pontifex poſſet renunciare, ipſo viuente, non haberet ſempiternum Sacerdotium. Non ergo videtur, quòd poſſit renunciare.

3 Præterea: Dicit Hilarius Papa, †& ponitur 25. quæſt. 1. cap. Nulli fas ſit. Nos potentiſſimi Sacerdotis

† In ſynodo dixit. cap 1.

E

adminiſtramus officium. Si Sacerdotium ſummi Sacerdotis, puta Chriſti, fuit æternum; Ergo officium ſummi Sacerdotis ſimiliter eſt ęternum.

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa non eſt ſummus Sacerdos, niſi quandiu viuit: ſed non ſemper viuit. Ergo non ſemper eius Sacerdotium durat in æternum, propter ſempiternitatem ergo Sacerdotij non poteſt argui, quòd Papa renunciare nõ poſſit.

RESOLVTIO.

1 *Papę Sacerdotium non quantum ad perſonam repręſentat Chriſti ſacerdotium, quod eſt æternum ratione perſonæ, rei oblatæ, & paſſionis: ſed quantum ad officium: Et non eſt ęternum quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, ſed ordinis. quia ordinis character ab anima ſeparata nõ remouetur Hinc Papa renunciare põt.*

RESPONDEO, dicendum, quòd primo diſtinguendum eſt de Sacerdotio. Nam triplex eſt Sacerdotium: Simplex, Magnum, & Supremum.

Sacerdotiũ triplex.

In primo gradu ſunt omnes ſimplices Sacerdotes, qui poſſunt per characteris Sacerdotalis impreſſionẽ Corpus Chriſti conficere.

In ſecundo vero ſunt omnes Epiſcopi, qui perfectionem characteris habent, & poſſunt alios in Sacerdotes, & Epiſcopos conſecrare. Vnde de quolibet Epiſcopo dicimus: Ecce Sacerdos magnus.

Eccl. 44.

Sed in tertio gradu ſolum eſt ipſe Papa: qui, vt habet characteris Sacerdotalis impreſſionem, eſt Sacerdos: vt vero habet characteris perfectionem eſt Sacerdos magnus: & vt habet ſuper totam Eccleſiam vniuerſalem iuriſdictionem eſt Sacerdos ſupremus.

2 Hoc viſo, poſſumus dicere, ꝙ Sacerdotium Chriſti fuit æternum † ratione perſonæ offerentis, & ratione rei oblatę, & ratione eius vnus paſſionis commemoratę. Planum eſt enim, ꝙ perſona illa, quæ obtulit ſe in ara crucis, æterna fuit. Corpus ſimiliter Chriſti oblatum in cruce æternum eſt. paſſio ſimiliter ſua effectum æternum habet: quia ſi crucifixus eſt ex infirmitate, viuit tamen ex virtute: exiſtens enim in cruce habebat effectum vitæ æternæ. Sacerdotium ergo Papæ repræſentat Sacerdotium Chriſti in æternitate, non quidem quãtum ad perſonam; quia planum eſt, ꝙ Papa non ſit illa perſona æterna, quę fuit Chriſtus. Sed quantum ad officium, quia ſicut illa perſona obtulit corpus ſuum ſub ſpecie propria in cruce; ita Papa, vt eſt Sacerdos, vel Epiſcopus, offert illud idẽ corpus ſub ſpecie panis, & vini. & quantum ad hoc non ſolum Sacerdotium Papæ, verumetiam Sacerdotium cuiuſlibet ſimplicis Sacerdotis, & cuiuſlibet Epiſcopi eſt ęternum. quia characteris impreſſio, & characteris perfectio, vt dicebatur ſupra, remanet in anima ſeparata: nec talia, quæ ſunt ordinis, poſſunt tolli, nec auferri poſt impreſſionem ipſorum. Sed ex hoc non arguitur, ꝙ Papa renunciare non poſſit, quia poteſtas iuriſdictionis, per quam Papa eſt ſummus Sacerdos, poteſt tolli, & auferri opere humano, ſicut opere humano poteſt conferri. non enim Papæ Sacerdotium eſt ęternum propter poteſtatem iuriſdictionis, ſed propter poteſtatem ordinis. Nam de ęternitate poteſtatis iuriſdictionis ſupradictum eſt.

†De ęterno Chriſti ſacerdotio, vide s. Tho. par. 3. q6. 22. art. 5. 2. Cor. 13.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ argumẽtum ſumptum à maiori ad minus non tenet, niſi quando magis, & minus vniformiter accipiuntur. nã maior eſt bubalus mure, tamen quantum ad intrare per foramen, bubalus eſt minor mure. ita: licet ſummus Sacerdos ſit maior ſimplice Sacerdote propter iuriſdictionem, quam habet: quantum tamen ad deſinere eſſe, minor eſt ſummus Sacerdos, quàm ſimplex Sacerdos: quia ſimplex Sacerdos non poteſt deſinere eſſe Sacerdos propter characteris impreſſionem, quã habet, quæ etiam in anima ſeparata à corpore remanet: Sed Summus Pontifex poteſt deſinere eſſe Summus Pontifex, quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, quam poteſt dimitt ere per ſuum diſſenſum, ſicut ipſam accepit per ſuum aſſenſum.

Sacerdotii characteris ĩpreſſio remanet in anima à corpore ſeparata.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ vita Summi Pontificis non poteſt eſſe ſine Sacerdotio, vt Sacerdotium dicit poteſtatem ordinis, quæ conſiſtit in corporis Chriſti veri oblatione. Iſto namque modo Sacerdotium Chriſti fuit ęternum, ratione perſonæ offerẽtis, & ratione rei oblatæ: quæ effectum æternum habuit. & quia quilibet Sacerdos offert in perſona Chriſti, & conficit eandem rem, quam Chriſtus obtulit; Ideò quantum ad hoc cuiuſlibet Sacerdotis ſacerdotium poteſt dici æternum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ officium Summi Sacerdotis fuit ſemel ſe offerre in cruce, quia ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata: alioquin oportuiſſet, eum frequenter pati ab origine mundi, vt dicit Apoſtolus ad Hebrę. 9. Sic quilibet Sacerdos ſemel offert, & ſemper offert unum, & idem corpus Chriſti * & ſemper facit rememorationẽ vnius mortis, & vnius Paſſionis Chriſti.

al. quia

ARTICVLVS VII.

VTRVM POSSIT PROBARI per rationes, quòd Papa renunciare poſſit.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papam poſſe renunciare, nõ poſſit probari per rationes. Quia non eſt conſonum rationi, ꝙ quis ſuæ perfectioni cedat. Sed ſtatus Papalis eſt ſummę perfectionis. Ergo non eſt conſonum rationi, quòd aliquis tali perfectioni debeat renunciare.

1. Tim. 3.

2 Præterea: Apoſtolus dicit: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat: Sed ſtultum eſt, & contra rationem, non appetere bonum opus. Ergo contra rationem eſt, renunciare Papatui.

3 Præterea: Quod à pfectis iuris legitur eſſe factũ, contra rationem eſt, illud non ſequi: Sed de Iſaia Propheta legimus, ꝙ ſponte ſe obtulit ad ſuſcipiendum

A Prælationis officium, quando dixit: Ecce ego mitto me. non eſt ergo conſonum rationi, officium Papatus refutare. Iſaiæ 6.

IN CONTRARIVM eſt. quia perfectionis eſt propriam imperfectionem recognoſcere. Iuxta illud Pſalm. 138. Imperfectum meum viderunt oculi tui. Si ergo aliquis inſufficientem ſe cognoſcit, officium Papatus exercere, ad perfectionem eius ſpectat prædicto officio renunciare.

RESOLVTIO.

Papam renunciare poſſe, tribus præſertim rationibus probari poteſt. hoc eſt, ratione alicuius indiſpoſitionis: ratione impedimenti: & ratione poteſtatis iuriſdictionis, cui poteſt renunciare: ordinis autem poteſtati non item.

B

RESPONDEO, dicendum, ꝙ poteſtas Papalis, quantum ad præſens ſpectat, tripliciter poteſt conſiderari. Primũ ratione perſonæ ſuſcipientis. Secundũ ratione poteſtatis ſuſceptæ. Et tertio ratione finis, propter quem ſuſcipitur. Et ſecundum iſta tria, tribus rationibus, quantum ad pręſens ſpectat, probari poteſt, ꝙ Papa poſſit renunciare. Primò quidẽ: ratione perſonæ, quæ in Papatum aſſumitur: Nam ad ea, quæ ſunt impoſſibilia, nullus debet cogi: Vnde nec præceptum, nec conſilium datur de impoſſibili: quia præceptum datur de re poſſibili: conſilium verò de re

C difficili, neutrum tamen de impoſſibili. Cũ ergo contingere poſſit Papam electum ſic fieri † indiſpoſitum ad exercendum Papale officium, aut ratione infirmitatis, aut ratione ſenectutis, aut ratione fatuitatis; (quia † corrupto quodam interiori organo phantaſtico, corrumpitur ipſum intelligere: vt dicitur primo de anima. vt non ſolum ſit difficile, ſed etiam impoſſibile tale officium poſſe exercere.) Ideo cõſonum eſt rationi, vt nulli Papæ claudatur via, quin renunciare poſſit. potiſſime cum tale officium non coactè, ſed voluntariè exercendum ſit. Iuxta illud 1. Petri. 5. Paſcite qui eſt in vobis gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè. Super quo verbo dicit gloſſa, ꝙ quia hilarem daturem diligit Deus; ideo non coacta, ſed voluntaria ſeruitia ſibi ſunt accepta. Secunda ratio

† Pontifices aliqua infirmitate occupati poſſũt renunciare, ſed non deponi. Vide 7. q. 1. Pontifices.

† Ariſt. 1. de aĩa. t. c. 66.

2. Cor 9.

D ſumitur quantum ad poteſtatem, quæ recipitur. Nam omnis virtus, & omnis poteſtas, quæ non põt perpetuari in ſingulari, datur multitudini: ſicut quia cõſeruatio ſpeciei humanę non poteſt perpetuari in uno ſingulari, ideo virtus generatiua data eſt multitudini, vt aliqui de tota multitudine humani generis deputentur ad procurationem prolis, per quam humana ſpecies conſeruetur. virtus verò nutritiua, cum ſit neceſſaria ad cõſeruationem cuiuſlibet indiuidui, data eſt cuilibet ſingulariter, ita, ꝙ nullus poſſet renũciare virtuti nutritiuæ, quin comedat, & bibat. poteſt autẽ iſte, vel ille renunciare virtuti generatiuę, quia nõ omnes de multitudine tenẽtur dare operam ad generationem prolis. Cum igitur poteſtas Eccleſiæ ſit duplex, ſcilicet iuriſdictonis, & ordinis, vt ſupradictum eſt; Et prima remaneat in tota Eccleſia, & in Collegio

Ariſt. 2. de Gen. t. c. 59.

Cardi-

Cardinalium; aliter ſi nullo modo remaneret, mortuo Papa, non poſſent ſibi de alio prouidere. Secunda vero detur cuilibet homini ſingulariter per ſacramentum ordinis ad conficiendum corpus Chriſti: quod eſt cibus ſpiritualis, quo quilibet fidelis in vita ſpirituali nutritur. relinquitur, quòd poteſtati iuriſdictionis Papa renunciare poſſit non autẽ poteſtati ordinis. E

Tertia ratio accipitur quantum ad finem, qui intẽditur. Nam non eſt conſonum rationi, quòd illud, quod inſtitutum eſt pro bono Reipublicæ, contra tale bonum debeat militare: quia (vt dicit † Iuriſconſultus in principio Digeſtorum.) Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, nos ea duriore interpretatione contra ipſorum cõmodum producamus ad ſeueritatem. Cum igitur officium Papatus à Deo inſtitutum ſit pro vtilitate totius Eccleſiæ, non eſt cõſonum rationi, ꝙ ſi Papa electus ad tale officiũ exercendum efficiatur impotens, vel quòd conſpiciat, ꝙ ſit inſufficiens, ꝙ præcludatur via, vt ipſe non poſſit renunciare, & alius eligi ſufficientior, & potentior ad tantum bonum exequendum.

† ff. de legibus. l. Nulla iuris.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit gloſa ſuper illo verbo Geneſis. 19. Non poſſum in montem aſcendere: eſt hic ciuitas parua, ad quam poſſum confugere, & ſaluari in ea: Per montem intelliguntur perfectionis opera, ad quæ ſi quis non poteſt aſcendere, permaneat in vita communi. Quamuis ergo ſtatus Papalis ſit montis altus, & perfectus: tamen ſi quis videt ex ſua inſufficientia, vel impotentia ꝙ non poſſit in tali monte ſaluari, ſed potius, iuxta dictum illius ſancti Loth, timeat ne malum eum apprehendat, & ſic moriatur, deſcendat de tali monte, & ſaluetur in ciuitate parua: quæ eſt Segor. G

A D ſecundum eſt dicendum, quòd ſecundum Greg. in paſtorali, illo tempore appetere † Epiſcopatum, fuit bonum opus appetere, quando quiſque ad Epiſcopatum perueniẽs ſecurus erat palmam martyrij obtinere. nunc autem, quia ſtatus Epiſcopalis habet temporalium adminiſtrationem, & ſalutis animarum ſubditorum procurationem; ideo quamuis ab illis, qui ſciunt, & poſſunt talem curam habere, humiliter ſit recipiendum, indecenter tamen eſt * appetendum. H

Prima par. cap 8.
† S. Thom. 2 2. q. 185. art. 1.
† al. appetitur.

A D tertium eſt dicendum, quòd ſecundum Gregorium in paſtorali † in Hieremia, & Iſaia ſubtiliter intuendum eſt. quia Hieremias, qui recuſauit, plenè non reſtitit: & Iſaias, qui mitti voluit, ante ſe per altaris calculum purgatum vidit. & quia (ut ibi dicit) valde eſt difficile purgatum ſe quemlibet poſse cognoſcere. ideo paſtorale officium tutius declinatur, quàm ſuſcipiatur.

Prima par. cap. 7. Hierem. 1, Iſaiæ 6.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPAM POSSE renunciare, poßit probari auctoritatibus.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papam poſse renunciare, non poſſit probari p auctoritates. Scribitur enim 79. Diſt. c. Si tranſitus, ꝙ electio ſummorũ Sacerdotum à Cardinalibus & religioſis Clericis debet fieri: electio vero eorum diuino iudicio eſt reſeruanda. & ibi ſubditur: Electionem ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit. licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus conceſſiſset. nõ ergo videtur poſse probari per auctoritates, quòd Papa poſſit renunciare, ſed magis contrarium. F

2 Præterea: Scribitur. 21. Diſt. c. Nũc autem, ꝙ Marcellinus Epiſcopus Vrbis Romæ poſt confeſſionẽ factam, quòd in hæreſim lapſus fuerat, thurificãdo Idolis Paganorum, nullus tamen Epiſcoporum congregatorum in Cõcilio fuit auſus contra eum proferre ſententiam depoſitionis. Si ergo pro hæreſi Papa non poteſt deponi: multo ergo fortius non poteſt renunciare, ſi eſt fidelis.

3 Præterea: Scribitur extra de trãſla. Epiſ. † quòd corporalia, facilius deſtruuntur, quàm conſtruantur: ſpiritualia vero econtra facilius conſtruuntur, quàm deſtruantur. cum ergo inter Papam, & Eccleſiam ſit coniunctio ſpiritualis: Videtur ex hoc poſse probari, ꝙ nullo modo talis coniunctio poſſit deſtrui. G

† cap. Inter corporalia.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod notatur. 8. quæſt. 1. cap. Si Petrus, ubi glo. notat, & in geſtis Romanorum Pontificum dicitur, ꝙ Clemens renunciauit Papatui. Ergo videtur, ꝙ per ſimile quilibet alius poſset renunciare.

R E S O L V T I O.

Eccleſia catholica quatuor ſummorum Pontificum hoc eſt, Clementis, Cyriaci, Marcellini, & Celeſtini renunciationem ratam habet. Hinc auctoritatibus, Papam renunciare poſſe, probatur. H

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Canones, & geſta Sanctorum quatuor Summos Põtifices † narrant renunciaſse Papatui, Clementem, Cyriacum, Marcellinum, & Celeſtinum: non tamen ex eodem fonte, nec ex eadẽ radice eorũ renunciatio proceſſit.

Clemens renunciauit propter mali exempli in poſterum vitationem. Cum enim fuerit inſtitutus Papa à beato Petro, ne poſteris exemplum pernicioſum daretur, vt quilibet poſset ſibi eligere ſucceſsorem; & ita officium Papatus daretur per hæreditariam ſucceſſionem, & non per electionem, renunciauit Papatui: & poſtmodum quarto loco poſt Petrum Canonicè fuit electus, ſicut notatur. 8. q. 1. c. Si Petrus.

† Quinam Rom. Pontifices, Papatui renũciauerint, refert Ludouicus Gomez. ſuper regu. cancell. de infirmis reſignãtibus. quæſt. 1.

Cyriacus

A Cyriacus vero reſignauit propter martyrij coronationem. Nam ſicut notatur in legenda. xi. milliū Virginum, quando ſancta Vrſula cum alijs xi. millibus Virginibus Romam venit, tunc Cyriacus vrbis Romæ Epiſcopus angelica viſione monitus; ꝙ cum illis virginibus deberet ſimul eſſe coronam martyrij recepturus; ſtatim, congregatis Cardinalibus, eis reclamantibus, & renitentibus,* Papatui renunciauit.

*al. Papatū.

Marcellinus autem renunciauit propter idololatricam † operationem, quia templum Paganorum ingreſſus idolum ipſorum thurificauit, quod ſe feciſſe B confitens coram Concilio Epiſcoporum ſeipſum depoſuit dicens: Ego Marcellinus ob ſcelus idololatriæ, quod infelix commiſi, iudico me deponendum, & anathematizo omnes, qui corpus meum tradiderint ſepulturæ. Ab iſto tamen ſcelere ſe correxit: quia poſtmodum pro Chriſto martyrium ſuſcepit. vt notatur. 21. Diſt. cap. Nunc autem.

† De hac Marcellini hiſtor. Vide Damaſum in libro de vitis Pontificū, & Archidiaconū in cap. Nūc autem. Diſt. 21.

Celeſtinus renunciauit † propter ſuæ imperfectionis recognitionem: quia videns ſe impotentem, & inſufficientem ad regimen Eccleſiæ: conſilio Spiritus ſancti ductus Papatui renunciauit. Ab imperitis enim, & inexpertis tantum officium magna temeritate C ſuſcipitur, & retinetur. Quia ars artium eſt regimen animarum. vt dicit Gregorius in Paſtorali. Cum ergo omnium ſupradictorum Pontificum renunciationem Eccleſia habuerit ratam, & acceptam. (cuius ſignum eſt, quia omnes canonizauit, & ſcripſit in Catalogo Sanctorum) auctoritate ipſius Eccleſiæ ſatis eſt manifeſtū, ꝙ Papa renunciare poteſt.

† Cap. 1. de renunc. lib. 6. vbi latè p Doctores.

Prima par. cap. 1.

Ad Argumenta.

A AD PRIMVM eſt dicendum, ꝙ ideo electio Summorum Pontificum dicitur eſſe diuino iudicio reſeruata: quia dato, ꝙ Cardinales poſſint Papam eligere, non tamen poſſunt ipſum reijcere, ipſo nolēte. ſicut tamen eius electio non tenet, niſi per eius conſenſum, ita eius renunciatio requirit eius diſſenſum.

AD ſecundum eſt dicendū, ꝙ ideo contra Marcellinum nullus dedit ſententiam depoſitionis: quia paratus erat ſe corrigere, & in hæreſi † non pertinaciter permanere. Vnde eius ceſſio magis debet dici B renunciatio, q̄ depoſitio. vt notatur Diſt. ſupradicta.

† Marcellin⁹ non fuit hæreticus, licet mortaliter peccauerit Idolis ſacrificādo: quia metu mortis id fecit, vt ſcribit Albertin. trac. de agnoſc. aſſer. q. 30. nume. 6. & Albertus Pighius li. 4. c. 8. de Eccleſiaſtica hierarchia.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quādo illud, quod eſt ſpirituale, fit ſolum ex opere operato, puta impreſſio characteris baptiſmalis, confirmationis, ſeu ordinis; tunc facilius conſtruitur, quàm deſtruatur: quia conſtructio eſt conceſſa miniſtris eccleſiæ mediante adminiſtratione Sacramentorum: deſtructio vero minime. Sed quando illud, quod eſt ſpirituale non ſolum requirit opus operatum, ſed opus operantis, ſicut infuſio gratiæ, & conuerſio ad Deum, ad quā requiritur propriæ voluntatis arbitrium in adultis: C tunc facilius deſtruitur, quàm conſtruatur. quia † Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam: & lata, quæ ducit ad perditionem. Cum ergo ad Papalem poteſtatem requiratur opus humanum, puta conſenſus ipſius recipiētis facilius talis poteſtas deſtruitur, quàm cōſtruatur, quia ad conſtructionem requiritur conſenſus eligentium, & ipſius electi: Ad deſtructionem vero eius, ſufficit ſolum diſſenſus.

† Matth. 7.

QVAESTIO QVINTA DE PAPAE DEPOSITIONE.

POSTEA conſiderandum eſt de depoſitione. Circa quod quæruntur octo.

Primo, Vtrum ſolum pro hæreſi Papa ſit deponendus.

Secundo, Vtrum, ſi per violentiam, vel ignorantiam in hæreſim labatur, deponendus ſit.

Tertio, Vtrum ſit deponendus pro ſimonia.

Quarto, Vtrum ſit deponendus pro quocunque notorio crimine.

Quinto, Vtrum ad depoſitionem eius ſit neceſſaria productio teſtium plurium, quàm ad depoſitionem aliorum.

Sexto, Vtrum ad generale Concilium ſpectet eius depoſitionem pronunciare.

Septimo, Vtrum Papa mortuus pro hæreſi poſſit condemnari.

Octauo, Vtrum Papæ aperte malo ſit obediendum.

ARTICVLVS I.

D *VTRVM SOLVM PRO hæreſi, Papa ſit deponendus,*

De materia huius articuli vide plenè Gaieta. in tract. de auctoritate Papæ, & Concilij c. 24. & aliquot ſequentibus. & Turrecrem. in Summa de Eccleſia lib. 2. c. 97. Vide Aluar. lib. 1. c. 4. Et Armillam Tit. Papa. Et Petrū de Pal. de Poteſtate Papæ.

AD Primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non ſolum pro hæreſi, verum etiā pro alijs criminibus ſit deponendus; Quia maiori peccato maior debetur pœna, ſecundū illud Deut. 25. Pro menſura peccati erit & plagarum modus: Sed maior pœna debetur fidelibus peccantibus, quàm infidelibus, Iuxta illud Apo

ſtoli ad Hebr. 10. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit,& ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit. Videtur ergo, ꝙ etiam pro alijs peccatis deponēdus ſit.

2 Præterea: Scribitur. 6. q. 1. c. Quæro, auctoritate Auguſtini: Vtrum alicui hæretico (in cuius vita præter illud, ꝙ hæreticus eſt, non inueniãt homines, quod reprehendant) catholicum peſſimis moribus præponere debeamus, non audeo præcipitare ſententiam. Videtur ergo, ꝙ pro peſſimis moribus Papa ſit deponendus, ſicut pro hæreſi.

Ex. 4. lib. cõtra Donatiſtas. cap. 26. Tomo 7.

3 Præterea: Depoſitio ſemper fit à Superiori. Sed Papa Superiorem ſe non recognoſcit. Vnde cũ Marcellinus † Papa in hæreſim eſſet lapſus, Epiſcopi in Concilio congregati ſententiam depoſitionis contra eum non protulerunt dicentes. Noli audiri in noſtro iudicio, ſed collige in ſinu tuo cauſam tuã, quoniam ex te iuſtificaberis, & ex ore tuo condemnaberis: Quia prima ſedes non iudicabitur à quoquã. Pro hæreſi ergo Papa non eſt deponendus. F

† De excuſatione Marcellini præter citatos ĩ articulo p̃cedẽti. vide Alphõſum Caſtr. lib. 2. de iuſta hæret. punitione c. 24.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur. 40. Diſt. c. Si Papa, vbi dicitur, ꝙ in præſenti vita culpas Papæ nullus redarguere præſumit mortalium: quia cunctos ipſe iudicaturus, à nemine iudicandus eſt, niſi deprehendatur à fide deuius: pro cuius perpetuo ſtatu Vniuerſitas fidelium orat.

RESOLVTIO.

Papa ſi clarè ſit hæreticus, ſeq; emendare nolit, ipſo facto, eſt depoſitus. G

Respondeo, dicendum, ꝙ Papa eligitur in caput totius Eccleſiæ: Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius. Capitis autem eſt influere vitam omnibus membris. Principium autem vitæ ſpiritualis eſt ipſa fides, quia ſine fide eſt impoſſibile placere Deo. Vnde Apoſtolus ad Hebræ. xi. Fidem dicit eſſe ſubſtantiam, id eſt fundamentum omnium ſperãdarum rerum Si ergo Papa deprehendatur deuius à fide, mortuus eſt ipſe vita ſpiritualis per conſequens alijs influere vitam nõ poteſt. Vnde ſicut homo mortuus non eſt homo, ita Papa deprehenſus in hæreſi nõ eſt Papa. propter quod, ipſo facto, eſt depoſitus. † H

† Vide Alphon. Caſtren lib. 2. c. 23. de iuſta hæret. punitione, & Turrecrem. in ſũma de Eccleſia lib. 2. cap. 102.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ infidelis grauius erit puniendus pro peccato infidelitatis, quàm alius pro quocunque peccato perpetrato. Sed verum eſt, ꝙ pro eodem peccato grauius punietur fidelis, quàm infidelis propter ingratitudinem, in qua exiſtit de ſua vocatione.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut fides fundat omnes virtutes, ita infidelitas fundat omnia vitia. Poteſt tamen eſſe, ꝙ hæreticus, dato quòd grauius peccet ex ipſo genere peccati: ex aliqua tamen circumſtantia poteſt eius peccatum alleuiari. & catholicus, dato, quòd ex ipſo genere peccati minus pec- E cet, quia fidelis eſt; ex aliqua circumſtantia tamen poteſt eius peccatum aggrauari. Ideo Auguſt. noluit de vtroque præcipitare ſententiam.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſicut notat Hugutio 21. Diſt. c. Nunc autem. Ideo Epiſcopi in Concilio congregati Marcellinũ confeſſum de hæreſi nõ depoſuerunt: quia paratus erat corrigi, & ſuã ſententiam reuocare. & quando ſic eſt, nec Papa, nec alius pro hęreſi deponēdus† eſt. ſicut patet 24. q. 3. cap. Dixit Apoſtolus.

† Intellige hoc dictũ iuxta textũ, quem citat in c. Dixit Apoſtolus. 24. q. 3.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA SIT DEPOnendus, ſi propter ignorantiam, vel violentiam in hæreſim labatur.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſit deponendus Papa, ſi propter ignorantiã, vel violentiam in hæreſim labatur. Quia ignorantia excuſat à peccato infidelitatis. Iuxta illud Apoſtoli. 1. ad Tim. 1. Prius fui blaſphemus, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

2 Præterea: Notatur Diſt. 21. c. Nunc autem. Quòd ideo Epiſcopi in Concilio congregati Marcellinum Papam in hæreſim lapſum non depoſuerunt, quia coactus fuit à Paganis, vt templum eorum ingreſſus grana thuris ſuper prunas imponeret. Videtur ergo, quod coactio excuſet ab idololatria, vel hæreſi.

3 Præterea: Secundum Auguſtinum in de vera Religione: Peccatum non eſt peccatum niſi voluntarium, quod ſi voluntarium non eſt, non eſt peccatũ. Sicut ergo coactio tollit voluntariũ, ita videtur tollere, quòd hæreſis, vel idololatria coactè commiſſa nõ ſit peccatum. Tomo 1. cap. 14.

In Contrarium eſt, qđ ſcribitur Math. 10. Qui negauerit me coram hominibus, negabo eũ coram Patre meo. Papa ergo, ſi Chriſtum negat; negandum eſt, ꝙ ſit Papa.

RESOLVTIO.

Papa quomodocunque in hæreſim laberetur, ſi corrigi non eſſet paratus, deponendus eſſet.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſecundum Auguſtinum ſuper illo verbo Apoſtoli ad Rom. 10. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore aũt cõfeſſio fit ad ſalutem. Penè oẽs, qui Chriſtum inter tormẽta coram perſecutoribus negauerunt, quod de illo credebant, corde tenuerunt: & tñ ore non confitendo perierunt, niſi qui poſtmodum per pœnitentiam reuixerunt, vt Petrus: qui in illa negatione * intus veritatẽ tenebat, & ore mendaciũ proferebat. Et ſubdit: Cur Petrus lacrymis diluit, qđ ore negauerat, ſi ad ſalutẽ ſufficiebat, quòd ſolum corde crederet? Volens ergo ſaluari, & cum Deo pacem habere, non aliud habuit

De mendacio ad Conſentium tomo 4. c. 6.

* al. corde

in pro-

in profeſſione oris, & aliud in ſecreto cordis. Quia nihil prodeſt hoc eſſe in corde, quod verum eſt, ſi hoc dicitur voce, quod falſum eſt; eo quod veritas fidei non ſolum eſt credenda, ſed etiam loquenda. quamuis enim ueritatem fidei profiteri ſit præceptum affirmatiuum, † ꝙ etſi ſemper obligat, non tamen ad ſemper, tempore tamen, & loco: vbi aliquid ſubtraheretur honoris nominis Chriſti, & vbi infideles inſultarent contra Chriſti nomen, confiteri illa, quæ ſunt fidei, eſt de neceſſitate ſalutis. & potiſſime ad hoc tenetur Papa, & alij Superiores de Eccleſia; quorum confeſſione alij fideles audaciores fiunt. Vnde dicit Apoſtolus ad Philippen. 1. Scite vos volo fratres: quod quæcumque circa me ſunt magis venerunt ad profectum Euangelij; ita vt vincula mea manifeſta fierent in omni prætorio, vt plures ex fratribus confidentes in Domino, ſub vinculis meis abundantius auderent verbum Dei loqui ſine timore.

† Vide San. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. & Nicolaũ Eymericũ ĩ Directorio Inquiſitorũ par. 1. q. 9.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt, dicendum, ꝙ infidelitas duo dicit. Primo eorum, quæ ſunt fidei repugnantiam. & quãtum ad hoc ſemper includit cauſam aggrauantem, non excuſantem. Secundo: quandoque ſimul cum hoc dicit ignorantiam: & hæc ſi non procedat ex * certa malitia, ſicut non procedebat in Paulo, conſequitur miſericordiam. Si vero ſit affectata, ſic ignorans, dicente Apoſtolo, ignorabitur.

* al. affectu.

1. Cor. 14.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ minus peccauit Marcellinus, † quia compulſus idolatriam commiſit, quàm ſi propria voluntate commiſiſſet. Ideo Epiſcopi de Concilio noluerunt eum deponere, potiſſime quia paratus erat corrigi. talis tamen coactio non excuſabat eum, quin eſſet deponendus, ſi propria voluntate non renunciaſſet.

† Vide oĩno Alphõſum Caſtr. ſuperiori articu locatum.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus mandauit in confitendo fidem eius, non eſſe timendum eos, qui occidunt corpus, animam tamen non poſſunt occidere: quia ad perdendum bona animæ cogi non poſſumus. Nam ſecundum Auguſtinum in Pſal. 55. Bona corporalia, & temporalia inuiti poſſumus amittere. bona verò ſpiritualia non.

Math. 10.

Tomo 8.

ARTICVLVS III.

Vtrum Papa deponendus ſit pro ſimonia.

Vide Iacobatium tract. de Concilio lib. 4. ar. 3. & 4. Et Aluarum lib. 1. c. 4. Et Armillam in Summa Tit. Papa. Et Concilium Lateranenſe, ſeſſione 5.

Ad tertium ſic procedimr. Videtur enim, ꝙ Papa pro ſimonia ſit deponendus. Quia Papa eſt deponendus pro hæreſi, vt ſupradictum eſt: Sed ſimoniacus infidelis eſſe probatur, immo ſimoniacorum hęreſis ceteris eſt damnabilior: vt dicitur. 1. quæſt. 1. cap. Eos. Ergo videtur, quòd pro ſimonia Papa ſit deponendus.

2 Præterea: Simonia à Petro primo eſt damnata, Iuxta illud Act. 8. Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quia ęſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Ergo pro ipſa ſimonia Papa gerens vicem beati Petri eſt damnandus.

3 Pręterea: Damnatus à Deo eſt deponendus, ſed vendentes, & ementes ſpiritualia pariter à Deo damnantur. vt dicitur. 1. q. 3. c. Vendentes. Videtur ergo, ꝙ Papa propter ſimoniam, ipſo facto, ſit depoſitus.

In Contrarivm eſt. Quia quiſque poteſt emere, vel uendere rem ſuam. ſed bona ſpiritualia, & temporalia Eccleſiarum ſunt Papæ: Venditio ergo, vel emptio in talibus circa eum non habet locũ.

Resolvtio.

Papa propter Simoniam commiſſam deponendus non eſt. Simonia enim non propriè, ſed impropriè quodam modo hæreſis poteſt appellari. Adde etiam, quòd Papa ſimoniam à iure poſitiuo prohibitam committere non poteſt, cum ipſe ſit ſupra ius: ſed eam, quæ à iure Naturæ prohibetur, de qua à Domino iudicatur.

Respondeo, dicendum, quòd, certum eſt Summum Pontificem canonicam † ſimoniã à iure poſitiuo prohibitam nõ poſſe committere, quia ipſe eſt ſupra ius, & eum iura poſitiua non ligant. Si enim Imperator non ligatur iure, quia Princeps legibus ſolutus eſt, vt dicit Iuriſconſultus † in principio. Digeſtorum: Multo fortius Papa nullo iure ligari poteſt: ſed quod ſibi placet legis vigorem habet. Poteſt tamen forte ſimoniam committere prohibitam à lege naturæ. vt ſi pro re temporali intenderet ſpirituale tribuere. repugnat enim naturæ rei, ꝙ res ſpiritualis, quæ gratis accipitur, prætio rei temporalis vendatur. certum eſt ſimiliter, ꝙ Summus Pontifex pro bono publico ab Epiſcopis, & alijs Prælatis Eccleſiarum accipere poteſt ſummam pecuniæ, prout ſecundum Deum, & rationem uidetur ſibi expedire, qđ alij inferiores Prælati facere ſine peccato non poſſunt: quia quantumcunque rectam * intentionem, per quam poſſent ſubterfugere ſententiam iuris naturalis, habeant, & per quam poſſent excuſari à peccato in foro conſcientiæ, tamen nõ poſſent excuſari à peccato, quod incurrunt tranſgrediendo præceptum ſuperioris: quia ipſi ſunt obnoxij, & ſubiecti ſententijs Canonum talia prohibentium. Ideo recta intentio excuſans Summum Pontificem, alios Pręlatos inferiores excuſare non poteſt. Cum ergo Papa non ſit deponendus pro recta, vel non recta conſcientia, nec pro ſimonia, ſecundum ꝙ eſt cõtra legem iuris naturalis, quia de talibus poteſt ipſe dicere: Qui autem iudicat me Dominus eſt. ſed ſolum pro his, quæ aguntur in exteriori iudicio, & quæ foris apparent, & cum iſto modo, ſimoniam prohibitam non poſſit committere, pro ea non eſt deponendus.

† Vide Alu. de Planctu Eccl. lib. 2. cap. 14.

† In l. Princeps. ff. de legibus.

* al. rationẽ

1. Cor. 4.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendũ, ꝙ ſicut notatur. 1. q. 1. c. Cum oĩs. Hęreſis poteſt accipi dupliciter.

† De vtil. cred. c. 1. Tomo 6.

Primo ſtrictè, & ſic accipit Auguſtinus † & ponitur 24.q.3.c. Hæreticus, quando dicitur, ꝙ hæreſis, vel hæreticus eſt, qui alicuius temporalis cōmodi, & maxime gloriæ principatus ſui gratia falſas, ac nouas opiniones, vel gignit, vel ſequitur in Eccleſia. Vnde hęreſis propriè ſumpta dicit peruerſum dogma contrarium directè fidei. vel de his, quæ ſunt fidei, ꝙ quis pertinacitet velit nutrire, vel defendere in Eccleſia. E

Secundo modo accipitur largè, & ſic omnis iniuria, vel violentia facta alicui rei ſacræ, vel ſpirituali, vel alicui Sacramento, poteſt hæreſis appellari. & ſic accipit idem Auguſtinus, & ponitur 23.q.4.c. Fortè, vbi dicitur: Fortè in populo Dei ſtat iuxta te auarus raptor, quem noſti talem, & infidelis eſt: à fide Sacramentorum deuius: vel potius fidelis vocatur, & non tamen potes eum de Eccleſia pellere. Pro hæreſi ergo F primo modo ſumpta Papa eſt deponendus, ſed pro hæreſi ſecundo modo accepta, non.

A d ſecūdum eſt dicendum, quòd beatus Petrus damnauit ſimoniam prohibitam à lege naturæ, ſecūdum, ꝙ dicit prauam exiſtimationem, & prauam conſcientiam: qua credatur res data gratis pretio temporalis rei poſſe emi, vel vendi. Vnde dixit: Pænitentiā itaque age ab hac nequitia, & roga Deum, ſi forte tibi remittatur. Act. 8.

A d tertium eſt ſimiliter dicendum, ꝙ vendentes, & ementes ſpiritualia hac praua intentione, damnantur à Deo: ſed venditio, & emptio rerum ſpiritualiū modo prohibito ab Eccleſia, quāuis liget omnes inferiores Prælatos, ſummum tamen Pontificem ligare non poteſt, ratione ſuperius dicta. G

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PRO QVOCVNQVE notorio crimine Papa ſit deponendus.

Vide Turrecrematam in Summa de Eccleſia lib. 2. c. 97. & ſeq. Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 4. Et Armill. Tit. Papa. Et Petrum de Pal. de Pot. Papæ. Et Caiet. de Auctoritate Papæ, & Conc. c. 26. & 27.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ pro quocunq; notorio crimine Papa ſit deponendus. quia ſcribitur. 1. ad Timot. 3. Epiſcopi probentur primum, H & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Super quo verbo dicit Gloſ. ꝙ Epiſcopi criminibus inuoluti deponēdi ſunt, & non tolerandi. Multo ergo fortius eſt hoc obſeruādum in Papa, qui eſt ſummus Epiſcoporum.

Tomo 9.

2 Prætetea: Super illo verbo Ioan. 21. Paſce oues meas, dicit Auguſtinus. Paſcere oues eſt credentes in Chriſto, ne à fide * deficiant, confortare, & exemplum virtutum cum verbo prædicationis impendere. Sed ſi Papa non facit primum, puta, quòd non inueniatur fidelis, eſt deponendus. Ergo ſimiliter ſi non facit ſecundum, puta, ꝙ inueniatur criminoſus, deponendus eſt.

* al. deuiēt

3 Prætetea: Qui crimen aliquod defendit, & ſe E de illo corrigere non vult, ſubuerſus eſt, & proprio iudicio condemnatus: vt dicit Apoſtolus ad Titum 3. Si ergo Papa ſit in aliquo notorio crimine, & nō vult ſe corrigere, videtur, ꝙ ipſo facto ſit depoſitus.

In Contrarivm eſt. Quia Papa * vt eſt Papa non poteſt ab aliquo ſuperiori iudicari. ſed nullius criminis obiectio accipitur cōtra eum, niſi ſolius hæreſis. Ergo pro nullo alio crimine quantumcūque notorio poteſt deponi.

* al. dum

RESOLVTIO.

Papa hiſce in terris à nemine iudicari poteſt: ſed ipſe humano iudicio omnes habet iudicare. Ideo pro crimine, quodcunque ſit illud, deponi nō poteſt. quia quāuis Papa per hæreſim, aut per infidelitatem deſinat F *eſſe Papa; non tamen propter peccatum. Quia per peccatum licet ſit caput languidum; eſt tamen caput. Per hæreſim verò non item.*

Respondeo, dicendum, ꝙ iſtam dubitationem mouet Hugutio 40. Diſt. c. Si Papa. Vbi quærit, an Papa poſſit accuſari de crimine ſimoniæ, vel adulterij, vel homicidij. & dicit ſe credere, ꝙ ſi notorium eſt crimen eius quodcunque, & inde ſcandalizatur Eccleſia, & admonitus īcorrigibilis exiſtat, ꝙ poteſt accuſari, allegans pro ratione, quia contumacia infidelitas eſt. Iuxta illud, quod ſcribitur. 1. Regum cap. 15. & ponitur. 81. Diſt. cap. Si qui ſunt Preſbyteri. Peccatum ariolandi eſt non obedire, & ſcelus G idololatriæ non acquieſcere. Sicut ergo pro idololatria, & hæreſi Papa eſt deponendus; ita videtur velle concludere, ꝙ Papa pro quocunque notorio crimine, ex quo monitus non vult ſe corrigere, pro tali cōtumacia, & inobedientia eſt accuſandus, & deponendus. Sed quis cognoſcet de tali contumacia, & corā quo Iudice fiat denunciatio, vel accuſatio eius? Planum eſt enim, ꝙ ſupra ſe non habet niſi Deum. Et ideo verum eſt, quòd, ſi fuerit † negligens in officio ſuo, & criminibus inuolutus, & multos innumerabiles populos cateruatim ſuo prauo exemplo ſecum ducit primo mancipio gehennæ: cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus. In præſenti tamen vita culpas eius, & crimina nullus mortalium præſumit arguere: ſicut ſcribitur Diſtinctione ſupradicta. H cap. Si Papa. Puto ergo, quòd pro crimine quantūcunque notorio Papa deponendus non eſt. quia talis depoſitio, vel * actio redundaret in malum totius Eccleſię; cum, ſi audiretur eius accuſatio, Eccleſia remaneret acephala.

† Hæc ſunt verba dicti cap. ſi Papa 40. Diſt.
† Vide Alu. de Planctu Eccleſię lib. 1. cap. 5. Et Armill.
* al. accuſatio.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ diuino iudicio fortius punietur Papa, & ſummus Epiſcoporū, quàm aliqui alij: eo ꝙ † quāto eſt in ſtatu ſublimiori, tanto in periculo maiori verſatur. Sed humano iudicio ipſe habet omnes iudicare, & à nullo iudicari.

† D. P. Auguſtinus ī Regula. to. 1.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Chriſtus præcepit malos Paſtores eſſe audiendos in doctrina, & in his, quæ ſunt fidei. In peccatis verò, & in criminibus, vel

in malis

in malis operibus mandauit non eſſe imitandos: Iuxta illud Matth. 23. Super Cathedrã Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſei: Quæcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum verò opera eorum nolite facere. Ideo pro infidelitate, & falſa doctrina Papa deſinit † eſſe Papa: & Paſtor deſinit eſſe Paſtor. Sed pro malis operibus, & pro alijs peccatis non deſinit Papa eſſe Papa, & Paſtor non deſinit eſſe Paſtor ſecundum mandatum Chriſti.

† Vide Aluarum de Plãctu Eccleſię lib. 1. cap. 4.

AD tertium eſt dicẽdum, ꝙ † Papam eſſe incorrigibilem, poteſt intelligi dupliciter. Primo per ipſius criminis, vel peccati continuationem, puta quòd monitus non propter hoc deſiſtat à peccato fornicationis, vel alio accuſatione digno. Secundo per ipſius criminis pertinacem defenſionem, vt quòd defendat, & dicat, tale crimen, habens circumuolutam malitiã, non eſſe peccatum, ita ꝙ crimina prohibita iure diuino laudaret, & defenderet tamquam licita. Prima igitur incorrectio, & contumacia non facit Papam deſinere eſſe Papam. Sed ſecũda puto, ꝙ ſic: quia talis incorrectio, & contumacia æquipollent hæreſi. & ſi iſto modo intelligatur opinio ſupradicta, tolerari poteſt.

ARTICVLVS V.

VTRVM AD DEPOSITIOnem Papæ plures teſtes requirantur, quàm ad depoſitionẽ aliorum.

Vide Alphonſum Caſtr. lib. 2. cap. 23. de iuſta Hæreticorum punitione. Et Aluarum de Planctu Eccleſiæ, lib. 2. cap. 10. Vide Doctores in c. Prę́ſul. 2. quęſt. 5.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad depoſitionem Papæ non plures teſtes requirantur, quàm ad depoſitionem aliorum. Quia teſtimonium duorũ, vel trium eſt pręceptum veteris legis, & nouæ. Scribitur enim Deuter. 19. Nõ ſtabit teſtis vnus contra aliquem: ſed in ore duorum, vel trium ſtabit omne verbum. Hoc idem Chriſtus replicauit in Euãgelio: Sed Papa non poteſt ſtatuere aliquid contra Legem, & Euangelium; Ergo videtur, ꝙ ad depoſitionẽ eius ſufficiat duorum, vel trium teſtimonium.

2 Præterea: Papa non poteſt facere ſtatutum, ꝙ nõ poſſit incuſari de hęreſi, ſicut notatur. 40. Diſt. cap. Si Papæ. Ergo ſimiliter non poteſt facere ſtatutum, ꝙ non poſſit condemnari, niſi per determinatum numerum teſtium.

3 Præterea: Quanto negotium eſt magis periculoſum, tãto citius, & per pauciora remedia ei ſubueniẽdum eſt. ſed hæreſis Papę periculoſa eſt valde, cum ad eum ſpectet quæſtiones emergentes de hæreſi determinare. Ergo videtur, ꝙ pauciores teſtes ſint neceſſarij ad depoſitionem eius, quàm aliorum.

IN CONTRARIVM eſt. Quia quanto perſona eſt ſublimior: tanto eius depoſitio cum maiori ſolennitate, & maturitate fieri debet. ſed Papa eſt in ſublimiori ſtatu, quàm ſit aliqua perſona de Eccleſia;

A Maior ergo multitudo teſtium eſt neceſſaria ad depoſitionem eius, quàm ad depoſitionem aliorum.

RESOLVTIO.

Si Papæ hæreſis ita ſit aperta, vt nullo modo celari poſſit; tunc ipſo facto dicitur eſſe depoſitus. Si autem dubia, vel non clara; ad huiuſmodi diſcuſſionem faciendam plures, quàm in aliorum depoſitione, requiruntur teſtes.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ de numero teſtium; qui requiruntur ad depoſitionem Eccleſiaſticorum virorum, habetur. 2. quæſt. 5. cap. Præſul ‡ vbi dicitur, quòd Præſul non damnatur niſi cum B 72. teſtibus. Presbyter verò Cardinalis niſi cum 63. teſtibus non deponatur. Diaconus autem Cardinalis Vrbis Romæ niſi cum. 27. teſtibus non damnabitur. Subdiaconus verò, Acolytus, Exorciſta, Lector, Oſtiarius niſi cum ſeptem teſtibus non damnabitur. Super quibus verbis Gloſſa ordinaria mouet dubitationẽ, Vtrum in depoſitione Papæ deberẽt duplicari teſtes. & reſpondit, ꝙ non. immo duo, vel tres ſufficiunt ad depoſitionem eius. quia in tali cauſa ipſe eſt deterioris conditionis, quàm alij, pro tanto quia ipſe ſine cooperatione aliorum creatus eſt maior. & ideo ſine ſpe veniæ eſt condemnandus. Sed puto hoc eſſe intelligendum, quando hæreſis Papæ eſſet ſic aperta, & manifeſta, ꝙ non poſſet tergiuerſatione aliqua celari. quia cum euidentia patrati ſceleris non indigeat C clamore accuſatoris, tunc ipſo facto eſſet depoſitus. Sed ſi eius hæreſis eſſet occulta, vel dubia, tunc ad diſcuſſionem eius plures teſtes eſſent neceſſarij, & magis idonei, quàm ad depoſitionẽ aliorum. Si † enim talis multiplicatio teſtium ordinata eſt per Canones de Clericis Romanæ curiæ, vt aliqui dicunt, propter illius ſedis dignitatem: vel quia pluribus ipſi efficiuntur odioſi propter cauſas determinãdas eis commiſſas, multo fortius hoc eſt neceſſarium in Papa, qui eſt caput illorum, & totius Eccleſiæ.

‡ De intellectu c. Pręſul. Vide S. Thom. 2. 2 q. 70. ar. 2. ad 3. argumentum.

† Rectè loquitur hoc loco Auguſtinus, vt cõſtat ex traditis per Turrecrematã, in dicto c. Præſul. 2. qō. 5.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa nõ facit ſtatutum contra Legem, vel Euangelium: quia D non ſtatuit, ꝙ paucorum, * vt duorum, vel trium teſtimonium ſufficiat ad ſententiandum aliquem. ſed ſtatuit, ꝙ numerus plurium teſtium ſit neceſſarius ad depoſitionẽ Clericorum Romanæ * Eccleſiæ, vel aliorum propter cauſas ſuperius dictas.

* al. quàm

* al. curiæ

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ nõ eſt ſimile. quia ſtatutũ prohibens ne Papa poſſet incuſari de hæreſi, eſſet in præiudicium totius Eccleſiæ: periclitaretur enim vniuerſitas fidelium ſub regimine eius. ſed plurium teſtium productio non eſſet in præiudicium, ſed in auxiliũ veritatis inueniendę, & determinandę.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ argumentum habet veritatem quando hæreſis eius, vt dicebatur, eſſet publica, & notoria: tunc enim ſine ſpe veniæ (vt dicebat opinio ſupradicta) tanquam ſubuerſus, proprio iudicio eſſet condemnatus.

ARTICVLVS VI.

VTRVM AD CONCILIVM generale ſpectet Papam in hæreſi deprehenſum condemnare.

Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 6. & 34. Et Armillam Tit. Papa. Et Iacobatium Tract. de Concilio lib. 4. par. 2. Archidiac. & alios in cap. In fidei fauorem de hæret. lib. 6. Et cauſa 2. q. 7. cap. Nos. Et 9. q. 3. cap. Nemo iudicabit.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Cōcilium generale non ſpectet Papam in hæreſi deprehenſum condemnare, vel ſententiare. Quia per illud Cōcilium Papa non poteſt damnari, quod non poteſt ſine eius auctoritate cōgregari. ſed abſque auctoritate Romani Pontificis Concilium congregari non debet, vt dicitur 17. Diſt. cap. Multis. Ergo per Concilium non poteſt ſententiari.

2 Præterea: Concilium non habet auctoritatem, niſi Papa approbante. Scribitur enim. 16. Diſt. cap. Sancta, ꝙ auctoritate Romani Pontificis octo Concilia roborantur. Sententia igitur lata contra eum nulla eſſet, ex quo non eſſet eius auctoritate roborata.

3 Præterea: Ille non poteſt conueniri cauſa fidei, qui pro loco, & tempore habet omnia, quæ ſunt fidei motare, & obſcura determinare. ſed talis eſt ipſe Papa. vt dicitur. 14. Diſt. cap. Sicut. Ergo à nullo poteſt pro tali cauſa in iudicio conueniri.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur. 21. Diſt. cap. Nunc autem; ꝙ cum Marcellinus Epiſcopus Vrbis Romanæ ſcelus idololatriæ cōmiſiſſet, collectū fuit vniuerſum Concilium Sanctorum patrū, & Epiſcoporum. & ſi ipſe propria voluntate non renunciaſſet, vel ſe corrigere noluiſſet, illi eum depoſuiſſent. Ad Concilium ergo ſpectat Papam in hæreſi deprehenſum condemnare, vel deponere.

RESOLVTIO.

Papæ depoſitio ad Concilium ſpectat. quia Papa in hæreſi perſeuerans, ipſo facto mortuus eſt. Mortuo autem ipſo, quantum ad corpus, quiſnam eius poteſtatem in Cardinalium Collegio, aut Eccleſia vniuerſalis remanere non aſſeuerat?

RESPONDEO, dicendum, ꝙ dupliciter poteſt oſtendi in caſu hæreſis depoſitionem Papę ad Concilium ſpectare: Primo quidem, ſicut Papa mortuo, poteſtas eius remanet in Collegio Cardinalium, vel in Collegio vniuerſalis Eccleſiæ (vt ſupradictum eſt) ſic Papa in hæreſi deprehenſo, ſtatim ipſo facto poteſtas eius remanet in Eccleſia, quia ſolum per tale crimen Papa deſinit eſſe Papa. per talem igitur poteſtatem Eccleſia poſſet illum damnare, ſicut per talem poteſtatem poteſt alium ſibi præficere. Secūdo quia magis eſt periculoſa hæreſis capitis, quàm membrorum. ſed, ſicut ſcribitur in Epiſtola Auguſtini ad Innocentium Papam, cum ſurrexit in Eccleſia hæreſis

E Pelagij, & Celeſtini, Auguſtinus cum. 40. Epiſcopis in Concilio congregati ſcripſerunt Papæ Innocentio dicente: Noua quippe hæreſis nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti, qui nobis etiam dominicam orationem impijs diſputationibus conantur auferre: ad quam extirpandam venerabilitas tua inſtanter, & celeriter prouidendum occurrat. Multo igitur fortius ad tollendam, & damnandam hæreſim in capite Eccleſiæ inſurgentem ſtatim vniuerſitas fidelium congregari deberet. Tomó 2. Epiſt. 92.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd cū Papa eſt Papa, Concilium congregari non debet, niſi auctoritate eius. ſed per crimē hæreſis (vt dictum eſt)
F Papa deſinit eſſe Papa. Ideo, in tali caſu eius auctoritas nō requireretur, ſed ſufficeret auctoritas Collegij, & aliorum Eporum,* ac Doctorum ſacræ Scripturæ.

* al. ſiue Doctorum, ac Magiſtrorū ſ. ſacra theologia.

AD ſecundum ſimiliter eſt dicendum. licet enim in quæſtionibus terminandis auctoritas Papæ dum eſt Papa, ſit neceſſaria, cum tamen deſinit eſſe Papa per crimē hęreſis, auctoritas illa remanet in Eccleſia, ſicut ipſo mortuo.

AD tertium eſt dicēdum, quòd verum eſt pro loco, & tempore Papā poſſe interpretari illa, quæ ſunt dubia, & obſcura in fide: illa ſemper tamen conditione ſeruata, quòd nec præceptis Euangelicis ſit contrarium, nec decretis ſanctorum Patrum inueniatur aduerſum, vt dicitur in eadem Diſt. c. Sicut.

G

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA MORTVVS condemnari poſsit propter hæreſim.

Papa mortuo quis ſit eius iudex in hoc caſu vide Archidiaconum in cap. In fidei fauorem, de Hæret. lib. 6. Et Albericum in Rubrica. C. de hæret.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa mortuus pro hæreſi condemnari non poteſt, vel excommunicari. Quia excommunicationē debet pręcedere admonitio, vt ſcribitur 12. q. 2. c. Indignè: ſed mortuus non pōt ad-
H moneri. Ergo pro quocunq; crimine non pōt dānari.

2 Præterea: Scribitur. 3. quæſt. 9. cap. Abſens. Abſens per alium accuſari, aut accuſare non poteſt. ſed Papa mortuus abſens eſt à vita militantis Eccleſię: Ergo ſicut iuſtè per alium non poteſt accuſari: ita iuſtè non poteſt condemnari.

3 Præterea: Si Papa mortuus damnaretur, vel excōmunicaretur, non fieret hoc niſi per Papā viuentem, ſed par in parem non habet imperium. Ergo videtur, quòd ſententia lata contra eum nulla ſit.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Auguſtinus in quadam Epiſtola, & ponitur. 24. quæſt. 2. cap. Sanè. Si vera ſunt; quæ Ceciliano obiecta ſunt, & nobis aliquando poſſunt monſtrari, ipſum mortuum anathematizaremos. Epiſt. 152. Tom. 2.

RESOLVTIO.

Papa mortuus, ſi poſt mortem in hęreſi deprehendatur, vel hæreſim, ſiue peruerſum dogma docuerit, aut nutriuerit; condemnari, & anathemati ſubijci poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ potiſſime in tribus caſibus mortuus poteſt excommunicari, & incuſari. Primo de hæreſi. Dicit enim Auguſtinus: & ponitur 24. quæſt. ſupradicta, † ꝙ ſi qui in vita ſua non rectè ſapuerunt, licet nō condemnati fuiſſent adhuc viuentes: tamen, demonſtrato peccato, etiam poſt mortem ipſi anathemati ſubijciantur. Secundū, ſi aliquis hæredes conſtituit hæreticos. Vnde ſcribitur extra de hære. cap. Si quis. Si quis Epiſcopus hęredes inſtituerit extraneos à conſanguinitate ſua, vel hęreticos; etiam conſanguineos, aut Paganos pertulerit: ſaltem poſt mortem ei anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur. Tertio. Si aliquis decedat cum notorijs criminibus, quia ex quo notorium eſt, eum impœnitentem deceſſiſſe; pro eo oblatio fienda non eſt, aut aliqua deprecatio, vt dicitur. 81. Diſt. cap. Neque. quod intelligendum eſt, ſi potuit confiteri, & pœnitere, & ex contemptu obſtinatus deceſſit. Si ergo notorium ſit, Papam mortuum hæreſim, & peruerſum dogma docuiſſe, vel nutriuiſſe in Eccleſiā, dum viuebat, poſt mortem etiam poſſet in tali caſu incuſari, & damnari.

† cap. ſanè profertur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in caſu hęreſis quilibet eſt admonitus, & à iudice, & à iure. Nā Matth. vlti. dicit Saluator: Qui non crediderit, damnabitur. Et à iure, quia admonitus eſt à Canone, ſicut patet. 23. quæſt. 5. cap. Adminiſtratores.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet ſit abſens quantum ad perſonam, præſens tamen eſt quantum ad effectum culpę. ſecundum quem modum puto, ꝙ poſſit contra eum fieri denunciatio, & accuſatio, ſicut fieret, ipſo viuente. Et ex quo contumax, & incorrigibilis deceſſit, poteſt excommunicari, & illa pęna puniri: qua in vita fuiſſet punitus, vt extra cemiterium proijci, & comburi.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſi in notoria hæreſi Papa decederet: & ipſo viuente peruerſum dogma, vel nutriuiſſet, vel docuiſſet, non eſſet tunc Papæ viuēti par, vel æqualis: quia ex tali crimine ſtatim deſiſtit eſſe Papa, nec amplius habet iuriſdictionē in Eccleſia.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPAE APERTE malo ſit obediendum.

Papa exiſtente malo, quibus remediis ſit vtendum. Vide Turrecrematam in Summa de Eccleſia, lib. 2. c. 106. Et vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 7.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ apertè malo obediendum nō ſit. quia ſcribitur Sapien. 11. Per quæ quis peccat, per ea puniatur. Sed Papa apertè malus peccat non obediendo Deo ſuo ſuperiori: Ergo per ea debet puniri, vt inferiores ſui ſibi non obediant.

A 2 Præterea: Super illo verbo ad Hebræ. 13. Obedite Præpoſitis veſtris. dicit gloſ. Obediendum eſt Præpoſitis inquantum vita, & mores eorum pij, & iuſti exiſtunt. Si ergo vita, & mores Papæ ſunt apertè mali, non eſt ſibi obediendum.

3 Præterea: Dicit Grego. in Reg. in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur, ſed non eſt præbenda occaſio culpæ extendendæ. Papę ergo apertè malo ſubtrahenda eſt obedientia, & reuerentia.

IN CONTRARIVM eſt, qđ ſcribitur. 1. Petri 2. Obedite dominis veſtris, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis.

RESOLVTIO.

B *Papæ apertè malo (vt auctoritate patet) obediendū eſt, cum prælationis poteſtas gratię gratis datę donum exiſtat, quod in Papa non niſi per hęreſim tolli poteſt.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Papæ apertè malo moribus, vel vita obediendū eſt, quod probatur primo auctoritate. Nam ſuper illo verbo ad Romanos. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Dicit Gloſſa: Poteſtatibus bonis, vel malis in eo, ꝙ ſublimiores ſunt, obediendum eſt. Si ergo obedientia, & ſubiectio debetur alicui ratione poteſtatis ſublimioris, quandiu durat in Papa talis ſublimior poteſtas, tandiu debet permanere in omnibus ſubditis eius ſubiectio, & obedientia. quia quandiu manet cauſa, tandiu debent manere effectus. Secun-
C do probatur hoc ratione. Nā poteſtas prælationis eſt donum gratiæ gratis datæ, non donum gratiæ gratis facientis: Sed tale donum gratiæ gratis datæ non tollitur in Papa per aliquod peccatum, niſi ſolum per vnum, puta pro crimine hæreſis, vt ſupra dictum eſt; per tale enim peccatum ſolum Papa deſinit eſſe Papa. Sed per cætera alia peccata poteſtas Prælationis in eo non tollitur. quia cum ſit donum gratiæ gratis datę non tollitur per peccatum, ſicut peccato directè, nō opponitur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ per quæ peccat aliquis, per illa debet puniri, quando iſtud poteſt fieri ſine detrimento alterius: Sed ſi Papæ apertè
D malo non obediretur, non poſſet fieri ſine detrimento Eccleſiæ. Et ideo de hoc non debet puniri.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ vita, & mores poſſunt eſſe pij, & iuſti ex parte Papæ dupliciter. aut quia per ipſum aguntur, & docentur. Et ſic obediendum eſt Papæ apertè bono, & ſancto. aut quia per ipſum ſolum docentur, ſed non aguntur, ad modū Scribarum & Phariſæorum, & ſic obediendum eſt Papæ apertè malo.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quædam eſt occaſio mali directa, quæ directè ordinatur in malum: & iſta non eſt dāda nec Papæ, nec alicui. Quædā verò indirecta, quę de ſe tendit in bonum, & iſta eſt danda aliquā do, vt quando illud bonum, quod eſt mali occaſio, eſt bonum neceſſitatis, & publicū totius Eccleſiæ, quod inde ſequitur, ſicut contingit in caſu propoſito.

QVAE-

QVAESTIO SEXTA DE PAPALIS SENTENTIAE APPELLATIONE.

NVNC *conſiderandum reſtat de Papalis ſententię appellatione. Circa quod quæruntur octo.*

Primo, Vtrum à Papa poſſit appellari ad Deum.

Secundo, Vtrum à Papa appellare ad Deum, ſit appellare contra Deum.

Tertio, Vtrum ſi à Papa appellatur ad Deum; talis appellatio admittatur apud Deum.

Quarto, Vtrum à Papa præſenti poſſit appellari ad Papam futurum.

Quinto, Vtrum à Papa poſſit homo appellari ad Collegium Cardinalium licite.

Sexto, Vtrum à Papa poſſit appellari ad Concilium generale.

Septimo, Vtrum Papa poſſit facere ſtatutum, quòd ab eius ſententia poſſit appellari.

Octauo, Vtrum ſit error dicere, ꝙ à Papa poſſit ad Deum, vel ad hominem appellari.

ARTICVLVS I.

VTRVM LICITE APPELLARI poſſit à Papa ad Deum.

De materia huius articuli & duorum proximè ſequentium, vide Iacobatium Tract. de Concilio lib. 10. ar. 4. vbi per omnia ſequitur Auguſtinum de Ancona.

AD Primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ licite à Papa poſſit appellari ad Deũ. Quia fideles Chriſti nõ ſunt à Deo derelicti. Ipſe enim dicit ad Hebr. 13. Non te deſeram, nec derelinquam. ita confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo. (Pſal. 117.) Sed plerumque cõtingit Papam iniuſtitiam facere; quia cum homo ſit, paſſionari, & perturbari poteſt: ita vt vel carnis affectione, vel aliqua corruptione à recto tramite iuſtitię deuiet. Ne ergo fideles Eccleſię à Deo videantur derelicti, licet eis in cauſa iniuſta ad Deum appellare.

2 Præterea: Scribitur Iſa. 64. quòd iuſtitię humanæ ſunt quaſi pannus menſtruatæ mulieris, poſſunt enim diuerſis falſis coloribus colorari: Sed appellatio eſt remedium de cauſa vitiata per iniuſtitiã: Scri-

E bitur enim. 2. q. 6. cap. Licet. Licet appellatori vitiatam cauſam remedio appellationis ſubleuare. Ergo in cauſa ſic vitiata licet à Papa ad Deum appellare.

3 Præterea: Scribitur Iaco. 5. In perſona opprimentium, & iniuſtitiam facientium: Ecce merces operariorum veſtrorum, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum introiuit in aures Domini Sabaoth. Sed non eſt aliud appellatio, niſi clamor de ſententia iniuſtè lata à iudice inferiori ad ſuperiorem. Videtur ergo, ꝙ à Papa ad Deum appellari poſſit, cum alium ſuperiorem non habeat.

IN CONTRARIVM eſt, quia aut Deus audi-
F ret cauſam per appellationem ad ipſum delatam inquantum Deus, aut inquantum homo. Non primo modo quia: Deum nemo vidit vnquam; (Ioan. 1.) Nec ſecundo modo, quia poſt Aſcenſionem non eſt modo humano cum hominibus conuerſatus. Vnde Ioã. 21. Mariæ Magdalenæ volenti ſecum modo humano conuerſari dixit: Noli me tangere. Videtur ergo, ꝙ ad Deũ in præſenti vita appellari non poſſit.

RESOLVTIO.

G *Appellatio à Papa ad Deum non minus ridicula, quàm fruſtratoria, dici poteſt, ſi uis eius, & Papa perſona, nec non Deus ipſe perpendantur.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ tribus rationibus, quantum ad præſens ſpectat, poteſt probari, ꝙ in pręſenti vita appellari à Papa ad Deum ridiculum eſt, & friuolum. Primo quidem ex parte ipſius appellationis. Secundo ex parte Papæ, à quo appellatur. Et tertio ex parte Dei, ad quem appellatur.

Prima ratio ſic patet. Eſt namque appellatio† remedium ad releuandum oppreſſos in cauſa iudiciaria.
H ita ꝙ ex parte cauſæ, pro qua fit, includit oppreſſorũ releuationem, quia non niſi pro cauſa iniuſta: vel pro iniuſtè oppreſſis appellatio eſt fienda.

† Vide l. 1. ff. de appellat.

Secundo Ex parte iudicis, à quo appellatur, includit Apoſtolorum petitionẽ. vnde dicitur. 2. queſt. 6. cap. Ab eo. ꝙ ab eo, à quo appellatum eſt, ad eum, qui de appellatione cogniturus eſt dimiſſoriæ litteræ dirigantur. quæ vulgo Apoſtoli appellantur, vt manifeſtè appareat ſuperiori iudici oppreſſum appellaſſe, & ad notitiam iudicis inferioris deueniſſe.

Tertio includit ex parte ipſius appellationis publicam conſcriptionem: quia dato, quòd Apoſtoli, qui petuntur, negentur, apparet iudici ſuperiori inferio-

rem

rem iudicem talem appellationem non latere, ex quo ſub manu publica conſcripta eſt.

Quarto, ex parte temporis includit debitam determinationem, quatenus ſic appellans non poſſit deludere ſuperiorem iudicem, & inferiorem, vtriuſque iudicium ſubterfugiendo.

Quinto, includit teſtium allegationem. quia his peractis coram ſuperiori Iudice adducuntur teſtes, & proceditur in cauſa ſecundum allegata, & probata.

Sexto, & vltimo, includit cauſę cognitionẽ. quia pronunciatur ſententia, & concluditur in cauſa. Ridiculum autem eſt dicere, ꝙ tali ordine iudiciario recurratur ad Deum in præſenti vita, cum ipſe in iudicio talem ordinem iudiciarum ſeruare non indigeat. nouit enim ipſe decipientem, & eum, qui decipitur: (Heb.4.) & ſunt nuda, & aperta oculis eius omnia: non ſolũ antequam ſcribantur, ſed etiam antequam fiant.

Secunda ratio accipitur ex parte Papæ. ſolus enim Papa dicitur eſſe Vicarius Dei: quia ſolum quod ligatur * vel ſoluitur per eum, habetur ſolutum, & ligatum per ipſum Deum. Sententia igitur Papæ, & ſententia Dei vna ſententia eſt: ſicut vna ſententia eſt Papæ, & auditoris eius. Cum igitur appellatio ſemper fiat à minori † iudice ad ſuperiorem, ſicut nullus eſt maior ſeipſo: ita nulla appellatio tenet facta à Papa ad Deum: quia vnum conſiſtorium eſt ipſius Papæ, & ipſius Dei: cuius conſiſtorij clauiger, & oſtiarius eſt ipſe Papa. Nullus ergo poteſt appellare à Papa ad Deum. ſicut nullus poteſt intrare ad conſiſtorium Dei, niſi mediante Papa, qui eſt æternæ vitæ cõſiſtorij clauiger, & oſtiarius. & ſicut nullus pōt appellare ad ſe ipſum: ita nullus pōt appellare à Papa ad Deũ. quia vna ſententia eſt, & vna curia Dei, & Papę.

(* al. & — † l. 1. ff. de appellat.)

Tertia ratio accipitur ex parte Dei, ad quem appellatur. Dicitur enim. 2. q. 6. c. Qui ſe, ꝙ iudicia appellationum ab eis ſunt audienda, ad quos appellatur. ita ꝙ ſicut iudices, a quibus appellatur, ſunt viſibiles, & viſibiliter, & ſenſibiliter ſententiauerunt contra oppreſſos; ita viſibiliter, & ſenſibiliter talis releuatio oppreſſorum debet fieri per ſuperiores iudices, ad quos appellatum eſt. planũ eſt autem, ꝙ Deus inuiſibilis eſt. Scribitur enim Exo. 33. Non videbit me homo, & viuet. Et in Iob 9. ſcriptum eſt: Si venerit ad me, nõ videbo eum. Non ergo viſibiliter, & ſenſibiliter pertractat cauſam delatam ad ipſum per appellationem. Scribitur enim Daniel 2. Sermo, quẽ tu quæris, res grauis eſt, nec reperietur quiſq̃, qui iudicet illũ, exceptis Diis, quorũ non eſt cum hominibus cõuerſatio.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Deus non deſerit ſuos fideles: ſed ſemper ſubuenit eis in cauſa iuſta, aut via appellationis: & ſic ſubuenit eis, mediante homine per ordinem iudiciarium. Quod inter homines agitur: Aut via ſupplicationis, & orationis: per quam immutat cor iudicis de iniuſtitia ad iuſtitiam, de malo ad bonum. Vnde iſto modo à ſententia Papæ ad Deum debet homo recurrere per orationem, & ſupplicationem modo, quo dicit ille ſanctus Iacob Geneſ. 43. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiſcum hunc fratrem veſtrum, & eum, quem tenet in vinculis. Quandoq; autẽ via remunerationis, quia iuſto ſuo iudicio permittit ſuos fideles quãdoq; iniuſtè opprimi, vt ex eorũ patientia magis eos remuneret.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ humana iniuſtitia non ſemper in præſenti vita diſcutitur. quia etiam diſcuſſa via appellationis, & modo iudiciario plerumque defectum magnum patitur. vt dicit Auguſtinus ꝙ lex iſta ciuilis, quę in regendo ciuitates poſita eſt, multa concedit, & multa impunita relinquit, quæ tamen per diuinam iuſtitiam iudicabuntur. (Lib. 1. de lib. arb. c. 5. Tomo 1.) Et idem Auguſtinus ſuper illo verbo. 1. Pet. 4. Si iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? dicit, quare iuſtus vix ſaluabitur. Niſi quia iuſtitiam Dei tantam eſſe conſtat, vt interdum, quæ videntur in hominibus noſtro iudicio eſſe iuſta, iudicio Dei inueniantur iniuſta. Relinquitur ergo diſcutiẽda iniuſtitia humana in futuro iudicio, ſed in præſenti vita non diſcutitur à Deo via appellationis, niſi mediante homine, & mediante ordine iudiciario à Deo inſtituto.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit gloſ. ſuper illo verbo: Illud dictum eſt ad terrorem illorum, qui putant pauperes, & oppreſſos nullum habere tutorem. ſed Dominus omnipotens cauſas ſingulorum in futuro iudicio tuebitur, in quo reddetur vnicuiq; ſecundum opera ſua.

ARTICVLVS II.

Vtrum appellare à Papa ad Deum ſit appellare contra Deum.

Vide Concil. Conſtantienſe, ſeſſ. 15. vbi appellationem Ioannis Huſſ ad Deum interpoſitam, tamquam iniurioſam & c. reiecit.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ appellari à Papa ad Deum non ſit appellare contra Deum. Quia plus valet appellatio viui, quàm mortui. Sed iniuſtitia facta Abel à fratre ſuo appellauit ad Deũ. Iuxta illud Geneſ. 4. Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Ergo videtur ſimiliter, ꝙ de iniuſtitia facta à Papa poſſit homo reclamare ad Deum.

2 Præterea: Appellatio eſt clamor de iniuſtitia facta ab inferiori Iudice perueniens ad ſuperiorem: ſed talis fuit clamor filiorum Iſrael perueniens ad Deũ. Iuxta illud Exod. 3. Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorem eius audiui. Videtur ergo, ꝙ licitum ſit à Papa appellare ad Deum.

3 Præterea: Appellare eſt iudicem ſuper ſua cauſa impetrare. Sed ſic appellauit Suſanna, quando dixit Daniel 13. Deus æterne, qui occultorum es cognitor: qui noſti omnia ante, quàm fiant: tu ſcis quoniam falſum contra me tulerunt teſtimonium. Et ſubditur ibi, ꝙ Dominus exaudiuit vocem eius. Appellatio ergo ad Deum de cauſa iniuſta non eſt contra Deum.

IN

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa eſt medius, & ſequeſter inter Deum, & hominem, ſicut fuit Moyſes. Iuxta illud Deuter. 5. Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos. ſed Dathan, & Abiron, qui contempſerunt ſententiam Moyſi, ſubmerſi ſunt in infernum, ac ſi contempſiſſent ſententiam Dei ſicut ſcribitur Numeri. 16. Videtur ergo, ꝙ appellare à Papa ad Deum ſit appellare contra Deum.

RESOLVTIO.

Qui à Papa ad Deum appellat, iudicium, quo iudicari debet homo in hac vita ex Dei inſtituto, ſubterfugere videtur: Dei diem præuenire nititur: Iuſtitiamq́, illam à Deo nō eſſe fatetur: Hinc à Dei iuſtitia ſe ſubtrahit, & contra ipſum Deum appellat.

RESPONDEO, dicendum, quòd appellatio, quantum ad præſens, tria importat. Primo ordinem iudiciarium, & per conſequens diuinam ordinationem. quia, vt dicitur ad Roma. 13. Quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt. Secundo importat temporis determinationem. quia in præfinito, & determinato tempore appellatio fienda eſt. Tertio importat proprię iuſtitiæ defenſionem. quia quicunque appellat confidit de propria iuſtitia: & propriam iuſtitiam tamquàm fundamentum ponit. Ex iſtis ergo tribus poteſt oſtendi, ꝙ quicunque in præſenti vita à Papa appellat ad Deum, appellat contra Deum.

Primo quidem ex parte diuinæ ordinationis. Nā ſuper illo verbo. 1. ad Corint. 4. Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, aut ab humano die. Dicit

G glo. Duo eſſe genera iudiciorum: vnum humanum, quo homo iudicat hominem in præſenti vita, quod Apoſtolus appellat diem hominis: Aliud diuinum, quo iudicabit Deus in fine ſeculi, quod Apoſtolus appellat diem Dei. Cum ergo appellatio non innitatur iudicio, quo iudicabit Deus: ſed innitatur proprio iudicio, quo iudicatur homo in præſenti vita. quicunque appellat à Papa ad Deum vult ſubterfugere iudicium illud, in quo Deus ordinauit, vt homo iudicet in præſenti ſeculo. Et, quantum eſt in ſe, vult ſubterfugere ordinationem diuinam. Et reſiſtendo diuinæ ordinationi, ſecundum Apoſtolum, reſiſtit diuinæ voluntati. Appellans ergo iſto modo a Papa ad Deum, appellat contra Deum.

H Secundo, quia talis appellatio repugnat temporis determinationi. Nam Deus præfixit diem determinatam, in qua omnes iudicandos per ipſum oportet præſentari ante tribunal ipſius, vt recipiat vnuſquiſque, prout geſſit in corpore, ſicut dicit Apoſtolus, 2. Corin. 5. Sed cum appellatio ſit remedium † iuris, quicunque in hac vita vult appellare ad Deum, vult via iuris ante diem iudicij, qui erit poſt hanc vitam, procedere in iudicio: & vult via iuris præuenire diem à iudice ordinatū. Et ſic iſto modo appellari ad Christum iudicem, eſt appellare contra iudicem.

† l. 1. ff. de appell it.

Tertio, talis appellatio repugnat diuinæ iuſtitiæ, Nam cum omnis appellatio innitatur iuri, & iuſtitię: ſequitur, ꝙ quicunque appellat, vult ſuam iuſtitiam ſtatuere tanquàm fundamentum, & de ſua iuſtitia habet confidentiam: Sed ſecundum Apoſtolum ad Ro-

E ma. 10. Quærentes ſuam iuſtitiam ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. omnis ergo appellans ad Deū, cum appellatio innitatur proprię iuſtitiæ, ſubtrahit ſe à Diuina iuſtitia, & prouocat Diuinam iuſtitiam contra ſe. quia cum non iuſtificetur in conſpectu eius omnis viuens caro. quicunque in conſpectu Dei vult ſtatuere propriam iuſtitiam, & de propria iuſtitia gloriari, quantum eſt in ſe, fatetur iuſtitiam illam à Deo nō habere. & ſic ſubtrahit ſe à iuſtitia Dei, ex quo ſuę appellationis propriam iuſtitiam ponit. Appellans ergo iſto modo ad Deum appellat contra Deum. In cōſpectu enim hominis homo poteſt appellare; & propriam iuſtitiam ſtatuere, cum ab ipſo homo non recipiat iuſtitiam, & alia bona ſua interiora, & ab eo nō cognoſcantur niſi illa, quæ foris apparent. ſed in con-

Pſal. 143

F ſpectu Dei talis appellatio, vel iuſtitię fundatio non habet locum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſanguinis Abel exclamatio non fuit appellatio, vel accuſatio. quia, vt ibi dicit gloſſa, Euidentia patrati ſceleris non indiget clamore * accuſationis, vel appellationis, ſed fuit Diuinæ iuſtitiæ vindictæ expreſſio. Vnde dicit ibi gloſſa: Magna eſt iuſtitiæ virtus, quæ vindictam exprimit pro ſanguine innocentis.

* al. accuſatoris.

AD ſecundum ſimiliter eſt dicendum, ꝙ clamor filiorum Iſrael fuit expreſſio diuinæ uindictæ, nec tamen hanc fecit Deus immediate per ſeipſum, ſed mediante Moyſe, cui dictum eſt: Veni, vt mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Iſrael de Ęgypto. Sic mediante Papa Deus facit in pręſenti vita iuſtitiā via appellationis de omnibus oppreſſis, à cuius ſententia appellare, eſt valde periculoſum, ſicut periculoſum fuit Dathā, & Abiron, qui ſubtraxerunt ſe à ſententia Moyſi.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ recurſus Suſannæ ad Deum nō fuit per uiam appellationis, ſed per modum deuotæ ſupplicationis. & iſti duo recurſus ſunt liciti, vt per modum appellationis recurratur ad hominem, potiſſime ad Vicarium Ieſu Chriſti, & per modum orationis, & ſupplicationis recurratur ad Deum.

ARTICVLVS III.

VTRVM APPELLATIO facta ad Deum ſit admittenda.

Præter Iacobatium citatum ſupra in 1. art. huius qū. vide Collectarium in c. Quæ multotiens. de Regul. iuris.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ appellatio facta ad Deum ſit admittenda. quia nulli eſt danda materia deſperandi: ſed ſi à ſententia iniuſtè lata à Papa ad Deum appellari nō poſſet, daretur homini materia deſperandi; ex quo ad aliquem recurrere nō poſſet. Ergo

go videtur, quòd talis appellatio ſit admittenda.

2 Prǣterea: Rationabile eſt, ꝙ cum deeſt auxilium humanum, quæratur diuinum: Sed. 2. Paralip. 20. dicitur in perſona illius ſancti Regis Ioſaphat: Cum deeſt nobis auxilium humanum, hoc ſolum eſt nobis refugium, vt oculos noſtros dirigamus ad Deum. Sed de ſententia iniuſtè lata à Papa non poteſt haberi auxilium humanum. Rationabile ergo eſt, quòd appelletur ad Deum.

3 Præterea: Superborum depreſſio eſt Deo placita: Iuxta illud Iudit. 9. Superbi ab initio Deo non placuerunt: ſed humilium, & manſuetorum ſibi ſemper placuit deprecatio. Sed in tali appellatione, qua appellatur à Papa ad Deum, ſequitur oppreſſorum liberatio, & ſuperborum humiliatio. Videtur ergo, quòd talis appellatio ſit rationabilis.

B In Contrarsvm eſt, quia ſubterfugere iudicium à Deo inſtitutum, eſt ſubterfugere ordinē Diuinæ iuſtitiæ: ſed ſic appellans videtur ſubterfugere velle iudicium à Deo inſtitutum. Non ergo talis appellatio admittenda eſt.

RESOLVTIO.

Qui à Papa ad Deum appellat, ſeipſum coram Deo ſe iuſtum reddit, iudicem verò iniuſtum. Hinc huiuſmodi appellans inſtar Phariſęi eſt repellendus. Adde etiam, quòd appellatio, qua ſcientia innititur, non niſi homine medio ad Deum ingredi poteſt.

C Respondeo, dicendum, ꝙ appellatio facta à Papa ad Deum rationabiliter eſt repellenda, & non admittenda propter duo. Primo quidem: quia omnis appellans iuſtificat ſe, & iniuſtificat iudicem, à cuius ſententia appellat. quia eo ipſo, ꝙ appellat, dicit ſe iniuſtè grauatum: & aſſerit iudicem eum iniuſtè grauantem, & per conſequens dicit ſe iuſtum, & Iudicem iniuſtum. Appellans igitur à Papa ad Deum neceſſario habet iuſtificare ſeipſum coram Deo, & iniuſtificare Papam. ſed quicunque iuſtificat ſe corā Deo, & iniuſtificat alium, meretur à Deo repelli. Exemplū habemus de Phariſęo Lucæ 13. Qui iuſtificans ſeipſum, & iniuſtificans Publicanum, fuit à Deo repulſus. Appellatio ergo facta à Papa ad Deum nō eſt admittēda: ſed potius repellenda ex parte ipſius appellantis, qui eo ipſo, ꝙ iuſtificat ſe, & iniuſtificat alium, repellēda eſt eius appellatio.

D Secundo, hoc patet ex parte ipſius appellationis. quia appellatio innititur ſcientiæ: quia innititur regulis iuris: Iura autem, & leges, planum eſt, ꝙ ſe tenent ex parte ſcientiæ. Cum igitur in ſciendo, & in cognoſcendo ſit motus rerum ad animam; oportet, ꝙ Deus cognoſcatur à nobis, non immediatè, ſed per ſuas ſimilitudines, & per ſuos effectus. Iuxta illud Apoſtoli ad Roma. 1. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Supplicatio verò, & oratio innititur gratiæ, & amori. quia in amando eſt motus animæ ad res. Ideo quamuis Deus à nobis non immediatè cognoſcatur, poteſt à nobis immediatè diligi, & immediatè amari. Appellatio igitur, quæ innititur ſcientię, non poteſt intrare ad Deū immediatè, niſi mediante homine, & mediantibus iu-

A dicibus inſtitutis à Deo. Sed oratio, & ſupplicatio, quę innititur amori, immediatè poteſt intrare ad Deum. quia intrat amor, vbi ſcientia foris ſtat.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ ſpes noſtra de Deo nō ſolum debet eſſe in hac vita, quia ſicut dicit Apoſt. 1. ad Cor. 15. Si in hac vita tantū in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. contingit .n. iuſto iudicio Dei homines bonos, & ſanctos quādoq; ab Eccleſia ſeparari per ſentētiam iniuſtam, vel excōmunicationis, ſeu depoſitionis. Qui ſi ſine vlla contumelia vſque ad mortem, fidem, quam in Eccleſia catholica prędicari ſciunt, te-

B neant, & defendant; hos coronat pius Pater in occulto videns, ſicut dicit Auguſtinus in libro de vera Religione. Tomo 5. cap. 6.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ cum deeſt auxilium humanum, quęrendum eſt diuinum, non per modum appellationis, ſed per modum deuotæ ſupplicationis, quam ſemper ipſe pius pater exaudit. vel liberando: vel patientiam tribuendo, vel in melius id, quod petitur commutando. Sæpe enim quæ petuntur, ſecundum Auguſtinum, non dantur quando petuntur, vel vt meliora dentur: vel differuntur, vt cōuenientiori tempore largiantur. In Ioann. Tomo 9. Tract. 102

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſuperbia ſuperioris in hac vita non eſt repellenda propria virtute, ſed patienter portanda. quia ſecundum Apoſtolum: Non Rom. 12.

C debemus vinci à malo, ſed vincere in bono malum. & potiſſimè ab obedientia Summi Pontificis locum Dei gerentis in terra, nullus ſub quocunque prętextu ſine nota ſuperbiæ poteſt ſe ſubtrahere.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM A PAPA PRAEſenti ad futurum poſſit appellari.

Vide B. Antoninum par. 3. tit. 23. cap. 3. §. 3.

D AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ à Papa p̄ſenti ad futurū poſſit homo appellare. quia maior eſt Papa futurus reſpectu præſentis, quàm fuerit Cæſar Imperator reſpectu Pauli. ſed Paulus ad Cęſarem appellauit contra illos, qui falſo modo ipſum incuſabant. ſicut patet Actuum. 25. Ergo multo magis à Papa præſenti homo poteſt appellare ad futurum.

2 Præterea: Scribitur. 2. quæſt. 6. cap. Qui. Qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe Prælatum. Sicut ergo præſens Papa ſcit ſe eſſe Præpoſitum in audiendo omnium * appellantiū iudicia: ſic non debet moleſtè portare, ſi ab eo ad futurum Papam appellatur. *al appellationem.

3 Præterea: Scribitur. 2. quæſt. ſupradicta cap. Quotiens. Romanam Sedem appellet, qui iudicem ſuſpectum

ſpectum habet: Sed Papa præſens quandoque poteſt haberi ſuſpectus Iudex. Ergo ad futurum Papam Romanam Sedem tenentem poteſt appellare.

In Contrarium eſt. quia appellationes, quæ fiunt cauſa dilationis, non ſunt recipiendæ. vt ſcribitur. 2. quæſt. 6. cap. Quicunque. Sed talis appellatio eſſet, qua appellaretur à Papa præſenti ad futurum, quia nunquam ſic imponeretur finis litibus, & quæſtionibus. Non eſt ergo talis appellatio recipienda.

RESOLVTIO.

A Papa præſenti ad futurũ appellari nõ poteſt. quia vel eſſet tranſitus à maiori ad minorem; (præſens enim & futurum ſe habent, vt actus, & potentia.) Vel ad parem: neutrum autem appellatio admittit: Vel aliquã inter fideles Eccleſiæ lites numquã dirimerentur.

F Respondeo, dicendum, ꝙ ridiculoſa eſt appellatio facta à Papa præſenta ad futurum. quod poteſt probari ratione oſtenſiua, & ratione ducente ad impoſſibile. Prima ratio eſt talis: Nam Papa pręſens comparatus ad futurum Papam, vt futurum, non eſt minor ipſo, immo maior, & perfectior. quia Papa præſens eſt in actu: futurus verò, vt futurus eſt, in potentia: ſemper autẽ actus eſt potior, & perfectior potentia. & quia à maiori ad minorem, & à perfectiori ad minus perfectum appellatio non tenet: Ideo iſto modo à Papa pręſenti vſque ad futurum appellare ridiculoſum eſt. Si verò appelletur ad futurum Papã, non vt futurum, ſed vt tunc præſentẽ; (quia tunc eſſet in actu, & eiuſdẽ auctoritatis, cuius eſt Papa pręſens) nec iſto modo teneret appellatio. quia planum eſt, ꝙ par in parem non habet imperium. Semper autem ille, qui cognoſcit de appellatione, maior eſt illo, à quo appellatur.

Ratio verò ducẽs ad impoſſibile eſt talis: Nam ſi à Papa præſenti poſſet appellari ad futurum: eadem ratione ab illo futuro poſſet appellari ad alium futurũ, & ſic duo impoſſibilia ſequerentur.

Primo, quòd eſſet proceſſus in infinitum.

Secundo, ꝙ quæſtiones, & lites inter fideles Eccleſiæ numquã finirentur: & ꝙ appellatio, quæ tamquã remedium iuris inuenta eſt pro iuſtitia, contra iuſtitiam militaret.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum ꝙ Paulus appellauit ad Cæſarem, tamquam Romanus ciuis, nõ tamquam maior, vel æqualis ſibi, vt dicit Auguſtinus. & ponitur 10. Diſt. cap. Si in adiutorium veſtrum terreni Imperij leges aſſumendas putatis, non reprehẽdimus: Nam fecit hoc Paulus, cum aduerſus iniurioſos Romanum ſe ciuem eſſe teſtatur. [Act. 25.]

Ad ſecundum eſt dicendum ꝙ Papa pręſens reſpectu futuri, vel eſt maior, vel ſaltem ſibi æqualis. Ideo ſine iniuria eius fieri nõ * poſſet talis appellatio. [* al. poteſt]

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ omnium cauſarum negocia Sedis Apoſtolicæ determinationi reſeruata ſunt, & in omnibus ſemper eius eſt expectandum cõ-

E ſultum, cuius tramiti ſi quis ex aliqua ſumptione, vel præſumptione obuiare tentauerit; non ſine honoris ſui periculo apud eandem ſedem ſe cauſas noſcat redditurum, vt dicitur. 2. quæſt. ſupradicta. cap. Qui ſe.

ARTICVLVS V.

VTRVM A PAPA AD Collegium Cardinalium liceat appellare.

Vide Iacobatium tract. de Concilio lib. 10. art. 3. vbi citat Auguſtinum de Ancona hoc in loco.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ à Papa ad Collegium Cardinalium licitè homo appellare poſſit. quia ad illos pertinet iudicare de Iudice, ad quos pertinet ipſum Iudicem eligere: ſed ad Collegium Cardinalium pertinet Papam Iudicem eligere. Ergo ad eos pertinet de ipſo Iudice iudicare.

2 Præterea: Papa tenetur ſententiare, & iudicare negotia Eccleſiæ de conſilio Cardinaliũ. ſi ergo aliqua facit non de conſilio eorum, videtur, quòd ſaltem in talibus ad eos appellari poſſit.

3 Præterea: Papa comparatur ad Cardinales ſicut caput ad membra: ſed aliquam virtutem recipit caput à membris. quia ſine vita cordis caput viuere nõ G poſſet. Sicut ergo, ſi caput in corpore naturali offenderet, poſſet appellari ad cor. ita ſi Papa, qui eſt caput in corpore myſtico, offendit, poteſt appellari ad Cardinales.

In Contrarium eſt, quia à maiori nõ † appellatur ad minorem: ſed minor eſt auctoritas Collegij, quàm Papæ. Ergo talis appellatio nulla eſt. [† Vide Hoſtienſ. in ſūma titul. de appellat. §. à quo & ad quẽ appellatio debet fieri.]

RESOLVTIO.

A maiori ad minorem appellatio nullius ponderis eſt. Quare à Papa ad Collegium Cardinalium non licet appellare, cum hoc minus eo dici meritò poſſit: & re uera exiſtat.

H Respondeo, dicendum, ꝙ Cardinales aſſiſtunt Papæ ſicut Cõſiliarij, & ſicut famulantes, & ſeruientes ſibi: oſtendunt enim ipſi Papæ diuerſas vias ſuper negocijs propoſitis, ſuper quibus conſiliũ vult accipere, & ad ipſum poſtmodum ſpectat eligere, & terminare quod magis expediens Eccleſiæ eſſe videtur. Vnde Cardinales à cardine dicti ſunt: quia ſicut in cardine vertitur totum oſtium: ſic inter eos vertuntur negotia conſiliabilia totius mundi. Sed magna dementia eſſet appellare à Domino ad ſibi ſubſeruientes: & à Rege ad ſuos cõſiliarios. Magnæ ſimiliter eſt dementiæ credere, ꝙ à Papa ad Cardinales poſſit appellari: cum ipſi Cardinales ad Papam comparentur ſicut ſubſeruientes, & ſicut conſiliatij eius. Papa vero comparatur ad Cardinales, ſicut cælum [Cardinales à cardine cur dicti.]

compara-

comparatur ad terram. Vnde dicitur 10. Diſtin. cap. Suſcipitis. Nunquid iuſtum vobis videtur, ſi cedat ſpiritus carni, ſi à terrenis cęleſtia ſuperentur, ſi diuinis præferantur humana? Sicut ergo cœlum generat, & corrumpit iſta inferiora, alterat, & variat ipſa; nihil tamen iſtorum inferiorum inſurgit contra cęlum, vel appellatur cõtra ipſum, ſed patienter tolerat quicquid cœlum operatur in eis ſiue per generationem, ſiue corruptionem, ſiue alterationem; ſic poteſtas Papalis tamquam cœleſtis, ita poteſt omnes inferiores poteſtates tam Clericorum, quàm Laicorum generare, corrumpere, & alterare, quòd nulli licet inſurgere, vel appellare contra ipſum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa eligit Cardinales, & Cardinales eligunt Papã; non tamẽ eodem modo. ſed Papa eligit Cardinales propria ſua virtute. quia quicquid fructus, & quicquid auctoritatis eſt in eis, eſt à Papa. Vnde Saluator Io. 15. dixit Diſcipulis, quorum perſonas Cardinales repræſentãt: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis. & Io. 15. dixit: Manete in me, & ego in vobis, quia ſine me nihil poteſtis facere. Sed Cardinales eligunt Papam in auctoritate ipſius Papæ, non auctoritate propria. quòd enim a duabus † partibus Cardinalium electus, ipſo facto ab vniuerſali Eccleſia Summus Pontifex habeatur, auctoritate Papæ firmatum eſt. Vnde ſic poſſunt Papam eligere auctoritate ſua, quòd tamen non poſſunt de ipſo electo iudicare, vel contra ipſum appellationẽ recipere.

† Cap. licet de uitanda. extra de electio.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non eſt de ratione Papæ, vt Papa, determinare, vel ordinare negotia Eccleſiæ de cõſilio† Cardinalium: Poteſt enim ſine eorum conſilio talia expedire, & determinare. quia Chriſtus, cuius vicem gerit, non legimus ꝙ aliqua de conſilio Apoſtolorum egerit, vel determinauerit, niſi tentatiuè eos inſtruendo, ſicut quando dixit Philippo:* Vnde ememus panes, vt manducent hi, tentans eum: Ipſe tamen ſciebat, quid eſſet facturus. Et ſicut quando dixit Petro:* Reges terræ, à quibus recipiũt tributum, à filijs, vel ab alienis. ſed quia Papa purus homo eſt, & poteſt in talibus negotijs falli, & fallere, tanto amplius decet ipſum cum maturiori conſilio agere cuncta, quæ agit, quanto per eum determinata ponuntur ſuper candelabrum, & non ſub modio, & quanto determinationi ipſius nullus mortalium audet reſiſtere.

† An Papa poſſit ardua negotia tractare ſine cõſilio Cardinaliũ. vide latè per Doctores in c. ſuper eo de hæret. lib.6. Et Aluar. lib. 2. c. 11.
*Ioan. 6.
*Matth. 17.

AD tertium eſt dicendum, quòd non eſt de ratione capitis, vt caput eſt, aliquid recipere à mẽbris, ſed ſemper influere. Vnde caput in corpore naturali nõ recipit aliquid à membris, vt caput. ſed ſi recipit aliquid, hoc eſt ratione nutrimenti, quo indiget per digeſtionem factam in ſtomacho, & in hepate, & in corde, & quantum ad hoc deficit à ratione capitis. ſed Summus Pontifex ſic eſt caput in toto corpore myſtico Eccleſiæ, ꝙ nihil virtutis, & auctoritatis à membris recipit, ſed ſemper influit. propter quod habet complete rationem capitis.

A

ARTICVLVS VI.

VTRVM HOMO POSSIT appellare à Papa ad Concilium generale.

Vide Turrecrematam in Summa de Eccleſia lib. 3. cap. 47. & latiſſimè Iacoba. in Tract. de Concilio lib. 10. art. 1.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ à Papa homo poſſit appellare ad generale Cõcilium. Quia à minori poteſt homo ad
B maiorem appellare. Sed maior eſt poteſtas in Concilio, quàm in Papa, quia in iſto Papa, vel in illo poteſtas Eccleſię moritur: ſed in Concilio, & in tota Eccleſia non moritur. Licet ergo à Papa ad Concilium appellare.

2 Præterea ſecundum Auguſtinum: Bonum commune pręfertur cuilibet bono priuato: ſed generale Concilium repræſentat bonum commune totius Eccleſiæ. Papa vero, cum ſit perſona priuata, merito ſubeſt auctoritati, & poteſtati Concilij.

3 Præterea: Communitas errare non poteſt: vnde nec excõmunicatur. † Papa vero errare poteſt, ſed ab omni deuio, & obliquo poteſt appellari ad rectum, & regulatũ. A Papa ergo ad Concilium poteſt appellari.

† Cap. Romana. §. in uniuerſitatẽ. de ſentẽ. excõ. lib. 6.

C IN CONTRARIVM eſt. Quia Concilium generale recipit auctoritatem à Papa, & non econuerſo. ſicut patet. 17. Diſtin.†

† per totam

RESOLVTIO.

Quisnam à Papa ad Concilium Generale appellari poſſe dixerit, cum in Concilio nulla electio fieri poſſit ſine Papę auctoritate?

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit Philoſophus tertio Ethicorum: Electio eſt determinatio Concilij. Fit enim Concilium ex multis perſonis, vt per illas proponantur diuerſæ viæ, ex quibus ille, qui præeſt Concilio, poſſit vnam præ alijs eligere.

Ariſt. 3. Eth. cap. 2.

D Nam ſecundum Damaſcenũ: Electio eſt, multis præexiſtentibus, vnum prę altero eligere. Sine Papa ergo vel eius auctoritate in Concilio nulla poteſt fieri electio de his, quæ proponuntur: Ideo dicitur 15. Diſt. Auctoritas congregandorum vniuerſalium Conciliorum penes Apoſtolicam Sedem reſidet: quia abſque Romani Pontificis auctoritate Concilium nec firmitatem, nec auctoritatem habet. Eſt ſimiliter alia ratio, quare à Papa ad Concilium appellari nõ poteſt. Quia ordinem rerum naturalium in regimine naturali nullus poteſt immutare, niſi Deus. Et in regimine morali ordinem iudiciarium nemo poteſt immutare, niſi Papa, qui vicem Dei gerit in terra. Sed ordo iudiciarius, qui vertitur inter homines, præſupponit auctoritatem Papę ad Concilium conuocãdo, & aucto-

De fi. orth. lib. 1. c. 22.

ritatem tribuendo,& modum appellationis vnius ad alterum ordinando. Ridiculoſa ergo eſt appellatio à Papa ad Concilium, cum ordinem iudiciarium in regimine Eccleſiæ Conciliũ immutare non poſſit abſque auctoritate Papæ.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ maioritas dicta de poteſtate, vt reſidet in Eccleſia, & in Papa, non accipitur ſecundum vniuocam rationem, quia vt eſt in Eccleſia, vel in Concilio eſt radicaliter, & habitualiter: quia deficiente Papa, & Collegio Cardinaliũ poſſet ſibi de Romano * Pontifice prouidere. Sed in Papa huiuſmodi potentia eſt actualiter; & quia quod eſt in actu poteſt agere: quod vero eſt in habitu, & in potentia non agit. Ergo poteſtas Eccleſiæ maioritate potentiali, vel habituali maior eſt in Concilio, & in tota congregatione fidelium, quàm in Papa. quia in Concilio fidelium talis poteſtas numquam moritur: In Papa verò iſto, vel illo moritur. Sed maioritate actuali maior eſt poteſtas Eccleſiæ in Papa, quàm in Concilio. quia Concilium per illam potentiam non poteſt agere: Papa vero poteſt agere, quando vult. Cũ igitur appellare dicat actum à Papa ad Concilium nõ tenebit talis appellatio, ſicut non tenet appellatio de maiori ad minorem.

*al. ita: de Rectore, & Paſtore.
*al. ita: de Romano Paſtore.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ quia ſecundum Auguſtinũ ſuper illo verbo Geneſ. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Omnia à Deo producta, bona quidem erant in ſe, ſed valde bona propter ordinem quem adinuicem retinent. Cum ergo totus Eccleſiaſtici ordinis Dux, & caput ſit ipſe Papa. ſicut per appellationem tolleretur talis ordo, ita tolleretur tale bonum. quia cum bonum exercitus nõ ſit niſi propter bonum Ducis, & bonum eccleſiæ non niſi propter bonum Papæ. maius bonum eſt bonum Ducis, quàm totius exercitus, & bonum Papę maius, quàm totius Eccleſiæ.

Tomo 3. & 13. confeſ. 28. Tom. 1.
Producta à Deo cur valde bona.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ quando Papa erraret, in tali caſu (vt ſupradictum eſt) recurſus poteſt haberi ad Concilium: quia propter hæreſim Papa deſinit eſſe Papa. ſed ipſo exiſtente in ſua auctoritate, nullus ab eo poteſt ſe ſubtrahere quacunque via.

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA POSSIT facere ſtatutum, Quòd ab eius ſententia poſſit appellari.

Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 35.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit ſtatutum facere, ꝙ ab eius ſententia homo poſſit appellare. Quia Papa poteſt facere ſtatutũ, ꝙ poſſit Papatui renunciare. Ergo, vt videtur, multò fortius poteſt facere ſtatutum, ꝙ ab eius ſententia homo poſſit appellare.

2 Præterea: Abſque iniuria alterius homo poteſt renunciare iuri ſuo. dato ergo, ꝙ ordine iudiciario appellatio à Papa nulla ſit, quia non recognoſcit ſuperiorem ſe in terris: poteſt tamen, vt videtur, prædictum ordinem iudiciariũ immutare, & tali iuri renunciare.

3 Præterea: Papa ſolutus eſt à ſolutione tributi. & tamen ſi tributum petit Imperator, Papa non negat. Ergo ſimiliter dato, quòd ſit abſolutus à lege appellationis, videtur quòd ſeipſum poteſt ſtringere tali lege.

In Contrarivm eſt. Quia Papa non poteſt, quod Decretis Sanctorum Patrum inuenitur cõtrarium, vel aduerſùm, vt dicitur 14. Diſt. cap. Sicut. Sed in capitulis Epheſini Concilij inuenitur diffinitum, quòd à ſedis Apoſtolicę ſententia nulli liceat appellare.

RESOLVTIO.

Papa ſi ſtatutum conderet, ut ab eius ſententia poſſet appellari; ſe totius Eccleſiæ caput negaret. Id quod nulli rationi eſt conſonum.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſicut Deus comparatur ad omnes cauſas ſecundas in actione naturali: ita Papa comparatur ad omnes poteſtates inferiores Eccleſiaſtici ordinis in iuriſdictione, & actione moralis, ſed ſic Deus comparatur ad cauſas ſecundas in iuriſdictione naturali, quia poteſt eximere vnam creaturam à iuriſdictione alterius, vt poteſt eximere cõbuſtibile à iuriſdictione ignis comburentis, vt quod ſtans in igne non comburatur, ſicut fecit de Daniele, & ſocijs eius: ſed non poteſt eximere aliquã creaturam à iuriſdictione ſua. Nam ſecundum Apoſtolum: Fidelis eſt Deus, & ſeipſum negare nõ poteſt. Si autem eximeret creaturam aliquam à iuriſdictione ſua, negaret, quòd eſſet Deus. Sic Papa comparatur ad poteſtates Eccleſiaſtici ordinis, quia põt eximere vnum Prælatum, & vnum Collegium à iuriſdictione alterius ſuperioris, nullum tamẽ poteſt eximere à iuriſdictione ſua. quia tunc negaret, ꝙ non eſſet caput totius Eccleſiæ. Cum igitur per talem appellationem homo ſubtrahat ſe à iuriſdictione Papæ, & ſupponat ſe iuriſdictioni alterius, non poteſt Papa ſtatutum de hoc condere, ſicut non poſſet facere ſtatutum, ꝙ Papa exiſtens Papa non præeſſet toti Eccleſię.

Creatura quõ priuari poſſit alterius nõ ſua iuriſdictione.
Daniel. 3.
2. Timot. 2.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Papa poteſt renunciare Papatui, ſed ꝙ exiſtens Papa neget ſe eſſe Papam, & caput totius Eccleſiæ, contradictionem implicat. Vnde iſtud non eſt factibile. illud autẽ* fit.

*al. ſic

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd quilibet poteſt renunciare iuri ſuo, ſi illud ius non eſt ſibi per alium acquiſitum, & ſi in præiudicium illius talis renunciatio non vertatur. Nunc autem ius Papę à ſolo Deo eſt ſibi acquiſitum. Et ideo exiſtens Papa non poteſt renũciare tali iuri ſine iniuria ipſius Dei, & totius Eccleſiæ.

AD

A

A D tertium eſt dicendum, quòd tributum ſoluitur de bonis temporalibus, quæ Papa poteſt ſupponere poteſtati aliorum abſque præiudicio ſuæ iuriſdictionis. Sed, ꝙ aliquis per appellationem ſubtraheret ſe vniuerſaliter ab auctoritate ſua, præiudicaret iuriſdictioni ſuæ, qua eſt caput totius Eccleſiæ.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM ESSET ERROR dicere, Quòd liceat appellare à Papa ad Deum, vel hominem.

B

Vide Collectarium in cap. Quæ multotiens, extra de regul. iuris. & Iacobatium tract. de Conc. lib. 10. art. 4.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſit error, dicere à Papa poſſe appellari ad Deum, vel hominem. Quia error, & omne vitium ſecundum Auguſtinum,† eſt cõtra naturã. ſed appellare ſuper cauſa iniuſta eſt naturale. ſicut naturale eſt violentiam repellere. Ergo ſic appellare non eſt error.

† Lib. 11 de Ciuit. c. 17. Tomo 5.

2 Præterea: Secundum Auguſtinũ in de vera Religione: Dubia in fide tandiu credenda ſunt, quandiu contrarium non præcipiat auctoritas ſanctæ Eccleſiæ. ſed nulla auctoritate videtur diffinitum, quòd hoc ſit error, dicere, à Papa ad Deum poſſe appellari. Ergo talis ad hominem appellatio ad hæreſim non pertinet.

Tomo 1. cap. 10.

3 Præterea: Vnuſquiſque tenetur ſe in vita naturali conſeruare, quantum poteſt. Ergo ſimiliter in vita morali. ſed appellatio ad hoc eſt inuenta, ad conſeruationem videlicet iuſtitiæ in vita morali. Ergo abſque peccato hæreſis non ſolum credere, verum etiam facere licitum eſt.

IN CONTRARIVM eſt, quia error eſſet credere Papam non eſſe caput totius Eccleſiæ. ſed quicunque credit, à Papa poſſe appellari ad hominẽ, vel ad Deum ordine iudiciario, credit Papam non eſſe caput totius Eccleſiæ. Ergo ſic credere error eſt.

RESOLVTIO.

Qui credit à Papa ad Deum, vel ad hominem appellari poſſe hac in vita; à temeritate, & ab errato non eſt alienus, cum contra Apoſtolicam peccet auctoritatem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ articulus fidei eſt credere vnam, ſanctam, catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. vnitas autem iſtius Eccleſiæ, & firmitas eſt ex vnitate, & firmitate capitis. quicunque autem credit à Papa poſſe appellari in præſenti vita ad hominem, credit aliud caput eſſe in Eccleſia præter Papam, & ſic non credit Eccleſiæ vnitatem. quicunque autem credit à Papa poſſe appellari ad Deũ ordine iudiciario, credit huiuſmodi ordinem iudiciarium nõ eſſe à Deo inſtitutum inter homines fieri in præſenti vita: & ſic peccat contra Apoſtolicam auctoritatem. Vnde puto, ꝙ error ſit credere, à Papa ad Deum vel hominem in præſenti vita poſſe appellari, potiſſime temerarie, & pertinaciter hoc defendẽdo.

Ad Argumenta.

C

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, Quòd illud, quod eſt naturale in vno, poteſt cõtra naturã eſſe in alio. Naturale namque in igne eſt calefacere, & cõtra naturam in aqua ſic naturale eſt, vt poteſtas inferior ſuper cauſa iniuſta recurrat ad ſuperiorem, ſed ꝙ ſubtrahat ſe vniuerſaliter à ſuperiori eſt contra naturam. quia tunc ſupremum non eſſet ſupremum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ quicunque pertinaciter defendit cõtra illa, quæ determinata ſunt per quatuor Concilia, hæreſim incurrit. quia illa approbata ſunt per Eccleſiam, ſicut quatuor Euangelia, vt ſcribitur 15. Diſt. cap. Sicut. ſed in capitulis Epheſini Concilij inuenitur, ꝙ à Sedis Apoſtolicæ ſententia nulli appellare liceat.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ vniuerſaliter homo tenetur vitam ſuam conſeruare tam naturalẽ, quàm moralem, quantum poteſt. ſed in caſu fidei, vel pro vitando maiori periculo, ſeu pro vtilitate Reipublicæ tenetur ſe mortis periculo exponere.

QVAESTIO SEPTIMA.

DE REPREHENSIONE PAPAE.

D

DEINDE conſiderandum eſt de Papa reprehenſione. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum ad Papam ſe extendat fraterna reprehenſio.

Secundo, Vtrum reprehenſio Papæ debeat fieri in ſecreto, vel in aperto.

Tertio, Vtrum, ſi Papa non audit reprehendentem, ſit dicendum Eccleſiæ.

Quarto, Vtrum Papa de omni peccato reprehendi debeat ex præcepto.

ARTICVLVS I.

VTRVM FRATERNA correptio extendatur etiam ad Papam.

Vide S. Thomam 2. 2. quæſt. 33. artic. 4. huc etiam ſpectant, quæ tradit Turrecremata in Summa de Eccleſia lib. 2.cap.106.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam ſe nõ extendat fraterna reprehenſio. quia ſcribitur Exodi 19. Beſtia, quæ tetigerit montem, lapidabitur: per montem verò Papa, per beſtiam aũt quilibet inferior: per tangere autem reprehenſio intelligitur. vt glo.dicit. Item.2.Regum.6.ſcribitur Oza percuſſus eſt, quia tetigit arcam Domini, per quam Papa ſignificatur. Similiter Numeri 12. ſcribitur, quòd Maria ſoror Aaron percuſſa eſt lepra, quia corripuit Moyſen Principem, & ducem populi. Non ergo ad Papã ſe extendit fraterna reprehenſio.

2 Præterea: Opera iuſtitiæ quandoque dimittenda ſunt propter ſcandalum, vt excommunicatio Principis, vel communitatis, ſeu repetitio decimarum quandoque dimittuntur propter ſcandalum vitandum. Cum ergo Papa de facili poſſit ſcandalizari, & indignari de reprehenſione ſibi facta, videtur quòd dimittenda ſit talis reprehenſio propter ſcandalum.

3 Præterea: Reprehendens eſt agens: reprehenſus verò eſt patiens. ſed ſecundum Auguſtinũ agens eſt ſuperior patiente. Papa ergo, qui ſuperior eſt, non debet ab aliquo reprehendi.

IN CONTRARIVM eſt, quia quilibet tenetur ex præcepto domini corripere fratrem ſuum. Iuxta illud Matth. 18. & ponitur 2.q6.1. Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolũ. ſed omnis homo eſt frater ipſius Papæ, quia ipſe Chriſtus, cuius vicem gerit, non confunditur omnes homines fratres vocare dicens ad Hebræ. 2. Nunciabo nomen tuum fratribus meis. Ergo talis reprehenſio ad Papam ſe extendit.

RESOLVTIO.

Fraterna reprehenſio ex charitate orta admonendi tantum gratia; non autem imperandi, comminandive, aut denunciandi cauſa; ad Papam ſe extendit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliqui dicunt reprehenſionem fraternam ſe non extendere ad Papam, niſi in periculo fidei, vel in crimine hæreſis: tunc enim inferior fit ſuperior, cũ agatur cauſa Dei. ſicut accidit de † Lanfredo monacho, qui de licentia ſui Abbatis iuit ad conuincendum Berengarium, qui impugnabat quendam articulum fidei. ſed in

† Puto legẽdũ Lanfranco, cuius liber extat ad

E omnibus alijs, cum corripiens reſpectu correpti teneat ſuperiorem locum, eo ipſo quòd Papa ſuperiorem locum tenet in tota Eccleſia: in præſenti vita nullus mortalium culpas eius reprehendere habet. vt dicitur 40. Diſt.cap.Si Papa. Et quando dicitur ex præcepto domini: Si peccauerit in te frater tuus, corripe ipſum: ergo ſi peccat in te talis frater, puta Papa * fallacia eſt conſequentis. non enim intelligitur talis correctio de omni fratre, ſed ſolum de inferiori, * vel æquali. puto tamen abſque præiudicio eſſe diſtinguendum, quòd correptio, ſeu reprehenſio tribus modis poteſt fieri.

uerſus Berẽgariũ hæreticũ. de quo uide in cap. Ego Berengari⁹ de cõſecr. Diſt 2.

* al. prima pars conſequentis falſa eſt.

* al. non æquali.

Primo modo, per modum ſimplicis admonitionis. & iſta cum procedat ex charitate, ſe extendit ad Papam, & ad omnes ſuperiores, maxime quando ſperatur de emendatione: Licet enim Papa ſit vniuerſaliter ſuperior alijs dignitate: in multis tamẽ, alijs

F poteſt eſſe inferior. Dicit enim Auguſtinus in Epiſtola ad Hieronym. Rogo te, vt me fidenter corrigas, vbi mihi hoc opus eſſe proſpexeris. quia quamquàm ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus presbytero maior ſit; tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt, licet etiam à minore non ſit refugienda, vel dedignanda correptio.

Tomo 2. Epiſt.19.

Secundo poteſt fieri per modum imperij, & pœnæ comminationis.

Tertio per modum denunciationis, & incuſationis coram Iudice: & neutra iſtarum extendit ſe ad Papam: quia prædictis modis ipſe Papa omnes iudi-

G cat, & à nemine iudicatur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illa correptio, quæ fit ab inferiori ad ſuperiorem ex ſimplici admonitione charitatis, debet habere tria.

Primo diſcretionem, & debitam diligentiam, vt ſperetur, vel credatur eius correptio.

Secundo debet habere ſubiectionem, & debitam reuerentiam, vt non fiat modo temerario, & cum proteruitate.

Tertio debet habere dilectionem, & beneuolentiam, vt non fiat cauſa diffamationis, ſeu detractionis. propter igitur carentiam primi, mandatũ fuit,

H beſtiam montem non tangere: id eſt beſtialiter, & indiſcrete Prælatum reprehendentem lapidari. propter carentiam vero ſecundi Oza percuſſus eſt temerariè tangens arcam: cum enim eſſet de genere ſacerdotali proprijs humeris debebat portare. Vnde dicitur in textu, ꝙ propter temeritatem percuſſus eſt à domino. Sed propter carentiam tertij Maria percuſſa eſt lepra: quia cauſa murmurationis, & diffamationis inſurrexit contra Moyſen.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ excommunicatio Principis, & multitudinis non dimittitur propter ſcandalum tantum, cũ æquitas iuſtitiæ non ſit dimittenda propter ſcandalum, ſed propter periculũ ſchiſmatis vel * cõtemptus excommunicationis vitandũ. Similiter repetitio decimarum à militibus, & Principibus non eſſet dimittenda propter ſcandalum: ſed

* al. contemptum.

ſed quia ipſi quandoque dicunt ſe habere eas ex dono Eccleſiæ.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ tali reprehenſione, quæ proceditur ex charitate cum cõditionibus ſupra dictis, ſuperior poteſt reprehendi ab inferiori: quia ſi ſuperior eſt, dignitate prælationis; in multis tamen alijs poteſt eſſe inferior.

ARTICVLVS II.

VTRVM REPREHENSIO Papæ debeat fieri palam, vel in ſecreto.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 33. ar. 4. ad ſecundum argumentum: & eadem quæſtione art. 7. Huc ſpectat quod dicit Auguſt. Epiſt. 28. ad Hieron. lib. de mendacio cap. 5. Et Vide Nic. Lyr. ſuper cap. 2. ad Galatas.

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in aperto, non in ſecreto reprehenſio Papæ debeat fieri quia Paulus inferior fuit Petro, tamen ſcribitur ad Gal. 2. ꝙ cum veniſſet Cephas Anthiochiã in faciẽ ſibi reſtitit coram omni populo, quia reprehenſibilis erat. In aperto ergo, non in ſecreto debet fieri Papæ reprehenſio.

2 Præterea: Scribitur 1. ad Timo. 5. Peccantem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Coram omnibus ergo Papa eſt arguendus, vt & cæteri timorem habeant.

3 Præterea: Scribitur Act. 5. ꝙ Petrus Ananiam, & Saphiram vxorem eius occultè defraudantem de pretio agri, publicè denunciauit, nulla ſecreta admonitione præmiſſa. Ergo ſi Papa occultè, vel publicè peccet, propter ſtatum publicum, in quo reſidet, publicè reprehendi debet.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſuper illo verbo Matth. 16. Aſſumens Petrus Ieſum ſeorſum, increpauit illum, dicit Hieronymus, ꝙ aſſumpſit Petrus Ieſum ſeparatum, ne præſentibus cæteris Condiſcipulis Magiſtrum videretur arguere.

† De hac quæſtione vide Theologos, ſcholaſticos lib. 4. ſentẽ. diſt. 19. Et Soto lib. 2. de iuſt. & iure q6. 5. art. 4. verſ. De tertio vero membro.

RESOLVTIO.

Reprehenſio illa, quę ad Papam ſe extendit (vt dictum eſt) in cauſa fidei palam: in cæteris verò peccatis in ſecreto facienda eſt, conditionibus ſupradictis ſeruatis.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ illa, quæſtio eſt dubia propter reprehenſionem Pauli † qui publice coram omnibus Petrum arguit. Sicut patet ad Gal. 2. Et quamuis ſecundum Hiero. dicatur, ꝙ talis reprehenſio fuerit diſpenſatoria, & non vera; econtrario dicente Auguſtino ꝙ fuit vera, & non ficta. Ad præſens tamen poteſt prędicta dubitatio ſolui vniuerſaliter de communi correptione fraterna, vt dicatur,

Tomo 2. Epiſt. 19.

A ſicut dicit Auguſtinus in libro de verbis Domini: ꝙ peccatum vel eſt publicum, & notorium: vel eſt occultum, & ſecretum. Si ſit publicum, quia tunc non ſolum peccat in te, nec tibi iniuriam, & contumeliam facit: ſed etiam in omnes videntes modo, quo dicitur. Matt. 18. de ſeruo nequàm, cuius * opera videntes cõſerui eius contriſtati ſunt valde: tunc (dicente Apoſtolo) coram omnibus debes arguere. Si verò peccatũ ſit ſecretum, tunc ſecundum verbum Saluatoris debes arguere inter te, & ipſum ſolum.

Tomo 10 Serm. 16.

* al. nequitiam

Secundo, poteſt ſolui particulariter de reprehenſione, quæ extendit ſe ad Papam, & loquendo de iſta, puto eſſe dicendum, quòd vel iſta reprehenſio eſſet in cauſa fidei, & in crimine hæreſis: & tunc publicè talis reprehenſio eſt fienda: Vnde dicit glo. ſuper illud
B ad Gal. 2. quòd nequaquam Paulus Petrum coram omnibus reprehendiſſet, vel in faciem ſibi reſtitiſſet, niſi ei fuiſſet par, vel æqualis: quod eſt verum quantum ad defenſionem fidei. Et Auguſtinus in Epiſtola ad Hiero. vbi iſtam quæſtionem pertractat; dicit, quòd Paulus poſteris præbuit exemplum, quo non dedignarentur maiores à minoribus corrigi pro defendendo Euangelicam veritatem, ſalua fraterna charitate. Et ſubdit, quòd pro veritate fidei minores maioribus reſiſtere poſſunt, ſi tramitem fidei, & veritatis relinquant. cum ergo iudaizare, & ad iudaizandum alios prouocare, iam veritate Euangelica promulgata, eſſet contra tramitem doctrinæ Euangelicæ, meritò in tali caſu Petrus à Paulo reprehenſus eſt: & Papa in tali caſu iuſtè à quocunque fideli
C poſſet corrigi. Si verò fiat ſuper emendatione aliorum peccatorum zelo charitatis verbo ſimplicis admonitionis, debet fieri in ſecreto; ſi ſperetur correctio: & hoc non temerariè, ſed ſeruatis conditionibus ſupradictis.

Tomo 2. Epiſt. 19.

Ad Argumenta.

A D PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Paulus fuit minor Petro, & maior, & ęqualis. Minor quidem fuit poteſtate pręlationis. quia ſolus Petrus fuit cephas, id eſt caput, totius Eccleſiæ. Maior autem prærogatiua electionis. quia electus fuit à Chriſto poſt Reſurrectionem, & poſt glorificationem. Vnde in bulla Papæ Paulus ponitur à dextris, Petrus verò
D à ſiniſtris. Sed ęqualis fuit officio prædicationis, & fidei defenſionis, quia creditum fuit ſibi Euangelium præputij, ſicut Petro Euangeliũ Circunciſionis, ſicut ipſe teſtatur ad Gal. 2. Vnde in tali caſu iuſtè poterat Petrum reprehendere, ſicut æqualem ſibi, vel minorem.

Paulus quõ minor, maior, & æqualis Petro.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd verbum Apoſtoli intelligitur de peccatis publicis, & notorijs. vel intelligitur de correctione, quæ pertinet ad Pręlatos, & ad quos pertinet corrigere, non ſolum per fraternã charitatem, ſimplici verbo monendo, verumetiam per iuſtitiæ æquitatem delinquentes puniendo, & pęnam infligendo, vt alij timeant.

A D tertium eſt dicendum, quòd peccatum Ananiæ, & Saphiræ vxoris eius non deuenerat ad notitiam Petri modo humano per denunciationem, vel

incuſationem, ſed diuinam reuelationem: & ideo E in peccato illo proceſſit non ſecundum formam humani iudicij, ſed ſecundum formam iudicij diuini tamquam executor Dei exiſtens.

ARTICVLVS III.

VTRVM, SI PAPA NON audit corripientem, dicendum ſit Eccleſiæ.

Vide S. Thomam ſuperiori articulo citatum: Et Doctores in cap. Si peccauerit. 2. q. 1.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quod non ſit dicendum Eccleſiæ: dato, quòd Papa non audiat reprehendentem. quia ſecundum Gloſſam per Eccleſiam intelligitur Prælatus ſuperior, ſed Papa non habet ſupra ſe Prælatum, niſi Deum: Ergo neglecta reprehenſione, non poteſt dici Eccleſiæ. F

2 Præterea: Secundum regulam Chriſti, Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus, ſi te non * audit; debes adhibere vnum, vel duos. Ergo teſtium adhibitio neceſſaria eſt ante, quàm dicatur Eccleſiæ.

* al. audierit

3 Præterea: Fama fratris reſeruanda eſt, & tanto magis fama Papæ, quanto eius famæ detrahere eſt magis periculoſum. ſed per dicere Eccleſiæ, fama eius perditur. Ergo neglecta reprehenſione per Papam, non propter hoc dicendum eſt Eccleſiæ. G

IN CONTRARIVM eſt, quia (vt ſupradictum eſt) ad Papam ſe extendit reprehēſio fraterna. Ergo ad ipſum ſe extendit ordo reprehenſionis fraternæ. ſed hoc eſt de ordine fraternæ reprehēſionis. quòd ſi homo non auditur in monitione ſecreta, dicatur Eccleſiæ. In reprehēſione ergo Papæ talis ordo debet ſeruari.

RESOLVTIO.

Fraterna reprehenſio, quæ, ſeruatis conditionibus, ad Papam ſe extendit; ordinem requirit: modò non ſit de hæreſi, in qua ordo non eſt ſeruandus. H

RESPONDEO, dicendum, quod (ſicut ſupradictum eſt) reprehenſio, quæ ſe extendit ad Papam per modum ſimplicis monitionis, eſt fienda cū ſpe emendationis, ſeruatis illis conditionibus, quòd fiat cum debita diſcretione, & diligentia, cum dilectione, & beneuolentia, & cum ſubiectione, & reuerētia. Diſtinguendum eſt tamen de his, quæ reprehenduntur in Papa. quia quædam ſunt occulta peccata, quæ ſolum ſunt in malum ipſius peccantis, & illius, in quem peccatur. & in talibus ordo, prædictus ſeruandus eſt, vt. ſ. prius, quàm dicatur Eccleſiæ, præcedat ſecreta monitio. Quædam vero ſunt, quæ redundant in malum totius Reipublicæ: ſicut peccatum hæreſis, & ſubuerſio totius fidei chriſtianæ, & in talibus non eſt talis ordo ſeruandus: ſed ſtatim * ſuccurrendum eſt periculo. eo quod bonum commune præferendum eſt cuilibet bono priuato. niſi firmiter crederetur, quòd à tali ſubuerſione per monitionem ſecretam vellet deſiſtere. Hunc enim modum tenuit Auguſtinus cum Epiſcopis Africanis, inſurgente Pelagianorum hæreſi: quod, non præcedente admonitione ſecreta, denunciauerunt Papæ Innocentio dicētes: Domino beatiſſimo, meritoq; venerabili Papæ Innocentio Auguſtinus in domino ſalutem. Noua quippe hæreſis, & nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti, qui nobis etiam dominicā orationem impijs diſputationibus conantur auferre, ad quam extirpandam venerabilitas tua inſtanter, & celeriter prouidendum occurrat.

* al. occurrendum.

Epiſt. 92. Tomo 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod per eccleſiam poteſt intelligi Prælatus, vel ipſa congregatio fidelium, qui locum Prælati tenet in cauſa fidei, vel in eo quòd redundaret in periculum multitudinis, & totius Reipublicæ.

AD ſecundum eſt dicendum, quod ille ordo debet ſeruari in peccatis, quæ ſunt in malum ipſius peccantis, ſeu facientis. ſed quando ſunt talia peccata, per quæ poteſt eſſe ſubuerſio chriſtianæ fidei, talis ordo ſeruandus non eſt.

AD tertium eſt dicendum, quod ſic Saluator ordinauit reprehenſionem fraternam fieri, vt prouideatur conſciētiæ, & in nullo fama lædatur, quod fit per ſecretam monitionem. tamen, quia conſcientia eſt famæ præferenda, ſi aliter peccatum fratris emendari non poteſt ſine diſpendio famæ, ordinauit Dominus finaliter, vt publicè denuncietur, quatenus talis obiurgatio à pluribus ſit ei remedium ſalutare. G

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA EX PRAEcepto reprehēdi debeat de omni peccato.

Vide Doctores in ſuperioribus articulis citatos.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quod de omni peccato Papa reprehendi non debeat. Quia ſuper illo verbo. Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus; dicit glo. Notabiliter eſſe dictum: Si peccauerit in te. quia, de peccatis commiſſis in Deum non eſt noſtri arbitrij iudicare. De blaſphemijs verò, & alijs peccatis in Deum commiſſis non eſt hominis Papam, vel aliū reprehendere. H

2 Præterea: In fraterna reprehenſione Chriſtum imitari debemus. Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 5. Imitatores mei eſtote ſicut filij chariſſimi. Sed Chriſtus multa peccata punit, de quibus ſecretā monitionem non præmittit. Non ergo de omni peccato eſt ſecreta reprehenſio facienda.

Præte-

3 Præterea: Scribitur Gene. 37. ꝙ Ioſeph accuſauit fratres ſuos apud patrē ſuū crimine peſſimo: nec legitur, ꝙ aliqua ſecreta monitio præceſſerit. Non ergo de omni peccato eſt talis reprehenſio facienda.

In Contrarivm eſt, quia ſuper illo verbo Matthæi 18. Si peccauerit in te frater tuus; dicit glo. Quocunque peccato peccauerit, te ſciente, debes corrigere fratrem tuum. De omni ergo peccato correctio talis eſt facienda.

Resolvtio.

Fraterna reprehenſio de omni peccato non eſt facienda, ſicut de omni non eſt prætermittenda.

summa tit. accuſatio. & denúcia. & inquiſit.

Respondeo: Differentia eſt inter denunciationem, † accuſationem, & proclamationem. quia denunciatio fit propter emendationem fratris. & ideo pręcedit fraterna reprehenſio ante, quàm fiat talis denunciatio, vt ſimul præſeruetur fama cū emendatione delinquentis. In accuſatione verò intenditur ſatisfactio Eccleſiæ, & præſeruatio ſalutis Reipublicę. propter quod non de omnibus fienda eſt accuſatio, ſed ſolum de illis, de quibus euidens eſt, ꝙ proueniat periculum toti multitudini, & toti Reipublicæ, vel ſpirituale, vel corporale. & quando ſic eſt, poteſt homo ad accuſationem procedere, monitione ſecreta non præcedente. quia bonum commune præferēdum eſt bono priuato. Vnde accuſationem oportet inſcribi; denunciationem vero non: ſicut patet extra de accuſat. cap. Super his. Sed proclamatio fit de quibuſdam leuibus peccatis, quæ magis debet dici commemoratio, quàm accuſatio, vel denūciatio: reducitur enim ad memoriam facti culpa, de qua purgare ſe tenetur, quæ famæ eius detrimentum non facit. Nam ſi pro- A clametur aliquis publicè de aliqua graui culpa, ex qua infamari poſſit, ſecreta monitione non pręcedente, illicitum eſſet, & contra Chriſti præceptum. Ex qua patet, ꝙ nec de omni peccato eſt reprehenſio fraterno facienda: nec de omni eſt prætermittenda.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ peccata committi in Deum, poteſt intelligi dupliciter: vel per cognitionem: ita ꝙ ipſe ſolus Deus ſciat, & non homo. & tunc talia non eſt arbitrij noſtri reprehendere, vel per offenſionem, ita ꝙ ipſe offendatur: quia ſi aliquid, te ſciente, contra præcepta eius, & talia ma- B gis tenemur reprehendere, quàm ſi committerentur in nobis.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ peccata occulta nobis, ſunt Deo manifeſta: Vnde ſicut omnia peccata publica ſe habent in iudicio humano: ſic omnia peccata nobis occulta ſe habent manifeſtè in iudicio diuino. propter quod poteſt punire ipſa, ſecreta monitione non præcedente. & tamen plerumque reprehēdit peccatores interius remorſum conſcientiæ tribuēdo, homine vigilante, vel dormiente. iuxta illud Iob 33. Per ſomnum in viſione nocturna, quando irruit ſopor ſuper homines, tunc aperit aures virorum & eos erudiens inſtruit diſciplina, vt auertat hominem ab his, quæ fecit.

C Ad tertium eſt dicendū, ꝙ multa credenda ſunt facta eſſe per antiquos patres pertinentia ad charitatem fraternam, quæ ſcripta non ſunt. poteſt ergo eſſe, ꝙ Ioſeph monuit fratres ſuos ante accuſationem, licet hoc non ſit ſcriptum. Vel poteſt dici, ꝙ illud peccatum erat crimen publicum, ſaltem inter fratres. vnde erat accuſatione dignum, ſecreta monitione non præcedente.

QVAESTIO OCTAVA

DE PAPAE REPRAESENTATIONE.

Post hoc videndum eſt de Papa repræſentatione. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa repręſentetur per Arcam Noe.

Secundo, Vtrum Papa repræſentetur per montem Synai.

Tertio, Vtrum Papa repræſentet Chriſtum quantum ad perſonam, vel quantum ad officium.

Quarto, Vtrum Papæ aſſiſtant Cardinales, ſicut Chriſto aſtiterunt Apoſtoli.

D

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPAE REPRAESENTETUR PER ARCAM NOE.

Vide Extrauagantem Bonifacij VIII. incip. Vnam ſanctam. tit. de maior. & obedient.

Ad primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non repręſentetur per arcā Noe. Quia arca. 40. diebus ſtetit ſuper aquis, & aquę eleuauerunt eam in ſublime à terra: vt ſcribitur Geneſ. 7. ſed poteſtas Eccleſiæ, cuius Papa ſponſus eſt,

eſt, eſt æterna. Iuxta illud Danielis.7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Ergo poteſtas Papæ non repræſentatur per arcam Noe.

2 Præterea; Arca. 15. cubitis eleuata eſt ſuper omnes montes: vt dicitur Gen. cap. ſupradicto. ſed poteſtas Papæ non eleuabitur, ſed deprimetur ſub tractis * fidelibus ab obedientia ſua: Iuxta illud primę ad Timo.4. In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris. Ergo poteſtas Papæ non repræſentatur per illam arcam.

* al. hominibus

3 Præterea: In Eccleſia, cuius Papa ſponſus eſt, plures ſunt mali, quàm boni. Sed ſcribitur Gene.7. ꝙ de animalibus mundis intrauerunt in arcam, ſeptena, & & ſeptena: De animalibus verò imundis, duo, & duo. Ergo Eccleſia, vel Papa non repręſentatur per illam arcam.

IN CONTRARIVM eſt. Quia vbi repræſentatus eſt Chriſtus, ibi repræſentatus eſt Papa, qui eſt Vicarius Chriſti. ſed in arca illa repræſentatus eſt Chriſtus. Scribitur enim extra. de ſi. catho. Firmiter credimus, ꝙ Chriſtus vna in duabus naturis perſona viam vitæ manifeſtius demonſtrauit, ſuper quo verbo dicit glo. ꝙ hoc ſignificatum fuit in arca Noe, vbi facta eſt ſanctorum redemptio per duas naturas quo ad opinionem, & veritatem.

RESOLVTIO.

Arca Noe quatuor modis Chriſtum, necnon Papā repræſentauit, qui quidem modi à quatuor qualitatibus ipſius Arcæ ſumuntur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ iſtam quæſtionē, qualiter Chriſtus, cuius Papa vicarius exiſtit, ſignificatus ſit per arcam Noe, pertractat Auguſtinus 15. de ciuitate Dei. cap. 26. & in libro contra Fauſtum Manichæum negantem in libris Hebræorum aliquid de Chriſto eſſe Prophetatum. Et poſſumus colligere ex dictis Auguſtini, ꝙ quatuor modis illa arca Chriſtum repręſentauit, & per conſequens Papam Vicariū eius repræſentabat. Primo, quantum ad illius arcę diſpoſitionem.† Secundo, quantū ad eius compaginationem. Tertio, quantum ad naturarum contentarū diuerſificationem. Et quarto quantum ad eius perfectionem, & conſummationem.

Tomo 5.

Tomo 6. Lib. 12. cap. 14.

† Vide Ioānem Buteonem de fabrica arcæ Noe.

Fuit autem diſpoſitio illius arcæ talis: quia. 300. cubitorum fuit longitudo. 50. cubitorum latitudo, & 30. cubitorum altitudo. ita quòd erat arca illa ſepties longior, quàm lata. Erat ſimiliter decies lōgior, quàm alta. ſecundum quem modum proportionatū eſt corpus humanum bene diſpoſitum. Nam longitudo corporis humani eſt à vertice capitis vſque ad veſtigia. Latitudo verò à dextra ad ſiniſtram, & altitudo eius à dorſo vſque ad ventrem. unde erit corpus humanum, ſi bene ſit proportionatum, ſepties longius, quàm latum, & decies longius, quàm groſſum, ſiue altum. diſpoſitio ergo illius arcæ ſignificabat diſpoſitionem Chriſti corporis in vtero virginali concepti.

Corpus proportionatū quō debeat eſſe.

Compaginata vero fuit illa arca ex lignis leuiga-
E tis: quia Eccleſia, cuius Chriſtus caput exiſtit, compaginata eſt ex viris ſanctis in æternum manſuris. ligna enim leuigata, vt dicit gloſ. Gen.7. ligna imputribilia ſunt. & non ſolum ligna illa erant leuigata; verumetiam quadrata, & bituminata. & quia leuigata erant, ſignificabant Sanctorum incorruptionem. quia vero erant quadrata, ſignificabant Sanctorū conſtantiam, & perfectionem. vt ſicut quadratum ſemper rectum ſtat: ita Sancti nec proſperis, nec aduerſis franguntur. ſed quia bituminata, ſignificabant Sanctorum dilectionem. eſt enim bitumen perfectiſſimū glutinum charitatis.

Continebatur autem in dicta arca natura maſculina, & fœminina de omnibus animalibus, quæ ſignificabāt duplicem naturam in Chriſto: diuinā, & hu-
F manam, per * quam facta eſt omniū Sanctorum redemptio, ſecundum veritatem, & ſecundum opinionem: quia ſecundum figuratiuam ſignificationē duplex natura in Chriſto ſignificata eſt per duplicē naturam exiſtentem in arca, ſcilicet maſculinam, & fœmininam.

* al. quem

Fuit autem illa arca ſic conſummata, quòd in parte inferiori multum lata, & in parte ſuperiori multū ſtricta. ſic Eccleſia, cuius Papa ſponſus exiſtit, inferius eſt multum ampla propter multos filios, quos habet, & multa membra habentia diuerſos actus. ſuperius, tamen eſt multum ſtricta: quia in vno cubito perficitur, & conſummatur. Iuxta illud Geneſ.7. In cubito conſumabis ſummitatem eius. In vno enim Chriſto capite tota Eccleſia eſt perfecta, cuius Vica-
G rius Papa exiſtit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit gloſa Gen.7. Quadragenario numero pluuia inundauit, & arca ſterit ſuper aquas. & poſt quadraginta dies Noe feneſtram aperuit: quorum dierum numerus ſignificabat tribulationem pœnitentię. quia ieiunantibus. 40. diebus cęlum aperitur. nam Moyſes Elias, & Chriſtus quadragenario numero ieiunia conſecrauerunt, tanquam tribus temporibus neceſſaria. ante legem, ſub lege, & ſub gratia.

AD ſecūdum eſt dicendum, ꝙ 15. cubitis arca illa fuit eleuata ſuper montes: quia ſacramentum baptiſmi, per quod eleuamur ad æternam quietem, dan-
H dam nobis in futura reſurrectione fienda in octaua ętate, tranſcendit omnem ſcientiam & omnem altitudinem montium ſuperborum. ſeptem namque, & octo faciunt 15. Quies ergo data homini ſeptima die, & futura reſurrectio fienda in octaua ætate per ſacramentum baptiſmi, nobis acquiritur, in cuius ſignificatione arca illa 15. cubitis ſuper montes eleuata eſt. ſicut gloſa dicit Geneſ.7.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non dicuntur ſeptena, & ſeptena de mundis animalibus intraſſe in arcam, & de immundis bina, & bina. ꝙ plures ſint boni quàm mali, ſed quia boni ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, qui ſeptiformi operatione donorum Spiritus ſancti commendatur. Iuxta illud ad Ephe. 4. Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

pacis. Mali vero in binario continentur, tamquam di-A uiſibiles,& ad ſchiſmata faciles. Ideo de mundis intrauerunt ſeptena,& ſeptena: & de immundis bina, & bina. ſicut gloſa exponit capitulo ſupradicto.

ARTICVLVS II.

Vtrum Papa repræſentetur per montem Sinai.

A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim ꝙ per montem Sinai non repræſentetur Papa. quia mõtem Sinai poterat populus aſcendere, clangente buccina. Iuxta illud Exo. 19. Cum clangere cœperit, buccina aſcendant populi in montem: ſed montem, qui Papa eſt, non debet aliquis aſcendere, vel tangere: quia omnis, qui tetigerit talem montem morte morietur, vt dicitur eodem lib. & c. Ergo per mõtem illum Papa non repræſentatur.

2 Præterea: Super illo verbo Pſal. 23. Quis aſcendet in montem Domini? dicit gloſa, quòd nullus propria virtute: Sed ad Papatum quis propria virtute aſcendere poteſt. Ergo per montem illum Papa non ſignificatur.

matth. 17. 3 Præterea: In monte illo Petrus petijt fieri tria tabernacula: Chriſto vnum, Moyſi vnum, & Elyæ vnũ. ſed in Papatu nõ eſt niſi unum tabernaculum, & vna poteſtas. Ergo per talem montẽ Papa nõ ſignificatur.

In Contrarium eſt gloſſa ſuper Exodi 19.

RESOLVTIO.

Sinai mons non in concinnè Papam ſignificare poteſt, ſi Exodi verba 19. capite perpendantur. Id quod præ ſe ferunt ipſum montem aſcendendi temporis congruitas, montis altitudo, uniuerſus què Populus, coram quo Dominus ſuper montem deſcendit.

Respondeo dicendum ꝙ congruè per mõtem Sinai Eccleſia, †cuius Papa eſt caput,& Rector, ſignificata eſt. Ita enim ſcribitur, Exo. 19. Die aũt tertia deſcendet Dominus coram omni plebe ſuper montem Sinai. In quibus verbis tanguntur tria, per quę congrue ſignificatur Eccleſia. Primo, temporis congruitas, quia non prima die in lege naturæ: nec ſecunda die in lege ſcripta: ſed tertia diem lege gratię. quando venit plenitudo temporis, tunc Chriſtus * deſcendit aſſumens carnem in vtero virginali. Secundo, Eccleſię nniuerſalitas, quando dicit: Coram omni populo. Nam in lege gratiæ Eccleſia incæpit eſſe omnis populi,& eſſe vniuerſalis. quia in ea non eſt *acceptus Græcus, neque Latinus, nõ maſculus neq; fœmina, vt dicitur Gal. 4. Vnde ſola ipſa dicitur catholica, quod idem ſonat, qđ vniuerſalis ſecundum Iſido. Synagoga Iudæorum catholica non erat: quia nec erat vniuerſalis, quantum ad ritum, cum non tenerentur ritum illum ſeruare niſi Iudęi. nec quantum

† De variis ac diuerſis rebus, per quas ſignificatur Eccleſia, vide plene rurrecre matam in ſumma de Eccleſia, lib. 1. cap. 31. & multis ſequentibus. * al. venit

* al. excepť

lib. 10. Etymol.

ad tempus, quia non ſemper erat duratura. Tertio, ipſius Eccleſiæ altitudinis ſublimitas, quando ſubditur: Super montem Sinai. Super Eccleſiam enim totã Chriſtus deſcendit, quia ipſe venit omnes ſaluos facere,& ad cognitionem veritatis perducere, vt dicitur. 1. ad Timo. 1. Significatur autem congruè poteſtas Papalis, & Eccleſiæ, per talem montem, propter dictæ poteſtatis ſublimitatem: quia non eſt aliqua altior, & ſublimior ipſa propter eius auctoritatem. quia omnes alij montes, & omnes aliæ poteſtates huic ſubijciuntur. Volentes illi ergo reſiſtere auſu temerario, lapidibus opprimendi ſunt. ſic enim dicitur Exo. 19. Cauete, ne aſcendatis in montem, neque tangatis finẽ B illius: omnis, qui tetigerit montem, morte morietur. Et ſubditur ibi: Manus non tangent eum, ſed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis, ſiue iumentum fuerit, ſiue homo.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Origenes ſoluit dictum argumentum ſuper verbo allegato, dicens, quòd prius Deus prohibet populum in montẽ aſcẽdere, mortemque minatur: poſtmodum iubet, vt, clangente buccina, populi in montem aſcendant, humanam compeſcens audaciam: & ad obediendum inuitans. prohibemur ergo montem Papalis poteſtatis aſcendere, vel tangere per rebellionem,& temerariam reſiſtentiam,& iubemur, clangente buccina, eius doctrinæ dictum montem aſcendere per receptionẽ C eius mandati,& eius ſubiectam obedientiam.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd mons ibi accipitur pro ſacra Scriptura, cuius cognitio mons magnus,& altus eſt. quia omnium mundanarum ſcientiarum cacumina tranſcendit: omnemque philoſophiam ab alto deſpicit: ad quem montem ſi Philoſophi eorum ingenij cacumine aſcendere potuiſſent, numquam idola colniſſent: nec vmquã creaturæ collum inclinaſſent: ſicut dicit Richardus in libro de cõtemplatione par. 1. cap. 75.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum Hiero. Errauit Petrus tria tabernacula petens fieri, cum in vnum tabernaculum,& in vnam veritatem conueniat Lex, Prophetia,& Euangelium.& ſicut Petrus errauit volens facere diuiſionem in monte ſacræ Sripturæ: D ſic erraret faciens diuiſionem in monte vnitatis Eccleſiæ; ponens alıud caput in ſpiritualibus, & alıud fore in temporalibus.

lib. 3. in matth. matth. 17. Petrus q̃uo errauit, & ante miſſionem ſpiritus ſancti ſ intelligitur.

ARTICVLVS III.

Vtrum Papae repræſentet Chriſtum, quantum ad ipſius Chriſti perſonam.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa repræſentet Chriſtum, quantum ad perſonam eius. Quia tenens locum alicuius repræſentat perſonam eius: ſed Papa tenet locum Chriſti.

Chriſti. Dicit enim Cyrillus ĩ lib. Theſau. ꝙ Apoſtoli in Euangeliis, & Epiſtolis affirmauerunt in omni Doctrina Petrum eſſe loco Domini & eius Eccleſiæ, dantes eidem locum in omni capitulo & ſynagoga in electione, & confirmatione. Papa ergo tenens locum Chriſti repræſentat perſonam eius.

2 Præterea: Dicit idem Cyrillus in lib. ſupradicto, ꝙ Petro omnes iure diuino caput inclinant. & Primates mundi tamquam ipſi Domino Ieſu obediunt. Omnis ergo Papa ſucceſſor Petri perſonam Chriſti repræſentat.

3 Præterea: Quilibet Papa ſuccedit Petro. Sed Petrus ſuccedit Chriſto. Vnde Chriſoſt. exponens illud verbum Ioã. 21. Paſce oues meas: ſic dicit eſſe intelligendum, loco mei præpoſitus eſto fratrum. Papa ergo repræſentat perſonam Chriſti.

F

In Contrarivm eſt. quia perſona Chriſti fuit æterna: perſona vero cuiuſlibet Papæ eſt temporalis. Sed temporale non ſuccedit ęterno.

RESOLVTIO.

Papa repræſentat Chriſtum, non quantum ad perſonam, ſed quantum ad officij adminiſtrationem: Petri verò quilibet Papa ſucceſſor eſt quantum ad perſonã, mortis interuentione Prędeceſſoris, vel officij reſignatione, vel ipſius hæreſis lapſu. Hinc Chriſti Vicarius, aut miniſter, non ſucceſſor dici debet, cum Chriſtus ſemper uiuat, & in Pontificatu regnet.

G

Respondeo, dicendum, ꝙ Petrus non ſucceſſit Chriſto, vt eſſet Chriſtus, ſicut ipſe erat: ſuccedit enim vnus Papa alteri, & vterque eſt Papa, nec vnus altero maior: ſed Petrus non ſucceſſit Chriſto, ꝙ eſſet Chriſtus æqualis ei in perſona: Nõ enim dicimus, ꝙ ſint plures Chriſti, quorum vnus ſuccedat alteri, ſicut dicimus, quòd ſunt plures Papæ, quorum vnus alteri ſuccedit: Nam ſi ſunt aliqui, qui dicantur Dij multi, & domini multi: nobis tamen non eſt niſi vnus Deus pater, ex quo omnia, & nos in illo: & vnus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum, vt dicit Apoſtolus 1. Cor. 8. Succeſſit ergo Petrus Chriſto, & quilibet alius Papa ſuccedit ſibi, vt Vicarius eius in officio, & poteſtate, non in perſona: Nam, ꝙ vnus Papa perſonaliter cedat, & alius perſonaliter ſibi ſuccedat tribus modis, quantum ad pręſens, contingere poteſt. Primo, mortis interuentione. quia cum quilibet homo ſit mortalis, mortuo vno Papa, vel uno Epiſcopo, poteſt alius ſibi ſuccedere in Papatu, vel Epiſcopatu. Secundo culpæ * diſpoſitione: vt ſi labatur in hæreſim, ipſo facto debet cedere, & alius ſibi ſuccedere. Tertio, officij reſignatione: vt ſi ex defectu ſcientiæ, vel ſenectutis officium Papatus ipſe Papa reſignet, poteſt perſonaliter cedere, & alius eligi, & perſonaliter ſibi ſuccedere.

H

* al. depoſitione.

Vi c. 1. de renunc. lib. 6.

Nullo autem iſtorum modorum Chriſtus potuit perſonaliter cedere: nec poſſet, quin ſemper ſit Papa, & caput, & Rector totius Eccleſiæ. Non quidem mortis interuentione. quia perſona Chriſti æterna fuit, habens immortalitatem, † & lucem habitans inacceſſibilem, immo in ipſa paſſione, & morte, quam in humana natura ſuſtinuit, effectum vitę habebat. quia dicente Apoſtolo ad Hebræ. 7. Factus eſt Pontifex ſecũdum virtutem vitæ inſolubilis. Nec culpæ depoſitione: quia peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Nec officij reſignatione. quia ipſe factus eſt Papa, & Pontifex, cum iureiurando per eum, qui dixit ad eum: Tu es Sacerdos in æternum. Non igitur perſonaliter Chriſtus ceſſit Papatui, & Põtificatui: & per conſequens nec Petrus, nec aliquis Papa ſucceſſit, vel ſuccedet ſibi perſonaliter: quia non poteſt aliquis alicui perſonaliter ſuccedere, niſi aliquis ſibi perſonaliter cedat iſtis tribus modis ſupradictis. Chriſtus ergo, * qui ſemper eſt niuens, & ſemper eſt Papa, & Pontifex totius Eccleſiæ, & erit in perpetuum, non poteſt perſonaliter ſibi cedere, nec alius perſonaliter ſibi ſuccedere. poteſt enim Pontifex, ipſo viuẽte, conſtituere Vicarium ſuum, qui repræſentet perſonã eius in officij adminiſtratione: ſed quòd ſuccedat ſibi perſonaliter, non. ſic Chriſtus, qui ſemper viuit, & ſemper eſt Sacerdos in ęternum: & numqnàm poteſt cedere Papatui, & Pontificatui perſonaliter, quin ipſe perſonaliter ſit caput, & Põtifex totius Eccleſiæ; inſtituit Petrum ſuum Vicarium, cui totum, quod ſuum erat, plenè commiſit, vt loco eius regeret totam Eccleſiam. Vnde Petrus ſucceſſit Chriſto, non quidem perſonaliter, cum Chriſtus perſonaliter non ceſſiſſet. ſed ſicut Vicarius, & miniſter eius in officij adminiſtratione. Poteſt ergo quilibet Papa poſt Petrum dici ſucceſſor Petri perſonaliter, quia cedẽte Petro perſonaliter per mortem, alius perſonaliter ſucceſſit. Sic quolibet Papa perſonaliter cedente, vel per mortem, vel alijs modis ſupradictis, poteſt alius eligi, & perſonaliter ſuccedere: ſed tam Petrus, quàm ſucceſſores eius non ſunt perſonaliter ſucceſſores Chriſti: ſed dicuntur Vicarij, & miniſtri eius, ipſo Chriſto ſemper viuente, & ſemper in Papatu, & Pontificatu regnante. Et ſic Paulus appellat Petrum, & alios ſucceſſores miniſtros, & Vicarios Chriſti dicens. 1. ad Corin. 3. Quid igitur eſt Appollo, quid vero Paulus, quid autem Cephas? reſpondet ſtatim: Miniſtri eius, cui credidiſtis.

† 1. ad Tim. cap. 6.

Pſal. 109

* al. quia

Petrus ſucceſſit Chriſto non pſonaliter, ſed vt vicarius.

Papa quilibet eſt ſucceſſor Petri pſonaliter: & Vicarius Chriſti.

Et per hoc patet reſponſio ad Auctoritates, & Rationes ſuperius dictas.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CARDINALES Aſſiſtant Papæ, ſicut Apoſtoli aſtiterunt Chriſto.

Vide Iacobat. tract. de Concil. lib. 5. art. 5. in princ.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Cardinales non aſſiſtant Papæ, ſicut Apoſtoli aſtiterunt Chriſto. Quia Epiſcopi repręſentant perſonas Apoſtolorũ, ſicut Presbyteri, & Archidiaconi repræſentant perſonas illorum 72. Diſcipulorum, quos Chriſtus ante faciem ſuam miſit:

miſit: ſicut dicit glo. Lucæ 10. Non ergo Cardinales aſſiſtunt Papæ, ſicut Apoſtoli Chriſto.

2 Præterea: Omnes Apoſtoli fuerunt Epiſcopi. ſed nō omnes Cardinales ſunt Epiſcopi. aliqui enim ſunt Presbyteri, & aliqui Diaconi. Ergo non aſſiſtūt Papæ, ſicut Apoſtoli Chriſto.

3 Præterea: Apoſtoli ſunt miſſi in mundum vniuerſum. Iuxta illud Matth. vlt. Euntes docete omnes gentes: ſed Cardinales non mittuntur. Ergo non aſſiſtunt Papæ, ſicut Apoſtoli Chriſto.

IN CONTRARIVM eſt. quia Apoſtoli appellati ſunt Chriſti fratres. Iuxta illud: * Nunciabo nomen tuum fratribus meis, & Principes terræ per eum facti ſunt. Iuxta illud: Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram: ſed Papa cum facit aliquos Cardinales, inſignit eos iſta duplici dignitate: quia dicit: Eſtote fratres noſtri, & Principes mundi: Ergo aſſiſtunt Papæ, ſicut Apoſtoli aſtiterunt Chriſto.

* al. Narrabo
Pſal. 21.
Pſal. 44.

RESOLVTIO.

Hierarchia Eccleſiaſtica Hierarchiam Angelorum imitatur, in qua nonnulli mittuntur, quibus aſſimilantur Epiſcopi 72. Diſcipulos repræſentantes: aliqui verò aſſiſtunt, quibus Cardinales comparantur, Apoſtolos repræſentantes.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Apoſtoli dupliciter poſſunt conſiderari.

Primo, vt Chriſto * præſentialiter aſtiterunt, ante eius Paſſionem, & Aſcenſionem. Secundo, vt ex præcepto Chriſti poſt eius Aſcenſionem per mundum ſe diuiſerunt: vnuſquiſque vnam Prouinciam in ſortem ſuæ prædicationis accipiendo.

* al. perſonaliter

Primo ergo modo repræſentant perſonas Apoſtolorum Cardinales: qui Papæ Vicario Chriſti* principaliter aſſiſtunt.

* al. perſonaliter

Secundo vero modo repræſentant perſonas Apoſtolorum Epiſcopi, qui in partem ſolicitudinis vocati ſunt, regentes diuerſas Prouincias, vel diuerſas Ciuitates: ſecundū quod fecerunt Apoſtoli poſt Aſcenſionem Chriſti. & iſtud ſatis conueniens eſt: quia, ſicut in Hierarchia Angelorum aliqui ſunt aſſiſtentes, & aliqui miſſi: ſic in noſtra Eccleſiaſtica Hierarchia aliqui debent eſſe miſſi, & aliqui aſſiſtentes.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi, & Cardinales perſonas Apoſtolorum repræſentant, licet diuerſimode. quia illi, vt miſſi, & iſti vt aſſiſtentes. & hoc intelligitur de communi lege, & ſecundū communem ſtatum vtrorumque, ſicut tamen ex ſuborta cauſa Angeli de ſuprema Hierarchia quandoq; mittuntur; vnde ille Angelus, qui miſſus eſt ad purgandum labia Iſaiæ Prophetæ de ordine Seraphin eſt appellatus: ipſo Propheta teſtante: Volauit ad me vnus de Seraphin, non obſtāte, quòd Seraphin potiſſimè ſint inter aſſiſtentes. ſic ex ſuborta cauſa Cardinales quandoque mittuntur à Papa, non obſtante, ꝙ ipſi repræſentent perſonas Apoſtolorum, vt fuerūt aſſiſtentes, non vt miſſi.

Iſa. 6.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Apoſtoli non ſemper aſtiterunt Chriſto, vt Epiſcopi, ſed magis vt miniſtrantes, & in * aliis actibus neceſſariis: facti ſunt enim Epiſcopi ab eo poſt Reſurrectionem quando Ioan. 20. dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. ſic ad Cardinales non requiritur, quòd ſint omnes Epiſcopi, vt aſſiſtunt Papæ: ſed vt miniſtrent ei in * aliis actibus neceſſariis.

* al. aliquibus
Epiſcopi qñ à Deo facti.
* al. aliquibus

AD tertium patet ſolutio. quia ex ſuborta cauſa Epiſcopi poſſunt aſſiſtere Papæ, & Cardinales poſſunt mitti ſecundum beneplacitum eius.

QVAESTIO IX. DE EXHIBITIONE HONORIS PAPAE.

Ad intelligendam doctrinam Auguſtini Triumphi in omnibus articulis huius quæſtionis, vide Theologos Scholaſticos cum Magiſtro, lib. 4. ſent. diſt. 9. Et S. Thomam 2. 2. quæſt. 84. art. 1. & quæſt. 103. per totam quæſtionem.

DEINDE *videndum eſt de exhibitione honoris, qui debetur Papæ. Circa quod quæruntur ſex.*

Primo, Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur Chriſto ſecūdum, ꝙ Deus.

Secundo, Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur Chriſto ſecundum, ꝙ homo.

Tertio, Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur Sanctis.

Quarto, Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur Angelis.

Quinto, Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur imagini Chriſti.

Sexto, vtrum Papæ apertè malo debeatur honor.

ARTICVLVS I.

VTRVM HONOR, QVI debetur Chriſto ſecundum quod Deus, debeatur Papæ.

Vide Armillam, Tit. Adoratio, de Duliæ, & Latriæ adoratione tractantem.

AD. Primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ honor, qui debetur Chriſto ſecundum, ꝙ Deus debeatur Papæ. Quia honor debetur poteſtati: ſed vna eſt poteſtas Chriſti ſecundum

quòd

quòd Deus, & Papæ. quod probatur. quia poteſtas Chriſti ſecundũ ꝙ Deus eſt peccata dimittere. iuxta illud Mar. 2. Quis pōt peccata dimittere, niſi ſolus Deus. Iſtud autē cõuenit Papæ. quia quodcunq; ligat, vel ſoluit ſuper terram, eſt ligatum, vel ſolutum in cęlis. ſicut dictum eſt Petro, Matth. 16. Idem ergo honor debetur vtrique.

2 Præterea: Latria eſt ſeruitus debita ſoli Deo. Latinè enim ſeruitus Gręce latria dicitur, ſicut dicit Auguſtinus 10. dę Ciui. Dei. c. 1. (Tomo 5.) ſed omnis ſeruitus debetur Papæ. Ergo omnis honor, qui debetur Deo, debetur ſibi.

3 Præterea: Dominatio conuenit Deo ex tempore ſicut ſeruitus ex tempore conuenit creaturæ. Vnde ſicut dicit Auguſtinus 5. de Trinit. cap. 16. quòd non debemus dicere, Deum fuiſſe Dominum ab æterno, ne cogamur creaturam ſempiternam dicere. quia ille ſempiternè non dominaretur, niſi iſte ſempiternè famularetur. Sed omne: quod conuenit Deo ex tēpore, conuenit creaturæ, & Creatori. Idem ergo honor debetur Papæ, qui debetur Chriſto ſecundũ, ꝙ Deus.

In Contrarium eſt. Quia honor, qui debetur Creatori, ſine peccato idololatriæ non debetur puræ creaturæ. Dicit enim Auguſtinus 1. de Trini. c. 6. (Tomo 3.) Idololatræ dicuntur, qui ſimulacris, vel creaturis eam ſeruitutem exhibēt, quæ debetur Deo: quæ ſeruitus Græca ſcriptura latria nominatur: ſecũdum * quam dictum eſt. (* al. quod) Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Sed Chriſtus ſecundum quòd Deus eſt creator, & idem Deus cum patre & filio. Papa vero eſt pura creatura. Idem ergo honor nõ debetur vtrique ſine peccato idololatrię.

RESOLVTIO.

Latria, quæ alio nomine ſacrificium appellatur, nõ niſi ſoli Deo debetur. Dulia verò, quę etiam Deo impenditur, creaturæ, exhiberi poteſt, & præſertim Papæ debetur, vt thurificatio, & genuflexio, idq; genus alia, quæ creaturæ, & Creatori ratione analogiæ, non vniuocationis conueniunt.

Respondeo, dicẽdum, ꝙ Chriſtus ſecundũ, ꝙ Deus vno honore honoratur cum Patre, & Filio. quia ſicut tres perſonæ ſunt vnus Deus: ſic vno honore honorantur. Sciendum eſt tamen, ꝙ honor poteſt exhiberi Deo dupliciter. Primo ratione communis poteſtatis, quæ conuenit cum creaturis, conuenientia cuiuſdam analogiæ, non vniuocationis: Conuenit enim Creatori, & creaturæ poteſtas, & damnatio, & multa alia: vt bonitas, ſcientia, & Iuſtitia, quę attribuuntur Deo, tamen conueniunt creaturæ: Deo quidem eſſentialiter: creaturæ verò participatiuè, & * miniſterialiter: (* al instrumentaliter) Et ratione iſtorum, quæ conueniũt Deo, & creaturæ, quidam honor, & quidam ſeruitus impenditur Deo, (Dulia) quæ ſine peccato poteſt exhiberi creaturæ, vt thurificatio, & genuflexio: & * alia ſeruitus, (* al. illa) quæ græco nomine dulia appellatur ſecũdũ Auguſt. lib. ſupradicto. Quædam vero ſeruitus Deo impenditur (Latria) ratione eius ſingularis maieſtatis, quia dominatio, * & poteſtas, (* al. vel) quæ eſt in Deo, nõ eſt poteſtas,

E vel Dominatio ſimpliciter dicta, ſed poteſtas, & damnatio ſumma: quę nõ eſt * alia, (* al. aliud) quã ipſa deitas, & diuina maieſtas, ratione cuius ſingulare genus * ſeruitij (* al. ſeruitutis.) ſibi exhibetur, quod latria appellatur. Quomodo autē latria ſit ſingulare genus ſeruitutis, Auguſt. declarat. (Tomo 5.) 10. lib. de Ciui. Dei. cap. 4. dicens, ꝙ in ſacrificando * ſit (* al. ſit) Dei cultus, & quòd ſacrificium ſumere, ſit propriè ſeruitus debita ſoli Deo, græco nomine latria appellata, duo illi fratres Cain, & Abel ſatis indicant. quorum maioris Deus reprobauit ſacrificium, minoris verò aſpexit. Sacrificium ergo eſt ille ſingularis honor, & illa ſingularis ſeruitus, quæ ſic debetur Chriſto, ſecundum quòd Deus, quòd non debetur Papæ, nec alicui puræ creaturæ. Vnde Auguſt. libro ſupradicto dicit: Vt alia nunc taceam, quæ pertinent ad Re-F ligionis obſequium, quo colitur Deus; ſacrificium certe, nullus hominum eſt, qui audeat dicere deberi, niſi Deo. Et ſubdit: Multa denique de cultu diuino vſurpata ſunt, quæ honoribus deferuntur humanis, ſiue humilitate nimia, ſiue adulatione peſtifera: ita tamen, vt quibus ea deferuntur, homines haberētur, qui dicuntur colendi, & venerandi: ſi autem multũ eis additur, & adorandi. Sacrificandum verò nullus cenſuerit, niſi ei, quẽ Deum aut ſciuit, aut putauit, aut finxit.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut ſeruus reſpicit dominum: ſic ſeruitus dominationẽ: G & ſicut ſeruitus ſimpliciter dicta, dominationẽ ſimpliciter: ita ſeruitus ſumma dominationem ſummam. In Chriſto autem, ſecundum ꝙ Deus, inuenitur dominatio, quæ eſt poteſtas ſumma: & ideo ſeruitus ſumma ſibi debetur, quæ latria appellatur. In Papa autem non inuenitur niſi participatiuè, & miniſterialiter.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd aliquid boni eſt in Creatore, quod nõ eſt in creatura, ratione cuius ſibi debetur proprius honor, qui non debetur creaturæ. ſed quia nihil eſt in creatura, quod non excellentius ſit in Creatore: Ideo omnes honores, qui impenduntur creaturæ, poſſunt exhiberi Creatori.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus poteſt cõſiderari dupliciter: ſcilicet inquantum dominus, & H inquantum Deus. Inquantum quidem dominus, cũ dominatio cõueniat ſibi, & creaturæ, adoratur dulia: ſed inquantum Deus adoratur latria. licet enim poteſtatis dominatio, vt eſt in Deo, vel in Chriſto ſit in ſummo: poteſt tamen conſiderari, vt non ſummum, ſed vt communicatum tale attributum creaturæ: ſecundum quem modum nõ eſt inconueniens, ꝙ talis ſeruitus cõueniat Deo ex tempore.

ARTI-

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPAE DEBEATUR honor, qui debetur Chriſto ſecundum, quòd homo.

De Adoratione, quæ Chriſto debetur ſecundum humanam naturam, necnon eius imagini, & aliorum Sanctorum, vide Armillam Tit. Adoratio.

AD ſecũdum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ debeatur honor, qui debetur Chriſto ſecundom, ꝙ homo. qoia ſuper illo verbo: Adorate ſcabellum pedum eius, dicit gloſſa: Caro Chriſti à verbo Dei aſſumpta ſine vlla impietate adoratur à nobis, non illa adoraoione, quæ latria eſt, quæ ſoli Deo debetur; ſed illa, quæ eſt Hyperdulia, quæ ſoli humanitati Chriſti impenditur. Cum ergo talis honor non repugnet Papæ: videtur, ꝙ licitè ſine peccato ſibi exhiberi poſſit. Pſal. 98.

Tomo 5. 2 Præterea: Dicit Auguſtinus 10. de Ciuita. Dei cap. 20. Mediator Dei, & homioom homo Chriſtus Ieſus: cum in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumat, cum quo eſt vnus Deus: tamen in forma ſerui ſacrificium maluit eſſe, quàm ſomere. Si ergo formæ ſerui in Chriſto oon eſt ſacrificandum, quod eſt propriè latria: quantum eſt de omni alio honore. ita poteſt exhiberi Papæ ſicut Chriſto.

3 Præterea:, Chriſtus, ſecundum ꝙ homo non eſt Deus. ſed omnis honor, qui non debetur Chriſto ſecundum ꝙ Deus, licite poteſt exhiberi Papæ. Idem ergo honor debetur Papæ, qui exhibetur Chriſto ſecundum, ꝙ homo.

IN CONTRARIVM eſt. quia honor debetur alicui ratione ſoppoſiti. ſed io Chriſto noo eſt niſi ſuppoſitum diuinum, & perſona diuina. ſed non poteſt ſioe peccato idololatriæ honor, qui debetur Deo, exhiberi puræ creaturæ.

RESOLVTIO.

Honor, qui Chriſti humanitati, vel carni exhibetur, Papæ non debetur, cum ipſa honore latriæ adoretur, non primò, & per ſe; ſed per accidens, id eſt ratione diuinitatis annexa, propter quam diuinitatem, & in qua caro ipſa adoratur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ idem hooor, qui debetur Chriſto, vel diuioitati eius, debetur eius humanitati. † qood probatur ratiooe, auctoritate, & exemplo. Ratio eſt talis: Nam honor poteſt exhiberi alicui duobus modis. Vno modo per ſe, & primo, & gratia ſui. Alio modo per accidens, & vt coniunctum alteri, & noo vt per ſe, oec gratia ſui.

† Vide Magiſtrũ, lib. 3. ſent. diſt. 9.

Primo modo ſolum natura diuina, & perſona diuina honoratur honore Latriæ. Secundo modo caro Chriſti, & homanitas ipſa, vt cõiuncta diuinitati, eodem honore honoratur, quo hoooratur perſona diuina. Auctoritas vero eſt Damaſceni lib. 3. cap. 8. de fide Orthod. vbi ait: Caro Saluatoris ſecundum quidem eios naturam ſi conſideretur, vt diuiſa à diuinitate, ſubtilibus intelligentijs, inadorabilis eſt, nec adoretur, vt ſic, oiſi vt creatura. vnita autem Dei verbo, propter ipſum, & in ipſo adoratur eodẽ hooore, quo adoratur ipſe. Exemplum autem eſt eiuſdẽ Damaſc. ſopradicto lib. ſi enim conſideretur carbo per ſe non inflammatus igne, tangibilis eſt, nec timetur: ſi vero cõſideretur vt igne inflammatus eodem timore, quo timetur ignis, timetur carbo. Similiter ſi cõſideretor caliga Regis per ſe ooo coniuncta pedi, non honoratur, nec oſculatur. In pede vero eodẽ oſculo, quo oſculatur pes, oſculatur caliga. Si vero honor, qui debetur deitati, debetur humanitati Chriſti, noo nudæ, ſed vt coniunctæ perſonaliter diuinitati, cum honor debitus Deo ſine peccato idololatriæ oon poſſit exhiberi Papæ, non debet Papæ exhiberi honor, qoi debetur Chriſto, ſecundum ꝙ homo.

Carbonis exemplum illuſtre.

Exemplum alterum nõ inconcinnè poſitum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ gloſa illa loquitur de humanitate Chriſti, vt nuda, non vt perſonæ diuioæ coniuncta. Nos autem (vt dicit Damaſcenus) noo vt nudam carnem Chriſti honoramus, vel adoramus, ſed vt vnitam diuioitati eius.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Chriſtus in forma ſerui ſacrificiom accipere potuiſſet, quod eſt ſeruitutem latriæ recipere. ooluit tamen in dicta forma talem ſeruitutem recipere (vt dicit Auguſt. libro ſupradicto) propter eius homanitatem oſtendendam, & propter ſcandalum Iudæorum vitãdum. Similiter ne eius occaſiooe qoiſque exiſtimaret cuilibet ſacrificandom eſſe creaturæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſto non debetur honor ſecũdum ꝙ homo, qui debetur deitati per ſe: tamen vt eius humanitas, perſonaliter eſt coniuncta diuinitati: idem honor debetur vtrique.

ARTICVLVS III.

VTRVM HONOR, QUI DEBETUR Sanctis, debeatur Papæ.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ honor, qui debetur Sanctis, non debeatur Papæ. quia Beata Virgo mater fuit omoium Sanctorũ: ſed aliquis honor debetur B. Virgini, qui oõ debetur Papæ. Quod probatur. qoia ſecũdum Auguſtioum in Sermone de Aſſomptione: Eadem caro fuit matris, & filij: Ideo ſicut caro filij non fuit corrupta, ſed aſſumpta: ita & matris. Similis ergo honor, qui debetur filio, debetur matri. ſed honor debitus filio non debetur Papæ, vt dictum eſt, ergo.

2 Præterea. Quod per ſuper abundantiam dicitur uni ſoli conuenit. Sed de ſolis Apoſtolis dictum eſt: Nimis honorati ſunt amici tui Deus ergo: talis honor non debetur Papæ. Pſal. 138.

3 Prętérea: Honor debetur Papę ratione poteſtatis,

 & au-

& auctoritatis: Sanctis sotem debetur honor ratione E ſanctitaoſ, & bonitatis. Nam propier ſanctitatem canonizantur aliqui, & oumerantur in catalogo Sanctorum. Non ergo honor debitus eis debetur Papæ.

In Contrarium eſt, quia Sancti honorátur, & laudantur: quia in eis honorstur, & laudatur
Pſal. 150. Deus. Inxta illud Pſalmi: Laudate Dominũ io Sanctis eios. Sic eodem modo in Papa, & in alijs Prælatis Ecclesiæ honoratur Deus: Iuxta illud Lucæ 10. Qui vos aodit, me aodit & qui vos ſpernit, me ſpernit. Honor ergo, qui debetur Sanctis, debetur Papę.

RESOLVTIO.

Honor, qui Sãctis debetur, Papę exhiberi debet ratione poteſtatis ordinata, qua cum ipſam Sanctitatem F *includat, ſine ipſa inueniri non debet.*

Respondeo, dicendum, ꝙ honor Papæ exhibetur ratione poteſtatis, & auctoritatis. verum quia poteſtas talis eſt ordinata, potiſſime, quia eſt à Deo ſibi tributa. Et, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, ſicut dicit Apoſtolus ad Rom. 13. Ideo includit talis poteſtas vitæ ſanctitatem, & doctrinæ veritatem. quãuis enim (abſolute loquendo) poteſtas poſſit eſſe sine ſapiennia, & bonitate: & per conſequens ſine iſtis poſſit homo ratione ſolios poteſtatis honorari: poteſtas tamen Papæ, quæ ſupponitur eſſe ordinata, ſine bonitate, & ſcientia inoeniri nõ debet. Propter quod licet honor ſit ſibi exhibendus ratione poteſtatis; non eſt ſibi ſubtrahendus honor, qui debetur Sanctis ratione G ſanctitatis, & doctrinæ veritatis.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ beata Virgo poteſt conſiderari dupliciter: vel vt perſona valde ſancta; & ſic adoranda eſt dulia ſimpliciter, qua ſimiliter & honorantur, & adorãtur alij Sancti, & Sanctæ. Quo honore ſimilitet honoratur Papa. Vel poteſt cõſiderari vt mater Dei, & ſic propter hanc ſingularem dignitatem debet honorari quadam ſingulari reuerẽtia, quæ hyperdulia vocatur. quia tamẽ nec eſt Deus, nec coniuncta deitati perſonaliter, ſicut fuit caro Christi: Ideo honor latriæ, qui debet Chriſto, filio ſuo, nõ debetur ſibi. Incorrupoo autem carnis, congruom H fuit, vt ſibi conoeniret, ſicut caroi Chriſti: non quidẽ propter diuinitaoſ perſonalem conionctionem, ſed propter fomitis peccati extinctionem.

Ad ſecundum eſt dicendom, ꝙ ibi nimis accipit pro valde. vt dicit gloſſa. Valde enim honorati ſunt Apoſtoli, & valde honorantur Papa, & Epiſcopi ſucceſſores Apoſtolorum exiſtẽtes, cum Duces, & Rectores totius Eccleſiæ ſint conſtituti.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ poteſtas Papæ ordinata eſſe debet. propter quod non excludit bonitatem, & veritatem, & iuſtitiæ æqoitatem. propter quę Sancti honorantur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPAE DEBEAtur honor, qui debetur Angelis.

Vide S. Thom. 2.2. q. 103. art. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ oon debeatur honor, qui debetur Angelis. Nã Angeli permiſerunt ſe, vt Deus, adorari. Geneſ. 18. talis autem honor non debetur Papæ, vt adoretor, vt Deus. Non ergo honor exhibitus Angelis debetur Papæ.

2 Præterea: Angeli, Iſaiæ 6. & Dan. 9. in figuris ala F rum, & aliarum ſimilitudinum receperunt reuerentiã ab Iſaia; & Daniele. ſed iſtud prohibetur Exo. 20. Nõ facias tibi ſculptile, & omnem ſimilitudinem, neque coles ipſa. Non ergo honor exhibitus Angelis debetur Papæ.

3 Præterea: Angelus eſt maior Chriſto. Iuxta illud Pſal. 8. Minuiſti eum paulominus ab Angelis. ſed honor, qui debetur Chriſto, nõ debetur Papæ (vt ſopradictum eſt.) Ergo mulio fortius non debetur Papæ honor, qui debetur Angelis

In Contrarium eſt. quia Apocalipſ. vltimo ſcribitur, ꝙ Angelus, qui loqoebatur cum Ioãne, non permiſit ſe adorari ab eo, dicens: Vide, ne feceris: conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorom. ſed Papa recipit à fidelibus Eccleſię adorationes, proſtrationes, & oſcula pedum. Ergo maior honor exhibetur G Papæ, quàm Aogelis.

RESOLVTIO.

Papæ honor maior, quã Angelis exhibetur, qa in humana natura Deus magis, quam in Angelica natura repręſentatur. quãuis natura angelica ratione perfectionis, dominationis, & adminiſtrationis ſit maior natura humana.

Respondeo, dicendum, ꝙ natura angelica poteſt conſiderari dupliciter.

Primo quantum ad naturæ cooditionem.

Secuodo quantum ad Dei in ipſa repræſentationẽ.

Primo modo, planũ eſt, ꝙ natura Angelica maior eſt natura humaoa Papę, & cuiuſcunque alterius. Dicit enim Hogo primo libro de ſacramẽtis, parte quin- H ta cap. 13. In natura Angelica triplicem eſſe poteſtatẽ, ſeu virtutem; Vnã virtutis, & perfectionis, qua vnuſquiſque natura ſibi ipſi famulatur. Aliam dominationis, qua natura vnius famulatur alteri. Tertiam adminiſtrationis; qua omnis natura inferior, humana, vel alia famulatur ei.

Sed ſecundo modo perfectius repræſentatur Deus in natura humana, quàm in natura angelica. Dicit enim Auguſtinus 2. de Tri. c. xj. ꝙ per illos tres An- Tomo 3.
gelos apparentes Abraæ, quos pronos in terrà adora-
uit, viſibiliter repræſentatam fuiſſe Trinitatis æqua- Gen. c. 18.
litatem, atque in tribus perſonis vnam, eandemque eſſentię vnitatem. quia licet tres viderit, vnum tamen adorauit. Et per illos doos Angelos miſſos ad ſobuerſionem Sodomorum repræſentatas eſſe perſonas Filij, Gen. c. 19.

lij, & Spiritus ſancti: quia Patrem in Scriptura nunquam legimus miſſum. Vnde dicit, quòd niſi illi fuiſſent cogniti, Loth non adoraſſet eos in faciem ſuper terra. Igitur exhibebatur honor Angelis per Patres veteris teſtamenti: quia in eis repræſentabatur Deus per ſubiectam creaturam de aere, vel vndecunque viſibiliter ab eis aſſumptam. ſed longe melius Deus repræſentatur per Papam, & quantum ad naturę conformitatem, quia Dei Filius nunquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abraæ in vnitatem perſonæ. & quantum ad officij poteſtatem, quia nulli Angelorum conceſſit claues ligandi, & ſoluendi in cœlo, & in terra, ſicut conceſſit Petro, & ſucceſſoribus eius.

Ad Argumenta.

B AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit glo. Grego. Illi Angeli quandoque nominati ſunt Angeli, & quandoque Deus. Deus quidem interius inſpirando, & Angeli exterius adminiſtrando. Vnde Deus adorabatur in eis: quia cum præco verba iudicis nunciat, non verba ſua, ſed iudicis dicuntur. Non tamen vacat miſterio, quòd poſt Dei filij incarnationem Angeli nunquam talem reuerentiam accipere voluerunt: tanquam iam natura humana excelſior, & nobilior eis facta.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd credere Angelos, vel ipſum Deum quantum ad diuinitatem poſſe alis, vel ſimilitudine animalium figurari, vel depingi, dupliciter poteſt intelligi. Vno modo figuratione propria, vt quis credat ſimilem figuram Deo, & Angelis ineſſe à natura ipſorum. & hoc eſſet impiũ, & C hæreticũ † credere, quia Deus ſpiritus eſt, & Angeli quidem ſpiritus ſunt. ſpiritus autem lineamentis, & figuris caret rerum corporalium. Alio modo poteſt intelligi figuratione tranſumpta: vt quis credat aliquam Dei, vel Angeli ſpiritualem proprietatem tales figuras exprimere ſignificare, & hoc eſt ſincere piũ, & licitum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus paulominus minoratus eſt ab Angelis, ſi conſideretur humana natura in ſua nuditate, & in corporis paſſibilitate. ſed ſi conſideretur coniuncta perſonaliter diuinitati, & vt immortalis facta, non eſt minor, immo eſt Dominus, & caput hominum, & Angelorum, cuius Vicarius Papa exiſtit.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPAE DEBEAtur maior honor, q̃ imagini Chriſti.

De adoratione imaginis Crucis Chriſti, Vide Armillã Tit. Adoratio. Vide Corradum Brunum libro de imaginibus, cap. 5. 19. & 20.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ maior honor debeatur Papę, quàm imagini Chriſti. quia Papa eſt imago Dei naturalis, ſecundum rationalem animam. ſed pictura eſt imago Chriſti artificialis. Maior ergo honor debetur Papæ, quàm imagini Chriſti.

A 2 Præterea: Cato Chriſti eſt honoranda honore latriæ: quia coniuncta eſt perſonaliter diuinitati. ſed imago Chriſti non eſt coniuncta diuinitati perſonaliter. Si ergo ei non debetur honor latriæ, maior vel æqualis honor debetur Papæ ſicut ſibi.

Præterea: Idololatria eſt adorare ſimilitudinẽ rei vt rem. Ergo eodẽ modo idololatria eſt * honorare eodem modo rem, & ſimilitudinem rei. (* al. adorare)

IN CONTRARIVM eſt Damaſc. 4. lib. c. 17. de fide Orthod. vbi dicit, ꝙ eodem honore adoratur imaginatum, & imago. Si ergo honor latrię debetur Chriſto, & imagini eius; non debetur ille honor Papæ, qui debetur imagini Chriſti.

RESOLVTIO.

B *Honor maior imagini Chriſti debetur, quàm Papæ, cũ eodẽ honore adoretur Chriſtus, & imago eius.*

RESPONDEO, dicẽdum, ꝙ duplex eſt imago: vna naturalis, ſicut rationalis creatura. altera artificialis ſicut pictura. Vnde dicit Auguſt. ꝙ aliter eſt imago Regis in filio, & aliter in nummo. (Lib. de decẽ cordis Tomo 9.) Differentia autem eſt inter iſtam duplicem imaginẽ, quia imago naturalis habet in ſe propriã dignitatẽ, qua digna ſit per ſe honorari, & per ſe põt eſſe honoris terminus: nec proprie eſt conſtituta ad aliquid repræſentandũ. Imago verò artificialis non habet in ſe propriam dignitatẽ, qua digna ſit per ſe honorari: vel ꝙ p ſe poſſit eſſe honoris terminus, ſed ſolũ eſt inſtituta ad aliquid repræſentãdũ. Et iſta eſt ratio, quare Deus non adora- (Deus cur ĩ imagine naturali adoretur.) C tur in imagine naturali, ſed adoratur conuenienter in imagine artificiali. quia in tali adoratione ipſa imago ſe habet, vt terminus, à quo: Deus verò, vt terminus, ad quẽ. Vnde dicit Damaſc. 4. lib. c. 18. Cum honoramus Euangelia, non honoramus materiam, puta chartam, vel atramentũ, quibus ſcripta ſunt: ſed honoramus illũ, cuius verba ſunt, & fuerunt. Similiter, cũ adoramus crucẽ Chriſti, non adoramus crucis materiã, puta lignum, vel aurũ: ſed adoramus Chriſtũ crucifixũ, cuius figurã repræſentat. Si ergo eodẽ honore honorat Chriſtus, & eius imago: qa honore latrię nõ debetur ille honor Papę, qui debet imagini Chriſti.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa cũ ſit imago Dei naturalis, non poteſt eſſe per ſe honoris D terminus, ad quem, cui nõ debetur honor latrię. Sed imago Chriſti nõ adoratur, vt honoris terminus, ſed eſt ſolũ honoris ſignũ, propter quod adoratur eadẽ adoratione, & eodem honore cum ſuo ſignato.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ cato Chriſti cõiũcta diuinitati adoratur, vt terminus, ad quẽ, quàm uis per accidens. quia propter diuinitatem, cui eſt cõiũcta. imago verò Chriſti eſt terminus, a quo. & ideo non eſt ſimile.

AD tertiũ eſt dicendum, ꝙ adorans imaginem Chriſti honore latriæ non mouetur ad ſimilitudinẽ imaginis, ſicut ad rem terminantem eius intentionẽ: ſed ſicut rem, à qua incipit eius intentio: ipſum verò Chriſtum adorant tanquam terminum, ad quẽ eius adoratio, & intentio completur.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPAE APERTE malo debeatur honor.

Vide S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 2. ad ſecundũ argumentũ.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ apertè malo non debeatur honor. Quia Papæ nõ debetur honor niſi propter Chriſtum, cuius Vicarius exiſtit. ſed Chriſtus non honorat malos cõtemnentes ipſum. F ſcribitur enim 1. Regum. 2. Qui me contemnunt, erunt ignobiles. Papa ergo apertè malus eſt contemnendus, non honorandus.

2 Præterea: Si Papa apertè malus honoratur, aut hoc eſt, quia malus, aut quia Papa. Non primo modo, quia malitia non eſt honoranda. Non ſecundo modo. quia ſecundum Grego. Honorare hominem, non quia homo, ſed propter aliquid, quod circa ipſum ſit. ſic eſt acceptio perſonæ.

3 Præterea: In eo ꝙ quis peccat non eſt honorandus, G immo uituperandus. ſed Papa in executione officij Papatus peccat, ex quo eſt apertè malus. Ratione ergo officij non eſt honorandus.

In Contrarium eſt. quia ſuper illo verbo 1. Petri. 3. Omnes honorate. dicit gloſsa: etiam ſi mali ſunt, qui vobis præſunt, debitum eis honorem non ſubtrahatis.

RESOLVTIO.

Papa apertè malo honor eſt exhibendus in teſtimonium ſaltem uirtutis Chriſti, cuius Vicarius exiſtit.

E RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſecundum Tullium: Honor eſt exhibitio reuerentię in teſtimonium virtutis. De clar. or. Iſtud autem contingit dupliciter fieri. Primo, in teſtimonium uirtutis ſuæ, & gratia ſui. Secundo, in teſtimonium uirtutis alterius, & gratia alterius. Dupliciter ergo poteſt exhiberi honor ipſi Papæ. Primo, in teſtimonium virtutis ſuę, & gratia ſuæ bonitatis, & ſanctitatis. Secundo, in teſtimonium virtutis Chriſti, & gratia Chriſti, cuius Vicarius exiſtit. Iuxta illud. 1. ad Corin. 3. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti. Quãdiu ergo eſt Vicarius Chriſti, & quandiu non deſinit eſſe Papa, dato ꝙ ſit apertè malus, honor Papalis ſubtrahendus ſibi nõ eſt.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ honor debetur aliquãdo ratione meriti: aliquando ratione officij. Primo modo Deus non honorat malos. ſed ſecundo modo tandiu eos honorat, quandiu eos tolerat in officio. Et iſto modo Papa apertè malus à fidelibus eſt honorandus, quandiu à Deo toleratur in Papatu, & quandiu non deſinit eſſe Papa. quia non exhibetur alicui honor ille in teſtimonium virtutis ſuæ, ſed alienę.

An ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa apertè malus honoratur, non quia malus, ſed quia Papa: nec ſecundum hoc honoratur propter aliquid, quod ſit circa ipſum finaliter: ſed propter aliquid, quod eſt ſupra ipſum, vt propter Deum, à quo in Papatu toleratur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non peccat in officij executione. ſed quia indigne exequitur. & ſic exhibendus eſt ſibi honor propter ipſam executionẽ, non propter indignam.

QVAESTIO X. QVOMODO AD PAPAM SPECTET de Fide, & Hæreſi determinare.

POſt hoc conſiderandum eſt de ꝑpotentia Papæ reſpectu Eccleſiæ, cui praeeſt adminiſtratiuè. Eccleſia autẽ, aliqua eſt comprehenſorum, aliqua viatorum. Et viatorum aliqua eſt ſuper terram, & aliqua infra terram. Comprehenſorum autem Eccleſia ex tribus integratur.

Primo, Trinitatis, & diuinarũ perſonarũ dominatione.

Secundo, Sanctorum veneratione.

Et tertio, Angelorum adminiſtratione.

In ipſa autem Trinitate quatuor conſideranda occurrunt.

PRIMO, an ad Papam ſpectet de fide, & de hęreſi determinare.

Secundo, an ad eum ſpectet determinare de vnitate diuinę eſſentiæ.

Tertio, an ad eum ſpectet determinare de diſtinctione perſonarum.

H *Quarto, an ad eum ſpectet determinare de humana natura aſſumpta à Dei filio.*

Circa primum quæruntur ſex.

PRIMO, Utrum ad Papam ſpectet determinare, quæ ſunt fidei.

Secundo, Utrum ad Papam ſpectet determinare quid eſt hæreſis.

Tertio, Utrum ad Papam ſpectet circa illa, quæ ſunt fidei, aliquid diminuere, vel addere.

Quarto, Utrum ſine mandato Papę aliquis poſſit de hæreſi inquirere.

Quinto, Utrum ſine mandato Papæ aliquis poſſit in hæreſi comprehenſos condemnare.

Sexto, Utrum ſine mandato Papę liceat Principibus Chriſtianæ fidei hæreticos capere, & iudicare.

ARTICVLVS I.

VTRVM SPECTET AD Papam determinare, quæ ſunt fidei.

Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ, lib. 1. cap. 45. & lib. 2. c. 11. & Melchiorē Canum lib. 6. de locis theologicis c. 4. Alphon. Caſtr. lib. 1. c. 5. de iuſta hęret. punitione. Et Blaſiū Nauarrū lib. 2. c. 9. de ſacrę Eccleſię principatu.

AD Primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſpectet ad Papam illa, quæ ſunt fidei, determinare. Quia quod non eſt à Papa inuentum, ad Papam non ſpectat determinare: ſed fides, & illa, quę ſunt fidei, non ſunt à Papa inuen- B ta; ſcribitur enim 2. Petri. 1. Quòd non voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.

2 Præterea 1. Ethi. ſic ſcribitur: Vnuſquiſque bene iudicat de his, quæ nouit, & horum eſt bonus iudex: ſed plures quandoq; ſunt in Eccleſia Magiſtri, & Doctores, qui melius ſciũt, q̃ ſunt fidei, q̃ Papa. Ergo ad eos magis ſpectat determinare talia, quã ad Papã. (Lib. 1. Ethi. cap. 3.)

3 Præterea: Fides eſt communis omnibus fidelibus: & in fide, cauſa vniuſcuiuſq; fidelis agitur. Ergo ad omnes fideles ſpectat determinare, quæ ſunt fidei.

IN CONTRARIVM eſt Auguſtinus, contra Epiſtolam fundamenti, vbi dicit: Ego autem nõ crederem Euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ. Ex mandato ergo Papæ, qui eſt caput Eccleſiæ, illa, quæ ſunt fidei, roborantur, & terminantur. (Tomo 6. c. 5. & eſt contra ep. manichæi.) C

RESOLVTIO.

Quæ ſunt fidei à Papa ſunt determinanda, vt ex veteri teſtamento, ex ratione, & ex Doctorum ſcripturę Sacræ elicitur authoritate.

RESPONDEO, dicẽdum, ꝙ vna eſt fides totius Eccleſiæ, & modernorum, & antiquorum. Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 4. Vnus Deus, vna fides, vnũ baptiſma. Ad illum ergo pertinet determinare, quæ ſunt fidei, qui eſt caput totius Eccleſiæ. talis autẽ eſt ſummus Pontifex, ſucceſſor Petri, pro cuius fide ſingulariter rogauit Saluator Lucæ 22 quãdo dixit: Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Iſtud D autem ſatis figuratum eſt Exo. 18. vbi dictũ eſt Moyſi, qui fuit Rector Iudæorum, ſicut Papa eſt Rector omnium Chriſtianorum: Eſto tu populo in his, quæ ad Deum pertinent, vt oſtendas ei ceremonias, & ritum colendi Deum. Sicut ergo omnes quæſtiones emergentes de lege, & de cultu Dei reſeruabantur Moyſi determinandæ: ſic omnia, quæ ſunt fidei chriſtianæ, Papæ eſt propriè determinare. Vnde dicit Cyrillus in lib. Theſau. Vt membra maneamus in capite, in noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontifice maneamus: a quo noſtrum eſt quærere, quid credere, quid tenere, & quid quærere debeamus. Et Maximus in Epiſtola orientalibus miſſa dicit: Omnes fines orbis terræ, qui Dominum ſyncere receperunt, A & vbique terrarum catholici veram fidem confitentes, in Pontificem Romanorum tanquam in Solem reſpiciunt; & ex ipſo lumine Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipiunt veritatem. Nec immeritò: quia Petrus legitur primo perfectam fidem eſſe cõfeſſus, Domino reuelante, cum dixit Matth. 16. Tu es Chriſtus filius Dei uiui.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut per homines, Deo ordinante, tradita ſunt nobis diuina eloquia: ita, Deo diſponente, per homines nobis dubia ipſius fidei declarantur, & determinãtur. Vnde Damaſc. 1. lib. Omnia, quæ tradita ſunt nobis per Leges, & Prophetas, & Apoſtolos, & Euangeliſtas ſuſcipiamus, veneremur, & cognoſcamus: nihil vltra hoc B inquirentes. (Cap. 1. de fide Orth.)

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicitur 20. Diſt. cap. Decretales. Aliud eſt cauſis terminum imponere: & aliud eſt ſanctam Scripturam diligenter exponere. In negotiis ergo, & quæſtionibus inſurgentibus de fide diffiniendis, & terminandis, non ſolum eſt neceſſaria ſcientia, verumetiam poteſtas. Vnde Chriſtus dicturus Petro: Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis; prius dixit: Tibi dabo claues regni cęlorũ. In altero dans & ſciẽtiam diſcernendi inter lepram, & lepram: In altero autẽ dans ſibi poteſtatem eijciendi aliquos ab Eccleſia, vel recipiendi. Iuſtum eſt ergo, & rationabile, vt cũ quæſtiones aliquæ, & dubia inſurgunt de fide, ꝙ Papa, Doctores, & Magiſtros in ſacra Pagina ſibi adiungat, vt C per eos plenè veritas diſcutiatur. ſed talibus quæſtionibus finem, & terminum imponere ad ſolius Papæ poteſtatem pertinet. (Matth. 16)

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum Aug. 14. de Tri. cap. 1. Aliud eſt ſcire tãtummodo, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi ęterna eſt. Et aliud eſt ſcire, quemadmodum hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur, quia primum pertinet communiter ad omnes fideles: ſecundum vero ſpectat ad ſummum Pontificem, & alios maiores de Eccleſia.

ARTICVLVS II.

VTRVM SPECTET AD Papam determinare, quid ſit hæreſis. D

Arnaldus Albertinus in tract. de agnoſc. aſſert. cathol. & hæret. q. 8. & Doctores in cap. Quotiens. 24. q. 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare, quid eſt hæreſis. Quia Papa non poteſt determinare, ꝙ Papa deprehenſus in hæreſi ſit Papa (vt ſupradictum eſt.) Ergo, cum hęreſis ſit impugnatio fidei, non poterit determinare, ꝙ impugnans fidem non ſit hęreticus.

2 Præterea: * Hiero. dicit, & ponitur 24. q. 3. c. Hæreſis. Quicunque aliter ſacram Scripturam intelligit, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, (* In Epiſt. ad Gal. c. 5)

licet ab Eccleſia non diſceſſerit, hæreticus tamen appellari poteſt. ſed Papa non poteſt ſcire ſemper qualiter Spiritus ſanctus flagitet. Ergo ad ipſum non ſpectat determinare, quid eſt hęreſis.

3 Præterea: Secundum Philoſophum, circa compoſitionem, & diuiſionem eſt veritas, falſitaſque. Ergo, cum hæreſis importet peruerſum dogma, & falſam opinionem eorũ, quæ creduntur, vt dicit * Hiero. Sicut ad Papam non ſpectat determinare intellectum hominum, ſed vel determinatur à Deo, vel * auctoritate propria in componendo, & diuidendo. ita ad ipſum non ſpectat determinare, quid eſt hæreſis.

* In Epiſt. ad Tit. c. 3.

* al. voluntate.

In Contrarium eſt, quia idem eſt iudex recti, & obliqui, vt dicit Philoſophus. 1. de anima, & oppoſitorũ eadem eſt diſciplina. ſed Papa eſt iudex eorum, quæ ſunt fidei: vt ſupradictum eſt. Ergo iudex eſt in determinando, quid eſt hæreſis, quæ fidei opponitur.

Ariſto. 1. de anima. t. c. 85.

F

RESOLVTIO.

Papæ munus cum ſit ea, quæ ſunt fidei, determinare; eiuſdem erit, quid ſit hæreſis, declarare.

Hæreſis vnde dicatur.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſicut dicit Iſidorus 8. lib. ethymo. c. 3. Hęreſis Gręcè ab electione vocatur. ꝙ ſcilicet vnuſquiſque illud ſibi eligat, quod melius ſibi videtur. In Religione autem chriſtiana, vt idem dicit, non licet alicui eligere quod placet, ſed iuxta Apoſtoli ſententiam captiuare debemus intellectum in obſequium Chriſti, vt illa in credendo nobis eligamus, quæ à Chriſto, & Apoſtolis, ac ſacris Doctoribus nobis tradita ſunt. Contingit autem eligere contra Chriſti, & Apoſtolorum ordinationem multis modis.

G

Primo, contra Articulorum, & Conciliorum ſanctorum Patrum terminationem. Et hoc eſt directè hæreſis. Vnde dicit Auguſt. in lib. de vtilitate credendi: Hæreticus eſt, qui alicuius commodi temporalis, vel gloriæ principatus ſui gratia, falſas, ac nouas opiniones gignit, vel ſequitur in Eccleſia.

Tomo 6. ad Honoratũ.

Secundo, contra ſacrę Scripturæ approbatam expoſitionem. ſecundum quem modũ dicit * Hiero. Hæreticus eſt quicunque intelligit aliter ſacram Scripturam, quàm ſenſus Spiritus ſancti flagitat.

* In Epiſt. ad Gal. c. 5.

Tertio, contra ritus Eccleſiæ obſeruationem. Et ſic accipit Apoſtolus hæreſim 1. ad Corin. 11. De illis, qui pranſi corpus Chriſti ſumebant, dicens: Oportet hęreſes eſſe in Eccleſia.

H

Quarto, contra Eccleſiæ ſacramentorum deuotionem. Et ſic Sortiarij, Malefici, Sacramentorum violatores, & Dęmonum cõſultores, & Diuinatores poſſunt hæretici appellari, vt patet 26. q. 3.

Quinto, contra rectæ fidei proteſtationem. Et ſic Simoniaci, & Auari hæretici appellantur. Nam auaritia dicitur, ſecundum Apoſtolum, idolorum cultus, quia ſic auarus exterius proteſtatur, vt nũmus quaſi pro Deo ab ipſo colatur, & ſimoniacus ſpiritualia vẽdendo; quę non niſi à Spiritu ſancto ſunt, Dominũ Spiritus ſancti ſe eſſe proteſtatur. Vnde ſimonia hæreſis nominatur 1. q. 1. c. Cum omnis. Cũ ergo multipliciter accipiatur hæreſis, ad illũ ſpectat determinare, vel interpretari, quid ſit hæreſis, ad quẽ ſpectat determinare, vel interpretari illa, quę ſunt fidei. quod non niſi ad Summum Pontificem dignoſcitur pertinere. Vnde dicitur 24. q. 1. cap. A recta. Nulla perturbatio à tramite Apoſtolicæ Sedis retrahat, quæ omnes hęreſes ſemper deſtruxit.

Epheſ. 5.

E

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Papa nõ determinat hæreſim non eſſe hæreſim, ſed determinat non alicui licere ex ſui arbitrij voluntate eligere ſibi quod placet in his, quæ ſunt fidei, qđ ſi fiat cõtra eius determinationẽ, ipſo facto, hęreſis incurritur.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ in expoſitione ſacræ Scripturæ ſecundum Auguſt. non debemus velle ſententiam, & expoſitionem noſtram eſſe ſentẽtiam ſacræ Scripturæ: quia hoc eſt proprie ſuperborum, qui, vt famentur gloria alicuius honoris ſicut ſomniant: ita ſacram Scripturam exponunt. ſed potius ſententiam ſacræ Scripturæ, & expoſitionẽ Sanctorum, qui Spiritu ſancto fuerũt inſpirati, debemus velle eſſe ſentẽtiam, & expoſitionem noſtram, à qua, ſi aliquorum dicta deuiant, Papa poteſt ſcire.

Sup Gen ad litterã c. 18. Tomo 3.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non debet determinare intellectum hominum in cõpoſitione ex diuiſione eorum, quæ non ſunt fidei: ſed quia negotia fidei ad eum ſpectat pertractare, & hæreſes omnes deſtruere, & nullam fouere, ſpectat ad ipſum captiuare, & determinare intellectum vniuſcuiuſque in obſequium Chriſti.

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PAPAM SPEctet circa illa, quæ ſunt fidei, aliquid addere, vel diminuere.

Vide S. Thomam 2. 2. q. 1. art. 9. & 10. Et Doctores in cap. Quotiens 24. qõ. 1. Et Aluar. de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 45. & lib. 2. cap. 11.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam nõ ſpectet circa illa, quæ ſunt fidei, aliquid addere, vel diminuere. Scribitur enim Apoc. vlti. Si quis aliquid appoſuerit ad verba hæc, apponet Deus ſuper illũ plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ. Non ergo poteſt Papa aliquid addere, vel diminuere de his, quæ ſunt fidei.

2 Præterea: Scribitur Act. 15. ꝙ cum aliqui vellẽt cogere Apoſtolos ad obſeruationem legalium, dixit Petrus: Vt quid tentatis imponere iugum ſuper ceruicem Diſcipulorum, quod neq; Patres noſtri, neque nos portare potuimus. Cum ergo onus Chriſti ſit leue, & iugum eius ſuaue, non ſpectat, vt videtur, ad Papam aliquid addere ſuper illa, quæ ſunt fidei. cũ hoc non poſſit eſſe ſine grauamine ipſorum fidelium.

Præ-

3 Præterea ſcribitur 2. Timo. 2: Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens ꝙ generãt lites. ſed frequenter in addendo, vel determinando illa, quę ſunt fidei, oriuntur lites. Ergo ad Papam non ſpectat in talibus aliquid addere, vel diminuere.

In Contrarium eſt. quia ad Papam pertinet Symbolum condere, & aliquos articulos apponere, ſecundum quod requirit temporis congruitas, & Eccleſię neceſſitas.

RESOLVTIO.

Papa circa ea, quæ ſunt fidei, poteſt aliquid addere quantum ad dubiorum interpretationem, & occultorum explicationem.

Tomo 1. cap. 10.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſecundum Auguſtin. in lib. de vera Religione, in his, quæ ſunt fidei, talis regula eſt ſeruanda, ꝙ falſa, & damnata ſemper ſunt reſpuenda: vera vero, & approbata ſemper ſunt tenenda. dubia autem tandiu credenda, quãdiu aliud doceat ratio, vel contrariũ præcipiat ſanctæ matris Eccleſiæ auctoritas. Papam ergo poſſe aliquid addere ſupra illa, quæ ſunt fidei, dupliciter poteſt intelligi: vel quantum ad dubiorum interpretationem, & terminationem: vel quantum ad occultorum, & implicitorum explicationẽ. vtroque modo poteſt Papa aliquid addere ſuper illa, quę ſunt fidei: quia ſi aliqua ſunt dubia, & obſcura in fide ad eum pertinet interpretari, & determinare. poſt cuius determinationem hæreticum eſſet contrarium pertinaciter aſſerere. Vnde dicit Inno. & ponitur 24. quæſt. 1. cap. Quotiens. Quotiẽs fidei ratio vẽtilatur: arbitror omnes Fratres, & Coepiſcopos noſtros nõ niſi ad Petrũ, id eſt, ſui nominis, & honoris auctoritatem referre debere, ſicut nunc retulit dilectio veſtra, ꝙ per totum mundum poſſit Eccleſiis omnibus prodeſſe: Ad ipſum Papam ſimiliter ſpectat implicita, & occulta in fide per temporum, & ætatum congruentia explicare, & declarare, vt quæ inferiores Eccleſiæ filij implicitè, & occultè credebant, poſtmodum publicè, & explicitè confiteãtur: & hoc vel propter alicuius hæreſis inſurgentis extirpationem, aut propter ipſorummet fidelium in fide augmentationem. Vnde dicit Leo Papa, & ponitur 14 Diſt. cap. Sicut, Sicut quædam ſunt, quę nulla poſſunt ratione conuelli: ita multa ſunt, quæ aut pro neceſſitate temporum, aut pro conſideratione ætatum oportet temperari: illa ſemper conditione ſeruata, ꝙ nec præceptis Euangelicis contrarium, nec Decretis ſanctorum Patrum inueniatur aduerſum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ apponere, & diminuere de his, quæ ſunt fidei, veritatem corrumpendo, vel errorem apponendo, meretur pęnas, quas beatus Ioannes cõminatur. Sed apponere illa, quæ deſunt fidei, ſupplendo, ſicut apponebat Paulus Apoſtolus, implicita declarando, & obſcura interpretando, & inordinata ordinando, modo, quo ipſe dicit 1. Corin. 11. Cętera autem, cum venero, diſponam; non meretur pęnam, ſed præmium. A

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ doctrina Chriſti nõ dicitur leuis propter mandatorũ diminutionẽ, vel multiplicationem: quia cum bonum, & virtus ſecundum Dyon. De D. Nom. cap. 4. conſiſtant ex integra cauſa, ad deſtruendum vero virtuoſum actum, vnũ ſolum ſufficiat. Arcta, & difficilis eſt via, quæ ducit ad uitam: & lata, & facilis, quæ ducit ad perditionem. Eſt ergo facilis, & leuis propter charitatis dilectionem, quæ quæcunque difficilia, & ferè importabilia pręcipiantur, facit leuia, & portabilia. Matth. 7.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ quæſtiones facere de his, quę ſunt fidei propter litigationem verborum, ſtultum eſt, & omnino vitandum: quia ſeruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. ſed tales quęſtiones facere propter veritatis inquiſitionem, non eſt ſtultum, immo valde vtile. B 2.Tim. 2.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CVILIBET CHRIſtiano conueniat inquirere de hæreſi.

Præter citatos in præcedentibus art. vide Doctores in cap. Ad abolendam. §. 1. de Hær. Adde Simancam catho. inſtit. Tit. 19. De Denunciatione.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ inquirere de hæreſi cõueniat cuilibet chriſtiano. Scribitur enim Iaco. 5. Si quis ex vobis errauerit à veritate, ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, liberabit aĩam eius à morte. ſed nullus poteſt aliquem reuocare ab errore, niſi illum errorem cognoſcat. Cuilibet ergo conuenit ex præcepto Apoſtoli de errore inquirere. C

2 Præterea: Plus eſt hęreticum occidere, quàm de errore inquirere. ſed Mattathias Machabęus propria auctoritate eũ, qui ad aram ſacrificaturus accellerat, interfecit, vt ſcribitur 1. Machab. 2. Multo ergo magis licet propria auctoritate de hæreſi inquirere.

3 Præterea: Dicit Cyprianus, & ponitur 23. quæſt. 5. c. Si audieris. Si ante aduentum Chriſti circa Deũ colendum, & idola ſpernenda præcepta ſeruata ſunt: multo magis poſt aduentum Chriſti. ſed ante aduentum Chriſti omnibus mandabatur conſortia hæreticorum fugere, & de hæreſi inquirere. Ergo multo magis licet hoc facere in præſenti ſtatu. D

In Contrarium eſt. Quia cui non licet de fide diſputare, non licet de hæreſi inquirere, quæ fidei opponitur. ſed ſcribitur extra de hære. cap. Quicunque. † Inhibemus quoque, ne cuiquã laicæ perſonæ publicè, vel occultè, vel priuatim de fide catholica liceat diſputare: quicunque vero cõtra hoc fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. † De hæret lib. 6.

RESO-

RESOLVTIO.

Nulli abſque Papa mandato de hæreſi inquirere licet, vt ſacræ Scripturæ auctoritates probant.

RESPONDEO, dicendum, q́ hæreſis eſt crimen Eccleſiaſticū † ſpirituale: & ideo ad ſpiritualem Iudicem inquiſitione iudiciaria pertinet de ea cognoſcere. ſine ergo mandato Papæ, qui eſt iudex vniuerſalis Eccleſiæ, nulli licet de ipſa hæreſi inquirere. Vnde dicitur extra de hære. † cap. Per hoc, concedimus, q́ per ipſos Epiſcopos, & Inquiſitores de ipſo facto inquiri valeat communiter, vel diuiſim. & hoc eſt ſatis conueniens: quia Saluator, cuius Vicarius Papa exiſtit, per Apoſtolos mandauit, hæreticos eſſe attendendos, & cauendos: Attendendos quidem, quando dixit Matth. 7. Attendite à falſis Prophetis, qui veniunt ad uos. per quos, falſos Prophetas hæreticos inſinuare voluit, vt Chryſo. dicit: Cauēdos vero Matth. 16. quando dixit: Cauete autem à fermento Phariſæorum, & Saducæorum. Et Apoſtolus per Prælatos Eccleſiæ mandat hæreticos eſſe obſeruandos, Philippen. 3. Cum enim dixiſſet: Idem ſapiamus omnes, & in eadem regula permaneamus ſtatim ſubdit: Obſeruate eos, quia ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram.

† Cap. Vt inquiſitionis. §. prohibemus de hæret lib. 6.
† De hæret. lib. 6.
Hom. 54. in matth.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, q́ Apoſtolus ibi loquitur de conuerſione ab errore per modum fraternæ correctionis, † non per modum iudiciariæ inquiſitionis. Nam prima conuerſio pertinet ad omnes, ſed ſecunda pertinet ſolum ad Prælatos inquiſitione ordinaria, vel ad inquiſitionem ex commiſſione Sedis Apoſtolicæ.

† S. Thom. 2 2. q6. 13. ar. 7. & Alphonſus.

AD ſecundum eſt dicendum, q́ Mathathias interfecit illum, qui ad aram ſacrificaturus accellerat, zelo diuinæ legis, & eius auctoritate.

AD tertium eſt ſimiliter dicendum, quòd vnum Deum colere, & idola ſpernere, omnibus eſt præceptū ſtrictius poſt aduentum Chriſti, quàm ante. Sed de hæreſi, vel idololatria inquirere, cū ſint crimina fidei oppoſita, ad illum pertinet, qui eſt totius Fidei, & Eccleſiæ caput.

ARTICVLVS V.

VTRVM QVIS SINE *mandato Papæ poſſit in hæreſi comprehenſos condemnare.*

Verè docet Auguſtinus in hoc articulo puniendos eſſe hæreticos, de quo vide præ alijs Roffenſem contra Lutherum artic. 33.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, q́ ſine mandato Papæ quis poſſit in hæreſi comprehenſos condemnare. Quia quod eſt prohibitum Papæ, & vniuerſaliter Eccleſiæ Prælatis,
E ſine mandato eorum fieri poteſt. ſed Matt. 13. Saluator prohibuit Apoſtolis, ne eradicarent zizaniam, per quam hæretici intelliguntur, ſecundum Auguſtinum. Non ergo de mandato Papæ debet fieri hæreticorum condemnatio.

1. Retract. cap. 28. Tomo 1.

2 Præterea: Dicit Gregorius, & ponitur 23. quæſt. 8. c. Si in mortem. Si in mortem Longobardorum me miſcere voluiſſem, hodie Longobardorum genus nec Regē, nec Ducem haberet. ſed quia Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me immiſcere formido. Condemnationi ergo hæreticorum Papa ſe immiſcere non debet.

3 Præterea: Dicit Hieronymus, & ponitur 23. q. 5. cap. Regum, Malos comprimere, & bonos ſubleuare, regum officium eſt. Magis ergo pertinet ad Principes
F ſæculares in hæreſi comprehenſos condemnare, quā ad Papam.

IN CONTRARIVM eſt quod dicit Hiero. & ponitur 24. qō. 3. cap. Reſecandæ: Reſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellenda eſt, ne tota domus maſſa, & corpus, & pecora ardeāt, corrumpātur, putreſcāt, & intereant: Nam Arrius in Alexandria vna ſcintilla fuit, ſed quia non ſtatim fuit oppreſſus, totum orbē eius flamma populata eſt. Canonica ergo condemnatio hæreticorum non debet fieri ſine mandato Papæ.

RESOLVTIO.

In hæreſi deprehenſi, quantum ad mortem corporalem
G *iudicio ſæculi relicti, abſque Papæ mandato non ſunt condemnandi.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Eccleſia condemnat Hæreticos duplici condemnatione.

Primo condemnatione mortis ſpiritualis, vt per excommunicationem, per quam ſeparatur anima à corpore myſtico Eccleſiæ. Sunt enim omnes Hæretici ex ſententia Canonis excommunicati. †

† Cap. excō muni cam°. 1. & 2. extra de hæret.

Secundo, condemnatione mortis corporalis, per quam ſeparatur anima à corpore naturali.

Primam igitur condemnationem facit Eccleſia immediate per ſeipſam: quia excommunicatio eſt proprie mucro Papæ, & Epiſcoporum. Sed ſecundam condemnationem non facit immediate per ſeipſam, ſed poſt abiuratā hæreſim relinquit eos iudicio ſecu-
H lari. † Non tamen ſine mandato eius iſta ſecunda cōdemnatio debet fieri propter duo. Primo propter ſeruādam circa eos charitatiuam dilectionem: Nam Eccleſia circa omnes viſcera miſericordiæ oſtendit. Et ideo non ſtatim exponit eos morti, ſed poſt primam, & ſecundam correptionem: iuxta Apoſtoli ſententiā: Si relapſi † inuenti ſunt, tamquam ſubuerſi, ne alios poſſint ſubuertere, iudicio ſeculari relinquit. Similiter propter cautelā, ne in ſuo iudicio decipiatur, † ne forte credēdo perimere nocentē, perimat innocentē.

† Cap. Ad abolendam extra de hæret.
Tit. 3.
† Idem intelligas de principibus.
† Scilicet Iudex ſæcularis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q́ ſicut ponitur 24. queſt. 3. cap. Notandum. Aliud eſt excom- 1. Cor. 5.

municatio:

municatio: aliud eſt eradicatio: Excōmunicatur enim aliquis (vt ait Apoſtolus) vt ſpiritus eius ſaluus fiat in die Domini. ſed eradicatio fit per mortem, & ſeparationem animæ à corpore naturali. Et ſi Dominus mandauit non eſſe eradicanda zizania uſque ad meſſem venturi ſæculi, in illo caſu intelligendum eſt, quando non poteſt eradicari zizania ſine eradicatione tritici.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa, & Epiſcopi non debent ſe immiſcere in mortem hominis, immediate eos ſententiando, vel condemnando: ſed dignos morte relinquunt iudicio ſæculari.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ad ſæculares iudices pertinet hæreticos condemnare, præſuppoſito tamen iudicio Eccleſiæ eſſe condemnatos, ſecundum ordinem ab ipſa inſtitutum.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PRINCIPIBVS Chriſtianis liceat capere, & iudicare hæreticos ſine mandato Papæ.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſine mandato Papæ liceat Principibus chriſtianę fidei hæreticos capere, & iudicare. Quia quod eſt licitum populo facere ſine requiſitione alterius: multo magis eſt licitum Regibus, & Principibus chriſtianę fidei. ſed mandatum fuit populo Iſraelitico Deutero. 7. Aras eorum ſubuertite, & confringite ſtatuas, lucoſque ſuccendite. quia populus ſanctus ex domino Deo tuo.

2 Præterea: Magis eſt corpora hæreticorum iam ſepulta comburere, quàm hæreticos capere, & condēnare, & iudicare. ſcribitur enim 4. Reg. 23. ꝙ Rex Ioſias vidit ſepulchra hæreticorum, quæ erant in montibus, miſitque, & tulit oſſa de ſepulchris, & conbuſſit ea ſuper altare. Licet ergo regibus, & principibus proprio iudicio iudicare, & capere hæreticos.

3 Præterea: Scribitur 3. Regum 15. ꝙ Aſa Rex Iuda purgauit vniuerſas ſordes idolorum, & confregit ſimulacrum turpiſſimum, & combuſſit in torrentem Cedron: ſed hoc pertinet ad cultum Dei, vt quilibet Rex, & Princeps chriſtianæ fidei purget à ſordibus idolorum, & hæreticorum regnum ſuum. Ergo licet eis hoc facere abſque præcepto Papæ.

In Contrarium eſt. quia illos non poſ-
A ſunt capere, & iudicare proprio iudicio Reges, & Principes ſæculares, qui non ſunt de foro ipſorum. ſed hæreticos capere, & punire eſt de foro Eccleſiæ. Ergo hoc non licet † eis facere ſine mandato Papæ.

RESOLVTIO.

Principibus ſecularibus abſque Papa mandato Hæreticos capere, aut iudicare non licet, vt ex ſacræ Scriptura teſtimonijs colligitur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ nec peccatum idololatriæ nec peccatū hæreſis legitur eſſe puni- Vide Nico. Eymericum in Directo. Inquiſitor. par. 2. q. 53.
B tum ſine expreſſo mandato Eccleſiæ. Scribitur enim Exo. 32. ꝙ peccatum idololatriæ cōmiſſum per filios Iſrael, quando fecerunt ſibi vitulum conflantem, non fuit punitum niſi ex præcepto Moyſi, qui deſcendēs de monte dixit: Si quis eſt Domini iungatur mihi. & tunc congregati ſunt ad eum omnes filij Leui. Planum eſt autem, quòd perſonam Moyſi repræſentat Summus Pontifex, quātum ad poteſtatem Regalem, & Sacerdotalem: & filiorum Leui, Epiſcopi, & alij Prælati. Similiter ſuper illo uerbo Cant. 2. Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit: dicit gloſſa; Quoniam non ſufficit nobis vitam noſtram in exemplum alijs ponere,
C & bonam prædicationem facere, niſi etiam errantes corrigamus, & infirmos ab inſidijs aliorum defendamus, ideo recte dicitur: Capite nobis vulpes, id eſt hæreticos, qui callidi ſunt, & ſe humiles fingunt ſicut vulpes. Abſconduntur enim in foueis, & cum exterius apparent, numquàm directis itineribus currunt. Illud etiam mandatum Apoſtoli poſt primam, & ſecundam monitionem, deuita hæreticum, quoniam ſubuerſus eſt: Tito Archiepiſcopo Cretenſi in- Tit. 3.
telligitur eſſe factum. Prima ſimiliter ad Corin. 5. Impugnantes fidem auctoritate Eccleſiæ Apoſtolis mandat tradendos eſſe Sathanæ. Abſque igitur aucto-
D ritate Papæ hæretici non capiendi, nec iudicandi ſunt per Principes ſeculares.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, Quòd ille populus aras idolorum non confregit niſi ex præcepto Moyſi: nec Ioſias Rex Iſrael combuſſit corpora hæreticorum, nec Aſa Rex Iuda purgauit ſordes idolorum, quæ fecerant Patres eius, niſi auctoritate Dei, cuius Vicarius in terris Papa exiſtit. Vnde illæ auctoritates non faciunt ad propoſitum.

QVAE-

QVAESTIO VNDECIMA

QVOMODO AD PAPAM SPECTET determinare ea, quæ pertinent ad vnitatem Diuinæ eſſentiæ.

DEINDE conſiderandum eſt qualiter ad Papã ſpectet determinare quę ad vnitatem Diuinæ eſſentiæ pertinẽt. Circa quod quęrũtur ſex.

Primo, Utrum ad Papã ſpectet ſub articulo ponere, quæ non poſſunt ab homine naturaliter cognoſci.

Secundo, Utrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere: Credo in vnum Deum.

Tertio, Utrum ad Papam ſpectet ponere ſub articulo vnum Deum eſſe creatorem omnium.

Quarto, Utrum ad Papam ſpectet determinare modũ credendi Trinitatem.

Quinto, Utrum ad Papam ſpectet determinare modũ diſtinctionis perſonarum.

Sexto, Utrum ad Papam ſpectet modum vnitatis triũ perſonarum determinare.

ARTICVLVS I.

UTRUM SPECTET AD PApam ponere ſub articulo, quæ ab homine naturaliter cognoſci non poßunt.

Vide S.Thomam pat.1.q.32.art.1. & 2.2.q. 1.ar.8.

AD primũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam non ſpectet ſub articulo ponere quæ ab homine naturaliter cognoſci nõ poſſunt. Quia ſtultum eſt ſub articulo ponere, quæ non poſſunt probari. ſed Deum eſſe trinũ, & vnum, vel Chriſtum eſſe incarnatũ, naturaliter probari nõ poteſt. Ergo talia ſub articulo poni nõ debẽt.

2 Præterea: Articulus dicitur, quia arctat nos ad credendum. ſed ſecundum Auguſtinum, Credere eſt voluntarium. non enim poteſt quis credere * niſi volens. Non ergo Papa debet ponere ſub articulo, quæ naturaliter cognoſci non poſſunt. [Tomo 9. Tract. 26. In Ioan. * al. non volens]

3 Præterea: Spiritualia, & æterna, quæ naturaliter cognoſci non poſſunt, ſunt ſemper eadem, & immutabilia. ſed illa, quæ ſub articulis ponuntur, creuerũt, & creſcunt: Dicit enim Gregorius, quòd ſecũdum incrementa temporum creuit ſcientia ſanctorum Patrum, & quanto viciniores fuerunt aduentui Saluatoris, tanto ſacramenta ſalutis plenius perceperunt. [Hom. 16. ſuper Ezechielem.]

IN CONTRARIVM eſt. quia ad Papam ſpectat ſub articulo ponere, quæ nos beatos faciunt. ſed talia ſunt, quæ non poſſunt naturaliter ab homi-
E ne cognoſci. Iuxta illud Ioan. 20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Expedit ergo talia ſub articulo ponere.

RESOLVTIO.

Quis, niſi ſtolidus, ſub Articulo non niſi ea, quæ ab homine naturaliter cognoſci poßunt, ponenda eſſe affirmabit?

RESPONDEO, dicendum, ꝙ homo viuit triplici vita. Primò vita cõtemplatiua, & ſpirituali, per quam Deo cõiungitur. Secundo, vita actiua, & morali, per quam in agendis dirigitur. Tertio vita
F ſpeculatiua, & intellectuali, per quam in ratione perficitur. Stultum ergo eſſet dicere, quòd homini nõ deberent præponi aliqua alia ad credendum, quæ per ſeipſum cognoſcere non valet. Nam ſi hoc eſſet, in vita ſpirituali Deo non coniungeretur. Nam per ſolam fidem * homo facit cũ Deo quoddam matrimoniũ: [* al. anima] quia per ſolam fidem homo coniungitur Deo: Iuxta illud Oſeæ. 2. Sponſabo te mihi in iuſtitia, & miſericordia, & in fide. In vita vero morali in agendis non dirigeretur: Nam per ſolam fidẽ homo dirigitur in agendis, per quæ poteſt conſequi vitam æternam. Vnde ipſa ſola dicitur ſubſtantia, † & fundamentum ſperandarum rerum, cuius ſignum eſt, quia nullus [† Ad Rom. cap. 11.] Philoſophorum ante aduentum Chriſti cum toto co-
G natu ſuo tantum ponit ſcire de ſcientijs neceſſarijs ad ſalutem, quantum poſt aduentum Chriſti ſcit vna vetula per ſolã fidem. propter quod dicit Auguſtinus 13. de Tri. quod illi præcipui gentium Philoſophi, qui inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intelligere potuerunt; tamen quia ſine Chriſto mediatore philoſophati ſunt, quem nec futurum Prophetis, nec veniſſe Apoſtolis crediderunt, ſicut dictum eſt de illis: Veritatem detinuerunt in * iniquitate. ad Rom. 1. [Tomo 3. cap. 19.] [* al. iniuſtitia.]

Tertio, in vita intellectuali non perficeretur. Eſt enim humana cognitio ſic debilis, quòd nullus Philoſophorum longũm tempus apponendo in ſtudio potuit perfectè naturam vnius muſcæ inueſtigare: Vnde legitur de quodam Philoſopho, * quod triginta [Philoſophi notandum.] [* al. qui]
H annis in ſolitudine ſtetit, vt cognoſceret naturã apis, nec eam perfectè inueſtigare potuit. ſtultum eſt autẽ nolle credere niſi illa, quæ tantum homo per ſe cognoſcere poteſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum. ꝙ licet illa, quæ ſunt fidei, per rationem non poſſint probari: ſunt tamen tot ſignis, & miraculis cõfirmata, * quòd per nullam puram creaturam fieri poſſent. ſi enim [* al. quæ]

Rex

Rex mitteret litteras cōſilio ſuo eius ſigillo ſignatas; nullus eſſet auſus dicere tales litteras non proceſſiſſe auctoritate Regis. Illa autē, quæ fidei ſunt tradita nobis per Prophetas, & Apoſtolos ſigillo Dei ſignata ſunt, quod quidem ſigillum miracula, & ſigna ſunt, quæ Dei filius in humana natura fecit. Quod ſi dicatur, miracula illa fieri, nullum vidiſſe, leuiter reſpondetur. Conſtat enim quòd ante aduentum Chriſti totus mundus idola colebat, ſicut ipſæ hiſtoriæ Paganorum oſtendunt. Sed modo ferè omnes ſapientes, diuites, & potentes ad Chriſtum ſunt conuerſi. aut ergo iſtud factum eſt miraculoſè per Chriſtum: & ſic habeo propoſitum. aut dicitur hoc non eſſe miraculoſum, & ſic dico non potuiſſe eſſe maius miraculum, quā quòd mundus totus ſine miraculis cōuerteretur.

B AD ſecundum eſt dicendum, quòd licet ad credendum homo non cogatur neceſſitate coactionis; arctatur tamen ad credendum neceſſitate finis. quia non poteſt aliquis conſequi finem vitæ æternæ, niſi per credere illa, quę ſunt fidei. Iuxta illud Apoſtoli ad Hebræ. 11. Accedentem ad Deum oportet credere. quia ſine fide impoſſibile eſt Deo placere.

† Vide San. Tho 2.2.q. 1.ar.7.

AD tertium ad dicēdum, quòd creſceret† illa, quæ ſunt fidei, poteſt intelligi dupliciter. aut ſubſtantialiter per additionem, aut accidentaliter per explicationem. Primo modo immutabilia ſunt, & eadem: quia ſecundum Auguſt. lib. 18. de ciuit. c. 47. Vna fides eſt antiquorum, et modernorum. Sed ſecundo modo creuerūt. quia multa explicitè nos cognoſcimūs, quæ illi implicite cognouerunt. Et ſic Papa aliqua poteſt explicare in articulis, quæ explicata non ſunt.

Tract. 41. ſuper Ioā. Tomo 5.

C

ARTICVLVS II.

VTRVM AD PAPAM SPEctet ponere ſub articulo: Credo in vnum Deum.

Vide S. Thomam 2.2. quæſt. 1. ar. 7. & par. 1. q. 11. art. 3. & lib. 1. contra Gentiles cap. 42. & Aegidium Romanū Lib. 1. ſent. diſt. 24. q. 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim quòd ad Papam nō ſpectet ſub articulo ponere. Credo in vnum Deum. Quia quòd eſt a Philoſophis demonſtratiuè probatum, non eſt ponendū ſub articulo: ſed eſſe vnū Deum, demonſtratiuè probatum eſt, a Philoſophis in pluribus locis. Ergo non eſt ponendum ſub articulo.

2 Præterea: Ponere ſub articulo, ad quæ ratio humana induci poteſt, diminuit rationem meriti. Iuxta illud Grego. Fides non habet meritum, cui humana ratio præbeat experimētum. ſed quòd ſit vnus Deus, poteſt adduci humana ratio. Ergo non eſt ponendum ſub articulo.

Hom. 26. in Euang.

3 Præterea: Præceptum Dei arctat nos ad credendum abſque eo, ꝙ ſub articulo ponatur. ſed præcipitur Deutero. 6. Audi Iſrael dominus Deus tuus, Deus

A vnus eſt. non eſt ergo ponendum hoc ſub articulo.

IN CONTRARIVM eſt. quia in Symbolo Patrum, & in Symbolo Apoſtolorum ponitur: Credo in vnum Deum.

RESOLVTIO.

Deum eſſe, & vnum à Papa iure optimo ſub Articulo poſitum dicendum eſt, cum multi inſanias, & impietates quaſdam affirmarint.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ rationabiliter ponitur ſub articulo eſſe Deum, & eſſe vnū Deum. nam Deum eſſe gubernatorem omnium, & omnium actuum humanorum directorem, ac omnium bonorum remuneratorem, & malorum punitorem multi negauerunt. Ponentes enim omnia caſualiter euenire, negauerunt Deum eſſe omnium Prouiſorem, & Gubernatorem, cuius contrariū ad ſenſum videmus. Nam videmus res omnes, vt Solem, Lunam, & Stellas determinatum curſum habere. quod non contingeret, ſi caſualiter euenirent. Ponentes vero actus humanos non diſponi à Deo, nec ab ipſo prouideri, inducti, quia videbant bonos in mundo iſto affligi, & malos proſperari, negauerunt Deum actuum humanorum eſſe directorem, non attendentes, ꝙ bonus medicus per eandem artem medicinæ propinat vni infirmo aquam, & alteri vinum ex certa ſcientia ſecūdum ꝙ ars medicinæ dictat.

Ponentes autem nō eſſe aliam vitam præter iſtam, negauerunt Deum eſſe omnium malorum punitorē, & bonorum remuneratorē. Contra quos dicit Apoſtolus 1. Corin. 15. Si tantum in hac vita ſperantes in Chriſto ſumus: miſerabiliores omnibus hominibus ſumus. rationabiliter igitur poſitum eſt in Symbolo Apoſtolorum: Credo in Deum; vt omnium prouiſorem, & vt omnium actuum humanorum directorem, & vt omnium bonorum remuneratorem, & malorum punitorem, ſecundum quem modum Deum eſſe, non eſt probatum humana ratione. Sed in Symbolo Patrum rationabiliter eſt additū: Credo in vnū Deum. Nam filiorum, & propinquorum nimium dilectores adorant plures Deos: Scribitur enim Sap. 14. Acerbo luctu dolens Pater, cito ſibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi mortuus homo fuerat, poſtmodum tanquam Deum colere cępit, & conſtituit inter ſuos ſeruos ſacrificia ſibi offerri. Principum vero, & Regum adulatores plures Deos adorāt, ſicut Nabuchodonoſor, vt Deus volebat adorari. Diuinatores vero, & dęmonum conſultores plures Deos adorant, quia quod eſt proprium Dei, vt occulta, & futura pręnoſcere, à dęmonibus ſcire cupiūt. Quia igitur multi vnum Deum non adorant, contra tales errantes congruè additum eſt in Symbolo Patrum: Credo in vnum Deum.

Dan. 3.

Ad Argumenta.

Ex prædictis ergo patet reſponſio ad rationes in oppoſitum factas.

ARTI-

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PAPAM SPEctet ponere ſub articulo, Deum eſſe Creatorem omnium.

Vide omnino S. Thomam opuſculo 23. vnde totus hic articulus lumen declarationis accipiet.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet ponere ſub articulo, Deũ eſſe Creatorem omniũ. Dicit enim Commentator in de ſubſtantia orbis: ꝙ multi dixerunt ipſum F Deum eſſe cauſam mouentem. ſed non cauſam agentem omnium. ſed cum finis ſignificet agens prima ſignificatione, ponere Deum eſſe cauſam mouentem per modum finis, & non cauſam agentem per modum efficientis, eſt abſurdum, et contra intentionem Ariſtotelis. Ex quo ergo hoc poſitũ eſt à Philoſophis, non oportet ponere ſub articulo.

2 Præterea: Omne, quod poteſt non eſſe aliqua parte ſui de ſe formaliter, neceſſe eſt non eſſe: ſed ſuũ eſſe effectiue eſt ab aliquo productum. cum ergo omnia viſibilia corporalia aliqua parte ſui poſſint non eſſe, & neceſſariò ſunt ab alio producta. Non ergo oportuit ponere in articulo: Creatorem omnium viſibilium.

3 Præterea: Omne, quod ordinatè mouet, vt aſſimiletur ſuo fini, ſuum eſſe, & totũ ſuum bonum effectiuè recognoſcit ab alio. G ſed omnia inuiſibilia, puta ipſi Angeli, & ſubſtantię ſeparatæ ordinatè mouent, vt aſſimilentur ſuo fini: Effectiuè ergo habent eſſe à Deo. non ergo oportuit addere in Symbolo: Et inuiſibilium.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſiæ. quia eius auctoritate Symbolum eſt ordinatum.

RESOLVTIO.

Deum eſſe omnium Creatorem à Papa ſub Articulo poſitum, non eſt ſuperuacaneum, immo neceſſariũ, cum huiuſmodi Articulus à quibuſdã fuerit negatus.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliqui poſuerunt H mundum fuiſſe ab ęterno, ſicut Ariſtoteles, & multi alij probauerunt.† In perſona quorum loquitur beatus Petrus, quando dixit: Ex quo dormierunt patres noſtri, omnia ſic perſeuerant ab initio creaturę; & contra iſtos poſitum eſt in Symbolo Patrum: Factorem cœli, & terræ. Si ergo facta ſunt, conſtat, ꝙ nõ ſemper fuerunt. Iuxta illud Pſal. 148. Dixit, & facta ſunt. Aliqui vero poſuerunt mundũ eſſe factũ à Deo, ex præiacenti tamen materia, volentes metiri potentiam Dei iuxta menſuram potentiæ creatæ, quæ non poteſt aliquid producere niſi ex pręiacenti materia: cum ſit potentia particularis. Et contra iſtos poſitum eſt in Symbolo Apoſtolorum: Creatorem cœli, & terræ. Nam ſecundum Damaſcenum, differunt creare, & facere. quia creare eſt aliquid producere ex nihilo. Fa-E cere vero præſupponit materiam pręiacentem. Aliqui autẽ poſuerunt, ſicut Manichæi, viſibilia, & corruptibilia à bono Deo facta non eſſe, pro eo ꝙ multi defectus in talibus corporalibus inueniuntur, & multa nociua. Contra quos Auguſtinus ponit tale exemplũ: Si aliquis intraret domum fabri, & inueniret ibi inſtrumenta, cum quibus pungeret, & læderet ſe, & ex hoc reputaret illum fabrum eſſe malum, ꝙ teneret illa inſtrumẽta, ſtultus eſſet, cum faber teneat illa ad opus ſuum. Ita ſtultum eſt dicere, ꝙ corporalia ſint mala, & à malo Deo, quia ſunt nociua. nam quod eſt vni nociuum, alteri eſt vtile. Ad remouendum ergo hunc errorem additum eſt in Symbolo Patrum: Factorem omnium viſibilium. Sed aliqui non valentes tranſcendere corporalia, non crediderunt eſſe aliquid vltra F naturam viſibilem, adorãtes pro Deo Solem, & Lunam, vel aliquam Stellarum, quę inter corporalia ſummum gradum tenebant. Ad remouendum igitur hunc errorem additũ, eſt in Symbolo Patrum: Et inuiſibiliũ.

† Id eſt, probare conati ſunt; nõ tamẽ vere ꝓbarũt: cum oĩa eorum argumenta ſint ſolubilia, vt docet Conc. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſ. 8.

De fid. Ortho. lib. 1. cap. 8.

Exemplum illuſtre.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ non negamus Philoſophos, potiſſime Peripateticos, poſuiſſe Deum cauſam efficientem omnium. quia tamen poſuerunt mundum ab æterno, & effectus coęternos fuiſſe ſuæ cauſæ, quorum poſitionem tanquam hęreticam fides catholica damnat. Ideo oportuit ſub articulo ponere, Deum eſſe omnium Creatorem, & Factorem. Quorum erroris radicem Rabi Moyſes aſſignat dicens: Ipſi fuerunt ſimiles puero, qui ſtatim cum naG ſceretur, poneretur in inſula, & nunquam videret mulierem prægnantem, nec puerum naſcentem: ſi tunc diceretur ei, quando iam ęſſet magnus, qualiter homo concipitur, & portatur in vtero; non crederet ei, quia videtur ſibi impoſſibile, ꝙ ſic magnus in vtero poſſet portari. ita Philoſophi videntes ſtatum mundi præſentem non crediderunt, quòd mundus poſſet de nouo incipere.

Exemplum de Philoſophis mũdũ eſſe æternũ aſſerẽtibus.

Et per hoc patet reſponſio ad alias duas rationes, quia non per illum modum ponit Eccleſia Deum factorem omnium viſibilium, & inuiſibilium, ſicut Philoſophi poſuerunt.

ARTICVLVS IIII.

H *VTRVM AD PAPAM SPEctet determinare modum credendi Trinitatem.*

Vide omnino S. Thomam opuſculo 23. ſuper cap. Firmiter. extra de Sum. Trinit. & fide Catho. vbi materiam huius articuli explicat luculenter.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare modum credendi Trinitatem. Dicit enim Hilarius in lib. de Synodis: Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vero ſunt vnum. Non eſt ergo ibi vnitas in natura, ſicut Papa determinat.

Præ-

2 Præterea: Dicit Boetius in lib. de Tri. Illud eſt A
vere vnum, in quo nullus eſt numerus. ſed Trinitas eſt vnus Deus veriſſime. Non ergo ibi erit numerus perſonarũ cũ vnitate naturæ, vt Eccleſia determinat.

3 Præterea: Quæcunque differunt ſpecie, differunt natura. ſed paternitas, & filiatio cum ſint relationes differentes ſpecie, ponunt differentiam in natura. Nõ ergo eſt in Trinitate vera vnitas.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur extra de ſum. Tri. & fi. catho. cap. Firmiter credimus.

RESOLVTIO.

Modum credendi Trinitatem ad Papam ſpectat determinare, vt ex ſacra Scriptura, eiuſque Doctoribus colligi poteſt. B

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Innocentius tertius in illa Decretali ſupradicta: Firmiter credimus, tria ponit requirenda eſſe in confeſſione veræ, ſempiternęque deitatis. Nam primo ex parte credentis requiritur firmitas, quando dicit: firmiter credimus: Firmus namque debet eſſe chriſtianus nihil hæſitãs. Vnde Moyſes grandis factus fide, negauit ſe eſſe Filium Filiæ Pharaonis, magis eligens afflictionem cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. vt ſcribitur ad Heb. 11. Secundo ex parte modi credendi requiritur ſimplicitas, vt non ſit ibi erroris admixtio, quando dicit: & ſimpliciter confite
mur. ſecundum enim Auguſtinum primo de Trinita
Tomo 3. te: Nil periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius C
cap. 12. aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur,
quàm vbi quæritur Trinitas Patris, & Filij, & Spiritus
ſancti. Tertio ex parte eius, quod creditur, requiritur
primo quòd credatur eſſe vnus verus ſolus Deus ſine
deorum plurificatione. Dicit enim Auguſtinus ſuper
illo verbo. 1. ad Cor. 8. Si quidem ſunt dij multi, &
domini multi: nobis tamen non eſt niſi vnus Deus.
Plures ſunt dij nũcupatiuè, ſicut ſunt Dęmones: quia
Pſal. 95. omnes dij gentium dęmonia. Plures ſunt ſimiliter
Pſal. 81. dij adoptiuè. quia, Ego dixi: Dij eſtis, & Filij excelſi
omnes. Sed ſubſtantiuè naturaliter ſola Trinitas eſt
In Proſolo vnus Deus. Secundo ꝙ credatur eſſe eternus ſine in-
gion c. 20. ceptione. dicit. n. Anſelmus ſuper illo verbo Exo. 15.
† Nunc legitur: Regnabit. Dominus† Regnauit in ęternum, & vltra. ꝙ ſi mũdus
fuiſſet ab æterno, & in æternum duraret: adhuc Deus D
diceretur eſſe ante, & vltra tale æternum: quia cauſa
ſemper eſt ante, & vltra ſuũ cauſatũ. Tertio, ꝙ ſit im-
Tomo 3. menſus ſine menſuratione: Exponens enim Auguſti-
cap. 3. nus 4. ſuper Gen. illud verbum Sap. 11. Omnia diſpo-
ſuiſti in numero, pondere, & menſura: dicit, ꝙ Deus
omnia diſponit in ſeipſo, qui eſt numerus ſine nume
ro, pondus ſine põdere, menſura ſine menſura. Quar-
to, quòd ſit incommutabilis ſine mutatione, dicẽte
Tomo 3. Auguſtino 1. de Tri. Vera immortalitas eſt vera incõ-
cap. 2. mutabilitas, quam nulla creatura habet, quoniam ſo-
lius Creatoris eſt. Quinto, quòd ſit omnipotens ſine
ſubiectione: ipſe enim ſolus eſt, qui mortis, & vitę ha-
bet poteſtatem, & ſubeſt ei, cum voluerit, poſſe; vt ſcri
bitur Sap. 15. Sexto, ꝙ ſit ineffabilis inueſtigatione,
Rom. 11. quia dicente Apoſtolo: Incomprehenſibilia ſunt iu-
A dicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. omnes iſtas conditiones requiſitas ad modum credendi Trinitatem ponit Innocentius in Decretali ſnpradicta: Firmiter credimus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Hilarius accipit ſubſtantiam pro hypoſtaſi. vult enim dicere, quòd Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tria per ſubſtãtiam† perſonarum, & ſunt vnum per conſonantiam vnitatis eſſentiæ.

† Ideſt, per diſtinctionem perſonarum nã perſonæ diuinæ nõ habent ſubſtãtiam differentem.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Boetius per illa verba intendit excludere numerum à diuina eſſentia, non autem à Trinitate perſonarum, quod quidẽ B confitetur Eccleſia.

AD tertium eſt dicendum, quòd paternitas, & filiatio non ſe habent ad diuinas Perſonas propriè, vt ſpeciem dantes: ſed magis, vt perſonas diſtinguentes, & conſtituentes. Illud autem, quod ſe habet ad perſonam diuinam, vt ſpeciem dans, eſt natura diuina: qnia Pater generat ſibi filium ſimilem ſecundum naturæ identitatem, non ſecundum perſonalem proprietatem, quamuis in diuinis non propriè dicatur aliquid differre ſecundum ſpeciem, cum ibi non ſit ſpecies, neque genus.

ARTICVLVS V.

VTRVM AD PAPAM SPEctet determinare modum diſtinctionis perſonarum. C

Vide Aegidium Romanum lib. 1. ſent. diſt. 23. q. 3.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papã non ſpectet determinare modum diſtinctionis perſonatum. Quia quæ ſunt eadem realiter alicui, ſunt eadem realiter inter ſe. Sed Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt idem realiter in eſſentia. Non ergo in perſonis diuinis eſt ponenda realis diſtinctio.

D 2 Præterea: Aut perſona addit aliquid ſupra eſſentiam, aut nihil. ſi aliquid addit reale faciet compoſitionem, quod non eſt ponendum. ſi vero nihil addit, non poterit facere realem diſtinctionem.

3 Præterea: Quæ de ſe inuicem prædicantur, quicquid verificatur de vno, verificatur de alio. ſed pater, & eſſentia prædicantur de ſeinuicem. iſta eſt enim vera: Pater eſt eſſentia. ſed Pater generat, ergo ſimiliter eſſentia generat.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur extra de ſum. Trin. & fid. catho. cap. Firmiter credimus.

RESOLVTIO.

Modum diſtinctionis perſonarum diuinarum ad Papam ſpectat determinare, vt ex auctoritatibus patet.

H RESPON-

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Innocentius III. in decretali ſupradicta ponit modū diſtinctionis perſonarum dicens: Tres quidem perſonæ: Pater à nullo: Filius à Patre ſolo: ac Spiritus ſanctus pariter ab vtroque: Pater generans, & Filius naſcens, & Spiritus ſanctus procedens conſubſtantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coæterni. Vbi tria confitetur. Primo perſonarum diſtinctionem: Secundo, diſtinctionis cauſæ aſſignationem: Et tertio, inſeparabilem operationem.

Perſonarum quidem diſtinctionem, quando dicit: Tres quidem perſonę. Nam ſecundum Aug. de Trin. lib. 7. cap. 4. to. 3. Cum quęritur quid tres, vel quid tria, referendum eſt ad perſonas: quia perſona, ſecundum Boetium In de natura, & perſona, eſt rationalis, vel intellectualis naturæ indiuidua, & incommunicabilis ſubſtantia. Incōmunicabilitas autem in diuinis attēditur in perſonis: nō in eſſentia: quia Pater ita eſt Pater, ꝙ non Filius: & Filius, ita eſt Filius, ꝙ nō Pater, in eſsentia tamen Pater eſt illud, quod Filius: & Filius illud, quod Pater. unde Aug. 15. de Tri. c. 14. tomo. 3. dicit, ꝙ verbum Dei Patris vnigenitus Filius eius, qui per omnia Patri ſimilis, & coæqualis, hoc omnino eſt q̄d Pater: nō tamen Pater, quia ille Filius, & iſte Pater. Diſtinctionis vero cauſæ aſſignationem tangit, quando dicit: Pater à nullo, Filius à Patre ſolo, Spiritus ſanctus pariter ab vtroque. Pater generans: Filius naſcēs: Spiritus ſanctus procedens. Nam inter perſonas diuinas non poſſet eſſe diſtinctio, niſi per originem vnius ab altera. quia ſecundum ‡ Damaſ. In diuinis omnia ſunt idem præter generationem, ingenerationem, & proceſſionem. Eo ergo ipſo, ꝙ Pater eſt generans, & Filius eſt genitus; oportet Filium ab eo eſse naturaliter †diſtinctum: cum ſecūdum Aug. 1. de Trin. c. 1. Nulla res ſeipſam generet, vt ſit. eo ipſo ꝙ Pater & Filius vna voluntate ſpirant Spiritum ſanctum, oportet ab vtroque pariter ſpiratum eſse, & ab vtroque pariter diſtinctum. quia ſecundum Hiero. Spiritus ſanctus non eſt Pater, neque Filius, ſed eſt amor, quem habet Pater in Filium, & Filius in Patrem.

‡ Primo lib. de fide Ortho. c. 10.

† Id eſt, perſonaliter diſtinctū per relationem realem, vt ait S. Tho. par. 1. q. 28. ar. 3. ſiue p relatiuā ꝓprietatē, vt declarat Auguſtinus in ſolutionē primi argumenti.

Tertio tangit inſeparabilem operationem, quando dicit: Conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coęterni. Nam ſecundū † Aug. 2. de Tri. Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus inſeparabiliter operantur. & hoc ideo eſt quia cōſubſtātiales ſunt ſine qualitatis implicatione: ſunt coæquales ſine quantitatis diuiſione: ſunt coomnipotentes ſine virtutis terminatione: & ſunt coæterni ſine tēporis variatione. Vnde dicit Auguſtinus 5. de Trin. cap. 1. Intelligamus Deum, quantum poſſumus, ſine qualitate bonū: ſine quantitate magnum: ſine indigentia creatorem: ſine ſitu præſentem: ſine habitu oīa continētem: ſine loco vbiq; totum: ſine tempore ſempiternum: ſine vlla ſui mutatione mirabilia facientem, nihilque patientem.

† To. 3. lib. 2. cap. 10.

Tomo 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd eo modo, quo tres perſonæ ſunt eædem in eſſentia, ſunt eædē inter ſe. quia in eſſentia Pater eſt omnino illud, qđ Filius: Sed comparatæ tres perſonę ad eſſentiam, ęcdē E ſunt in naturæ identitate: Inter ſe tamen adinuicem comparatæ diſtinguuntur relatiua proprietate.

AD ſecundum eſt dicēdum, ꝙ perſona addit ſupra eſſentiam relationem facientem cum ipſa eſſentia non realem compoſitionem; neque realem diuerſificationem, ſed bene realem ſpecificationem, ſecundū quam aliquid verificatur de vno, quod nō verificatur de alio.

Et per hoc patet reſpōſio ad tertium Argumentū.

ARTICVLVS VI.

F *VTRVM AD PAPAM SPECTET DETERMINARE MODVM VNITATIS TRIVM PERSONARVM.*

Vide S. Thomam opuſculo 23. & par. 1. q 29. art. 4. & q 30. & 31. & Aegidium Romanum ſuperiori articulo citatum.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare modum vnitatis triū perſonarum. quia quod eſt determinatum à Chriſto, non eſt determinandum per Papam. ſed modus vnitatis trium perſonarum determinatus eſt à Chriſto: Ioan. 17. quando di- G xit: Rogo Pater, vt ſint vnū in nobis (loquens de Apoſtolis) ſicut nos vnum ſumus. ſed Apoſtoli fuerant vnum cum Chriſto in charitate. Iſto ergo modo perſonæ ſunt vnum in eſſentia.

2 Præterea: Scribitur prima Io. 5. Tres ſunt, qui teſtimoniū dant in cęlo: Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimoniū dant terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis: & hi tres vnum ſunt. Sic ergo tres perſonę ſunt unum in eſſentia, ſicut ſunt vnum Spiritus, Aqua, & Sanguis.

3 Præterea: Eſſe vnum natura, eſt eſſe vnum ſubſtātia, ſicut dicit Auguſtinus in libro de moribus Monachorum. ſed participatione naturæ omnes homines ſunt vnus homo. Ergo eodem modo tres perſonę ſunt vna ſubſtantia. Tomo 3.

H IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur extra de ſum. Trin. & fide catholica: Firmiter credimus.

RESOLVTIO.

Modum trium diuinarum perſonarum vnitatis ad Papam determinare ſpectat, vt ex Decretali videre licet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Innocentius tertius in decre. ſupradicta ponit trium perſonarū in eſſentia perfectam vnitatem, quando dicit: Vna eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino. Itaque eſſentia diuina eſt ſimpliciſſima, & eſt communiſſima. quia igitur eſt ſimpliciſſima, in tribus perſonis non eſt pluriſicata: quia ſimplex non pluriſicatur.

catur. ideo eſt quædam ſumma res Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus non habens partem, & partem: vnde totam dat Pater Filio, & totam ſibi retinet: & Pater, & Filius totã dant Spiritui ſancto: & totam ſibi retinẽt. Eſt ergo quædã ſumma res ſimplex, & indiuiſa. Quia vero eſt communiſſima, ipſa non eſt genita, neque generans: quia cum eſſe genitum conueniat Filio, & nõ Patri: ſi diuina eſſentia eſſet genita Pater non eſſet diuina eſſentia; & ſi eſſet generans, cum generare non conueniat Filio, Filius non eſſet diuina eſſentia: ſed bene eſt per generationem, & proceſſionẽ eadem numero tribus perſonis communicata. Hunc ergo modum vnitatis eſſentiæ diuinę confitetur Innocentius in decretali ſupradicta, quando dicit: Nos autem, ſacro approbante concilio, credimus, & confitemur cum Petro Lombardo, ꝙ vna quædam ſumma res eſt veraciter Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quę non eſt generans, neque genita, neque procedens. Sed eſt Pater, qui generat, & Filius qui generatur, & Spiritus ſanctus procedens, vt diſtinctio ſit in perſonis, & vnitas in natura. Et damnamus, & reprobamus tractatum, vel libellum, quem Abbas Ioachim edidit contra prædictum Magiſtrum. In quo libello aſſerebat Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum eſſe vnius eſſentiæ, vel naturæ, non vera, & reali vnitate: ſed quadam collecta ſimilitudine in amore, vel in charitate. Confitetur ſimiliter Innocentius trium perſonarum in potentia æqualitatem. & confitetur tria opera à tota Trinitate ſimul eſſe facta. Primo, opera creationis, quando dicit, ꝙ ſancta Trinitas ab initio temporis vniuerſam condidit creaturã. Secundo, opera redemptionis, quando dicit, ꝙ hæc ſancta Trinitas primo per Moyſen, & Prophetas ſecundum ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et exprimuntur in illa clauſula articuli pertinentes ad Chriſti humanitatem de vtero
A virginali aſſumptam: & ſacramenta, per quæ facta eſt humani generis redemptio. Tertio, confitetur opera noſtræ glorificationis, quando dicit: Qui omnes reſurgent cum proprijs corporibus, vt recipiãt omnes ſecũdum opera, quæ fecerunt, ſiue bona, ſiue mala.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũm, ꝙ argumẽtum ſumptum à ſimilitudine non dicit identitatem, ſed diſparitatem. Volebat ergo Chriſtus, ꝙ ſui Diſcipuli eſſent vnum in amore, & in charitate; ſicut ipſe cum Patre erat unum in ſubſtantiæ identitate.

B Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Spiritus, aqua, & ſanguis non fuerunt vnum in Chriſto in naturæ vnitate. quia illa tria non ſunt vna res, nec vna natura, ſed fuerunt vnum in teſtimonij veritate. Teſtificabãtur enim illa tria, quòd Chriſtus non erat purus homo, ſed plus, quàm homo. quia enim de corpore Chriſti exiuit ſanguis per ſe, & aqua; per ſe miraculoſum fuit, vt gloſsa ibi dicit. Teſtificabantũr ergo ſanguis, & aqua Chriſtum eſſe Dei Filium. Teſtificabatur etiam hoc ſpiritus, id eſt clamor, & vox illa, quã emiſit ſpiritum emittendo. quòd enim homo iam prope
C mortem uocem magnam emittat, ſine miraculo eſſe non poteſt, potiſſime homo, qui moritur gladio per ſanguinis effuſionem. Vnde Centurio, qui erat ex aduerſo, videns, ꝙ ſic clamans expiraſſet, dixit: Verè Filius Dei erat iſte. Matth. 27.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ natura creata non eſt ſuum eſſe, ſed acquirit eſſe in ſuppoſitis. propter quod partitur, & plurificatur plurificatione ſuppoſitorum. Sed natura diuina eſt ipſum eſse, nec acquirit eſse in ſuppoſitis. propter quod non ponit numerum cum perſonis, ita quòd eſsentia, & tres perſonæ ſint quatuor res: nec plurificatur plurificatione perſonarum, ſed eſt eadẽ cũ perſona, & eſt quęlibet perſona.

QVAESTIO XII. QVOMODO AD PAPAM SPECTET DETERMINARE

quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum.

Videndum eſt inſuper, quomodo ad Papam ſpectet determinare, quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum: Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Utrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere Patrem eſſe omnipotentem.

Secundo, Utrum ad Papam ſpectet determinare modum generationis filij à Patre.

Tertio, Utrum ad Papam ſpectet determinare modũ procedendi Spiritus ſancti à Patre, & Filio.

Quarto, Utrum ad Papam ſpectet plura ponere ſub articulo Spiritus ſancti, quàm Patris, & Filij.

D
ARTICVLVS I.

UTRUM SPECTET AD PApam ſub articulo ponere, Patrem eſſe omnipotentem.

Huc ſpectant, quæ ſcripſit Aegidius Colũnius Rom. 1. ſent. Diſt. 4. q. 3. & d. 20. q. 1. vbi ſoluit ingenioſè, & doctè grauẽ quidem dubitationem.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam non ſpectet ſub articulo ponere Patrem eſſe omnipotentem. Quia poſſe generare eſt perfectionis: ſed hoc non poteſt Pater

communicare Filio. Non ergo omnipotentia debet poni ſub articulo Patris.

2 Præterea: Pater non poteſt incarnari. Ergo non eſt omnipotens. probatur antecedens. quia ſi poſſet incarnari, poſſet naſci: & ſi poſſet naſci, poſſet eſſe filius, & ſic in Diuinis eſſent plures filij. quod eſt contra illud: Non tres Filij, ſed vnus filius: non tres Spiritus ſancti, ſed vnus Spiritus ſanctus.

Symbolum Athanaſii.

3 Præterea: Dicit Auguſtinus 2. de Tri. ꝙ Pater nuſquam legitur eſſe miſſus. Si ergo Pater non poteſt mitti, non eſt omnipotens.

Tomo 3. cap. 5.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Omnipotentia congruè à Papa ſub articulo Patris poni debet. Potentia enim Patri appropriatur. F

RESPONDEO, dicēdum, ꝙ conuenienter omnipotentia ponitur ſub articulo Patris propter eius appropriationem: Appropriatur enim potentia Patri, ſicut ſapiētia Filio: bonitas Spiritui ſancto. quia ſicut potentia poteſt eſſe ſine ſapientia: ſic Pater non recipit eſſe ab aliquo, & poſſet eſſe ſine Filio, ſaltem in eo, quod Deus. Dicit enim Aug. 5. de Tri. Quòd nō eſt hoc dicere ingenitum, quod eſt dicere Patrē, quia ſi filium non genuiſſet, nihil prohiberet eum eſſe ingenitum. ſapientia vero non poteſt eſſe ſine potentia: quia poſſe ſapere eſt aliquid poſſe: Ideo conuenienter appropriatur Filio, qui etiam in eo, ꝙ Deus, non poteſt eſſe ſine Patre, cū toto eſſe ſuum à Patre recipiat. Bonitas vero non poteſt eſſe ſine potentia, & ſapientia: quia bonitas eſt bene, & ſapienter velle, vt dicit Rich. 6. de Tri. c. 15. Ideo conuenienter appropriatur Spiritui ſancto, qui procedit à Patre, & Filio. Similiter propter erroris vitationem. ſunt enim iſta tria: Potentia, Sapientia, & Bonitas communia tribus perſonis. dant tamen intelligere propria perſonarum: Inquantum autem ſunt communia, vitamus per ipſa errorem Arrij ſeparantis ſubſtantiam, & ponentis nihil realiter eſſe commune tribus perſonis. Sed in quantū talia dant intelligere propria, vitamus errorem Sabellij confundentis perſonas, & ponentis nullam realem proprietatem in perſonis.

Tomo 3. cap. 6.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM † ergo eſt dicendū, ꝙ poſſe generare nō dicit poteſtatem, ſed proprietatem. Eſt enim diligenter conſiderandum, ꝙ tam potentia, quàm eſſentia diuina dicit perfectionē ſimpliciter, & formaliter infinitam: Omne autem ſimpliciter perfectum eſt communicabile tribus: & quamuis Filius nō dicatur poſſe generare, ex hoc ꝙ ei non communicatur; in Filio tamen non poſſe generare, non eſt imperfectio, ſed conditio: nec indignitas, ſed proprietas. non enim eſſet bonum argumentum, ſic dicere: Diſtinguere, & conſtituere diuinas perſonas dicit perfectionem: ſed talem perfectionem non dicit diuina eſſentia, nec aliquid eſſentiale attributū, niſi ſola relatio: Ergo eſſentia non dicit perfectionē ſimpliciter: Nam diſtingue-

† Vide omnino Magiſtrū lib. 1. ſent. diſt. 7. & ibi Aegidiū Romanum. qō. 1. a. & 5.

E re, vel referre non eſt imperfectionis in eſſentia diuina, vel in aliquo abſoluto, ſed conditionis, nec impoteſtatis, ſed proprietatis.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Pater poſſet incarnari: nec conueniret ſibi naſci, & eſſe filium ſecundū naturam diuinam, ſed ſolum ſecundum naturā humanam aſſumptam. Vnde propter hoc non ſequeretur, in diuinis plures † eſſe filios: Nam conuenit filio ꝙ ſit Pater Virginis ſecundum naturam diuinam, & ſecundum naturam humanam eſt eius Filius.

† Vide Aegidium lib. 1. ſent. diſt 7. quæſt. 4.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum Aug. de Trinita. Cum Pater ex tempore ab aliquo cognoſcitur, non dicitur tamen miſſus † quia non habet de quo ſit, ſicut Filius: nec ex quo procedat, ſicut Spiritus ſanctus. Sicut ergo non recipere eſſe ab aliquo nō
F eſt impoteſtatis in Patre, ſed proprietatis: ſic mitti ſibi non conuenit.

Tom 3 lib. 4. cap. 20.

† S. Thom. par. 1. qō. 43. art. 4.

ARTICVLVS II.

VTRVM SPECTET AD PApam determinare modum generationis Filij à Patre.

Vide S. Thomam opuſculo 23. ſuper cap. Firmiter. extra de ſum. Trinit. & fide catholica.

G AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare modū generationis Filij à Patre. Quia quod eſt inenarrabile non poteſt per Papam explicari. Sed ſcribitur in Iſa. c. 53. Gnationē eius quis enarrabit? Nō ergo talis modus ponēdus eſt ſub articulo.

2 Præterea: Filius naturaliter non generatur, niſi ex muliere. ſed Deus Pater non habet vxorem. Ergo filiū generare non poteſt.

3 Præterea: Secundum Aug. Eſſe filium, eſt eſſe verbum. Sed verbum noſtrum non eſt Filius. Ergo ſimiliter nec verbum Dei.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſię.

RESOLVTIO.

Modus generationis Filij à Papa rectè ſub articulo Filij poni debet non enim eſt inenarrabilis per reuelationem: & ex hoc multi errores uitantur. H

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliqui hæretici poſuerunt Chriſtum non fuiſſe Dei Filium aliter, quam alij Sancti viri, qui bene viuendo merentur Dei Filij per adoptionem † appellari, faciendo voluntatem Dei. De quibus dicitur Io. 1. Dedit eis poteſtatē filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Et cōtra hunc errorem poſitum eſt in Symbolo Apoſtolorum: Credo in Ieſum Chriſtum Filium Dei vnigenitum: Ex quo enim vnigenitus eſt, eſt naturalis, & non adoptiuus. Iuxta illud Ioan. 1. Vnigenitus, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit. Aliqui vero poſuerunt Chriſtum non fuiſſe ante Beatam Virginem: ſed tunc incepit eſſe, quando ex ea

† Vide Magiſtrū ſent. li. 3. diſt. 10. §. ſi uero. & §. ſequenti.

conce-

conceptus eſt: Et cõtra hunc errorem additum eſt in Symbolo: Ex patre natum ante omnia ſecula.

Scribitur enim Io. 8. Antequam Abraham fieret, ego ſum. Aliqui autem dixerunt, ſicut Sabelliani, ꝙ bene Chriſtus fuit ante Beatam Virginem, ſed non fuit alia perſona à Patre, & Spiritu ſancto diſtincta. Quod dictum cum auferat Trinitatem perſonarum, error eſt, & venenum fidei. Vnde ad hunc errorem remouẽdum poſitum eſt in Symbolo: Deum de Deo, 1. de Tri. 1. lumen de lumine. Scribitur Io. 8. Qui me miſit verax eſt. Conſtat autem, ꝙ nullus mittitur à ſeipſo, ſicut nulla res ſeipſam generat ſecundum Auguſtinũ. Aliqui vero, ſicut Arriani, bene dixerunt, ꝙ Chriſtus fuit ante Beatam Virginem, & ꝙ fuit perſona diſtincta à Patre, non tamen ꝙ eſſet verus Deus, nec ꝙ eſſet eiuſdem naturæ, cum Patre: Et contra hunc errorem ponitur in Symbolo: Deum verum de Deo vero. ſcribitur enim Ioã. 14. Ego, & Pater vnum ſumus. Sed aliqui poſuerunt Chriſtum eſſe creaturam, non æternaliter genitum à Patre, ſed temporaliter factum: nec æqualis poteſtatis cum Patre. Et contra hunc errorem ponitur in Symbolo: Genitum non factũ, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Confitetur ergo Papa quinque ſub vno articulo de modo generationis filij. Primo, eius filiationis naturalitatem. Secũdo, eius generationis æternitatem. Tertio, in perſona diſtinctiuam proprietatem. Quarto, in eſſentia vnitatem. Et quinto, in poteſtate æqualitatem.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ modus generationis filij inenarrabilis eſt per humanã probationem, quia non ſolum hominum, ſed omnium Angelorum mentem excedit: poteſt tamen narrari per diuinam reuelationem, & per fidei adhæſionem. ſunt enim illa, quæ ſunt fidei, à Deo nobis reuelata. quæ cũ ſint à ſumma veritate dicta, falſa eſſe non poſſunt. Et ideo tanquam vera ſub articulis ponuntur, ne liceat alicui contrarium pertinaciter aſſerere.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ deriſorium eſt intelligere in diuinis generationem carnalem: Nõ enim eſt idem generationis modus in omnibus, ſed in animalibus per maris, & fœminę commixtionem: In plãtis vero per pullulationem: Deus autem cum non ſit animalis, & carnalis naturæ, non requirit fœminam, cui commiſceatur ad prolis generationem. ſed eſt ſpiritualis, & intellectualis naturæ, cuius partus eſt cõceptus: & verbum formatum, quod quidẽ verbum vnigenitus filius eius eſt. tale autem verbum eſt delectabiliter audiendum, eſt veraciter credendum, eſt continuè meditandum, eſt alijs manifeſtandum, & executioni mandandum.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Damaſ. 1. lib. cap. 6. Verbum Dei in quatuor differt à verbo noſtro: Primo, in actuali exiſtentia: quia verbum Dei eſt perſona ſubſiſtens: noſtrum autem eſt quoddam accidens. Secundo, in repræſentationis efficacia: tota enim eſſentia Patris repræſentatur in verbo eius: Ideo filius vocatur, de cuius ratione eſt naturam patris repræſentare, & ſibi in natura aſſimilari. Tertio in veritatis euidẽtia, quia gignitur de tota * ſcientia Patris: Noſtrum autem verbum plerumque ex ignorantia formatur. Quarto in immobilitatis permanẽtia: quia verbum noſtrum nõ manet in dicente, ſed tranſit per aerem: verbum autem Dei ſemper in dicente manet, quia totus Filius eſt in Patre, & totus in verbo Pater.

* al. ſubſtantia.

ARTICVLVS III.

VTRVM SPECTET AD PApam determinare modum procedẽdi Spiritus ſancti à Patre, & Filio.

De materia huius articuli, quæ grauiſſima eſt, vide Cõcilium Florentinum ſub Eugenio 4. ſeſs. 6. & ſeq. Magiſtrum, & Doctores lib. 1. ſent. diſt. 11. & S. Thomã par. 1. quæſt. 36. art. 2.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare modum procedendi Spiritus ſancti à Patre, & filio. Quia quod non eſt determinatum per Chriſtum in Euangelio, non eſt ſub articulo ponendũ. Sed Io. 15. Saluator loquẽs de Spiritus ſancti proceſſione, nullam mẽtionem facit, ꝙ procedat ab ipſo, ſed ſolum à Patre dicens: Spiritus ſanctus, qui à Patre procedit. Non ergo ponendum eſt ſub articulo, ꝙ procedat à Filio.

2 Pręterea: In Concilijs principalibus Græcorum, in quibus fuerunt fidei articuli determinati, expreſſum eſt, Spiritum ſanctum ſolum à Patre procedere, & nõ à Filio. & quicunque aliter diceret, vel prædicaret anathema incurreret. ſicut Magiſter allegat 11. Diſtin. 1. lib. ſententiarum.

3 Præterea: Nicenum Concilium, Symbolum conſtituit in quo nulla mentio de Spiritus ſancti proceſſione à Filio, facta eſt: immo in fine prædicti Symboli ſubiunctum eſt: Quicunque aliud docuerit, vel prædicauerit, anathema eſt.

In Contrarivm eſt Auctoritas Eccleſię.

RESOLVTIO.

Modus procedendi Spiritus ſancti à Patre, & Filio tamquam ex uno principio, & unica ſpiratione à Papa rectè poni debet, vt via contrarium opinanti pręcludatur.

Respondeo, dicendum, ꝙ Spiritum ſanctũ ex Patre, & Filio procedere non ſolum Doctores Græcorum, & Latinorum aſſerunt: verum etiam ipſa veritas. Io. 18. quãdo dicit: Spiritus Sanctus, quẽ mittet Pater in nomine meo, ille teſtimonium perhibebit de me. Super quo verbo dicit Anſelmus In de proceſs. Spiritus ſancti, ꝙ non eſt aliud Spiritum ſanctum in nomine Filij mitti, quàm de eius ſubſtantia procedere. Quia tamen aliqui propter veritatis ignorantiam præſumpſerunt dicere contrarium: ideo, vt

omnibus præcluderetur via contrarium opinandi, cõgruum fuit ſub articulo ponere, & ſub anathemate mandare, ꝙ modus procedendi Spiritus ſancti eſt à Patre, & Filio; non tanquam ex duobus, ſed tanquam ex vno principio pariter ſpirari. Vnde ſcribitur lib. 1. extra † de ſum. Trini. cap. Fideli. Nos huiuſmodi erroribus viam præcludere cupientes, ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint æternaliter Spiritum ſanctum ex Patre, & Filio procedere: ſiue etiam auſu temerario aſſerere, ꝙ Spiritus ſanctus à Patre, & filio tanquam ex duobus principijs, & non tanquã ex vno procedat. E

† De ſum. Trini. & fide Cathol. lib. 6.

Ad Argumenta.

Tomo 3. cap. 27.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Auguſtinus 15. de Trini. mouet iſtam queſtionem: Si Spiritus ſanctus procedat ex Patre, & Filio, cur ipſe Filius, dixit, Spiritum ſanctum ſolum à Patre procedere? quã ſoluens ſic dicit: Si filius dicebat: Mea doctrina non eſt mea; cum tamẽ ore Apoſtoli ipſe dictus ſit doctrina, & ſapientia Patris, multo fortius dicebat Spiritum ſanctum à Patre procedere, quia ſicut doctrinã habet à Patre, & non à ſe: ita, ꝙ Spiritus ſanctus ab eo procedat, non habet à ſe, ſed à Patre: à quo ſicut habet, ꝙ ſit Filius: ita ab ipſo habet, ꝙ Spiritus ſanctus ab ipſo procedat.

Ioan. 7.

AD ſecundum, & tertium eſt dicendum, ꝙ in Concilijs Græcorum illa explicata ſunt in articulis, contra quæ inſurgebant noui errores. Quòd vero ponitur in eis: Quicunque aliud docuerit, vel prædicauerit, ſit anathema; Aliud, ibi ponitur pro erroneo, nõ pro expoſitorio, vel explicatorio: quia quando inſurrexit error contra hoc, licuit Eccleſiæ ſub articulo explicare quod in illis Concilijs explicatum non fuit.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM SPECTET AD PAPAM plura ponere ſub articulo Spiritus ſancti; quàm Patris, & Filij.

Vide S. Thomam opuſculo 23.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſpectet ad Papã plura ponere ſub articulo Spiritus ſancti, quàm Patris, & Filij. Quia Spiritus ſanctus eſt vna in Trinitate perſona. Non ergo ponenda ſunt plura in articulo de vna perſona, quam de alia.

2 Præterea: ſecundum Ambroſ. de fide lib. 1. c. 2. Dominus eſt nomen *naturæ, & nomen poteſtatis. ſed potentia attribuitur Patri. Male ergo ponitur in articulo: Credo in Spiritum ſanctum, Dominum.

† al omnipotentiæ.

3 Preterea: Viuificare attribuitur Filio. Iuxta illud ad Heb. 4. Viuus eſt ſermo Dei. id eſt, Filius Dei. Male ergo ponit̃ ſub articulo Spiritus ſancti: Et viuificãtẽ.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Plura ſub Articulo Spiritus ſancti, quàm ſub Articulo Patris, & Filij rectè à Papa ſunt poſita, vt multi errores tollantur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Papa in articulo Spiritus ſancti quinque confitetur de ipſo. Primo, dominationem. Secundo, viuificationem. Tertio, à Patre, & Filio proceſſionem. Quarto, cum Patre, & Filio vnam adorationem. Quinto, Prophetarum inſpirationem.

Fuerunt enim aliqui hæretici male ſentientes de Spiritu ſancto, dicentes, ꝙ erat creatura, & ꝙ minor erat Patre, & Filio: & ꝙ erat miniſter vtriuſque. Ad remouendum ergo hunc errorem, poſitum eſt in Symbolo Patrum: Credo in Spiritum ſanctum dominũ. F Aliqui vero dixerunt, ꝙ vita ſpiritualis animæ in nobis poterat acquiri ex libero arbitrio, abſque aliqua infuſione gratiæ Spiritus ſancti. Et ad hunc errorem remouẽdum, additum eſt in Symbolo: Et viuificantem. Aliqui autem poſuerunt, ꝙ Spiritus ſanctus procedat à Patre, ſed non à filio, quod ſi ſic eſſet, non eſſet amor vtriuſque. Ideo ad remouendum hunc errorem, ponitur in Symbolo: Qui ex Patre, Filioque procedit. Aliqui autem dixerunt, ꝙ non erat eiuſdem ſubſtantiæ cum Patre, & Filio: Vnde nec idem honor, nec eadẽ reuerentia ſibi debebatur, q̃ impendebat̃ Patri, & Filio. Et ad remouendum hunc errorem, poſitũ eſt in Symbolo: Qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur. Sed aliqui poſuerunt, ꝙ vetus teſtamentum non fuit datum à bono Deo: nec Spiritu ſancto G inſpirati locuti ſunt Prophetæ. Et ad remouendum hunc errorem, ſubiunctum eſt in Symbolo: Qui locutus eſt per Prophetas.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ per illa, quæ ponuntur in articulo, remouentur errores de nouo inſurgentes. Quia igitur plures errores inſurrexerunt de perſona Spiritus ſancti, quàm de alijs perſonis: Ideo oportuit, plura ponere de articulo Spiritus ſancti, quam Patris, & Filij.

AD ſecundum eſt dicẽdum, ꝙ vna eſt poteſtas ſicut vna bonitas omnium trium perſonarum: attribuitur tamen poteſtas Patri propter eius appropriationẽ. H quia magis conuenit potentia cũ Patre, qui eſt à nullo, quàm cum aliqua alia perſona. attribuitur tamen Spiritui ſancto propter erroris vitationem, ne putaretur, ꝙ ſit minor Patre, & Filio.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. 2. de Tri. Omnis ſanctificatio, & omne opus factũ in creatura rationali ſimul inſeparabiliter efficitur à tota Trinitate: attribuitur tamẽ quandoq; perſonis ſingulis propter aliquam conuenientiam, quam habet cum proprijs perſonarũ. Viuificare ergo animã noſtrã vita ſpirituali, cõuenit filio propter intellectus illuminationẽ, Spiritui vero ſancto conuenit propter affectus inflammationem: quia ſicut Filius procedit, vt verbũ, cuius eſt intellectum illuminare, ita Spiritus ſanctus procedit, vt amor, cuius eſt affectum inflammare.

QVAESTIO XIII. QVOMODO AD PAPAM SPECTET DETERMINARE quæ pertinent ad naturam humanam à Dei Filio aſſumptam.

A *CONSIDERANDVM eſt vlterius, qualiter ad Papam ſpectet determinare, quæ pertinent ad naturam humanam à Dei Filio aſſumptam. Circa quod quæruntur quinque.*

Primo, Utrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere modum conceptionis, & incarnationis Chriſti.

Secundo, Utrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere modum Paſſionis, & ſepulturæ Chriſti.

Tertio, Utrum ad Papam ſpectet in Symbolo explicare omnes articulos fidei.

Quarto, Utrum ad Papam ſpectet in Symbolo explicare omnia ſacramenta Eccleſiæ.

B *Quinto, Utrum ad Papam ſpectet determinare, per quem modum corpus Chriſti eſt ſub ſacramento altaris.*

ARTICVLVS I.

UTRUM SPECTET AD PAPAM determinare, quæ pertinent ad naturam humanam à Dei Filio aſſumptam.

Vide Concilium Lateranen. ſub Innocentio III. cap. 1. refertur in cap. Firmiter. de ſum. Trinit. & fide Catho. & S. Thom. opuſculo 23.

C AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quod ad Papam non ſpectet determinare, quæ pertinent ad naturam humanam à Dei Filio aſſumptam. Et primo, quod non ad ipſū pertineat ponere ſub articulo modum conceptionis, & incarnationis Chriſti. Quia ſub articulo non debet poni niſi illud, per quod fides roboratur, & declaratur, vt dicit Auguſt. 14. de Trini. (Tomo 3. cap. 1.) Sed illa, quæ ſunt fidei, ſatis conuenienter reuelata, & declarata ſunt ſanctis Patribus in veteri teſtamento. Non ergo oportet D ſub articulo ponere, Chriſtum eſſe in vtero virginali conceptum.

2 Præterea ſcribitur Ioan. 6. Spiritus eſt, qui viuificat: caro autem non prodeſt quicquam. Credere ergo, Dei Filium eſſe Spiritum nos viuificantem, nō autem credere ipſum eſſe carnaliter conceptum, facit ad noſtram ſalutem.

3 Præterea: ſi homo non peccaſſet, Dei Filius fuiſſet incarnatus. Non ergo propter noſtram ſalutem.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſiæ.

A *RESOLVTIO.*

Quæ ad humanam naturam à Dei Filio aſſumptam ſunt ſpectantia, rectè à Papa determinantur, vt ex ijs ſex errores tollantur.

RESPONDEO, dicendum, quod ſex ponuntur ſub vno articulo, per quæ excluduntur ſex errores, qui tunc pullulabant circa Chriſti incarnationem, quando illud Symbolum fuit editum.

Primum eſt præciſa hominum ſaluatio. Secundū eſt legalium excluſio. Tertium eſt Dei filij ex virgine carnis aſſumptio. Quartum eſt miraculoſa corporis eius formatio. Quintum eſt illius carnis cum humano B corpore vera aſſimilatio. Sextum eſt, Dei & hominis vera perſonalis vnio.

Fuerunt enim aliqui dicentes Dei, filium eſſe incarnatum non ſolum propter nos homines; verum etiam propter dæmones damnatos liberandos, & ſaluandos. Et hic error excluditur per hoc, quod præmittitur in articulo: Qui propter nos homines. Aliqui vero dicebant ſolam Chriſti Incarnationem, & Paſſionem non ſufficere ad noſtram ſalutem, ſine legalium obſeruatione, & impletione. Et hic error excluditur per hoc, quod additur: Et propter noſtram ſalutem. Aliqui autem dicebant, Dei filium non deſcēdiſſe ad terram per carnis ex vtero virginali aſſumptionem, ſed magis Chriſtum tamquàm purum hominē exi- C ſtentem, aliqua bona operatum fuiſſe in terris, ex quibus dicebant eum meruiſſe cœlum aſcendere. Et hic error excluditur per hoc, quod adiungitur: Deſcendit de cœlis. Aliqui autem dicebant per operationem virilis ſeminis Chriſtum in vtero Beatæ Mariæ fuiſſe cōceptum, & incarnatum. Et hic error excluditur per hoc, quod annectitur: Incarnatus eſt de Spiritu ſancto. loco cuius in Symbolo Apoſtolorū dicitur: Conceptus eſt de Spiritu ſancto. Aliqui autem dicebant corpus Chriſti non fuiſſe verum corpus, nec eiuſdem naturæ cum corpore humano, & hic error excluditur per hoc, quod dicitur: Ex Maria Virgine. Sed aliqui dicebant humanam naturam perſonaliter non fuiſſe vnitam Dei filio, ſed per ipſum Dei filium fuiſ- D ſe habitatam modo, quo inhabitat ſanctos viros, ex quorum dicto non erat verum dicere: Deus factus eſt homo: ſed magis Deus inhabitat hominem: Et hic error excluditur per hoc quod vltimo ponitur: Et homo factus eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod antequā Dei verbum carnem aſſumeret, huiuſmodi verbum erat ignoſcibile, tanquàm in corde Patris exiſtens, ſicut verbum hominis, dum eſt in corde non cognoſcitur, niſi ab illo, in cuius corde exiſtit. Erat intangibile:

bile: audiebatur quidem à Prophetis, & Patriarchis per ſubiectam creaturam, non tamen poterat tangi.
1. ad Tim. 6. Erat inacceſſibile: quia lucem habitabat inacceſſibilem, quam nullus hominum videre poterat. Sed poſtquàm induit carnem humanam, factum eſt cognoſcibile, quia in terris viſum eſt, & cum hominibus conuerſatum eſt. factum eſt tangibile, quia manus noſtræ pertractauerunt de verbo vitæ. Factum eſt acceſſibile, quia acceſſum habemus per ipſum ad Patrem. Multa ergo ſecreta Dei manifeſtata ſunt nobis poſt Chriſti incarnationem, quæ ante occulta erant. Vnde propter aduẽtum Chriſti fides noſtra eſt declarata: ſpes noſtra eſt confirmata: charitas noſtra eſt inflãmata: natura noſtra eſt ſublimata: & noſtra volũtas eſt quietata, & terminata.

Ioann. 6. Hom. 47. In Ioan. — AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illud verbum: Caro non prodeſt quicquàm; Chryſoſt. exponit de carne Chriſti intellectuali dicens: Non ſufficit carnaliter intelligere, quod Chriſtus dixit in carne. hoc enim nihil prodeſt. oportet enim plus addere, & ſpiritualiter intelligere illa, quæ ipſe in carne dixit. Aug. vero exponit de Chriſti carne ſacramentali. (Tract. 27. In Ioan. Tomo 9.) ſi enim intelligatur caro Chriſti ſub ſacramento dilanianda per dentes, quòmodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, & non quomodo ſpiritu vegetatur, nihil prodeſt. Accedat ergo (vt ait) ſpiritus ad carnem, & prodeſt plurimum. Idem etiam Auguſt. exponit de Chriſti carne naturali ſub propria ſpecie, dicẽs, quòd caro Chriſti per ſeipſam non mundat ſpiritualiter à peccato. ſed per verbum, à quo ſuſcepta eſt: quod cum ſit principium omnium per ſuſceptam animã, & carnem omnium credentium, animam mundat, & carnem.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſi Dei Filius, homine non peccante, fuiſſet incarnatus, fuiſſet operatus noſtram ſalutem per modum iucunditatis, & integritatis: quia vtroque modo natura noſtra eſt beatificata; quantum ad corpus, videndo Chriſti humanitatem, & quantum ad animam, videndo Chriſti diuinitatem. Ingrediendo enim, & egrediendo, paſcua inueniemus: Sed non fuiſſet operatus noſtram ſalutẽ per modum mortis, & paſſibilitatis: quia non aſſumpſiſſet naturam mortalem, & paſſibilem. ex quo enim homo non peccaſſet, non indiguiſſet ipſo, vt Redemptore, ſed ſolum, vt Glorificatore: ſed ex quo peccauit, vtroque modo indiguit ipſo: quia nihil nobis naſci profuit, niſi redimi profuiſſet.

ARTICVLVS II.

VTRVM AD PAPAM SPEctet ſub articulo ponere modum paſſionis, & ſepulturæ Chriſti.

Vide Magiſtrum, & ibi Theologos Scholaſticos lib. 3. ſent. diſt. 20. & ſeq.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam non ſpectet ſub articulo ponere modũ paſſionis, & ſepulturæ Chriſti. Quia Chriſtus non fuit mortuus, & paſſus, niſi inquantũ homo. ſed inquantum homo naturaliter potuit pati, & mori. Non eſt ergo iſtud ponendum ſub articulo.

2 Præterea: Iudæi ſunt puniti, quia Dominum gloriæ occiderunt. Iuxta illud Act. 3. Vos autem Dominum auctorem gloriæ interemiſtis, & petiſtis virum homicidam donari vobis: ſed Deus non poteſt pati. Non ergo hoc ponendum eſt ſub articulo.

3 Præterea: Sub articulo non debet poni, niſi quod facit ad noſtram ſalutem. ſed ſepultura Chriſti non facit ad noſtram ſalutem, immo ad contrarium: cum Pſal. 87. ipſe debuerit eſſe inter mortuos liber.

IN CONTRARIVM eſt Auctoritas Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Paſſionis Chriſti, & ſepulturæ modum Papa ſub Articulo rectè confitetur, ut ex eo bona nobis per Chriſtum parta declarentur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ homo per peccatum primo incurrerat Dei offenſionem: Delectatur enim Deus in ſpirituali pulchritudine, ſicut homo carnalis delectatur in pulchritudine corporali. Deus enim ſpiritus eſt. quãdo ergo anima per pec- Ioan. 4. catũ inquinatur, & eius pulchritudo amittitur, Deus offenditur.

Secundo, incurrerat animæ maculam, & deturpationem. eſt enim peccatum macula ipſius animæ.

Tertio, incurrerat de Paradiſo exilium, & expulſionem. Ad remouendum ergo Dei offenſionem neceſſaria fuit Chriſti mors, & crucifixio: vt, ſicut homo morte ſe damnauerat, ita morte redimeretur per iuſtitiam talionis. propter quod ſuper illo verbo: Deſcendat nunc de Cruce, & credimus ei; Dicit Chryſoſto. (Matth. 27.) immo non deſcendat. quia ad hoc venit, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. (Heb. 2.) ſi enim homo in Cruce non moreretur, humanum genus non redimeretur. Ad remouendam vero animæ maculam, & deturpationem, neceſſaria fuit Chriſti paſſio, & eius ſanguinis effuſio: de quo Chriſtus in ſua Paſſione fecit quoddam balneum, in quo animæ peccatorum lauantur ab omni macula. cum enim lauantur in baptiſmo, in balneo Chriſti ſanguine conſecrato lauantur, cum nõ niſi ex ſanguine Chriſti baptiſmus efficaciam habeat. Sed ad remouendum de paradiſo exilium, & expulſionem neceſſaria fuit Chriſti ſepelitio. non eſt enim neceſſarium corpus ſepeliri, niſi poſtquàm anima à corpore eſt ſeparata. Erat autem neceſſarium, animam Chriſti ad infernum deſcendere, vt animas Sanctorum per peccatum primi hominis de paradiſo expulſas ad cęleſtia reuocaret. Iſta autem tria confitetur Papa ſub vno articulo.

Primo, mortem, & crucifixionem, quando dicit: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato.

Secundo, ſimul Paſſionem, & ſepelitionem quando ſubdit: Paſſus, & ſepultus eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, Quòd non ideo

ideo ponitur ſub articulo, Chriſtum eſſe crucifixum, & paſſum, ꝙ non potuerit mori naturaliter, ſecundũ ꝙ homo: ſed ponitur ſub articulo, ꝙ ille, qui moriebatur & crucifigebatur, inquantum homo, erat verus Deus.

Ad ſecundum eſt dicendũ, ꝙ planum eſt, Iudæos non occidiſſe Chriſti diuinitatem: Conſtat enim, ꝙ cum moritur homo in ſeparatione animæ à corpore, non moritur anima, ſed ipſa caro: ſic in morte Chriſti non eſt mortua diuinitas, ſed natura humana. Nunquid ergo debuerunt puniri Iudæi, ac ſi interfeciſsent purum hominem, & non Deum? Dicendum ad hoc, ꝙ ſi aliquis Rex indutus eſset pulchra veſte, ſi quis in veſtem illam aliquam turpitudinem proiiceret, tantum peccatum incurreret, ac ſi ipſum Regem deturparet. Similiter verbum Regis ſi ſcriberetur in charta, & ſi aliquis dilaniaret chartã Regis, pro tanto haberetur, ac ſi dilaniaret verbum Regis. Peccatum ergo Iudæorum dilaniando carnẽ Chriſti, & ſcripturam Chriſti, tam fuit, ac ſi ipſum Dei filium dilaniaſſent, vel occidiſsent. & tali pęna debuerunt puniri.

Exemplũ.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut mors Chriſti operata eſt noſtram ſalutem, ita eius ſepultura. Nec obſtat ex hoc, ꝙ fuit ſepultus, nõ fuiſse liberum inter mortuos. quia eo ipſo, ꝙ per incluſionem ſepulchri non potuit impediri, quin ab eo reſurgendo exiret, oſtenditur, eum inter mortuos libertatem habuiſse.

ARTICVLVS III.

VTRVM SPECTET AD PA- C *pam explicare omnes articulos Fidei.*

Vide S. Thomam 2.2. quæſt. 1. art. 8. 9. & 10. & Hoſtienſ. in ſumma tit. de fide catholica. §. Quot, & qui articuli.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſpectet ad Papã in Symbolo explicare omnes articulos fidei. Quia multa ſunt dubia in his, quæ ſunt fidei. ſcribitur enim Eccleſiaſtes. 1. Cũctæ res difficiles, & nõ poteſt homo eas explicare ſermone: Ergo de omnibus explicandi non ſunt articuli in Symbolo.

D 2 Præterea: Minores de Eccleſia non tenentur explicitè credere. Ergo in Symbolo omnibus legendo non oportet explicare credibilia.

3 Præterea: In articulis fit explicatio fidei, ſed non eſt in poteſtate hominis explicitè credere. Scribitur Roma. 10. Quomodo credent ei, quẽ non audierũt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo autem prædicabunt, niſi mittantur? Non ergo oportet explicare per articulos, quæ ſunt fidei.

In Contrarium eſt Auctoritas Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Articulos Fidei omnes ad Papam pertinet explicare, vt Eccleſia probat Auctoritas.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſalus humani generis facta eſt per manifeſtationem diuinitatis ſecundum humanitatem aſsumptam, quę ſecundum Damaſcenum fuit inſtrumentum diuinitatis. mediãte quo, quæ erant hominis ſupra hominem operabatur. ergo omnia, quæ ſunt fidei principaliter, & per ſe, vel ordinantur ad Chriſti diuinitatem, vel ad aſſumptam humanitatem. diuinitas autem ſeptẽ modis eſt manifeſta nobis in ſacro eloquio. Primo, quantum ad eſsentiæ vnitatem. Secundo, quantum ad Patris poteſtatem. Tertio quantum ad Filij proprietatem. Quarto, quantum ad Spiritus ſancti ſanctitatẽ. Quinto, quantum ad Eccleſię communitatem. Sexto, quantum ad reſurrectionis veritatem, quæ diuina virtute, & nutu fienda eſt. Septimo, quantum ad futuræ B vitæ æternitatem.

Lib. 3. de fide Orthod. cap. 15.

Quantum ergo ad primum ponitur in articulo: Credo in vnum Deum. Quantum ad ſecundum ponitur: Patrem omnipotentem. Quantum vero ad tertium ponitur: Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnigenitum. Quantum autem ad quartum ponitur: Et in Spiritum ſanctum Dominum. Quantum ad quintum ponitur in Symbolo Apoſtolorum. Sanctorum communionem. Quantum ad ſextum ponitur: Expecto reſurrectionem mortuorum. Sed quantum ad ſeptimum additur: Et vitam venturi ſeculi.

Per aſsumptam vero humanitatem ſeptem modis Dei Filius operatus eſt noſtram ſalutem. Primo, per eius conceptionem: Secundo, per eius natiuitatem, ſeu incarnationem. Tertio, per eius mortem, & paſſio- C nem. Quarto, per eius ad inferos deſcenſionẽ. Quinto, per eius Reſurrectionem. Sexto, per eius in cœlũ Aſcenſionem. Septimo, per eius in fine ſeculi iudiciariam dominationem.

Quantum ad primum dicitur: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto. Quantum ad ſecundum additur: Natus ex Maria Virgine. multi enim concipiuntur, qui non naſcuntur. Quantum ad tertium dicitur: Crucifixus pro nobis ſub Pontio Pilato. Quantum vero ad quartum ponitur. Deſcendit ad inferos. Quãtum ad quintũ additur: Tertia die reſurrexit à mortuis. Quantum ad ſextum dicitur: Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Patris. Quantum ad ſeptimũ dicitur: Qui venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ in articulis non explicantur niſi illa, quæ principaliter ad noſtrã faciunt ſalutem. huiuſmodi autem ſunt, quæ pertinẽt ad Chriſti diuinitatem, & humanitatem. alia vero quæ conſequenter ſe habent, non oportet per articulos explicare.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd illa, quæ continentur in ſacra Scriptura, leguntur omnibus, & tamẽ non tenentur omnes explicitè illa ſcire. & ſic eſt de his, quæ ſunt fidei: quia licet omnibus proponãtur, non tamen tenẽtur omnes explicitè ipſa cognoſcere.

Ad tertium dicitur, quòd ad multa homo tenetur, quæ non poteſt perficere ſine auxilio gratiæ: vt

præcepta

prçcepta Dei ſeruare. quod quidem auxilium gratiæ quibuſdam datur per Dei miſericordiam: quibuſdã autem per iuſtitiam non datur: quod fit in pœnam alicuius peccati, vel actualis, vel ſaltem originalis. ſicut dicit Aug. in lib. de correctione, & gratia cap. XI. E

Tomo 7.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM SPECTET AD PApam in Symbolo ponere omnia ſacramenta Eccleſiæ.

Vide citatos in proximè prçcedenti Articulo.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam ſpectet in Symbolo ponere omnia ſacramenta Eccleſiæ. F Quia errores inſurrexerunt circa ſacramenta, ſicut circa illa, quæ ſunt fidei. Ergo iſta, ſicut illa, in Symbolo ſunt ordinanda.

2 Prçterea: Illa ponuntur in Symbolo, quæ faciunt ad noſtram ſalutem. ſed ſic faciunt ad noſtram ſalutem ſacramenta, ſicut articuli, ergo.

3 Præterea: Maior difficultas inſurgit circa ſacramentum Euchariſtiç, quàm circa baptiſmum. Magis ergo oportet explicare in articulo ſacramentum Euchariſtiæ, quàm ſacramentum baptiſmi.

IN CONTRARIVM eſt. Quia in Symbolo Patrum non fit mentio niſi de ſacramento baptiſmi. G & in illa decret. † extra de ſum. Trinit. & fide Catho. non exprimuntur niſi quatuor ſacramenta.

† In c. Firmiter.

RESOLVTIO.

Omnia Eccleſiæ ſacramenta in Symbolo à Papa poni non eſt neceſſe.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſacramenta † ſunt quædam medicinæ purgatiuæ peccatorũ, vt anima ipſa ſacramentis tanquàm quibuſdam ſpiritualibus medicinis à defectibus, & peccatis expurgata, efficiatur capax receptionis ſeptiformis gratiæ ſpiritus ſancti. Sunt autem in anima noſtra ſeptem defectus. Primus, per peccati originalis infectionem. H Secundus, per diaboli impugnationem. Tertius, per peccati perſonalis, & actualis perpetrationem. Quartus, per ipſius animæ in vita ſpirituali debilitationẽ. Quintus, per reliquiarum peccatorum deturpationẽ. Sextus, per ignorantiæ cognitionem. Septimus, per carnalis concupiſcentiæ ineffrenationem. Peccati ergo originalis infectio tollitur per baptiſmum. Diaboli vero impugnatio tollitur per confirmationem. Peccati actualis, & perſonalis perpetratio tollitur per pœnitentiam. Animæ vero debilitas tollitur per ſacramentũ Euchariſtiæ. Reliquiarum peccatorum deturpatio tollitur per extremam vnctionem. Ignorantiæ autem cognitio tollitur per ſacramẽtum ordinis. Sed concupiſcentiç ineffrenatio tollitur per ſacramẽtum matrimonij.

† De ſeptenario ſacramentorum numero. Vide Conciliũ Trid. ſeſſio. 7. de ſacramẽtis cano. 1. & S. Tho. par. 3. q. 65. art. 1. & 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſacramenta Eccleſiç habent efficaciam à Paſſione Chriſti. Vnde, ſicut effectus continetur in cauſa: ſic omnia ſacramenta continentur in articulis pertinentibus ad Chriſti humanitatem.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa, quæ ponuntur in Symbolo, faciunt ad noſtram ſalutem principaliter, & effectiuè. ſacramenta autem magis faciũt medicinaliter per modum expurgationis peccatorum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſacramentum baptiſmi eſt ianua omnium ſacramentorum. Vnde poſito ipſo ſub articulo, oĩa alia virtualiter includũtur.

ARTICVLVS V.

VTRVM SPECTET AD PApam determinare, per quem modum corpus Chriſti eſt ſub Sacramento altaris.

Vide Concilium Trident. ſeſſio. 13. de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, cap. 1. & 4. & cano. 1. 2. & 4. & S. Thomam par. 3. q. 75. ar. 1. & 2. & Aegidium Romanum in Theorematibus de corpore Chriſti Theor. 1.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papam non ſpectet determinare, per quem modum corpus Chriſti eſt ſub ſacramento altaris. Quia ſic eſt de corpore Chriſti ſub ſpecie panis iudicandum, ſicut de eius corpore ſub ſpecie propria: cum ſit idem corpus numero. ſed Deus in corpore Chriſti ſub ſpecie propria eſt per perſonalem vnionem. ergo per talem modum erit in ſacramento altaris.

2 Præterea: Dicit Damaſcenus 4. lib. cap. vltimo, ꝙ quia conſuetudo eſt hominum comedere panem, & bibere vinum: ideo pani, & vino coniunxit Deus diuinitatem ſuam, & fecit ea corpus, & ſanguinem ſuum. & ita panis communionis non eſt panis ſimplex, ſed coniunctus diuinitati. Eſt ergo corpus Chriſti in altari per aſſumptionem panis ad vnitatem diuinitatis.

3 Preterea: Modus, per quem exiſtit corpus Chriſti in altari, non videtur eſſe ab Eccleſia determinatus. Licet ergo ad placitum opinari, per quem modum corpus Chriſti in ſacramento altaris exiſtat.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur de conſecra. Diſt. 2. cap. Quia corpus. Vbi dicitur, ꝙ viſibiles creaturæ in Chriſti corpus, & ſanguinem inuiſibiliter conuertuntur.

RESOLVTIO.

Corpus, & ſanguinẽ Chriſti non eſſe ſub quantitate propria, ſed ſub quantitate, & ſpeciebus panis, & vini, ad Papam ſpectat determinare.

RESPON-

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit Innoceu. Corpus Chriſti habet triplicem modum eſsendi. Aliter enim eſt corpus Chriſti in perſona ipſius Chriſti: Aliter in cœlo: Aliter in ſacramento altaris. Nam in homine Chriſto eſt eius corpus, vt pars in toto per unionem: In cœlo vero eſt, vt locatum in loco per circumſcriptionem: ſed in ſacramento ſicut præſens ſignatum in ſigno per ſacramentalem repræſentationẽ: & per ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem eius tranſubſtantiationem. Non enim eſt corpus Chriſti in hoſtia per propriæ quantitatis circumſcriptionem. quia ſic non poſset intrare per os fidelium manducantium ipſum. Nec per propriæ virtutis terminationẽ. Quia ſic non poſset eſse ſimul, & ſemel cibus multorum fidelium in diuerſis locis, & in diuerſis mundi partibus exiſtentium. Eſt ergo in hoſtia totum corpus Chriſti, vt cibus ſpiritualis animæ: non ſub quantitate propria, ſed ſub quantitate panis, & vini per tranſubſtantiationem ſubſtantiæ eius in ipſum. Et hunc modum eſsendi determinat Papa extra de ſum. Trinit. & fide catho. capitulo: Firmiter credimus Vbi dicitur, quòd corpus Chriſti, & B

ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continẽtur, *tranſubſtantiato pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina. Fingere ergo, vel ponere alium modum pertinaciter, eſt hæreticum. * al. tranſubſtantiatis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ corpus Chriſti habet eſse in perſona Chriſti, vt dictum eſt, per perſonalẽ vnionem. ſed in ſacramento altaris eſt per panis ſubſtantiæ in ſubſtantiam eius tranſſubſtantiationem. Vnde non habet eundem modum eſsendi vtrobique.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Damaſcenus vult pani, & vino coniugatam eſse diuinitatem, quantum ad virtutem, & potentiam: quia potentia diuinitatis fit, vt panis in corpus Chriſti, & vinum in ſanguinem conuertatur.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ modus eſsendi determinatus eſt per Eccleſiam. & alium modum pertinaciter aſserere, eſset hæreticum.

QVAESTIO QVARTADECIMA
DE SANCTORVM VENERATIONE.

POST hoc cõſiderandum eſt de Sanctorum veneratione. Circa quod quæruntur quatuor. C
Primo, de Papa canonizante.
Secundo, de cauſa canonizationis.
Tertio, de modo canonizandi.
Quarto, de Sanctis canonizandis.

Circa primum quæruntur quinque.

PRIMO, Utrum ad ſolum Papam pertineat Sanctos canonizare.
Secundo, Utrum ſicut Papa vniuerſaliter, ita Epiſcopus in diœceſi ſua poſſit aliquẽ Sanctũ canonizare.
Tertio, Utrum Papa abſque aliqua requiſitione Collegij poſſit aliquem Sanctum canonizare.
Quarto, Utrum Papa canonizando aliquem Sanctum poſſit errare.
Quinto, Utrum ſi quis non eſt canonizatus pro Papã, poſſit pro eo officium decantari. D

ARTICVLVS I.

UTRUM AD PAPAM PERtineat Sanctos canonizare.

Vide Concilium Trident. ſeſſ. 25. titu. de inuocatione, veneratione, & reliquijs Sanctorũ, & ſacris imaginibus.
Vide B. Antoninum in ſumma par. 3. tit. 22. cap. 5. §. 5. & gloſſam, & Doctores in c. Vnico. de reliq. & vener. Sanctorum lib. 6.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſolum ad Papam pertineat Sanctos canonizare. Quia ſecundum Augu. in lib. de vera religione: Sancti non ſunt adorandi, ſed honorandi. Cum ergo cuilibet liceat alteri honorem impendere, cuilibet erit licitum Sanctum canonizare.

Toro 2. pp. 55.

2 Præterea: In Eccleſia primitiua non omnes Sancti canonizabantur per Papam. Ergo nec nunc eſt neceſſarium, ꝙ omnes per eum canonizentur.

3 Præterea: Ad ſanctos pertinet ſanctos canonizare; & non ad peccatores. non enim eſt conuẽtio Chriſti ad Belial, nec lucis ad tenebras, Vt ſcribitur. 1. ad Corin. 6. ſed contingit, Papam quandoque eſſe malũ, & peccatorem. Non ergo ad Papam ſemper ſpectat canonizare ſanctos.

IN CONTRARIVM eſt. quia nullus eſt Sanctus, niſi approbatione, & imitatione Chriſti: Iuxta illud Leui. 20. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Ergo approbatione Papæ, qui eſt Vicarius Chriſti, debet aliquis in ſanctum approbari, & canonizari.

RESOLVTIO.

Sanctorum canonizationem ad Papam ſpectare dicendum eſt, vt ratio ipſa monet.

RESPONDEO, dicendum Sanctum aliquem canonizare, non eſt aliud, quàm ſanctitatem alicuius venerandam, & approbandam manifeſtare; propter fidem Eccleſiæ eius opera imitantis, & beneficia recipientis. Tria itaque principaliter requiruntur ad canonizationem Sancti.

Primo, eius ſanctitatis approbatio. Secundo eius ſanctitatis à toto populo Chriſtiano veneratio. Tertio fidei totius Eccleſiæ, beneficia illius Sancti poſcentis, confirmatio.

Iſta autem tria ad ſolum ſummum Pontificẽ, qui

eſt

eſt caput Eccleſiæ, noſcuntur pertinere: Nam, ſicut ſolius Chriſti eſt homines ſanctificare, & * ſanctos facere. Iuxta illud Leui. 21. Ego ſanctus ſum Dominus, ꝙ ſanctifico vos; ſic ſolius Papę eſt, qui eſt Vicarius Chriſti, hominum ſanctitatem manifeſtare, & approbare. Similiter, ſicut ſolus Papa caput eſt totius Eccleſiæ, ita ſolum ad ipſum pertinet membris Eccleſiæ mādare, ſanctum aliquem ſub veneratione haberi. Vlterius, ſicut opera, quæ perhibent teſtimonium ſanctitati alicuius fidei, Eccleſię innituntur; ita ad illum pertinet huiuſmodi Sanctum canonizare, ad quem pertinet quæſtiones fidei determinare: quod quidem, planum eſt, ſpectare ad Summum Pontificem, ſicut patet 24. quæſt. 1. cap. Quotiens ratio fidei ventilatur.

* al. ſaluos

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, quòd duplex eſt reuerentia. Quædam vniuerſaliter iniuncta. Quædam verò voluntariè, & particulariter aſſumpta. Prima ergo reuerentia ſolum honorandi ſunt Sancti per Eccleſiam canonizati. Sed ſecunda reuerentia poſſunt honorari alij ſecundum particularem deuotionem vniuſcuiuſque.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ in Eccleſia primitiua non ſeruabatur modus canonizandi, qui modo ſeruatur propter duo. Primo, quia illi Sancti, vt plurimum, erant Martyres, in quibus non requirebatur talis examinatio, ſicut requiritur in Confeſſoribus, vt infra dicetur. Secundo, ex feruore fidei naſcentis Eccleſiæ, & ex meritis Chriſti, & Apoſtolorum, miracula, & alia opera ſic erant euidentia, vt non poſſent tergiuerſatione celari: ſed nunc bene videndum eſt ſecūdum, ꝙ dicit Auguſtinus in de vera religione, quibus de diuinis credendum eſt, potiſſime cum Angelus Sathanę poſſit ſe transfigurare in Angelum lucis.

Tomo 5. cap. 25.

2. Cor. 11.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non canonizat Sanctos, ſanctitatem in eis efficiendo, vel cauſando: ſed magis ſanctitatem, quæ propter opera, quæ ei teſtimonium perhibent, approbando. & ſub veneratione populi chriſtiani exponendo, quamuis, ſi ſanctitate caret, miniſterialiter non propria auctoritate, mediantibus clauibus Eccleſię, poſſet hoc facere, quantūcunque eſſet peccator.

ARTICVLVS II.

VTRVM SICVT PAPA VNIuerſaliter, ita Epiſcopus in ſua diœceſi, poſſit aliquem Sanctū canonizare.

Vide Doctores Canoniſtas in cap. 2. De reliq. & venerat. ſanctor. Troilum Maluetium tract. de canonizatione Sanctorum dubio 2. Et Turrecrematam in cap. 1. de conſecrat. Diſt. 3. quæſt. 5. vbi ſequitur hic Auguſtinum. Et Armill. Tit. canonizatio.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſicut Papa vniuerſaliter: ita Epiſcopus in ſua diœceſi poſſit aliquem Sanctum canonizare. Scribitur enim primo Ethicorum: Vnuſ-

Li. 1. Eth. 3.

E quiſque bene iudicat de iis, quæ nouit, & horum eſt bonus iudex. Sed epiſcopus melius nouit de ſanctitate, & vita eorum, qui ſunt in ſua diœceſi, quàm Papa. Ergo erit melior iudex canonizando, & approbando ſanctitatem eorum.

2 Prętereа: Sanctos canonizare eſt ex operibus, & miraculis eos à populo venerandos prædicare. ſed talia fiunt in vna diœceſi quandoq;, & nō in alia: quia ſicut operationes ſunt particularium ſuppoſitorum: ſic ſunt particularium locorum. Magis ergo pertinet hoc ad Epiſcopum, quàm ad Papam.

3 Prætereа: Canonizatio pertinet ad poteſtatem ordinis, cum ibi requiratur celebratio Miſſę ad honorē Sancti. ſed in poteſtate ordinis quilibet Epiſcopus eſt æqualis Papæ. Quilibet ergo Epiſcopus poteſt Sanctum aliquem canonizare in ſua diœceſi.

F IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de reliq. & venera ſanct. cap. 1. Vbi Papa ſcribens Epiſcopo dicit: Si † per hominē miracula fierent, nō liceret vobis ipſum profecto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.

† Verba Romani Pontificis ita habent: Cum etiamſi per eum miracula fierēt, non liceret vobis ipſū pro Sancto abſq; auctoritate Romanę Eccleſiæ venerari.

RESOLVTIO.

Sanctorum canonizatio ad ſolum Pontificem Romanum ſpectat, vt ratio ipſa docet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ rationabiliter canonizatio Sanctorum ſolum Romano Pontifici reſeruatur: innititur enim canonizatio Sanctorum G fidei Chriſti, in quem Sancti credentes per eos miracula fiunt, quę atteſtantur eorum ſanctitatem, & fidei integritatem. Fides autem Chriſti vna eſt. Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 4. Vnus dominus: vna fides: vnū baptiſma: Ad illum ergo debet pertinere canonizatio Sanctorum, in quo vniuntur omnia membra Eccleſiæ, ne ſint ſchiſmata in eis de Sanctis canonizatis ſicut erant in Corinth. de baptiſmate: in quorū perſona dicit Apoſtolus: Ego ſum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephæ. Notatur ſimiliter hoc expreſſè de conſecra. Diſt. 3. cap. Pronunciandum. Vbi ſuper illo verbo: Feſtiuitates illæ * venerandæ ſunt, quas Epiſcopus cum populo collaudarunt, & vicinis circummorantibus indicendæ ſunt, non generaliter omnibus: notat Gloſator, hoc intelligendum eſſe de H Sanctis canonizatis, qui non habent vigilias: & non ꝙ Epiſcopus Sanctum aliquem in ſua diœceſi canonizare poſſit.

1. Cor. 1.

* al. feriandæ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſecundum Dionyſium: Bonum conſiſtit ex integra, & vniuerſali cauſa: iudicium autem, quo aliquis canonizatur in Eccleſia, eſt maximum bonum: cum ex hoc inſurgat feruor, & comprobatio fidei Chriſtianæ: Ideo tale iudicium ad illum pertinet, cuius auctoritate canonizatus Sanctus à toto populo Chriſtiano poſſit venerari.

De Di. no. cap. 4.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ multi ſunt Sancti per Eccleſiam canonizati, & ſcripti in catalogo Sanctorum,

ctorum, quorum feſtiuitates non poſſunt vniuerſaliter celebrari: nec eis vigilia ordinari. De talibus ergo Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt ordinare propter deuotionem populi, quòd certa die eorum feſtiuitas celebretur, & vigilia deputetur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ mandare ſanctum aliquem vniuerſaliter à toto populo venerari, pertinet ad illum, qui præeſt toti Eccleſiæ. nam quantũ ad hoc canonizatio Sanctorum magis pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis, quàm ordinis.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA ABSQVE requiſitione Collegij poſſit Sanctum aliquem canonizare.

De hac difficultate, vide Troilum Maluetium tract. de canonizatione Sanctorum dubio 2. nu. 30. & ſeq.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa abſque requiſitione Collegij non poſſit Sanctũ aliquem canonizare. quia Papa comparatur ad Cardinales, ſicut Chriſtus ad Apoſtolos. ſed Chriſtus de communi lege non ſanctificauit aliquos ſine miniſterio Apoſtolorũ. Ergo nec Papa poteſt aliquos Sanctos canonizare ſine miniſterio, & conſilio Cardinalium.

2 Præterea: Canonizatio, & approbatio Sanctorum eo modo debet fieri, quo fit reprobatio, & ſeparatio malorum ab Eccleſia. ſed ſeparatio, & excõmunicatio non fit à Papa, niſi mediantibus Cardinalibus, † ſicut patet 11. quæſt. 3. Ergo mediante requiſitione eorum debet fieri Sanctorum canonizatio.

† Vel hoc colligit ex ſerie totius q̃onis, vel reſpexit author ad cap. Debet ead. cauſ. & q̃o.

3 Præterea: Maius eſt teſtimonium coniunctum, quàm ſeparatum. ſed in canonizatione Sãctorum requiritur teſtimonium populi, quod eſt teſtimonium ſeparatum. Magis ergo requiritur teſtimonium Collegij, quod eſt teſtimonium coniunctum.

In contrarium eſt. quia in Canonizatione Sanctorum non requiritur niſi informatio, & approbatio. ſed vtrunque iſtorum poteſt Papa ſine requiſitione Collegii.

RESOLVTIO.

Papa quamuis abſque Collegij conſilio Sanctum canonizare poſſit; congruè tamen ſine ipſo non deberet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ vel quæritur de congruo, vel de neceſſario. ſi de neceſſario; planum eſt, ꝙ poteſtas Papæ non limitatur in aliquo: nec dependet à Collegio, ſed potius e cõuerſo. Non enim Collegium aſſiſtit Papę per modũ determinationis, ſeu limitationis eius poteſtatis, ſed magis per modũ miniſterij, & conſilij, vt debito modo huiuſmodi poteſtatem exequatur. Vnde ſi quæreretur de congruo, puto, quòd magis tenetur requirere Collegium in tali cauſa, quàm in aliqua alia q̃a in his, quæ ſunt fidei, tanto cautius, & maturius eſt agẽdum, quanto dolus, fraus, & deceptio circa ipſam eſt magis vitanda. Ne ergo canonizatio alicuius Sancti procuraretur turpis lucri gratia: vel humanæ glorię pompa, ſeu iactantia: non ſolum cum requiſitione Collegij, verum ẽt cum requiſitione venerabilium virorum de Eccleſia Papa in tali caſu debet procedere. ſi enim Paganorum Reges in actibus humanis cuncta agebant cum conſilio eis aſſiſtentium: multo fortius debet Papa facere cũ conſilio cuncta, quæ pertinent ad Deum, & ad fidem chriſtianam. Scribitur enim in Hiſt. 1. ꝙ Rex Aſſuerus interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio ſcientiũ leges, ac iura maiorum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illa comparatio intelligenda eſt ſecundum congruitatem, non ſecundum neceſſitatem. Et ſic reſpondendum eſt ad ſecundum, & tertium: quia ſi canonizatio Sanctorũ debet fieri, iuris ordine ſeruato, debet fieri cum requiſitione Collegij: & cum aliis, quæ pertinent ad ritum, quem nunc ſeruat Romana Eccleſia. Huius tamen ordo iudiciarius non ligat Papã, cũ ſit ab eo inſtitutus.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA CANONIzando aliquem Sanctum poſſit errare.

Vide B. Antoninũ in ſumma. par. 3. Tit. 12. cap. 8. §. 2. Melchiorem canum lib. 5. cap. 5. de locis Theologicis. & Blaſium Nauarrum, lib. 2. c. 10. de ſacro Eccleſiæ principatu. Armill. Tit. Canonizatio.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa canonizando aliquem Sanctum poſſit errare. quia ſecundum Auguſt. 15. de Trini. cap. 18 Sola charitas diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. ſed nullus per certitudinem poteſt ſcire ſe, vel alium habere charitatem: iuxta illud Eccl. 9. Nullus ſcit vtrum amore vel odio dignus ſit. Papa ergo canonizando aliquẽ Sanctum poteſt falli: ex quo neſcit eum habuiſſe charitatem, per quam aliquis inter Sanctos numeratur. Tomo 1.

2 Pręterea: Opera, quæ ſunt communia bonis, & malis, non poſſunt teſtimonium infallibile perhibere de Sanctitate alicuius: ſed ieiunia, orationes, & eleemoſynæ, ac alia multa bona opera ſunt communia bonis, & malis. Ergo per talia Papa non poteſt aliquem ſcire, in Sanctum canonizandum.

3 Præterea: Opera alicuius ſancta, & meritoria ſunt Deo accepta. Iuxta illud Thob. 7. Quoniam acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tẽtatio probaret te. ſed nullus poteſt ſcire, an vita ſua, vel alterius ſit Deo grata, & accepta. Papa ergo acceptando vitam alicuius ſanctã, & meritoriam, poteſt falli.

In Contrarivm eſt quia dictum eſt Petro à Chriſto Lucæ 22. Ego pro te rogaui Petre, vt nō deficiat fides tua, & tu aliquando cōuerſus confirma fratres tuos. Fides ergo Papæ ſucceſſoris Petri non poteſt deficere.

RESOLVTIO.

* *Papa ſecundum præſentem iuſtitiam canonizando, habens pro teſte exteriorem euidentiã, errare non pōt.*

Respondeo, dicendum, ꝙ duplex iudicium poteſt dari de homine: Primum, ſecundū præſentem inſtitiam: Aliud ſecundum æternam ſententiam. Differētia eſt autem inter iſta duo iudicia: quia primo iudicio iudicat homo habens pro teſte exteriorem euidentiam: ſcribitur enim Ioan. 7. Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi ab ipſo audiuerit F prius, & cognouerit quid faciat? Alio iudicio iudicat Deus, habens pro teſte interiorem cōſcientiam: quia homo videt quæ foris apparēt: Deus autem intuetur cor, ut ſcribitur 1. Regum 16.

Alia differentia eſt, quia in primo iudicio, dato ꝙ non inueniatur quid reprehendat homo, & quid culpabile ſit, per hominem iudicantem, poteſt tamen inueniri quid reprehendat Deus, & quid culpabile ſit in conſpectu Dei. In ſecundo verò iudicio nihil inuenitur reprehēſibile, nec culpabile: nec per Deū, nec per hominem: Et iſtam differentiam ponit Auguſt. Pſal. 42. ſuper illo Pſal. 42. Iudica me Deus, vbi ait, quòd difficile eſt, purgatam vitam alicuius inueniri: quia ſi iã probabilis eſt eius vita inter homines, vt non habeat quid iam reprehendant homines iuſtè: inuenit tamē G in homine quid reprehēdat Deus, qui nouit ad liquidum, & purum iudicare. Papa ergo canonizando aliquem Sanctum ſecundum præſentem iuſtitiam non errat. Quia ſic credit eum eſſe Sanctum, vt informationem recipit ſecundum allegata, & probata ſibi. Dicit autem Auguſtinus in quadam Epiſtola ad Seuerū Tomo 2. Abbatem Epiſt. 35. commendaniem eum de ſanctitate, & ſcientia: Qui enim ſic credit, vt loquitur, etiã ſi falſa loquatur, fideliter loquitur: qui autem non credit, quæ loquitur, etiam ſi vera loquatur, infideliter loquitur. Quantumcumque ergo Papa non vera approbet canonizando, vel approbando aliquem Sanctum: ex quo fideliter, & vere approbat ſecundū informationem ſibi factam, non errat.†

† Quia tamē honor, quē Sanctis exhibemus, q̄dam ꝓfeſſio fidei eſt, qua Sanctorum gloriā credim': pie credendū ē, qđ nec etiā in his iudiciū Eccleſiæ errare poſſit. Hæc S. Tho. quodlibeto. 9. q. 7. art. 16.

H

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendū, quòd licet Papa non poſſit ſcire, per certitudinem cauſæ illum Sãctum, quem canonizat, habuiſſe charitatem: poteſt tamen ſcire ab effectu per opera de ipſo narrata, & famata. quia probatio dilectionis, exhibitio eſt operis. Et hoc ſufficit in iudicio ſuo, quo tenetur iudicare ſecundum præſentem iuſtitiam.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet per illa opera non poſſint diſcerni boni à malis, quia ieiunia, & orationes, & eleemoſynę poſſunt fieri bono animo, & malo, vt dicit Auguſt. in lib. de ſer. Do. in mon. c. 28. Sunt tamen quædam opera, quæ habent circumuolutam malitiam: nec poſſunt bono animo fieri: vt E opera prohibita à lege diuina, per quæ diſcernuntur à malis: Iuxta illud Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. A talibus ergo ſi aliquis homo immunis fuerit inuentus, & comprobatum fuerit in bonis operibus habuiſſe ſemper conſtantiam, & ſupra modum humanum excellentiam: ſecundū præſentem iuſtitiam poteſt in Sanctum canonizari cum atteſtatione miraculorum.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ vitam alicuius poſſumus ſcire Deo eſſe gratam, & acceptam per euidentiam miraculorum, & operum, quæ ſunt quædam atteſtationes, ſecundum quas homo iudicat humano iudicio per præſentem iuſtitiam.

ARTICVLVS V.

VTRVM POSSIT OFFICIVM decantari, & pro Sāēto venerari, qui non eſt canonizatus per Papā.

Vide Hoſtienſem, & alios Doctores in cap. 1. extra de reliq. & vener. Sanctor. & omnino Zanchinum tract. de hæret. cap. 22. nu. 8. vbi pulchre agit de hoc dubio.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd poſſit officium decantari, & pro Sancto venerati, qui non eſt canonizatus p Papam. Quia licet facere officium pro eo, a quo homo receperit beneficium: ſed multi recipiunt beneficium ſanctitatis ab eo, qui non eſt per Eccleſiam canonizatus. Ergo licet talem venerari, vt ſanctum.

2 Præterea: Cuilibet licet patrocinium eius inuocare, qui eſt in vita æterna; cum omnes ibi exiſtentes, tanquam habentes charitatem pro nobis Deum rogent. Sed multos defunctos homo credit eſſe in vita æterna: qui tamen non ſunt canonizati per Eccleſiā: licet ergo tales, vt Sanctos venerari, & eorum patrocinium inuocare.

3 Præterea: Qui recipit Prophetam in nomine Pro Matth. 10. phetæ, mercedem Prophetæ accipiet: ſed aliquis non canonizatus per Eccleſiam in fide alicuius recipitur, & habetur ſicut Sanctus. non peccat ergo venerationem, debitam Sancto, ſibi exhibendo.

In Contrarivm eſt. Quia, quod non licet Epiſcopo, non licet alicui inferiori de Eccleſia. ſed non licet Ep̄o aliquem, vt Sanctum venerari abſq; auctoritate Sedis Apoſtolicæ: vt ſcribitur extra de reliq. & vener. Sanc. c. Audiuimus. Multo ergo minus licet alijs.

RESOLVTIO.

Quamuis priuata oratione Sanctum aliquem honorare, & inuocare poſſimus; ei tamen non canonizato per Papam ſolemnitas non debetur, nec in eius memoria officium decantari poteſt.

Respon. dicendum, ꝙ ſecundū Auguſt. 22. de Lib. 22 cap. 10. Tom. 5. Ciuita. Dei: In veneratione corporū Sanctorum, & Martyrum non erigimus altaria, in quibus ſacrificemus

ficemus Martyribus: ſed vni Deo, & Martyrum, & noſtro ſacrificium immolamus. Nam ipſum ſacrificium eſt corpus Chriſti, quod non offertur ipſis Sanctis, ſed Deo: quamuis in memoria eorum Sacerdos * ſanctificet: quia Dei ſacerdos eſt, non eorum. Nulli ergo Sancto quantuncunque per Eccleſiam canonizato ſacrificium offertur, licet in memoria eius offeratur ſacrificium, & Miſſa celebretur: dummodo ſit per Eccleſiam canonizatus. Et ratio eſt: quia Miſſæ celebratio, & cōmunis oratio fit in perſona totius populi, & totius Eccleſiæ. In memoria ergo illius de- A bet talis ſolennitas celebrari, qui eſt ab illo, qui eſt caput totius Eccleſiæ canonizatus, & in ſanctitate comprobatus: priuata † tamen oratione & veneratione poteſt quilibet illum, quem credit eſſe Sāctum, honorare, & venerari, atque eius patrocinium inuocare.

* al. ſacrificet.

† Hanc ſententiam tenet Hoſtiē. & alii in c. 1. de reliq. & ven San. conſule tamen Conc. Tri. ſeſ. 25. tit de inuocatione, veneratione, & reliquiis Sanctorū.

Ad Argumenta.

Et per hoc patet reſponſio ad obiecta. quia de tali priuata veneratione arguunt: non de ſolēni, quę fit in perſona totius Eccleſiæ.

QVAESTIO XV. DE CAVSA CANONIZATIONIS SANCTORVM.

DEINDE conſiderandum eſt de cauſa canonizationis Sanctorum. Circa quod quæruntur quinque.

Primo, Vtrum Papa debeat aliquē canonizare propter fructū ſcientiæ.

Secundo, Vtrum Papa debeat aliquē canonizare propter ſanctitatem vitæ.

Tertio, Vtrum Papa debeat canonizare aliquem propter bonam famam

Quarto, Vtrum Papa propter euidentiam miraculorum debeat aliquem canonizare.

Quinto, Vtrum Papa debeat canonizare aliquē propter donum Prophetiæ.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA DEBEAT canonizare aliquem propter fructum ſcientiæ.

De materia huius quæſtionis, videlicet ob quas cauſas poſſit Sanctus canonizari, vide Troilum Maluetium tractatu de canonizatione Sanctorum dubio 3.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa debeat canonizare aliquem propter fructū ſcientiæ. Quia præmium æternū non debetur niſi merito Sanctorum. Sed ſcribitur Eccl. 24. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Elucidantes ergo diuinam ſapientiam, vitam æternam habebunt: & ſic Papa debet eos canonizare.

2 Præterea: Prærogatiua venerationis ſingulariter datur Paulo propter ſcientiā: Dicit enim ipſe 1. Tim. 2. Veritatem dico, non mentior Doctor gētium in fide, & veritate. propter fructum ergo ſcientiæ debet aliquis pro Sancto venerari, & canonizari.

3 Præterea: Scribitur Lucæ 10. quòd ſtabulario ſupererogantí in curatione ſemiuiui æterna retributio redditur: quia exponenti ſacram Scripturam ad curationem generis humani vltra vetus, & nouum teſtamentum, quæ per duos denarios intelliguntur, co- B rona iuſtitiæ repromittitur, vt Auguſt. exponit. Pro expoſitione ergo, & elucidatione ſacræ Scripturæ Papa debet aliquem Sanctum canonizare.

In contrarium eſt, quod ſcribitur prima ad Corinthios 13. Si habuero omnem ſcientiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatē autem non habuero, nihil ſum.

RESOLVTIO.

Scientiæ donum canonizationem alicuius nō admittit, vt ratio, necnon Eccleſiæ auctoritas monent.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ qui debet in Sanctum canonizari, & pro Sancto vniuerſaliter venerari, debet eſſe bonus vniuerſaliter, & ſimpliciter. C Non autem ſingulariter, & ſecundum partem: quia vniuerſaliter ab illo, qui eſt caput Eccleſiæ, aſſumitur venerandus à toto Populo Chriſtiano: Conſtat autē, ꝙ non dicitur homo bonus vniuerſaliter ex eo, quòd eſt in parte bonus: ſed ex eo, ꝙ ſecundum ſe totus eſt bonus. quod quidem contingit per bonitatem voluntatis: loquendo de bonitate naturali, & per charitatē exiſtentem in voluntate: Loquēdo de bonitate ſupernaturali; quia voluntas imperat actibus omnium potentiarum humanarum; Verum eſt, quòd quilibet actus eſt bonum ſuæ potentiæ, quia ſcientia eſt bonū intellectus: & videre eſt bonum potentiæ viſiuæ: & audire bonum potētiæ auditiuæ. Vnde ille, qui habet bonitatem ſecundum aliquam potentiam, non ſuppoſita bonitate voluntatis, dicitur bonus ſecundū quid. D vt bene videns, aut bene audiens, vel bene intelligens. ſed vniuerſaliter, & ſimpliciter homo non dicitur bonus, niſi qui habet bonam voluntatem diuina charitate informatam.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ ſignanter dicit Spiritus ſanctus: Qui me elucidant. quia multi ſacram Scripturam exponunt potius obſcurando, quàm elucidando: Sunt enim tria genera hominū exponentium ſacram Scripturam, vt dicit Auguſt. & ponitur 23. q. 4. c. Tres perſonas. Fures, mercennarij,

De verb. Domini. ſerm. 49. Tomo 10.

& paſtores. fures exponunt, non elucidando: ſed obtenebrando, & verum intellectum occultando. Mercennarij vero turpis lucri gratia. unde ſi exponũt pro vtilitate aliorum, ſibiipſis id nõ valet ad æternã remunerationẽ: quia ſonant alijs, non ſibiipſis, ad modũ cymbali tinnientis, quod ſonat alijs, & in ſeipſo non * participat ſonum. Sed paſtores exponunt ex bona voluntate, quam habent principaliter, ſolum propter Deum: De quibus dicit Petrus prima ſua canonica. c. 5. Paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei, prouidentes non coactè. ſed ſpontaneè, ſecundum Deum: nec turpis lucri gratia: ſed voluntariè: vt cum apparuerit Princeps Paſtorum percipiatis immarceſſibilem gloriæ coronam. Per bonam ergo voluntatem promiſſio, & fructus ſcientiæ conſequitur præmiũ non per ipſam ſcientiam præciſè.

Cymbali exemplũ.
* al. percipit.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ Paulo nõ redditur prerogatiua ſingularis venerationis propter ſcientiam tãtum: ſed quia doctrina eius fuit ſuccenſa igne charitatis: Dicit enim Chryſ. in lib. de laudibus Pauli Hom. 3. ꝙ ſicut ferrum in igne miſſum nõ eſt aliud, quàm ignis: ſic doctrina Pauli igne charitatis accenſa nonerat aliud, quàm charitas. Et ſubdit, ꝙ naturę cõditione Paulus in nullo nobis fuit præſtantior: ſed in voluntate fuit omnibus melior, & ſanctior.

Ferri igniti exemplũ.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundũ Ambro. illi ſupererogant, qui ſupra præcepta obſeruant conſilia: Vnde Apoſtoli, & Doctores ſupererogauerũt, qui propter charitatem Dei, & proximi quod ore prædicauerunt, opere impleuerunt.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA DEBEAT aliquem canonizare propter ſanctitatem vitæ.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat aliquem canonizare propter ſanctitatem vitæ. quia illi ſunt canonizãdi per Eccleſiam, qui pro vtilitate Eccleſię ſunt aliqua operati. ſed ſecundum Hierony. in Epiſtola ad Paulinum: Sancta quippe ſimplicitas ſolum ſibi prodeſt, & quanto plus ędificat Eccleſia Dei ex vitæ merito: tanto plus nocet, ſi contradicentibus non reſiſtit. Propter ſanctitatem ergo vitæ ſolũ, nõn eſt aliquis canonizandus.

Epiſt. 103.

2 Præterea: Nullus eſt per Eccleſiam pro Sancto venerandus, niſi opera charitatis fuerit imitatus: ſed ſecundum Grego. ſunt nonnulli, qui ſpeciem ſanctitatis acquirunt, habitum venerationis aſſumunt: qui tamen, ex ſolius charitatis radice procedentes, imitari contemnunt. Ex demonſtratione ergo ſanctitatis non ſunt aliqui canonizandi.

3 Præterea: Aut opera alicuius oſtendunt ſanctitatẽ vitæ in occulto, aut in manifeſto. ſi in occulto, non perhibent teſtimonium in conſpectu Eccleſię, vt propter ipſa debeat aliquis canonizari. Si vero in manifeſto, videtur ad hypocriſim pertinere.

In Contrarium eſt, quia ſuper illo verbo Pſal. 29. Confitemini memoriæ ſanctitatis eius; Dicit Auguſt. ꝙ iſta eſt vox Sanctorum confitentium ſanctitatem Chriſti, inquãtum non obliuiſcitur ſanctitatis, qua eos ſanctificat: ſed eorum ſanctitatem, & bonitatem exponit omnibus venerandam.

RESOLVTIO.

Vitę ſanctitas clara, veram redolens charitatem; canonizationem admittit.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſicut dicit Leo Papa, & ponitur 61. diſt. c. Miramur. Si ad honores mundi ſine * ſuffragio temporis, ſine merito laboris, indignum eſt peruenire, & * vocari ambitus ſolent, quos probitatis documenta non adiuuant, quã diligens, & quàm prudens habenda eſt diſpenſatio diuinorum munerum, & cęleſtium dignitatum: ita, vt niſi prior vita teſtimonium perhibeat pro laboribus multis, pro moribus caſtis, pro actibus ſtrenuis celſioris loci pręmium nulli debeatur. Et quamuis diſcernere inter Sanctum, & non Sanctum, ſit donum Spiritus ſancti: Iuxta illud 1. ad Corin. 14. Alij diſcretio ſpirituũ. per aliqua tamen iudicia poteſt Papa examinare ſanctitatem vitæ illius, qui eſt pro Sancto venerandus: vel illius, quem in Sanctum intendit canonizare. Primo, vt per illum veritas fidei non peruerteretur. Secundo, vt per eum mandatum Eccleſię nõ contemneretur. Tertio, vt per eum nouus ritus viuendi non introduceretur. Quarto, ꝙ per eum charitas proximi non ſperneretur. Quinto. quòd per eum peccatum accuſatione dignum ex toto conatu vitaretur. Sexto, quòd per eum Dei verbum delectabiliter audiretur. Septimo, quòd per eum de operibus bonis mũdi gloria non quęreretur.

* al. ſuffragatione.
* al. notari.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ ſanctitas vitę eſt vtilis Eccleſiæ ad aliorum informationem, dum ſancti viuunt: & poſt mortem eſt vtilis, quantũ ad miraculorum atteſtationem: quia eorum ſanctitatis patrocinio fideles eccleſiæ multa dona recipiunt. Hiero. autem loquitur de ſimplicitate eorũ, qui præſunt alijs, quibus non ſufficit ſanctitas ad ædificationem, niſi adſit iuſtitiæ rigiditas ad delinquentiũ correctionem: quia baculo, & manu arcendi ſunt lupi.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ Chriſtus docuit cognoſcere monſtrantes ſanctitatẽ veſtimentis ouiũ à fructibus eorum: quos fructus enumerauimus: ſuper quibus diligenter examinatis Papa poteſt aliquem canonizare ſecundum pręſentem iuſtitiam.

A d tertium eſt dicendum, quòd opera ſanctitatis per illos ſanctos poſſunt fieri in occulto, & in manifeſto. In occulto quidem, vt mundi gloria non quæratur: In manifeſto verò, vt creator in creatura laudetur. Dicit enim Auguſtinus ſuper illo verbo Pſal. Laudate Dominum in ſanctis eius; ꝙ ideo Deus laudatur in ſanctis, quia quod ſancti ſunt, non habent eorum merito, & bonitate: ſed Dei miſericordia, & pietate. Pſal. 150.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA PROPTER bonam famā debeat aliquē canonizare.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa propter bonam famam nō debeat aliquem canonizare. Quia fama populi innititur quandoqne falſo fundamento. Vnde ſcribitur Exodi 23. Nō ſequaris turbam, neque in iudicio acquieſces ſententiæ plurimorum, vt à veritate devies.

2 Præterea: Ex fama acquiritur fauor, & amicitia mundi. ſed ſcribitur Iacobi 4. quòd amicitia mundi inimica eſt Deo. Ex fama ergo non eſt aliquis canonizandus.

3 Præterea: Propter bona extrinſeca non eſt quis laudandus. ſed fama videtur pertinere ad bona extrinſeca: ſcribitur enim Prouer. 22. ꝙ melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.

IN CONTRARIVM eſt, qđ dicit Hieronymus, & ponitur 11. q. 3. Si quis hominem, qui Sanctus nō eſt, (*.i. ſecundū famam, & opera, quæ oſtendit*) Sanctum eſſe crediderit, & Dei eum iunxerit ſocietati, Chriſtum violat, cuius membra ſumus: Ita etiā
† .i. Secundum famā, & opera, q̄ oſtendit. qui Sanctum non eſſe, crediderit, cum † ſit, errat, & crimini ſit obnoxius, ergo, &c.

RESOLVTIO.

Papa poteſt aliquem canonizare propter eius famā ſemper laudabilem, quæ quidem ad Sancti canonizationem potiſſimè requiri ſolet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ bona fama valet homini, quantum ad tria. Primo, ad bonorum operum executionem: redditur enim homo idoneus ad opera virtuoſa exequenda in conuerſatione humana ex bona fama. Vnde ſcribitur Eccl. 41. Curam habeas de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm multi theſauri magni, & pretioſi. Secūdo, ad peccatorum vitationem. propter conſeruationem enim bonæ famæ multoties homo abſtinet à peccatis, cuius ſignum eſt: quia quando aliquis videt ſe bonam famam amiſiſſe, pro nihilo habet peccare. iuxta illud Hiere. 2. Frons meretricis facta eſt tibi: noluiſti
Lib. 3. in Matt. c. 18. erubeſcere. Et Hiero. dicit ſuper Matth. ꝙ corripiendus eſt frater ſeorſum: ne, ſi ſemel pudorem, aut verecundiam amiſerit, ſemper permaneat in peccato. Tertio, ad aliorum venerationem, audientes enim hominem aliquem eſſe malæ famæ, contemnunt non ſolū ipſum: verum etiam multos innocentes. Vnde dicit
Epiſt. 137. Tomo 2. Auguſt. in Epiſtola ad plebem Hyponenſem, pertractans illud verbum Pſalmi 68. Aduerſum me inſultabant, qui ſedebāt in porta. Ad quid enim aliud ſedēt iſti homines in porta: & quid aliud captant, niſi, vt quisquis Eps, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit: omnes tales eſſe credant, iactent, contendant: ſed non omnes poſſe manifeſtari? & tamen ipſi, etiam cum aliqua maritata inuenitur
A adulterata, nec proijciūt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cum autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit: inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Aſſumere ergo aliquem pro Sancto canonizando, & venerando, cuius fama nō ſemper fuerit laudabilis, ſequeretur eius contemptus, & populi perturbatio. Vnde fama bona potiſſimè requiritur ad canonizationem Sancti.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in fama alicuius non ſolum eſt credendum populo, & turbæ: verum etiam requirendum eſt teſtimonium maio-
B rum. qui, & ſi pauciores ſunt numero; ſunt tamen ſanioris conſilij, & verioris iudicij, vt dicit glo. ſuper dicto verbo.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ex bona fama nō acquiritur fauor, vel amicitia mundi in malum proximi, ſed in bonum, & deuotionem. quia dilectus Deo, diligit etiam ab hominibus: etſi non per operis imitationem, ſaltem per diuinæ gloriæ manifeſtationem. Vnde de illo Sancto Loth ſcribitur ſecunda Petri. 2. ꝙ aſpectu, & auditu Sanctus erat, habitans tamen apud eos, qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant,

AD tertium eſt dicendum, ꝙ per Sanctos bona extrinſeca, & intrinſeca procuranda ſunt. quia (dicente Apoſtolo) prouidenda ſunt bona non ſolum corā 2. Cor. 8.
C Deo; ſed etiam coram omnibus hominibus.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA DEBEAT aliquem canonizare propter miraculorum euidentiam.

S. Tho. 2. 2. q. 178. ar. 2. An mali poſſint miracula facere.

AD quartū ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat aliquem canonizare propter miraculorum euidentiam. Quia miracula, cum ſint ſuper virtutem naturæ, non fiunt niſi Dei virtute.
D Non ergo per Sāctos, nec per aliquam creaturam fieri poſſunt.

2 Præterea: Mali, & iniqui homines poſſunt facere miracula. Dicit enim Auguſt. in Epiſtola ad Voluſia- Epiſt. 3.
num: ꝙ quamuis legamus Magos ægyptiorum illarū Tomo 2.
artium peritiſſimos à Moyſe famulo Dei fuiſſe ſuperatos; tamen illi quædam miracula nefandis * acti- * al. artibus.
bus egerunt. Non ergo propter euidentiā miraculorū debet aliquis in Sanctum canonizari.

3 Præterea: Miracula facere pertinet ad fidem. ſcribitur enim Matth. 17. ſi habueritis fidem, ſicut granū ſinapis; dicetis huic mōti: Trāſi hinc, & trāſibit. vnde Chriſtus in propria Patria miracula nō fecit pp incredulitatē eorū. Non ergo pp ſanctitatē aliquorū miracula fiūt: cum fidē poſſint habere mali, ſicut & boni.

IN CONTRARIVM eſt. quia miracula ſunt quædam ſigna teſtificationis ſanctitatis, & veritatis alicuius. Vnde ad Hebræ. 2. ſcribitur, ꝙ Chriſti veritas, & ſanctitas cõfirmata eſt, conteſtante Deo, ſignis, & * potentiis, & varijs virtutibus: quamuis enim alij Sancti miracula fecerint, quæ Chriſtus fecit: quia Eliam, & Eliſeum legimus mortuos ſuſcitaſſe: quemadmodum Chriſtus ſuſcitauit; aliud tamen propriũ Chriſtus fecit, quod oullum alium legimus feciſſe. vt naſci de Virgine: à mortuis reſurgere: io cœlũ aſcendere, ſicut dicit † Auguſt. in epiſtola ad Voluſianum.

* al. portentis.

† To. 2. ep. 3. quę eſt 2. ad Voluſianum infra medium.

RESOLVTIO.

Quamuis malis miraculum facere concedatur; aliqui tamen propter miraculorum euidentiam debent à Papa canonizari, cum ſanctitatis, & doctrinæ veritatis ſigna exiſtant.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ quæſtio eſt dubia propter malos, qui quandoque faciuor miracula. Poſſunt. n. homines eſſe mali, quantũ ad præſens ſpectat, tribus modis. Primo doctrinæ cognitione. quia vtunt mala doctrina, & prohibita ab Eccleſia. ſicut illi, qui per nicromanticas artes dęmones inuocant. Secundo vitæ conuerſatione. quia inuoluti ſunt talibus peccatis, quòd in ſeipſis ſunt infecti: & alios eorum prauitate inficiunt, & corrumpunt. Tertio vanæ gloriæ intentione. quia quandoque aliqui ſunt Sanctæ vitæ: tamen de aliquo bono opere vanam intentionem habent. ſecundum enim Chryſoſt. Cum cætera vitia in ſeruis Diaboli locum habeaot, vana gloria etiam in ſeruis Dei locum tenęt.

Iſtis autem tribus modis malis hominibus conceditur facere miracula, & facere aliquid pręter ſolitũ curſum naturæ.

Primo, illis, qui ſunt malæ doctrinæ cognitione, per dæmonum inuocationem. Vnde dicit Auguſt. in lib. de ſermone Domini in monte, cap. vltimo. Qui dicũt per iniquos homines viſibilia miracula, & miraculorum ſigna fieri non poſſe, legant quanta fecerutit reſiſtentes Moyſi famulo Dei Magi † Aegyptiorum per innocationem dæmonum. poſſunt enim dæmones ſenſus hominum ſic fantaſiare, & ludificare, vt quæ oon verè faciont, videantur tamen facere: & quandoque vera faciunt: non per aliquarum rerum de nouo creatiooem, ſed per rerum naturalium adinuicem coniuoctionem, ex quarum coniunctione, nata ſunt nobis aliqua produci inſolita, & inuiſa, qui virtutem huiuſmodi rerum oaturalium ignoramus. ſicut dicit Auguſt. tertio de Trini. cap. 2.

Tomo 4.

† Exodi c. 7.

Tomo 3.

Secundo, illis, qui ſunt mali prauæ vitæ conuerſatione, per Chriſti, & Sanctorum nominum inuocationem, & deuotionem. Contingit enim ſecundũ Chryſo. quaodoque homines ſanctæ vitæ, & conuerſatioois honeſtæ non tantã fidem habere, ſicut habẽt prauæ vitæ homines. Vode per hoc ineffabile donum ad inuocationem Chriſti nominis, & Sanctorum faciũt ſigna, & miracula propter vtilitatem illorum, qui booi ſunt, vt ipſi Deum honorent, & io fide, & doctrina eius per talia roborentur. Ideo dicit Hiero. quòd

Lib. 1. in Matt. c. 7.

E facere miracula non eſt ſemper illius meriti, qui operatur: ſed † inuocatio nominis Chriſti, & Sanctorũ hoc agit ad condemnationem eorum, qui inuocant, & vtilitatem eorum, qui vident, & audiont. Tertio conceditur illis, qui ſunt mali, alicuius vanæ gloriæ intentione per eorum ſanctitatis teſtificatiooem: Verum namque eſt, quòd facere miracula virtute Dei in teſtimoniũ ſanctitatis, & poteſtatis collatæ à Deo non pertioet niſi ad Sanctos viros, & amicos Dei, vel in morte, vel io vita. Quaodoque tamen Sancti homines cum tota ſanctitate ipſorum de aliquo ſigno miraculoſo facto, aliquam malam intentionẽ habẽt, & quamuis in hoc booi, & Sancti non ſint, nihilominus tamen ad teſtificationem ſanctitatis, & doctrinæ veritatis ipſorum Deus multa ſigna, & miracula facit.

† Apud Hieronymum ita: ſed vel inuocatione nominis Chriſti hoc agit, vel ob condemnationem eorũ, &c.

F Vnde dicit glo. Numeri 20. quòd Moyſes, & Aaron, quaodo per percuſſionem virgæ fecerunt effluere aquam de petra, habuerunt quandam vanam gloriam: ideo meruerunt audire: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael: ideo nõ introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Et ſuper illo verbo Lucę 10. Nolite gaudere, quia ſpiritus vobis ſubijciuntur; dicit gloſa, quòd lętitia, qua dominus Diſcipulos lętos videbat, inanem gloriam ſapiebat. gaudebant enim, quòd quaſi ſublimes terribiles hominibus, & dæmonibus erant effecti. ideo Dominus in cordibus eorum talem elationem reprehendit: iudicium ruinæ primi Angeli referens, quando dixit: Videbam Satanã ſicut fulgur de cęlo cadentem. Propter euidentiam ergo miraculorum, cũ ſiot
G ſigna teſtificationis, ſanctitatis, & doctrinæ veritatis Sanctorum, Papa debet aliquos canonizare.

Lucæ 10.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ miracula principaliter non fiunt niſi virtute Dei: miniſterialiter tamen quandoque fiunt vel Angelis miniſtrantibus, vel Sanctis orantibus, & deprecantibus, vt dicit Aug. 22. de ciui. Dei. cap. 9.

Tomo 5.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet mali homines poſſint facere miracula ad Chriſti, & Sanctorum nominum inuocationem: non ipſi tamen dicuntur facere miracula: ſed magis illi: cuius, vel quorum ſanctitate fiunt. Poſſunt enim mali milites, quos iuſtitia imperialis cõdemnat, ſignis, & vexillis eorum Imperato
H ris quædam extorquere, & tollere ab alijs, non iubente Domino: ſed Sancti, & iuſti viri poſſunt hoc facere per publicam iuſtitiam Imperatoris. vt dicit Aug. in lib. 83. quæſtionum. quæſt. 79.

Tomo 4.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ miracula facta ad confirmationem doctrinæ veritatis innituntur fidei: ſed quæ fiunt ad teſtificationem ſanctitatis, requirunt fidem formatam charitate, cuiuſmodi eſt fides Sanctorum.

ARTI-

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA DEBEAT aliquem canonizare in Sanctum propter donum Prophetiæ.

Vide S.Thom.2.2.q.172.art.4. Et q.12.de veritate ar.5.

AD quintũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa propter donũ Prophetiæ debeat aliquem in Sanctum canonizare. Scribitur enim Sap.7. ꝙ Spiritus ſanctus in animas Sanctorum ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituen- B do: ſed amici Dei non ſunt niſi Sancti viri. Propter donum ergo Prophetiæ Papa debet aliquem in Sanctum canonizare.

2 Præterea: Scribitur 2. Petri.1. ꝙ non voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines. Donũ ergo Prophetiæ non reuelatur niſi Sanctis viris.

3 Præterea: Secreta Dei non panduntur niſi amicis Dei. Iuxta illud Io.15. Vos autem dixi amicos. quia omnia quęcũque audiui à Patre meo, nota feci vobis: ſed Prophetia eſt quoddam ſecretum Dei; Ergo non panditur niſi uiris Sanctis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Apoſtolus dicit 1. Cor.13. Si habuero Prophetiam, & nouerim myſteria omnia, charitatem autem non habeam, nihil C ſum. propter donum ergo ſolum Prophetiæ non eſt aliquis canonizandus.

RESOLVTIO.

Prophetiæ donum abſque ſanctitate ipſa canonizationem alicuius non admittit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Prophetare idẽ dicit, qđ longe, & procul aliqua diſtãtia à naturali hominum cognitione pronunciare, quod mali homines facere poſſunt tribus modis. Primo diuina
Tomo 3. cap. 101.
inſpiratione: nam ſecundum Aug. in Enchi. Deus bonam voluntatem ſuam per malas hominum nolun tates plerumque implet: ſicut bonam voluntatem ſuã de Paſſione ſui Filij per malas Iudæorum voluntates D impleuit. Vnde quandoque multa uera futura per ma
Num. 22.
los homines pronunciat, ſicut per Balaam, & Sybillã multa vera de Chriſto Filio ſuo prędixit. poteſt enim Deus tangere intellectum hominis aliquorum occultorum cognitione, ſeu reuelatione non tangendo eius affectum charitatiua dilectione. quę ſola diuidit inter Filios regni æterni, & Filios perditionis æternæ ſecun
Tom. 3. de Tri. lib. 15. cap. 18.
dum Aug. Secundo mali homines hoc poſſunt bonorum Angelorum reuelatione. nam vt dicit Aug. 2. ſu
Tomo 3. cap. 17.
per Gen. Multa occulta prædicunt dæmones, non ſolum eorum naturæ ſubtilitate, & experientia longi tẽ A poris, verum etiam reuelatione bonorum Angelorũ. Et ſi dęmones poſſunt futura, & occulta prophetare mediantibus bonis Angelis, multo fortius mali homines hoc poſſunt. quia dæmones ſic ſunt mali, ꝙ boni fieri non poſſunt. mali vero homines boni fieri poſſunt. Tertio, mali homines poſſunt Prophetare dæmonum inuocatione: cõceſſum eſt namque Diabolo ſecundum Chryſ.† multa vera dicere, vt ſuum mendacium rara veritate confirmet. Mali ergo homines dæmones conſulentes multa vera, & occulta dicere poſſunt. vnde tales * Prophetæ dæmonum appellantur. dicente Aug. 12. ſuper Gen. cap. 19. Cum malignus ſpiritus arripuerit homines, aut dęmoniacos eos facit, aut arreptitios, aut falſos Prophetas, non quòd multa vera non pronuncient, ſed quia ſemper talia B dicunt intentione fallendi. quia ergo donum Prophetiæ conuenit malis hominibus: interdum magis, quã bonis, propter aliquam diſpoſitionem, quam requirit prophetica reuelatio: ideo propter tale donum præciſe non debet aliquis pro Sancto venerari, vel canonizari: niſi ſint alia ſigna teſtificantia eius ſanctitatem, & bonitatem.

† Id habet Chryſo. ſup Matth. Homil. 19. in opere imperfecto. & refert S. Tho. 2.2.q. 172. ar.5.

* al Prophetiæ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quandoque donum Prophetiæ datur propter propriam mentis illuſtrationem: & quando ſic datur Spiritus ſanctus per gratiam gratum facientem, transfert ſe in animas illorum, quibus datur, amicos Dei eos conſtituendo, tangendo affectum eorum per charitatem, ſi- C cut tangit intellectum per Propheticam veritatem. Quandoq. vero datur ſolum propter aliorũ inſtructionem, & informationem: & tunc Spiritus ſanctus ſic tangit eorum, quibus datur, intellectum per Propheticam veritatem, quòd non tangit eorum affectũ per charitatẽ. de quibus dicitur Matt.7. Domine nõne in nomine tuo Prophetauimus & dæmonia eiecimus? quibus tamen dicetur: Neſcio vos.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſecundum Chriſ. aliter ſancti homines loquũtur, ſpiritu Dei inſpirati: & aliter mali homines. Verum nanque eſt, quod omnis veritatis auctor eſt ipſe Spiritus ſanctus, vt verum ſit dictum Ambro. In Epi. 1. ad Cor. cap. 12. Omne verum à quocunque dicatur, à Spiritu ſancto eſt. Sancti tamen homines loquuntur vera in Spiritu ſancto, D ſed mali homines loquuntur vera virtute nominis Chriſti, & virtute Spiritus ſancti: non tamen in Spiritu ſancto. Vnde dicit, ſignanter eſſe dictum: Domine in nomine tuo prophetauimus, non in ſpiritu tuo. quia mali homines prophetant in virtute nominis Chriſti: ſed non in Spiritu Dei: immo in Spiritu Diaboli.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ amantibus ſecreta cæleſtia panduntur, & reuelantur, ſecundum quem modum fuerunt reuelata Apoſtolis, & iſto modo ſecreta Dei non panduntur malis Prophetis: quia & ſi ſunt ab eis aliqualiter cognita per intellectus cognitionem: non tamen ſunt ab eis amata per affectus dilectionem.

QVAE-

QVAESTIO XVI. DE MODO CANONIZATIONIS SANCTORVM.

VLTERIVS conſiderandum eſt de modo canonizationis Sanctorũ. Circa quod quæruntur quatuor. Primo, Utrum Papa debeat in canonizatione Sancti ſeruare ordinẽ iudiciarium. E

Secundo, Utrum Papa ſtatim debeat canonizare aliquem ſanctum ſibi denunciatum.

Tertio, Utrum Papa eundem modũ debeat ſeruare in canonizatione Martyrum, & Confeſſorum.

Quarto, Utrum Papa poſſit aliquem canonizare ad ordinem Apoſtolorum: ſicut Martyrum, & Confeſſorum, ſeu Virginum.

ARTICVLVS I.

UTRUM PAPA IN CANONIZATIONE SANCTI DEBEAT ORDINEM IUDICIARIUM ſERUARE.

De ordine, & modo canonizationis Sanctorum latiſſime agunt Doctores poſt Hoſtienſem, quem hic citat Auguſtinus, in cap. 1. de reliq. & vener. Sanctorum.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in canonizatione Sancti non debeat ordinẽ indiciarium ſeruare. quia quod expectatur fiendum in futuro iudicio, non eſt nunc fiendum in præſenti: ſed examinatio operum miſericordiæ, de quibus potiſſime debet fieri examinatio illius, qui pro Sancto debet venerari, & canonizari, expectatur fienda in futuro iudicio: ſicut patet Matth. 15. Non eſt ergo fiẽda in præſenti iudicio.

2 Præterea: Super illo verbo 1. Petri. 4. Si iuſtus vix ſaluabitur: impius, & peccator vbi parebunt? Dicit Auguſtinus: Quare iuſtus vix ſaluabitur: niſi quia Dei iuſtitiam tantam eſſe, certum eſt, vt quæ videntur in humano iudicio eſſe iuſta, iudicio Dei inueniantur iniuſta: ſed qui debet pro Sancto venerari Dei iudicio debet eſſe iuſtus. Fruſtra ergo fit talis examinatio iuſtitiæ: ex quo ſciri non poteſt.

3 Præterea: Scribitur 1. ad Corinth. 2. ꝙ Spiritualis homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur: animalis vero non intelligit, quę ſpiritus ſunt, quia ſpiritualiter examinatur. Sed ille, qui debet pro Sancto venerari, ſpiritualis eſſe præſupponitur. Non debet ergo examinari niſi ab aliquo, qui ſit ſpiritualior ipſo.

IN CONTRARIVM eſt gloſſa ſuper illo verbo Pſal. 16. igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas.

RESOLVTIO.

Papa in alicuius Sancti canonizatione ordinem iudiciarium ſeruare debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſecundum Auguſtinum in lib. de pænitentiæ medicina. Eccleſia Tomo 9. cap. 3. non profert iudicium de aliquo, niſi ſit informata publicis teſtibus, & publicis documentis. Et ideo, vt ponit Oſt. c. 1. extra de reliq. & vener. Sancto. In canonizatione Sancti ſecundum morem, quem nunc tẽnet Eccleſia 12. per ordinem ſeruanda ſunt. Primum eſt frequens denunciatio, vt non ſolum ſemel, ſed pluries Papę denuncietur, qui pro Sancto debet venerari; F vt ſic, multiplicatis interceſſoribus, largiatur quod petitur. Secundum eſt commiſſio. Tertium eſt commiſſionis inquiſitio. Quartum eſt inquiſitionis factæ relatio. Quintum eſt relationis factæ diligens examinatio. Sextum eſt examinationis factę per conſiſtorium diſcuſſio. Septimum eſt ſecreta diffinitio, & terminatio. Octauum eſt manifeſta publicatio. Nonum eſt diei canonizationis aſſignatio. Decimum eſt ipſius Papæ, & omnium aſſiſtentium genuflexio, & orationis deuotio, ne Deus permittat ſuam Eccleſiam decipi vel errare. Vndecimum eſt ſermocinatio, & miraculorum, ac operum miſericordiæ recitatio: necnon ipſius Sancti in Catalogo Sanctorum conſcriptio. Duodecimum eſt Miſſæ in honore Sancti celebratio, & Cantici ſpiritualis perſonatio. G

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ aliter fit examinatio operum miſericordię de illis, qui pro Sãctis debent venerari nunc: & aliter in futuro iudicio: quia nunc fit ſecundum præſentem iuſtitiam: in futuro vero iudicio fiet ſecundum determinatam ſententiam.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicit Auguſtinus in lib. 1. de libe. arb. cap. 5. verum eſt, ꝙ iuſtitia humana multa concedit, & multa impunita relinquit: quæ per diuinam iuſtitiam indicantur. non tamen (vt dicit) quia non omnia facit: ideo, quę facit, H improbanda ſunt. ſic eodem modo, dato ꝙ non poſſit iudicare omnia rectè ſecundum interiorem euidentiam, ſecundum quam iudicat Deus: nõ propter hoc debet omittere, quin iudicet multa ſecundum exteriorem euidentiam, ſecundum quam iudicat homo.

AD tertium eſt dicendum, quòd Auguſtinus in Tomo 1. lib. de vera Religione exponens illud verbum Apoſtoli cap. 31. Spiritualis homo iudicat omnia; dicit quòd 2. Cor. 5. ſpiritualis homo à nullo homine debet iudicari: ſed à ſola ipſa lege diuina, ſecundum quam ipſe, qui iudicat, iudicabitur: cum omnes oporteat præſentari ante tribunal Chriſti. Et quia ipſe Papa eſt miniſter, & Vicarius legis Diuinæ ſecundum præſentem iuſtitiam:

ideo

ideo ad ipſum ſpectat iudicare de ſanctitate alicuius
*al. q̄ Sancti ſecundum, * ꝙ exponitur venerandus à toto populo chriſtiano.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA DEBEAT canonizare ſtatim Sanctum ſibi denunciatum.

Vide Troilum Maluetium tract. de canonizatione Sanctorum dubio 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videt enim, ꝙ Papa ſtatim debeat canonizare aliquem Sanctum ſibi denunciatum. Quia Papa ſtatim debet promouere quæ faciũt ad augmentationem cultus diuini. Sed veneratio, & canonizatio Sanctorum potiſſime pertinet ad augmentationem, ſeu ampliationem cultus diuini, cum per hoc excitetur, & firmetur deuotio populi chriſtiani. Non eſt ergo talis canonizatio differenda.

2 Pręterea: Illa, quæ ſunt fidei, ſtatim credenda
Ioan.10. ſunt, non viſa. Iuxta illud Ioan. 10. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Sed veneratio Sanctorum per atteſtationem miraculorum potiſſime ſpectat ad fidē. Ergo ſtatim credenda ſunt non viſa.

3 Præterea: Reprehenſi ſunt Iudæi, qui non crediderunt, Chriſtum eſſe Sanctum Sanctorum per atteſtationem miraculorum, & bonorum operum: qui-
Ioan.10. bus dictum eſt: Si mihi non vultis credere, ſaltem operibus credite. Audita ergo fama ſanctitatis alicuius, cũ atteſtatione miraculorum, ſtatim Papa debet ipſum canonizare.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſuper illo uer-
1.Ioan.4. bo Ioan. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate, ſpiritus an ex Deo ſint; dicit gloſa, ꝙ primis tēporibus naſcentis Eccleſiæ cadebat Spiritus ſanctus ſuper credentes, & loquebantur linguis, & faciebant miracula. ſed nunc non eget Eccleſia his omnibus ſignis, ſed qui habet charitatem teſtatur Spiritum ſanctum in ſe habere.

RESOLVTIO.

Canonizatio maxima cum maturitate fieri debet tum ob miraculorum raritatem, quę ſanctitatem pręſeferunt: tum etiam ob operis arduitatem, fideique firmitatem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ propter tria nō debet ſtatim Papa aliquem Sanctum ſibi denũciatum canonizare.

Primo, propter miraculorum raritatem, quæ ſunt
Tomo 1. cap. 25. ſigna atteſtationis ſanctitatis alicuius. Dicit enim Auguſtinus in libro de vera Religione, ꝙ cum nunc Eccleſia catholica per totum orbem diffuſa, atque fundata ſit; Ideo miracula in noſtra tempora durare per-
A miſſa non ſunt: ne anima ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Quia igitur vera miracula nunc raro fiunt, ne ficta narrentur turpis lucri gratia, vel humanæ laudis appetitus gloria. Tunc bene videndum eſt (vt Auguſtinus ibi dicit) quibus credendum ſit de diuinis miraculis, & inuiſibilibus rebus.

Secundo propter operis arduitatem. Nam quanto opus eſt magis arduum, tanto cum maiori maturitate, & tarditate fiendum eſt. Vnde nec Chriſtus ſtatim Ioan. 11.
Lazarum ſuſcitauit, nec filiam Cananeæ ſtatim ſanauit: Matth. 15. ſed quanto magis mulier illa multiplicauit ſupplicationem, tanto ipſe Chriſtus magis multiplicabat negationem, vt dicit Chryſo. Matth. 15. Hom 53. in Matth. Cum igitur canonizatio Sanctorum ſit opus ſummè arduũ; non
B ſtatim, ſed per menſes, & annos eſt differenda, antequam fiat.

Tertio propter fidei firmitatē. Dicit enim Chryſo. ſuper Matth. ꝙ ideo Chriſtus mulierem illam Cananeam clamantem ſtatim non exaudiuit, quia uolebat fidem illius occultari: ſciebat enim eam dicturam: Miſerere mei Domine fili Dauid. vbi & Chriſti diuinitatem, & humanitatem confeſſa eſt. Propter quod meruit audire: O mulier magna eſt fides tua. Expectāda eſt ergo frequens operatio miraculorum, & diuulgatio famę operum miſericordiæ alicuius ante, quàm canonizetur, vt fides de eius ſanctitate in cordibus Chriſtiani populi firmetur, & roboretur.

Ad Argumenta.

C AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quæ ſunt ad ampliationem cultus diuini, Papa debet promouere firmiter, & ſtabiliter, iuſtitia mediante. & quia humana iuſtitia hoc requirit, vt non credatur omni ſpiritui ſtatim, ſed per euidentiam exteriorum operum modo, quo Chriſtus docuit Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos: Ideo ſecundum hunc modum talia ſunt promouenda.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa, quæ immediatè faciunt ad noſtram ſalutem, credenda ſunt non viſa, nec probata; ſicut omnes articuli fidei: quamuis etiam illa multis miraculis, atque ſignis atteſtantibus probata ſint. Credere tamen ſanctitatem aliquorum non tenemur, niſi per oſtenſa opera: cum fides
D ſine operibus mortua ſit. vnde ſuper illo verbo, quod dicitur Iac. 2. Oſtēde mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam; dicit gloſſa, hoc eſſe dictum, quaſi improperando: quia habens fidem ſine operibus ſe fidelem eſſe monſtrare non poteſt.

AD tertium eſt dicendum, quòd Iudæi meritò reprehenſi ſunt: quia nec euidentia, nec continuatio miraculorum eos ad deuotionem induxit, ſed potius ad obſtinationem, & ęmulationem. talem autem tarditatem in canonizatione Sanctorũ Papa non ſeruat propter ęmulationem, & obſtinationem: ſed magis propter rationes ſuperius dictas.

ARTI-

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA EVNDEM modum ſeruare debeat in canonizatione Martyrum, & Confeſſorũ.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa eundem modũ debeat ſeruare in canonizatione Martyrum,& Cõfeſſorum. Quia dona vtrorumque ſunt communia bonis, & malis. Dicit enim Apo. de donis Martyrum 1. Corint. 13. Si tradidero corpus meum, ita,vt ardeam, quemadmodum fecit Laurentius,vt gloſs.dicit,charitatem autem non habuero,nihil mihi prodeſt; De donis verò Cõfeſſorum dicitur ibi. Si nouerim myſteria omnia,& habuero omnem fidem, ita,vt mõtes transferam: charitatem autem non habuero,nihil ſum. Idẽ ergo modus canonizationis ſeruãdus eſt in vtriſque.

2 Præterea: Signa ſanctitatis requiruntur in Martyre,ſicut in Confeſſore.ſed miracula ſunt ſigna atteſtationis ſanctitatis; Ergo operatio miraculorum requiritur in canonizatione vtriuſque.

3 Præterea: Nullus debet pro Sancto venerari,niſi qui firmiter creditur eſſe in vita æterna. Sed ſine operibus miſericordię nullus à ſiniſtra transfertur ad dextram, vt vitæ ęternæ poſſit eſſe particeps, ſicut patet Matth.25.Ergo examinatio operum miſericordię requiritur in canonizatione Martyris, ſicut Cõfeſſoris.

IN CONTRARIVM eſt. quia manente cauſa, debet manere effectus. Sed cauſa martyrij ſecundũ Auguſtinum non eſt niſi pati,& mori pro Chriſto, et defenſione fidei. Ergo permanẽte ſola tali cauſa, poteſt aliquis pro Martyre canonizari,& venerari.

RESOLVTIO.

Papa eundem modum in canonizatione ſeruare debet, quantum ad ordinem cauſæ diſcuſſionis, & inquiſitionis: Quantum verò ad cauſæ canonizationis motiuum, non item.

RESPONDEO,dicendum, ꝙ Papam ſeruare eundem modum in canonizatione Martyris, ſicut Confeſſoris; dupliciter poteſt intelligi. Primo,quantũ ad ordinem cauſę diſcuſſionis,& inquiſitionis. Secundo,quantum ad motiuum cauſæ canonizationis,& venerationis. Primo modo dicendum eſt, ꝙ ſic. quia ordinem iudiciarium ſupra poſitum debet ſeruare Papa in canonizatione Martyris, ſicut Confeſſoris,quantum eſt ad inquiſitionem cauſę.cum enim Martyrem non faciat pœna, ſed cauſa, ſecundum Aug. quando Epiſt. 61. Tomo 2. aliquis denunciatur Papæ canonizandus pro Martyre; cauſam, quare paſſus eſt, debet diligenter inquirere:& non ſolum cauſam patiendi, verum etiam modum paſſionis. quia multi hæretici paſſi ſunt,& patiũtur pro Chriſto: qui doctrinæ eius, & præceptis eius aduerſantur: De quibus dicit Apoſtolus ad Rom. 10. E Zelum quidem Dei habent,ſed non ſecundum ſcientiam. ſuper quo verbo dicit gloſs. ꝙ ſtultum eſt Dominum legis venerari,& legem eius, & doctrinam perſequi,& falſificare. Modus ergo patiendi,& cauſa paſſionis diligenter eſt inquirenda, niſi adeo eſſet nota, ꝙ non poſſet tergiuerſatione celari.

Secundo modo dicendum eſt, ꝙ non: quia cauſa Martyrij finaliter,& terminatiuè eſt defenſio,& confeſſio veritatis fidei Chriſtianæ, & eorum, quæ annectuntur fidei. Et dico, quæ annectũtur, quia ſecundũ Auguſtinum, Ioannes Baptiſta Martyr Chriſti fuit, Pſal. 140. Tomo 2. non quòd cogeretur negare Chriſtum, vel fidẽ Chriſti directè: ſed cogebatur negare veritatem,& iuſtitiã: Volebat enim Herodes, vt diceret: Licet tibi habere vxorem fratris tui: Et quia pro tali veritate paſſus eſt, F Martyr Chriſti factus eſt. Talis Ergo cauſa debet eſſe motiua canonizationis illius, qui debet pro Martyre venerari: qua exiſtente, abſque alia diſcuſſione, debet pro Martyre venerari, & canonizari.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd licet Martyrium ſit commune bonis,& malis: cauſa tamẽ Martyrij nõ eſt communis omnibus. Nam confeſſio fidei chriſtianę,& mori pro defenſione veritatis fidei, (quod eſt cauſa Martyrij extrinſeca, finaliter terminatiuè) non eſt communis omnibus. ſimiliter charitas, quæ eſt cauſa Martyrij meritoria intrinſeca efficienter imperatiuè: (quia ipſa imperat opus martyrij meritoriè) non eſt omnibus cõmunis. G Dicit enim Hieronymus: & ponitur 1.quæſt.1.cap. Vide. Vide, quantũ bonum eſt charitas: ſi ita Martyrium fecerimus, vt noſtras velimus ab hominibus reliquias venerari, & ſi opinionem vulgi ſectantes intrepidi ſanguinem fuderimus, & ſubſtantiam noſtram vſque ad mendicitatẽ propriam dederimus, huic operi non tam præmium, quàm pęna debetur:& perfidiæ magis tormẽta ſunt, quàm corona victoriæ.

AD ſecundum eſt dicẽdum, ꝙ plus eſt inquirere per cauſam, quàm per ſigna. quãmuis ergo miracula ſint ſigna atteſtationis ſanctitatis, non tamẽ ſunt per ſe cauſa, cum poſſit conuenire malis, miracula facere, vt ſupra dictum eſt. Sed pati pro Chriſto,& pro cõfeſſione fidei, eſt p ſe cauſa ſanctitatis. Vnde, iſta exiſtẽte, abſque omni ſigno miraculoſo debet aliquis pro H Martyre canonizari.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ nullum opus miſericordiæ ſic requiritur ad habendam vitã æternam, ſicut baptiſmus. cum ſcriptum ſit Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum:& tamen ſi aliquis non baptizatus interficiatur nolens Chriſtum negare, tanquam verus Martyr venerandus eſt. dicit enim Auguſtinus Tomo 2. Ep. 108. Epi. ad Seleucianam: Quoſcunque legimus in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia: pertinere ad Regnum cęlorum non niſi baptizatos; intelligere debemus: niſi forte quos anguſtia paſſionis inuenit,& nolẽtes Chriſtum negare, antequam baptizarẽtur, occiſi ſunt: quibus ipſa paſſio pro baptiſmo deputata eſt.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT canonizare aliquem ad ordinem Apoſtolorum, ſicut Martyrum, vel Confeſſorum.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit aliquem canonizare ad ordinem Apoſtolorum, ſicut Martyrum, vel Confeſſorum. quia Barnabas Apoſtolus non fuit, & tamen ad ordinem Apoſtolorum per Eccleſiam eſt canonizatus, & officium Apoſtoli pro ipſo cantatur.

2 Præterea: Apoſtoli (ſecundum quòd dicit Maximus in quodam ſermone) latinè dicuntur miſſi. ſed omnes Doctores, & Prædicatores Euangelij mittuntur. Iuxta illud ad Roma. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Ergo omnes tales ad ordinem Apoſtolorum poſſunt canonizari.

2 Præterea: Omnes Apoſtoli fuerunt Epiſcopi. Ergo omnes Epiſcopi, qui canonizantur, poſſunt in ordine Apoſtolorum numerari.

IN CONTRARIVM eſt. quia poſitiuū, & comparatiuum nō debent numerari cum ſuperlatiuo. ſed ſecundum Apoſtolū ad Ephe. 1. Gratia Chriſti ſuperabundauit in eo, & in omnibus Apoſtolis in omni ſapientia, & prudentia.

RESOLVTIO.

Papa ad ordinem Apoſtolorum poteſt aliquem canonizare, quantum ad ſanctitatis meritum: Quantum verò ad officium dignitatis, non item.

RESPONDEO, dicendum, φ aliqui Sancti admittuntur ad ordinem Apoſtolorum. & hoc dupliciter. Primo, quantum ad dignitatis officium. Secundo, quantum ad ſanctitatis meritum.

Primo modo dicendum eſt, quòd non. fuerunt enim Apoſtoli quatuor dignitates immediatè à Chriſto conſecuti. Primo, quia in doctrina fuerunt immediatè ab ipſo illuſtrati. nobis enim reuelauit Deus per ſuum ſpiritū, vt dicit Apoſt. 1. ad Corin. 2. Et Petrus dixit in Act. Dedit eum Deus manifeſtum fieri, non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis, qui manducauimus, & bibimus cum eo. Et Saluator dixit Ioan. 15. Vos autem dixi amicos: quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Secundo fuerunt ad Apoſtolatum immediatè per ipſum vocati, & Apoſtoli appellati. ſicut patet Matth. 4. Tertio, fuerunt in certo numero per ipſum collocati. quia ſolum duodecim elegit, quos Apoſtolos nominauit. quorum nomina per ordinem ponuntur Matth. 10. Quarto. fuerunt per ipſum ſuper totum orbem Iudices, & Principes ordinati. Quantum ergo ad iſtas quatuor dignitates nullus debet ad ordinem ipſorū canonizari, nec officium, nec ſolennitas pro eis debita pro ipſo cantari.

Act. 10.

Sed ſecundo modo dicendum eſt, quod ſic. dicit enim Auguſtinus 2. lib. de baptiſmo: & ponitur 2. quæſt. 7. cap. Puto. Puto, quòd ſine ulla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Apoſtolo Petro cōparatur, quantum attinet ad martyrij coronam. Cæterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam: quis enim neſcit, illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? ſed ſi diſtat cathedrarum gratia, vna eſt tamen Martyrum gloria. Tomo 7. c. 1. cōtra Donatiſtas.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Barnabas fuit ſocius Apoſtolorum: potiſſime Pauli prædicatione, & vocatione. Prædicatione quidem. dicitur enim ad Gal. 2. Iacobus, & Cephas, & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe: dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, vt nos inter gentes: ipſi autem in Circumciſione: vocatione quidem. quiā non vocatione humana, ſed diuina datus eſt Paulo in ſocium Apoſtolatus. Vnde ſcribitur Act. 13. quòd miniſtrantibus Apoſtolis domino, & ieiunantibus dixit Spiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabam, & Paulū in opus, ad quod aſſumpſi eos. Propter hanc ergo ſocietatem diuino glutino copulatam impendit ſibi Eccleſia honorem, quem tribuit alijs Apoſtolis.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd illi mittuntur ad prędicandum communiter à Deo, quos mittit vnitas, & communitas Eccleſiæ: Sed Apoſtoli ſic fuerunt miſſi immediatè à Deo: quòd fuerunt Eccleſiæ, & ciuitatis Dei fundamentum. Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 2. Eſtis ciues Sanctorum ſuper ædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.

AD tertium eſt dicendum, quod licet Apoſtoli fuerint Epiſcopi, fuerunt tamen immediate Vicarij Chriſti, & expoſitores, & teſtificatores doctrinæ eius. Vnde Apoſtolus ad Ephe. 4. diſtinguit Apoſtolos ab alijs Epiſcopis, & Prelatis, quos Doctores, & Paſtores vocat, dicens: Ipſe Chriſtus dedit quoſdam Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios vero Doctores, & Paſtores ad conſummationem Sanctorum.

QVAESTIO XVII. DE SANCTIS CANONIZANDIS.

DEINDE *conſiderandum eſt de Sanctis canonizandis. Circa quod quæruntur ſex.*

Primo, Utrum Papa debeat canonizare omnes, quos, conſtat Eccleſia, eſſe in vita æterna.

Secundo, Utrum Papa debeat canonizare Patres veteris teſtamenti.

Tertio, Utrum præter Papæ informationem corpus vnius Sancti venerari in pluribus Eccleſiis, ſit peccatum.

Quarto, Utrum omnes canonizati per Papam ſint in vita æterna.

Quinto, Utrum ſine auctoritate Papæ poſſint Sanctorum reliquiæ furtiuè ſubtrahi de loco, vbi ſunt.

Sexto, Utrum ſine auctoritate Papæ poſſint Reliquiæ Sanctorum emptioni, & venditioni exponi.

ARTICVLVS I.

UTRUM PAPA DEBEAT canonizare omnes, quos, conſtat, eſſe in vita æterna.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa debeat canonizare omnes, quos, conſtat Eccleſiæ, eſſe in vita æterna: quia illi ſunt pro Sanctis venerandi, quorum orationibus iuuamur. ſed omnes, qui ſunt in vita ęterna, cum ſint in charitate, pro nobis orant. Ergo omnes tales ſunt canonizandi.

2 Præterea: Papa debet voluntatem ſuam conformare voluntati diuinæ: ſed Deus omnes exiſtentes in vita æterna honorat pro ſanctis. Ergo omnes tales Papa debet pro ſanctis venerari.

3 Præterea: Maius eſt ſcribi in libro vitæ Eccleſiæ triumphalis, quàm ſcribi in catalogo Sanctorum Eccleſiæ militantis: Sed omnes, qui ſunt in vita æterna, ſcripti ſunt in libro vitæ Eccleſiæ triumphalis. Iuxta illud Lucæ 10. Nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Ergo omnes tales canonizandi ſunt, & ſcribendi in catalogo Sanctorum.

IN CONTRARIVM eſt. Quia omnes pueros baptizatos ſtatim decedentes, conſtat Eccleſię, volare ad vitam æternam. Ergo omnes tales Papa tenetur canonizare pro Sanctis.

RESOLVTIO.

Omnes, qui ſunt in vita ęterna, ad canonizationem non ſunt admittendi: ſed illi, quorum vita, & doctrina Eccleſia fuit informata.

E RESPONDEO, dicendum, ꝙ Papa eſt caput totius Eccleſiæ. Iuxta illud ad Ephe. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiã, quæ eſt corpus eius. Illos ergo debet canonizare, & venerari pro Sanctis, quorum vita, & doctrina Eccleſia fuit promota, & moribus, & exemplis informata, dum viuerent: Vnde dicitur Eccle. 44. Laudemus viros glorioſos in generationibus ſuis. & poſt mortem fuit eorum orationibus beneficia, & vtilitates conſecuta in languidorum curatione, mortuorum ſuſcitatione: & aliorum miraculorum coruſcatione. Vnde de Paulo dicitur Act. 19. quòd poſito ſudario ſuo ſuper languidos, ſtatim curabantur. propter quod iſta duo cãtat Eccleſia, & confitetur in laude cuiuslibet Confeſſoris.
F Nam quantum ad primum dicit: Qui pius, prudẽs, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus, fuit & quietus, vita dum præſens vegetauit eius corporis artus. Quantum vero ad ſecundum, ſtatim ſubdit: Ad ſacrum cuius tumulum frequenter, &c.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ Eccleſia cõmendat ſe orationibus omnium illorum, qui ſunt in vita æterna: Illorum tamen duntaxat feſtiuitatem ſolennizat, & canonizat, quorum doctrina moribus, & exemplis fuit informata: & quorum beneficia fuit conſecuta eorum miraculis coruſcantibus.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Deus omnes,
G qui ſunt in vita æterna, honore eſſentiali vult honorare. quia omnes ſuæ fruitionis, & viſionis facit participes: in quo conſiſtit eſſentialis honor Sanctorũ. Sed honore accidentali, qui conſiſtit in laudibus, & venerationibus hominum, non omnes honorat: ſed ſolum illos, quorum ſanctitatem à fidelibus Eccleſiæ imitandam exponit per miraculorum atteſtationem.

AD tertium eſt dicendum, quòd aliqui ſunt ſcripti ſolum in libro vitæ Eccleſiæ triumphalis per determinatiuam Dei ſententiam. & ſic ſcripti ſunt omnes prædeſtinati: Aliqui vero ſunt ſcripti in libro vitæ per præſentem iuſtitiam. & ſic ſcribuntur illi, per quorum opera, documenta, & exempla Eccleſia iuua-
H tur, informatur, & promouetur. de quibus dicit Apoſtolus ad Philip. 4. Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemẽte, & cęteris coadiutoribus meis. quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ: & tales Eccleſia canonizat, & ſolennizat.

ARTICVLVS II.

UTRUM PAPA DEBEAT canonizare Patres veteris teſtamenti.

Vide Turrecrem. in c. 1. de conſecr. diſt. 3. in 3. q̃ne.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa debeat canonizare Patres veteris teſtamenti. Quia illos Papa tenetur canoniza-

repro

re pro Sanctis, quorum doctrina, vita, & exemplum proponitur toti Eccleſiæ imitandum; ſed tales ſunt Prophetæ, & Patriarchę. ſcribitur enim Ia. 5. Exemplũ accipite fratres exitus mali, & longanimitatis laboris, & patientiæ Prophetarum, qui locuti ſunt in nomine domini. ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt.

2 Præterea: Illos Eccleſia debet pro Sanctis venerari: quos ſacra Scriptura Sanctos appellat: ſed de Thobia ſcribitur Thobiæ 4. quòd ideo illam tentationem Deus permiſit ſibi euenire: vt daretur poſteris exemplum patientiæ: ſicut & Sancti Iob.

3 Præterea: Eccleſia illos pro Sãctis debet venerari, quos elegit oratores & rogatores pro ipſa apud Deũ. ſed ſcribitur 2. Mach. vlt. Hic eſt fratrũ amator, & populi Iſrael: hic eſt qui multum orat pro populo, & vniuerſa ſancta ciuitate Hieruſalem: Hieremias Propheta. tales ergo ſunt per Eccleſiam canonizandi.

In Contrarium eſt. Quia cauſa ſemper præcedit ſuum effectum, & non ſequitur. Sed cauſa, & fundamẽtum omnium Sanctorum fuit Chriſtus. ipſe enim fuit ſanctus Sanctorum, vt ſcribitur Danielis 9. Nullus ergo debet pro Sancto canonizari, qui fuit ante Chriſti natiuitatem.

Resolutio.

Patres veteris teſtamenti Papa canonizare non debet, cum fuerint ante propalatam Sanctorum viam, & ante tempus plenitudinis gratiæ, quam Sanctorum canonizatio requirit.

Respondeo dicendum, ꝙ canonizatio Sanctorum requirit tempus plenitudinis gratiæ. gratia autẽ, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. vt ſcribitur Ioannis 1. Sancti autem Patres veteris teſtamenti quantumcunque ſanctitate pollerent: non fuerunt in tempore plenitudinis gratiæ. immo talis plenitudo gratiæ in lege illa quaſi tenebatur incluſa figuratiuè, & ænigmaticè: iuxta illud 1. ad Corinth. 10 Omnia in figura contingebant illis, nec pręſentialiter intuebantur eam. ſed, ſicut dicit Apoſtolus ad Hæbre. 10. Omnes defuncti ſunt, non acceptis repromiſſionibus: ſed à longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes. quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.

Eſt ſimiliter alia ratio, quare Eccleſia ſanctitatem illorum non ſolennizat. quia quantumcunque perſonaliter eſſent Sancti: claritas tamen diuinæ viſionis eis fuit clauſa, nondum ſoluto pretio humanę naturæ per mortem Chriſti, in cuius figura dicit Apoſtolus ad Hebrę. 9. quòd in ſecundo tabernaculo ſolus Pontifex ſemel in anno, non ſine ſanguine introibat, hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam.

Ad Argumenta.

Per hoc patet reſponſio ad rationes in contrarium. quia Eccleſia Patres veteris teſtamenti ſanctos appellat: & eorum ſanctitatem exemplariter proponit ſuis filiis imitandam: necnon eorum orationibus ſe commendat, eorum tamen ſanctitatem non ſolennizat, vel canonizat propter rationes dictas. Vnde dicit Auguſtinus in libro de Symbolo pertractans illud verbum: Domum tuam decet ſanctitudo domine; quia nullius ſanctitatem Eccleſia ſolennizat, priuſquam domus ſanctitatis fundaretur. Et ideo in tempore plenitudinis gratiæ prius ſanctitatem Virginis Mariæ, & Ioannis Baptiſtæ Eccleſia ſolennizat, quàm alicuius alterius. quia illa Sanctum Sanctorum generauit, & ille digito demonſtrauit, & baptizauit. Pſal. 92.

ARTICVLVS III.

Utrum praeter Papae informationẽ corpus alicuius Sancti venerari in pluribus locis ſit peccatum.

Ad tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd pp Papæ informationem corpus alicuius Sancti venerari in pluribus Eccleſijs non ſit peccatum. Quia in illo corpore aliquis debet pro Sancto venerari, in quo Chriſti fidelibus beneficium impartitur. ſed legitur in legenda Sanctę Agathæ, quòd Beatus Petrus ſibi corporaliter in ciuitate Cathanenſi apparuit, & curauit eam à tortura mamillarum ſuarum. Ergo ibi, & Romæ poteſt eius corpus, ſcilicet Sancti Petri in ciuitate Cathanenſi venerari: non obſtante informatione Eccleſiæ, quæ aſſerit, Romæ eſſe, & non alibi.

2 Præterea: Sancti nobis beneficia impetrant eorũ orationibus: ſed ſolum animæ eorum, cum ſint à corporibus ſeparatæ, pro nobis orant. Veneratio ergo corporum Sanctorum, cum ſint inanimata, nihil facit ad hoc, vbicunque credantur eſſe.

3 Præterea: Si corpus alicuius Sancti debet venerari ſolum in vno loco; Ergo ſolum ibi ad tumulum eius deberent miracula fieri, ſed hoc eſt falſum. Dicit enim Auguſtinus 22. de Ciuita. Dei. Si miracula ſanitatum (vt alia taceam) ea tantumodo velim ſcribere, quæ per glorioſum martyrem Stephanum facta ſunt in Colonia Calamenſi, & in noſtra Hypponenſi Ciuitate, quamuis ſolum ante Biennium apud nos cœperit eius eſſe memoria, plurimi libri conficiendi eſſent: nec tamen omnia colligi poſſent. ſed tantum de quibus libelli dati ſunt, quæ recitantur in populis. quia libellorum dandorum de miraculis factis, apud nos conſuetudo non eſt, nec fuit, ſed nunc incipit eſſe. Tomo 5. cap. 8. Stephani Protomartyris miraculorũ multitudo ingens.

In Contrarium eſt. quia Spiritus ſanctus fictionem non patitur in Eccleſia, ſed fictio eſt venerari corpus Sancti, vbi non eſt. Ergo ſine peccato eſſe non poteſt.

Resolutio.

Corpus alicuius Sancti pluribus in locis venerari, ſi-

ne peccato non poteſt; modo de eius reſidentia vno in loco ab Eccleſia ſtatutum ſit. E

RESPONDEO, dicendum, quod dubitatio, & incertitudo conſurgit in Eccleſia de corporibus Sanctorum, & maxime Sanctorum Eccleſiæ primitiuæ; quorum corpora fideles propter rabiem Tyrannorum non poterant publicè ſepelire. fide autem Chriſtiana iam per orbem diffuſa, & perſecutoribus, & tyrannis Eccleſiæ iam demerſis, vel conuerſis: Sanctorum corpora de locis, in quibus erant, indecenter ſepulta, per fideles ad loca honorifica, & decentia tranſlata ſunt. In dubijs autem, quæ ſunt in Religione chriſtiana, talis modus ſeruandus eſt ſecundum Auguſtinum in de vera Relig. quia vera ſemper tenenda ſunt, & falſa reſpuenda: dubia vero abſque peccato credi poſſunt, donec aut reſpuenda eſſe vel ratio doceat, aut ſanctę matris Eccleſiæ perſuadeat auctoritas. Si ergo Eccleſia, quæ minime errare poteſt, & potiſſime Romana, quæ nullis hæreſibus vnquam ſuccubuit, vt ſcribitur 24.quæſt.1.cap.In ſede; nullam informationem habet de reſidentia corporis alicuius Sancti: puto quod ſine peccato piè venerari poteſt à fidelibus vbicúnque credatur probabiliter eſſe: Sed ſi libris, vel legendis tradat Eccleſia fidelibus corpus Sancti venerari in aliqua Eccleſia, temerarium eſſet, nec poſſet ſine peccato alibi venerari: potiſſime quando per aliquos aſſereretur pertinaciter ibi eſſe, ubi Eccleſia contrariam informationem tradit fidelibus. quia vt dicitur 23.quæſt.1.cap.Rogamus. Aliud, quàm Eccleſia Romana doceat, neque ſentire, neque velle alicui permittitur. F G

To.1. c. 10.

Eccleſia errare nō poteſt. Vide ſ. ſtra in ar. 4.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Sancti non ſemper apparent in corporibus proprijs: ſed vel de aere, vel de ſubtiliſſimis elementis formatis: ſicut Angeli † non apparent in corporibus proprijs, quibus carent, cum videntur. dato tamen, quòd in corporibus proprijs appareretur; poſſent ea deponere in locis, vnde recepta ſunt, Deo faciente, & iubente.

AD ſecundū eſt dicendum, quod Sancti viuentes meruerunt, vt pro nobis orarent, & nobis beneficia impetrarent. & ideo illis nominibus inuocamus, quibus, dum viuerent, per nos inuocabantur. quia dicimus: Sancte Petre ora pro nobis. Et eorum corpora veneramur, quia fuerunt inſtrumenta, quibus, dum viuerēt, meruerunt eis, & nobis. H

AD tertium eſt dicendum, quòd Deus principaliter facit miracula, inſtrumentaliter tamen facit miracula mediante Sanctorum oratione. quandoque manifeſta, ſicut ſcribitur Act.15. quod Petrus præcedente oratione, Tabitam mortuam ſuſcitauit. quandoque ſolo interiori nutu, ſicut Petrus cap.5. Ananiam, & Saphiram morti, increpando, tradidit. Quandoque autem mediante exteriori voce. ſicut ſcribitur Ioſue.10. quod obediente Deo voci hominis ſtetit ſol cōtra Gabaonitas. Et quandoque mediante contactu corporum ipſorum Sanctorum: ſcribitur enim 4. Regnm. 13. quod quidam proiecerunt cadauer mortui in ſepulcrum Eliſei: & ſtatim cū tetigit oſſa Eliſei reuixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. Non tamen arctatur diuina virtus, quin ſine tali tactu corporis Sancti poſſit miracula facere.

† S.Tho. p. 1.q. 51.art. 2. Vide Cōcil Nicenū. 2. Et Aug. ī Ench c. 59. & De Eccl. dogm.c.11. & 12. Vide Aegid. Ro. 2.ſent. d 8. q.1.ar.1. & 2. & Scholium, & Tabul.ibidem.

S.Tho.2.2. q. 178. art. 1.ad 1. arg.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM OMNES CANONIzati per Papam ſint in vita æterna.

De dubio huius articuli. vide omnino S.Thom. quodlib.9. q.7.ar.16. & Antoninum par.3.tit.12.cap.8.§.2. & Melchiorem Canum lib.5.cap.5.de locis theolog.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd omnes canonizati per Papam ſint in vita æterna: quia Eccleſia non poteſt errare. Sed Eccleſia veneratur pro Sanctis omnes, quos canonizat. Ergo omnes ſunt in vita æterna, aliter Sancti non eſſent.

2 Præterea: Sanctis orantibus, & impetrantibus, miracula fiunt, vt dicit Aug. 22.de Ciui.Dei. cap.9. Sed mali, & peccatores nō exaudiuntur apud Deū. Dicitur enim Ioā.9. Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Neceſſario ergo canonizati ſunt in vita æterna. Tomo 5.

3 Præterea: Si per miracula, & alia ſigna non poſſemus ſcire canonizatos pro Sanctis eſſe in vita ęterna. pari ratione Apoſtolos, & Martyres non poſſemus ſcire eſſe in vita æterna. quod eſt abſurdum.

IN CONTRARIVM eſt illa vulgata auctoritas Gregorij. † Multorum corpora venerantur in terris, quorum animæ cruciantur in tormentis.

† Alij B.Auguſtino tribuunt, de qua vide omnino Couarru.lib.1. varia. reſolut. cap.10. nu. 13.

RESOLVTIO.

Eccleſia ſcire certitudinaliter non poteſt, omnes canonizatos eſſe in vita ęterna, ad quam nullus abſque charitate valet admitti: Nec errat, cum ſecūdum præſentem iuſtitiam, & iudicio canonizet humano.

RESPONDEO, dicendum, quod nullus admittitur ad vitam æternam ſine charitate: Iuxta illud Auguſt.15.de Trin.c.18. niſi alicui tantum donū impartiatur Spiritus ſanctus, vt eum Dei, & proximi faciat amatorem: à ſiniſtra non traſfertur ad dexterā. ſed charitatem habere nullus ſcit per certitudinem cauſæ: cum cauſaliter ipſam date immediatè effecti uè † pertineat ad ipſam Dei voluntatem. de qua certitudine ſcriptum eſt Eccleſiaſtes 9. Nullus ſcit, an amore, vel odio dignus ſit. & Apoſtolus dicebat 1. ad Corinth.4. Nihil mihi cōſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Signa autē, per quæ ſanctitas aliquorū poteſt Eccleſię patefieri, ſunt communia bonis, & malis: Ideo per certitudinem cauſæ non poteſt Eccleſia ſcire omnes, quos pro Sanctis canonizat, & ſolennizat, eſſe in vita æterna. propter quod dicit Hieron. & ponitur 1.quæſt.1.c.Vide. Si ſine charitate martyrium recipiatur, & corpora eorum ab hominibus venerentur; perfidiæ magis ſunt talia, quā corona victoriç: & tali opere magis pęna, quàm præmium debetur.

Tomo 8.

Conc.Trid. ſeſ.6. in decreto de iuſtificatione, cap.7.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ aliter iudicat Deus, & aliter homo. quia Deus iudicat iudicio interioris habens pro teſte ipſam hominis conſcientiam: Iuxta illud ad Roma. 2. Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut defendentium: Ideo Deus in ſuo iudicio non fallit, neque fallitur. ſed homo iudicat iudicio exteriori; habens pro teſte operum exteriorum euidentiam, ideo poteſt falli, & fallere. Eccleſia ergo non errat canonizando aliquos Sanctos, quia nō canonizat eos eſſe Sanctos iudicio Diuino ſecundum *determinatam ſentētiam: ſed iudicio humano † ſecundum prӕſentem iuſtitiam. ſecundum quem modū Sancti ſunt hominū reputatione, & veneratione.

Eccleſia cur non erret.

* al. determinatiuā.

† Pie tamē credendum eſt, iudiciū Eccleſiӕ in his errare non poſſe. ita S. Tho. § dicto qōlibeto 9. artic. 16.

B AD ſecundum eſt dicendum, quòd mali, & peccatores poſſunt impetrare per eorum orationem miracula fieri, nec tamen ipſi inquantum peccatores ſunt, miracula faciunt: ſed magis ipſe Chriſtus, quem inuocant, vel ipſi Sancti, quorum ſuffragia poſtulant. quāuis ſecundum Auguſtinum illud dictum Ioannis 9. Scimus quia peccatores Deus non audit, non ſit rarū; Quia fuit dictum illius cӕci nondum illuminati à Chriſto; peccatores enim petentes aliqua ex cordis pietate benè exaudiūtur à Deo: Exaudiuit enim Deus illum publicanum, quando dixit: Deus propitius eſto mihi peccatori, quia iuſtificatus in domum ſuam deſcendit. Et quando petunt aliqua ex Diuinӕ voluntatis conformitate: quia peccatores petentes conformia voluntati Diuinӕ exaudiuntur.

Tract. 44. in Ioan.

Luc. 18.

C AD tertium eſt dicendum, quòd de Apoſtolis, & de multis alijs Sanctis alia ratio reformat pactum, cum de eorum ſaluatione manifeſta reuelatio in ſacra Scriptura habeatur. ipſe enim Saluator Apoſtolos prӕdicit ſecum Iudices iudicaturos omnes gentes: & ſeſſuros ſuper ſedes duodecim: & nomina eorum ſcripta eſſe in cœlis. Petrus ſimiliter dicit in 2. canonica ſua, cap. 1. Scio ꝙ velox eſt depoſitio tabernaculi mei: ſecundum quod Dominus reuelauit mihi. Et Paulus ait: Scio, cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem 2. Tim. 1. Multos etiam Sanctos, & Sanctas veneramur in Eccleſia, quos conſtat in vita ӕterna eſſe, diuina reuelatione facta: aut ipſis Sanctis apparentibus: aut Angelis *prӕdicentibus.

* al. prӕdicātibus.

ARTICVLVS V.

VTRVM CORPORA SANctorum poſſint ſubtrahi ſine peccato de loco, vbi ſunt, ſine auctoritate Papӕ.

Turrecrem. in c. Corpora. de conſecrat. diſt. 1. vbi per omnia ſequitur Auguſt. Anconit. hic.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſine auctoritate Papӕ corpora Sanctorū poſſint ſubtrahi ſine peccato de loco, vbi ſunt. Quia ſancta, & ſacrata virtute diuina, humana iniuria violari non poſſunt: ſed corpora Sanctorum diuina uirtute ſacrata ſunt: Ergo nulla virtute poſſunt violari: & per conſequens ſine peccato ſacrilegij poſſunt ſubtrahi & aſportari.

A

2 Prӕterea: Corpora Sanctorum quandoque indecenter ſepulta ſunt. quia forte in terris infidelium recondita ſunt. licet ergo in tali caſu ſine peccato ſacrilegij ipſa ſubtrahere, & aſportare.

3 Prӕterea: Quod fit cauſa deuotionis, nō videtur eſſe ſacrilegij peccatum: ſed talis ſubtractio corporū, & Reliquiarum Sanctorum quandoque fit deuotionis cauſa. Ergo non incurritur peccatum ſacrilegij.

IN CONTRARIVM eſt, quia maior iniuria fit corporibus Sanctorum, ſubtrahere ipſa de loco, ubi ſepulturӕ tradita ſunt, quàm Papӕ, ſi diſputetur de iudicio ſuo: vel Principi, ſi diſputetur de poteſtate B eius. ſed vtroque modo incurritur peccatum ſacrilegij, vt ſcribitur 17. quӕſt. 4. cap. Si quis.

RESOLVTIO.

Corpora Sanctorum de loco ad locum abſque licentia transferri ſine peccato non poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ corpora Sanctorum canonizata ſunt, & ſacrata per Papam, qui eſt caput Eccleſiӕ. immo ex contactu corporum, & Reliquiarum Sanctorum altaria conſecrantur. ſcribitur enim de conſecr. diſt. 1. c. Placuit. Euertantur altaria, quӕ ſine Sanctorum Reliquijs eriguntur: Vnde abſque iniuria corporum Sanctorum, & ipſius Papӕ C fieri non poteſt talis furtiua ſubtractio: propter quod vtroque modo ſacrilegium incurritur: Nam peccatū ſacrilegij committitur auferendo ſacrum de ſacro: vel non ſacrum de ſacro: ſiue ſacrum de non ſacro, vt dicitur 17. qō. 4. c. Quis quis. Caput Eccleſiӕ ſimiliter lӕditur, quia eius prӕceptum contemnitur. ſcribitur enim de conſec. diſtin. 1. cap. Corpora. Corpora Sanctorum de loco ad locum nullus trāsferre prӕſumat, ſine conſilio Principis [*id eſt Papa*] vel Epiſcoporum, ſanctaque ſynodali licentia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ille, qui irreuerenter pertractat res ſacras; quamuis non noceat ipſis rebus ſacratis: quia irreuerentia non eſt D in recipiente, ſed in faciente. quemadmodum ſecundum Philoſophum in Eth. Reuerentia, vel honor nō eſt in honorato, ſed in honorante: nocet tamen facienti: quia ipſe, quantum eſt in ſe, rem ſacram violat, licet illa non violetur.

Ariſt. 1. Eth. cap. 5.

AD ſecundum dicitur, ꝙ ſicut ſcribitur de conſecra. diſt. 1. c. Tribus. Tribus ex cauſis loca Sanctorum tranſmutanda ſunt. Primo, cū neceſſitas perſecutorum loca eorū grauauerit. Sunt enim infideles indigni poſſeſſores Sanctorum corporum. vnde licitè poſſunt de terris eorū deportari, & ipſa de eorum dominio ſubtrahi. Secunda, cum difficultas locorum fuerit. Tertia, cū malorum ſocietate grauantur.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ deuotio exercenda eſt ſine iniuria alterius: Talis autem furtiua ſubtractio Reliquiarum Sanctorum non poteſt fieri ſine

iniuria Papæ, cuius auctoritate debet fieri: Nec ſine iniuria Sanctorum. quia ex quo corpus ſacrum traditum eſt perpetuę ſepulturę, ſine eius iniuria inde trãſferri non poteſt. Si vero perpetuæ ſepulturæ traditum non eſt, tunc abſque alicuius licẽtia ad locũm alium transferri poteſt, vbicunque maiori reuerentia transferentium poſſit venerari.

ARTICVLVS VI.

VTRVM SINE AVCTORItate Papæ corpora, vel reliquiæ Sanctorum poßint emptioni, vel venditioni exponi.

Vide Concilium Trident. ſeſſ. 25. tit. de inuocatione, veneratione, & reliq. Sanctorum, & l. nemo. la 2. C. de ſacroſanct. Eccleſ. vbi latè Doctores. Et Sylueſt. in Summa, verbo: Reliquię. q. 1.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſine auctoritate Papæ corpora, vel Reliquiæ Sanctorum poſſint emptioni, vel vẽditioni exponi. Quia magis eſt quid ſpirituale Sacramentũ Eucharistiæ quàm corpus, vel Reliquiæ Sanctorum: ſed pro miſſis canendis, in quibus Sacramentum Euchariſtiã conficitur, multi accipiũt pecuniam. Ergo multo fortius Reliquiæ Sanctorum poſſunt emptioni vel, venditioni exponi.

2 Præterea: Abſolutio ab excommunicatione eſt quid ſpirituale magis, quàm Reliquiæ Sanctorum, cum pertineat ad Sacramentum pænitentiæ. ſed multi pro tali abſolutione pecuniam accipiunt. Eodem ergo modo de Reliquijs Sanctorum poteſt pecunia accipi.

3 Præterea: Vaſa Sacra Eccleſiaſtica ſpiritualibus ſunt coniuncta. & tamen licet ea uendere pro redemptione captiuorum, vt dicit Ambroſ. 2. lib. off. c. 28.

IN CONTRARIVM eſt Innocen. extra de Reliq. & venera. Sanct. c. Cum ex eo.

RESOLVTIO.

Sanctorum Reliquiæ, qui rei ſpirituali annectuntur, abſque ſimonia peccato nec emi, nec vendi poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ † Simonia eſt ſtudioſa uoluntas emendi, vel uendẽdi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali annexum.

† S.Tho. 2. 2. qō. 100 arti. 1. 2. 3. & 4.

Poteſt autem annecti rei ſpirituali aliquid dupliciter. Primo cauſaliter. & ſic beneficium Eccleſiaſticum annectitur clericali officio, quod eſt ſpirituale. non enim competit habere beneficium, niſi habenti ſpirituale officium. Vnde ſimonia eſt Eccleſiaſticum beneficium vendere: quia ſicut non poteſt dari effectus ſine cauſa, ita non poteſt vendi Eccleſiaſticum beneficium ſine ſpirituali officio, quod eſt cauſa eius. Secundo poteſt annecti rei ſpirituali aliquod inſtrumentaliter. & ſic corpus annectitur animæ, mediante quo anima Sancti uiri in vita operatur opera virtuoſa, & ſpiritualia: & in morte, ipſa orante & impetrante, diuina uirtute ad contactum, & reuerẽtiam eius miracula fiunt. Vnde ſicut corpus non viuit ſine anima: nec anima ſine corpore corporaliter viuit: ſic Reliquiæ Sanctorum abſque re ſpirituali, cui annectuntur; nec vendi, nec emi poſſunt. ſcribitur enim 1. quæſt. 3. Si quis obiecerit. Quiſquis horum alterum vendit, ſine quo nec alterum prouenit, neutrum inuẽditum relinquit. Puto ergo, quòd abſque peccato ſimonię Reliquię Sanctorum nec vendi, nec emi poſſint: Eſt ſimiliter hoc expreſſè contra Decret. Innocẽ. extra de Reli. & vener. Sanct. cap. Cum ex eo.

Simonia quid ſit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ pecunia non accipitur pro Miſſa, tanquam ipſius Miſſæ, vel conſecrationis Euchariſtiæ pretium: ſed tanquam ſuę ſuſtentationis ſtipendium: Dicit enim Apoſtolus 1. ad Corinth. 9. Neſcitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui altari deſeruiunt cum altari participant?

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ pecunia non accipitur ab illo, qui abſoluitur ab excommunicatione, tanquam ipſius abſolutionis prætium: ſed ſicut culpę præcedentis, pro qua excommunicatus fuit, pœna, & ſupplicium.

AD tertium dicitur, quòd conſecratio vaſorum Sacrorum non poteſt vendi. tamen pro neceſſitate pauperum † materia eorum vendi poteſt, ſi præmiſſa oratione vaſa prius frangantur. quia poſt confractionem non ſunt Sacra vaſa, ſed purum metallum. Vnde ſi ex eadem materia, & ſimilia vaſa reintegrarentur, indigerent iterum conſecratione. Corpora autem, & Reliquiæ Sanctorum abſque deuotione, & miraculorum operatione, quæ ſunt quædam ſpiritualia, quæ interdum fiunt ad eorum venerationem, & ſanctitatis manifeſtationem; vendi, & emi non poſſunt. vnde non eſt ſimilis ratio.

† B. Ambro. lib. 2. de officiis. c. 28. refertur in c. Aurũ. 12. q. 2. adde l. Sãcimus. & ibi Doctores. C. de ſacroſanct. Eccleſ.

QVAE.

QVAES. XVIII. DE ANGELORVM ADMINISTRATIONE.

POSTQVAM viſum eſt de Sanctorum canonizatione: Nunc videndum eſt de Angelorum adminiſtratione. Circa quod quęruntur quinque.

Primo, Utrum Papa ſit maior Angelo in iuriſdictione.
Secundo, Utrum Papa ſit maior Angelo in Sacramentorum adminiſtratione.
Tertio, Utrũ Papa ſit maior Angelo in dominatione.
Quarto, Utrum Papa ſit maior Angelo in rognitione.
Quinto, Utrũ Papa ſit maior Angelo in pręmiatione.

ARTICVLVS I.

UTRUM PAPA SIT MAIOR Angelo in iuriſdictione.

Pro hoc art. Vide S.Anton. 3.par.Tit.22.cap.5.§.1.2.3.& 4.qui ſequitur Auguſtinum Triumphum.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non ſit maior Angelo in iuriſdictione. quia natura ſpiritualis habet iuriſdictionem ſuper naturam corporalem ex ſuæ naturæ conditione: ſed Angelus eſt naturæ ſpiritualis, habet ergo iuriſdictionem ſupra Papam, qui eſt naturæ corporalis.

2 Præterea: Illius iuriſdictioni homo ſublicitur, cuius curę exponitur. ſed homo ſupponitur curæ ipſius Angeli: ſcribitur enim Act. 12. quòd pulſante Petro ad ianuam dicebant, qui intus ſtabant: Non eſt ipſe, ſed Angelus eius. Super quo verbo dicit gloſſ. ꝙ vnuſquiſque Angelum habeat, eius curam gerentem, Scriptura teſtatur.

3 Præterea. Ille eſt ſub iuriſdictione alterius, à quo illuminatur, & docetur. ſed homo docetur, & illuminatur per Angelum: ſcribitur enim Dan.9. ꝙ Angelus, qui apparuit Danieli, dixit ei: Noli timere. quia vir deſideriorum es: ideo ego veni, vt docerem te, & indicarē tibi, quę ventura ſunt, & intelligas viſionē.

IN CONTRARIVM eſt. quia dicit Apoſtolus ad Hebræ.2. in perſona Chriſti, cuius Papa Vicarius exiſtit: Non enim Angelis ſubiecit Deus orbem terrę futurum, de quo loquimur.

RESOLVTIO.

Papa, cui commiſſum eſt Vniuerſi regimen, in iuriſdictione quemcumque Angelum excellit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ maior eſt iuriſdictio Papæ, quàm cuiuslibet Angeli. Eſt enim triplex regimen ſecũdum Philoſophum.† Primum ethicum, & morale. Secundum eſt ſociale, & paternale. Tertium eſt Politicum, & regale.

†Ariſt.1.Polit.3. Et Aegid.Rom.de Regim.Prin.lib.2.p.1.c.14.2.p.c.3. diuidit Regimen † Regale, Politicũ, & Deſpoticũ. & idē dicit in 2. ſen. diſt.18. dub 6. litterali. & d.27. q.2.ar.3.

Primum reſpicit curam vniuſcuiuſq; hominis in A ſe per virtutum regulationem. Secundum reſpicit regimen domus, & familiæ per paternalem monitionē. Sed tertium reſpicit regimen Prouinciarum, & Regnorum per pœnarum cōminationē. Primum regimē commiſſum eſt Angelis. vt de hoc intelligatur dictum Hieron.† ꝙ vnaquæque anima ab ortu natiuitatis hominis habet Angelum ad ſui cuſtodiam, & exercitiũ virtutum deputatum. Secũdum vero commiſſum eſt Archangelis: quorum eſt familias, & ciuitates dirigere, & gubernare: Vnde requiſitus* Raphael Archāgelus à Tobia, an ſciret viam eundi in ciuitatem Medorum, dixit, ſe omnia itinera illius frequenter ambulaſſe. Sed tertium conuenit Principibus: quorũ eſt Prouincias, & regna miro modo diſponere. vnde dixit Angelus qui loquebatur Danieli: Princeps Regni Perſarum (Dan.9.) B reſtitit mihi 21. diebus. Nulli ergo Angelo commiſſa eſt iuriſdictio, & cura totius orbis. ſed Papæ totius mundi iuriſdictio, & cura commiſſa eſt, non ſolũ vt nomine mundi importetur terra: ſed etiam, vt nomine mundi importetur cœlum. quia ſuper cęlum, & terram iuriſdictionem accepit. Vnde Chryſo. in libello de laudibus Pauli præfert Paulum cuilibet Angelo (Hom. 2.) in iuriſdictione, dicens, ꝙ Angelis quidem ſæpe diuerſarum gentium cura commiſſa eſt, ſed nullus illorum ita populũ ſibi creditum gubernauit, vt Paulus vniuerſum gubernauit orbem. Nam Michaeli commiſſa eſt gens Iudęorum: Paulo vero terra, maris, atq; vniuerſi orbis habitatio, ipſumq; deſertũ. Si igitur iuriſdictio Pauli maior fuit iuriſdictione omniũ Angelorũ, multo fortius intelligendum eſt hoc de Petro, cuius perſonam Papa repræſentat. C Vnde idem Chryſo. dicit ſuper Ioan. ꝙ Iacobum localiter in loco determinat: Petrum autem totius orbis ordinat Magiſtrum, & Doctorem: cui poteſtatem dedit, non, vt Moyſi in Gente vna: ſed in vniuerſo orbe.

† Lib 3 cōment in *Mat.c.18.
*Tob. 5.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd licet ſecundum gradum naturæ Angelus ſuperior ſit homine ex ipſius naturę conditione: diuina tamen auctoritate, & commiſſione poteſt ad plura ſe extendere iuriſdictio hominis, quàm Angeli.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ Angelo cuſtodienti cōmittitur cura cuſtoditi ſingulariter. ſed Papę cōmittitur cura, & cuſtodia omniũ; vniuerſaliter. & hoc non D ſolum dũ viuũt, ſicut cōmittitur Angelis: ſed etiã poſt mortem per cōmunicationē ſuffragiorum Eccleſiæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ licet in doctrina, & in his, quæ ſe tenent ex parte intellectus, homo reducatur aliquando in Deũ per Angelos. quia apparitiones, & illuminationes factæ Patribus veteris teſtamenti per Angelos factæ ſunt, ſecundum ꝙ dicit Aug. 2. de Trini. (Tomo 3. cap.7.) tñ in charitate, & in his, quæ ſe tenent ex parte affectus, homo reducitur immediatè in Deũ per ipſum met principaliter effectiuè, & miniſterialiter per Papã, & alios Miniſtros Eccleſię: qui ſunt adminiſtratores ſacramentorũ, in quibus gratia confertur.

ARTICVLVS II.

VTRVM ANGELVS SIT maior, quàm Papa in Sacramentorum administratione.

Vide S. Thom. 3. p. q. 64. art. 7. & ibi Caietanum. Vide Barth. Sybillam in peregrinis quæſtionibus Decade 2. c. 7. q. 2. & 3. vbi probat Angelos nec malos, nec bonos cõſecrare, nec baptizare poſſe: & declarat, cur Chriſtus hãc facultatem Angelis non conceſſerit. Vide ibidem Alex. de Ales, & Turrecrematam.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Angelus ſit maior Papa in Sacramentorum adminiſtratione. Quia maioris efficaciæ ſunt Angeli, quàm mali miniſtri Eccleſiæ. ſed mali miniſtri poſſunt Sacramenta adminiſtrare. Ergo multo magis Angeli.

2 Præterea: Quanto miniſtri ſunt propinquiores agenti: tãto agens per eos immediatius agit. ſed Deo, qui eſt primum agens Sacramentorum, propinquiores ſunt Angeli, quàm homines. Ergo per eos immediatius agit.

3 Præterea: Homines inducuntur ad ſalutem, mediantibus Sacramentis. ſed ſcribitur ad Hebræos 1. ꝙ omnes Angeli ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem * capient ſalutis.

*al. capiũt.

IN CONTRARIVM eſt. quia quod non poteſt malus Angelus, non poteſt bonus, potiſſimè in actione Sacramentali: cum Sacramenta non habeant efficaciam à bonis, vel malis miniſtris. ſed Angelus malus non poteſt. ergo nec bonus.

RESOLVTIO.

Papa eſt maior Angelis in Sacramentorum adminiſtratione, quæ eis conceſſa non fuit, propter eorundem carentiam idoneitatis, quæ præſertim requiritur in Sacramentorum adminiſtratione.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ adminiſtratio Sacramentorum non eſt commiſſa Angelis de lege communi ex commiſſo officio. cuius rationem Chryſoſt. aſſignat duplicem in libello de laudibus Pauli, quarum prima eſt: Vt nullum colorem excuſationis homo inuenire poſſit. ſic enim ait ibi: Cuius autem rei gratia non Angelis potius, quàm hominibus cura prędicationis, & adminiſtrationis Sacramentorum commiſſa eſt? Vt nullum excuſationis colorem de ſe inueniret anima negligens, dum tu ad diuerſitatem naturæ confugeres, dormiendo. Secũda, vt crederet eſſe poſſibile Angelis homines poſſe copulari, quãdo vidit, ꝙ ex terrena lingua mors fugatur, peccatum diſſoluitur, cæcitatis tenebra illuminatur, & mirifica mutatione terra in cœlum conuertitur. Sed ſi loquimur de ſingulari Dei mandato: poſſet Angelus bo-

Hom. 2.

E nus Sacramentum adminiſtrare. Vnde ſi baptizaret, vel Eccleſiam conſecraret, ponitur communiter, ꝙ non deberet iterum baptizari, nec iterum Eccleſia cõſecrari. Et datur exemplum de Eccleſia beati Michaelis. dũmodo credatur eſſe Angelus bonus. quia ſi ſciretur eſſe Angelus malus, & baptizaret, rebaptizandus eſſet: cum non poſſet æſtimari, ipſum facere niſi intentione fallendi. Puto tamẽ tutius eſſe, quòd ſi per quoſcunque ſiue bonos, ſiue malos Angelos Sacramentum baptiſmi, quod eſt Sacramentum neceſſitatis, adminiſtraretur, reiterandum eſſet. quia Angelus Sathanę transfigurare ſe poteſt in Angelum lucis. & quia malitia, vel bonitas miniſtri non facit ad miniſtrationem Sacramenti: dummodo ſeruetur forma Eccleſiæ: ſed potius miniſtri idoneitas, quæ non repe-
F titur in Angelis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ mali miniſtri poſſunt accipi dupliciter. Primo priuatione poteſtatis, & ſic excommunicati, † præciſi, & hæretici ſunt mali miniſtri: quia priuati ſunt poteſtate adminiſtrationis Sacramentorum: à quibus ſi recipitur aliquod Sacramentum, peccatum incurritur, niſi in neceſſitatis articulo. Secundo in priuatione ſanctitatis. & à talibus licite ſine peccato recipitur Sacramẽtum. In Angelis autem bonis, licet non ſit defectus adminiſtrationis Sacramentorum, quantum ad ſanctitatem: tamen eſt defectus, quantum ad poteſtatem.

† Vide S. Thomã. 3. par. q6. 64. ar. 9. & q6. 82. ar. 7. 8. & 9.

G AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non ſolum in miniſtris requiritur propinquitas reſpectu agentis: ſed magis conformitas reſpectu patientis, cũ * actus actiuorum ſint in patiente prædiſpoſito. quæ conformitas deficit in Angelis, reſpectu adminiſtrationis Sacramentorum.

*Ariſt. 2. de anima tex. com 24.

AD tertium eſt dicendum, quòd adminiſtratio Angelorum, de qua loquitur Apoſtolus, non intelligitur de adminiſtratione Sacramentorum, ſed vel ſingulariter intelligitur de adminiſtratione Chriſti. vt glo. videtur exponere, quia acceſſerunt Angeli, & miniſtrabant ei: vt ſcribitur Matth. 4. Vel uniuerſaliter de adminiſtratione noſtra: nos ab impugnationibus dæmonum prohibendo: & de ſupernis illuminando.

H

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA SIT MAIOR Angelo in dominatione.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non ſit maior Angelo in dominatione. quia Chriſtus, cuius Papa Vicarius exiſtit, minoratus eſt paulominus ab Angelis. vt ſcribitur ad Hebræ. 2.

2 Præterea; Qui eſt ſuperior aliquo, maior eſt illo in dominatione. ſed Angelus eſt ſuperior Papa. Eſt ergo maior illo.

Præ-

† Id habet B. Ambroſius lib. 1. d fide ad Gratianũ cap. 1. vide Magiſtrum ſent. lib. 1. diſt 2. 5. proponamus.

3 Præterea: Secundum Ambroſinm † nomen Domini, eſt nomen poteſtatis. ſed Angelus ſuperior eſt Papa, naturæ poteſtate. Ergo maior illo.

In Contrarium eſt, quia minor non excommunicat maiorem: ſed Paulus excommunicanit Angelum bonum, vel malum, quando dixit ad Gal. 1. Sed licet nos, aut Angelus de cœlo bonus, vel malus, vt dicit gloſs. euangelizet vobis preterquàm quod euangelizauimus vobis: anathema ſit.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad dominium, maior eſt Angelo, non uirtute propria, ſed Dei auctoritate. Hic enim ſuperior eſt illo conditione natura.

B RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut ſecundum Apoſt. ad Hebræ. 7. abſque vlla contradictione verum eſt, ꝙ minor à maiori benedicitur: ita abſque vlla contradictione verum eſt, ꝙ minor à maiori maledicitur. loquendo ſaltem de maledictione, quæ eſt excommunicatio, & priuatio à communione fideliũ. Ex quo ergo Paulus, & multo fortius Petrus, qui fuit caput Eccleſiæ, potuit Angelum bonum, vel malum excommuhicare: recte concluditur, ꝙ Papa maior ſit Angelo in dominatione. Sciendum eſt tamen, ꝙ non eſt inconueniens, aliquem eſſe ſimpliciter minorem alio in dominio, & tamen in aliquo caſu eſſe maioré illo. Duobus ergo modis Papa poſſet Angelnm excõmunicare: & ſic eſſet maior illo in dominio, qnàmuis ſimpliciter eſſet minor. Primu, códitionaliter propter Euangelij firmam veritatem. Dicit enim Auguſtinus, ꝙ ſic Paulus erat firmus, & certus de veritate Euangelica ſibi reuelata: vt ſi poſſibile fuiſſet, Angelum bonum contrarium aſſerere, in tali caſu fuiſſet factus ſuperior eo: & eum excõmunicare potuiſſet: ſicut, ſi Papa, qui eſt ſuperior in tota Eccleſia, laberetur in hæreſim, quilibit catholicus in tali caſu efficeretur maior ipſo. & contra eũ ſentẽtiare † poſſet.

† Intellige hoc dictum obiter hic prolatũ iuxta tradita ab auctore ſupra queſt. 5. ar. 5. & 6.

Secundo, miniſterialiter propter diuinam auctoritatem. licet enim inferior non poſſit agere in ſuperiorem virtute propria: poteſt tamen agere in ipſum virtute alterius. Quantumcunque ergo Paulus, vel Petrus fuiſſet inferior Angelo, virtute; tamen auctoritate Dei poterat effici maior Angelo bono, vel malo, Vnde ſnper illo verbo 1. ad Corinth. 5. Iam iudicaui eũ, qui ſic operatus eſt, tradendũ eſſe Sathanæ ad interitum carnis. dicit gloſsa, Paulum hanc poteſtatem à Deo habuiſſe. vt quandocunque videbat aliquem fidem catholicam euertenté, & impugnantem: ſtatim ad præceptum eius Angelus malus inuadebat ipſnm, & vexabat eum corporaliter.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illa minoratio Chriſti intelligenda eſt, quantum ad naturæ aſſumptæ paſſibilitatem: non quantum ad dominij poteſtatem.

AD ſecundnm, & tertinm dicitur, ꝙ Angelus eſt ſuperior Papa, naturæ conditione, Diuinæ tamen poteſtatis adminiſtratione, & in caſu aliquo poteſt effici ſuperior ipſo, vt dictum eſt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA SIT MINOR Angelo in cognitione.

Vide S. Thomam par. 1. quæſt. 57. art. 5.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſit minor Angelo in cognitione. quia intellectus hominis naſcitur nudus, ſicut tabula raſa, vt ſcribit. 3. de anima: ſed intellectus Angeli naſcitur plenus: ſcribitur enim 11. propoſitione de cauſis, ꝙ omnis intelligentia eſt plena formis. Minor eſt ergo Papa quolibet Angelo in cognitione.

Tex.cõ. 14.

2 Præterea: Maximum ſecretorum Dei eſt myſterium incarnationis. ſed hoc fuit nunciatum per Angelum naturæ humanæ, Lucæ 1. Ergo in ſecretorum Dei reuelatione Papa minor eſt Angelo.

3 Præterea: Hierarchiæ ſunt ordinatæ ſecundum Dionyſ. tali ordine. quia prima illuminat ſecundam: & ſecunda tertiam: & tertia illnminat omnes homines. tali ergo ordine ſeruato, oportet Papá, & omnes homines illnminari per Angelos.

De cęl. Hierar. c. 3. & 4

In Contrarium eſt, quia ſuper illo verbo Matth. 16. Beatus es Simõ Bar iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed pater meus, qui eſt in cœlis: dicit glo. Vere beatus: quia talé quid reuelatum eſt Petro, cuius Papa ſucceſſor exiſtit: quod nec Angelus, nec homo ſcire potuit.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad cognitionem naturalem, minor eſt Angelis: ſed quantum ad cognitionem gratuitam reuelatam eſt maior. ipſi enim multa per Apoſtolorum prædicationem fuerunt edocti.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ tam de myſterio incarnationis, quã de myſterio paſſionis Chriſti accreuit aliqua cognitio Angelis per, predicationẽ Apoſtolorum, quorum caput fuit Petrus: cuius Papa eſt ſucceſſor. Dicit enim Diony. ꝙ licet non latuerit Angelos incarnationis myſterium, ꝙ fiendum eſſet: quia ſciuerunt fiendum eſſe. modum tamen fiendi, vt qualiter Dei filius in vtero virginali eſſet concipiendus, non plene cognouerunt: & dato, qnòd ſcirent, vel ſcire poſsent virginem non eſse corruptam, cum viderent eam eſse grauidam, modus tamen concipiendi, & grauidationis eius latuit tam Angelos bonos, qnàm malos: ſed prædicantibus Apoſtolis, multa cognouerunt circa tale myſterium, quæ ante ignorabãt: Vnde ſuper illo verbo ad Ephe. 3. Mihi omnium Sanctorum minimo data eſt gratia hęc in Gentibus Euãgelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quę ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſeculis:

De cęl Hierar. cap 7.

E culis:vt innoteſcat Principibus, & Poteſtatibus in cę-leſtibus. Dicit Hierony. Angelicas virtutes myſteriũ incarnationis ad plenumnon intellexiſse, donec paſſio Chriſti per Apoſtolos prædicata fuiſset:tunc enim innotuit eis per Eccleſiam multiformis gratia Dei.

In Epiſt. ad Eph. cap 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illa plenitudo formarum tantum intelligẽda eſt de cognitione naturali: ſecundum quã planũ eſt, homines Angelis non æquari. non autem de cognitione gratuita, quæ eſt immediatè per Dei reuelationem.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ tale ſecretum nunciatum eſt humanæ naturæ per Angelum, quantum ad ſubſtantiam facti: ſed quantũ ad multas circunſtãtias edocti fuerunt per Apoſtolorum prædicationem.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non arctatur Spiritus ſanctus per ordinationem Hierarchiarũ, quòd non poſſit actus hierarchicos exercere, ſcilicet docere, illuminare, & perficere homines abſque tali ordine: Planum eſt enim, ꝙ Apoſtoli in multis immediate fuerunt edocti ab ipſo Spiritu ſancto: Scribitur enim Act. 2. ꝙ repleti ſunt omnes Spiritu ſancto. Et Ioan. 16. Cum venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA SIT MINOR Angelo in præmiatione.

G

Vide S. Thom. 2. ſenten. diſt. 11. artic. 4. ad ſecundum argumentum.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſit minor Angelo in præmiatione. Quia ille plus pręmiatur, qui plus honoratur à Deo: ſed Angelus plus honoratur à Deo, quàm homo: quia vult hominem Angelo reuerentiam exhiberi, non autem Angelum homini. ſcribitur enim Geneſ. 18. ꝙ cum Angelus apparuit Abrahę, cecidit pronus in terram dicẽs: Loquar ad dominum meum, cũ ſim puluis, & cinis.

H

2 Præterea: In præmiatione, quæ conſiſtit in fruitione diuinitatis, requiritur aſſimulatio, & trãsformatio in Deum. ſed talis transformatio, & aſſimilatio magis reperitur in natura Angelica, quàm humana: quia Deus ſpiritus eſt. Ioan. 4. Et Angeli ſpiritus ſunt iuxta illud Pſal. 103. Qui facit Angelos ſuos ſpiritus. Maioris ergo beatitudinis eſt capax Angelus, quàm homo.

3 Præterea: Præmium reſpondet merito: Sed Angeli vberiores ſunt in lumine diuinę gratię, quàm homines. vnde ſemper apparent cum lumine, quando vidẽtur. vberiores ergo ſunt in pręmiatione.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſuper illo verbo Matth. 22. Erunt ſicut Angeli Dei in cęlis. Dicit glo. quòd non minores in præmiatione, quàm ipſi.

RESOLVTIO.

Papa in præmiatione quibuſdam Angelis poteſt eſſe maior, cum aliqui Sancti in supremã Angelorum Hierarchiam aſcendant, & præſertim Apoſtoli, quorum caput fuit Petrus, cuius Papa ſucceſſor exiſtit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ cogimur ponere aliquos Sanctos eſſe maiores in præmiatione quibuſdam Angelis: Nam ſuper iſto verbo Deutero. 32. Poſuit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael. vel iuxta numerum Angelorum Dei. vt dicit alia translatio, expreſſe dicit Gregorius †, ꝙ ciuitas Dei conſtat ex Angelis, & hominibus: ad quam tanti

F aſcendunt hominum, quanti illic remanſerunt † Angelorum: quia textus dicit: Statuit numerum gentiũ ſecundum numerum Angelorum Dei. tot ergo erunt Sancti in ordine Cherubin, quot ibi Angeli ſunt de tali ordine. & quot in ordine Seraphin, vel Thronorũ Angeli continentur, tot homines ſaluandi, & præmiãdi, ibi locabuntur æquali pręmiatione cum ipſis. & quia Angeli ſuperioris hierarchię maiores ſunt in præmiatione Angelis ſecundæ, vel tertiæ; ſequitur, ꝙ aliqui Sancti maiores ſunt in præmiatione quibuſdã Angelis: & ſi aliqui Sancti aſcendunt in ſupremam hierarchiam Angelorum, rationabiliter credendum eſt de Apoſtolis, quorum caput fuit Petrus, cuius Papa ſucceſſor exiſtit.

† Hom. 34. in Euang.

† Vide S. Tho par. 1. q6. 23 ar. 7. & ibi Caietanum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd antequàm natura humana aſſumpta eſſet à Dei filio in vnitate perſonę; natura Angelica excedebat humanã naturam, maxime in tribus. Primo, in dignitate. Secundo, in Dei familiaritate. Tertio, in gratiæ vbertate: ꝓpter quę tolerabat ſe à natura humana adorari, & reuerentiam exhiberi. Sed poſtmodum factum eſt aliud in natura humana, quo in his tribus ſuperior ipſa facta eſt: Vnde deinceps non permiſit ſe amplius adorari: ſed dixit Ioanni volenti adorare eum Apoc. vlt. Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ quamuis aſſimilatio, & transformatio, quę fit per dona naturę, maior ſit in natura Angelica reſpectu Dei, quàm in natura humana: illa tamen, quę fit per dona gratuita: quibus debetur æternæ vitæ præmium, maior poteſt inueniri in natura humana, quam Angelica: Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

QVAESTIO XIX. DE PAPAE PRAE.SIDENTIA.

NVNC conſiderandum eſt de potentia Papæ, reſpectu Eccleſiæ viatorum, vt eſt ſupra terram. Circa quod quinque conſideranda occurrunt.

Primo, de ipſius Papæ præſidētia.

Secundo, de modi præſidendi efficacia.

Tertio, de eius reſidentia.

Quarto, de eius obedientia.

Quinto, de eius reſiſtentia.

Circa primum quæruntur quinque.

PRIMO, *Vtrum ſolus Papa ſit ſponſus Eccleſiæ.*

Secundo, Vtrum ſolus Papa ſit caput totius Eccleſiæ.

Tertio, Vtrum Papa ſit Epiſcopus cuiuslibet Eccleſiæ immediatè.

Quarto, Vtrum Papa ſit ſpecialius Epiſcopus Romanus, quàm alterius Eccleſiæ.

Quinto, Vtrum Papa poſſit immediatè in qualibet diœceſi, & parochia, quod poteſt Epiſcopus, vel Sacerdos,

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVS PAPA ſit ſponſus Eccleſiæ.

Turrecrem. in Summa de Eccleſia lib. 2. c. 27. & 28.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſolus Papa non ſit ſponſus Eccleſiæ. Quia ille eſt ſponſus Eccleſię, qui poteſt ſpirituales filios generare. ſed ſimplex laicus, cum poſſit baptizare, poteſt ſpirituales filios generare. ſimplex ergo laicus poteſt eſſe ſponſus Eccleſiæ.

2 Præterea: Quilibet Epiſcopus eſt ſponſus ſuæ diœceſis: & quilibet Sacerdos ſuę parochiæ. plures ergo, præter Papam, ſunt ſponſi Eccleſiæ.

3 Præterea: Plurium ſponſarum debent eſſe plures ſponſi: ſed plures ſunt particulares Eccleſiæ. Ergo plures ſponſi.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſibi ſoli Chriſtus deſponſauit Eccleſiam, non habentem rugam, neque maculam, vt ſcribitur ad Eph. 5. ſed ſolus Papa eſt Vicarius Chriſti. Solus ergo Papa eſt ſponſus Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Papa ſolus Eccleſiæ ſponſus vniuerſaliter dici debet: Epiſcopi verò, & Presbyteri Miniſtri ipſius ſponſi dicuntur.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ carnale matrimonium non transfertur ad ſpirituale coniugium, vt eſt in remedium peccati, ſed vt eſt in officium naturæ. fuiſſet enim ſecundum Auguſtinum ſuper Gen. ad litteram, Matrimonium, & thorus immaculatus in Paradiſo ante peccatum: non quidem in remediū peccati propter concupiſcentiæ vitationem, quę nulla erat: Sed vt erat in officium naturæ: propter prolis generationē ad cultum Dei dedicādæ: ſecundum quem modum transferendo carnale matrimonium ad ſpirituale coniugium; poſſumus dicere, ꝙ quatuor conueniunt matrimonio carnali, vt eſt in officium naturæ. Primo, quia proles generatur, vt habeat eſſe naturale. Lib. 9. c. 3. & 7. Tomo 3.

B Secundo, roboratur, vt poſſit nociuis aliqualiter obuiare. Tertio, vigoratur, vt poſſit ſtare, ſedere, & ambulare. Quarto, perficitur, vt poſſit ſibi ſimile generare. Iſta igitur quatuor in coniugio ſpirituali reperiuntur: quia prolis generationi correſpondet baptiſmus: roborationi vero correſpondet confirmatio: vigorationi vero correſpondet Sacramentum ordinis, per quod poteſt homo ſpirituales actiones exercere. ſed perfectioni correſpondet ordo Epiſcopatus. quāuis ergo aliqua iſtorum poſſint facere alij miniſtri Eccleſiæ: vt Sacerdotes, qui ex officio poſſunt baptizare, omnia tamen iſta complere* poſſunt ſoli Epiſcopi. Ideo ipſi ſoli dicuntur ſponſi Eccleſiæ dumtaxat in

*al. complere.

C eorum deputatis diœceſibus. ſed completè, & vniuerſaliter Papa poteſt iſta in toto orbe. & ideo ipſe ſolus eſt uniuerſaliter ſponſus Eccleſiæ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, quòd laicus nō poteſt baptizare ex officio, ſed ſolū in neceſſitatis articulo. Vnde ſicut nihil facit ex officio ad generationem prolis ſpiritualis: ſic in nullo ex officio cenſetur ſponſus Eccleſiæ.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ propriè ſponſus Eccleſiæ non eſt niſi Chriſtus: de quo dicitur Ioan. 3.

D Qui habet ſponſam ſponſus eſt. ipſe enim de Eccleſia ſuo nomine filios generat. Alij autem, qui ſponſi dicuntur, vt Epiſcopi, & presbyteri miniſtri ſponſi dicuntur ſolum exterius cooperantes ad generationem ſpiritualium filiorum, quos non ſibi, ſed Chriſto generant. qui quidem miniſtri in tantum ſponſi dicuntur, in quantum vicem ſponſi retinent. Et ideo Papa, qui obtinet vicem Chriſti in tota Eccleſia, uniuerſalis Eccleſiæ ſponſus dicitur. Epiſcopus vero dicitur ſponſus ſuæ diœceſis. presbyter autem ſuæ parochiæ: nec tamen propter hoc ſequitur, quòd ſint plures ſponſi vnius Eccleſiæ. quia Sacerdos ſicut miniſter cooperatur Epiſcopo tanquam principali; & * ſimiliter omnes Epiſcopi cooperantur Papæ: & Papa Chriſto. Vnde Chriſtus, Papa, Epiſcopus, & Sacerdos non dicuntur niſi vnus ſponſus Eccleſiæ: quia omnes iſti non com-

*al. ſimul

*al. Vn⁹ Spiritus Sanctus.

computantur niſi * vnius Spiritus ſancti, cuius anulo conſignata eſt Eccleſia. E

A D tertium dicitur, ꝙ ſicut ſunt plures Eccleſiæ particulariter, ſic miniſterialiter ſunt plures ſponſi: quia cooperãtur Papæ, qui eſt vniuerſalis ſponſus. & omnes ſimul cooperantur Chriſto: cuius virtute filios ſpirituales generant. Vnde 1. ad Cor. 3. contra illos, qui volebant nomine Apoſtolorum filios ſpirituales generare, dicit Paulus: Quid igitur eſt Apollo? quid vero Paulus? quid vero Cephas? miniſtri eius, cui credidiſtis, & vnicuique ſicut Deus dedit.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA SIT CAPVT totius Eccleſiæ.

Vide Turrecrematam in Sũma de Eccleſia lib. 2. c. 20. 21. & ſeq. & Roffenſem contra Lutherum art. 25. vbi plenè, & luculenter.

AD ſecundũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non ſit caput totios Eccleſiæ. Quia Papa eſt principium vitale motus, & ſenſus totius Eccleſiæ: Sed eſſe principium vitale magis conuenit cordi, quàm capiti. Magis ergo debet dici Papa cor Eccleſiæ, quàm caput.

2 Præterea: Capitis Eccleſiæ eſt influere ſpiritualẽ motum, & ſenſum in membra Eccleſię. Sed aliqua ſunt membra in Eccleſia corporalia, & temporalia, quæ ad recipiendum huiuſmodi influxum ſpiritualis gratiæ ordinem non habent. Ergo membrorum corporalium Eccleſiæ Papa non eſt caput. G

3 Præterea: Scribitur ad Colo. 2. Repleti eſtis in illo, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis: in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & cõſtructum creſcit in augmentum Dei. Sed iſto modo eſſe caput Eccleſiæ non conuenit niſi ſoli * Deo.

*al. Chriſto.

I N C O N T R A R I V M eſt. quod ſcribitur 22. diſt. c. Sacroſancta. quòd Apoſtolica ſedes eſt caput, & cardo omnium Eccleſiarum, à domino, & non ab alio conſtituta.

R E S O L V T I O.

Papa vniuerſalis Eccleſię caput inſtrumentaliter: Chriſtus verò principaliter dici debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ caput reſpectu membrorum quatuor conditiones habet. Nam primo, in ſitu habet eminentiam. Secundo, in effectu habet influentiam. Tertio, in natura habet conueniẽtiam. Quarto, in perfectione habet abundantiam. Propter iſtas igitur quatuor cõditiones Chriſto principaliter, & Papæ, qui eſt Vicarius eius, inſtrumentaliter conuenit eſſe caput Eccleſiæ.

Primo quidem, quia in ſitu habet eminẽtiam: Tenet enim ſupremum gradum: non ſolum ſuper homines: ſed etiam ſuper Angelos. Vnde ad Ephe. 1. ſtatim cum dixit Apoſtolus: Omnia ſubiecit ſub pedibus eius; ſubiunxit: Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius.

Secundo, in effectu habet influentiam. Quia de plenitudine gratiæ ipſius omnes accepimus gratiam pro gratia: vt ſcribitur Ioannis 1.

Tertio, in natura habet conuenientiam: dicit enim Auguſtious ſuper illo verbo Ioãnis 15. Ego ſum vitis, & vos palmites: quòd in hoc Chriſtus dicit ſe eſſe caput Eccleſiæ, eo ꝙ vnius naturæ ſunt vitis, & palmites: Propter quod, cum ipſe eſſet Deus, cuius naturæ non ſumus: factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura: cuius & nos homines palmites eſſe poſſemus. Tract. 8. in Ioan.

F

Quarto, in perfectione habet abundantiam: quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem deitatis inhabitare. Sũt enim in ipſo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi, vt ſcribitur ad Colo. 2.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendũ, ꝙ in Metaphoricis locutionibus non eſt inconueniens vnum, & idẽ diuerſis nominibus appellari ſecundum diuerſam ſimilitudinem: Papa igitur eſt caput Eccleſię, propter ſimilitudines ſuperius dictas. poteſt tamen cor appellari propter alias conditiones. Ponit enim Philoſophus. 3. libro de partibus animalium quatuor conuenire principaliter ipſi cordi. Primo, ꝙ eſt communicatiuum vitæ à natura bene cuſtoditum. Secundo, ꝙ, corrupto eo, nõ eſt aliud, ex quo fiat auxilium alijs membris. Tertio, quòd eſt principium omnium venarum, & neruorum. Quarto, ꝙ eſt primum principium ſenſitiuum. ex quo diſcernitur viuum à non viuo. Verum quia has conditiones cor habet reſpectu membrorum ſecundum quandam occultam influentiam, caput vero ſecundum quandam manifeſtã eminentiam; ideo licet cordi poſſit comparari Chriſtus principaliter, uel Papa inſtrumentaliter, ſecundum ꝙ inuiſibiliter viuificat Eccleſiam: magis tamen comparatur capiti ſecundum viſibilem naturam, qua homo homini prefertur. Cap. 4. G

A D ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut corpus Chriſti fuit vnitum perſonaliter diuinitati, mediante anima, ita, ꝙ tota humanitas Chriſti coniuncta diuinitati eſt caput Eccleſię, & influit in ipſam: ſic membra Eccleſiæ ſpiritualia principaliter recipiunt huiuſmodi capitis influxum: corporalia vero quaſi ſecundario; inquantum membra corporalia exiſtunt arma iuſtitiæ Deo in præſenti Eccleſia militante: vt dicitur Roma. 6. Et inquantum gloria animæ deriuabitur ad corpora in Eccleſia triumphali, quando viuificabit corpora noſtra propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis, vt ſcribitur ad Roma. 8. H

A D tertium eſt dicendum, ꝙ in capite ſunt aliqui ſenſus interiores, & aliqui exteriores: Eſſe ergo caput Eccleſię ſecundum interiorem influentiam non conuenit niſi ſoli Chriſto: quia interior fluxus gratię non eſt niſi ab ipſo: ſed eſſe caput Eccleſiæ ſecundum

exte-

exteriorem prę́ſidentiam vniuerſaliter conuenit Papæ: particulariter autẽ poteſt conuenire alijs Prælatis.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT eſſe Epiſcopus cuiuslibet Eccleſiæ immediatè.

Turrecrem. in Summa de Eccleſia lib. 2. c. 65. & 66. & Blaſium Nauar. lib. 2. de ſacro Eccleſiæ principatu cap. 25. 26. & 27.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit eſſe Epiſcopus cuiuslibet Eccleſiæ immediatè. Quia Moyſes præfuit immediatè toti populo Iudęorũ. Ergo Papa immediatè põt præeſſe toti populo chriſtiano. B

2 Præterea: Plus poteſt Papa in quolibet Epiſcopatu, quàm Epiſcopus in qualibet parochia. ſed Epiſcopus pleno iure præeſt in qualibet parochia. Ergo Papa pleno iure pręeſſe poteſt in quolibet Epiſcopatu.

3 Præterea: Vnus Epiſcopus non poteſt adminiſtrare in diœceſi alterius ſine eius auctoritate. Si ergo Papa non præeſſet immediatè in quolibet Epiſcopatu, non poſſet ſine auctoritate eorum ibi adminiſtrare, quod eſt falſum.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Papa prohibet ſe nominare epiſcopum vniuerſalem totius Eccleſiæ, ſicut patet 99. diſt. cap. Ecce. non ergo eſt Epiſcopus cuiuslibet Eccleſię immediatè. C

RESOLVTIO.

Papa cuiuslibet Eccleſiæ Epiſcopus dici poteſt, quantum ad immediatam iuriſdictionem: ſed quãtum ad immediatam adminiſtrationem, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd immediatum poteſt accipi dupliciter: vel quantum ad iuriſdictionem, vel quantum ad adminiſtrationem.

Primo modo Papa eſt Epiſcopus cuiuslibet Eccleſiæ immediatè. quia iuriſdictio omnium Epiſcoporũ, & Prælatorũ Eccleſiæ deriuatur à Papa immediatè: D non autem econuerſo. Dicit autem Nicolaus Papa 2. quæſt. 1. cap. Per principalem. Per principalem beatorum Petri, & Pauli poteſtatem ius habemus non ſolum in monachos, verum etiam in quoslibet clericos de quacunq; diœceſi, cum neceſſe fuerit ad nos conuocare, atque Eccleſiaſticis opportunitatibus exigentibus inuitare. Sed ſecundo modo non eſt Epiſcopus immediatè cuiuslibet Eccleſiæ: quia ſic ceſſarent omnium aliorum Pontificum poteſtates: & ſuperuacuę eſſent aliæ Eccleſiaſticæ prælationes: debet enim Papa in gubernanda Eccleſia, Dei prouidentiam imitari. qui quamuis poſſit totum orbem immediatè per ſeipſum gubernare, non tamen facit. Vnde dicitur Sap. 14. Tua, pater, omnia gubernat ſapientia: & po-

A tens es, vt ſine rate quis adeat mare: ſed vt non eſſent ſuperuacua opera ſapientiæ tuæ, exiguo ligno credunt homines animas ſuas.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, quòd licet Moyſes in principio regiminis ſui immediatè pręeſſet toti populo Iudæorum: poſtmodum tamen ex conſilio Iethro cognati ſui dicẽtis ſibi: ſtulto labore cõſumeris: ſupra vires tuas eſt hoc negotium. ſolus illud non poteris ſuſtinere. conſtituti ſunt ad regendum populum Principes Tribuni, & Decani, vt ſcribitur Exo. 18.

Alia vero duo argumenta arguunt de immediata iuriſdictione.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA SIT SPEcialius Epiſcopus Romanus, quàm alterius Eccleſiæ.

Turrecrem. in Summa de Eccleſia lib. 2. cap. 36.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non ſit ſpecialius Romanus Epiſcopus, quàm alterius Eccleſiæ. quia qua ratione Papa ſingulariter eſt Epiſcopus Romanus: pari ratione poſſet eſſe ſingulariter Epiſcopus alterius Eccleſiæ: & ſic ceſſarent aliorum Epiſcoporum prælationes. quod ſupra negatum eſt.

2 Præterea: Papa eſt Vicarius Chriſti. ſed Chriſtus fuit Epiſcopus ſingulariter Hieroſolymitanus, non Romanus: quia ibi tanquam verus Sacerdos, & Epiſcopus ſe obtulit pro nobis in ara crucis: ex qua oblatione conuerſi ſumus ad eum, ſicut ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum noſtrarum, Vt ſcribitur 1. Petri 2. Eodem ergo modo Papa Epiſcopus Hieroſolymitanus ſingulariter deberet nominari.

3 Præterea: Vnus ſponſus non poteſt habere duas ſponſas: ſed Papa habet ſponſam, ſcilicet vniuerſalem Eccleſiã; Ergo non eſt ſponſus ſingulariter Romanæ Eccleſiæ.

D IN CONTRARIVM eſt, quia in capitulis † Epheſini Cõcilij Zepherinus, Calixtus, Fabianus, & multi alij Papæ ſingulariter Epiſcopos vrbis Romę ſe nominant.

† In capitulis, hoc eſt i titulis ſiue inſcriptionibus epiſtolarum Decretalium, ipſorum.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad vniuerſalem iuriſdictionem vniuerſalis Eccleſiæ Epiſcopus dici debet: Sed quantum ad perſonalem adminiſtrationem, Epiſcopus Romanus debet appellari.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Papa ſuccedit Petro in perſonali adminiſtratione: Chriſto autẽ ſuccedit in officio, & vniuerſali iuriſdictione. Petrus autem, quamuis adminiſtrationẽ primo habuerit in

Antio-

Antiochia: vbi primo cathedram Epiſcopalem ſuſce E
pit. Poſtmodum tamen vno tempore,& vno die ſimul cū Beato Paulo in vrbe Romana glorioſa morte ſub Cæſare Nerone agonizans coronatus eſt: & pariter Romanam Eccleſiam Chriſto domino conſecrarunt: eāque omnibus vrbibus in vniuerſo mūdo ſua pręſentia,atque venerando triumpho prætulerunt. Vnde ſingulariter prima Apoſtoli Petri ſedes eſt Romana Eccleſia, non habens maculam, neque rugā,vt ſcribitur 21. diſt. cap. Quamuis. Quia vero Papa ſuccedit Chriſto in officio, & vniuerſali iuriſdictione: quia Petrus in perſona omnium ſummorum Pontificum recepit vniuerſalem iuriſdictionē à Chriſto: nō in vno loco,nec in vna gente ſingulariter: ſed vniuerſaliter in toto orbe. Iuxta illud Matth. 16. Tibi dabo claues Re-
gni cęlorum. & quodcunque ligaueris ſuper terram, F
erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis. Ideo Papa non ſolū habet iuriſdictionem Romæ: ſed vniuerſaliter in omnibus Eccleſijs,vnde dicit᷑ di. ſupra dicta. & cap. Quòd ſancta Romana Eccleſia,catholica,& Apoſtolica nullis ſynodicis inſtitutis cæteris Eccleſijs prælata eſt: Sed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri primatum obtinuit: Tu es (inquiens) Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Quātum ergo ad officium, & vniuerſalem iuriſdictionem Papa eſt Epiſcopus vniuerſalis Eccleſię. ſed quantum ad perſonalem adminiſtrationem ſingulariter eſt Epiſcopus vrbis Romæ, propter rationem iam dictam.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd non quælibet Eccleſia tali prærogatiua honorata eſt præſentia Beati Petri,cuius ſucceſſor Papa eſt in vita,& in morte: ſicut Romana Eccleſia. & ideo nec Papa quālibet Eccleſiam debet pręſentiali adminiſtratione in curam aſſumere, ſicut ciuitatem Romam.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa iuriſdictionem vniuerſalem recepit à Chriſto in perſona Petri. quia ſicut Chriſtus paſſus eſt pro omnibus, ita Papa vice Chriſti in omnes Chriſtianos iuriſdictionē Epiſcopalem habet. quia tamen perſonaliter ſuccedit Petro: ideo illius Eccleſiæ ſingularem adminiſtrationem habet, quæ ſui venerabilis corporis præſentia veneratur.

Ad tertium eſt dicendū, ꝙ vnus ſponſus non habet duas ſponſas eodem modo,& ſub eadem ratione. ſed bene Epiſcopus poteſt plures ſponſas habere ſecundum diuerſum gradum. ſic Papa eſt ſponſus totius Eccleſię quantum ad vniuerſalem iuriſdictionē, & ſingulariter Romanæ eccleſię,quantū ad adminiſtrationē.

ARTICVLVS V.

Vtrum Papa poſſit immediatè in qualibet Diœceſi, vel Parochia, quod poteſt Epiſcopus, vel Sacerdos.

Turrecrem. de Eccle. lib. 2. cap. 65.

AD quintū ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit immediatè in qualibet diœceſi, vel parochia, qđ poteſt Epiſcopus, vel Sacerdos. quia quando Epiſcopus committit curam Presbytero alicuius Parochiæ, exonerat ſe tunc à cura illius parochiæ, vt nihil vlterius ſe habeat ibi intromittere: Aliter graue onus remaneret ſuper eū niſi periculū remaneret ſuper Sacerdotem,cui cura eſt cōmiſſa. Vnde ſcribitur 3. Reg. 20. Cuſtodi virū iſtum, ꝙ ſi lapſus fuerit, erit anima tua pro anima illius. Ergo ſimiliter quando Papa committit Epiſcopatum alteri, exonerat ſe à cura illius Epiſcopatus, vt nihil vlterius ſe habeat intromittere: aliter magnum periculum, & importabile onus acciperet totius multitudinis curam aſſumens.

2 Pręterea: Sicut ſubditur Epiſcopus Archiepiſcopo: ſic Presbyter ſubditur Epiſcopo: ſed Archiepiſco-
G pus nihil poteſt ſupra illos, qui ſubduntur Epiſcopis. Vnde ſcribitur 9. quæſt. 3. cap. Archiepiſcopus. Archiepiſcopi nihil de Epiſcoporū cauſis, aut aliis cōmunibus aſſumant, ſine eorum conſenſu. Ergo ſimiliter Epiſcopi non poſſunt aliud de his, quę pertinēt ad Presbyteros. & per cōſequens nec Papa poteſt de his, quæ pertinent ad Archiepiſcopos, vel Epiſcopos, vel Presbyteros.

3 Præterea: Scribitur Act. 15. ꝙ Iacobus Epiſcopus Hieroſolimitanus, præſente Petro, dedit ſentētiam in ſua diœceſi de obſeruatione legalium dicēdo: Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis nihil imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorū, & ſanguine ſuffocato, & fornicatione. quod non feciſſet, ſi Petrus potuiſſet in ſua diœceſi, quod ipſe poterat.

H In Contrarium eſt, quia ordo, qui ſeruatur in poteſtatibus temporalibus, multo fortius ſeruandus eſt in poteſtatibus ſpiritualibus. ſed gloſſa ſuper illo verbo Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. ſic dicit, quòd maiori poteſtati magis eſt obediendum, quam minori. ſicut Proconſuli magis, quā Procuratori: & Imperatori magis, q̄ Proconſuli. ſimiliter magis obediendum eſt, Papæ, quàm Epiſcopo, & Epiſcopo magis, q̄ Presbytero.

R E S O L V T I O.

Papa immediatè poteſt in qualibet Dięceſi, vel Parochia quidquid poteſt Epiſcopus, vel Sacerdos. ipſe enim locum Petri tenet: Epiſcopi uerò loco Apoſtolorū: Presbyteri autem Diſcipulorum.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit gloſa Lucæ 10. Papa tenet locum Petri in Eccleſia: Epiſcopi vero locum Apoſtolorũ. Presbyteri vero locum. 72. Diſcipulorum: Abſurdum autem videtur, ꝙ Petrus non potuiſſet ſoluere, & ligare ſine auctoritate Apoſtolorum, vel Diſcipulorum, etiam in prouincijs, & parochijs eis deputatis: cum ſingulariter Petro fuerit dictum: Dabo tibi claues, & ipſi non niſi per vſum clauium poteſtatem ligandi, & ſoluendi haberent: eodem modo abſurdum eſt dicere, quòd Papa non poſſit ſoluere, & ligare in Diœceſi cuiuslibet Epiſcopi, & Parochia cuiuſlibet presbyteri: vel abſolutionem, & ligationẽ committere, quibus placet. Poteſt etiam in prouincijs, & Parochijs eis deputatis omnia facere p ſeipſum, vel per commiſſionẽ, quæ ipſi Epiſcopi, vel Presbyteri facere poſſunt: & adhuc amplius.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ falſum aſſumitur, eo ꝙ commiſſa parochia presbytero adhuc totius plebis cura remanet in poteſtate Epiſcopi. ſcribitur enim 10. quæſt. 1. c. Quæcunque res. Quæcunque res eccleſiaſticæ ſunt, conuenit cum omni diligentia, & bona fide quæ Deo debetur ſub iudicio, & poteſtate Epiſcopi gubernari, & diſpenſari: cui totius plebis animæ videntur eſſe commiſſæ. & Apoſtolus 2. ad Corint. xi. Poſtquam curam Corinthiorum com- A miſerat Apollo, dixit: Præter illa, quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea, quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Nec tamen Epiſcopus aſſumit graue periculum, & importabile onus: quia presbyteros tanquam inferioris ordinis aſſumit coadiutores. unde quando eos ordinat dicit: Quanto fragiliores ſumus, tanto his magis omnibus indigemus: per quorum auxilium exuitur à periculo, & oneratione: ſed non à poteſtate & iuriſdictione.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile. quia presbyterum ſubijci Epiſcopo de iure naturali eſt, & diuino: cum naturaliter omne imperfectum ſubdatur perfecto: vnde naturaliter Epiſcopus immediatam iuriſdictionem habet in parochia presbyteri: B cum poſſit ipſum coram ſe vocare, & excommunicare: Similiter Papa in quolibet Epiſcopatu, & in qualibet parochia. ſed Epiſcopum ſubdi Archiepiſcopo eſt de iure poſitiuo ex inſtitutione Eccleſiæ. Vnde nõ habet immediatam iuriſdictionem Archiepiſcopus in Epiſcopos ſuffraganeos ſuos, & in ſubditos eorũ, niſi in illis, in quibus Eccleſia ſtatuit.

AD tertium eſt dicendum quòd Iacobus protulit ſententiam auctoritate Petri. Quia, vt ibi dicit glo. cõuentus faciendus eſt Epiſcoporum ad diſcernendum ea, quæ ſunt fidei. hoc tamen non eſt niſi auctoritate Papæ: ſicut tunc conuentus Apoſtolorum eſt factus ſuper obſeruatione legalium auctoritate Petri.

QVAESTIO XX. DE MODI PRAESIDENDI EFFICACIA.

DEinde videndum eſt de modi præſidendi efficacia. Circa quod quæruntur ſex.

Primo, Vtrum Papa præſit Eccleſiæ per poteſtatem clauium.

Secundo, Vtrum Papa per poteſtatẽ clauium præſit ſpiritualibus, & temporalibus.

Tertio, Vtrum ſolus Papa habeat poteſtatem clauium.

Quarto, Vtrum in Papa poteſtas clauium ſit vna, vel plures.

Quinto, Vtrum in Papa poteſtas clauium ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis.

Sexto, Vtrum Papa in poteſtate clauium poſſit excedere, vel errare.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA PRAESIT Eccleſiæ per poteſtatem Clauium.

Turrecremata in Summa de Eccleſia, lib. 1. cap. 93. & lib. 2. cap. 77. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 20. q. 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non præſit Eccleſiæ per poteſtatem clauiũ. Quia clauis eſt oſtium aperire, vel C claudere: Sed cœli oſtium apertum eſt: iuxta illud Apocal. 3. Vidi, & ecce oſtium apertum erat in cœlo. Ergo Papa non præeſt eccleſiæ per clauium poteſtatem.

2 Præterea: Papa præeſt Eccleſiæ per ſolutionem, & ligationem peccatorum: Iuxta illud Matth. 16. Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in cœlis: Sed ligare, & ſoluere à peccatis, eſt ſolius Dei. Non ergo hoc pertinet ad Papam.

3 Præterea: Poteſtas clauium, vel eſt character, vel ſequitur characterem: Sed Chriſtus non fuit Sacerdos per impreſſionem characteris. Ergo non habuit D poteſtatem clauium: & per cõſequens nec Papa: quia, quod non habet principale agens, non habet inſtrumentale.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Papa eſt ſucceſſor Petri: ſed Petrus præfuit Eccleſiæ per poteſtatẽ clauiũ: Iuxta illud Matth. 16. Tibi dabo claues. Ergo ſimiliter Papa.

RESOLVTIO.

Papa ſucceſſor Petri, cui vita æternę clauigero, terreni, cęleſtiſque Imperij iura demandata ſunt, Eccleſię per poteſtatem clauium præeſt.

RESPONDEO, dicendum, q̄ Saluator humani generis in hunc mundum veniens primùm credentibus in eum regnum cęlorum promiſit per ſuum præconem. Matth. 3. Pænitentiam agite, appropinquabit enim regnum cęlorum: & per ſeipſum Matth. 6. Primum quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius. & hæc omnia adijcientur vobis. Ad introitum autem regni cœlorum ſeipſum poſuit oſtium. Iuxta illud Ioan. 10. Ego ſum oſtiū, ſi quis per me introierit, ſaluabitur. Clauigerum autem Petrum, & omnes ſucceſſores eius ordinauit. Iuxta illud, quod ſcribitur 22. di. cap. Omnes. ubi dicitur, q̄ Eccleſiam ſolus ipſe Chriſtus fundauit, & ſupra petram fidei mox naſcentis erexit: qui beato Petro ęternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cęleſtis imperij iura commiſit. Præeſt ergo Papa Eccleſiæ per poteſtatem clauium.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q̄ ſicut dicit glo. Apoc. 4. Oſtium viſum apertum in cœlo Chriſtus eſt: cuius myſteria ante eius incarnationem clauſa erant: poſtmodum vero aperta ſunt illis, qui fide, & opere credunt in eum. Quamuis ergo tale oſtium ſemper de ſe ſit apertum omnibus, quia per ſuam paſſionem pro peccato primorum parentum, quod erat obſtaculum claudens cœlum, vniuerſaliter ſatisfecit: clauditur tamen quotidie alicui, vel per peccati originalis contractionem: vel per peccati actualis perpetrationem: à quibus homo non ſoluitur, niſi poteſtate clauium incorporetur ſacramentis Eccleſię.

A D ſecundum eſt dicendum, q̄ per modum principij efficientis ſolus Deus ſoluit à peccato. per modū vero principij formaliter merentis Chriſtus peccata ſoluit: ipſe. n. claudit, & nemo aperit: aperit, & nemo claudit: vt dicitur Apoč. 3. Vnde ponit in eo poteſtas excellentiæ: quia poteſt effectum Sacramenti ſine Sacramento conferre. ſed per modum miniſtri inſtrumentaliter exequentis Papa, & alij miniſtri Eccleſiæ poſſunt ſoluere à peccatis.

A D tertium eſt dicendum, q̄ poteſtas clauium deriuata eſt in Papa ab ipſo Chriſto. vnde Chriſtus poteſtatem clauium habuit, ſuper excellenter tamen. Qualiter tamen differat à charactere, inferius dicetur.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA PER POteſtatem clauium præſit ſpiritualibus, & temporalibus.

Turrecremata in Summa de Eccleſia. lib. 2. cap. 113. & ſeq. & Aluar. de Planctu Eccl. lib. 1. cap. 13. & 37.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q̄ Papa per poteſtatem clauium non præſit ſpiritualibus, & temporalibus: Quia poteſtate clauium non aperitur niſi regnum cœlorum. poteſtas vero temporalis aperit regnum terrenum. Non ergo Papa præeſt temporalibus poteſtate clauium.

E 2 Præterea: De poteſtate clauium nō iudicatur homo pęna mortis temporalis. Immo efficitur irregularis homo indicans tali iudicio. Ergo poteſtate clauiū Papa non præeſt niſi ſpiritualibus.

3 Pręterea: Claues Eccleſiæ non corporales, ſeu temporales, ſed ſpirituales ſunt, vt dicitur 4. Sententiarum diſt. 18. nullum ergo poſſe ſuper temporalia poteſtate clauium recipit Papa.

IN CONTRARIVM eſt. Quia vnum corpus vnius capitis potentia regitur. Sed ſicut dicit Vgo lib. 2. de Sacramentis par. 2. cap. 3. Vnius corporis myſtici Eccleſiæ duo latera ſunt: quia ad dexteram ſunt Clerici, & ad ſiniſtram Laici. Non ad ſiniſtram illorum, quibus dicitur: Ite maledicti in ignem æternū: Matth. 25.
F ſed ad illam ſiniſtram, de qua dicitur Prouerb. 3. Longitudo dierum in dextera eius: & in ſiniſtra eius diuitiæ, & gloria.

RESOLVTIO.

Papam ſpiritualibus, & temporalibus per poteſtatem clauium præeſſe, quis ibit inficias? Duplex enim eſt vita: temporalis videlicet, & æterna. Hinc duplex regimen dari, neceſſe eſt.

RESPONDEO, dicendum, q̄ ſicut duplex eſt vita: temporalis, & æterna; ita duplex regimen animæ, & ſpiritualis naturæ deriuatur in corpora. Primo quidem in pręſenti vita temporali per virtuoſam operationem: quia deſeruiunt ipſa corporalia, G & temporalia animæ, & ſpirituali naturæ ad virtuoſa opera, tanquàm organa, & inſtrumenta: vnde dicitur 1. Politicorum: Sicut homo virtutibus perfectus, eſt optimum animalium: ſic ſeparatus à lege, et iuſtitia, eſt peſſimum omnium. Et Apoſtolus ad Romanos 6. dicit: Non exhibeatis membra veſtra arma iniquitatis peccato, ſed exhibete vos Deo tanquàm ex mortuis viuentes, & membra veſtra arma iuſtitiæ Deo. Regimen igitur ſpiritualis naturæ in præſenti vita temporali deriuatur in corpora per virtuoſam operationem: In uita vero ęterna deriuabitur in corpora per glorificationem: quia gloria animæ deriuabitur in corpora. Secundum quem modum loquitur Apoſtolus 1. ad Corinth. 15. quando dicit: Seminatur nunc corpus animale, ſurget corpus ſpirituale, ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Per poteſtatē ergo clauium, quę ſpiritualis eſt, Papa præeſt ſpiritualibus, & temporalibus membris eccleſiæ. H

Ariſt. 1. Polit c. 2. ſub finem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, quòd poteſtate clauium aperitur regnum cœlorum, & regnum terrenum, per eius inſtitutionem, & confirmationem, ſi rite, & iuſte adminiſtretur: & per eius depoſitionem, & condemnationem, ſi ab aliquo iniuſtè uſurpetur, vel malè adminiſtretur.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd poteſtate clauium nō iudicatur aliquis iudicio temporalis mortis immediata executione propter reuerentiam Sacramentorum, quæ uirtute clauium fidelibus Eccleſiæ adminiſtrantur: ſed immediata iuriſdictione omnę

rectum

rectum iudicium, quod fit io Eccleſia, datur clauium poteſtate.

A D tertium eſt dicendom, ꝙ claues in Eccleſia ſunt ſpirituales, quantum ad ſuos principales, & immediatos actus. Sed quantum ad ſecundarios, omnia corporalia, & ſpiritualia ſub poteſtate clauiom includuntur.

ARTICVLVS III.

VTRVM SOLVS PAPA HAbeat poteſtatem clauium.

Vide Blaſium Nauar. lib. 2. de ſacro Eccleſiæ Principatu cap. 6.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſolus Papa non habeat poteſtatem clauium. Quia poteſtas clauium eſt ligare, & ſoluere à peccatis. ſed talis poteſtas data eſt omnibus Apoſtolis, quorum perſonam repræſentant Epiſcopi, quando Ioan. 20. dictum eſt eis: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, &c. Nō ergo ſolus Papa habet poteſtatem clauium.

2 Præterea: Quod conuenit ſoli Christo, non conuenit Papæ: ſed ſolus Chriſtus habet poteſtatem clauium. Scribitur enim Apoca. 3. Hæc dicit, qui habet clauem Dauid ſanctus, & verus: qui aperit, & oemo claudit: claodit, & oemo aperit. Non ergo conuenit ſoli Papæ poteſtatem clauium habere.

C

3 Præterea: Papá non dicitur habere claues inferni. Ergo nec coouenit ei habere claues Regni Cęlorũ.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſoli Petro dictũ eſt Matth. 16. Tibi dabo claues Regni Cælorum.

RESOLVTIO.

Papa ſolus per immediatam commiſſionem, deriuationem, adminiſtrationemq; clauium habet poteſtatem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſingulariter ſolus Petrus dicitur habere claues. Per immediatam commiſſionem. Per immediatam deriuationem. Per uniuerſalem adminiſtrationem. Per immediatam qnidem commiſſiooem. Quia ſoli Petro, cuius ſucceſſor Papa exiſtit, claues ſunt commiſſę. Vnde dicit gl. Matth. 16. ſup illo verbo: Tibi dabo claues, ꝙ quia Regē cœlorum maiori præ cæteris confeſſione confeſſus eſt Petrus: merito præ cæteris ipſi collatis clauibus Regni Cœleſtis, ipſe dotatus eſt ab eo. Per immediatam vero deriuationem. quia poteſtas claoium ab eo † tanquam à capite io omnes Prælatos Eccleſiæ deriuari debet. Vnde dicit Chryſoſt. ſoper Matth. quòd quamuis ſoluendi, & ligandi poteſtas ſoli Petro à domino data videatur: omoibus tamen Apoſtolis data eſt. & onnc datur omnibus Epiſcopis, & presbyteris. Ideo tamen Petrus claues principaliter Regni Cœlorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, ꝙ quicunque

D

† vid. Blaſiũ Nauar. lib. 2. de ſacro Eccleſiæ principatu, cap. 15. & 16.

A ab vnitate fidei, vel ſocietate Petri quolibet modo ſemetipſos ſegregarent: tales oec à vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt Regni cœleſtis ingredi.

Per vniuerſalem autem adminiſtrationem. Quia ſolus ipſe in tota Eccleſia vniuerſaliter Chriſti Vicarius exiſtit. Vnde dicit gloſſa ſuper illo verbo Matth. 16. Tibi dabo claues; ꝙ ideo Petrum Chriſtus Principem Apoſtolorum cooſtituit: vt Eccleſia vnum principalem, & vniuerſalem ſuum Vicarium haberet, ad quem diuerſa membra recurrerent, ſi forte ab inuicē diſſentirent.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Apoſto-

B lis data eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi per deriuationem capitis: Caput autem Apoſtolorum fuit Petrus, & omnium Prælatorum Eccleſię caput eſt Papa. Ideo à Papa poteſtas clauium debet deriuari in omues Epiſcopos, & presbyteros Eccleſiæ.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſoli Chriſto conuenit claues habere quadam poteſtate excellentiæ: Illud tamen dictum Apoca. 3. quòd ipſe claudit, & nemo aperit. gloſſa expooit de clauſiooe, qua Limbũ Sanctorum Patrum ipſe clauſit, ne vltra illuc aliquis deſcendat: & de apertione, qua Paradiſum aperuit, remoto obſtaculo humanę naturę per ſuam paſſionem. tali namque modo claudere, & aperire non conuenit niſi ſibi.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum Auguſti-

C num 12. ſuper Geoeſ. cap. 33. Nuſquam legitur in ſacra Scriptura Infernus accipi in booum. econuerſo Paradiſus poteſt dici omnis regio, vbi animę benè eſt. Quamuis ergo eadem ſit clauis, qua alicui aperitur Cœlum, & clauditur Infernus: vel qua Infernus aperitur, & Cœlum clauditur: nominantur tamen claues Eccleſiæ potius claues Regni æterni, quàm Inferni: quia denominatio debet fieri à bono, non à malo: maxime cum bonum fortius ſit ad agendum, qoàm malum. propter quod Chriſtus loquens de poteſtate clauium dixit: Portę inferi noo pręualebunt aduerſus eã. Matth. 16.

ARTICVLVS IIII.

D

VTRVM IN PAPA POTEſtas clauium ſit vna, vel plures.

Turrecremata In Summa de Eccleſia lib. 1. cap. 93. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 20.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd in Papa poteſtas clauium non ſit vna, ſed plures. Quia Saluator Matth. 16. cum poteſtatem clauiū dedit Petro, cuius ſucceſſor eſt Papa, plurali uerbo uſus eſt dicens: Tibi dabo claues: & ſententia ſacræ Scripturę debet eſſe ſententia ooſtra, & ſibi ooſtra ſententia debet conformari: oec econoerſo. vt dicit Auguſtinus ſuper Geneſ. ad litteram lib. 1. cap. 18.

2 Præterea: In omni negotio requiritur ſcire, poſſe, & velle. Tres ergo claues debent eſſe in Eccleſia ſecundum iſta tria. E

3 Præterea: Clauis ordinis differt à claue iuriſdictionis: quia una poteſt eſſe ſine alia. Poteſtas ergo clauium in Papa non eſt vna: cum in eo ſit poteſtas ordinis, & iuriſdictionis.

IN CONTRARIVM eſt. Quia poteſtas capitis una eſt, qua præeſt uni corpori: Sed Eccleſia una eſt, cui Papa præeſt, qui eſt caput Eccleſiæ. Ergo poteſtas clauium Papæ non eſt niſi una.

RESOLVTIO.

Poteſtas clauium quantum ad ordinis poteſtatem, quamuis vna ſit; diffiniri tamen poteſt per plures actus, ad quos ordinatur: Ad actum videlicet abſoluendi, & ligandi: cognoſcendi, & diſcernendi, nec non exequendi. F

RESPONDEO, dicendum, ꝙ loquendo de poteſtate ordinis, quia Papa præeſt Eccleſiæ, mediante adminiſtratione Sacramentorũ: puta ꝙ in Papa, & in Epiſcopo, & in presbytero non eſt niſi una. Verum quia potentia non cognoſcitur niſi per actũ,
Te. c. 33. ut dicitur 2. de Anima. cum ab una potentia poſſint progredi plures actus ordine quodam; poteſtas clauium poteſt per plures actus diffiniri: ſicut ad plures actus talis potentia poteſt ordinari. ordinatur autem prædicta potentia ad tres actus. Primo ad actum abſoluendi, & ligandi. Secundo ad actum cognoſcendi, G
& diſcernendi inter dignos, & indignos. Tertio ad actum exequendi in tali, uel in tanta materia. Et iſti tres actus ponuntur in diffinitione clauis. Quæ ponitur 4. ſententiarum diſtin. 18. ubi dicitur, ꝙ clauis Eccleſiæ eſt poteſtas ſoluendi, & ligandi: & ſcientia, qua dignos debet recipere, & indignos excludere à regno Eccleſiaſticus Iudex.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Saluator uerbo plurali uſus eſt in collatione clauium; uel propter pluralitatem actuum concurrentium (ut dictũ eſt) uel quia ibi locutus eſt de poteſtate iuriſdictionis, quam ſingulariter, & actualiter Petro dedit: & de poteſtate ordinis, quam ſe daturum promiſit Ioan. 20. H
quando dixit ſibi, & alijs Apoſtolis: Accipite Spiritũ ſanctum, quorum remiſeritis peccata. &c.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa tria non arguunt pluralitatem in potentia, ſed in actibus. & conceſſum eſt, ad plures actus potentiam clauium ordinari.

Tertium vero argumentum ſoluetur ex quæſtione ſequenti.

ARTICVLVS V.

VTRVM POTESTAS CLAuium in Papa ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis.

Vide Iacobatium tract. de Concilio lib. 10. art. 7. verſ. Ex præmiſſis igitur. & ſeq.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ poteſtas clauium in Papa ſit poteſtas ordinis, & non iuriſdictionis. Quia poteſtas clauium eſt poteſtas ſpiritualis. ſed omnis poteſtas ſpiritualis datur in conſecratione ordinum. Ergo omnis poteſtas clauium in Papa eſt poteſtas ordinis.

2 Præterea: Eadem potentia eſt in Igne, qua calefacit, & diſſoluit. Ergo eodem modo eadem potentia clauium erit in Papa ordinis, & iuriſdictionis.

3 Præterea: Potentia perfecta ſtatim exequitur actum: ſed poteſtas ordinis non differt à poteſtate iuriſdictionis, niſi per executionẽ actus. Videtur ergo, quòd poteſtas clauium in Papa ſolum ſit poteſtas ordinis nõ differens à poteſtate iuriſdictionis, niſi quãtum ad executionem.

G IN CONTRARIVM eſt, quia corpus Chriſti verum, & myſticum non eſt idem: Sed poteſtas ordinis reſpicit corpus Chriſti verum, quæ habet eſſe in Papa, vt Sacerdos, vel Epiſcopus eſt. Poteſtas vero iuriſdictionis reſpicit corpus Chriſti myſticum, quæ habet eſſe in Papa, vt Papa eſt. Ergo poteſtas clauium in Papa, vt Papa, eſt magis iuriſdictionis, quàm ordinis.

RESOLVTIO.

Poteſtas clauium in Papa, vt Papa, eſt iuriſdictionis magis, quàm ordinis dicit poteſtatem: ſed in Papa, ut Sacerdos, uel Epiſcopus, non item.

H RESPONDEO, dicendum, quòd ſi verum eſſet dictum quorundam dicentium: poteſtatem clauium, vel importare Sacramentorum confectionem, vel ipſorum Sacramentorum adminiſtrationem in tanta, vel in tali materia: & quantũ ad primũ actũ dicere, vel importare poteſtatem ordinis: quantum vero ad ſecundum, poteſtatem iuriſdictionis; Tunc plena eſſet reſponſio. quia tunc omnis poteſtas clauium in Papa eſſet poteſtas ordinis. Nec in tali poteſtate clauium Papa differret à quolibet Epiſcopo, vel Sacerdote, niſi ſolum quantum ad vſum, & adminiſtrationem: quia Papa poſſet vti adminiſtratione Sacramentorum vniuerſaliter in tota Eccleſia: Epiſcopi vero, vel Sacerdotes non niſi in diœceſibus, & parochijs per Papam deputatis. ſed planum eſt quòd multa pertinent ad poteſtatem Papę pręter admini-

miniſtrationem Sacramentorum: ut negotia fidei determinare, ſicut patet 24. quæſt. 1. cap. Quotiens: & quæſtionibus, & litibus inſurgentibus in Eccleſia finem imponere. vt patet 21. diſt. cap. Decretales. beneficia Eccleſiaſtica diſpenſare, omnium Eccleſiaſticarũ dignitatum ordines ordinare, & communicare, vt patet 22. di. cap. Omnes. & multa alia facere, quæ non ſpectant ad vſum, & adminiſtrationem Sacramentorum. Ideo puto eſſe dicendum, quòd poteſtas clauiũ in Papa, vt Papa eſt: magis dicit poteſtatem iuriſdictionis, quàm ordinis. quod multipliciter patet. A

Primo quidem (ſicut ſupra dictum eſt) ſi aliquis eligatur in Papam, nullum ordinem habens, erit verus Papa: non quidem per poteſtatem clauium importantem poteſtatem ordinis: ſed ſolum per poteſtatẽ clauium importantem poteſtatem iuriſdictionis. B

Secundo, quia poteſtatem ordinis recipit Papa in conſecratione per characteris impreſſionem, quando fit Presbyter: vel per characteris perfectionem, quando fit Epiſcopus. ſed poteſtatem iuriſdictionis recipit per electionem, quando duabus partibus Cardinaliũ concorditer eligitur: Vnde Chriſtus eligendo Petrũ Paſtorem Eccleſiæ, dedit ſibi ſingularem poteſtatem clauium, vt dicit iuriſdictionem: quando dixit: Tibi dabo claues. Sed poteſtatem clauium, vt importat ordinis conſecrationem, tradidit ſibi ſimul cum alijs: quando dixit: Accipite Spiritũ ſanctum, &c. Ioan. 20. (Mat. 16.)

Tertio, quia poteſtas ordinis data eſt Sacramento: ita vt tantum Papa poſſet mediante ſacramento, quantam poteſtatem Chriſtus dedit ſacramento: Poteſtas vero iuriſdictionis data eſt officio: ita vt tantum Papa poſſit mediante Papali officio, quantam poteſtatẽ Chriſtus dedit officio. Puto ergo, quòd poteſtas clauium in Papa, vt Papa magis dicit poteſtatem iuriſdictionis, quàm ordinis: licet iſta ordinetur ad illam.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ non omnis poteſtas clauium datur in conſecratione. quia iuriſdictio ad clauium poteſtatem pertinet, & tamen nõ datur in conſecratione: ſed potius in electione.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ poteſtas ordinis, & iuriſdictionis vel importat diuerſas poteſtates, vel ſaltem diuerſos actus, quorum vnus poteſt eſſe ſine alio.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ iuriſdictio in Papa aliud importat, quàm executionem poteſtatis ordinis. & ideo importat alium actum, vel aliã potẽtiam. D

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA IN POteſtate clauium poſſit excedere, vel errare.

Vide Doctores citatos in præcedentibus articulis huius queſtionis.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in poteſtate clauium non poſſit excedere, vel errare. Quia in eo, quod eſt infinitum, non poteſt eſſe exceſſus: ſed poteſtas clauium in Papa eſt infinita. Ergo in ea poteſt eſſe exceſſus.

2 Præterea: Exceſſus eſt vſurpando poteſtatem alterius: ſed Papa non poteſt alterius poteſtatem uſurpare, cum ſit Dominus omnium. Ergo non poteſt in poteſtate excedere.

3 Præterea: Eccleſia non poteſt errare, vt patet 24. quæſt. 1. cap. A recta, ſed Papa eſt caput Eccleſiæ. Ergo non poteſt errare in claue ſcientię.

In Contrarium eſt commune dictum Doctorum, ꝙ Papa omnia poteſt, claue potentiæ non excedente; claue ſcientiæ non errante.

RESOLVTIO.

C *Papa in claue potentia, & ſcientia, cuius uſus à Deo dependet, non niſi per accidens errare poteſt: ſicut per accidens, et naturaliter uirtutibus abuti poteſt, formaliter verò non item.*

Respondeo, dicendum, quòd ſic eſt loquendum de poteſtate clauium, ſicut loquimur de virtutibus. ſecundum autem Auguſtinum circa finem libri ſecundi de libero arbitrio cap. 19. In virtutibus non poteſt fieri exceſſus; nec eis homo poteſt male vti. quod eſt verum per ſe, & formaliter: per ſe quidem omnis vſus virtutis eſt bonus: formaliter vero quia cum ipſa uirtus ſit quædam qualitas formaliter bona, iuxta illud Auguſtini eodem loco: Virtus eſt bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nemo malè utitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur. ſicut à forma caloris non procedit niſi calor formaliter: ſic à forma uirtutis non procedit niſi bonum formaliter, & opus virtuoſum: ſecundum quẽ modum loquitur Philoſophus 2. Ethi. quando dicit: Virtus eſt, quæ habentem perficit, & opus eius bonum reddit. Per accidens tamen, & materialiter virtutibus homo poteſt male vti: Per accidens quidem, quia ſicut, ſi aqua calefacta ponatur ad uentum, citius congelatur, quàm ſi ponatur ibi aqua frigida: eo ꝙ aqua calefacta eſt magis rarefacta, & aperta in poris, & eo magis ſubintrat frigus per aperturas illas ad cõgelandã ipſam: ſic, ſi virtutes exponantur vento, vt homo velit de eis vanã gloriã habere, male vtit eis. ſecũdum quẽ modũ loquitur Gregorius de fatuis virginibus

(Tomo 1.)

(Ariſt. lib. 2. Eth. c. 6.)

(Aqua calefacta cur citius ad uentum poſita congeletur, quàm frigida.)

(Virtutibus quõ abuti poſſit homo.)

nibus quando ait Hom. 12. Quòd dum virginitate ſua gloriam foris expetunt, in vaſis ſnis oleum habere noluerunt. Materialiter vero: Vt, ſi quis polleat magnitudine virtutum, & exinde accipiat materiam ſuperbiendi, & violentiam contra iuſtitiam faciendi, virtutibus talis male vtitur materialiter. Sicut ergo dictũ eſt de virtutibus: ita quoq; dicendum eſt de poteſtate clauium reſpectu Papæ. Quia cum talis poteſtas ſit ſibi à Deo collata, nõ poteſt in ipſa excedere, vel errare, vel ea male vti per ſe, & formaliter: quia omnis vſus clauis potentiæ rectus, & iuſtus eſt, cum ab illo ſit deriuata, qui inſtus eſt, & rectum iudicium eius. Similiter omnis vſus clauis ſcientiæ verus, & rationabilis eſt, cum ſit deriuata ab illo, qui eſt via, veritas & vita: Sed per accidens, & materialiter Papa, & in claue potentię poteſt excedere: & in claue ſcientiæ poteſt errare modo, quo dictum eſt ſupra de virtutibus.

E

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in potentia Papę, quæ eſt infinita, non poteſt eſſe exceſſus, quãtum ad rectum vſum iuſtitiæ: quia nunquàm talis potentia exhauritur vtendo ipſa ſecundum rectum vſum iuſtitiæ, & æquitatis. Similiter clauis ſcientiæ nũquam obliquatur vtendo ipſa ſecundum rationabilem vſum veritatis.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa non poteſt vſurpare poteſtatẽ alterius per ſuæ poteſtatis uſum; cum eius potentia ad omnia ſe extendat; Sed poteſt vſurpare poteſtatẽ alterius per ſuę poteſtatis abuſum.

F

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Eccleſia non poteſt errare, qnia ſi vnus † ſolus catholicus remaneret, ille eſſet Eccleſia. Vel Eccleſia non poteſt errare vtendo claue ſcientiæ ſecundum rationabilem vſum, & ſecundum intellectum, quo inſpirata eſt.

† Vide Blaſiũ Nauar. lib. 1. cap. 1. de ſacro Eccleſiæ principatu.

QVAESTIO XXI. DE PAPAE RESIDENTIA.

VLterius conſiderandum eſt de Papa reſidentia. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa debeat ſemper Romæ reſidere.

Secundo, Vtrum Papa debeat in patria reſidere, vnde eſt oriundus.

Tertio, vtrum Papa debeat magis diſcurrere per mũdum, quàm in vno loco reſidentiam facere.

Quarto, Vtrum Papa, tempore perſecutionis Antichriſti, ſolum Romana Sedes ſit relinquenda.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA DEBEAT ſemper Romæ reſidere cũ ſua curia.

De quæſtione huius articuli luculenter agit Turrecre. in cap. Rogamus. 24. q. 1. Vide Aluarum de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 32.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa nõ debeat ſemper Romæ reſidere cum ſua curia: quia Papa omnia poteſt. Ergo vbi placet, ibi poteſt reſidentiam facere.

2 Præterea: Papa eſt Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ (vt ſupra dictum eſt.) Ergo in qualibet Eccleſia poteſt reſidere.

3 Præterea: Papa non arctatur tempore, vt magis poſſit uno tempore, quàm alio. Ergo non debet arctari loco, vt magis teneatur in vno loco reſidere, quàm in alio.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Papa ſingulariter eſt Romanus Epiſcopus: ſed ſicut vir non debet adulterare ſuam vxorem: ita nec Epiſcopus Eccleſiam ſuam, vt illam dimittat, vt habentur 7. quæſtione 1. cap: Sicut uir.

G

RESOLVTIO.

Papa nõ neceſſariò, ſed congruè Romæ reſidere debet ob triplicem prærogatiuam, cum ipſe ſit Vicarius illius, cuius ſedes cœlum, & terram implet.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ, vel quæritur de neceſſario, vel de congruo. Si de neceſſario; Papa nõ neceſſitatur reſidere in aliquo determinato loco. quia Vicarius eſt illius, cuius ſedes cœlum eſt, & terra ſcabellum pedũ eius, vt ſcribitur Iſaiæ. 66. Implet enim cœlum, & terrã ſua poteſtate, & iuriſdictione: vt ſcribitur Hiere. 23. Sed ſi quæritur de congruo: multum conueniens eſt, vt Romę Papa communiter ſuam reſidentiã faciat. Habet enim Romana Sedes ſuper alias Eccleſias triplicem prærogatiuam.

H

I

Primo, Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum corporalem pręſentiam. Vnde ſcribitur in capitulis Epheſini Concilij: & ponitur 2. quęſt. 7. c. Beati, † ꝙ in vrbe Romana Petrus, & Paulus martyrium pertulerũt, quę principatum, & caput obtinebat nationũ: vt vbi erat caput ſuperſtitionis, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi Gentilium Principes habitabant, illic Eccleſiarum Principes * morarentur.

Secundo, habet ſingularem excellentiam. Vnde dicitur in eiſdem capitulis † quòd non ſine cauſa factũ eſſe putamus, ꝙ Sancti Apoſtoli paſſi ſunt vna die, & in uno loco, atque ſub vno perſecutore: quia dies datus eſt eis pro merito: locus pro gloria, & perſecutor decretus eſt eis pro uirtute: & ſuper illo verbo ad

† cap. Beati. ſumptũ ex B. Ambroſio ſermone 66. de Natali Petri, & Pauli.

* al. morerentur.

† In dicto c. Beati. 2. q. 7.

Roma. 1.

Rom. 1. Omnibus qui ſunt Romę ſalutẽ, dicit gloſſa, ꝙ Paulus ſingulariter Romam nominat: quia licet quondam fuerit magiſtra erroris: per prędicationem tamen Apoſtolorum facta fuit* Diſcipula veritatis.

* al. diſcipliua.

Tertio, habet ſingularem conuenientiam. in nulla enim patria Papa poteſt vti tanta libertate, & tanta iuriſdictionis poteſtate, nec tantam pro populo Chriſtiano facere vtilitatem, ſicut Romę: & in patrimonio Beati Petri: Reſidendo enim in alia patria ſupponit ſe ſub dominio Regum, & Principũ: & ſic vel timore, vel amore non liberè poteſt vti iuſtitia, & æquitate: ſed cogitur ab ipſa deuiare. Sed cum præſit Romæ Papa, & in partibus Italiæ per immediatam adminiſtrationem temporalibus, & ſpiritualibus, in nulla patria poteſt vti ſuo dominio vniuerſaliter, ſicut ibi, nec tantam vtilitatem pro populo chriſtiano facere, cum ſit patria maioris affluentiæ, & maioris conuenientię pro conueniẽtibus ad eius curiam, quàm aliqua alia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd licet Papa omnia poſſit: hoc tamẽ debet velle, & poſſe quod iuſtitia requirit, & laudabilis conſuetudo: Non enim poſſumus aliquid contra ueritatem, ſed pro veritate: vt dicebat Apoſtolus 2. ad Cor. 13. & Auguſtinus in de ieiunio diei ſabbati ait: In his rebus, de quibus nihil certum ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, vel inſtituta maiorũ pro lege tenẽda ſunt; de quibus ſi diſputare voluerimus, & ex conſuetudine aliorum alios improbare, orietur indeterminata luctatio in Eccleſia Dei.

Tomo 2. Epiſt. 86. Vide cap. illa autem. & cap. omnia. diſt. 13.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Papa eſt Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ per vniuerſalem iuriſdictionem: ſed Epiſcopus Romanus eſt per ſpiritualiũ, & temporaliũ immediatam adminiſtrationem. Ideo magis indiget pſentia ſua, quàm aliqua alia Eccleſia.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non arctatur loco per neceſſitatem, ſed arctatur per congruitatem. & etiam quantum ad neceſſitatem ex parte ſubditorum: quia ſubditi eius non habentes alium Dominũ in temporalibus, niſi eum multis periculis, & multis rebellionibus, atque multis bellicis diſcriminibus exponuntur per ipſius Papæ præſentiæ carentiam: ſicut experientia docet.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA IN PAtria, vbi eſt oriundus, debeat reſidere.

Huc ſpectant tradita per Turrecrematam, & alios in c. Rogamus 24. q. 1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in Patria, vnde eſt oriundus, debeat reſidere. Quia Papa debet eſſe imitator Chriſti, cuius Vicarius exiſtit: ſed Chriſtus reſidentiam fecit in Iudęa, vnde oriundus erat. Ergo Papa in hoc debet ipſum imitari.

2 Præterea: Papæ debet potius eſſe cura de domeſticis, quàm de alijs: quia qui ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior: vt ſcribitur 1. ad Timo. 5. Magis ergo Papa deberet reſidere cum domeſticis, & notis in propria patria, quàm in aliena.

3 Præterea: Gratia non deſtruit naturam, ſed perficit. Vnde Paulus poſtquam vocatus eſt ad Apoſtolatum, dixit ad Roma. 11. Quamdiu ſum Apoſtolus gẽtium, miniſterium meum honorificabo: ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnẽ meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. Magis ergo Papa in patria propria, quàm in aliena debet reſidere.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur ad Gala. 1. de Paulo. quòd poſtquam vocatus eſt ad Apoſtolatũ, continuo non acquieuit carni, & ſanguini, vt vellet inter notos cõuerſari, ſicut exponit gloſsa: ſed abijt in Arabiam, & iterum reuerſus fuit Damaſcum.

RESOLVTIO.

Papa in Patria, vbi oriundus eſt, reſidere non debet, ob contemptum, qui ex nimia familiaritate, eius generis cognitione, ac inuidiæ æmulatione naſci ſolet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut ſcribitur Ioan. 4. Ipſe Saluator humani generis teſtimonium perhibuit, ꝙ Propheta in ſua Patria honorem non habet: duobus enim diebus ſtetit in Samaria, & multa miracula fecit, & multo tempore conuerſatus eſt in Galilæa, vnde ortus erat, & pauca miracula ibi fecit propter incredulitatem eorum. Quare autem Propheta, ſeu Prælatus habeatur in contemptu, & deſpectu in propria Patria, quantum ad pręſens ſpectat, triplex ratio poteſt aſſignari. Prima, propter familiarem conuerſationem. Nimiam enim familiaritas cõtemptum facit, ſeu parit. Vnde dicit gloſsa Lucæ. 4. ſuper illo verbo: Nemo Propheta acceptus eſt in Patria ſua; ꝙ contemnuntur quodam modo ſemper etiã optima quæque; quando non raro contingunt alicui, ſed ſuppetunt ad velle. Et ſic etiã contingit in hominibus: quia familiaritas, quæ ſemper pręſto eſt, debita reuerentia priuatur à notis eius. Secunda, propter generis eius, & parentelæ cognitionem. Vnde ſuper illo verbo Matth. 13. Vnde huic ſapientia, & virtutes? nonne hic eſt fabri filius: nõne mater eius dicitur Maria: fratres eius Iacobus, & Ioſeph? Dicit glô. Hieronymi: Non conſiderabant Iudæi præſentia opera: ſed fragilem recordabantur infantiam. Contemnebatur etiã ab eis vilitas originis, quæ ſæpe conſueuit contemni: iuxta illud: Quis eſt filius Iſai? ſed humilia reſpicit Dominus, & alta à longe cognoſcit. Tertia, propter inuidiæ æmulationem: quia vt dicit glo. Marci. 6. Naturale eſt, ciues ſemper ciuibus inuidere. Vnde Hieremias, cæterique Prophetæ, minores ſemper in Patria ſua habiti ſunt, quàm in cæteris ciuitatibus. Cui conſonum eſt quod dicit Philoſophus in Rhet. vbi ait, ꝙ propinquis tempore, loco, & ætate magis inuidemus, quàm alijs. Ex qua cauſa ſcribitur Gen. 37. quòd ſomnium Ioſeph inuidiæ, & odij inter eum, & fratres ſuos fomitem miniſtrauit.

1. Reg. 25. Pſal. 137.

Ariſt. 2. Rhetho. cap. de Inuidia.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus in Iudæa habitauit: quia primo Iudæis prædicare venerat: Iuxta illud Matthæi 15. Nō ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt, domus Iſrael. Super gentes autem poteſtatem accepit per crucis uictoriam. Iuxta illud Apoca. 2. Qui vicerit, dabo ei poteſtatem ſuper gentes, ſicut & ego accepi a patre meo. Nec tamen in Iudæa communiter conuerſatus eſt in patria, vnde erat oriundus; ſed in alijs locis *circumiacentibus.

al. circum adiacentib.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Apoſtolus ibi loquitur de cura domeſtica, quantum ad ſubuentionē parentum in opportunis neceſſarijs: quā homo propter prælationis officium prætermittere non debet.

AD tertiū eſt dicendum, ꝙ gratia non deſtruit naturam: ſed operatur ſupra naturā: quia licet dilectioni naturali ſacra eloquia non contra dicant: Aliud tamen eſt, quod ſponte impenditur naturę, & aliud eſt, quod ex charitate debetur obedientiæ: Vnde Paulus non prouocabat ad æmulandum carnem ſuam ex familiari conuerſatione: ſed magis ex charitatiuā dilectione, & uirtuoſa operatione.

ARTICVLVS III.

UTRUM PAPA MAGIS debeat diſcurrere per mundum, quàm in vno loco reſidentiam facere.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa magis debeat diſcurrere per mundū, quā in vno loco reſidentiam facere: quia ſcribitur Matth. 4. quòd circumibat Ieſus totam Galileā docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni. Exemplo ergo Chriſti Papa debet diſcurrere per mundum, & non in vno loco reſidere.

2 Præterea: Papa eſt ſponſus vniuerſalis eccleſiæ, ſicut Epiſcopus eſt ſponſus ſuæ diœceſis. Sed ſcribitur 10. q. 1. c. Decreuimus. Annis vicibus ab Epiſcopis Eccleſiæ viſitentur. Ergo ſimiliter Papa tenetur ſingulis annis per mundum diſcurrere ad viſitandum.

3 Prĕterea: Papa debet eſſe imitator Chriſti. ſed Chriſtus Turbis uolentibus eum detinere, dixit Lucæ 4. Alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei: quia ad hoc miſſus ſum.

IN CONTRARIVM eſt. quia vita contemplatiua melior eſt actiua. Papa ergo potius in loco vno debet reſidere contemplationi inſiſtens, quàm diſcurrere, actiones ſubditorum perſcrutando.

RESOLVTIO.

Papa non per ſe ipſum, ſed per ſuos Miniſtros vniuerſum Mundum debet uiſitare, exemplo Chriſti, qui Apoſtolos, & Diſcipulos ad hoc faciendum deſtinauit.

E RESPONDEO dicendum, ꝙ Papam per Mundum diſcurrere, poteſt intelligi dupliciter. Primo per ſeipſum præſentia corporali. Secūdo per ſuos Miniſtros, ſua potentia virtuali.

Primo modo non: ſed potius Romæ, vbi caput eccleſiæ Chriſtus ſtatuit quieſcendum, ipſe debet corporalem reſidentiam facere. quamuis enim ipſe Chriſtus perſonaliter ipſam Romam nō elegerit, vt illam ſua præſentia per eius prædicationem, & paſſionem honoraret: voluit tamen illam ſublimare præſentia beati Petri, cui claues Eccleſiæ tradidit, & omniū ſucceſſorum ſuorum. Vnde ſcribitur in ſermone Epheſini concilij, quòd ſi Chriſtus maximam Romam elegiſſet ciuitatem, propter potentiam ciuium mutationem orbis terrarum homines putarent: Si uero filius F Imperatoris fuiſſet, vtilitatem eccleſiæ poteſtati aſcriberent: ſed vt diuinitus cognoſceretur, orbem transformaſſe terrarum, pauperculam elegit matrem, & pauperiorem patriā, deiectos autem miniſtros. Vt tamen ſuam poteſtatem magis oſtenderet in ipſa Roma, quæ caput erat orbis terrarum, caput eccleſiæ ſuæ ſtatuit in ſignum perfectæ victoriæ, vt exinde fides deriuaretur ad vniuerſum mundum. Et ſic impletum eſt illud Eſaiæ 26. Ciuitatem ſublimem humiliabit, & conculcabit eam pes pauperis (puta Chriſti) & greſſus egenorum, id eſt Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Sed ſecundo modo ſic: quia per ſuos miniſtros ſua potentia virtuali uniuerſum mundum debet viſitare, exemplo Chriſti, qui primo Apoſtolos, & poſtmodum 72. ad eruditionem plebis deſtinauit. & exemplo Moyſi, qui plures coadiutores ad terminanda facilia negotia populi ordinauit: difficilia vero ad ſuā præſentiam deferenda ordinauit. Vt patet Exodi 18.

Et ſic patet reſponſio ad rationes in contrarium.

ARTICVLVS IIII.

UTRUM TEMPORE PERſecutionis Antichriſti ſolum Romana ſedes ſit Papæ relinquēda.

Vide Dominicum Sotum lib. 4. ſent. diſt. 47. quæſt. 1. art. 1. & 2.

H AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd tempore perſecutionis Antichriſti, Papæ non ſolū ſedes Romana ſit relinquenda. Quia Antichriſtus non prædicabit niſi in patria, vbi Chriſtus prædicauit. Naſcetur enim in Babylone ex fornicatione, vt Damaſce. dicit. Propter perſecutionem ergo Antichriſti alia eccleſia non deſolabitur.

Lib. 4. de fi. ort. c. 27.

Præterea: Secundum Chriſoſt. ſuper illo verbo Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam; Eccleſia numquam deficiet. vnde non dixit: non appropiabūt ei, ſed nō præualebunt. Quia impugnabitur eccleſia, ſed vinci, nō poterit. tēpeſtates ſuſcipiet, ſed nō demergetur: iacula mittētur in ipſam, ſed nō perforabitur.

Matth. 16. To. 3. In ſer. de Pentec.

Præ

3 Præterea: Secundum eundem Chryſoſt. in Homilia de Pente. Eccleſia, de qua cura eſt Deo, & cuius Paſtor Papa eſt, non eſt muris circundata: ſed fide circumſepta. ſed talis eccleſia deficere non poteſt: quia dictum eſt Petro Lucæ 22. cuius Papa ſucceſſor eſt: Ego pro te rogaui Petre, ne deficiat fides tua. (Tomo 3.)

In Contrarium eſt glo. 2. Theſſa. 2.

RESOLVTIO.

Antichriſti tempore Eccleſia expugnabitur, ſed non deſolabitur. hinc Papa tunc temporis Romana Sedes relinquetur.

Respondeo, dicendũ, ꝙ ſuper illo verbo 2. Theſ. 2. Niſi uenerit diſceſſio primum, & reuelatus fuerit homo peccati: dicit glo. ꝙ ante Antichriſti aduentum erit triplex in mundo diſceſſio. quia primo erit omnium hominum ſeparatio à Romano Imperio. Secundo erit multorum chriſtianorum diſceſſio à fide catholica. Tertio erit ſeparatio multarũ eccleſiarum à Romano Pontifice. De prima diſceſſione dicit gloſa ſuper illo verbo Daniel. 7. Beſtia quarta regnum quartum erit in terra: quod eſt maius omnibus regnis, & deuorabit vniuerſam terram. Porro cornua decem in capite beſtiæ, decem Reges erũt. qđ regnum maius eſt omnibus, regnum Romanorum. Per decem vero cornua intelliguntur decem regna, in quæ diuidetur Romanum imperium tempore Antichriſti: quia tẽpore diuiſionis prędicti regni, & de ipſis regnis, in quæ diuidetur, orietur Antichriſtus.

A De ſecũda uero * diuiſione à fide catholica. habetur 1. ad Timo. 4. vbi Apoſtolus ait: Spiritus autẽ manifeſte dicit, ꝙ in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dęmoniorum loquentium mendacium. Super quo uerbo dicit glo. ꝙ ſignantes dicit, quidam; Quia notabiles, & magni viri erunt, qui tunc diſcedent à fide catholica. (* al diſceſſione.)

De tertia uero diſceſſione à Romano Pontifice habetur 1. Ioan. 2. vbi loquens Ioannes in perſona Romanę Eccleſiæ iam derelictę à ſuis membris dicit: Ex nobis prodierunt, ſed ex nobis non erant. quia ſi fuiſſent ex nobis, permãſiſſent vtique nobiſcũ: Illo enim

B tempore, vt gloſſa dicit, particulares eccleſiæ vndique per orbem diffuſæ ſubtrahent ſe ab obedientia Romani Pontificis: ita vt pauci ei obediant, & Papa tunc temporis circa partes Romanas ſe recludet cum paucis, alijs ab eius obedientia ſubtractis.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Antichriſtus per dæmonum miniſterium, & ſuos miniſtros procurabit Eccleſiæ deſolationem vbique terrarum: Vnde ſcribitur Danielis 8. Ipſe robuſtos, & populos Sanctorum interficiet.

C Ad ſecundum, & tertium eſt dicendum, quod Eccleſia non deficiet vniuerſaliter. Expugnabitur quidem, ſed non deſolabitur. multa etiam membra eccleſiæ, quæ ex perſecutione Antichriſti recedent à fide, ipſo interfecto, ad fidem conuertentur.

QVAESTIO XXII. DE PAPAE OBEDIENTIA.

Deinde conſiderandũ eſt de Papa obedientia. Circa quam triplex occurrit conſideratio.
Primo de obedientia Chriſtianorum.
Secundo de obedientia Paganorum. D
Tertio de obedientia Iudæorum.

Circa primum quæruntur ſeptem.

Primo, *Utrum Chriſtiani Papæ in omnibus teneantur obedire.*

Secundo, Utrum Papæ teneantur obedire Laici Chriſtiani, ſicut Clerici.

Tertio, Utrum Papæ Chriſtiani Laici magis teneantur obedire, quàm Imperatori, vel Regi.

Quarto, Utrum Papæ ſerui Chriſtianorum magis teneantur obedire, quàm proprijs dominis.

Quinto, Utrum Papa ſeruos Chriſtianorum poſſit à ſeruitute eximere, & libertati reddere.

Sexto, Utrum Papa Chriſtianos liberos poſſit ad ſeruitutem damnare.

Septimo, Utrum Papa Chriſtianos exiſtentes ſub dominio infideliũ debeat ab eorũ dominio ſubtrahere.

ARTICVLVS I.

UTRUM CHRISTIANI teneantur obedire Papæ in omnibus.

D. Thomas 2. 2. q. 104. art. 5. Et quodl. 10. ar. 10. Et 2. ſent. d. 34. ar. 6. D. Bonau. d. 44. ar. 3. q. vlt. Ric. d. 44. q. vlt. Aegid. columm. Rom. 2. ſent. d. 44. q. 2. art. 3. Dur. d. 44. q. 4. Aluarus de Planctu Eccl. lib. 1. cap. 7.

Ad primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ Chriſtiani in omnibus teneantur obedire. Scribitur enim ad Coloſſen. 3. Filij obedite parẽtibus veſtris per omnia. Multo ergo magis in omnibus tenemur obedire Papę. quia, vt ſcribitur ad Hebr. 12. Si patres quidem carnis no-

ſtræ

ſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: multo magis obtẽperabimus patri ſpirituũ, & viuemus.

2 Prætetea: Inferior nõ debet de ſuperiori iudicari: quia maiores a minoribus iudicari non poſſunt: Vt ſcribitur 21. diſtin.c. ſubmittitur. Non ſpectat ergo ad ſubditos chriſtianos iudicare, vel diſcernere, in quibus debeant obedire Papæ, vel non.

3 Præterea: Papa eſt prælatus omnium chriſtianorum. ſed beatus Benedictus dicit in regula ſua: quòd ſi prælatus præcipiat impoſſibile, ſubditus debet tentare implere.

In Contrarium eſt. Quia, vt ſcribitur Act. 5. obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Si ergo Papa mandaret aliquid contra Deum fieri, ſibi non eſſet obediendum.

RESOLVTIO.

Papa in ijs, quæ ad ius poſitiuum ſpectant, ſemper eſt obediendum; in ijs vero, quæ contra ius diuinum, & naturale præcipiuntur, non item.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ illa, quæ Papa præcipit: vel clauduntur ſub iure naturali, vel ſub iure diuino, vel ſub iure poſitiuo: Si clauduntur ſub iure diuino, non eſt obediendum Papæ, ſi mandaret aliquid contra illa: puta ſi præciperet quòd creatura aliqua honore latriæ adoraretur, vel ꝙ nomen Dei in vanum aſſumeretur: aut ꝙ tempus deditum in cultũ Dei ſibi ſubtraheret; ſibi nõ eſſet obediẽdum: immo fortiter reſiſtendum. Si aũt clauduntur ſub iure naturali: & Papa mãdaret aliquid contra illa fieri, vt fornicari, furari, vel innocentem occidere, vel quod homo non comederet, vel quòd matrimoniũ non contraheret, ſimiliter in talibus ſibi obediendum nõ eſt. Sed ſi illa, quæ præcipit, claudũtur ſub iure poſitiuo; cum omne ius poſitiuum ab ipſo dependeat, vel per immediatam editionem: vt ius canonicum: vel per confirmationem, & approbationem: vt ius ciuile: tũc ſicut eius eſt omnia præcepta iuris poſitiui condere, & confirmare, ſeu interpretari: ita eius eſt omnia tollere in toto orbe, vel in parte. Vnde in talibus ſi aliquid mandat contra ipſa, vel aliter interpretaretur, quàm ſcripta ſint; ſibi obediendum eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ nec patri carnali, nec patri ſpirituali abſolutè, & ſimpliciter eſt in omnibus obediendum: ſed in illis dumtaxat[1], quæ pertinent ad patris carnalis ſubiectionem, & patris ſpiritualis reuerentiam, & honorem.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſubditus non debet iudicare, vel diſcernere, an debeat obedire Papæ, ſi præcipiat illa, quæ ſunt ſecundum Deum, & ſecundum illa, quæ conſueta ſunt obſeruari in religione chriſtiana conſona iuri diuino, & iuri naturali. ſed ſi notabiliter præciperentur inconſueta, & diſſona a præceptis Dei, & præceptis legis naturæ; cum Papa ſic præcipiendo eſſet infidelis, ſeipſum iudicaret. quia qui non rectè credit, iam iudicatus eſt. Ioan. 3.

E AD tertium eſt dicendum, quòd beatus Benedictus loquitur de obedientia perfecta. vt cadit ſub cõſilio, & reſpectu prælati inferioris: ſecundum quã obediendum eſt prælato in omnibus, quæ poſſunt fieri ſine peccato. Planum eſt enim, quòd ſi Abbas præciperet, vt Monachus iaceret ſuper nudam terram, licite poſſet reclamare ab illa obedientia. quia non eſt conſuetum in regulari obſeruantia fieri. Reſpectu tamen vniuerſalis obedientiæ prælati, ſicut eſt Papa, nulla reclamatio admittitur: dummodo non præcipiat diſſona à præceptis Dei, & legis naturæ. Obedientia perfecta.

ARTICVLVS II.

F *VTRVM CLERICI, ET LAICI eodem modo teneantur obedire Papæ.*

Vide Gratianum, & ibidem Turrecram. & alios. 93. diſtin. in Summa.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Clerici, & Laici eodem modo teneantur obedire Papæ. quia filij eodem modo tenentur parere mandatis patris. ſed tam laici, quàm clerici eodem modo ſunt Dei filij, cuius Papa uicarius exiſtit. Iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis

G poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Eodem ergo modo tenentur Papæ obedire.

2 Præterea: Nullus eſt exemptus à dominio Dei. Sed Papa eſt vicarius Dei in terris. Non ergo magis eſt exẽptus a Dominio Papæ Laicus, quàm Clericus.

3 Præterea: Illi tenentur magis obedire Papæ, in quibus eſt maior ſeruitus. ſed maior ſeruitus eſt in Laicis, quàm in Clericis: quia Clericis intelligitur eſſe dictum, quod ſcribitur 1. Pet. 2. Quaſi liberi, & nõ quaſi velamen habentes malitiæ libertatem: ſed ſicut ſerui Dei.

In Contrarium eſt Chryſoſto. ſuper Matthæum.

RESOLVTIO.

H *Obedientia Clericorum eſt principalior, vniuerſalior, & immediatior, quàm Laicorum.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſi comparetur obedientia Laicorum, & Clericorum ad Papam: obedientia clericorum intelligitur eſſe principalior, vniuerſalior, & immediatior. Principalior quidem eſt. Quia principatus Papæ, & omnis principatus eccleſiaſticus eſt principaliter propter bonum ſpirituale: per redundantiam autem, & ex conſequenti habet eſſe circa corporalia. quia uicarius illius exiſtit, qui dixit Matth. 6. Primum quærite regnum Dei: & hæc omnia adijciẽtur uobis. Principatus uero Laicorum, vel ſæcularium principaliter eſt introductus propter bona corporalia. & ideo Clerici principaliter intelli-

guntur

guntur ſubijci principatui Eccleſiaſtico, quàm ſeculares Laici. Vniuerſaliter vero: quia Papa præeſt Clericis poteſtate ordinis, & poteſtate iuriſdictionis: quia vtraque poteſtas deriuatur ab eo in Clericos: ſed Laicis non præeſt niſi poteſtate iuriſdictionis. quia eo ipſo, quòd Laici ſunt, ad poteſtatem ordinis recipiendã idoneitatem non habent. Similiter eſt obedientia Clericorum immediatior. quia licet poteſtas Papæ ſe extendat ad Clericos, & Laicos per immediatam iuriſdictionem; non tamen ſe extendit ad ipſos Laicos per immediatam executionem. ſed regimen ipſorum Laicorum exequitur Papa mediantibus Principibus, & Iudicibus ſecularibus, in quinque caſibus, qui no-
Lib. 4. Decretalium. tit.17. tantur extra. Qui fi. ſint legi. cap. Per venerabilem. Primus eſt, quando aliquid temporale conceditur Eccleſiæ à Principe, vel Rege. & tunc vel ſolum concedit vſum, dominium ſibi retinendo: vel cõcedit vtrunq;. & tunc Eccleſia dominium iuſtitiæ exercet per Laicos, non uero per Eccleſiaſticas perſonas, ſicut dicit Vgo ſecundo libro de Sacramentis. par. 2. cap. 7. Secũdus eſt quando occurrit aliquando negotium difficile, & ambiguum: tunc eſt immediate ad Papam recurrendum. Tertius eſt ratione delicti ſæcularis Principis. vt ſi Princeps ſęcularis inueniatur hæreticus, & à fide deuiare. Quartus ſi inueniatur defectus in iudicio dato à ſęculari Principe, vel Iudice. quia Papa habet poteſtatem ſæcularem rectificare, & corrigere, ſi bona non eſt: inſtituere, & confirmare, ſi bona eſt, vt dicit Vgo libro ſupra dicto.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Chryſoſt. ſuper Matth. 21. pertractans illa verba Saluatoris: Homo quidam habuit duos filios, & primus dicit nolle facere voluntatem Patris, & poſtea fecit: ſecundus vero dixit velle facere, & poſtea non fecit. Per illos duos filios intelliguntur Laici, & Clerici: quia Laici eo ipſo, ꝙ vitam ſæcularem eligant, & habitum ſæcularem aſſumunt, obedientiam Chriſti, & Vicarij eius reſpuere videntur. Clerici vero, eo ipſo quòd Eccleſiaſticam vitam, & habitum clericalem aſſumunt, ipſo facto obedientiam Chriſti, & Vicarij ſui profiteri intelliguntur: quam ſi implere negligant, ſubditur de eis eodem capitulo: Amen dico vobis: Publicani, & meretrices præcedent vos in Regno Dei.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ nullus eſt exemptus à dominio Papæ mediatè, vel immediatè: nam Clerici immediate ſubduntur principatui Eccleſiaſtico: Laici vero ſubduntur ei mediante Principatu Laicali, qui in obſequium, & miniſterium eſt datus præſulatui ſpirituali, ut ſupra dictum eſt.

AD tertiũ eſt dicendum, ꝙ Laicis eſt maior ſeruitus: ideo pluribus modis tenentur obedire, quia tenẽtur parere Principatui Laicali, & Principatui Eccleſiaſtico: Clerici vero à principatu Laicali ſunt exempti: quia coram Iudice ſæculari conueniri non poſſunt.

A

ARTICVLVS III.

VTRVM LAICI CHRISTIANI teneantur obedire magis Papæ, quàm Imperatori, vel Regi.

Vide Doctores in præcedenti articulo citatos, & S. Tho. 2. 2. q. 104. art. 5. & ceteros. ar. 1. ſupra citatos.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ Laici Chriſtiani non teneátur magis obedire, quàm Imperatori, vel Regi. Quia dato, ꝙ Archiepiſcopus ſit maior Epiſcopo, & Epiſcopus maior Abbate: magis tamen tenetur ſubditus obedire Epiſcopo, quàm Archiepiſcopo: & monachus magis tenetur obedire Abbati, quàm Epiſcopo. A ſimili ergo: dato, quòd Papa ſit maior Imperatore, vel Rege: magis tenentur Laici ſubditi obedire Imperatori, vel Regi, q̃ Papæ.

B

2 Præterea. Vnicuique eſt obediendum ſecundum leges receptas ab ipſo: ſed omnes, qui ſubduntur ſub Imperio, recipiunt leges ab Imperatore. Ergo omnes tenentur ſibi parere ſecundum tales leges.

3 Præterea: Debitum iuſtitię eſt, ꝙ reddatur vnicuique quod ſuum eſt: iuxta illud Apoſtoli ad Roma. 13. Reddite omnibus debita. cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal. ſed Imperator eſt Dominus temporalium. Ergo debitum iuſtitiæ eſt, quòd Laici obediant in temporalibus, magis quàm Papæ.

C

IN CONTRARIVM eſt. quia domino vniuerſorum vniuerſaliter eſt obediendum: ſed Papa Vicarius eſt illius, qui eſt dominus uniuerſorum. Iuxta illud Heſter 13. Domine in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ, dominus vniuerſorum tu es. Ergo ſibi vniuerſaliter obediendum eſt.

RESOLVTIO.

Papę vniuerſaliter eſt magis obediendum, quàm alijs, cum à Deo ipſo, cuius vicarius eſt Papa, ſit omnis poteſtas.

D

RESPONDEO, dicendum, quòd tota machina mundialis non eſt niſi vnus Principatus: ideo non debet eſſe niſi vnus Princeps. Iuxta illud Philoſophi. 12. Meta. ꝙ entia nolunt male diſponi: ideo vnus Tex. c. vlt. Princeps, & vnus principatus: Princeps autem totius mundi principatus eſt ipſe Chriſtus, cuius Papa Vicarius exiſtit: iuxta illud Danielis 7. Aſpiciebam, & ecce quaſi in nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum: & omnes Populi, Tribus, & linguæ ſeruient ipſi. Vbicunque autem eſt fons, & origo, ad quem omnia reducuntur, in talibus per præceptum inferioris non tollitur obedientia ſuperioris: Vnde in prædictis locum habet gloſſa illa, quæ ponitur ad Roma. 13. Si aliquid mandat Procurator, & aliud Proconſul, obediendum eſt Proconſuli,

non

non Procuratori: Et ſi aliquid mandat Proconſul, & aliud Imperator, obediendum eſt Imperatori, & non Proconſuli. Eodem modo, ſi aliud mandat Papa, & aliud Imperator, obediendum eſt Papæ, & non Imperatori. Verum quia iuſtitia per fidem Chriſti eſt confirmata, non extirpata: dicente Apoſtolo Roma. 3. Iuſtitia Dei per fidem eſt Ieſu Chriſti; cum omnis principatus procedat ex ordinatione Diuinæ iuſtitiæ: iuxta illud Rom. 13. Omnis poteſtas eſt à Deo: & quæ à Deo ſunt, ordinata: Ideo ſicut sũt Papa debet eſſe omnis iuſtitiæ obſeruator, & omnium principatuum inſtitutor, & ordinator; ſine quibus iuſtitia minime ſeruari poſſet; ſic debet omnem debitam ſubiectionem, & obedientiam ſubditorum ad Principes, & Reges ſæculi manu tenere, & gubernare, non tollere, vel ſubtrahere. Vnde Petrus, cuius Papa ſucceſſor exiſtit, dicit prima canonica ſua, capitulo ſecundo: Subiecti eſtote omni humanæ creaturę propter Deum, ſiue Regi, quaſi præcellenti: ſiue Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile: quia omnes ſubijciuntur Papæ de iure diuino: vnde reſpectu eius non habet locum aliqua exceptio: presbyter vero ſubijcitur Epiſcopo de iure naturali: vnde plus tenetur Epiſcopo, quàm Archiepiſcopo, cui non ſubijcitur niſi in illis, in quibus Eccleſia ſtatuit, & ordinauit. Similiter Monachus plus tenetur obedire Abbati, quàm Epiſcopo, potiſſime ſi eſt exemptus, & ſecundum illa, quæ in regula, & conſtitutionibus confirmatis per Papam, continentur.

Monachus plus tenetur obedire Abbati, quã Epiſcopo.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſtinus ad Bonifacium. Et ponitur. 9. diſt. cap. Imperatores: Quicunque legibus Imperatorum, quę pro Dei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grãde ſupplicium. Quicunque legibus Imperatorum, quæ contra Dei veritatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium. Si ergo Imperator mandat aliquid contra præcepta Papæ, & contra libertatem Eccleſiæ: ſibi obtemperandum non eſt.

Tomo 2. Epiſt. 50.

AD tertium eſt dicendũ, ꝙ Principibus ſæculi obedientia non eſt ſubtrahenda, niſi ſeipſos reddant indignos, & niſi principatum iniuſte adminiſtrent: quia tunc non ſolum ſubditorum ſubiectione: verum etiã principandi iuriſdictione per Papam priuari poſſunt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM SERVI CHRISTIAnorum magis teneantur obedire proprijs Dominis, quàm Papæ.

S. Tho. 2. 2. q. 104. ar. 6. & ceteri Doct. ar. 1. ſup. citati.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſerui chriſtianorum magis teneantur obedire proprijs Dominis, quàm Papæ. quia non poteſt homo duobus Dominis ſeruire contraria iubentibus, vt ſcribitur Matth. E 6. Si ergo contingat Papam, & Dominos proprios contraria præcipere: magis tenentur ſerui proprijs dominis parere, quàm Papę. aliter eſſent tranſgreſſores pręcepti Apoſtoli mandantis ad Ephe. 6. Serui obedite dominis carnalibus cum omni timore.

2 Præterea: Si quis præſtat iuramentum duobus dominis, vtrique tenetur obedire: & illi primo, cui primò iuramentum pręſtat: ſed ſerui pręſtant primò iuramentum dominis carnalibus, quàm Papæ; Ergo eis primò tenentur obedire.

3 Pręterea: Papa eſt ſucceſſor Beati Petri. ſed Beatus Petrus mandat prima canonica c. 2. Vt ſerui ſubditi ſint in omni timore dominis: non tantum bonis, & modeſtis: ſed etiam diſcolis, & indiſciplinatis.

IN CONTRARIVM eſt. quia communi domino F magis obediendum eſt, quàm proprio: ſicut commune bonum pręponendum eſt particulari bono: ſed Papa eſt dominus communis omnium. Ergo ſerui magis tenentur ſibi obedire, quàm proprio Domino.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad Religionis conuerſationem, magis, quàm proprijs Dominis chriſtianorum ſerui obedire debent: Quantum ad interioris uoluntatis motionem ſoli Deo: Quantum ad inſnaturale ſuperiorem non habet homo. Quantum verò ad exteriorem corporis adminiſtrationem magis quandoque alijs, quàm Papę obediendum eſt.

G RESPONDEO, dicendum, quòd homo quantum ad præſens ſpectat, quatuor modis conſiderari poteſt. Primo, quantum ad interioris voluntatis motionem. Secundo, quantum ad totius Religionis chriſtianę conuerſationem. Tertio, quantum ad corporis naturalem operationem. Quarto quantum ad corporis exteriorem adminiſtrationem.

Secundum autem iſta quatuor diuerſis diuerſimode homo tenetur obedire: quia quantum ad interioris volũtatis motionem tenetur obedire ſoli Deo: Nam (vt dicit glo. Auguſt. ſuper illo verbo ad Roma. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.) In quantum ſuperiores poteſtates ſunt, eis obedientia præſtatur: Planum eſt autem, ꝙ in motibus voluntatis homo nullum ſuperiorem habet, niſi Deũ. H Ideo inſtinctibus inſtigatis à Deo humanæ voluntati homo ſtatim obedire debet, & non reſiſtere, modo quo dicebat Propheta: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus. Pſal. 84. Quantum vero ad Religionis chriſtianæ conuerſationem tenetur omnis chriſtianus Papę obedire. quia ad ordinãdum qualiter in Religione chriſtiana uiuendum eſt, nullus eſt ſuperior ipſo, potiſſime cum ipſe ſit ſequeſter, & medius inter Deũ, & hominem, ſeu totum populum chriſtianum. vnde ſicut dixerũt filij Iſrael Moyſi Exodi 24. Omnia, quæ locutus eſt nobis Dominus per te, faciemus, & erimus obedientes: Sic omnes viuentes in Religione chriſtiana debent dicere ipſi Papæ tam Domini, quã Serui: & Laici, & Clerici. Quantum autem ad corporis naturalem operationem, vt eſt corporis ſuſtentatio, & prolis generatio; homo nullum habet ſuperiorem: ſed

rem: ſed in talibus omnes homines ſunt æquales: Ideo ſeruus nulli domino tenetur obedire præcipienti, quòd non comedat, vel quòd matrimonium non † contrahat. Sed quâmm ad corporis exteriorem adminiſtrationem tenetur homo diuerſis obedire, ſecúdum ꝙ per exteriorem corporis adminiſtrationem diuerſos ſuperiores habere poteſt: magis enim tenetur Nauta obedire Gubernatori nauis in nauali regimine, quàm Papę, etiam præſente Papa: quia in tali arte ſubijcitur illi, & non Papę. Similiter miles in his, quæ ſpectarent ad bellum, plus teneretur exercitus Duci, quàm Papæ: & ſic de alijs.

† Cap. 1. de cõiugio ſeruorum & licet cõtrahere poſſit, inuito domino, nõ tamẽ liberatur à ſeruitiis domino debitis.

Ad Argumenta.

A AD PRIMVM ergo eſt dicendum. ꝙ ſi Papa mandaret aliud, quàm Dominus proprius, in illis, in quibus ſubijcitur ſibi ſeruus, tenetur obedire Papæ, & non domino proprio.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi quis præſtat iuramentum duobus Epiſcopis, tenetur vtrique obedire, ſi poteſt. ſi vero non tenetur obedire ei, cui primo præſtitit iuramentum: maximè ſi intitulatus eſt per beneficium in diœceſi eius. Si vero explicita diſpenſatione tranſlatus eſt ad diœceſim alterius per maius beneficium: dicunt aliqui, ꝙ tenetur obedire ſecúdo, & non primo. Nec verum eſt, ꝙ homo præſtet alicui iuramentum prius, quàm Papę: quia Papę præſtat iuramentum in baptiſmo, quando promittit viuere ſecundum fidem, & ritum chriſtianæ religionis.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ beatus Patrus mádat, quòd ſerui obediant Dominis in his, quæ eis tenentur: non excipiendo eos ab obedientia, qua tenentur ſibi, & ſucceſſoribus eius in militia chriſtiana.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT ſeruos Chriſtianorum à ſeruitute eximere, & libertati reddere.

Turrecremata in cap. ius gentium. diſt. 1. qō. 4. Simancas catho. inſt. tit. 61. de ſeruis.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit ſeruos chriſtianorum à ſeruitute eximere, & libertati reddere. Quia qui liberat à ſeruitute maiori, poteſt liberari à minori. ſed beatus Petrus, cuius Papa ſucceſſor exiſtit, liberauit omnes chriſtianos à ſeruitute legali di ens Act. 15. Vt quid tentatis imponere iugum ſuper ceruices Diſcipulorum. quod neque vos, neque Patres noſtri portare potuerunt. Papa ergo poteſt ab omni alia ſeruitute liberare.

2 Præterea: Seruitus inducta eſt per peccatum: ſed Papa poteſt à peccato abſoluere per adminiſtrationem Sacramentorum. Ergo poteſt omnem ſeruitutem tollere.

3 Præterea: Ad Papam ſpectat quod iniuſtum eſt ad iuſtitiam inducere: ſed multi per vſurpationem tyrannicam, & per violentiam accipiunt dominium. Ad Papam ergo ſpectat chriſtianos à ſeruitute talium eximere, & libertati reddere.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Apoſtolus Paulus Oneſimum ſeruum Philemonis baptizauit: et per conſequens à peccato mundauit: & tamen ipſum ad dominium ſuum Philemonem remiſit, nec eum à ſeruitute exemit: ſed potius in ſeruitute ſui Domini confirmauit. Eodem ergo modo Papa debet facere.

RESOLVTIO.

B *Seruitus corporea, & id genus alia, in hominibus remanſerunt, cum ex peccato ipſo pœnalitates homini ſint inflicta.*

RESPONDEO, dicendum, quòd per peccatum primi Parentis * tanta fuit macula peccati in anima, quòd poterat ſeruitus animæ appellari. quia, qui facit peccatum † ſeruus eſt peccati: Similiter * tanta fuit pœnalitas in corpore, vt mortalitas, infirmitas & exterior ſeruitus. Per Chriſtum autem, cuius Papa Vicarius exiſtit, liberati ſumus à ſeruitute peccati, & à ſeruitute animæ: iuxta illud Apoſtoli ad Roma. 6. Nunc vero liberati à peccato: ſerui autem facti Deo: ſed à ſeruitute corporis liberati non ſumus, ſicut nec ab alijs pœnalitatibus, quia moritur, & infirmatur baptizatus, ſicut non baptizatus, & obligatur homo ad ſeruitutem exteriorem poſt baptiſmum, ſicut ante. Et ſi dicatur, vt Seneca dicit lib. 3. de beneficijs, ꝙ errat, ſi quis exiſtimat ſeruitutem in totum hominem deſcendere, pars eius melior excepta eſt: corpora vero tantũ obnoxia ſunt, & adſcripta Dominis: mens quidem eſt ſui iuris. Hoc intelligendum eſt de ſeruitute coactionis: quia planum eſt, quòd anima non poteſt cogi ad ſeruiendum peccato, immo ſi cogeretur, & inuoluntariè peccaret, iam non eſſet peccatum: non autem intelligitur, ꝙ ſeruitus peccati non deſcenderet in animam, ipſa volente, & conſentiente: à qua ſeruitute non niſi per Chriſtum homo liberari potuit. quia per ſe ipſum homo potuit cadere, ſed per ſeipſum non potuit reſurgere. Quare autem à ſeruitute corporis Chriſtus non liberauit nos, ſicut à ſeruitute animæ, triplex ratio communiter aſſignatur.

* al. cauſatur
† Tom. 8.
* al. cauſatur

C

D

Vna ex parte iuſtitiæ naturalis: quia ordo naturæ hoc requirit: vt ſicut in rebus naturalibus ſuperiora mouent inferiora ad ſuas actiones per excellentiam naturalis virtutis diuinitus eis collatę: ſic in rebus humanis ſuperiora imperát inferioribus per ſuam volútatem ex ordine iuſtitiæ diuinitus ordinatę.

Secunda ex parte iuſtitię legalis, ſine qua humanarum rerum ſtatus conſeruari non poſſet. quia ſecundum Aug. 4. de ciui. Dei. cap. 4. Remota tali iuſtitia, regna non ſunt niſi quędam magna latrocinia. per Chriſtum vero ordo prædictę iuſtitiæ in nobis non fuit ſublatus, ſed firmatus. quia qui nos iuſtificauit, à debito nullius iuſtitię nos priuauit.

Tomo 5.

Tertia ex parte præſentis ſtatus mundialis.

Quia præſens ſtatus hoc requirit, vt quamdiu homo viuit iſta vita animali, & ſenſibili, mente ſeruiat legi Dei: corpore autem ſeruiat legi peccati: Iuxta illud: Apoſtolo ad Roma. 7. Ego ipſe mente ſeruio legi Dei
Rom. 8. carne autem legi peccati. ſolum autem in futuro ſtatu creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis. & aſſumitur in libertatem gloriç filiorum Dei. Eodem ergo modo Papa debet conari credentes in Chriſtum liberare à ſeruitute animæ, quæ eſt ſeruitus peccati: non autem à ſeruitute corporali, qua temporalibus Dominis tenentur aſtricti. Immo, tenendo Chriſti doctrinam, & Apoſtolorum, tali in ſeruitute debet eos firmare.

Ad Argumenta.

F
AD PRIMVM eſt dicendum, ꝙ Petrus liberauit à ſeruitute legali. quia veritas euangelij non compatiebatur ſecum vmbram legis, cum adueniente veritate, ceſſet vmbra. Sed libertas animæ, quam quis conſequitur in baptiſmo, compatitur ſecum vinculũ ſeruitutis corporalis. ideo non eſt ſimile.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ per adminiſtrationem ſacramenti liberatur homo à ſeruitute animç: non autem à ſeruitute, & pçnalitatibus corporis.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ à dominio iniuſto, & tyrannico, manente iniuſto, & manente tyrannico, Papa debet Chriſti fideles ſubtrahere. Sed ſi fiat iuſtum, vel per ſuam confirmationem, vel per ſubditorum adhæſionem, non debet eos eximere, ſed potius confirmare.

G

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA CHRISTIAnos liberos poſſit iuſte ad ſeruitutem damnare.

Vide citatos in præcedentibus articulis. Adde Dominicum Sotum lib. 4. ſent. diſt. 35. q. 1. art. 1. 2. 3. & 4.

AD ſextũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa Chriſtianos liberos non poſſit iuſtè ad ſeruitutẽ damnare. quia veri liberi non poſſunt eſſe veri ſerui: ſed ſcribitur Ioannis 8. cap. Si filius vos liberabit, verè liberi eritis. Chriſtiani ergo liberati à filio Dei verè, & iuſtè ad ſeruitutem damnari non poſſunt.
H

Præterea: Scribitur Matth. 17. ꝙ filij Regis liberi ſunt à tributo: ſed omnes chriſtiani filij ſunt regis æterni: iuxta illud Ioannis 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Non ergo poſſunt iuſtè ad ſeruitutem damnari.

3 Præterea: Quod non eſt cauſa cauſç, non poteſt eſſe cauſa cauſati. Cum ergo cauſa ſeruitutis ſit peccatum: ſicut Papa non debet eſſe cauſa peccati ſubditorum: ſic non debet eſſe cauſa ſeruitutis eorum.

E IN CONTRARIVM eſt, quia in ſententia Papali † lata cõtra rebelles Eccleſiæ inter alias pœnalitates, ponitur, ꝙ fiant capientium ſerui. † In Concil. Lateranenſ. ſub Alexandro III. c. 24 & refertur in c. ita quorundã. extra de Iudæis, & Saracenis.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad ſeruitutem accidentalem, ſuos rebelles iuſtè punire debet: quantum verò ad naturalẽ, & conditionalem, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd triplex eſt ſeruitus, naturalis, conditionalis, & accidentalis. Seruitus naturalis importat gradus naturæ diſtinctionem. quia ſecundum Philoſophum Ariſt. lib. I. Pol. cap. 3.
hoc eſt formale in dominio, & ſeruitute, quòd domi-
F ni vigeant naturaliter intellectu, & ſerui intellectu deficiant, & polleant virtutibus corporalibus. fuiſſet autem iſta ſeruitus in ſtatu innocentiæ: quia ante peccatum aliqui viguiſſent magis intellectu, & aliqui minus. Seruitus verò conditionalis importat vitiorum corruptionẽ; quia ſicut homo dominatur beſtijs, ne ineffrenatè ſequantur appetitum ſenſitiuum: ſic cum vnus homo vitam pecudum eligit, & totum iudiciũ rationis ſenſualitati ſubmittit, merito ſubijcitur illi, qui ſecũdũ regulam rationis viuit. vnde dicit Grego. in paſtorali, lib. 2. c. 6. ꝙ cum Prælatus vitia ſubditorũ corrigit non hominibus, ſed quaſi beſtijs dominatur. quia ex ea parte, qua beſtiales ſunt ſubditi, ex ea debent * fortitudini ſubiacere ſubſtracti. Talis autem * al. formidini.
ſeruitus conditionaliter inducta eſt propter peccatũ:
G Conditionaliter quidem, quia ſicut homo poterat nõ peccare, ita ſi non peccaſſet, talem ſeruitutem non incurriſſet. Sed ſeruitus accidentalis importat quandam violentam debellationem: nam ſecundum Aug. 19. de Ciui. Dei. cap. 15. Serui à ſeruando appellati Tome 5.
ſunt: quia, ab antiquo, illi, qui iure belli à victoribus occidi poterant, ab eis ſeruabantur: & in perpetuum ſerui eorum efficiebantur. ſic dicti à ſeruando ſeruati. Serui à ſeruãdo dicti.
Vocatur autem talis ſeruitus accidentalis: quia ſicut accidentalis, & fortuitus eſt euentus belli: quia nunc iſtum, nunc illum interimit gladius, vt dixit Dauid in morte Vriç: ſic talis ſeruitus accidentaliter inducta 2. Reg. 11.
eſt. Papa ergo chriſtianos liberos non debet damnare ad ſeruitutem naturalem: quia nulli debet vigorẽ rationis ſubtrahere: nec ad ſeruitutem conditiona-
H lem, quia nulli debet eſſe cauſa peccati. Sed ad ſeruitutem accidentalem iuſtè poteſt rebelles damnare: quia ſicut contra perſonas, vel contra ciuitatem aliquam iuſtum bellum inducitur ſecundum Auguſtinum quæſt. ſuper Ioſue cap. 10. quando vel negligit corrigere, quod improbe à ſuis factum eſt: vel negligit reddere quod per iniuriam ablatum eſt: Sic iuſtè Papa poteſt rebelles tali pçna punire.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illa auctoritas loquitur de libertate gratiæ, & de libertate ſpirituali, quam per Chriſtum conſecuti ſumus: non autem loquitur de libertate carnali, quam per

eum

eum non conſequimur in præſenti vita : ſed ſolum in futura.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ Christus per illam auctoritatem oſtendit ſe eſſe liberum à ſeruitute tributi: quia filius erat Regis naturalis. nos autem ſumus filij regis per adoptionem, per quam filiationem non liberamur à ſeruitute tributi. Vel loquitur de Chriſto,& diſcipulis eius, quibus erant omnia cōmunia,& nihil habebant proprium: ideo liberi erant à tributo,vt aliqui exponunt. *Vide Apologiam initio libri præſixam.*

A D tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non debet eſſe cauſa peccandi alicui: & per conſequens nec ſeruitutis, quæ ex ſuo peccato oriatur. ſed ſi ſeruitus, ad quā cōtumacem damnat, oriatur ex peccato illius, ſibi nō eſt imputandum.

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA CHRISTIAnos exiſtentes ſub Dominio infideliū debeat ab eorum dominio ſubtrahere.

S.Thom.2.2.quęſt 10.art.10.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa chriſtianos exiſtentes ſub dominio infideliū debeat ab eorum dominio ſubtrahere. Quia Apoſtolus mandat 1. ad Corinth.6. fideles coram infidelibus iudicibus non eſſe conueniendos, dicens: Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos,& non apud Sanctos: & poſtea concludit: Auferte hoc malū ex vobis. Ergo eodem modo fideles ſub dominio infidelium exiſtere non debent.

2 Præterea: Peccator non habet iuſtum dominium ſupra iuſtum. ſed glo. dicit ad Roma.14.ꝙ omnis vita infidelium peccatum eſt. Ergo infideles fidelibus chriſtianis iuſtè dominari non poſſunt.

3 Præterea: Fidelis non debet contrahere matrimonium cum infideli: quia diſpar cultus impedit contrahendum,& dirimit contractum. Ergo ſimiliter fidelis non eſt ſupponendus ſub dominio infidelis.

IN CONTRARIVM eſt Apoſtolus 1. ad Timo. c.6. vbi ait: Quicūque ſunt ſub iugo, ſerui dominos ſuos [*infideles*] omni honore dignos arbitrentur: ne nomen domini, & doctrina [*Chriſti*] blaſphemetur.

RESOLVTIO.

Papa propter iniuſtam dominij adeptionem, iniuſtum vſum, & indecentem ſtatum chriſtianos à dominio infidelium ſubtrahere debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ iſtam dubitationem expreſſe determinat Apoſtolus 1. ad Timoth.cap. ſupra dicto. Vbi illos pſeudo Doctores, qui

A docebant chriſtianos à dominio infidelium eſſe ſubtrahendos, eo ꝙ per Chriſtum ab eorum dominio liberati erant, dicit non acquieſcere ſanis ſermonibus Domini Noſtri Ieſu Chriſti: & ei, quę ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: & appellat eos ſuperbos nihil ſciētes: ſed languentes circa quæſtiones,& pugnas verborum, eo quòd doctrina Chriſti blaſphemabatur per eos: appellabatur enim doctrina Chriſti ab infidelibus iniqua, & iniuſta: ex quo mandabat ſeruos à dominio ſuorum dominorum eſſe ſubtrahendos: vnde ſcandalum ex hoc oriebatur.

Sciendum eſt tamen: ꝙ propter tria Papa poteſt chriſtianos à domino infidelium iuſtè ſubtrahere.

Primo, propter iniuſtam dominij adeptionem. quamuis enim Aug. dicat.19. de Ciuitate Dei, c.20. Tom.5.
B Romanos dixiſſe ſe iuſtè imperare Prouincijs, quas violenter occupauerant: quia vtile erat eis ſic ſeruire. eo ꝙ improbis per dominium Romanorum auferebatur licentia nocendi ſubditis. Puto tamen, hanc ſufficientem cauſam non eſſe iuſtæ dominationis: vt ꝙ poſſit aliquis iuſtè dominari alicui inuito: quantumcunque ſuum dominium illi vtile eſſe cognoſcatur. Vnde ſi infideles violenter acceperunt dominium ſupra fideles, iuſtè Papa poteſt fideles à dominio illorū ſubtrahere.

Secundo, propter iniuſtum vſum: vt ſi non iuſtè vterentur eorum dominio: præcipiendo eis illicita cōtra mandata Dei,& virtuoſos mores; vel inſolita, imponendo onera grauia, & importabilia.

Tertio, propter indecentem ſtatum. Nam in Eccle-
C ſia primitiua: quia totus mundus erat plenus gentibus infidelibus, poteſtas,& dominium infideliū erat ad vtilitatem chriſtianorum, qui ad fidem conuerſi erant. aliter oportuiſſet eos de toto mundo exiuiſſe, ſi ab eorum dominio voluiſſent ſe * ſubtraxiſſe. ſicut dicit Apoſtolus 1.ad Corinth.5. Sed nunc: quia multitudo gentium iam intrauit Eccleſiam: non careret mala ſuſpitione, ſi chriſtiani potentes ſtare ſub dominio fideli proprio opere procurarent ſub infideli dominio permanere. Vnde puto, ꝙ in præſenti ſtatu Papa poteſt,& debet hoc prohibere. *al. ſubtrahere.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ideo Apoſtolus prohibuit fidelē ab infideli iudicari: quia
D in iudicijs contentiones,& pugnæ oriuntur: & ſeruū Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes. ſed in ſeruitute non incurritur peccatum. dicit enim Apoſtolus 1.ad Cor.7. Seruus vocatus es? non ſit tibi curę. ſed ſi potes liber fieri, magis vtere [*ſeruitute*] quia, quanto quis propter Deum deſpectior eſt in hoc ſeculo: tanto magis exaltabitur in futuro, vt gloſa exponit.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ peccator non poteſt habere iuſtum dominium ſupra iuſtum in his, quæ ſunt animę: & in his, quæ pertinent ad voluntatem, per quam peccatum incurritur, vel vitatur. In talibus enim non eſt acceptus ſeruus, neque liber: non maſculus, neque fœmina: non Iudæus, neque Græcus. Omnes enim vnum ſunt in Chriſto Ieſu, vt dicit

Apoſtolus ad Gal. 3. Sed in his, quæ ſunt corporis, peccator ſupra iuſtum dominium habere poteſt. Vnde Saluator monuit non eſſe timendos illos, qui occidunt corpus: quia animam lædere non poſſunt. Matth. 10.

Ad tertium eſt dicendũ, ꝙ prohibetur ut fidelis contrahat cum infideli propter periculum prolis dedicandæ ad cultum Dei. tamen non * prohibetur, vt

Forte legẽ dū iubetur.

E fidelis diſcedat ab infideli; ſi ante fidelitatem contraxit. quia ſanctificatur infidelis propter mulierem fidelem, vt dicit Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. Tale autem periculum vitatur in ſeruitute. & tamen in præſenti ſtatu, ſi ante conuerſionem ad fidem non fuit quis ſub dominio infideli, non debet poſtmodum dominio infideli ſe ſupponere, ſicut dictum eſt de matrimonio.

QVAEST. XXIII. DE OBEDIENTIA PAGANORVM.

§ Anton. 3. par. titu. 22. cap. 5. §. 8. in vniuerſa hac q. ſequitur Auguſtinũ Triumphum.

Poſt hoc conſiderandum eſt de obedientia Paganorum. Circa quod quæruntur ſex.

Primo, Vtrum Pagani de iure ſint ſub Papę obedientia.

Secundo, Vtrum præter Papam Pagani ſint Imperatori immediatè ſubiecti.

Tertio, Vtrum Papa iuſtè poſſit dominia, & iuriſdictiones à Paganis auferre.

Quarto, Vtrum Papa iuſtè poſſit punire Paganos agentes contra legem naturæ.

Quinto, Vtrum Papa poſſit Paganos cogere viuere lege imperiali.

Sexto, Vtrum Papa ritum Paganorum debeat tolerare.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAGANI DE IVRE ſint ſub obedientia Papæ.

Extrauagantes Bonifacij Octaui incip. Vnam ſanctam. Tit. de maior. & obedient. Et Aluar. de Planctu Eccleſiæ, lib. 1. cap. 37.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Pagani de iure non ſint ſub Papæ obedientia. Quia Papa præeſt omnibus poteſtate clauium, ligando, & ſoluendo. ſed Pagani non ligantur, nec ſoluuntur: cum nunquam receperint fidem Chriſti. Poteſtas ergo clauium non ſe extendit ad eos.

2 Præterea: Papa præeſt ouibus Chriſti. ſed Pagani: & aliæ Barbarę nationes non ſunt ex ouibus Chriſti: quia vt ipſe dicit Ioan. 10. Oues meę vocem meam audiunt. Pagani autem, & infideles non audiunt vocem Chriſti. Ergo non ſunt ex ouibus eius.

3 Pręterea: Papa præeſt in tota Eccleſia. ſed Pagani, & infideles non ſunt de Eccleſia. Ergo de iure nõ ſubijciuntur ſibi.

In Contrarium eſt. Quia Papa pręeſt vice Chriſti, ſed Chriſtus plenam iuriſdictionem habet

F ſuper omnem creaturam, cum in nomine eius omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorũ. vt dicitur ad Phil. 2.

RESOLVTIO.

Chriſtus per ſuam paſſionem meruit iudiciariam poteſtatem ſuper omnem creaturam, quam Petro eiuſque ſucceſſoribus commiſit.

Respondeo, dicendum, ꝙ Chriſtus per paſſionem ſuam meruit iudiciariam † poteſtatem ſuper omnem creaturam, iuxta illud Matth. vltimo: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. Vnde gloſſa dicit ſuper illo verbo: Dominabitur à mari vſque ad mare; Vide, quàm latum ſit Regnum Chri-

† S. Thom. par. 3. q. 59. per totam queſt. Pſal. 71.

G ſti, quia à mari vſque ad mare. i. à quolibet fine terrę vſque ad quemlibet finem terræ diffundetur, tam late dilatabitur Eccleſia. Vicarius autem Chriſti eſt Papa: vnde nullus poteſt ſe ſubtrahere ab eius obedientia de iure: ſicut nullus poteſt de iure ſe ſubtrahere ab obedientia Dei. Sed ſicut Chriſtus recepit à patre ducatum, & ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael, egrediens ſuper omnem Principatum, & poteſtatem, & ſuper omne quodcunque eſt. vt ei genua cuncta curuentur, ſic ipſi Petro, & eius Succeſſoribus pleniſſimã poteſtatem commiſit, vt dicit Cirillus Patriarcha Alexandrinus in libro theſaurorum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ Pagani, &

H infideles poteſtate clauiũ ligati ſunt, & iudicati, quia, qui nõ credunt, iam iudicati ſunt. ſic poteſtate clauiũ ſi vellent euigilare, & fidem Chriſti recipere, poſſunt abſolui.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ omnes creaturæ rationales ſunt oues Chriſti iure creationis, & ſufficiẽter iure redẽptionis. quia ipſe pro omnibus ſufficienter paſſus eſt. Sed Pagani, & infideles nõ ſunt ex ouibus Chriſti, fidei adhęſione. Vnde dicit gloſſa ſuper dicto verbo: ꝙ poſt q̃ Chriſtus dixerat, Ioan. 10. Non eſtis ex ouibus meis: conſequente inducit eos, vt eius oues efficiantur. ſecundum enim Augu. de nullo eſt diffidendum. quia qui hodie ſunt Iudæi, vel Pagani, cras poterunt eſſe Chriſtiani: omnes enim poſſunt

De verbis Domini ſermo. 11. tomo 10.

eſſe

A eſſe oues Chriſti ex parte eccleſiæ per eius charitatẽ: quia pro omnibus orat, vt conuertantur. & per eorũ poteſtatem: quia omnibus datum eſt velle, & liberum arbitrium, quo conuerti poſſunt.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ eſſe de Eccleſia poteſt intelligi tripliciter. Primo iudiciaria poteſtate. & ſic omnes ſunt de eccleſia boni, & mali: fideles & infideles. Quia ſicut omnes habent vnum Deum, ſic omnes de iure debẽt habere vnũ paſtorẽ, qui vicẽ eiꝰ gerat. Secundo imitatione, & uolũtate. & ſic ſolũ fideles & boni ſunt de Eccleſia. Tertio occaſionaliter fructuoſa vtilitate. & ſic omnes pagani infideles põt dici eſſe de Eccleſia poſſunt Dicit enim Aug. in de vera Religione: Catholica Eccleſia per totũ orbẽ longe lateque diffuſa omnibus vtitur ad profectus ſuos. Nã vtitur Paganis, & gentilibus ad materiam operationis ſuæ: Hęreticis ad probationẽ doctrinæ ſuę: Schiſmaticis ad documentũ ſtabilitatis ſuæ: Iudæis ad comparationẽ pulchritudinis ſuæ: Omnibus tamen, gratiæ Dei participandæ dat poteſtatẽ: ſiue illi formãdi ſint ſicut Pagani: ſiue reformãdi, ſicut Hęretici: ſiue recolligendi ſicut Schiſmãtici: ſiue admittẽdi, ſicut Iudæi. (B)

Tom. 1. c. 7.

ARTICVLVS II.

VTRVM PRAETER PApam Pagani immediatè ſint Imperatori ſubiecti.

Gloſſa & Doctores in c. conuenior. 23. q. 8.

C A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ præter Papã omnes Pagani immediatè ſint Imperatori ſubiecti. Quia illius dominio pagani ſunt immediate ſubiecti, qui præeſt omnibus nationibus: ſed Imperator præeſt omnibus nationibus, vt ſcribitur 11. quæſt. 1. cap. Hæc ſiquis.† ergo ſibi omnes pagani immediate ſubdunt.

† eſt c. Volumꝰ. 36. poſt §. Hæc ſiquis. 11. q. 1.

2 Præterea: Illi immediate ſubduntur pagani, ſub cuius poteſtate omnia regna continentur. ſed ſub poteſtate imperiali omnia ſubduntur, vt dicitur 23. quæſtione 8. cap. Conuenior. Ergo Imperatori immediate ſubiiciuntur pagani.

D 3 Præterea: Pagani aliquam prouinciam occupãt, ſed Imperator præeſt omnibus prouincijs, vt ſcribitur 63. diſt. cap. Adrianus. ſub dominio ergo Imperatoris pagani immediatè ſubduntur.

I N C O N T R A R I V M eſt. Quia Imperator non præeſt niſi ſubiectis ſibi. ſed eccleſia orat, vt ſibi faciat ſubiectas omnes barbaras nationes. Nõ ergo pagani, & alię barbaræ nationes ſubdũtur Imperatori.

RESOLVTIO.

Pagani ſubduntur illis, ſub quorum poteſtate, & regimine conſiſtunt.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd ſi Pagani ſubſunt per ſucceſſionem aliquibus Regibus chriſtianis: ſicut euidenter apparet de Regibus Hiſpaniæ & Aragoniæ, qui multos habent ſub ſe ſubiectos Saracenos † & Iudæos. Et ſicut fuit tempore quodam in regno Siciliæ de Saracenis Nocerię: conſtat ꝙ tales pagani ſunt ſub iuriſdictione, & poteſtate illius Regis, cui ſubduntur. Et ſi aliqui eſſent in Italia, & in partibus illis, in quibus Imperator dominatur, ſub eius iuriſdictione ſubduntur, obtento per Eccleſiam confirmationis beneficio. Si vero dicti Pagani, vel barbari nõ ſubſunt Regibus, vel Principibus chriſtianis, ſed reguntur per Reges, vel Soldanos eorum: tunc probabiliter videtur dicendum, ꝙ illis ſubduntur; quorũ ſub poteſtate conſiſtunt. quia omnis poteſtas à Deo eſt, vt dicit Apoſtolus ad Rom. 13. & † Aug. dicit contra Fauſtum Manich. & ponitur. 23. quæſtione. 1. cap. Quid culpatur. Quia non eſt poteſtas niſi à Deo, vel eo iubente, vel eo permittẽte. Ordo namque naturalis regiminis mortalium paci accomodatus eſt. Vnde ſi uir iuſtus forte etiam ſub Rege, & homine ſacrilego militet, rectè poteſt eo iubente, bellare: ſi vice pacis ordinem ſeruans, quod ſibi iubet vel non eſſe contra Dei præceptum, certum eſt: vel vtrum ſit, certum non eſt, ſicut Aug. ibi dicit.

† Hodie expulſi ſunt iudæi ab Hiſpania, & Baptizati Saraceni tempore Ferdinandi Quinti Regis catholici: & recetius Agareni, quàm Saraceni dicendi ſunt. Vide rationẽ in ſcholio ſuper Aegid. Roma. l. 2. ſcut d. 1. quæſt. 2. art. 6. pag. 30. col. 1. d.

† Tomo. 6. c. 75.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum. ꝙ illud Decretum non dicit, Imperatorem præeſſe omnibus nationibus, ſed potius contrariũ. Dicit enim: Volumus, ꝙ omnes naturæ iuriſdictioni ſubiecti, Romani, Frãci, & alij diuerſarum prouinciarum, qui ſpecialiter nominantur, & hoc decretum ſeruent. Vnde illud ſtatutum non ſe extendit niſi ad ſubiectos ſuo imperio.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ omnia regna ſunt ſub poteſtate Imperatoris, quantũ ad protectionem, & illorum dumtaxat, qui eius iuriſdictioni ſubduntur. Quandoque enim in generali ſermone quædam tacitè excipiuntur.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ Imperator præeſt omnibus prouincijs ſuæ iuriſdictioni ſubiectis. Vel poteſt dici, omnibus prouincijs pręeſſe: quia ſpecialiter præeſt Italiæ, quæ propter pręeminentiam poteſtatis, & dignitatis * poteſt dici Domina prouinciarum: ratione cuius Imperator Dominus mundi eſſe deſcribitur: eo quòd Romanorum Rex nuncupatur, & Roma caput mundi appellatur.

* al. dicitur

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA IVSTE POSſit dominia, & iuriſdictiones à Paganis auferre.

S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 10.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa iuſte poſſit dominia, & iuriſdictiones à paganis auferre: Quia iniuſtum eſt, quòd ſerui dominentur. ſed pagani cum ſint infideles, ſerui ſunt peccati infidelitatis: Omnis enim

Ioan. 8. qui facit peccatū, ſeruus eſt peccati. Iuſte ergo dominari non poſſunt.

2 Præterea: Infideles merentur ratione infidelitatis poteſtatem, & libertatem amittere iuxta illud 73. diſt. cap. Vbi iſta. Priuilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutuntur poteſtate. Iuſte ergo Papa poteſt dominium, & iuriſdictionem ab eis auferre.

3 Præterea: Eccleſia non poteſt errare. Sed Eccleſia perſequitur ipſos infideles, & impugnat eos. Iuſte ergo Papa ab eis dominium auferre poteſt.

In Contrarium eſt, quia beneficium naturæ, non ſubtrahitur alicui propter peccatum. ſed dominium, & iuriſdictio vnius ſupra alterum eſt beneficium naturæ. Non ergo ſubtrahendum eſt tale beneficium ab infidelibus propter infidelitatem.

RESOLVTIO.

Dominandi ordo, cum ſit Naturæ beneficium; nec per Papam, nec per Chriſtianorum Reges ab infidelibus iure ſubtrahi poteſt.

Tabiena ver. Infidelitas. §. 11. Respondeo, dicendum, ꝙ ſecundum Philoſophum. 1. Politi. cap. 3. Dominium vnius ſupra alterum inter beneficia naturalia computatur: Sunt enim (vt ait) illi naturaliter domini, qui intellectu vigent, & mente prouidere poſſunt: illi vero ſunt naturaliter ſerui, qui viribus corporalibus pollent, & intellectu deficiunt. vnde ibi concludit, ꝙ idem expedit domino, & ſeruo: Nam domino expedit, vt ſibi ſeruiatur: cum deficiat viribus: & ſeruo expedit, vt alijs ſeruiat, & ab alio dirigatur: cum deficiat intellectu. Beneficia vero naturalia non ſolum à fidelibus, verum etiam à dæmonibus ſubtracta non ſunt: nam vt dicit glo. ſuper illo verbo Apoſtoli 1. ad Cor. 15. Cum tradiderit regnum Deo, & Patri, & cū euacuaue rit oēm principatum, & poteſtatem, & virtutem: tunc finis. Dum durat mundus, Angeli Angelis, & Dæmones Dæmonibus, & Homines hominibus præſunt. Ordo ergo principandi, cum ſit beneficium naturæ, omni humanæ creaturæ conceſſum, nec per Papam, nec per alios Reges Chriſtianorū ab infidelibus ſubtrahendum eſt: cum Deus, cuius iudicium Eccleſia imitatur, talia beneficia naturę omnibus bonis, & malis largiatur. Quia ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos. vt dicitur Matth. 5.

Ad Argumenta.

Ad Primum eſt dicendum, ꝙ infideles ſunt ſerui ſeruitute peccati, & ideo amittunt poteſtatem, & libertatem gratię, cuius priuatio eſt peccatum: Et ſi dicatur, ꝙ omnis vita, & actio infidelium eſt peccatum † vt dicit glo. Aug. Rom. 14. verum eſt de his, quæ fiunt ab ipſis infidelibus ex ipſa infidelitate: vt ſi infideles veſtiant nudum, & paſcant eſurientem in honore idoli, quod adorant: talis intentio, quia infidelis eſt, & à radice infidelitatis procedit, illa bona facit eſſe mala, & peccata. Sed ſi infideles paſcant eſurientem, & veſtiant nudū ex quadam naturali pietate: ta-

† S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 4.

E lia ſunt bona ex genere, & ſunt benefacta: quia bona intentione: quamuis non ſint meritoria ęternæ vitę, quia fiunt ſine charitate. Vnde multa poſſunt poſſidere infideles ſine peccato, & multa agere ſine peccato.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ infideles merētur amittere poteſtatem, & libertatem gratiæ; non autem poteſtatē naturę. Ideo ordo naturalis regiminis, qui eſt de lege naturę, ab eis non ſubtrahitur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Eccleſia perſequitur infideles chriſtianos impugnantes, vel iura eccleſiaſtica, & iura noſtra, tyrannica rabie occupantes, & multa turbulenta contra chriſtianos attentantes: In talibus enim caſibus iuſte Papa poteſt ab eis dominia, & iuriſdictiones auferre, & licitum bellum † eis indicere. Sed ſi ipſi Saraceni, & infideles, chriſtia-

† Vide Ioānē Roffenſem contra Lutherum. art. 34.

F nos non perſequantur, nec aliud turbulentum contra chriſtianam fidem attentare præſumant: & cum chriſtianis velint pacifice conuerſari, non debent ab eis tolli illa, quæ ſine peccato poſſunt poſſidere. ſicut videtur notare gloſa 23. quęſtione 8. capitulo. Diſpar nimirum eſt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT IUSTE PUNIRE AGENTES CONTRA LEGEM NATURÆ.

S. Thom. 2. 2. q. 40. ar. 1. & Alphonſus Caſtr. lib. 2. de iuſta hæret. punit. cap. 14. & plene Couarruuias in regulam peccatum. de regu. iur. lib. vj. par. 2. relect. §. 10.

G Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa iuſte punire nō poſſit Paganos agentes cōtra legem naturæ. ſcribitur enim ad Ro. 11. Quicunque. n. ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Pagani ergo non ſunt per Papā puniendi tanquam tranſgreſſores alicuius legis.

2 Preterea: Papa non poteſt iudicare niſi ſubiectos ſibi: ſed pagani non ſunt ſibi ſubiecti. Ergo per Papam iudicari non poſſunt.

3 Præterea: Lex naturæ eſt lex conſcientiæ, iuxta illud Apoſtoli Rom. 11. Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationū

H accuſantium, vel defendentium per opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Sed iudicare ſecundum conſcientiam interdicitur Papæ, & cuilibet homini in præſenti vita: iuxta illud Apoſtoli prima ad Cor. 4. Itaque nolite ante tempus iudicare.

In Contrarium eſt, quia Papa Vicarius Chriſti eſt in terra: ſed Deus iudicauit Sodomitas agentes contra legem naturę: Gene. 18. Ergo ad Papam ſpectat punire Paganos, & alios Barbaros agētes contra legem naturæ.

RESOLVTIO.

Pagani iuſtè contra Naturæ legem agentes puniri poſſunt, quam profiteri coguntur. Vnuſquiſque enim per legem, quam recipit, iure puniri poteſt.

RE-

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ quantum ad præſens ſpectat, triplex eſt lex: Aeterna, Naturalis, & Poſitiua. Lex æterna non ponitur, nec deponitur: Lex vero naturalis ponitur, ſed non deponitur. Sed lex, poſitiua ponitur, & deponit̄. Legis igitur ęternę, & diuinę Papa debet eſſe imitator: quia ab *ipſo omnis lex & omnis iuſtitia deriuatur. Vnde dicit Auguſtinus 1. de libero arbitrio: Lex æterna eſt ipſa ſumma diuina ratio, quia iuſtum eſt, vt omnia ſint rectiſſima, & ordinatiſſima: cui ſemper obtēperādum eſt: ſecundum quam omnis lex recte fertur, recteque mutatur. de qua lege ſcribitur Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. Legis vero naturalis Papa debet eſſe obſeruator. non enim poteſt ipſam mutare: quia ſicut ab ipſo non ponitur, ita ab eo non deponitur. ſed immediate talis B lex à Deo menti rationali imprimitur, nec ſibi per legem, nec Prophetas contradicitur, ſed potius aſſentitur. iuxta illud Matth. 7. Omnia quęcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis: hęc eſt enim lex, & Prophetæ. Sed legis poſitiuæ Papa debet eſſe fator, & immutator pro temporum congruentia. quia ſicut ab ipſo ponitur, ita ab ipſo deponi poteſt. Quia igitur legis naturalis Papa debet eſſe obſeruator: omnes Paganos, & tranſgreſſores talis legis iuſtè poteſt punire. Nam vnuſquiſque iuſtè poteſt puniri pro tranſgreſſione illius legis, quam recipit, & quam profitetur obſeruare: aliter ſecundum Auguſtinum contra quemquam ſententia ferri non poteſt, niſi ſit conuictus, vel ſponte confeſſus. Pagani vero, & omnes barbaræ nationes per legem diuinam veteris, vel noui teſtamenti cōuinci non poſſunt: Nec per legem poſitiuam, cum neutram recipiant. Vnde ſicut per ſolā legem naturæ, qua coguntur profiteri, cōuinci poſſunt: ita per ipſam poſſunt iuſtè puniri.

*al. ipſa.

Tomo 1.

De pœnitentię medicina cap. 3. tomo 9.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Apoſtolus non vult Paganos eſſe puniendos pro tranſgreſſione legis naturę. ſed vult, ꝙ ſicut peccauerūt ſine lege ſcripta, quam nō receperunt; ſic iudicabuntur, nō pro tranſgreſſione legis ſcriptę, ſed pro tranſgreſſione legis naturę.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Pagani non ſunt ſubiecti Papę de facto, ſed de iure. quia de iure nulla rationalis creatura pōt ſe ab eius dominio ſubtrahere, ſicut nec à dominio Dei. Vnde cum tranſgreſſores legis naturæ deuoluuntur ad iudicium Papę: iuſtè poteſt eos punire.

AD tertium eſt dicendum, quòd Papa non iudicat de interiori conſcientia: ſed de exteriori operum euidentia, contra quę ſi lex naturalis reclamet, ipſo facto conuincuntur eſſe puniendi: quia euidentia patrati ſceleris non indiget clamore accuſatoris: Vnde ſuper illo verbo Gen. 18. Clamor Sodomorum venit ad me. dicit gloſa Grego. Mala proximorum noſtrorum non prius iudicemus, quàm videamus.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT cogere Paganos, vt viuant lege imperiali.

Vide l. Iudæi. la 2. C. de Iudęis. & ibi Doctores, & Marquardum tract. de Iudæis par. 2. cap. 1. & ſequen.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit cogere Paganos, ꝙ viuant lege Imperiali. quia illius lege vnuſquiſque debet viuere, cuius poteſtati ſubditur: ſed nō omnes Pagani ſubduntur poteſtati Imperatoris, vt ſupradictum eſt. Non ergo cogendi ſunt per Papam, vt viuant ſecundum Imperialem legem.

2. Præterea: Ponit Iuriſconſultus, ꝙ Imperator ſtatuit, ꝙ Pagani, & Barbari in contrahendis nuptijs nō tenētur facere nuptialia inſtrumenta. Ergo non tenentur viuere ſecundum legem Imperialem.

3 Præterea: Pagani, & Barbari non poſſunt puniri pęna ſpirituali, qua puniuntur Chriſtiani; cum ſint extra Eccleſiam. non ergo eodem modo debent puniri pœna temporali taxata in legibus, qua puniuntur Chriſtiani.

IN CONTRARIVM eſt. quia Pagani, & infideles non debent eſſe magis exempti, q̄ chriſtiani: C tûc enim eorû infidelitas præſtaret eis patrocinium, non ſupplicium. Cum ergo lex propter tranſgreſſores ſit poſita: conueniens eſt, ꝙ illa lege regantur, quæ ſua virtute coactiua tranſgreſſores punit. Gal. 3.

RESOLVTIO.

Pagani, vt lege Imperiali viuant, cogi poſſint, eorū tamen ritibus, aut ſuperſtitionibus ſeruatis. Congruum enim eſt, vt illa lege regantur, quæ omnibus eſt communis, ne ipſi magis, quàm Chriſtiani, exempti dicantur.

RESPONDEO, dicendum, quòd cum dicente Apoſtolo ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus D ſublimioribus ſubdita ſit; conueniens eſt, vt qui ſubduntur poteſtati alicuius, ſubdantur legi, quæ per poteſtatem illius fertur: vnde ſi Pagani, vel Barbari ſint ſubiecti aliquibus Regibus, ſeu Principibus chriſtianis, dignum eſt, ꝙ debeant viuere iure, & legibus, quibus viuunt ſubiecti eiſdem Regibus, atque Principibus: †ſeruatis tamen eorū ritibus, & obſeruantijs ſecundum morem ſuperſtitionis eorum: non enim tenentur ipſi Pagani, vel Barbari aliquid facere, quod eorum lædit ſuperſtitionem. quia ſicut nec compellendi ſunt, vt credant: ſic nec cogendi ſunt, vt ſeruēt, quæ fides catholica mandat ſeruari. ne tamen aliquid poſſint facere eorum ſuperſtitione damnabili, quod vergat in confuſionem, & irreuerentiam fidei chriſtianæ: congruum eſt, vt lege illa regantur, quæ omnibus communiter imponitur.

† S. Thom. 2.2. qõ.10. art.11.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut variantur poteſtates, ſic variãtur leges: Exiſtentes enim in vna Ciuitate, vel Regno: ſubdũtur legibus illius ciuitatis, vel illius regni, non alterius: niſi vnus Rex, vel Princeps eſſet ſub dominio alterius: vnde pagani, qui eſſent ſub poteſtate imperij, lege imperiali debẽt viuere. & ſubiecti aliorũ Principum, illis legibus debent viuere, quibus viuunt alij eorum vaſalli.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa ſolennitas inſtrumentorum in nuptijs contrahendis, requiritur tantum in fidelibus, qui non poſſunt contrahere matrimonium, niſi cum vna. Pagani vero, & barbari poſſunt plures accipere ſecundum ritum, & ſuperſtitio- F nem ipſorum, Vnde ad ipſam ſolennitatem inſtrumentorum dotalium non tenentur: quia ſicut non ſubdũtur Principibus chriſtianis in ritibus, & ſuperſtitionibus eorum: ita non ſubduntur in nuptijs cõtrahẽdis, & in ſolẽnitatibus in matrimonijs faciẽdis.

AD Tertium eſt dicendum, ꝙ pagani, & barbari non poſſunt puniri pæna ſpirituali. † eo ꝙ ſi paganus percuteret clericum, non incideret in canonem latæ ſententiæ, cum ſit extra Eccleſiam. poſſent tamẽ puniri pæna ſpirituali principes chriſtiani, ſub quorum dominio ipſi pagani exiſtunt. quia poſſent excõmunicari, ſi eos non punirent pæna pecuniaria, vel alia pæna condigna taxata ab Eccleſia: Si uero dicti G pagani exiſtant ſub Soldano, vel ſub aliquo alio Principe infideli: debent viuere ſecundum ritus, & obſeruantias, ac ſtatuta illorum.

† Vide Zanchinũ tract. de hæret c. 36. nu. 4. & Syluestrum in ſum. verbo: Iudæus, §. 10. & Marquardũ trac. de Iudæis par. 2. c. 8.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA RITVM PAganorum tolerare debeat.

S. Thomas 2. 2. q. 10. art. 11. & Ioannes Roias tract. de hæret. par. 1. num. 568. & ſeq.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ritum Pagano- H rum tolerare non debeat. Quia qui poteſt prohibere peccatum, & nõ prohibet, conſentire videtur. ſicut dicit glo. ſuper illo verbo ad Ro. 1. non ſolũ qui faciũt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte. Pagani ergo in ritu eorum infidelitatis tolerandi non ſunt.

2 Præterea: Papa ab omni ſpecie infidelitatis potiſſime debet cauere: cum pro ſola hæreſi ipſe ſit deponendus. Sed vt ſcribitur 83. diſtin. capit. Error. Non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare. Ritus ergo Paganorum Papa tolerare non debet, cum poſſit eis obuiare.

E 3 Præterea: Peccatum idololatriæ, & peccatũ commiſſum contra legem Dei fortius eſt, quàm peccatũ commiſſum contra legem naturæ: Sed peccata commiſſa contra legem naturæ deducta in publicum ſtatim per Papam punienda ſunt, vt ſuprà dictum eſt. Ergo ſimiliter peccatum idololatriæ: & alias ſuperſtitiones Paganorum Papa non debet tolerare, ſed ſtatim punire.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa eſt vicarius Dei. ſed Deus multa mala tolerat in præſenti, quæ in futuro per eius iuſtitiam punientur, vt dicit Auguſtinus. ergo eodem modo Papa debet tolerare. In Pſal. 91. Tomo 8.

RESOLVTIO.

Eccleſia cum iudicium imitetur Dei, qui multa tolerat in præſenti vita: in futura vero, punienda; ritum Paganorum tolerare debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſecundum Grego. in paſto. Eccleſia quaſi quinque modis debet ſe habere in correctione vitiorum. Primo per diſſimulationem. Secũdo per maturam tolerationem. Tertio per ſubtilem inueſtigationem. Quarto per duram increpationem. Quinto per omnimodam exterminationem. Imitatur enim eccleſia iudicium Dei, qui multa mala in præſenti diſſimulat: multa maturè tolerat. multa ſubtili inueſtigatione ad lucem deducit: multa vero duris flagellis fortiter increpat: multa vero omnimode exterminat. vnde ſi Papa videat cõuerſationem Paganorũ prodeſſe fidelibus, vel * per ipſorum conuerſationem, vel ipſorũ chriſtianorũ diſſidij & aliorum malorum vitationem; poteſt, & debet eorum ritum, & ſuperſtitionem tolerare, alias debet omnino vitare: potiſſime nunc iam, fidelibus multiplicatis non expedit ritum Paganorum, & aliorum infidelium cum fide chriſtiana admiſceri.

a. par. c. 10.

* al. propter

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſuperſtitioni Paganorum non eſt cõſentiendum, ſed eſt aliquando diſſimulandum, vel ſapiẽter tolerandum. quia aliqua forte maiora mala fierent per eorum exterminationem. & aliqua forte maiora bona impedirentur. propter quæ duo multa mala Deus permittit in Vniuerſo fieri, quæ prohibere poſſet. Et per hoc patet ſolutio ad Secundum, & Tertium.

QVAEST. XXIIII. DE OBEDIENTIA IVDAEORVM.

DEinde conſiderandum eſt de obedientia Iudęorum. Circa quod quęruntur decem. A

Primo, Vtrum Papa debet iudęos cogere ad ſuſcipiendam fidem.

Secundo, Vtrum Papa debeat iudæos cogere ad dimittendum iudaiſmum.

Tertio, Vtrum Papa iudæorum filios, eis inuitis, debeat facere baptizari.

Quarto, Vtrum Papa debeat iudæos cogere ad laborandum manibus.

Quinto, Vtrum Papa debeat iudæos priuare omni adminiſtratione officiorum ſuper chriſtianos.

Sexto, Vtrum Papa debeat iudęos priuare, vt nullum dominium ſuper chriſtianos habeant. B

Septimo, Vtrum Papa debeat permitttere chriſtianos cum iudæis conuerſari.

Octauo, Vtrum Papa debeat iudæos punire pęna ſpirituali, qua chriſtianos punit.

Nono, Vtrum Papa debeat permittere Iudæorum oblationes, & eleemoſynas recipi à fidelibus.

Decimo, Vtrum Papa debeat permittere per chriſtianos principes aliquas exactiones in iudęos fieri.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA DEBEAT cogere Iudæos ad fidem ſuſcipiendam.

Pro hoc, & ſeq. art. Vide. S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 8. & Turrecrem. In diſt. 45. c. De Iudæis. q. 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat cogere Iudæos ad fidem ſuſcipiendam. Quia nemo cogendus eſt ad illud, ad quod inutiliter cogitur. Sed ad fidem ſuſcipieudam nemo vtiliter cogitur cum Deus aſpernetur coacta ſeruitia, vt Grego. dicit. Ad fidem ergo ſuſcipiendam Iudæi cogendi non ſunt.

Tracta. 26. in Ioan. c. 6. 2 Præterea: Secundum Auguſtinum cætera poteſt homo nolens: credere autem non niſi volens: ſed voluntas cogi non poteſt. uou ergo Iudæi ſunt ad credendum cogendi.

3 Pæterea: Scribitur 45. diſt. cap. De Iudæis. Præcipit ſancta ſynodus neinini deinceps vim ad credendum inferre. nou ergo violeutia: ſed liberi arbitrij uoluntate, vt conuertantur iudæi, ſuadendi ſunt.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Lucæ A 14. Exi cito iu vias, & ſepes, & cõpelle intrare, vt impleatur domus mea. ad implendam ergo Eccleſiam, quę eſt domus Dei. ad quam per fidem intratur, compellendi ſunt homines, & cogendi.

RESOLVTIO.

Qui quandoque ſponte, aut uiolentia mixta fidem chriſtianam ſuſceperunt, ad eam ſeruandam compellendi ſunt. ſi vero abſolutè fuerunt coacti, non item. Nam ſi Infidelium per terrores conuerſio ſperetur, compellendi ſunt: non ad fidem ſuſcipiendam, quam ſolius Dei eſt infundere: ſed ad conſentiendum, & obi- B *cem non præbendum.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliqui reſpondẽt ad iſtum articulũ tali diſtinctione præmiſſa: Infidelium quidam ſunt, qui numquam ſuſceperunt fidem: ſicut Gentiles, & Iudæi, & tales (vt dicunt) uullo modo ſunt ad fidem compellendi, vt credant, quia credere voluntatis eſt. Alij vero ſunt infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, & tales ſunt corporaliter compellendi, vt impleãt quod promiſerunt, & teneant quod ſemel ſuſceperunt, ne nomen Domini blaſphemetur, & Chriſti fides vilis, C ac contemptibilis habeatur. Iſta autem reſponſio ſatis poteſt colligi ex decreto ſupra allegato 45. diſt. c. De Iudæis. Verum quia Paulus, qui omnibus plus laborauit, pæna corporis ad credendum Euangelium coactus intrauit: quod uumquam crediderat, ſed fortiter impugnauerat, ſicut expreſſe dicit Auguſtinus ad Bonifacium Comitem; & ponitur 23. quæſt. 6. c. Schiſmatici, vbi ait: Schiſmatici, qui dicũt: Cui Chriſtus vnquam vim intulit? quem coegiti? Ecce habent apoſtolum Paulum, in quo agnoſcat Chriſtum prius cogentem, poſtea docentem: prius ferientem, poſtea cõſolantem. Ideo puto abſque præiudicio dicendum ꝙ vel quęritur de facto, vel de modo fiendi. Si quęri- D tur de facto, ita ꝙ aliqui ad fidem ſuſcipiendam violentia compulſi ſunt; ſi talis violentia fuit abſoluta; non ſunt cogendi ipſam tenere: Si uero fuit mixta, & conditionalis; fidem ſuſceptam tenere compellendi ſunt. quia ſecundum Aug. voluntas coacta voluntas eſt. Et philoſophus hoc probat. 3. Ethicorum. Sed ſi quæritur de modo fiendi; puto, ꝙ ſi ſperetur aliquorum infidelium cõuerſio per terrores, & flagella, compellendi ſunt: nõ quidem ad fidem ſuſcipiendã; cum fidem infundere ſit ſolius Dei: ſed ad conſentiẽdum, & obicem non præbendum per obſtinatam voluntatem. Nam in conuerſione infidelium Eccleſia debet Dei iudicium imitari. ſed Deus Paulum Eccleſiæ ſuæ ante fidem vaſtatorem: poſtea vero maguũ

Epiſt. 50. Tomo 2.

Paul⁹ quomodo coactus.

Cap. 1.

ædifi-

ædificatorem; non ſolum voce compeſcuit: verum etiam poteſtate proſtrauit: atque infidelitatis tenebris ſeruientem ad deſiderandum lumen cordis, vt ſurgeret, prius cæcitate corporis percuſſit, ſicut dicit Auguſtinus ad Bonifacium.

Epiſt. 50. Tom. 2.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non cogitur inutiliter: immo valde vtiliter. coacta enim ſeruitia non ex coactione procedentia, ſed per coactionē voluntariæ ſubſequentiæ Deus non ſpernit, ſed diligit. Vnde dicit Grego. Si bonum, ad quod mali coguntur, ſemper inuiti tulerarent, & numquam uoluntariè ſeruirent; inutiliter cogerentur ad illud: ſed quia flagellis tribulationũ mali coguntur à malu diſcedere, & ad bonum prouocantur: Ideo vtiliter coguntur, quia timor ſeruilis recedit, & timor caſtus, & filialis ſuccedit.

Ad ſecundum dicendum eſt, quòd voluntas ad credendum non cogitur; ſed quandoq; vt conſenſus ad credendũ aduenıat, p pænas, & flagella inducitur. Vnde dicit Auguſtinus ad Vincentium Donatiſtam: Si neminem æſtimas cogendum ad bonum: attende quid dixit Apoſtolus: Qui epiſcopatum deſiderat, bonum upus deſiderat: & tamen tam multi, vt epiſcopatum ſuſcipiant, tenentur inuiti, producuntur, includuntur: patiuntur quæ * nolũt mala tanta, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi onus boni uperis.

1. Tim. 3. — * al. nolunt

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ illud decretum intelligitur nulli eſſe inferendam vim coactione abſoluta: non autem actione mixta, vel conditionali. ſicut cum quis proijcit merces in mari tempore tempeſtatis. Vel poteſt dici, ꝙ nemini facienda eſt violentia, vt coacte credat. ſed poteſt fieri violentia, vt conſenſus * conueniat, quatenus voluntarie credat.

* al. adueniat.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA DEBEAT cogere Iudæos ad dimittendum iudaiſmum.

Ioannes Roias tract. de hęret. par. 1. num. 568. & ſeq.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa debeat Iudæos cogere ad dimittendum iudaiſmum. Quia quod fuit reprehenſum in Petru, reprehendendum eſt in Papa, qui eſt ſucceſſur eius: ſed iudaizare fuit reprehenſum in Petru, ad Gal. 2. Cum ueniſſet enim Cephas Antiochiam: in faciē eius * reſtitit Paulus. quia reprehenſibilis erat. Non ergo Papa debet Iudæos permittere indaizare.

* al. ei.

2 Præterea: Super illo verbo. Mat. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis uubis vnum Proſelitum, dicit Origenes: Quicumque poſt Saluatoris aduentum iudaizant: docentur

Hom 25. In Matth.

E imitari effectum eorum, qui dixerunt illo tempore: Crucifige, crucifige eum. Sed Papa nō debet eſſe Chriſtum crucifigentium imitator, ſed potius extirpator. Ergo non debet permittere iudæus iudaizare. Luc. 23.

3 Præterea: Quicumq; dat cauſam peccādi, ipſum peccatum committere videtur: ſed peccatum eſt iudaizare: ſcribitur enim ad Gal. 5. Ecce egu Paulus dico vobis: quoniam ſi circuncidimini, Chriſtus uobis nihil proderit. Papa ergu non debet dare cauſam iudæis iudaizandi.

In Contrarivm eſt quod ſcribitur extra de Iudæis. vbi dicitur, ꝙ ſicut legalis diffinitio iudæos non paritur nouas erigere Synagogas: ita eos ſine inquietudine ueteres habere permittit. Lib. 5. tit. 6. c. Iudæi.

F

RESOLVTIO.

Iudæi ad iudaiſmum dimittendum non ſunt cogendi, nec inter eorum feſtiuitates celebrandas ad ſeruitia praſtanda ſunt ullo modo cogendi.

Respondeo, dicendum, quòd ſicut dicit Auguſtinus in libro de vera Religione: Fides catholica vtitur iudæis ad comparatiunem pulchritudinis ſuæ. quia ex hoc, ꝙ iudæi ritus ſuos obſeruant: in quibus præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus: iſtud bonum * peruenit, ꝙ teſtimunium fidei nuſtræ habemus ab hoſtibus, & quaſi in figura nobis repræſentatur quod credimus, vt ſint ipſi fallaces pro ſe, & veraces pru nobis, & contra ſe, vt dicit Auguſtinus. Et ideo pręcipit Eccleſia extra de Iudæis †, ꝙ nullus chriſtianus eorum quemlibet ſine iudiciu terrenæ poteſtatis vel occidere; vel vulnerare, vel ſuas pecunias auferre pręſumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt, cōſuetudines immutare, præſertim in feſtiuitātum ſuarum celebratiune quiſquam fuſtibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta ſeruitia exigat, niſi quæ ipſi tempore præterito facere conſueuerũt. Synagogæ vero ipſurum ſi deſtruantur, poſſunt abſque contradictione ipſas reparare in eadē qualitate, & menſura, in qua prius fuiſſe noſcuntur.

G

c. 6. Tom. 1. — * al. prouenit. — Ser. 6. de tempore. — † cap. ſicut iudæi.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergu eſt dicendum, ꝙ Petrus non fuit reprehenſus à Paulo iudaizando coram Iudęis, quibus licitum erat iudaizare, nondum euangelio diuulgato: ſed ideo reprehenſus fuit, quia coram * Gentibus iudaizat, quibus licitũ non erat legalia ſeruare, & ideo incaute agebat, quia ſuu exemplo inducebantur ad iudaizandum.

H

Vide Concilium Pauli. — * al. Gentilibus.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa non imitatur iudæos in iudaiſmo, ſed tolerat eorum ritum * per rationem dictam.

* al propter.

Et eodem modo reſpondendum eſt ad tertium, quia non dat eis cauſam peccandi, ſed permittit ſolum, ſequens in hoc Dei iudicium, qui multa mala permittit propter aliqua bona, quæ ex illis ſua mirabili pruuidentia eliciuntur.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA DEBEAT facere baptizari Iudæorum Filios, inuitis Parentibus.

S. Tho. 2. 2. q. 10. art. 12. & Turrecrem. diſt. 45. cap. De Iudęis. q. 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa, inuitis Parentibus, debeat Iudæorum filios facere baptizari. quia pueri non ſaluantur, nec regenerantur voluntate Parentum. Ergo eorum voluntas nihil facit, vt eorum filii debeant baptizari, vel non.

2 Prætetea: In articulo mortis nulli beneficium ſalutis eſt denegandum: nec hæretico, nec ſchiſmatico, nec excommunicato, nec præciſo ab Eccleſia. Ergo ſaltem in articulo mortis pueris iudæorum per fideles perſonas baptiſmi beneficium eſt conferendum.

3 Præterea: Pueri obligantur ad pœnam culpæ ex opere aliorum. Ergo aliorum operatione poſſunt ſaluari, & baptizari.

4 Preterea: Magis eſt de iure naturali matrimoniũ, quàm cura paternalis erga filios. Sed ibi diſpenſat Eccleſia ratione infidelitatis. Ergo ſimiliter debet diſpenſare in hoc.

Tomo 6. c. 5. & eſt cōtra ep. Manich.

IN CONTRARIVM eſt. quia vt dicit Auguſtinus contra epiſtolam fundamenti: Ego non crederem euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ. Sed Eccleſia non legitur talem conſuetudinem habuiſſe, vt iudęorum filios baptizaret, inuitis parentibus. Ergo iſtud faciendum non eſt.

RESOLVTIO.

Filij Iudæorum, inuitis Parentibus, baptizari non debēt. Papa enim legem Scriptura ſacra, aut Eccleſia contrariam ſtatuere non poteſt: nec Natura legem condere, nec eam deponere valet. cuiuſmodi filiorum educatio dici debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ (ſicut dictum eſt ſupra) in his, quæ per Scripturam ſacram non inuenitur aliquid certum, conſuetudo Eccleſiæ, & Maiorum pro lege ſeruanda eſt. Eccleſia autem nunquam legitur talem conſuetudinem habuiſſe, vt Iudæorum, vel aliorum infidelium filios inuitis parentibus faceret baptizari, etiam tempore Imperatorum chriſtianiſſimorum, vt Conſtantini, & aliorum: quorum fauore ſummi Pōtifices, & Epiſcopi, qui pro illo tempore fuerunt, potuiſſent talem conſuetudinem in Eccleſia vniuerſaliter inducere. Sed an nunc Papa poſſit inducere contrariam conſuetudinem, & contra talem communem obſeruantiam Eccleſię diſpēſare: puto ꝙ non: quia hoc videtur repugnare præceptis legis naturæ. De lege autem naturali non eſt ſolum filiorum procreatio, verum etiam nutritio, & educatio vſquequo ad vſum rationis perueniant: iuxta illud ad Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit dominus omnium: ſed ſub tutoribus, & actoribus eſt vſque ad præfinitum tempus à Patre. Ad Papam autem non ſpectat legem naturæ inſtituere, vel ponere. Ergo ad ipſum non ſpectat ipſam deſtituere, vel deponere.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ pueri non ſaluantur, vel regenerantur uoluntate parentum, poſtquam ſunt ſui iuris, & ſuæ libertatis: ſed antequã ad vſum rationis perueniant per rationem, & voluntatem parentum eorum ſalutem cōſequuntur: vt ſicut eorum curæ naturaliter ſubiacent; ſic ſecundum eorum diſpenſationem ſunt eis diuina miniſtranda.

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ aliqui dicunt pueros infidelium eſſe baptizandos in clanculo in articulo mortis per nutrices ipſorum, & non aliter, ne ſacramento fieret iniuria per reiterationem, ſi poſtmodũ adulti facti conuertentur ad fidem. Et ne poſtmodũ baptizati remanêrent in conuerſatione infidelium, quibus baptizatis conuerſatio infidelium per Eccleſiam interdicitur. Sed iſtud nihil eſt dicere, quia non negatur quin iudæus, vel infidelis poſſit ſacramentũ baptiſmi conferre adminiſtrando ipſum in forma Eccleſiæ. ſed ſi in articulo mortis, vel alio modo baptizentur pueri iudæorum per nutrices, & obſtetrices chriſtianas fit hoc inuitis parentibus, quod ſupra negatum eſt fieri poſſe, & fit contra prohibitionem Eccleſiæ. quia prohibetur extra de iudæis: † Ne ipſi obſtetrices, vel nutrices habeant chriſtianas.

† cap. Etſi iudæos.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ voluntate, & opere aliorum ſimiliter ſaluantur pueri vſu rationis carentes: quia uoluntate, & opere ſolum parentum, quorũ diſpenſatione (vt dictũ eſt) ſunt eis ſacramenta ſalutis adminiſtranda.

AD quartum eſt dicendum, quòd matrimoniũ non contrahitur niſi a perſonis, quæ habent uſum rationis. Vnde alter poteſt conuerti ad fidem, altero nō conuerſo. & eodem modo pueri poſt quàm perueniunt ad uſum rationis, poſſunt conuerti ad fidem, parentibus non conuerſis.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA DEBEAT cogere iudæos ad laborandum manibus.

Extrauagan. Pauli IIII. incip. cum nimis abſurdum. & Extrauagan. Pij V. incip. Romanus Pontifex.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat cogere iudæos ad laborandum manibus. Quia iudæi non debent cogi niſi ad illa, quæ alii communiter laici ſubiecti principibus chriſtianis coguntur. ſed non omnes laici chri-

ſtiani coguntur manibus laborare. Ergo nec ipſi iudæi ad hoc ſunt cogendi.

2 Præterea: Dicit Iuriſconſultus l. Nulla viris ratio. ff. de legibus, ꝙ nulla ratio, aut æquitatis benignitas patitur, vt quæ ſalubriter pro vtilitate hominum introducuntur, ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeueritatem. ſed interdũ hoc facit ad utilitatem Reipublicæ: vt iudæi magis intendant alijs lucris, quàm laboribus manuum. Ergo non ſunt ad hoc cogendi.

3 Præterea: Scribitur extra de iudæ. cap. ſicut. Nullus exigat a Iudæis coacta ſeruitia, niſi quæ ipſi tempore præterito facere conſueuerunt. Sed non ſemper fuerunt alio tempore coacti manibus laborare. Ergo nec iſto tempore ad hoc cogendi ſunt.

In Contrarium eſt, quod dicit Apoſtolus 2. ad Theſſal. Vltimo: Qui nõ laborat, non manducet: Sed Iudæi non poſſunt alium lucrum habere licitum ſine lebore manuum. Ergo ad hoc ſunt cogendi, vt poſſint licite eorum panem manducare.

RESOLVTIO.

Iudæi à Papa, vel à Principibus chriſtianis, quibus ſubduntur, ad laborandum manibus cogendi ſunt, ne abſurda multa ſequantur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ loquimur nunc de Iudæis, qui ſubduuntur dominio chriſtianæ fidei. niſi autem per Papam, & alios Principes chriſtianos, quibus ipſi ſubdũtur, cogantur manibus laborare; ſequitur, ꝙ ipſi ſunt participes eorum peccati, & turpis lucri ſectatores: vel ꝙ ipſi fraudentur eorum redditibus debitis eis ex collectis, & condemnationibus ipſorum: cum enim ipſi iudæi, vt ſtatim dicetur, non poſſint publicis officiis deputari, de quorum ſtipendijs poſſit eis licitum lucrum acquiri: relinquitur ꝙ ſi non cogantur manibus laborare, ſolum lucrum vſurarum ad eos poteſt peruenire. Propter quod ſi contingat prædictos Iudęos forefacere, cum eorum culpa non debeat tranſire impunita, multo fortius, quàm culpa chriſtianorum: neceſſarium erit, vt puniantur pœna pecuniaria: niſi forefacerent tali culpa, quæ eſſet digna pœna mortis. vel priuatione alicuius membri. quæ quidem pecunia nomine pęnę ab eis ablata, tamquã vſuraria per iudices, chriſtianos Principes retineri non poteſt: Sed vel reddenda eſt illis perſonis, à quibus Iudæi extorſerunt, vel ſecundum conſilium dyoceſani in pios vſus debet erogari. Hoc idem intelligendũ eſt de collectis eis impoſitis: quæ ſi ad manus Iudicis, & Principũ chriſtianorũ perueniunt, ſicut ab eis retineri non poſſunt. Ne ergo ipſi ſic damnificentur: non ſint negligentes eos compellere manibus laborare ad proprium victum lucrandum, vt non ocioſe viuentes de ſolis vſuris ditentur. & ſic eorum Domini ſui redditibus fraudentur.

Forefacio eſt uerbum vſurpatum ad Aeg. Ro. 2. ſent non raro. Et ſuper epiſt. ad Ro. cap. 1. ſub finem frequenter, pro peccare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimili. quia laici chriſtiani pñr publicis officijs deputari, & aliqui militiæ ad cuſtodiam Reipublicæ. Ali-

E qui uero ſaluti animarum poſſunt intendere: qui licitè de ſtipendijs ſubditorum poſſunt viuere abſque eo, quòd manibus laborent.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ lucrum vſurariũ probatur eſſe contra naturam per Philoſophum. Vnde numquam per aliquam legem poſitiam poteſt ordinari eſſe licitum, quantumcumque interdum aliqua vtilitas Reipublicę prouenirer. nec aliqua lex ciuilis tale lucrum approbat, ſed potius condemnat. Polit. 1. c. 7.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ coacta ſeruitia in eorum incommodum, & detrimentum non ſunt ab eis exigenda. lucrum autem vſurarium numquam fuit eis commodum, & licitum: licet quandoq pro eorum auaritia permiſſum. Vnde cogere eos manibus laborare, vt licite poſſint manducare, & eorum
F victum lucrari, non eſt cogere ad coacta ſeruitia.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA DEBEAT priuare Iudæos officiorũ ſuper Chriſtianos adminiſtratione.

Concilium Lateraneñ. ſub Innocentio 3. cap. 69. refertur in c. cum ſit nimis. extra de Iudæis. vbi latè doctores, adde S. Thomam 2. 2. q. 10. art. 10. & Marquardum tract. de iudæis par. 2. cap. 6. vbi latiſſimè.

G AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat Iudæos priuare officiorum adminiſtratione ſuper Chriſtianos. quia Gentiles tamquam rami ex radice iudęorum traxerunt originem fidei iuxta illud Apoſtoli ad Roma. 11. Si tu ex naturali exciſus oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: noli alte ſapere, ſe time. quia non tu radicem portas, ſed radix te. Propter reuerentiã ergo Apoſtolorum, & Patriarcharum qui fuerunt radix noſtræ ſalutis, non ſunt priuandi omni honore.

2 Præterea: Contingit quandoque aliquos ex iudæis fieri chriſtianos. Tales ergo ſaltem licet ad publi
H ca officia deputari in ſpiritualibus, & temporalibus.

3 Præterea: Licet uendere Iudæis annuos redditus, ſicut patet extra de Iudęis. cap. Ex ſpeciali. Sed tales, quibus annui redditus venduntur, coguntur aliquod officiũ habere ſuper illos, à quibus pecuniã exigunt.

In Contrarium eſt, quia ſcribitur 54. diſt. cap. Nulla. vbi dicitur: Nulla officia publica Iudæis iniungantur.

RESOLVTIO.

Iudęi à Papa publicis officiis ſuper chriſtianos priuari debent fungentes huiuſmodi officiis, necnon eadem ijs iniungentes puniendi ſunt.

RESPON-

RESPONDEO, dicendum, quòd propria culpa Iudæorum eos ſubmiſit perpetuę ſeruituti fidelium: pietas tamẽ chriſtiana, quę deſiderat omnes homines ſaluos fieri, ſperans de eorum conuerſione, quamuis eos recepter, & ſuſtineat in eorum cohabitatione: conſiderans tamẽ eorum ingratitudinem, quæ ſemper abundauit in eis, tollit eis omnem occaſionem ſæuiendi, & lędendi chriſtianam fidem. vnde quia ſemper ſuperiores quandam vim coactiuam habent reſpectu inferiorum: ne ipſi ſint infeſti chriſtianis; proinde ordinauit Eccleſia, vt nullis publicis officijs deputentur: ita vt non ſint conſules, non iudices, non baliui, non rectores, nec præpoſiti in aliquo officio deputẽtur: & pœna taxatur tam illis, qui eos pręficerent, quàm ipſis, qui ſuſciperent. extra de iudę. cap. Cum ſit nimis. Cum ſit nimis abſurdum, vt blaſphemus Chriſti in chriſtianos vim poteſtatis exerceat; prohibemus, ne Iudæi publicis officijs præferantur: quia ſub tali prætextu chriſtianis plurimum ſunt infeſti. Siquis autem eis tale officium cõmiſerit, pęna, qua cõuenit, compeſcatur: Officiali vero hmõi tamdiu chriſtianorũ communio in commercijs, & alijs denegetur, donec in vſus pauperum chriſtianorum ſecundum prouidentiam diœceſañ. Epiſcopi conuertatur, quicquid fuerit à chriſtianis adeptus ratione officij ſic ſuſcepti, & officiũ ipſum cũ pudore dimittat.

Turrecremata in c. nulla. 54. dist.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ tunc illi, qui contrahunt honorẽ ex radice ſunt honorandi, quando ſunt ipſius radicis imitatores: non extirpatores, & deſtructores: Iudæi autem, qui fuerunt tempore paſſionis Chriſti, nõ fuerunt Patriarcharum, & Prophetarum imitatores: ſed potius occiſores. Vnde eis dixit veritas Matth. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſęi, qui dicitis: Si fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocij eorum in ſanguine Prophetarum. itaque teſtimonium eſtis vobiſmetipſis, quia filij eſtis eorũ, qui Prophetas occiderunt. Iudæi uero, qui nunc ſunt: non ſunt ſimiliter imitatores Apoſtolorum. Ideo non ſunt * per talem radicem honorandi, ſed potius ſub ſeruitute tenendi.

* al. ꝓpter:

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut notat Hug. 17. quæſt. 4. c. Cõſtituit ſacrum concilium. Illi qui ex iudæis ad fidem chriſtianam ſunt conuerſi: non conſueuerũt ad publica officia deputari: quia ſuſpecti † habentur: ſcribitur enim de cõſe. diſt. 4. c. Plerique. † Plerique ex iudæis, qui dudum ad chriſtianam fidẽ promoti ſunt, nunc blaſphemantes Chiſtum: non ſolum iudaicos ritus perpetraſſe noſcuntur: ſed etiam abominandas circumciſiones exercere.

† Vide Ioãnem Roiã in ſingularibus fidei ſingul. 104.
† Sumitur ex concilio Toletano. 4. cap. 58.

AD tertium eſt dicendum, quòd quamuis liceat redditus iudæis vendere vel paganis; chriſtianus tamen eſt deputandus non ſuſpectus ſuper grauaminibus imponendis clericis, vel laicis chriſtianis: per quem Iudęi ſiue Saraceni ſine chriſtianorũ iniuria regalia iura conſequantur.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA DEBEAT priuare Iudæos, vt dominium non habeant ſupra chriſtianos.

Turrecramata, & Doctores in c. Mancipia chriſtiana. 54. diſt. doctores in cap. Iudæi, ſiue Saraceni. extra de iudæis. Et S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non debeat Iudæos priuare, vt dominium non habeant ſupra chriſtianos. quia ius naturale per Papam tolli non poteſt (vt ſupra dictum eſt.) Sed Dominium vnius ſuper alterum eſt ex naturali lege Ergo per Papam auferri non poteſt.

2 Præterea: Chriſtiani poſſunt eſſe coloni, & operarij infidelium. Ergo eorum ſerui.

3 Præterea: Libertas gratiæ æqualis eſt apud omnes: ſed pagani, vel iudęi ſi ſint ſerui chriſtianorũ; & baptizentur; non propter hoc liberantur à ſeruitute ſuorum dominorum. Ergo eodem modo ſerui iudęorum ſi fiant chriſtiani, non liberabuntur ab eorum ſeruitute.

IN CONTRARIVM eſt, quia Iudæi nõ poſſunt habere dominium ſuper mãcipia chriſtianorũ, ſicut habetur 54. diſt. cap. Mancipia chriſtiana. Ergo multo fortius non poſſunt habere dominium ſupra chriſtianos liberos.

RESOLVTIO.

Iudæis, qui Chriſtianæ fidei ſubduntur, ſeruos chriſtianos habere nullo modo licet.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſermo eſt de Iudæis, qui ſubduntur dñio chriſtianæ fidei: An liceat eis ſeruos chriſtianos habere. Ad quod ſic rñdetur, ꝙ ſeruus iudæi, uel eſt vernaculus: puta in ſeruitute natus: & ſic ſtatim cum factus eſt chriſtianus, à ſeruitute liberatur, nullo pretio dato. Si uero ſit emptitius, diſtinguendum eſt, quia aut eſt emptus cauſa ſeruitij, & ſic eodẽ modo abſque aliquo pretio factus chriſtianus in libertatem aſſumitur. Si vero emptus ſit cauſa mercimonij, & infra tres menſes per Dominum eius non ſit repoſitus venditioni: factus chriſtianus liberatus eſt à ſeruitute ſine pretio. Si uero ſit infra tres menſes uenditioni expoſitus; tunc ſi ipſe infra tale ſpatium, vel poſtea velit fieri chriſtianus: ſolutis 12. ſolidis vſualis monetæ ibi currentis, liber efficitur. nec ille, qui pretium ſoluit, ſi per ſe non habuit, dominium acquirit ſupra eum, maxime ſi cauſa pietatis eum redemit. Si uero cauſa mutui tale pretiũ ſit ſolutũ; aliquãtu tẽpore ſibi ſeruiat, donec ſibi ſit ſatiſfactũ ſecundũ arbitriũ boni uiri. Sed quare Iudæus magis fraudetur de ſeruo empto cauſa ſeruitij, quàm

Vide cap. 1. & 2. extra de iudæ. hodie hęc Auguſtini doctrina ceſſat per cõſtitutiones Apoſtolicas citas ſupra art. 4. huius quæſtionis. Vide tã Tit. Iudæus.

cauſa mercimonij? Puto hoc ideo eſſe, quia præ utui tur, ſeruum emptũ cauſa ſeruitij, eum voluiſſe ad ritum ſuæ infidelitatis conuertere abſque aliqua ſpe ad chriſtianam fidem perueniendi. non ſic autem præſumitur de ſeruo empto cauſa mercimonij.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod Papa non tollit ius naturæ. ſed loco Dei, tranſgreſſores iuris naturalis punit. planum eſt autem, quod omnes infideles, & merito eorum infidelitatis merẽtur poteſtatem amittere ſupra illos, qui in filios Dei adoptãtur. Vnde Papa omnes infideles tali põte merito poteſt [*eos*] priuare, licet quandoque in primitiua Eccleſia hoc fuerit prętermiſſum propter ſcandalum uitandũ, F & propter multiplicationem ipſorum infidelium.

AD ſecundum eſt dicendum, quod non habet homo tantam põtem ſupra colonos, & operarios, ſicut Dominus ſupra ſeruum, nec tanta mora contrahitur: vt poſſit eſſe dubium, vt cogantur iudaizare, & ritum iudæorum tenere ſicut ſerui.

AD tertium eſt dicendum, quod non eſt ſimile. quia ſerui chriſtianorum non poſſunt ſeduci, cum eundem ritum teneant Domini, & ſerui. ſed ſerui iudæorum, & infidelium ſeduci poſſunt. & ideo prouide ſtatutum eſt, vt nec mancipia chriſtiana iudæi, & infideles poſſint habere.

ARTICVLVS VII.

UTRUM PAPA DEBEAT permittere chriſtianos cum iudæis conuerſari. G

S. Thom. 2. 2. q. 10. art. 9. Et Armill. Tit. Iudæus.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quod Papa non debeat permittere chriſtianos cum iudæis conuerſari. ſcribitur enim Deute. 7. Cum ingredieris, & deleuerit Dominus ſeptem gentes maioris numeri quàm tu es, & robuſtiores te: non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, nec ſociabis cum eis coniugia, neque filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuũ, ne ſequatur me. Eodem ergo modo non eſt conuerſandum cum eis: ne ipſi chriſtiani ſeducantur ab eis. H

2 Præterea: Chriſtiani cum illis non debent conuerſari, qui per Eccleſiam nõ poſſunt iudicari: ſed iudæi, & alij infideles non poſſunt iudicari per Eccleſiam: Dicit enim Apoſtolus 1. ad Cor. 5. Quid mihi de his, qui foris ſunt, iudicare? Nã eos, qui foris ſunt, iudicabit Deus. Nõ eſt ergo cũ Iudæis conuerſandũ.

3 Præterea: Magis ſeparati ſunt ab Eccleſia infideles, & Iudæi, quàm Hæretici. ſed cum cum hæreticis non eſt communicandum. ſcribitur enim ſecunda canonica Ioan. Si quis venit ad uos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum: neque aue E ei dixeritis. Et loquitur de hæreticis. Multo ergo magis non eſt conuerſandum cum Iudęis, & Paganis.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Chryſ. † & ponitur 11. quæſt. 3. c. Ad menſam. Ad menſam paganorum ſi volueris ire, ſine vlla prohibitione permittimus. Planũ eſt autem, quod pagani in multis iudaizant, ſicut iudæi. Vnde ſi licitum eſt conuerſari cum Paganis, licitum eſt ſimiliter cum Iudęis. † Homil. 25. ad c. 11. Epiſtolæ ad Hebræos.

RESOLVTIO.

Chriſtianis cum Iudæis cõuerſari per Papam licet, præcipuè uero, cum de eorum conuerſione ſperatur: & ſeductio iſtorum non timetur. Conuiuia tamen prohibentur, ſed non Prædicatoribus, modo Idolis non ſint immolata: cohabitatio, balneatio, medicina ipſorum nobis negantur: teſtimoniumque contra chriſtianũ prohibetur: Hæreditaria eis facultas à chriſtianis non eſt relinquenda: Habitus eorum ab alijs debet eſſe diſtinctus: & in die lamentationum oſtia, feneſtraſque aperire, & in publico apparere prohibentur.

RESPONDEO dicendum, quod Eccleſia omnibus ſalutem optat. & ideo nec Iudæorum, nec aliorum infidelium ſuis filijs uniuerſaliter interdicit conuerſationem, maxime quando ſperat de illorum conuerſione, & non formidat de ſuorum filiorũ ſeductione. & quia diuturna conuerſatio familiaris in aliquibus actibus poſſet eſſe cauſa ſeductionis ipſorum fideliũ; ideo primo pręcipitur Chriſtianis, vt Iudæorum, & aliorum infidelium conuiuia vitent, nec eos ad eorum conuiuia recipiant: ne eorum participatione ſubuertantur, vt ſcribitur 28. quæſt. 1. c. Nullus, & c. Omnes. Illud vero, quod dicitur de menſa Paganorum, non intelligitur in caſu prædicationis: quia licitum eſt Prædicatoribus vti eorum cibis † cum modeſtia, dummodo non eſſent idolis immolati. Secundo, ne ſimul cohabitent cum eis, nec ſe balneent in eodem balneo. Tertio ne in eorum infirmitate eos vocent, vel eorum medicinas recipiant. Quarto, vt ne in teſtamento eis aliquid relinquant. † Quinto, vt ne in die lamẽtationum feneſtras, & oſtia aperta teneãt, vel ipſi in publico appareant. † Sexto: vt vtriuſque ſexus in omni chriſtianorum Prouincia omni tempore habitus in qualitate publicè ab alijs diſtinguantur. Septimo vt in diebus ſabbatis non trahantur ad iudicia, nec teſtimonium ipſorum contra aliquem chriſtianum ſit recipiendum

† Vide extrauagantẽ Alexãdri 4. incip. cum hora.
† Habetur inter litteras Apoſtolicas poſt Directorium inquiſitorũ.
† Extra de Iudæis cap. Poſtulaſti.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod illud præceptum dedit Deus iudæis tunc ad idololatriam pronitatem habentibus: Et ideo timendum erat, ne ipſi per conuerſationem illarum gentium colentium idola, quæ terram eis promiſſam occupatam tenebant, ſeducerentur. & eodem modo nunc, ſi ſint aliqui ſimplices, & infirmi adhuc in fide: de quorum conuerſione probabiliter timeri poſſit. prohibendi ſunt à iudæorum, & aliorum infidelium conuerſatione, & præcipuè, ne magnam familiaritatem habeant cum eis.

AD

A D ſecundum eſt dicendum, quòd Eccleſia non poteſt iudicare iu dæos, & alios infideles: infligendo eis pœnam ſpiritualem. ſed pœna temporali poteſt eos iudicare: & ideo in mercimonijs, & in alijs tẽporalibus negocijs poteſt eorũ conuerſationẽ tolerare.

A D. tertium eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia hæretici iam fidem receperunt. & ideo Eccleſia poteſt eos cogere, vt rectam fidem teneant. Iudæos vero, & alios infideles non cogit, nec punit eos illa pœna, qua punit hæreticos.

ARTICVLS VIII.

VTRVM PAPA DEBEAT punire Iudæos pœna ſpirituali.

Marquardus tract. de Iudæis par. 2. cap. 8. Zanchinus tract. de hæret. cap. 36. num. 4.

A D octauũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa debeat punire Iudæos pęna ſpirituali, qua punit chriſtianos. quia excommunicatio maior, quæ eſt pœna ſpiritualis, eſt priuato à communione fidelium. ſed communio fidelium denegatur iudæo recipienti aliquod officiũ publicum ſuper Chriſtianos, ſicut patet extra de iudæ. cap. Cum ſit nimis abſurdum. puniuntur ergo iudæi ſpirituali pœna.

2 Præterea: Papa non punit aliquos temporali pęna: quia mucro Papæ, & epiſcopi eſt ipſa excommunicatio. Arma enim militiæ clericorum non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, vt dicit Apoſtolus 2. ad Chorin. 10. Pęna ergo ſpirituali per Papã debẽt puniri iudæi.

3 Præterea: Pęna debet eſſe proportionata culpæ: ſed culpa iudæorum quandóque eſt ſpiritualis, potiſſimè quando in contumeliam, & blaſphemiam Creatoris inſurgunt. Ergo ſpiritualis pœna eis debetur.

Lib. 5. Decr. Tit. de Iudæis.

I N C O N T R A R I V M eſt quod ſcribitur extra de Iudęis cap. Poſtulaſti. vbi dicitur, ꝙ cum quidam iudæus manus violentas in clericum inieciſſet, Papa mandauit prædictum iudæum pœna pecuniaria puniri: & clerico læſo temporaliter ſatisfieri vſq; ad condignam ſatisfactionem.

R E S O L V T I O.

Papa Iudæos punire poteſt pœna temporali directè, videlicet flagellationibus, et pecunijs: Indirectè quantũ ad mutilationem alicuius membri, uel mortem eos brachio ſeculari puniendos tradit: Pœna vero ſpirituali nonniſi indirectè, excommunicando Chriſtianos, ſi cũ eis participent.

R E S P O N D E O, dicendum, ꝙ Papa poteſt punire iudæos, & alios infideles pœna temporali, & ſpirituali tamquam ſupra eos plenam iuriſdictionẽ habens: temporali quidem pœna directè, & indirectè. A Directè quia per ſe mandat eos puniri (cum foreſaciunt) pœna pecuniaria: & per ſe præcipit, vt illi Iudæi, qui eos, qui de infidelibus ad baptiſmum venerunt, ſubuertere nitũtur per fideles publicis cędibus, & flagellationibus deputentur, ſicut patet 28. quæſt. 1. cap. Sępe. Indirectè autem quando ſic foreſaciunt: vt ſint digni morte, vel priuatione alicuius membri, cuius † pœnam ſtatuit reliquendam eſſe brachio ſeculari: ſed pœna ſpirituali directè eos punire non poteſt: quia non poteſt eos punire priuatione ſacramentorum, quę eſt excommunicatio minor, Qui enim non participant ſacramenta non poſſunt priuari participatione ſacramentorum, Nec poteſt eos ſeparare à communione Eccleſiæ, quæ eſt eſt excommunicatio maior: Qui enim non ſunt in Eccleſia ab Eccleſia ſe- B parari non poſſunt, ſicut dicit Auguſtinus, & ponitur 11. quæſt. 3. cap. Omnis Chriſtianus. Indirectè tamen poteſt eos punire pœna ſpirituali excommunicando chriſtianos, ne cum eis participent: excommunicando Chriſtianos Principes, quibus ipſi Iudæi ſubduntur, ſi negligunt eos punire temporali pęna: quando ipſi in chriſtianos foreſaciunt.

Foreſacio, eſt uerbum uſurpatum ab Aegid. Rom. 2 ſen tent. frequenter: ſup Ep. D. Pauli c. 1. non raro, & ponit pro peccare.

† Videtur legẽdum, huiuſmodi pœnam &c.

Foreſaciũt .i. peccant.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum ꝙ illa denegatio communionis fidelium refertur ad chriſtianos, ne ipſi communicent cum iudæis in cõmercijs, & in alijs negotijs: donec per eos fiat ſatisfactio condigna.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa poteſt punire pœna temporali, & ſpirituali tãquam in vtriſque G plenam iuriſdictionem habens, ſed aliquam pœnam temporalem, quando extenditur ad ſanguinis effuſionem, non exequitur immediatè per ſe, ſed mediante brachio ſæculari.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ lex, quæ data eſt Iudæis, magis fuit timoris: & bona promiſſa eis magis fuerunt temporalia, quàm ſpiritualia, iuxta illud Iſa. 1. Si nolueritis, & audieritis me. bona terræ comedetis. Congrue ergo iudæis circumciſis carne, non ſpiritu magis inducitur pœna temporalis, quàm ſpiritualis.

ARTICVLVS IX.

D *VTRVM PAPA DEBEAT permittere Iudæorum oblationes, & eleemoſynas recipi à fidelibus.*

S. Thomas 2. 2. q. 86. art. 3. & q. 87. art. 2. ad 2. argum.

A D nonum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non debeat permittere Iudæorum oblationes, & eleemoſynas recipi à fidelibus. quia beneficium non poteſt recipi iuſtè, niſi adminiſtretur officium. ſed Iudæis nõ miniſtratur officium Eccleſiaſticũ, nec ſacramenta.

Ergo iuſtè non poſſunt ab eis recipi benefitia oblationum,& eleemoſynarum.

2 Præterea : Dicit Aug, & ponitur 14. quæſt. 5. cap. Nolite. Nolite uelle facere eleemoſynas de fenore, & vſuris: quia immolans ex iniquo oblatio eſt maculata, nec dona iniquorũ altiſſimus approbat: ſed iudæi non noſcuntur aliud habere niſi de vſuris. Ergò eorũ oblationes,& eleemoſynæ recipiendæ non ſunt.

3 Præterea : Scribitur Prouerbiorum 15. Victimæ impiorũ abhominabiles Domino, vota iuſtorũ placabilia. ſed cõſtat, Iudæos impios eſſe,& nõ iuſtos. Nõ ergo ſunt eorũ eleemoſynæ, vel oblationes recipiẽdæ.

In Contrarivm eſt quod ſcribitur extra de deci.& primitijs c. De terris, vbi dicitur: De terris, quas Iudęi colunt: Tuæ prudentiæ reſpondemus, vt eos ad decimas perſoluendas omni cum diſtrictione compellas, ne forte occaſione illa Eccleſiæ valeant ſuo iure fraudari. F

Resolvtio.

Decimæ, oblationes, & eleemoſynæ Iudæorum prædiales, vel perſonales abſque uſuraria prauitate acquiſitæ à fidelibus recipi poßunt : vſuraria non item: ſunt enim reſtituenda ijs, à quibus ex torta ſunt, uel in vſus pauperum, uel Reipublicę vtilitatem ſunt exponenda non autem in proprium vſum conuertendę.

Respondeo, dicendum, quòd aliqui abſolutè reſpondent iuſtè à Iudæis poſſe recipi oblationes, & eleemoſynas, quamuis conſtet, eos non G niſi pecuniam vſurariam habere propter tria. Primo quidem quia de Iudęis non eſt aliqua ſpes, vt per eos reſtituatur vſura; nec in morte, nec in vita. Vnde eorum conditio non ſit deterior ad reddendum, ex quo de eis non eſt ſpes reſtitutionis ſicut de chriſtianis: quorum reſtitutio ſaltem in morte ſperatur. Propter quod iuſtè poteſt talis pecunia ab eis recipi hac intentione: vt illis perſonis reſtituatur, à quibus extorta eſt, ſi inueniuntur: vel ſi non inueniũtur, Principes terrarum pro utilitate Reipublicæ, & pauperes Chriſti, & Rectores, & adminiſtratores ſacramentorũ iuſtè efficiunt ut illius pecuniæ poſſeſſores. Secundo, quia probabiliter præſumitur, quòd chriſtiani, quorum bona habent iudęi per vſurariam prauitatem, potius uellent chriſtianos pauperes habere H bona illa, vel Rectores ciuitatum, quàm ꝙ remaneant apud Iudęos, à quibus nullam reſtitutionem ſperent, nec beneficium ſpirituale, nec temporale. Tertio quia uеriſimile eſt, vt Iudæi terram non colentes, nec manibus laborãtes multa lucra licita habere poſſint ex ſola permutatione pecuniæ,& mercantijs, & alijs contractibus, emendo, vel vendẽdo. Nec eſt talis præſumptio violenta, cum lex ponat, ꝙ ſi diues, vel pupillus habuerit tutorem pauperem, qui poſtea diues apparuerit tempore redditæ rationis (cum tamen non acquiſiuiſſet ex arte, vel ſucceſſione) non poteſt pupillus res cauſare eſſe ſuas, quia non cõſtat vnde venerint: Fortuna enim multis modis lucrandi hominibus prouidet.

Puto tamen diſtinguẽdum eſſe, ꝙ decimæ, vel obla- E tiones, vel eleemoſynæ receptæ à iudæis, vel ſunt prædiales, vel perſonales. De prædijs vero,& terris, quas colunt iudæi, licitè poſſunt recipi oblationes, & decimæ. Si uero ſunt perſonales,& conſtat, eos aliquid habere de laboribus eorum, & de induſtria lucrandi abſque vſuraria prauitate: adhuc licitè poſſunt ab eis recipi oblationes,& eleemoſynæ. Sed ſi conſtat, eos nihil habere niſi vſuram: tutius eſt non recipere, quàm recipere. quia planum, eſt quòd retineri non poteſt niſi reſtituatur perſonis, à quibus eſt extorta. magnó autem periculo homo exponit ſe recipere pecuniam, quæ vel alijs eſt reſtituenda: vel in vſus pauperum, & vtilitatem Reipublicæ exponenda, & non in proprium commmodum conuertenda.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non accipiuntur à Iudæis decimæ,& oblationes pro adminiſtratione ſacramentorum, ſed pro prædijs, & poſſeſſionibus poſitis in territorio Eccleſiæ. Vnde extra, capitulo ſupradicto dicitur, ꝙ vel cogantur poſſeſſiones renunciare, vel decimas,& oblationes perſoluere.

Ad ſecundum, & Tertium dicitur, ꝙ ſi conſtat, eos nihil habere niſi vſuram, tutius eſt non recipere, quàm recipere, quantumcumq; reciperetur cauſa reddendi illis, à quibus eſt extorta propter rationẽ ſuperius dictam.

ARTICVLVS X.

G ***VTRVM PAPA DEBEAT** permittere aliquas exactiones fieri in Iudaos.*

Marquardus tract. de Iudæis par. 1. cap. 9. vbi plene de materia huius articuli.

AD decimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa debeat permittere aliquas exactiones fieri in Iudæos. quia res ſeruorum, dominorum ſunt. ſed iudęi ſerui ſunt, quia eorum propria culpa ſubmiſit eos perpetuæ ſeruituti, vt ſcribitur extra de Iudæis.

H 2 Præterea : Iuſtè poteſt auferri, quod iniuſtè detinetur: ſed pecunia à iudæis poſſeſſa (cum ſit vſuraria) iuſtè non detinetur. Ergo iuſtè poteſt ab eis auferri.

3 Præterea : Si non poſſent aliqua dona, & xenia à iudæis recipi, melioris conditionis eſſent ipſi, quàm chriſtiani,& culpa ipſorum eis patrocinium præſtaret, non incommodum: quod eſt inconueniens.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur extra de Iudæ. cap. ſicut. Vbi dicitur, quòd coacta ſeruitia à iudæis exigenda non ſunt.

Resolvtio.

Exactiones nouę, itemque ſeruitia coacta à Iudæis erigi non debent propter Eccleſię prohibitionem, nec non ſcandali, & periculi vitationem.

RESPON.

RESPONDEO, dicendum, quòd planum eſt Iudæos perpetuæ ſeruituti Eccleſię,eorum culpa eſſe ſuppoſitos:& eorũ res ſub dominio chriſtianorũ exiſtere.Res,dico,iuſto titulo per eos acquiſitas: quibus terrarum Principes vti poſſunt tamquam proprijs: tali tamen ſeruato moderamine, vt neceſſaria vitæ,& ſubſidia eis,& eorum familijs opportuna, eis nullatenus ſubtrahantur. Verum quia,dicente Apoſtolo, 1. ad Theſſal. 4. Honeſtè oportet ambulare ad eos, qui foris ſunt: vt nullius aliquid deſideretur [*& loquitur de Iudæis & infidelibus*] ne nomen Domini blaſphemetur in nobis.Ideo prouide ſtatuit Eccleſia, vt nouæ exactiones in Iudæos non fiant,nec coacta ſeruitia ab eis exigantur propter tria. Primo propter ſcandali uitationem. ſcribitur enim 1. ad Corin.10. Sine offenſione eſtote Iudæis,& Gentibus, & Eccleſiæ Dei: ſicut ego non quęrens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis,vt ſalui fiant.Secundo propter Eccleſiæ prohibitionem:ex quo enim per Eccleſiam prohibitum eſt,non debet fieri. Tertio propter periculi vitationem, cum enim eorum pecunia, vt in pluribus,ſit vſuraria,& talẽ homo non poſſit in proprium commodum cõuertere: periculo homo ſe exponit, aliquid ab eis recipiendo.

A

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ res ſeruorum ſunt dominorum, quantum ad tuitionem,& quantum ad Reipu.conſeruationem: Pro cuius vtilitate poſſunt Principes terrarum rebus Iudæorum vti,ſi ſunt iuſto titulo acquiſitæ: aliàs tenẽtur eas reſtituere illis, à quibus ſunt extortæ,vt ſupra dictum eſt.

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ iuſtè poteſt auferri a Iudæis illud, quid iniuſtè detinetur, vtpote lucrũ vſurariũ nõ ꝓpria arte, & proprijs laboribus acquiſitum.& hoc,non vt in proprium commodum conuer-
B tatur: ſed vt reſtituatur illi, à quo extortum eſt.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non eſt inconueniens, ꝙ Iudæi ſint melioris conditionis,quàm chriſtiani ſecundum quid: quantum ad conſeruationem aliquorum temporalium: ſimpliciter tamẽ ſunt peioris cõditionis: quia habere aliquid de ſuo, vt poſſit iuſtè dare,& alius poſſit iuſtè recipere, melioris conditionis eſt: quàm nihil habere de ſuo, ſed ſolum de alieno.ſi tamen probabiliter præſumitur Iudæos lucrari titulo iuſto: vendendo, & emendo, vel commutando in mercantijs: eſto quòd terras non colant,
C nec manibus laborẽt: ſatis poteſt concedi, ꝙ abſque peccato poſſunt recipi ab eis xenia, & dona, ſecundum opinionem ſupra poſitam.

QVAEST. XXV. DE SCHISMATICORVM RESISTENTIA.

De materia huius quæſtionis latè Turrecramata in ſum.de Eccleſia lib. 4.c.1.& multis ſequentibus: & Iacobatius tract. de concil.lib.7.art.1.

NVnc conſiderandum eſt de Papę reſiſtentia. Circa quam quatuor conſideranda occurrunt.
Primo,de reſiſtentia Schiſmaticorũ.
Secundo,de reſiſtentia tyrannorum.
Tertio, De reſiſtentia excommunicatorum.
Quarto de reſiſtentia hæreticorum.

Circa primum quæruntur ſex.

PRIMO, *Vtrum omnes reſiſtentes Papę ſint ſchiſmatici.*
Secundo, Vtrum omnes ſchiſmatici reſiſtentes Papæ ſint hæretici.
Tertio, Vtrum Papa omnes ſchiſmaticos poſſit omni poteſtate priuare.
Quarto, Vtrum Papa debeat punire ſchiſmaticos grauius,quam hæreticos.
Quinto, Vtrum Papa reputet Græcos ſchiſmaticos, vel hæreticos.
Sexto, Vtrum Papa teneat Græcos eſſe Paganos, vel chriſtianos.

ARTICVLVS I.

VTRVM OMNES RESISTENtes Papæ ſint ſchiſmatici.

D S.Thomas 2. 2.q. 39. art. 1. & Nicolaus Eymericus in Directorio Inquiſitorum par.2.q. 48.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non oẽs reſiſtẽtes Papæ ſint ſchiſmatici .quia illud, quod ſcindi nõ pōt, ibi ſchiſma non habet locũ: ſed Eccleſia, cuius Papa eſt caput, ſcindi non poteſt,quia tunica Chriſti,quæ ſignificabat Eccleſiam, inconſutilis erat deſuper contexta per totum,vt dicitur Io.19.vnde non fuit ſciſſa,ſed ſorte data.Ergo ſchiſma in Eccleſia locum non habet.

2 Præterea: Si omnes reſiſtẽtes Papę dicunt ſchiſmatici: tũc omnis peccator reſiſtens præceptis Eccleſię erit ſchiſmaticus.quia ſecundũ Amb.De paradiſo cap.8. peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ,& cæleſtium obedientia mandatorum.

3 Præterea: Schiſma diuiſionē importat: Nomen E enim ſchiſmatis à ſciſſura animorum vocatum eſt, vt dicit Iſido. in libro Etym. lib. 8. c. 3. ſed omnia peccata diuidunt homines à Deo. & per conſequens à Papa, qui eſt eius Vicarius. iuxta illud Eſa. 59. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum ueſtrum. Omnes ergo peccatotes erunt ſchiſmatici.

† Q. 11. in Matth. Tom 4.

In Contrarivm eſt Aug.† in libro de quæſtionibus Euangeliorum, & extra de ſchiſmaticis.

RESOLVTIO.

Qui Papæ tamquam capiti: & membris Eccleſię ſubiectis ſubeſſe renuunt; ſchiſmatici appellandi ſunt. Qui vero non ex animo per manifeſtam rebellionem ſe ſubtrahunt; ſed propter temporale commodum tantū conſequendum: & propter in commodum vitandum, non item.

Respondeo, dicendum, ꝙ Eccleſia eſt vna vnitate fidei, & charitatis. ad quam vnitatē Apoſtolus hortatur ad Ephe. 4. dicens: Solliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in uinculo pacis: quia eſtis vnū corpus, & vnus ſpirtus; ſicut uocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Eſt autem in Eccleſia, quæ corpus Chriſti myſticum eſt, duplex unitas. Vna membrorum ad caput. Et ſecunda membrorum ad inuicem. De qua duplici vnione Apoſtolus loquitur ad Ephe. 4. quando dicit: Veritatē autē facientes in charitate creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus [*quantum ad vnitatem primam*] ex quo totū corpus G compactum, & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem [*quantum ad unitatem ſecundam*] Illi ergo, qui ex animo, & ſecundum intentionem ſe ab iſta duplici unitate diuidunt, ſchiſmatici appellantur. Vnde qui ſummo Pontifici, tamquam capiti ſubeſſe renuunt, & qui membris ſubiectis ipſi eccleſiæ communicare recuſant: ſchiſmatici eſſe cenſendi ſunt. De qua duplici diuiſione loquitur Apoſtolus ad Colo. 2. quando dicit: Nemo vos ſeducat in humilitate, & religione Angelorum quæ non fuit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput: [*quantum ad diuiſionem primam:*] ex quo totum corpus per nexus, & coniunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augumentum Dei: cuius corporis diuiſio facit diuiſionem ſecundam.

Eccleſiæ vnitas duplex.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non dicitur tunica Chriſti inconſutilis: quod ab ipſa Eccleſia vel charitate, ſignificata per illam tunicam, multi non poſſint ſe diuidere: ſed quia in quibuſcūque eſt charitas Eccleſiæ, in * illis inſciſſa & in diuiſibilis permanet. Vnde merito deſcribitur eſſe contexta per totū: quia nemo eius expers eſt, qui pertinere videtur * ad totum, à quo tota catholica vocatur Eccleſia. Si enim vnus ſolus fidelis remaneret in illo, tota inueniretur Eccleſia. vt dicit Auguſtinus.

* al. ab illis.

* al. inuenitur.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ reſiſtere præceptis Dei, vel Papæ poteſt eſſe dupliciter. Primo per ſpontaneam, & uoluntariam intentionem, ac manifeſtam rebellionē, & eius iudicialis ſententiæ recuſationem. & talis reſiſtentia propria inducit crimen ſchiſmatis. Secundo per alicuius commodi temporalis conſecutionem, & periculi vitationē. Multi enim reſiſtunt præceptis Dei, & vicarij eius, vel ex amore male inflammante, vt aliquod temporale commodū conſequantur: vel ex timore male humiliante: ne ſuper eos aliqua pericula, & incommoda inducantur: qui tamen ſchiſmatici non dicuntur, quia nec ab vnitate membrorum Eccleſiæ, nec ab unitate capitis ſe diuidere ex animo intendunt. Et iſta diuiſio ſatis habetur per Aug. in libro de quæſtione Euang.

Ad tertium eſt dicendum, quod peccatum poteſt F conſiderari dupliciter. vel quantū ad illud, quod eſt formale, & ſic diuiſio, & ſeparatio à bono incommutabili, eſt formale in omni peccato mortali. vel quantum ad illud, quod eſt materiale, & ſic conuerſio ad bonū commutabile vtile, vel delectabile, eſt quid materiale. vnde diſtinguuntur multa peccata ſecundū illa, ad quæ homo ſe conuertit. Peccator ergo, quando peccat, principaliter intendit boni commutabilis adeptionem: præter intentionem autem eius ſequitur diuiſio, & ſeparatio à bono diuino, & a præceptis Eccleſiæ. vnde talis diuiſio non proprie inducit crimen ſchiſmatis, ex quo eſt præter intentionem peccantis: nam ſchiſmaticus proprie non eſt niſi, qui ſponte, & ex animo per manifeſtam rebellionē ſe ſubtrahit ab unitate Eccleſiæ, tam capitis, quàm membrorum.

Quæſt. 11. euang. ex matth. Tomo 4.

ARTICVLVS II.

VTRVM OMNES SCHISMAtici reſiſtentes Papæ ſint hæretici.

Præter citatos in ſuperiori articulo vide Simancam in inſti. cath. tit. 58. de ſchiſmaticis. Et Armill. Tit. Schiſma.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd omnes Schiſmatici reſiſtentes Papæ ſint hæretici. quia diuiſi ab vnitate Eccleſiæ ſunt diuiſi à fide, a qua diuiſi ſunt hæretici. Dicit enim Augu. H contra epiſtolam fundamenti: Ego non crederem euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ. ſed omnes ſchiſmatici ſunt diuiſi ab unitate eccleſiæ. Ergo ſunt diuiſi ab vnitate fidei, & per conſequens ſunt hæretici.

Tomo 6. c. 5. contra Epiſt. Maniet

2 Præterea: Semper maius includit minus, ſed Schiſmatici ſunt diuiſi à tota Eccleſia, quia ſubtrahunt ſe ab obedientia capitis Eccleſiæ; Ergo talis diuiſio includit diuiſionem à fide, cuius vnitas eſt particularis.

3 Præterea: Qui diuidit ſe ab unitate Dei, diuidit ſe ab unitate fidei, quæ eſt unitas primi veri. ſed ſchiſmaticus diuidit ſe ab vnitate Dei, ex quo diuidit ſe ab vnitate Eccleſiæ. Ergo ſimiliter eſt diuiſus ab unitate fidei.

Ex Matth. cap. 13. To mo 4.

In Contrarium eſt Aug. in libro de A quæſtionibus Euang. vbi ait: ꝙ Schiſmaticos non fides diuerſa facit, ſed communis diſrupta ſocietas.

RESOLVTIO.

Schiſmatici, quos communis diſrupta facit ſocietas, hæretici non ſunt, quos diuerſa facit fides. Malus autẽ catholicus veram habet fidem, ſed ſecundum ea, quæ credit, non operatur.

Respondeo, dicendum, ꝙ iſtam quæſtionẽ determinat Aug. in libro ſupradicto, vbi talem diferentiã ponit inter Malum catholicum, Schiſmaticum, & Hæreticum; quia malus catholicus veram fidem habet, & vera credit, tamen non viuit ſecundum B illa quæ credit. Hæreticus vero eſt, qui falſa de Deo credit, vel de aliqua parte ſcripturæ eius, quæ ad fidei ædificationem pertinet non contentus interrogatione inconcuſſe credentis, ſed ſuo errore à vera opinione pertinaciter diſcordans. talis enim (vt ait) & ſi non corpore, ſaltem animo extra Eccleſiam eſt. Sed ſchiſmaticus eſt ille, qui ſua crimina, & peccata ſic paratus eſt ex animo defendere, ſi fuerint obiecta vel probata: vt cogitet ſponte conuenticulorum ſegregationes, & perturbationes Eccleſiæ facere. Igitur ſecundum Auguſtinum, malum catholicum facit morum, & vitæ prauitas: Hæreticum facit fidei diuerſitas: Sed ſchiſmaticum facit diſrupta ſocietas. Et inter iſtos (vt dicit) ſoli hæretici debent dici zizania, quæ cum frumento non habent communem radicem: Sic hæretici communem fidem non habent cum veris catholicis. C debent tamen mali catholici vera credentes, & non vt credunt viuentes dici palea. Et ſchiſmatici debent dici ariſtæ: quia ariſta, & palea communem radicem habent cum frumento.

Mal⁹ catholicus veram fidẽ habet.

Hæreticus quis nã ſit.

Schiſmatic⁹ quis nã ſit.

Notandum ꝙ pulchrũ.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo dicendũ eſt, ꝙ in Eccleſia eſt duplex vnitas. Vna in fidei veritate. Alia in amoris charitate. Poteſt autem eſſe prima vnitas in aliquo ſine ſecunda. Schiſmatici ergo diuiſi ſunt ab Eccleſia quantum ad illam vnitatem, quam facit charitas, ſed non ſunt diuiſi ab Eccleſia, quantum ad illam vnitatem, quam facit fidei veritas.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ in plus ſe habet Schiſmaticus, quàm hæreticus, ſicut in plus ſe habet animal, quàm homo. ſicut enim omnis homo eſt animal, & non ecõuerſo: ſic omnis hæreticus eſt ſchiſmaticus, nõ econuerſo. propter quod falſum aſſumebatur: quia eſſe hæreticum includit eſſe ſchiſmaticum, & non econuerſo. D

Et per hoc patet reſpõſio ad Tertium.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT punire Schiſmaticos omni poteſtate.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 39. art. 3. & Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 4. par. 2. cap. 7.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit priuare Schiſmaticos omni poteſtate. quia poteſt eos priuare poteſtate conſecrationis. Ergo multo fortius poteſt eos priuare poteſtate iuriſdictionis. conſequentia patet. probatur antecednes per illud, quod habetur 23. quæſtione 1. capitulo, Pudenda, vbi dicitur, ꝙ Epiſcopus ab eccleſiæ viſceribus diuiſus, & ab Apoſtolicis ſedibus ſeparatus, execrat ipſe potius, quàm conſecret.

2 Præterea: In conſecratione datur Spiritus ſanctus: ſed Schiſmaticis non datur Spiritus ſanctus, quia extra vnitatem Eccleſiæ Spiritus ſanctus non accipitur. non enim poteſt peccatis ſolui, nec cęleſte regnum ingredi, qui ab vnitate Eccleſiæ diuiſus eſt. vt dicit Beda, & ponitur 23. quæſtione. 1. capitulo, Quicunque.

3 Præterea: Dicit Cyprianus † in quadam Epiſtola, & ponitur 7. quæſtione 1. capitulo, Nouatianus: Quicunque nec communione pacis, nec vnitatem ſpiritus obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo, atque Sacerdotum collegio ſeparat, nec Epiſcopi poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui nec Epiſcopatus vnitatem voluit habere, nec pacem.

† Cyprianus epiſt. 2. lib. 4 ad Antonianum, circa finem.

In Contrarium eſt quod ſcribitur extra de Schiſmaticis.

RESOLVTIO.

Poteſtas ordinis, quæ indelebiliter in Sacerdote, vel Epiſcopo permanet, à Schiſmaticis auferri nonpoteſt. qui ſi conſecrarent, vel ordinarent in forma Eccleſiæ, vere id præſtarent.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſicut ſupradictũ eſt, duplex poteſtas dignoſcitur eſſe in Eccleſia. Vna ordinis, & conſecrationis.

Alia iuriſdictionis & executionis.

Prima datur in cõſecratione ordinis Sacramenti, vel in perfectione ordinis: quæ quidem tãta eſt, quãta poteſtas data eſt Sacramento. vnde in tali poteſtate Papa non excedit alios Sacerdotes, nec alios Epiſcopos.

Secunda vero datur magis in electione: quæ tanta eſt, quanta poteſtas datur officio.

Et prima indelebiliter permanet in quolibet Sacerdote, vel Epiſcopo: nec per Papam poteſt conferri, vt eſt Papa: nec tolli, quia ſi Papa non eſſet Sacerdos, vel Epiſcopus, non poſſet aliquem in Sacerdotem cõſecrare, nec in Epiſcopum ordinare.

Secunda vero ſicut per Papam confertur, ſic per Papam poteſt tolli, & auferri. ergo Papa non poteſt Schiſ-

ſchiſmaticos priuare poteſtate ordinis, vel conſecrationis: ſed bene poteſt eos priuare,& ſunt ipſo facto, quando ab unitate Eccleſiæ ſe diuidunt, priuati poteſtate iuriſdictionis, & executionis.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ illud Decretum intelligitur,ſi conſecratio non ſit facta in forma Eccleſiæ. Verè enim ſchiſmaticus conſecrat, ſi in forma Eccleſiæ conſecrat: & verè ordinat, ſi aliquem ad Sacerdotiū ordinat.quia ſi tales poſtmodū redeūt, reordinandi non ſunt.Vel iſtud intelligitur eſſe dictū in odium, & deteſtationem criminis, vt magis talis conſecratio dicatur execratio, quàm conſecratio. ſic Eccleſia,quæ ex pacto pecuniæ eſt conſecrata, magis execrata,quàm conſecrata dicenda eſt.

Ad ſecundum eſt dicendum,ꝙ extra vnitatem Eccleſiæ non datur Spiritus ſanctus,vt gratū faciat Deo ipſum recipientem:quia magis ad damnationem, q̄ ad ſuam ſaluationem recipit Sacramentum Eccleſię ſchiſmaticus ab Eccleſia præciſus: ſed bene recipitur Spiritus ſanctus,quantū ad hunc effectum,qui eſt ſuſceptio characteris,vel perfectio, ſi ipſum Sacramētum ordinis,vel ordinis perfectio recipiatur ſecundū formam Eccleſiæ. Et per hunc modum intelligitur illud decretum poſitum in Epiſtola Cypriani.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA GRAVIVS debeat punire hæreticos, quàm Schiſmaticos.

Optatus Epiſcopus Mileuitanus, lib.1.contra Parmenianum.S. Thomas.2.2.q.39.art.2.& Conradus Brunus, lib.5.de hæret.cap.18.& ſeq.

AD quartum ſic proceditur.Videtur enim, ꝙ Papa grauius debeat punire Hęreticos,quàm Schiſmaticos. quia grauius peccatum grauius puniendum eſt. ſed peccatū infidelitatis eſt grauiſſimum omnium peccatorum. Ergo eſt grauius puniendum.

2 Præterea: Omnis Hæreticus eſt Schiſmaticus. Ergo eſt puniendus tanquam Hæreticus,& tanquam Schiſmaticus.

3 Præterea: Infidelis poſt abiuratam hæreſim,ſi relapſus fuerit,non eſt amplius recipiendus, ſed eſt tradendus brachio ſeculari, vt habetur extra de hæret. cap. Ad abolendam. Schiſmaticus autem ſemper eſt recipiendus. grauius ergo punitur hæreticus, quàm Schiſmaticus.

In Contrarium eſt quod ſcribitur Numeri 16.vbi habetur, ꝙ Dathan,& Abiron inaſſueta pœna fuerunt puniti, eo ꝙ terra aperta fuit: & deſcēderunt viuentes in infernum,pro eo,quòd reſtiterunt Moyſi.

E

RESOLVTIO.

Schiſmatici & ſi propter pronitatem peccantis pœna inaßueta puniti ſunt: Homicidaque propter nocumenti pronitatem magis,quàm periurus punitur; Infidelitatis tamen peccatum maius eſt, grauiuſque puniendum. Nam ſecundum Diuinum iudicium maior pœna maiori culpa debetur: ſecundum autem præſentem iuſtitiam minori culpa maior pœna quādoque debetur.

Respondeo, dicendum, ꝙ pœna grauior,& magis inaſſueta debetur magis vni peccato, q̄ alteri propter tria. Primo propter peccati maioritatem. Et ſic peccatum infidelitatis magis, ſeu grauius debet puniri,quàm aliquod aliud:cum nullum peccatum ſit grauius ipſo:conſiderando ipſum genus peccati: Opponitur enim immediatè ipſi bono Diuino. Vnde Exodi vigeſimo,ſtatim cum Deus dixit: Nō habebis Deos alienos coram me,nec adorabis idola, neque coles ipſa; ſubiunxit immediatè pœnam, dicens: Ego ſum Deus fortis,& zelotes.

F

Secundo propter peccantis pronitatem,& ſic peccatum ſchiſmatis multum grauiter,& modo inaſſueto legimus eſſe punitum.quia enim Iudęi proni erant ad contentiones, & ſchiſmata excitanda, iuxta illud, quod dixit Moyſes Deutero.31. Ego enim ſcio contētionem veſtram, & ceruicem veſtram duriſſimam. adhuc viuente me,& ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſe egiſtis contra Dominum: quanto magis cum mortuus fuero.Et 1.Eſdræ 4.cap.Scribitur inuētum fuiſſe in libris hiſtoriarum antiquorum Patrum,

G

ꝙ ciuitas illa,puta,Ieruſalem,vbi Iudæi habitabant,à diebus antiquis aduerſus Reges rebellabat, & ſeditiones,& prælia concitabantur in ea.Vnde propter hanc pronitatem Core,& Dathan, & Abiron concitantes ſchiſma aduerſus Moyſen,pęna īaſſueta puniti ſunt, vt dictum eſt ſupra.

Tertio propter nocumenti grauitatem. Secundū enim pręſentem iuſtitiam quādoque pro minori culpa grauis quis punitur. quia grauius nocumentum imminet hominibus quandoque ex leniori culpa, quàm ex maiori.ſicut aliquis grauius punitur pro homicidio,quàm pro periurio,nō obſtante, ꝙ longe maius peccatum eſt periurium, † quàm homicidium.

† Vide Syluestrū in Summa, verbo: Periurium, quæſt. 2.

H

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum,ꝙ ſecundū diuinum iudicium ſemper maiori culpæ maior pęna taxatur. ſed ſecundum pręſentem iuſtitiam maiori culpę quandoque debetur minor pœna,vt dictum eſt de homicidio, & periurio, quamuis diſtingui poſſit de maioritate culpæ.Quia quandoque eſt maior maioritate peccati. Quandoque vero peccantis pronitate.Et,quolibet modo maioritatis, pœna poteſt reſpōdere culpæ.

Ad ſecūdum eſt dicendum,ꝙ hęreticus eſt ſchiſmaticus: loquendo generaliter de ſchiſmate,eo quòd hæreticus errans in fide diuiſus eſt à Deo. Sed quandoque hæreticus eſt ſchiſmaticus ſub propria ratione ſchiſmatis; quia diuidit ſe à Deo per eius ſcripturæ

corru-

corruptionē,& quia diuidit ſe ab unitate Eccleſię per manifeſtam rebellionem. Vnde dicit gloſſa Nume. 16. ꝙ per Datam,& Abiron, & Core ſignificabantur hæretici,& ſchiſmatici: qui multos ſecū trahēdo decipiunt contemnentes Sacerdotes Chriſti: & ſe à Clero, plebiſque ſocietate ſegregantes: conſtituere audent Eccleſias,& aliud altare.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ tunc Schiſmatici ſunt recipiendi, quando nullum falſum dogma nouerunt,vel pertinaciter defendunt.Hæretici vero ideo poſtquam relapſi ſunt traduntur brachio ſeculari, quia timet Eccleſia de corruptione fidelium, quam præſumit de eis,ex quo relapſi ſunt.

ARTICVLVS V.

UTRUM PAPA REPUTET Cræcos Hæreticos,vel ſolum Schiſmaticos.

Eymericus in Directorio Inquiſitorū par. 2. quæſt. 18. Et Prateolus lib. 7. de ſectis hæreticorū cap. 15. in verbo. Græci.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim,quòd Papa non reputet Græcos hæreticos,ſed ſolū ſchiſmaticos. quia Damaſ. Græcus fuit,non Hæreticus,& tamen primo ſuo libro cap. 10. dicit: Credimus in vnum Spiritum ſanctū ex Patre procedentem, & in filio requieſcentem cum Patre,& filio ſimul coadorandum,& cōglorificandū. vbi non facit mentionem de proceſſione Spiritus ſancti,& filio. Græci ergo negantes Spiritum ſanctum ex filio procedere, non ſunt hęretici reputandi.

2 Præterea 15. diſt. cap. 1. dicitur, ꝙ Papa dicit: Sicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor cōcilia ſuſcipere,& venerari me fateor: Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe. Sed in illis quatuor concilijs non* fuit aliqua mentio de proceſſione Spiritus ſancti ex filio. Propter talem ergo articulum non ſunt Græci hæretici reputandi.

3 Præterea: Illi,qui integre ſapiunt,& rectam viā ſectantur,non ſunt Hæretici. Sed Hieronymus dicit in Prologo ſuper Epiſtolis canonicis: Græci integrè ſapiunt,& rectam viam ſectantur: non ergo ſunt reputandi Hæretici.

IN CONTRARIVM eſt,quia Spiritū† ſanctū ex filio procedere,eſt articulus fidei. Sed Græci hoc negant. Ergo Hæretici ſunt habendi.

† De hoc articulo vide Auctorem, & ibi citatos ſupra q. 82. art. 3.

RESOLVTIO.

Grçci ab initio,quo ab Eccleſia Romana unitate ſe deuiarunt, Schiſmatici ſolum ſunt appellati: nunc autem ab Eccleſia ſua opinioni pertinaciter adhærentes, Hæretici reputantur: ſed ſolum Schiſmatici nominantur.quia à ſchiſmate eorum peccatum eſt inchoatum.

A RESPONDEO, dicendum, quòd iſta duo crimina,ſchiſmatis,& hæreſis magnam affinitatē habēt. Scribitur enim 1. Reg. 15. quòd quaſi peccatū ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acqoieſcere. Et ſuper illo verbo Hieronymi ſcripto 14. quæſtione tertia. inter ſchiſma,& hæreſim hoc intereſſe arbitror, ꝙ hæreſis peruerſum dogma habet. Schiſma vero poſt corporalem diſceſſionem ab Eccleſia pariter ſeparat.& notat gloſſa talem differentiam eſſe inter ſchiſma,& hæreſim,qualis eſt inter habitum,& diſpoſitionem. ſicut enim diſpoſitio poteſt fieri habitus: ſic cum aliquis ſcinditur, & diuiditur ab Eccleſia, dicitur ſchiſmaticus. cum poſtmodum pertinaciter adhæret ſuę ſectæ,& dogma aliquod nouum fingendo, vel pertinaciter aſſerendo contra pro-

In Epiſtolā ad Titum, cap. 3.

B hibitionem Eccleſiæ nutrit,efficitur hæreticus. Quãuis ergo Grçcj à principio,quo ſe ab unitate Eccleſię Romanæ diuiſerunt,fuerint ſolum ſchiſmatici: poſtmodum vero pertinaciter adhærentes eorum ritui, et non tenendo Articulos per Eccleſiam determinatos; planum,ꝙ in hęreſim lapſi ſunt.vnde Eccleſia reputat eos ſchiſmaticos, & hæreticos, quamuis nominentur ſolum ſchiſmatici. quia à Sſchiſmate eorum peccatū inchoatum eſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, ꝙ aliqui dicunt auctoritatem Damaſ. non eſſe recipiendam propter duo. Primo quia eius liber in omnibus non tenetur

C ab Eccleſia, potiſſime quando dicit 2. libro cap. 3. ſe adhærere illi opinioni, ꝗ ponit Angelos genitos eſſe poſt creationem omnium rerum. Secundo quia librum ſuum compoſuit tempore,quo incipiebat controuerſia inter Gręcos,& Latinos de proceſſione Spiritus ſancti. Ideo noluit determinare pro aliqua parte. Sed melius dicitur, ꝙ Doctores Græcorum nōn negant Spiritum ſanctum à filio procedere, niſi propter principalitatem Patris. quia enim procedere ab aliquo, Græco ſermone,principalitatem importat: ne Spiritus ſanctus credatur procedere ſic principaliter à Filio,ſicut à Patre, negant ipſi talem proceſſionem quantum ad principalitatem, & non quantum ad realitatem.

Vide locum citatum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ tempore illorū

D Conciliorum non pullulabat aliqua hæreſis cōtra Spiritum ſanctum.ſed poſtmodum tempore Athanaſij, & aliorum Doctorum Græcorum poſitum eſt ſub articulo tanquam neceſſarium ad credendum Spiritū ſanctum ex Filio procedere. Vnde dicit Athanaſius ad Serapionem,iuxta quod mandat Apoſtolus, Hereticum hominem poſt primam correctionem,& ſecūdam deuita: etiam ſi quos videtis cum Elia volantes per aerem,& cū Petro, & Moyſe ſicco pede calcantes maria,niſi Spiritum ſanctum profiteantur eſſe naturaliter ex Deo,& filio exiſtentem, ſicut & filium naturaliter æternaliter genitum à Deo patre, ut nos profitemur, eum non recipiatis, & blaſphemantibus,& negantibus Spiritum ſanctum Deum eſſe de natura Dei filij non cōmunicetis.

Tit. 3.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Græci integre ſa-

piunt

piunt,& fidem rectam ſectantur quantum ad numerum librorum contentorum in ſacro Canone,non autem quantum ad numerum articulorum poſitorum in Symbolo. nec quãtum ad ritum Sacramentorum, & aliorum,quę communiter obſeruantur in Eccleſia.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA TENEAT Græcos Paganos eſſe, et non Chriſtianos.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa teneat Græcos eſſe Paganos, non chriſtianos.quia ſolus baptiſmus facit hominẽ chriſtianum. Sed Græci non baptizãt in forma Eccleſiæ. Ergo non ſunt chriſtiani,ſed potius pagani.

2 Præterea: Diuerſus ritus,& diſpar cultus diuidit chriſtianum à pagano.ſed Græci nõ ſeruant ritum,& cultum,quem ſeruat Eccleſia: Conficiunt enim in fermentato pane, & non in azimo. Ergo non ſunt chriſtiani,ſed potius pagani.

3 Præterea: Scribitur 23.quæſt.5.c.De Liguribus. Si qua perſona Eccleſiaſtici officij,cui ſubiecta eſt, reſtiterit,vel ſeorſum collegium fecerit, aut aliud altare erexerit, ſeu ſchiſma fecerit;iſte excommunicetur,& damnetur.ſed omnia iſta habent Græci. Ergo damnãtur, & per conſequens ſunt pagani,& non chriſtiani.

IN CONTRARIVM eſt.Quia Eccleſia non appellat eos paganos,ſed ſchiſmáticos,vel hæreticos.

RESOLVTIO.

Græci quamuis baptizãdi forma,quæ conuenientior eſt,non vtantur: verum tamen baptiſmum conferunt, vera enim, & eſſentialis baptizandi forma in ſola actus baptizãdi expresſione cum inuocatione Trinitatis conſiſtit. Hinc Eccleſia eos paganos non appellat.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ per baptiſmũ homo incorporatur Chriſto ,& a Chriſto chriſtiani appellãtur. Vnde dicit Apoſt. ad Ro. 6. Quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu,in morte ipſius baptizati ſumus.ſi ergo Græci verum baptiſma non conferunt: planum eſt, ꝙ chriſtiani non ſunt. Certum eſt autem Græcos non vti forma, qua vtitur Eccleſia baptizando,quia non exprimunt perſonam baptizantẽ, ſed ſolum perſonam, quę baptizatur. Dicunt † enim: Baptizetur ſeruus Chriſti. N. in nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti. Vnde multi dicunt eos verum baptiſma non conferre, aſſerentes perſonam baptizãtem pertinere ad eſſentiã formæ baptiſmi ex ipſa inſtitutione Chriſti,quando dixit: Euntes baptizate omnes gentes. Aliqui vero dicunt contrarium, ponentes Græcos verum baptiſma conferre, quia non immutant aliquid, quod ſit de eſſentia formæ, eo ꝙ ſola expreſſio actus baptizandi cum inuocatione Trinitatis eſt de eſſentia formæ baptiſmi. Modus vero exprimendi in perſona prima, vel ſecunda, & in quo caſu: nominatiuo,vel alio, eſt ex inſtitutione Eccleſiæ. Ideo licet ipſi peccent, ritum,& formam Eccleſiæ non ſeruando: verum tamen baptiſmum conferunt. immo ſi Latini ſub forma illa baptizarent, grauiter peccarent. baptizati tamen iterum rebaptizari non deberent. Et hanc opinionem puto eſſe veriorem, quia ſecundum Augu. De vera Relig. cáp. 10. Falſa ſunt ſemper reſpuenda,& vera tenenda. dubia vero tandiu credenda ſunt, quandiu ipſa eſſe reſpuenda, vel doceat ratio, vel præcipiat Eccleſiæ auctoritas. Planum eſt autem, quòd Eccleſia venientes Græcos ad obedientiã fidei non cogit rebaptizari. Vnde ipſo facto * creditur magis eorum baptiſma approbare, quàm reprobare, & per conſequens Papa reputat Græcos chriſtianos,& non paganos.

Græcorum Baptizandi forma.

† S. Thom. par 3.q.66. ar.5. & Magiſter,& Doctores, li.4. ſent. diſt. 3. Matth. vlt.

Baptiſmi forma eſſentialis.

Tomo 1.

* al. videtur

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Græci vtuntur illa forma ad euitandum errorẽ: qui fuit in primitiua Eccleſia. Multi nãque attribuebant virtutẽ baptiſmi dignitati,& auctoritati miniſtrorum baptizantium: In quorum perſona dicit Apoſtolus prima, ad Cor. 1. Ego quidem ſum Pauli: ego vero Apollo: ego autem Cephæ. Ad euitandum ergo hunc errorem non exprimunt miniſtrum baptizantem,ſed ſolam perſonam,quę baptizatur. Forma tamen Eccleſiæ longè conueniẽtior eſt,& magis conformis verbis Chriſti,quibus dixit: Euntes baptizate omnes gentes, Matth. vltimo.

AD ſecundum † eſt dicendum,ꝙ ſicut dicit Anſel. in epiſtola de ſacrificio azimi, & fermentati, Græci in multis nos arguunt de ritu,& cultu ſacrificiorũ, & ſacramentorum, dicentes nos iudaizare, & figuras iudaicas obſeruare. ſiue tamen conficiatur in azimo, ſiue in fermentato verum corpus Chriſti conficitur. vnde, quantũ ad hoc, nec ipſi, nec nos de infidelitate reprehenſibiles ſumus.

† Theologi Scholaſtici lib. 4. ſent.diſt. 11: & S.Thom. par.3.q.74. art.4.

AD tertium eſt dicendum,quòd ſi Græci damnantur,non damnantur pro infidelitate,ſed pro ſchiſmate, in quo diu permanſerunt, & pro hęreſi,in quam poſtmodum relapſi ſunt.

QVAE.

QVAEST. XXVI. DE RESISTENTIA TYRANNORVM.

Deinde conſiderandum eſt de reſiſtentia tyrannorum, circa quod quæruntur ſex.

Primo, Vtrum tyranni reſiſtentes Papæ ſint ſchiſmatici.

Secundo, Vtrum tyranni reſiſtentes Papæ ſint hæretici.

Tertio, Vtrum ad Papam ſpectet punire tyrannos.

Quarto, Vtrum Papa debeat tyrannos punire pœna temporali, vel ſpirituali ſolum.

Quinto, Vtrum Papa contra tyrannos ſibi reſiſtentes debeat cruce ſignatos deſtinare.

Sexto, Vtrum Papa in puniendo tyrannos debeat magis declinare ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam.

ARTICVLVS I.

VTRVM OMNES TYRANNI reſiſtentes Papæ ſint Schiſmatici.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non omnes tyranni reſiſtentes Papæ ſint ſchiſmatici. quia illi ſunt ſchiſmatici, qui intendunt ſe ab vnitate Eccleſię diuidere, ſed hoc tyranni non intendunt, immo interdum zelatores Eccleſię ſe ſimulāt. nō ergo tyranni ſunt ſchiſmatici.

2 Præterea: Obſeruatores iuſtitiæ non ſunt ſchiſmatici: ſed quandoque tyranni obſeruatores ſunt iuſtitiæ, magis quā alij. Nō ergo tales ſunt ſchiſmatici.

3 Præterea: Schiſmatici ſunt qui rebellant Eccleſiæ. ſed tyranni quandoque procurant facere congregationes, & colligationes in Eccleſia, non ergo tales ſunt ſchiſmatici.

IN CONTRARIVM eſt, quia, vt dicit Damaſ. libro 4. c. 28. Antichriſtus in primordijs quidē regni ſui tyrannidem iuſtitiam diſſimulabit. Cum autem dominator factus fuerit, perſequetur Eccleſiam Dei. Tyranni ergo, nō obſtante obſeruatione iuſtitię, ſchiſmatici, & perſecutores eccleſiæ cenſeri debent.

RESOLVTIO.

Tyranni reſiſtentes Papæ vel ſunt Schiſmatici intentione, vel operatione: vel intentione, & operatione ſimul, quos Eccleſia domat, & corrigit: Schiſmaticos vero primo modo dictos ſuſtinet: ſed ſecundo modo dictos reuocare ſtudet.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſecundum Aug. Queſt. ex D.
in libro de quæſtionibus Euangeliorum, Tria † Matth c. 10.
poſſunt diſtingui genera ſchiſmaticorum. nam aliqui Tomo 4.
ſunt ſchiſmatici intentione, non operatione: quicun- † Iacobus
que enim ita inuident bonis, vt quærant occaſionem Simanca in
excludendi eos; vel crimina ſua ſic defendere parati catholicis
ſunt, ſi obiecta fuerint, vel probata: vt etiam conuen inſt. tit. 58.
ticulorum ſegregationes, vel Eccleſiæ perturbationes de ſchiſmaticis.
facere cogitent, iam ſchiſmatici ſunt, & ab unitate Ec-
cleſiæ corde deciſi, etiam ſi nō inuentis occaſionibus,
aut occultatis factis ſuis Sacramento Eccleſiæ corpo-
rali conuerſatione ſocientur. Aliqui vero ſunt ſchiſ-
matici operatione, ſed non intentione, quia per ſe nō
B intendunt ſe ab vnitate Eccleſiæ diuidere: propter ta-
men aliquod commodum temporale conſequendū,
vel periculum euitandū, conuenticulorū ſegregatio-
nes faciunt, ac per hoc ſchiſma incurrunt, & ſchiſma-
tici cenſeri debent: quia ſicut uoluntas coacta, vel mix
ta voluntas eſt ſecundū Aug. vel voluntas mixta volū-
tas eſt ſecundū Philoſophū: ſic effectus ſequens ex cau Ethic. 3. c. 1.
ſa per accidens effectus eſt. Sed aliqui ſunt ſchiſmati
ci intentione, & operatione. Tyrannos ergo, qui ſunt
ſchiſmatici primo modo, Eccleſia portat, quia tam-
diu ſuſtinet peccatum, aut errorē alicuius, donec aut
accuſatorem inueniat, aut prauam opinionem perti-
C naci animoſitate defendat, vt dicit Auguſt. in libro
de vera Religione. Tyrannos vero, qui ſunt ſchiſmati- Tomo 1.
ci ſecūdo modo, Eccleſia reuocat. imitatur enim Dei
iudicium, qui reſpicit intentionem magis, quàm operationem. Dicit enim Augu. ad Comitem Bonifaciū:
Charitas, quæ colligit, & uiuificat omnia membra Ec
cleſię, ſi nos videat de alterius ruina gaudere: ſtatim
nos præſcindit à corpore. Si ergo miniſtri Eccleſię nō
dolent de ruina ſuorum ſubditorum, iam ipſi præciſi
ſunt à corpore * Eccleſiæ. quia ſi in corpore Eccleſiæ * al. Chriſti.
eſſent: ſine dubio dolerent, & eos reuocare procura-
rent. Sed tyrannos, qui ſunt ſchiſmatici tertio modo,
domat, & corrigit, donec aut pœnitendo, aut in nequi
D tia male liberi defluant, vt Aug. dicit in de uera Rel. Tomo 1.
cap. 6.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, ꝙ illi, qui ſunt ſchiſmatici ſola intentione, ſuſtinentur ab Eccleſia. In area enim Eccleſiæ quilibet pro libito poteſt eſſe frumentum, vel palea, vel ariſta, eo ꝙ in quemquam ſententiam non profert, niſi ſponte confeſſum, & conuictum, ſicut dicit Aug. in libro de pænitentiæ medicina. cap. 3. & 2. qnęſt. 1. cap. Multi.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd dominium tyrannicum poteſt effici naturale, & naturale domi-

nium poteſt effici tyrannicum. Si enim Rex iuſtitiam faciat, vt violenter dominetur: & vt bonum publicũ conuertat in bonum priuatum; iam tale dominium regiũ, & naturale fit tyrannicum. Eodem modo ſi aliquis eſt adeptus dñium tyrannice, & poſtmodum volentibus ſubditis dominetur, & bonum priuatum cõuertat in bonum publicum: ſeruando alias conditiones naturalis dominij, iam tale tyrannicum dominiũ fit naturale.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ non ſufficit in Eccleſia ſeruare congregationem, vel vnitatem membrorũ ſine vnitate capitis, immo ex hoc ipſo quòd tyranni vniunt eis membra Eccleſiæ: & diuidũt * ipſa ab vnitate, & ab obedientia capitis, cui ſimul cum eis deberent ſubjici, ſchiſmatici cenſendi ſunt. ** al. ipſam.*

E Primũ eſt rei credibilis difformitas: Vnde dicit Aug. 23. q. 3. c. hęreſis. Quicũque aliter ſcripturã intelligit, quã ſenſus Spiritus ſancti flagitat, à quo ſcripta eſt, licet ab Eccleſia non diſceſſerit, hæreticus tñ appellari poteſt. Secundum eſt dogmatis nouitas. Vnde dicit Auguſtinus, † ꝙ hæreticus eſt, qui alicuius temporalis cõmodi, & maxime glorię principatus, falſas, ac nouas opiniones vel gignit: vel ſequitur in Eccleſia. Tertium eſt defendendi pertinacitas. Vnde dicit Auguſtinus lib 18. de ciuit. Dei, cap. 51. ꝙ qui in Eccleſia Chriſti morbidum aliquod prauum ſapiunt: ſi correcti vt ſanum, rectumque ſapiãt, reſiſtunt cõtumaciter, ſuaque peſtifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, * nec defendere deſiſtunt, hæretici ſunt. Iſta ergo tria: Credibilis difformitas, dogmatis nouitas, & F defendendi pertinacitas, integraliter faciunt hominẽ hæreticum: quæ ſi ſimul inueniantur in tyrannis reſiſtentibus eccleſiæ, hæretici habendi ſunt.

rio Inquiſitorum par. 2. q6. 32. & Albertinus tracta. de agnoſ. aſſert. q. 2.

† De vtil credendi, c. 1.

** al. Sed defenſare perſiſtunt.*

ARTICVLVS II.

VTRVM TYRANNI RESIſtentes Papæ ſint hæretici.

A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd tyranni reſiſtẽtes Papæ ſint hęretici. Dicit enim Hier. in Epiſtolã ad † Titũ. c. 3. Nullũ ſchiſma eſt, quod ſibi nõ aliquã hæreſim confingat, vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videat. Sed tyranni ſunt ſchiſmatici, vt ſupra dictum, ergo ſimiliter hæretici.

† Refertur 1 c. Inter hæreſim. 24. q. 3.

2 Præterea: Quicunque non credunt aliquem articulorum poſitorum in Symbolo, ſunt hæretici: Sed G tyranni offendunt contra illum articulum. Et in vnã ſanctam Eccleſiam catholicam. Ergo ſunt hæretici.

3 Prærerea: Sola pertinacia reſiſtendi facit hominẽ hæreticum. Sed tyranni pertinaciter reſiſtunt capiti Eccleſiæ. Ergo ſunt hæretici.

I N C O N T R A R I V M eſt, quia non nutriunt nouas, vel falſas opiniones in Eccleſia, Ergo non ſunt hæretici.

RESOLVTIO.

Tiranni reſiſtentes Papæ, ſi eorum ſit credibilis difformitas, dogmatis nouitas, defendendique pertinacitas, hæretici ſunt dicendi: ſi ſecus, non item. H

R E S P O N D E O dicendum, ꝙ aliud eſt dicere falſum: aliud erroneum: & aliud hæreticum. Quãdocunque enim non eſt conformitas rei intelligibilis ad intellectum, dicitur falſum. quia ſicut dicit Iſaac in libro de diffinitionibus: Veritas eſt adæquatio rei intelligibilis ad intellectum. Per contrarium ergo inadęquatio rei ad intellectum eſt falſitas: Quandocunque vero non eſt conformitas rei credibilis ad intellectum, ſine propoſito tamen pertinaciter defendendi, tunc dicitur eſſe erroneũ. Sed quando non eſt conformitas rei credibilis ad intellectum, cum propoſito pertinaciter defendendi: tunc eſt eſſe hęreticum. Tria † itaque concurrunt ad propriam rationem hæreſis.

† Eymeric⁹ in Directo-

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, ꝙ Hieronymus loquitur de ſchiſmaticis iam in eorum ſchiſmate induratis, qui vt rectè ab Eccleſia receſſiſſe videantur, fingunt aliquid nouum dogma, & illud pertinaciter defendunt. ſicut Græci faciunt, & omnes Schiſmatici tales hæretici ſunt cenſendi.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ vnam ſanctam Eccleſiam catholicam facit vnitas fidei. iuxta illud ad Ephe. 4. Vna fides, vnum baptiſma, & ſimiliter vnitas charitatis. Sola autem diuiſio ab unitate prima, eſt contra articulum. quia ſi omnes diuiſi ab eccleſia per charitatem facerent contra illum articulum, & vnam ſanctam Eccleſiam catholicam, tunc omnes exiſtentes in peccato mortali eſſent hæretici.

A D tertium eſt dicendum, quòd pertinacia defendendi nouum dogma difforme illis, quæ credit Eccleſia, facit hominem hęreticum. & ſi talis pertinacia cõuincitur eſſe in reſiſtentia tyrannorum, hæretici iudicandi ſunt.

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PAPAM ſpectet Tyrannos punire.

Ioannes Roffenſis contra Lutherum art. 4.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad Papã non ſpectet tyrannos punire. quia Papa non debet punire inſtrumẽta diuinæ iuſtitiæ. ſed tyranni ſunt quãdoque inſtrumenta diuinæ iuſtitię, iuxta illud Iob 34. Facit regnare hypocritã propter peccata populi. Ergo ad Papam non ſpectat ipſos punire.

2 Præterea: Super illo verbo ad Philip. cap. 1. Dũmodo Chriſtus annunciet, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem, in hoc gaudebo, dicit gloſſa, ꝙ quidam prædica-

A prędicabant Chriſtum ex odio Pauli,& ex odio veritatis. vt perſecutores eos audientes vincularent Paulum credentes illos tyrannos per eũ eſſe ſeductos. Ex quo ergo tyranni per occaſionem poſſunt eſſe vtiles Eccleſiæ per Papam, non ſunt puniendi.

2 Præterea: Papa non debet iniuſtitiam facere alicui. ſed multi uoluntariè ſe ſubijciunt dominio tyrannorum. Ergo iniuſtitia eſt, eos puniri per ſubtractiones ipſorum.

In Contrarium eſt quod ſcribitur Abac. 1. In perſona Chriſti, & Vicarij eius, ſcilicet Papæ, ipſe de Regibus triũphabit: & tyranni ridiculi eius erunt.

RESOLVTIO.

B *Tyranni à Papa ſunt puniendi, cum ipſi deſtruant ſcientia ſtudium, pacem, & iuſtitiam: Ad Papam verò ſpectet punire peccantes contra iuſtitiam naturalẽ, regalem, & legalem.*

Respondeo, dicendum: quòd tyrannicum dominium eſt contra iuſtinam naturalem. Vnũquodque autem naturaliter regitur, quando ſic regitur, vt eſt aptum natum regi. homo autem cum ſit liberi arbitrij; eſt aptum natum regi voluntariè: vt volũtariè ſerniat, & voluntariè obediat: non violenter. vnde cum dominium tyrannicũm ſit coactiuum, & violentum; contra naturalem iuſtitiam cenſetur eſſe. Secundo eſt contra iuſtitiam regalem. appellatur autem iuſtitia regalis lex diuina, & iuſtitia diuina, iuxta illud Iaco. 2. Si tñ legem perficitis regalem, benefacitis. C Cõtra talem autem iuſtitiam, & tyrannicum dominium ſcribitur Iob. 34. ꝙ Deus non accipit perſonas Principum, nec cognouit tyrannum, cum diſceptaret cõtra pauperem. Tertio tale dominium eſt contra iuſtitiam legalem: Eſt autem iuſtitia legalis, vt dicit Philo. omnis virtus, quæ præcipit omnes actus uirtuoſos. præcipit enim doctrinæ ueritatem, pacis vnitatem, & iuſtitię æquitatem. Dominium autem tyrannicum deſtruit ſtudium ſcientiæ, deſtruit pacẽ, & deſtruit iuſtitiam. tanto ergo magis ad Papam ſpectat tyrannos punire; quãto magis ſpectat ad ipſum punire* forefaciẽtes contra iuſtitiam naturalem, regalẽ, & legalem.

† Forefacio nõ rarò ab Aegidio vſurpatũ, & ab Auctore ſupra, & ſumitur pro peccare.

Ad Argumenta.

D Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ inſtrumẽta diuinæ iuſtitiæ punienda ſunt iudicio humano, & diuino. non quidem propter iuſtitiam diuinam, quæ præter eorum intentionem exercetur: ſed propter tyrannicam uiolentiam, quæ ſecundum eorum intentionem prauam intenditur.

Ad ſecundum † eſt dicendum, ꝙ ſecundum Auguſtinum, tyranni, qui ſunt mercenarij, tolerandi ſunt. quia fideles per tales in ueritate fidei non peruertuntur. Sed tyrãni, qui ſunt fures, puniendi ſunt. quia ad hoc intendunt, vt oues Chriſti mactent, & perdant.

† S. Thom: 2. 2. qõ. 10. ar. 10. & 11.

Ad tertium eſt dicẽdum, ꝙ illi, qui ſemel ſe ſubijciunt dominio Eccleſiæ, non poſſunt ſe vlterius dominio aliorum ſupponere. nec licet tyrannis tales ſub eorum dominio recipere, quantumcunque voluntariè ſe offerant.

A

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA DEBEAT punire Tyrannos pœna temporali, vel ſolum ſpirituali.

Huc ſpectant tradita per Alphonſum Caſtr. lib. 2. de iuſta hæret. punit. c. 3. & ſeq. & per Conradum Brunum, lib. 5. de hæret. cap. 13. & cap. 18.

B Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non debeat tyrannos punire pœna temporali, ſed ſpirituali ſolum. Scribitur enim Numer. 16. de pœna Dathan, & Abiron, qui tyrannico modo voluerũt rebellare Moyſi. Recedite à tabernaculis impiorum, & nolite tangere quæ ad ipſos pertinent, ne inuoluamini peccatis eorum. Sed recedere à communione fidelium, eſt pœna ſpiritualis, non temporalis: Tyranni ergo pœna ſpirituali, non temporali puniendi ſunt.

2 Præterea: Dicit Gregorius, & ponitur 23. quæſt. 8. cap. Si in morte. Si in morte Longobardorum me immiſcere voluiſſem: hodie Lõgobardorum gens nec regem, nec ducem haberet: ſed quia Deum timeo, in morte cuiuslibet me miſcere formido. Papa ergo tyrannos non debet punire pœna temporali, ſed ſpirituali.

C 3 Præterea: Papa eſt ſucceſſor Petri: ſed Petro dictũ eſt Matth. 26. Conuerte gladium tuum in vaginam. ad punitionem ergo tyrannorum Papa non debet uti gladio corporali, ſed ſpirituali.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur 23. quæſtione 5. c. Quali. Diuinæ, & humanæ leges ſtatuerunt, vt ab Eccleſię vnitate diuiſi, & eius pacem nequiſſime perturbantes, ſæcularibus poteſtatibus conprimantur.

RESOLVTIO.

Tyranni pœna ſpirituali ſunt puniendi turbantes vnitatem membrorum ad inuicem: turbantes verò vnitatem membrorum ad caput, temporali.

D Respondeo dicendum, quòd ordo Diuinæ iuſtitię requirit, vt ſecundum multiplicationem culparum, fiat multiplicatio pœnarum iuxta illud Apoc. 18. Quantum glorificauit ſe in delicijs, tantum date tormentum, & luctum. Eſt autem in Eccleſia duplex vnitas. Vna membrorum ad inuicem, alia membrorum ad caput, vt ſupra dictum eſt. Si ergo tyranni inueniantur turbare primam unitatem per eorũ tyrannicam violentiam, puniendi ſunt pœna ſpirituali. Sed ſi in tantum progreſſi fuerint malum, ut uelint perturbare unitatem ſecundam per eorum manifeſtam reſiſtentiam, puniendi ſunt pœna temporali. Dicit enim Auguſtinus in libro de uera religione c. 15. Tomo 1. ꝙ quanto homines dulcedine bonorum inferiorum magis decipiuntur, tanto magis amaritudine pœnarum debent erudiri.

Ad Argumenta.

Ad Primvm eſt dicendũ, quòd Dathan, & Abiron tyrannicè Moyſi reſiſtentes pœna ſpirituali fuerunt puniti, quãdo dictum eſt: Recedite à tabernaculis impiorum, ne inuoluamini peccatis eorum: & pœna temporali, quando aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan, & operuit ſuper congregationem Abiron.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa, & alij Prælati non debent ſe immiſcere in morte hominis per immediatam executionem, vt propria manu pugnẽt, vel interficiant. quia arma eorum militiæ principaliter ſunt ſpiritualia, non carnalia: ſed mediante poteſtate ſæculari poſſunt, & debent de tyrannis, & de turbãtibus pacem eccleſię iuſtitiam exercere. Dicit enim
Epiſt.48, Tomo 2, Augu. in Epiſtola ad Vincen. In tali primitus ſentẽtia eram, neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendũ: verbo eſſe agendum: diſputatione pugnandum, rõne vincendũ, ne fictos catholicos haberem, quos apertos hæreticos noueram. Sed hæc opinio mea non contradicentium verbis tantum, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis. Nam proponebatur mihi ciuitas mea, quæ cum tota eſſet in partem Donati, ad unitatẽ catholicam legum imperialium timore conuerſa eſt, quam nunc videmus. Ita illius animoſitatis perniciẽ deteſtari: vt in ea nunquã fuiſſe credatur. Item aliæ multæ, quæ mihi cõmemorabantur nominatim, vt in ipſis rebus cognoſcerẽ, & in hac cauſa rectè intelligi poſſe quod dictum eſt: Da ſapienti occaſionem, &
Prouer. 9. ſapientior erit. Et per hoc patet Reſpon. ad Tertiũ.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA DEBEAT contra Tyrannos ſibi reſiſtentes cruce ſignatos deſtinare.

Expeditio pro recuperanda terra ſancta, habetur poſt Concilium Lateranen. ſub Innocentio III. Adde textum, & ibi Doctores in c. Ex multæ. de voto. & cap. Excõmunicamus. 1. §. catholici, de hæret.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa contra tyrannos ſibi reſiſtentes nõ debeat cruce ſignatos deſtinare. Quia cruce ſignatus non eijcitur cruce. ſcribitur enim Matth. 12. Si Satanas Satanam eijcit, quomodo ſtabit regnum eius: ſed tyranni cum ſint Chriſtiani, ſunt cruce ſignati. non ergo debent expugnari per cruce ſignatos.

2 Præterea: Papa, quantum poteſt, debet multa ſuſtinere, & multa pati ad euitandum ſcandalum infirmorum, iuxta illud Apoſto. 1. Cor. 9. Omnia ſuſtinemus, ne aliquod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Sed de hoc, quòd Chriſtiani cruce ſignati ad expugnãdum chriſtianos deſtinantur, multi populares, & inferiores de Eccleſia ſcandalizantur. Tale ergo ſcandalũ per Papam eſt vitandum.

E 3 Præterea: Dicit Auguſtinus in de vera Religione: Tomo 1. cap. 17.
Nullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur, quæ Dei Filius contempſit: aut fugiuntur quæ ille ſuſtinuit: quia tota vita eius in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, nobis diſciplina morum fuit. Sed Chriſtus per crucem non exercuit poteſtatem. & ſeueritatem iuſtitiæ, ſed magis humilitatem. Exemplo ergo Chriſti Papa non debet vti cruce ad ſeueritatem iuſtitiæ, ſed ad humilitatem miſericordiæ.

In Contrarivm eſt glo. ſuper illo verbo Pſal. 85.
Pſalm. 85. Fac mecum ſignum in bonum, vt videant, qui oderunt me, & confundantur: vbi dicit, ꝙ crucis ſigno inimici Chriſti effugandi ſunt.

F

RESOLVTIO.

Tyranni ſi ſint chriſtiani reſiſtentes Papa per crucem Chriſti magis, quàm Iudæi, vel Pagani ſunt compeſcendi.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ chriſtiani cum peccant, grauius puniendi ſunt, quàm Pagani, vel Iudæi: promittunt enim in baptiſmo, Diabolo, & pompis eius renunciare, & ipſi Chriſto per fidem, & charitatem incorporari. Si ergo contingat, aliquos chriſtianos Diabolicis inſtigationibus ſic ſuperari, & implicari, vt tunicam Chriſti inconſutilem velint ſcindere, & à capite Eccleſiæ tyrannica violentia ſe ſubtrahere, tanquam mendaces effecti promiſſionis factæ in baptiſmo, per crucem Chriſti compeſcendi ſunt
G magis, quàm Pagani, vel Iudæi. quia, vt dicitur 2. Pet. 2. Melius erat eis viam veritatis non cognoſcere, quàm poſt agnitionem retrorſum reuerti ab eo ſancto mandato, quod traditum eſt eis. & ſignãter dicit Melius, quia minus malum eſt pati iniuriam ab extraneis, quàm à familiaribus amicis, vt glo. dicit. In eo tamen caſu puto tale auxilium per Papam eſſe inuocandum. quando graue ſcelus, & inauditum malum per tyrannos cõmitteretur, cum propoſito duntaxat non emendandi, nec corrigendi. Exemplum habetur Iudic. 20. vbi dicitur, ꝙ cũ aliqui de filijs Beniamin grande piaculum, & inauditum nefas commiſiſſent, nec corrigere parati eſſent, tunc congregati ſunt omnes alij filij Iſrael de alijs tribubus in Sylo: vnoque cõſilio, & ex præcepto Domini vindictam fecerunt de
H filijs Beniamin, ita vt interficerent 25. millia pugnatorũ. nec remanſerunt de illa tribu niſi ſexcenti viri.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendũ, ꝙ non eijcitur cruce ſignatus cruce, inquantum eſt crucis Chriſti imitator: ſed vt eſt Vicarij Chriſti contemptor, & membrorum Chriſti perſecutor. Dicit enim Chriſ. in homilia de laude crucis: ꝙ crux Chriſti eſt cõſolatio pauperum, refrenatio diuitum, deſtructio ſuperborũ, tyrannorum pœna, triumphus cõtra Dęmones, obſeſſorum murus, Pater orphanorum, defenſor viduarũ. Tomo 3.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ad euitandum ſcandalum infirmorum Papa, quantum poteſt, debet ſuſtinere, ne auxilium crucis ſuper aliquos chriſtianos

faciat

faciat inuocari. Quando tamen ſic inauditum nefas,
& grande piaculum inſurgit: quod euidenter appa-
ret non eſſe tolerandum: propter tale ſcandalum non
† S. Thom. eſt dimittendum, quia propter ſcandalum † paſſiuũ,
s. 2. qõ. 43. nec veritas doctrinæ, nec ſanctitas vitæ, nec æquitas
art. 7. iuſtitię eſt omittenda, vt dicit Hieronymus.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut Chriſtus pau-
per eſſe voluit, vt nos diuites faceret; & mori voluit, vt
nos à morte liberaret; ſic humilis eſſe voluit vſque ad
crucis patibulum: vt nos de ſuperbia tyrãnorum eri
peret, per ipſam crucem voluit dæmones, & omnes
tyrannnos debellari. vnde ſcribitur Sap. 14. Benedictũ
lignum, per quod fit iuſtitia. Quod de ligno Crucis
intelligendum eſt.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA IN PVNIENdis Tyrannis potius debeat declinare ad iuſtitiam, quàm ad miſericordiam.

Huc ſpectant, quæ tradit Palacius Ruuius in allega-
tione de hæreſi. §. 11.

AD ſextum ſic proceditur. Vide-
tur enim, quòd Papa in punien-
do Tyrannos potius debeat decli
nare ad iuſtitiã, q̃ ad miſericor- C
diã. Scribitur enim Iaco. 2 Iudi-
ciũ ſine miſericordia fiet ei, qui
non facit miſericordiam. ſed ty-
ranni nulli faciunt miſericordiam. Ergo eis miſericor
dia ſeruanda non eſt.

2 Præterea: In perſona Papę dicit Iob. 29. Contere-
bam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam
prædam: ſed hoc non poteſt fieri ſine iuſtitia rigoro-
ſa. Ergo magis Papa in puniendo eos debet declinare
ad iuſtitiam, quàm ad miſericordiam.

3 Præterea: Papa debet eſſe legis obſeruator; ſed
cum tyranni, & malefactores interficiuntur, non ipſe
Papa interficit eos, ſed lex, vt dicit Auguſt. in quæ-
ſtionibus ſuper Leuiticũ. iuſtitia ergo magis eſt obſer
uanda Tyrãnis, quàm miſericordia. D

IN CONTRARIVM eſt, quia ſuper illo ver-
bo Iacob. 2. Miſericordia ſuperexaltat iudiciũ, dicit
gloſa: Qui potuit, & non fecit miſericordiam ante-
quam iudicaretur, ſine miſericordia iudicabitur.

RESOLVTIO.

*Ad miſericordiam magis, quàm ad iuſtitiam decli
nandũ eſt, cum in iudicio humano errari poſſit. Adde
etiam Dei condecentiam bonitatis.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit
Gregorius 20. Mor. c. 11. & ponitur 45. diſt. cap.
Diſciplina. Multum deſtituitur, ſi teneatur miſericor
dia ſine iuſtitia: vel iuſtitia, ſine miſericordia: Facien-
A dum eſt enim ex vtroque vnum temperamentum, vt
neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi: neque
nimia benignitate ſoluantur. In omnem tamen euen
tum, tutius eſt declinare ad miſericordiã magis, quã
ad iuſtitiam: potiſſime in humano iudicio, in quo ne
ſcitur liquidè quid iuſtum, & quid iniuſtum. Frequẽ
ter enim homo in iudicio humano fallitur, aut per
iudices, ſi non ſint electi: aut per teſtes, ſi nõ ſint legi-
timi: aut per accuſatores, ſi non ſint congrui: aut per
defenſores, ſi non ſint idonei. Iſta enim quatuor gene
ra perſonarũ concurrere debent in quolibet iudicio,
vt ſcribitur 4. quæſt. 4. cap. Nullus. Dato tamen, quòd
omnia iſta concurrant, ad huc, dubium eſt, vtrum
tale iudicium diuinę iuſtitiæ conforme ſit. Vnde ſu-
per illo verbo 1. Petri 4. Si iuſtus vix ſaluabitur im-
B pius, & peccator vbi parebũt? Dicit Auguſtinus: qua-
re iuſtus vix ſaluabitur? niſi quia iuſtitiam Dei tantã
eſſe, certum eſt, vt interdum, quę videntur in homini-
bus noſtro iudicio eſſe iuſta iudicio Dei inuenian-
tur iniuſta, ſecundum illud: Homo videt in facie, 1. Reg. 16.
Deus autem in corde: Et ſecundum illud Iſaię 64.
Iuſtitię noſtræ pannus menſtruatę in manu tua ſunt.
exemplum habemus de Moyſe Rectore populi Iſra-
elitici: qui cum omnes, quos eduxerat de Aegypto, cõ
miſiſſent peccatũ Idololatriæ: qui fuerunt ſexcenta
millia, exceptis paruulis, & mulieribus, vt ſcribit Exo
di 12. Omnibus miſericordiam impertauit. ſolum de
vigintitribus millibus exercuit iuſtitiam: ſicut patet
Exodi 32.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, quòd miſeri-
cordia non eſt facienda ipſis tyrannis propter exigen
tiam ipſorum meritorum, ſed propter condecentiã
Dei bonitatis: cuius Papa Vicarius exiſtit.

Dupliciter autem accipitur miſericordia. Primo
vt eſt redditio ſecundum exigentiam meritorum. Se-
cundo, vt eſt redditio Dei promiſſi, ipſe enim ſemper
promittit miſericordiam facere, ſecundum quẽ mo-
dum loquitur Anſelmus de miſericordia, Proſologiõ
c. 9. & 10. vbi dicit: Iuſtum eſt domine, ſic te eſſe bo-
num, vt parcendo malis ſis bonus: quatenus de iuſti-
tia tua naſcatur miſericordia tua.

AD ſecũdum eſt dicendum, quòd ſic de manibus
Tyrãnorum Papa debet eripere prædam pauperum,
D & viduarum, & aliorum fidelium, vt ſemper miſeri-
cordia ſupponatur iudicio: quod tunc eſt, quando ip
ſum iudicium per ipſam miſericordiam illuminatur,
& commẽdatur, & magis placet, vt dicit Auguſtinus.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Papa non peccat iu-
ſtitiam faciendo de tyrannis. ſi tamen in tali iudicio
inuentum fuerit opus miſericordię per talem modũ,
vt iudicio eius ſit ſuperpoſita miſericordia, tunc ſi
ipſe habuerit aliquid in iudicio, quo pu-
niatur, tanquã vnda miſericordiæ,
peccati ignis extinguitur, vt
dicit Auguſt. ſuper illo
uerbo: Superexaltat Pſal. 141.
autẽ miſericor
dia iudi-
cium.

QVAEST. XXVII. DE RESISTENTIA EXCOMMVNICATORVM.

VLTERIVS conſiderandum eſt de reſiſtentia excommunicatorũ. Circa quod quæruntur decem. E

Primo, Vtrum Papa ſolum debeat excommunicare.

Secundo, Vtrum Papa pro quolibet peccato mortali excommunicare debeat.

Tertio, Vtrum Papalis excommunicatio iniuſtè lata ſit timenda.

Quarto, Vtrum omnes excommunicati per Papam damnentur.

Quinto, Vtrum ſolus Papa debeat abſoluere excommunicatos à iure, & à iudice inferiori.

Sexto, Vtrum Papa debeat excommunicare pro peccato fiendo, ſicut pro peccato iam facto. F

Septimo, Vtrum Papa vnam totam vniuerſitatem reſiſtentem ſibi excommunicare debeat.

Octauo, Vtrum per Papam ſint excommunicati portantes pecuniam in Alexandriam.

Nono, Vtrum Papa debeat aliquem excommunicare niſi ſemel tantum.

Decimo, Vtrum per Papam excommunicatis ſcienter communicantes ſint excommunicati.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVS PAPA debeat excommunicare. G

S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. quæſt. 22. artic. 1.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quod non ſolum Papa excommunicare debeat. Quia Epiſcopi ſolenniter excommunicare poſſunt. Scribitur enim 11. q. 3. cap. Debent, quod debent 12. Sacerdotes Epiſcopum circunſtare, & H lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſionem anathematis, vel excommunicationis proijcere debent in terram, & conculcare pedibus.

2 Præterea: Excommunicatio eſt actus clauium, ſed quilibet Sacerdos habet claues: Ergo quilibet Sacerdos poteſt excommunicare.

3 Præterea: Qui poteſt remouere cauſam, poteſt remouere effectũ: ſed quilibet Sacerdos poteſt remouere culpam mortalis peccati, quæ eſt cauſa excommunicationis. Quilibet ergo poteſt ipſam inducere.

IN CONTRARIVM eſt, quia excommunicatio eſt ſeparatio à communione fideliũ: ſed ſolus Papa eſt pater omnium fidelium, ergo ſolus ipſe poteſt excommunicare.

RESOLVTIO.

Solus Papa per immediatam iuriſdictionem, & vniuerſalem ligationem excommunicare poteſt: Alij vero per deriuatam, & minus vniuerſalem.

RESPONDEO, dicendum, quòd excommunicatio eſt pœna, quæ infligitur homini in foro exterioris iudicij: in quo agitur cauſa inter hominem, & hominem: ideo requirit iuriſdictionem: quia nullus poteſt iuſtè puniri, niſi ab eo, qui ſuper eũ iuriſdictionem habet. Iuriſdictio autem Papæ reſpectu omniũ fidelium Eccleſiæ in duobus differt (quantum ad præſens) à iuriſdictione aliorum Prælatorum. Primo quia eſt immediatior. Nam in ipſo iuriſdictio ſupra omnes fideles eſt immediata. In alijs autem Prælatis eſt ab eo deriuata ſicut riuuli deriuantur à fonte. Secundo, quia vniuerſalior. extendit enim ſe eius iuriſdictio ſupra omnes Prælatos Eccleſiæ, & ſupra ſubditos ipſorum prælatorum. Solus ergo Papa poteſt excommunicare per immediatã iuriſdictionem. Alij autem non niſi per iuriſdictionem taxatam, & deriuatam ab ipſo. Solus ipſe ſimiliter poteſt excommunicare per vniuerſalem ligationẽ. quia vinculo anathematis ligati per ipſum, à nullo ſuperiori poſſunt abſolui ſecundum præſentẽ iuſtitiam.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum: quod illa forma excommunicandi præſcribitur Epiſcopis ab ipſo Papa, à quo, ſicut conditore omne ius Eccleſiaſticũ: (quia ipſe eſt conditor iuris, & legis) ſic præſcribitur ab eo ſententia excommunicationis ferendæ. Vnde ex hoc non arguitur, quod Epiſcopi poſſunt excommunicare per iuriſdictionem immediatam: ſed ſolum per iuriſdictionem ab ipſo Papa deriuatam, & taxatam.

AD ſecundum eſt dicendũ, quod diſtinguitur clauis, poteſtatis ordinis & poteſtatis iuriſdictionis. Excommunicatio autẽ eſt actus poteſtatis iuriſdictionis, non ordinis: Ideo ad Sacerdotes, qui ſolam habent poteſtatem ordinis, nõ ſpectat excommunicare, niſi forte ex approbata conſuetudine: vel ex commiſſione per Superiorem eis facta, vel forte in notorijs, & manifeſtis criminibus, vt aliqui dicunt.

AD tertium dicendum eſt, quod ſicut Sacerdos poteſt tollere maculam peccati mortalis in foro pœnitẽtiæ; ita poteſt infligere pœnam in tali foro pœnitẽtiæ, in quo agitur cauſa inter Deum, & hominem: In foro autem exterioris iudicij, in quo agitur cauſa inter hominem, & hominem; ſicut non poteſt tollere culpam; ita non poteſt indicere pœnam.

ARTI-

ARTICVLVS II.

VTRVM PRO QVOLIBET peccato mortali Papa debeat aliquem excommunicare.

Dominicus Sotus lib.4.ſent.diſt.22. quæſt.1.art.2.Et Turrecremata in, Nemo Epiſcoporum 51. q.3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd pro quolibet peccato mortali Papa debeat aliquem excommunicare. Quia iudicium Eccleſiæ debet imitari iudicium Dei: ſed pro quolibet (B) peccato mortali homo ſeparatur à cõmunione diuina. Ergo pro quolibet peccato mortali Papa debet ſeparare hominem à communione fidelium.

2 Præterea: Excommunicatio eſt priuatio boni ſpiritualis: Sed nullus poteſt perdere bonum ſpirituale, niſi ipſo volente per peccatum mortale commiſſum. Ergo pro quolibet peccato mortali excõmunicatio debet fieri.

3 Præterea: Nullus traditur Satanę, niſi pro peccato mortali: ſed Apoſtolus illum publicum fornicarium mandauit tradendum eſſe Satanæ per excommunicationem, ſicut patet 1. ad Cor.5. & 11.quæſt. 3.cap. Omnis ſcribitur, quòd Satanæ traditur, qui ab Eccleſia excommunicatur. Pro quolibet ergo peccato (C) mortali eſt excommunicatio fienda.

IN CONTRARIVM eſt. Quia ſi pro quolibet peccato mortali fieret excommunicatio: tunc omnes peccantes mortaliter eſſent excommunicati.

RESOLVTIO.

Papa non pro quolibet peccato mortali, per quod quandoq; minor, quandoque maior, excõmunicatio incurritur; excõmunicare debet: ſed ſolum pro crimine accuſatione dignũ, cõtumacia, & pertinacia exiſtente.

RESPONDEO, dicendum: quòd per quodlibet peccatum mortale incurritur excommunicatio minor, quę eſt priuatio ſacramentorum. quia ſi (D) exiſtens in peccato mortali ſacramenta accipiat, ſe-

1.Cor. 11. cundum Apoſtoli ſententiam non ad ſaluationem:

† Syluest. in Summa verbo: Excõmunicatio. §.nu.2.

ſed ad damnationem recipit. Incurritur † autem excommunicatio minor ſecundum Deum, & ſecundũ Eccleſiam in multis caſibus. Primo, cum quis communicat excommunicato. Secundo, cum quis ſacrilegium committit. Tertio, cum quis eſt notorius fornicator. Quarto, cum quis eſt ſimoniacus. Quinto cum quis recipit Eccleſiam à manu laici ſine conſenſu Epiſcopi, niſi forte tali laico per Papam eſſet indultum. Sexto, cum quis exercet in bello iniuſto artem armorum contra chriſtianos. Septimo, cum alicui negatur ſepultura Eccleſiaſtica. Octauo, cum quis eſt notorius peccator.

Sed excommunicatio maior, quamuis non niſi pro (A) peccato mortali ſit ferenda: non tamen † pro quolibet peccato mortali ferenda eſt, ſed ſolum pro tali crimine, quod ſit accuſatione dignum. & hoc non eſt, niſi ſit incorrigibilis, vel contumax. vel non veniendo ad iudiciũ, peremptoria citatione recepta, iudicium ſuperioris contemnendo, ſeu citationem ſibi factam occultando: aut ne ad ipſum perueniat, impediendo, vel ad iudicium veniens, iuri tamen non vult ſtare, nec ſententiæ iudicis parere. vel ante finitam cauſæ examinationẽ contumaciter, & ſine licẽtia recedẽdo.

† Quàm ſobrie ſit ferẽda excommunicatio, vide Concilium Tridẽ. ſeſsio.25.de reformatio. cap. 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ Eccleſia imitatur Dei iudicium veritate. ſed in modo iudicandi (B) de veritate, non poteſt iudicium Dei imitari: eo ꝙ veritas nota eſt Deo ſecundum interiorem conſcientiam: nobis autem ſolum ſecundum exteriorem euidentiam, iuxta illud 1. Re. 16. Homo videt quę foris parent: Deus autem intuetur cor. Ideo cum peccatũ alicuius peruenit ad notitiam Prælati, vel per incuſationem, vel per manifeſtam nominationẽ: debet pro tali peccato excommunicari, ſi per iudicium iudicis corrigi contẽnit.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd per peccatũ mortale amittit homo charitatem, ipſo volente: quia per excommunicationem, charitas per ſe nõ tollitur, quæ fertur homini inuito. ſed bene per excommunicationem tolluntur illa auxilia, quibus homo vel in charitate conſeruatur, & augmentatur: vel ad chari- (C) tatem recuperandam inducitur, & diſponitur.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut dicit Ambroſius, homo duobus modis traditur Satanę. Primo cum homo à Deo ſibiipſi relinquitur, & ſic ſemper in peccata labitur. quæ quidem peccata licet ſint nota Deo, nõ tamen quandoq; ſunt nota hominibus. Alio modo cum à corpore myſtico eccleſiæ per ſubtractionem ſuffragiorum ſeparatur per aliquod notorium peccatum: Et iſto ſecundo modo Eccleſia per excommunicationem tradit hominem Satanæ: non autem primo modo.

ARTICVLVS III.

(D) *VTRVM PAPALIS EXCOMmunicatio iniuſte lata ſit timenda.*

Late Dominicus Sotus lib.4. ſent.diſt.22.q.1.art.3.Et Armill. Tit. Excommunicatio.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ papalis excommunicatio iniuſtè lata non ſit timẽda. Dicit enim Apoſtolus ad Ro.13. Vis non timere poteſtatem; bonũ fac, & habebis laudem ex illa. Si ergo aliquis bonum facit, & iniuſtè excõmunicetur, papalẽ ſententiá timere nõ debet.

2 Præterea: Qui excõmunicatur, eijcitur ab Eccleſia. Sed dicit Origenes ſuper Leuitico, quòd vita, non

ſententia ab Eccleſia aliquem eiicit, vel ad eam reducit. Sententia ergo Papalis iniuſtè lata timenda nõ eſt.

Tomo 1.

3 Præterea : Secundum Auguſtinũ 1. de libero arbitrio. Bona virtuoſa, & ſpiritualia nobis ſubtrahi nõ poſſunt, nobis inuitis. Per excommunicationem ergo iniuſtè latam, diuinam protectionem, & gratiam perdere non poſſumus: quę ſunt quædã bona ſpiritualia.

IN CONTRARIVM eſt Gregorius, & ponitur 9. quæſt. 3. cap. Sententia. Sententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda eſt.

RESOLVTIO.

Excõmunicatio ſiue iuſta, ſiue iniuſta timenda eſt, & ſeruanda. contemptus enim cauſam iniuſtam faceret iuſtam : in ſeptem autem caſibus tenenda non eſt. A Papa vero lata timenda eſt, & ſeruanda ſemper, modo peccatum mortale, vel aliquid contra fidem non contineat.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ in 7. caſibus ſententia excommunicationis nec eſt timenda, nec tenenda. Primus eſt : Si talis ſententia non feratur à ſuo iudice. Secundus eſt: Si à ſuo Iudice feratur excommunicato tamen, quia excommunicatus excommunicare non valet. Tertius : Si quis excommunicetur à delegato contra intentionem delegantis. Quartus eſt: Si lata ſit ſententia poſt pronunciatam appellationem. Quintus eſt: Si feratur à ſuſpenſo à poteſtate iuriſdictionis. Sextus eſt: Si feratur nulla admonitione præmiſſa, & nullo iuris ordine ſeruato. Septimus eſt: Si ſententia contineat intolerabilem errorẽ: puta contineat peccatum mortale, vel aliquod, quod ſit contra fidem. Planum eſt autem, ꝙ nullo iſtorum modorum, excepto vltimo, excommunicatio Papalis eſt contemnenda. Nullus enim poteſt cauſare Papã ſuum non eſſe iudicem : vel ſententia excommunicationis eum eſſe ligatum: nec eius ſententiam eſſe contra intentionem delegantis: vel ab eius ſententia appellare: nec à iuriſdictione per aliquem ſuperiorem eſſe ſuſpenſum: vel iuris ordine non ſeruato: cum ipſe nullo poſitiuo iure ligetur. Solum autem ſi deprehenderetur ſententiam ferre, ponendo errorem, vel aliquod, quod eſſet peccatum mortale: tunc eius ſententia nec timenda, nec tenenda eſſet.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut gloſſa dicit ſuper illo verbo Apoſtoli: Bonus bonum faciẽs, poteſtatem non debet timere: quia ſi princeps bonus eſt, bene operantem non punit, ſed diligit. Si vero malus eſt, non nocet bono, ſed purgat eum. Si ergo iniuſtè excommunicans ex animo iniuſto, quia forte liuore vindictæ, nõ amore iuſtitiæ facit, timenda eſt, & ſeruãda eſt excommunicatio: quia licet ille iniuſtè agat: iſte tamen iuſtè patitur. Si vero ſit iniuſta ex iniuſta cauſa, adhuc eſt timenda, & ſeruanda. quia ipſe contemptus cauſam iniuſtam faceret iuſtam.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ nullus eijcitur extra Eccleſiam iniuſtè per ſententiam, quantum ad culpam excommunicati : ſed quantum ad pœnam, quam infligit ille, qui excommunicat, poteſt eijci extra Eccleſiam per ſententiam iniuſtam, eo quòd pœnę à Prælatis Eccleſiæ poſſunt infligi iniuſtè.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ gratiam, & charitatẽ infundit ipſe Deus : quæ non poſſunt tolli ab homine, inuito ipſo: ſed communicatio fidelium, & ſuffragia Eccleſiæ : quæ ſunt ex parte hominũ, per Pręlatos Eccleſiæ ſubtrahi poſſunt homini inuito.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM EXCOMMVNICATI per Papam omnes iniuſte dãnentur.

Magiſter ſent. lib. 4. diſt. 18. §. Ligant quoque Sacerdotes. Et Sylueſt. in ſumma, verbo: Excõmunicatio. 3. §. 1.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd excommunicati per Papam omnes damnentur. Dicit enim Auguſtinus, & ponitur 24. quæſt. 1. c. Quodcunq;. quòd cum Eccleſia excommunicat aliquem, excommunicatus ligatur in cœlo: & cum Eccleſia reconciliat ipſum, recõciliatus ſoluitur in cœlo. Ergo omnes excommunicati per Papam damnantur, ex quo in cœlo ligantur.

2 Præterea : Scribitur Matth. 18. ꝙ qui non vult audire Eccleſiam, habendus eſt ſicut Ethnicus, & Publicanus. Sed excommunicati per Papam non audiũt Eccleſiã. damnantur ergo, ſicut Ethnici, & Publicani damnantur.

3 Pręterea ; Quicunque traditur Diabolo eſt damnatus. Quia damnati Diabolo traduntur, iuxta illud Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Excommunicati vero per Papam ſimiliter Diabolo traduntur, ſicut patet per Apoſtolum 1. ad Cor. 5. Ergo excommunicati per Papam damnantur.

IN CONTRARIVM eſt illud, quod dicit Origenes ſuper Leuitico Hom. 15. & ponitur 24. quæſt. 3. Vita, non ſententia ab Eccleſia aliquem eiicit, vel ad eã reducit; Interdum enim (vt dicit) Qui foras mittitur, intus eſt: & qui foras eſt, intus videtur retineri.

RESOLVTIO.

Excommunicati à Papa iniuſtè, non damnantur. Iudicium enim militantis Eccleſiæ fallere, fallique poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ excommunicatio eſt pœna inflicta homini in foro exterioris iudicij, in quo agitur cauſa inter hominem, & hominem ſecundum allegata, & probata. Cum igitur tale iudicium poſſit eſſe rectum, & non rectum, iuſtum & non iuſtum ; quantumcunque aliquis extra Eccleſiam ponatur per excommunicationem, ſi non recto iudicio foras mittitur, nec meruit expelli, non læditur.

Tom. 1.

tur. unde dicit Auguſtinus de vera Religione c. 6. ꝙ ſæpe diuina prooidentia ſinit etiam bonos viros per nonnullas turbulentas carnalium hominnm ſeditiones expelli de congregatione chriſtiana: quam contumeliam, uel iniuriam ſuã, cum patiẽtiſſime pro Eccleſię pace tulerint, neque ullas nonitates, vel ſchiſmatis, vel hæreſis moliti fuerint: & fidem, quam in Eccleſia catholica prædicari, ſciunt, vſque ad mortem iuuant, & teſtimonio defendunt; hos coronat pius Pater in occulto uidens.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo dicitur, ꝙ inſtè excommunicatus in Eccleſia ligatur in cœlo: ſed ſi iniuſtè excõmunicatus ſit, non ligatur in cœlo, quia iudicium Eccleſiæ militantis falli poteſt, & fallere. Iudicium vero Dei nec fallere, nec falli poteſt.

B

A D ſecundum dicitur, ꝙ qni non audiunt Eccleſiam per cootumaciam, & manifeſtam rebellionem ſicut Ethnici, & Publicani habendi ſunt. ſed qui non audiunt Eccleſiam per ſacramentorum communionem, vel per eorum cum infidelibus cõuerſauionem; dummodo à communiooe fidelium, & perceptione Sacramentorum iniuſtè ſint, priuati; quamuis vt Ethnici, & Publicani ab Eccleſia habeantur ſecundum præſentem iuſtitiã: non tamen ſecundum Dei rectam ſententiam.

A D tertium dicitur, ꝙ excommunicati traduntur diabolo ſecundum præſentem iuſtitiam per ſubtractionem ſuffragiorum, & priuationem ſacramentornm: ſed extra poteſtatem diaboli accipinntur, ſi iniuſtè traditi ſunt per Dei inflexibilem ſententiam.

C

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSſit, & debeat excommunicatos à iure, & ab inferiori iudice abſoluere.

S. Thomas in additionibus ad 3. par. q. 24. art. 1.

AD quintum ſic proceditur. Videtnr enim, quòd Papa poſſit, & debeat excommunicatos à inte, & ab inferiori indice abſoluere. Quia, qui totum dat, nihil excipit: ſed Papa, vel eius vicem gerens quandoque concedit, quod aliquis eligat ſibi diſcretum confeſſorem, qui eius auctoritate ab omnibus peccatis abſoluat eos. Talis ergo confeſſor poteſt, & debet ab omni excommunicatione lata io iure, & à iudice ipſum abſoluere. quia qui totum dat, nihil excipit.

D

2 Præterea: Ligatus ab inferiori poteſt a ſuperiori abſolui: ſed tam ius, quàm iudex quicumq;, eſt quid inferius reſpectu Papæ, potiſſune io poteſtate iuriſdictionis. Ergo abſolutus à Papa intelligitur abſolntus eſſe à ſententia lata in iure, vel à quocumque iudice.

A

3 Præterea: Qui nõ eſt minori uinculo ligatus, nec maiori. Per illam regulam: Cui minus videtur ineſſe, & nõ ineſt, nec maius: ſed Papa quaodoque reſtituit aliquem ad perceptionem ſacramentorum, cum concedit, qoòd eius auctoritate poſſit confiteri diſcreto ſacerdoti. Ergo talis intelligitur eſſe teſtitutus ad communionem fidelium.

I N C O N T R A R I V M eſt, qnia excommunicatio eſt pæna debita culpæ: ſed Papa non poteſt, oec debet pænam tollere, remanente culpa. non poteſt ergo, nec debet excommunicatos à iure, vel à iudicibus inferioribus abſoluere, niſi conſtiterit ei de emendatione à culpa commiſſa.

B

RESOLVTIO.

Excommunicati à iure, & ab inferiori iudice, ſi eorum emendatio conſtiterit, à Papa immediatè: ab alijs vero poteſtate deriuata abſolui poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd excommunicare aliquem pertinet ad ptãtem iuriſdictionis. iuriſdictio autem vniuerſaliter ſuper totam Eccleſiã, & omnes fideles reſidet ſolum in Papa: vnde ſicut ad eum ſpectat oniuerſaliter ligare: ſic ad eum ſpectat vniuerſaliter abſoluere. Ad alios antem non ſpectat ſoluere, vel ligare à quocunqne uinculo, niſi auctoritate deriuata ab ipſo. Ab omoi ergo ſententia excommunicationis lata in iure, vel à quocunq; iudice, ſolus Papa poteſt abſoluere poteſtate immediata: ſed

C

poteſtate deriuata ab eo alij iudices poſſuot abſoluere io caſibus eis conceſſis ab eo, vel in iure determinatis. reſeruat. n. Papa ſibi principaliter ſex † caſus.

† Idem ait B. Thomas loco paulo ante citato. hodie vero per proceſſum, qui legitur in cœna Domini, plures caſus ſibi reſeruat Papa, de quibus uide omnino Sotũ lib. 4. ſenten. diſt. 22. q. 1. art. 3.

Primns quando aliquis iniecit manum in clericũ, vel in religioſum. Secundo eſt de illo: qui incendit Eccleſiam, & eſt dennnciatus. Tertins eſt de illo, qui in diuinis ſcienter commuoicat cum excommunicato per Papam. Quartus eſt de illo: qui defert prohibita ad terram Saracenorum. Quintus eſt de illo: qui falſat litteras Apoſtolicæ ſedis. Sextus eſt de illo, qui excommunicatis in crimine communicat. Iſtorũ enim abſolutio pertinet ad Papam: niſi ꝙ à primo caſu excipiuntur octo.

Primus eſt, ſi aliquis ſit in articulo † mortis. Secundus, ſi percutiens ſit oſtiarius alicuius Domioi. Tertius eſt, ſi percutiens ſit mulier. Quartus eſt, ſi ſit ſeruus, & Dominus lædatur de eius abſentia. Quintus, ſi regularis ſit percuuiens regularem, & non ſit enormis exceſſus. Sextus eſt, ſi percntiens ſit pauper. Septimus, ſi ſit puer, vel ſenex, vel valitudinarius. Octauus eſt, ſi habet inimicitiam capitalem. Cootingit tamen quandoque, ꝙ percuuens clericum non incurrit excommnnicatiooem.

D

† In articulo eñ mortis nulla eſt caſuum reſeruatio: atque ideo oẽs ſacerdotes quoslibet pęnitentes, a quibus vis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt. Cõcil. Trident. ſeſſ. 14. c. 7. de caſuũ reſeruatione.

Primo, ſi hoc fiat cauſa diſciplinæ. Secundo, ſi fiat iocoſa leuitate. Tertio, ſi inueniatur male agens cum matre, vel uxore. Quarto ſi repellatur ſtatim per vim, uolens vim inferre. Quinto, ſi ignoretur, quòd ſit clericus. Sexto, ſi inueniatur io apoſtaſia poſt trinam admonitionem. Septimo, ſi iouematur tranſlatus ad uarios, ſeu contrarios actus, puta quòd ad militiam, vel bigamiam ſe tranſtulit.

Ad

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ in tali caſu non intelligitur, ꝙ confeſſor poſſit talem abſoluere ab excommunicatione: licet enim excommunicatio feratur ꝓ peccato, fertur tñ pro tali peccato, cuius emendatio, vel correctio fit in exteriori iudicio: quo vertitur cauſa inter hominẽ & hominẽ. Vnde ſicut ligatio fit in ſcriptis: ita apparere debet abſolutio in ſcriptis. ſed illa cõfeſſio ſolũ intelligitur de peccatis, quorum abſolutio ſolum ſpectat ad forum conſcientiæ: quo vertitur cauſa inter Deum, & hominem.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ligatus ab inferiori poteſt à ſuperiori abſolui, quando illud ligamen ductum eſt ad iudicium ſuperioris iudicis; vel quando in vniuerſali abſolutione particulariter abſolutionem illius legaminis exprimit. Aliter vniuerſalis abſolutio non intelligitur niſi de illis, quæ ſpectant ad forum conſcientiæ.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ cum excommunicatus ſit priuatus perceptione ſacramentorum, quando fit commiſſio alicui, vt aliquem audiat in foro pœnitentiæ: ſi ſciat eum excommunicatum eſſe, non debet ipſum audire, niſi prius conſtet ſibi de abſolutione, quia nec aliter illa conceſſio intelligenda fuit.

ARTICVLS VI.

VTRVM PAPA DEBEAT, aut poßit excommunicare pro peccato fiendo.

Textus & ibi Doctores in cap. Romana. §. caueant. de ſent. excom. lib. 6. & Couarruuias in cap. Alma mater. de ſent. excom. lib. 6. par. 1. §. 10. in principio.

Ad ſextũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa nõ debeat, nec poſſit excõmunicare pro peccato fiẽdo, ſicut pro peccato iam facto: quia vinculũ matrimonij nõ cõtrahitur per verba de futuro. Ergo nec uinculũ excõmunicationis per culpã committendã in futuro cõtrahi poteſt.

2 Præterea: Si quis conſentit homicidio ſe ignorante facto homicidia apud Deum reputatur. ſed ſi quis conſentit in homicidium fiendum in futuro; ſi poſtmodum pænitear, non habetur homicida. Pro culpa ergo fienda excommunicatio fieri non poteſt.

3 Præterea: Excommunicatio eſt pœna pro culpa inferenda: ſed nullus punitur pro culpa fienda, ſed pro culpa iam facta. Ergo excommunicatio pro peccato fiendo fieri non poteſt.

In Contrarivm eſt, quia talem excommunicationem fecit Apoſtolus ad Gala. 1. quando dixit: Quicumque euangelizauerit vobis præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.

RESOLVTIO.

Papam pro peccato perpetrando excommunicare poße, quis inficias ibit?

E Respondeo, dicendum, ꝙ in Eccleſia eſt duplex poteſtas, & duplex gladius: iuxta illud Lucæ 22. Ecce duo gladij hic: unus eſt corporalis, & materialis: quo utuntur Principes, & ſæculares Rectores ad ſeparationem animæ à corpore proprio, & naturali. Alius eſt ſpiritualis, quo vtuntur Prælati, & Eccleſiæ Paſtores ad ſeparationem animæ à corpore myſtico Eccleſiæ. Vnde ſicut poteſtas Principum ſæcularium poteſt educere gladium materialem, & cum eo percutere, ſiue ferendo ſententiam condemnatoriam, & pœnalem contra maleficia præterita: ſiue prohibitoriam contra futura: ſic poteſtas ſpiritualis prælatorum gladium ſpiritualem, qui eſt excommunicatio mucro Epiſcopi appellata, poteſt educere, & cum ipſo percutere: ſiue ferendo ſententiam cõdem-

F natoriam per excommunicationem contra delicta præterita: vt dicat: Excommunico omnes, qui hoc fecerunt: ſiue contra futura: vt dicat: Excommunico omnes, qui hoc fecerint. Et ſicut in primo caſu ille, qui iam fecerat maleficium, ligatur ex culpa præcedente, & ſententia ſequente; ſic in ſecundo caſu ille, qui fecerit, ligabitur ex ſententia præcedente, & maleficio ſequente: quia incidit in factum iam damnatum.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile. quia in matrimonio contrahendo de futuro exprimitur conſenſus contrahentis per verba de futuro. hic autem exprimitur uoluntas excommunicantis per uerba de præſenti. cum dicit: Excommuni-

G co. ſecus autem eſſet ſi diceret: Excommunicabo. Vel poteſt dici, ꝙ ſicut non contrahitur vinculum matrimonij ex ſolo conſenſu de futuro ſine copula ſequenti: ſic nec in iſto caſu ligatur aliquis vinculo excommunicationis ex præcedenti ſententia, ſine ſequenti maleficio.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ratihabitio ſecundum iura humana, & diuina, retro traditur, & mandato comparatur: Vnde qui conſentit in homicidiũ factum, ſe ignorante, nihilominus homicida reputatur. ſed ſententia excommunicationis hoc habet ſpeciale, quia ſecum trahit executionem retro, & ante.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ nullus punitur pro culpa fienda, ſi non fiat. ſed pro culpa iam damnata, ſi fiat, merito quis puniri poteſt.

H

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA TOTAM vnam Communitatem ſibi reſiſtentẽ poßit, et debeat excõmunicare.

Doctores in c. Romana. de ſent. excom. lib. 6. Cuius etiam paulo poſt meminit auctor. Et S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 22. art. 5.

Ad ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa totam vnam Communitatem reſiſtẽtem ſibi poſſit, & debeat excommunicare. Quia excommunicatio fertur pro contumacia: ſed

tota Communitas quandoque inuenitur contumax, & rebellis Papæ. Ergo tota excommunicari poteſt.

2 Præterea: Vna tota Communitas interdicitur, & perceptione ſacramentorum priuatur: quæ eſt maxima pœna. Ergo ſimiliter tota poteſt excommunicari.

3 Præterea: Pueri Sodomitarum puniti fuerunt pro peccato Parẽtum ſuorum: quia tota Communitas fuit exterminata: non obſtante, quòd ibi eſſent aliqui innocentes.

In Contrarium eſt quod ſcribitur 24. quæſt. 3. cap. Si habes. Nulla ratione vtuntur, qui pro peccato unius in totam familiam, & in totam Communitatem ſententiã excommunicationis proferunt.

RESOLVTIO.

B *Excommunicatio non niſi in culpabiles de Collegio, vel de Vniuerſitate ferenda eſt. Id quod miſeratio diuina, Eccleſię prohibitio, periculi euitatio, & ratio ipſa naturalis perſuadent.*

Respondeo dicendum, ꝙ quatuor ſunt, propter quæ in totam vnam Communitatẽ excommunicatio non eſt ferenda. Primum eſt diuina miſeratio: Scribitur enim Geneſis 18. Abraham dixiſſe domino: Numquid perdes iuſtum cum impio? non eſt hoc tuum: qui iudicas omnem terram: vt occidas iuſtum cum impio: fiatque iuſtus ſicut impius. in Communitate autem non eſt veriſimile, quin aliqui iuſti, & non conſentientes culpę inueniantur. Secundum eſt Eccleſiæ prohibitio. Scribitur enim extra

C

† Lib. 6. c. Romana.

de ſent. excom. † in vniuerſitatem, vel collegium proferri ſententiam excommunicationis penitus prohibemus: volentes animarum periculum euitare. Sed in illos dumtaxat de collegio, vel vniuerſitate, quos culpabiles eſſe conſtiterit, promulgetur. Tertium eſt periculi euitatio. Dicit enim Auguſtinus lib. 3. contra Epiſtolam Parmeniani ſuper illo verbo: † Ne forte colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum; Cum quis chriſtianorum intus in Eccleſia conſtitutus in aliquo tali peccato fuerit deprehenſus, vt anathemate dignus habeatur: fiat hoc, vbi periculũ ſchiſmatis non timetur, cum dilectione: non ad eradicandum, ſed ad corrigendum. Timendum autem eſſet de ſchiſmate: vbi Principes, vel Communitas tota excommunicaretur. Ideo, vt tale periculum euitetur, Auguſtinus prohibet Communitatem excommunicari. Quartum eſt naturalis ratio. excõmunicatio enim, cum ſit maxima pœna, non debetur niſi mortali culpæ: culpa autem, cum conſiſtat in actu, eſt ſingularium perſonarum. ideo ſingulares perſonæ ſunt excommunicandæ, & non Communitas.

Tomo 7. cap. 1.

† Matth. 13.

D

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ omnes perſonæ ſingulares de Communitate excommunicari poſſunt: non tamen ipſa Cõmunitas. Nec eſt tamẽ probabile, ꝙ omnes de communitate in contumaciã conſentiant, niſi forte propter timorem, & tali timore, qui poteſt cadere in conſtantem virum.

A Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ maior eſt excommunicatio, quàm interdictum, vel ſuſpenſio ſacramẽtorum. quia excommunicati priuantur communibus ſuffragijs Eccleſiæ. Vnde non eſt ſimile.

Ad tertium dicitur, ꝙ pœna tẽporali, † & corporali bene poteſt puniri filius pro patre: quia ipſe Deus * viſitat peccatum patrum in filios vſque ad tertiam, & quartam generationem: Sed pœna ſpirituali, qualis eſt excommunicatio, anima, quæ peccat, ipſa debet puniri. vnde dicit Auguſtinus, & ponitur 24. q. 3. cap. Si habes. Iuſtam rationem reddere non poſſum Deo, vel hominibus, ſi animas innocentes pro ſcelere alieno: quod non trahunt ex Adam, in quo omnes peccauerunt, ſpirituali ſupplicio puniamus.

† Alphõſus Caſtr. libr. 2. de iuſta hære. puni. c. 10. & 11.

* al. punit.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM SINT EXCOMMVnicati portantes pecuniam in Alexandriam.

Proceſſus Bullę in cœna Domini §. 7. ſiue caſu. 7. & Doctores in c. ad liberandam. extra de Iudæis, & Sarace. & Sylueſt. in ſumma, verbo: Excommunicatio. 7. ver. viceſima prima eſt. nu. 58. & ſeq.

Ad octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ portantes pecuniam in Alexandriam Florenos, & Turonenſes groſſos nõ ſunt excommunicati, Quia quod non eſt prohibitũ, intelligitur eſſe conceſſum: ſed non ſunt prohibita niſi arma ferrea, & lignea. ſicut patet extra de iudę. & Sar. c. Ad liberandã terram ſanctam. Portantes ergo alia non incurrunt ſententiam.

2 Præterea: Excommunicatio eſt quædam pœna. ſed pœnę, ſunt reſtringendæ, non ampliandæ. Ex quo ergo in tali ſententia non fit mentio de alijs, niſi de ſupradictis: omnia alia licet portare.

3 Præterea: Illud, quo emuntur mercimonia, non ſunt mercimonia: ſed pecunia emũtur mercimonia. cum ergo non ſit prohibitum portare in Alexandriam niſi mercimonia. videtur ꝙ per portare pecuniam, non incurratur ſententia.

D In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de iudæ. & Sar. c. Quod olim: vbi dicitur: Nos omnes illos excommunicationi ſupponimus, qui amplius cum Saracenis mercimonium habuerint per ſe, vel per alios, nauibus, vel quocumque alio modo, vel ingenio eis aliqua rerum ſubſidia, ſeu conſilia, quamdiu inter nos, & illos guerra durauerit, duxerint impendenda.

RESOLVTIO.

Qui Paganis pecuniam aſportant, excommunicationem incurrit. Pecunia enim omnis res eſt.

Respondeo dicendum, ꝙ aliqui Iuriſtæ dicunt, ꝙ portantes pecuniam in Alexandriam nõ

incur-

incurrunt ſententiam latam: ex quo nõ portant prohibita, quæ prohibentur in dicta ſententia: ſed puto, ꝙ ex vigore illius ſententiæ omoes excommunicationi ſubduotur, qui ad Saracenos aliquid deferunt: ex quo poteſt eis auxilium, vel cõſilium præſtari ad impugnandum Chriſtianos. hoc autem potiſſimum eſt pecunia, vel illa, quæ poſſunt nũmiſmate menſurari. E

Polit. 1. c. 6. Nam ſecundum Philo. 1. Polit. Si non eſſet niſi communitas domus, quæ conſtat ex viro, & vxore, pecunia neceſſaria non eſſet: quia uullus emit, vel vendit aliquid ſibi ipſi. ſed in communitate ciuitatis, & regoi, & potiſſime voius regni cũ alio regno io conuerſatione pacifica, vel in bellicoſa impugnatione ad inuicem, potiſſime eſt auxiliatrix, & neceſſaria pecuoia. portantes ergo talia auxilia Saracenis, guerris durantibus cum chriſtianis, credo ꝙ principaliter incurrunt ſententiam. F Confirmatur iſtud. quia Papa, prohibendo portari Saracenis ferrum, ligna, & arma, prohibet illud, quod cauſaliter eſt omnia iſta. ſed ſecundũ Philo. 1. Polit. Nũmiſma eſt omnis res; & eſt quidam fideiuſſor hominis ipſe denarius ad habendum omnem rem, ſiue de propinquo, ſiue de remoto. prohibendo ergo prædicta, prohibet pecuniam, & omnia oũmiſmata ad eos deferri. Confirmatur etiam hoc, quia cum excommunicatio ſit quædam pœna ſicut indulgentia, quæ pęnam tollit, tantum valet quãtum ſonat: ſic excommunicatio tantum ligat quantum ſonat. ſed in ſententia dicitur expreſſe. Quicumque dederit eis auxilium, conſilium, vel fauorem, quocumque modo, vel ingenio. Ergo, cum pecunia ſit quædam res artificialis, ingenio hominis inuenta in auxilium ſibi, & aliorum; oegari non debet (puto) ꝙ tales non incurrant ſententiam. G

Polit. 1. c. 6.

Ad Argumenta.

Ad Primvm dicitur, ꝙ tunc non prohibitũ eſſe conceſſum intelligitur: quando oon eſt prohibitum nec in ſe, nec io ſua cauſa: nec implicite, nec explicitè. ſed in prohibitione illorum cauſaliter prohibita eſt etiam pecunia implicitè; quando dicitur, auxilium, vel conſilium quocumque modo, vel ingenio.

Ad ſecundum dicitur: licet excommunicatio ſit pœna, & in hoc eſſet reſtriogenda: noo datur tamen talis pœna oiſi pro culpa mortali. Vnde propter periculum culpæ mortalis, quod homo incurrere poſſet, euitandum: talis culpa non ſic reſtringenda eſt, ꝙ veritas prætermittatur.

Ad tertium dicitur, ꝙ pecunia eſt cauſaliter omnis mercimonia. quia omnes mercimoniæ pecunia emuntur, & venduntur. Vnde prohibendo omnia mercimonia ad Saracenos portari, prohibentur pecuniæ, & omnia nũmiſmata: quibus illa poſſunt emi, vel uendi.

ARTICVLVS IX.

VTRVM PAPA DEBEAT, & poſſit aliquem excommunicare niſi ſemel tantum.

S. Thomas in quęſtionibus additis ad 3. par. q. 2. a. ar. 6.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat, nec poſſit aliquem excommunicare, niſi ſemel tãtum: quia Papa nõ poteſt excommunicare illos, ſuper qnos iuriſdictionem uõ habet: ſed ſemel excõmunicati ſunt extra iuriſdictionem Papæ, cum ſint extra Eccleſiã. Dicit enim Apoſtolus 1. ad Corin. De his, qui foris ſunt, iudicabit Deus. non ergo per Papam poſſunt amplius excommunicari.

2 Præterea: Excommunicatio habet effectum ſuũ ex poteſtate clauium: ſed poteſtas clauium, cum ſit à Deo, non reiteratur ſuper ſuum effectum: ſicut patet io omnibus ſacramentis. Ergo excommunicatio reiterari non poteſt.

3 Præterea: Excommnoicatio eſt quædam priuatio, & quædam ligatio: ſed ſemel priuatus non poteſt amplius priuari, & ligatus ſemel non poteſt amplius ligari. Ergo ſemel excommunicatus amplius excommunicari oon poteſt.

In Contrarivm eſt. Quia excommunicatio eſt quædam pęna: ſed pœna poteſt pluries reiterari, ſicut poteſt aggrauari culpa, pro qua datur: ſicut patet 12. quæſt. 2. cap. de viro nefando.

RESOLVTIO.

Sicut quis pluribus culpis poteſt irretiri; ita pluribus excommunicationibus excommunicari. Excommunicatio item reſpectu eiuſdem effectus licet iterari non queat, reſpectu tamen alterius poteſt.

Respondeo, dicendum, quòd cum excommunicatio ſit maior, & mioor; oon eſt dubium, ꝙ excommunicatus minori excommunicatione, poteſt excommunicari maiori. H Amplius cum excommunicatio feratur in iure, & à iudice, dubium non eſt, quòd excommunicatus ſententia lata in iure, poteſt iterum excommunicari à iudice: & cum vnus homo poſſit habere plures iudices, excõmunicatus ab vno, poteſt excommunicãri ab alio. Vlterius, cum excommunicatio non ſit ferenda niſi pro cootumacia, & culpa mortali cauſaliter, ſicut quis poteſt pluribus culpis irretiri, ita poteſt pluribus excommunicationibus excommuoicari. Sed vtrum ab vno iudice, & reſpectu eiuſdem cauſæ eadem excommunicatione poſſit aliquis pluries excommonicari ab alijs puto ꝙ ſic. quamuis aliqui dixerint cootrarium. quia licet primæ excommunicationis effectus ſit à corpore myſtico Eccleſiæ ſeparare: Secundæ tamen excommunica-

tionis

tionis effectus erit, ab Eccleſia elongare, vel in illa ſeparatione detinere. Vnde licet vna, & eadem excommunicatio reſpectu eiuſdem effectus non poſſit reiterari: reſpectu tamen alterius poteſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſi in excommunicato non remaneret aliquid indelebile, quo adnumeraretur cum populo chriſtiano, ſicut in iudæis, & paganis: De quibus dicit Apoſtolus, ꝙ de eis iudicabit Deus, Papa non poſſet ſemel excommunicatos amplius excommunicare: ſicut non poteſt excommunicare paganos, & iudæos: ſed remanet in excommunicatis aliquid indelebile: puta character baptiſmalis, ratione cuius Papa ſuper eos ſemper iuriſdictionem habet. (1.Cor. 2.)

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ poteſtas clauium reſpectu eiuſdem effectus non reiteratur. ſed reſpectu alterius effectus reiterari poteſt, & eodem modo excommunicatio.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut quælibet culpa mortalis, pro qua fertur excommunicatio, auertit à Deo, & à bono incommutabili; quia qui offendit in uno factus eſt omnium reus, vt ſcribitur Iaco. 2. pluribus tamen modis auerſus eſt à Deo, qui pluribus culpis eſt irretitus, quàm per vnam tantum: licet quælibet excommunicatio maior, quę eſt quædam pœna, liget hominem, & priuet eum communione fidelium: pluribus tamen modis ligatur, & priuatur pluribus excõmunicationibus, quã per vnam tantũ.

ARTICVLVS X.

VTRVM SCIENTER COMmunicantes cum excommunicatis per Papam, ſint excom municati.

S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. quæſt. 23. Sotus lib. 4. ſent. diſt. 22. q. 1. art. 4. & Syluester in ſumma verbo: Excommunicatio. 5.

AD decimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſcienter communicantes cum excommunicatis per Papam, ſint excommunicati. Quia non obſeruantes præcepta Eccleſiæ excommunicati ſunt: quia eo ipſo ſunt contumaces, ſed 11. quæſt. 3. cap. Præcipue, ſcribitur: Excommunicationis mereretur ſententiam: qui excommunicatis communicat. Ergo tales excommunicati ſunt.

2 Præterea: Scribitur eadem cauſa, & quęſtione cap. Quicumque. Quicumque communicauerit, vel orauerit cum excommunicato, ſi laicus eſt, excommunicatur: ſi clericus eſt, deponatur. Et ibidem ſubditur: Quicumque ſcienter in domo ſimul locutus fuerit, vel orauerit cum excommunicato: communione priuetur.

A 3 Præterea: Nullus debet excommunicari maiori excommunicatione niſi pro peccato mortali: ſed participantes ſcienter cum excommunicatis peccãt mortaliter: vt patet eadẽ cauſa, & quæſt. Ergo tales excommunicari poſſunt maiori excommunicatione.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Greg. & ponitur 11. q. 3. c. Quoniam multos. Quoniã multos, peccatis noſtris exigentibus, pro cauſa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia ſimplicitate, partim timore, partim † etiam neceſſitate deuicti nimia, anathematis ſentẽtiam ad tempus, pro vt poſſumus, temperamus.

† In dicto c. Quoniam multos; ita ſcriptũ eſt: Partim etiã ex neceſſitate deuicti miſericordia, anathematis, &c.

RESOLVTIO.

B *Participantes cum excommunicatis (admonitione præmiſſa, & contempta) eandem ſententiam incurrunt: Vxore, filijs, peregrinis, et id genus alijs exceptis. Participantes ex contemptu, aut negligentia (nulla admonitione præmiſſa) non item, ſed mortaliter peccant. Participantes verò timore, aut rubore mortaliter fortaſſe non peccant.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ duplex eſt excommunicationis ſpecies: vna maior, quæ ſeparat à participatione ſacramentorum, & conſortio fidelium: & iſta non infligitur niſi pro grauioribus culpis: ſicut pro cõtumacia, & rebellione. Altera minor, quæ ſolum ſeparat à participatione ſacramentorum: quę incurritur pro leuioribus cauſis. Puto ergo, quòd C modus communicandi cum excommunicato, aut talis eſt quòd participans incidit in eandem excommunicationis ſpeciem, puta in maiorem: vt ſi participat in crimine, pro quo lata eſt ſententia: vel ſi participat poſt legitimam admonitionem præmiſſam, & poſt ſententiam in participantes aggrauatam: ita quòd perſonæ participantes nominaliter fuerint expreſſæ, & caſus participationis. Et talis ſit participans ſponte, & ſcienter; puto, quòd eãdem ſententiam incurrit. Aut talis eſt, quòd participans incidit in alteram excommunicationis ſpeciem puta in minorem: & tunc iterum diſtingno, quia aut participant ex cõtemptu, aut negligentia craſſa, & ſupina: quæ æquanda ſit contemptui. & tunc licet non incurrant ſententiam maiorem, mortaliter tamen peccant. quia mortale D peccatum eſt, claues Eccleſiæ, & ſacramenta contemnere. Aut non ſic: ſed vel ex ſubreptione, vel rubore, ſeu timore aliquo, & tunc non credo, ꝙ peccent mortaliter. quia non eſt intentio Eccleſiæ in tam leui caſu ad mortem ſuos filios obligare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, ꝙ in caſu leui ſupradicto participans cũ excommunicato non facit contra præcepti Eccleſiæ intentionem. quamuis contra litteram facere videatur: nam, vt dicit Iuriſconſultus l. ſcire leges. ff. de legibus. Scire leges non eſt ſcire verba, aut litteram: ſed vim, ac poteſtatem.

AD ſecundum dicitur, quòd participans cum excommu-

communicatis ſcienter, & ex contemptu in caſibus ſupradictis poſt aggrauatam ſententiam, perſonaliter ſententiam incurrunt. Subtrahuntur tamen quædam perſonę, ſicut patet 11.q.3.c. Quoniam multos videlicet, Vxor, filij, ancillæ, & alij ſeruientes, peregrini: qui cum ad terrã excõmunicatorũ venerint, poſſunt ab eis emere neceſſaria. In neceſſitatis enim articulo po E teſt homo aliquid excommunicatis conferre in uitæ ſuſtentationem.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ participantes cum excommunicatis, ſi poſt admonitionem contumaces fiunt, magis pro illa contumacia, quã pro ipſa participatione excõmunicãtur. nã, vt dicitur 11.q.3. excõmunicatis nõ communicat qui eis non animo cõſentit.

QVAEST. XXVIII. DE RESISTENTIA HAERETICORVM.

DEinde conſiderandum eſt de reſiſtentia hereticorum. Circa quod quæruntur octo. F

Primo, Vtrum omnes dubij in fide per Papam habendi ſint hæretici.

Secundo, Vtrum ſequentes opinionem erroneam alicuius Magiſtri, per Papam ſint hæretici reputandi.

Tertio, Vtrum baptizantes imagines, & uiolatores ſacramentorũ per Papam pro hereticis ſint iudicãdi.

Quarto, Vtrum incidentes in abiuratam hæreſim per Papam ſint cenſendi relapſi.

Quinto, Vtrum relapſi ſtatim per Papam tradendi ſint ſæculari iudicio.

Sexto, Vtrum hæretici puniendi ſint per Papam temporali pœna. G

Septimo, Vtrum hæretici in aliquo caſu per Papam ſint tolerandi.

Octauo, Vtrum hæretici reuertentes ad fidem, per Papam ſint recipiendi.

ARTICVLVS I.

VTRVM OMNES DVBII in fide ſint hæretici.

Prȩter doctores in cap.1. de hæret. adde Palacium Ruuium in allegatione de hæreſi §. 5. & Melchiorem Canũ lib. 12. de locis theologicis c.9. verſ. iã quod caput illud.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ omnes dubij in fide ſint hæretici per Papam habendi. Scribitur enim extra de hære. cap. Dubius, ꝙ dubius in fide, infidelis eſt, nec ei omnino credendum eſt, qui uiam veritatis ignorat.

2 Præterea: Scribitur Iaco. 1. Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: quia qui in fide hæſitat ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur. & ſubditur ibi cauſa, quia dubitans, vel hæſitans in fide duplex eſt, & inconſtans in omnibus vijs ſuis. F tales autem hæretici ſunt, quia non conſtanter credunt, & firmiter.

3 Præterea: Sicut uoluntas ſe habet in obſeruatione præceptorum; ſic intellectus ſe habet in credulitate fidei articulorum. ſed ſic ſe habet uoluntas in obſeruatione præceptorum: quòd qui totam legem ſeruat, offendit autem in uno, efficitur omnium reus, vt ſcribitur Iaco. 2. Ergo ſimiliter, qui omnes articulos credit, & dubitat in vno, efficitur hæreticus.

I N C O N T R A R I V M eſt, Quia Thomas fuit dubius in fide: & tamen nõ ponitur, ꝙ fuit hereticus. Ioan. 20.

R E S O L V T I O. I

G *Hæretici ſunt ij, qui contraria fidei, aut ijs, quæ inconcuſſè tenet Eccleſia, pertinaci defenſione tuētur. Dubij vero in fide, ſubreptitia teſtatione, aut diabolica illuſione: veritatis elucidatione: imperfecta adheſione, non item. Voluntaria adhæſitatione eſt incredulus, & infidelis.*

RESPONDEO, dicendum, quòd aliquem eſſe dubium in fide, quinque modis poteſt contingere. Primo ſubreptitia tentatione. Secundo veritatis elucidatione. Tertio imperfecta adhæſione. Quarto voluntaria adhæſitatione. Quinto pertinaci defenſione.

Primo modo hominem dubitare in fide non facit eſſe hæreticum, quia eſt humanæ tentationis: non eſt enim in poteſtate hominis quod ſuperuenit hõ
H mini ad cogitandum: Vnde ſi ſubito ſubreptitia, vel diabolica illuſione quis incipit dubitare de aliquo articulo, vel de his, quæ ſunt fidei: ſi ſtatim captiuat intellectum ſuum in obſequium Chriſti, vt hoc de libere credere, quod Eccleſia credit, non cedit ſibi talis dubitatio ad defectum, ſed ad profectum. vnde Apoſtoli ꝓpter huius tẽtationis impulſum petebãt: Luc.17.
Domine adauge nobis fidem. ſemper enim debemus rogare Deum, ꝙ iuuet † incredulitatem noſtram. † Mar.9.

Secundo modo non facit hominem hæreticum; ſed eſt chriſtianæ perfectionis. Ponunt † enim Doctores chriſtianæ fidei illa, quæ ſunt magis determinata in fide ſub dubitatione quæſtionum, rationes pro, & contra ad illa adducendo: nõ, ꝙ de illa concluſione † S. Thomas 2.2.q.10.art.7. ad 3.argum.

ſione dubitetur, ſed vt veritas dictę concluſionis magis elucidetur. Secundum quẽ modum dicit Philoſophus: † Dubitare de ſingulis nõ eſt inutile: per tales enim dubitationes pro, & contra rationes ad illa, quæ ſunt fidei, adducendo, veritas fidei pijs opitulatur, & contra impios defenditur, vt dicit Auguſtinus. Tertio modo non facit hominem hæreticum, ſed peccatorem, & malum chriſtianum: omnes enim peccantes, ſecundum Chryſ. imperfectè credunt eo ipſo, ꝙ non viuunt ſecundum illa, quæ credunt: nam ſi perfectè adhæreret his, quæ credunt, ſic viuerent quaſi poſt modicum tranſituri de hoc mundo, non quaſi in æternum manſuri. Quarto vero modo facit hominem errantem, & incredulum: eo enim ipſo ꝙ aliquis eligit voluntariè credere quod vult, & diſcredere, quod non vult, non eſt paratus ſequi in omnibus doctrinam Eccleſiæ; ac per conſequens errans, & infidelis reputandus eſt. Sed quinto modo rectè facit hominem hæreticum: quia non credere illa, quæ ſunt fidei, & quæ inconcuſſè Eccleſia tenet, cum pertinaci defenſione; directè ad hæreticos ſpectat.

† In prædicamentis c. de Relat. in gales.

Ad Argumenta.

Ad primum dicitur, ꝙ dubius in fide voluntaria electione, vt quis credat quæ vult, & diſcredat, quæ non vult: infidelis eſt, non tamen hæreticus: niſi pertinaciter defendat falſa, quæ de Deo credit: vel de tota, vel de parte ſacræ Scripturæ à Deo inſpiratæ.

Ad ſecundũ dicitur, ꝙ Iaco. loquitur de fide imperfecta peccatorum. Vnde dicit glo. ſuper illo verbo, ꝙ conſcientia peccati preſſus dubitat de præmijs cæleſtibus, & ſuperueniente vento tentationis, facile deſerit fidei ſtatum, & ſecundum tentatoris voluntatem diſtrahitur ad errorem, & fit alienus à fide.

Ad tertium dicitur, ꝙ diſcredens † vnum articulum, incredulus eſt, & errans, non tamen hæreticus; niſi ſit paratus ab eo, quod Eccleſia integraliter credit, recedere, & errorem ſuum pertinaciter defendere.

† S. Tho. 2. 2. q. 5. ar. 3.

ARTICVLVS II.

VTRVM SEQVENTES ERRONEAM alicuius Magiſtri doctrinam ſint reputandi hæretici.

Præter Turrecr. paulopoſt citatũ. Vide Albertin. tract. de agnoſ. aſſert. catho. & hær. q. 21. nu. 35. & 36.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſequentes erroneã doctrinam alicuius Magiſtri, per Papam hæretici reputandi ſunt. Scribitur enim Matth. 8. Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foueam cadunt. ſed quicunque errat, cæcus eſt, inquantum errat. Ergo quicunque ſequitur opinionem errãtis alicuius Magiſtri in foueã erroris cadit.

A 2 Præterea: De falſis. & errantibus Magiſtris Scribitur Matth. 23. Vę vobis, qui circuitis mare & aridã, vt faciatis vobis vnum Proſelytum; & cum fuerit factus, faciatis eum eſſe Filium Gehennæ duplo, quàm vos. Diſcipuli ergo ſequentes erroneam doctrinam alicuius Magiſtri, hæretici reputandi ſunt, ſicut ipſe.

3 Præterea: Quicunque contemnit præceptum Chriſti pertinaciter, errat multo magis pertinaciter, quàm contemnens pręceptum Papæ. Sed Chriſtus mandauit Matthæi 16. Fermentum Phariſæorum, & ſaducæorum eſſe vitandum: per quod intelligitur doctrina hæreticorũ, ut dicit Auguſtinus. Contemnere ergo hoc pertinaciter, facit hominem hæreticum.

De verb. Domini ſer. 45 Tomo 10.

In contrarium eſt quod mandauit Chriſtus Matthæi 23. ſeruandã eſſe doctrinã Scribarum, B & Phariſęorum: quando dixit: Super cathedram Moyſi ſederunt Scribę, & Phariſæi. omnia ergo, quę dixerint vobis, ſeruate, & facite: ſecundum vero opera eorum nolite facere.

RESOLVTIO.

Nullus doctrinam Magiſtri ſui falſam ſequens excuſatur in ijs, quæ ad fidem ſpectant. Hinc errantes ex ignorantia, aut ſimplicitate à peccato non ſunt immunes. In dubiis enim fidei regula conſulenda eſt.

Respondeo, † dicẽdum, quòd diuerſæ opiniones Doctorum ſacræ Scripturæ ſi non pertineãt ad fidem, & bonos mores, abſque periculo auditores C vtramque opinionẽ ſequi poſſunt: in tali enim caſu locum habet quod Apoſtolus dicit ad Ro. 14. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet. In illis vero, quę pertinẽt ad fidem, & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur opinionem erroneam alicuius Magiſtri: non quidem propter ignorantiam, quia tunc immunes haberentur à peccato qui ſecuti ſunt opinionem Arrij, Neſtorij, & aliorum errãtium in fide: Nec põt aliquis excuſari propter ſimplicitatem, & innocentiã. quia in rebus dubijs, potiſſimè in his, quę ſunt fidei, non eſt de facili præſtandus aſſenſus: immo (vt dicit Aug. 3. de doctrina chriſtiana) conſulere debet aliquis regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis Eccleſię auctoritate percipit. Et idem Auguſtinus in libro de ve. Relig. dicit, ꝙ nunc bene videndum D eſt, cui ſit credendum de his, quę ſunt fidei. Similiter Richar. † ſuper illo verbo: Ecce apparuerunt illis Moyſes, & Elyas. dicit ꝙ quicquid homo audit in monte ſacrę Scripturæ, non faciliter credendum eſt, quia ſuſpecta debet haberi veritas, quam non confirmat Legis, vel Prophetæ auctoritas. Qui ergo aſſentit opinioni alicuius Magiſtri contra manifeſtum ſcripturę teſtimonium, & contra illud, quod publicè tenetur ſecundum Eccleſię auctoritatẽ, puto ꝙ ab erroris vitio non poteſt excuſari. Rationes ergo, quæ pro iſta parte introducuntur, concedendę ſunt: quia ſi tales auditores Magiſtrorum cęcitatem imitantur, eorũ errores ſequentes, & mores imitantes ambo in eandẽ foueã erroris cadũt. & ſi pertinaciter cõtra Eccleſię mãdatum defendunt, non ſolum errantes, verum etiam

† Turrecre. 1 ſum. de Eccleſia, lib. 4. par. 2 c. 17 qui affert hanc eandẽ doctrinam.

Tomo 3. cap 2.

Tomo 1. cap. 25.

De contẽpl. 1 par. c. 81. Matth. 17.

Tomo 6. lib.16.c.19. hæretici reputandi ſunt. Vnde dicit Aug. contra Fauſtū: Si proſelyti iudęorū dicebantur facti filij Gehennę duplo, quàm ipſi: non quia circumcidebantur, & legem ſeruabant, ſed quia eorum erroneam doctrinam ſequebātur, & prauos mores imitabantur.

Ad Argumenta.

AD illud vero, quod in contrarium inducebatur, dicitur, quod ſignanter præmittitur: Super cathedram, ut intelligatur quod illa, quæ ſolum ad cathedram pertinent veritatis, & iuſtitię ſeruanda ſunt, & facienda per auditores. Illa vero, quę ſunt contra fidem, & contra bonos mores, non ſpectant ad cathedram veritatis, & iuſtitię, ſed magis ad cathedrā falſitatis, & peſtilētię.

ARTICVLVS III.

VTRVM BAPTIZANTES imagines, & violatores Sacramentorum per Papam ſint pro hæreticis iudicandi.

Iacobus Simanca de cathol. inſtit. tit. 30. de hæreſi. Et Alphon. Caſt. lib. 1. de iuſta hæret. punit. cap. 15.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd baptizantes imagines, & violatores Sacramentorum per Papam ſint pro hæreticis iudicandi: quia magis eſt eſſe violatorem, & peruerſorem ſacramentorum, quàm eſſe diuiſum à perceptione eorum: ſed diuiſi à communione ſacramentorum hæretici dicuntur. Iuxta illud, quod ponitur 4. q. 1. cap. Quid autem. Hæreticos autem, inquiunt, dicimus tam eos, qui olim ab Eccleſia proiecti ſunt, & communione ſacramentorum; quàm, qui poſt hęc à nobis anathematizati ſunt.

2 Præterea: Plus eſt abuti ſacramento ad actus prohibitos ab Eccleſia, quàm ad actus, ad quos ipſa ſacramenta ordinantur: ſed ſimoniaci, qui vtuntur ſacramentis ad actus non prohibitos per Eccleſiam, ſolū propter emptionem, & venditionē ipſorum, hæretici dicuntur, vt patet 1. quæſt. 1. cap. Quiſquis. Ergo multo fortius violatores, & peruerſores ſacramentorum, qui abutuntur ſacramentis ad actus prohibitos, per Eccleſiam pro hæreticis iudicandi ſunt.

3 Præterea: Magis eſt ſacramentum Chriſti violare, quàm priuilegium ſedis Apoſtolicæ auferre, vel impugnare: ſed auferentes, vel impugnantes priuilegiū Sedis Apoſtolicæ pro hæreticis nominantur, ſicut patet 22. diſt. c. Omnes. Ergo ſimiliter, & multo fortius violatores ſacramentorum.

Q. in Matt. cap. 11. To-mo 4. IN CONTRARIVM eſt, quia ſecundum Auguſtinum in libro de quæſtionibus Euangeliorum: Quicunque facinoroſè, ac flagitioſè viuunt, contra fidem, ſecundum quam viuendum eſſe credunt, mali catholici, non tamen hæretici deputantur. ſed tales videntur eſſe violatores ſacramentorum. Ergo tales non ſunt reputandi hæretici.

E

RESOLVTIO.

Baptizantes imagines, ſacramentorumque violatores, vt faciunt, credentes, errantes, & infideles dici poſſunt: ſi autem huiuſmodi peſtifera dogmata emendare nollent, ſed ea pertinaciter tuerentur, hæretici ſunt iudicandi.

RESPONDEO, dicendum, quod (ſicut ſupra dictum eſt) aliud eſt eſſe infidelem, & in fide errantem; & aliud eſt eſſe hæreticum. Si quis enim falſa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinę, quæ ad fidei ædificationem pertinet, hęreticus eſt: quia infidelis eſt, & errans in fide, & iam foris eſt extra Eccleſiā animo: quāuis intus corporaliter videatur. quia multos tales portat Eccleſia, vt dicit Auguſtinus in libro

F de quæſtionibus Euangeliorum: ſed illi proprie ſecundum Auguſtinum ſunt hæretici, † qui cum aliquid prauum ſapiunt, ſi correctio vt ſanum, rectumque ſapiant, reſiſtunt contumaciter, & ſua mortifera, & peſtifera dogmata emendare nolunt, ſed defendere perſiſtunt. Si ergo baptizātes imagines, & violatores ſacramentorum credunt illa, quę faciunt, puta baptiſmum, & alia ſacramenta ad maleficia, & ad facinoroſos actus ordinari: & per ipſa ſacramenta talibus maleficijs, & facinoroſis actibus patrocinium præſtari: planum eſt, quod falſa de Deo credunt: quia Deus ad tales actus ſacramenta non ordinauit: neſcit enim diuina iuſtitia patrocinium dare criminibus, vt dicit Chryſ. falſa ſimiliter credunt de doctrina, quæ ad † Refertur i cap. qui in Eccleſia 24. q. 3.

G fidei ædificationem pertinet, quia ſecundum doctrinam fidei nos confitemur vnū baptiſma in remiſſionem peccatorum, non autem in perpetrationem ſcelerum, & maleficiorum. Vnde tales non ſolum indirectè, verum etiam directè infideles, & errantes in fide deputari debent, ſi ſic credunt, vt operantur: ſed tunc pro hæreticis eſſent iudicandi, quando peſtifera talia dogmata emendare nollent, & defendere pertinaciter eſſent parati.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quod tunc excommunicati, & ſeparati à perceptione ſacramentorum, & communione fidelium pro hæreticis ſunt indicandi: quando

H eorum crimina ſic parati eſſent defendere, ſi obiecta, vel probata fuerint, vt etiam cōuenticulorum congregationes, & ſchiſmata cogitent in Eccleſia facere, & hoc patet inferius per textum illius decreti.

AD ſecundum dicitur, quod ſi ſimoniacus interius credit, quod exterius proteſtatur, directè hæreticus habendus eſt. proteſtatur enim exterius, ſe eſſe dominū ſpiritualis doni, & ſpirituale donum poſſe ſub emptione, & venditione cadere. quorum vtrunque ſi interius credit, vt exterius proteſtatur, directè eſt, eſſe hæreticum: & ſic dicendum eſt de violatoribus ſacramētorum: quia ſi illa credunt interius, quæ exterius proteſtantur, directè hæretici habendi ſunt.

AD tertium dicitur. quòd auferentes, & impugnātes priuilegium Apoſtolicæ Sedis, ab vnitate Eccleſiæ ſe diuidunt: diuidentes ſe ab unitate Eccleſiæ, do-

ctrinam

ctrinam, & fidem, quam Eccleſia tenet, negant, & per conſequens hæretici non immerito appellantur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM INCIDENTES IN abiuratam hæreſim ſint per Papam reputandi relapſi.

Præter doctores in cap. Accuſatus de hæret. lib. 6. Vide Eymericum in Directorio Inquiſitorum par. 2. q. 58. Zanchinum tract. de hæret. cap. 16. & Simancam de cathol. inſtit. tit. 57.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ incidentes in abiuratam hæreſim non ſint per Papam reputandi relapſi. ſcribitur enim ad Titum III. Hæreticum hominem poſt primam, & ſecundam correctionem deuita. Niſi enim aliquis fuerit bis monitus, vel correptus de aliqua damnata hæreſi, nō debet haberi relapſus.

B

2 Præterea: Cum excommunicatis non eſt participandum. Sed omnes hæretici ſunt excommunicati in iure, vt paret extra de hære.† & 24, quæſtione 1. cap. Quæ dignior. Non ergo poterunt moneri, vt poſt admonitionem, vel abiurationem dicantur relapſi.

† Cap. excōmunicam⁹. 1. & 2. de hæret.

C

3 Præterea: Qui in damnatam hæreſim labitur, eiuſdem damnationis ſe participem facit, vt dicitur 24 quæſt. 1. cap. Achatius. Ergo abſque eo, ꝙ abiuret, relapſus debetur haberi.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de hæret. c. Accuſatus. Vbi ſubditur: Si quis hæreſim in iudicio abiurauit, & poſtea in ea commiſit, vel cōmittit, cenſeri debet quadā iuris fictione relapſus.

RESOLVTIO.

Incidentes in eandem hęreſim, qua fuit conuictus, relapſi dicuntur: ſi vero aliam in ſpeciem, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd in damnatā hæreſim aliquis poteſt incidere, vel labi dupliciter: vel in eandem, de qua primo fuit incuſatus, & vehemens ſuſpicio de eo orta erat; vel in aliam. Primo modo, ſi in illam eandem, de qua primo fuit incuſatus, & fama publica præceſſerat, ex quo in iudicio illam abiurauit, ſi poſt abiurationem inuenitur deliquiſſe per ſe, vel per alios, puta, ꝙ poſt illam abiurationem hæreticos receptauit, viſitauit, & aſſociauit, ſeu auxiliū, & fauorem eis præſtitit: meritò relapſus debet haberi. in tali enim caſu verum eſt, quod Apoſtolus dicit ad Rom. 1. Qui talia agūt digni ſunt morte, non ſolum qui illa faciunt, ſed etiam, qui conſentiunt facientibus. Si vero † labitur in aliam hæreſis ſpeciem, aut in aliam ſectam, vel deliquerit in alio articulo, ſeu ſacramento Eccleſiæ: vel præſumptio mo-

D

† Licet quo ad labētem in non abiuratum ab eo

A

dica, & leuis prius fuerit habita, non debet tunc, vt relapſus iudicari.

articulū, gl. etiam in c. accuſatus § eum vero in verbo: ſimpliciter. de hær. lib. 6 videatur cum auctoris doctrina conſentire: hodie tamē caſus aliter ſeruatur. Vide Simanc. de cathol. inſtit. tit. 1. nu. 18. & tit. 57. nume. 7.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, ꝙ Apoſtolus dicit hęreticum eſſe deuitandum poſt primam, & ſecundā correptionem: vt prima correptio intelligatur illa, de qua fama publica præcedit, vel in iudicio accuſatur, in quo cogendus eſt, vt illam hæreſim debeat abiurare. Secunda vero correptio intelligatur illa, qua poſt abiurationem proprio ſe condemnat iudicio: eo ipſo, ꝙ iterum labitur in eam, quam prius abiurauit: tunc enim, quia errorem laudat, & veritatem vituperat, ab Eccleſia pellendus eſt, vt gloſa ibi dicit.

B

AD ſecundum dicitur, ꝙ participare cum hæreticis, vt ſe corrigant: & hæreſim, in qua noſcuntur incidiſſe per incuſationem, vel per famę publicam ſuſpitionē abiuret, nō incurritur ſentētia excōicationis: quia hoc fit in eorum ſalutem, & Eccleſiæ vtilitatem.

AD tertium dicitur, ꝙ tunc qui in damnatam labitur hæreſim, eiuſdem damnationis ſe participē facit, quando in illam damnatam hæreſim labitur poſt abiurationem factam: ſi vero aliquis labitur in hæreſim damnatam, & poſt abiurationem amplius in illā non labitur, non debet puniri, vt relapſus.

ARTICVLVS V.

C

VTRVM RELAPSI STATIM per Papam tradendi ſint iudicio ſæculari.

Vide citatos in articulo præcedenti, & Eymericum in Directorio Inquiſitorum par. 3. in nono, & decimo modo proceſſum fidei terminandi.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ relapſi ſtatim per Papam non ſint tradendi iudicio ſæculari. quia peccatum blaſphemiæ, cum ſit confeſſio infidelitatis, eſt maximum peccatorū: ſed blaſphemi non ſtatim tradūtur ſæculari iudicio. Ergo nec relapſi.

D

2 Præterea: Similia peccata ſimili pœna puniri debent. ſed ſicut hęreſis, vel infidelitas eſt contra primū mandatum primæ tabulæ: ſic periurium eſt contra mandatum ſecundum, Iuxta illud Leui. 19. Nō periurabis in nomine Dei tui. cum igitur periuri poſt periurium non ſtatim tradantur brachio ſæculari; Ergo nec relapſi tradi debent.

3 Præterea: Infidelitas, & hæreſis eſt offenſa commiſſa in Deum, vt eſt primum verum. ſed poteſt eſſe, ꝙ relapſi per pœnitentiam Deo ſatisfaciant: non ſunt ergo tradendi iudicio ſæculari: quia ſi creditor reputat ſibi eſſe ſatisfactum, non eſt cogendus debitor ad ſatisfaciendum.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de hęre: Nos, itaque inquiſitioni tuæ de fratrū no- Cap. ſuper eod.

ſtrorum conſilio reſpondemus, ꝙ qui poſt abiuratio- E
nem deprehenſi fuerint in hæreſim recidiſſe, ſine vlla
penitus audientia relinquendi ſunt iudicio ſæculari.

RESOLVTIO.

Relapſi in hæreſim propter periculum euitandum, ſunt ſtatim brachio ſæculari tradendi.

Ambroſius de Vignate tractatu de hæreſi ſ prīcipio.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut fides eſt fundamentum totius ſpiritualis vitæ, eo quòd ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt dicit Apoſto. ad Heb. 11. Sic hæreſis, quæ eſt fidei corruptio totam ſpiritualem vitam habet ſurripere, eo ꝙ modicum fermentum totam maſſam corrumpit, vt dicit Apo. 1. ad Cor. 5. & auctoritate Hierony. ſcribitur 24. q. 3. cap. Reſecandæ. Quòd ſecandæ ſunt putridæ carnes, & ſcabioſa ouis à caulis repellēda eſt, ne tota domus, maſſa, & corpus, & pecora; ardeat, corrumpatur, putreſcat; & intereant. Arrius enim in Alexandria vna ſcintilla fuit: ſed quoniam non ſtatim oppreſſa eſt, totum orbem eius flamma populata eſt. Vnde ad huiuſmodi periculum euitandum, cum hæretici deprehenduntur relapſi: vel per facti euidentiam, vel per propriam confeſſionem, ſeu per teſtes, abſque mora tradendi ſunt ſæculari iudicio. F

Ad Argumenta.

Eymeric. in Direct. Inquiſitorum par. 2. q. 41. cū notatis ibidem.

AD PRIMVM dicitur, quòd ſi blaſphemia noſcatur procedere ex infidelitate, & hæreſi: ſic eſſent tradendi blaſphemi poſt abiuratam blaſphemiam, ſicut hæretici tradendi ſunt ſæculari iudicio poſt abiuratam hæreſim: nam Iudæi Stephanū lapidauerunt: quia ſubmiſerunt viros, qui dixerunt, ſe audiuiſſe eū dicentem verba blaſphemiæ in Deum, & Moyſen, ſicut ſcribitur Act. 6. Et ſi ſic fuiſſet ſecundum veritatem, ſecundum legem debebat lapidari, vt Naboth propter verba blaſphemiæ ſibi impoſita dixiſſe in Deum lapidatus eſt. G

3. Reg. 21.

AD ſecundum dicitur, quòd vel periurium incurritur in his, quæ pertinent ad fidem, & ad Deum; & tunc tales periuri tradendi ſunt iudicio ſæculari ſicut hæretici: * qui poſt abiuratam hæreſim hæretici tāquam periuri ſæculari iudicio traduntur. vel incurritur in his, quæ pertinent ad proximum; & tunc, quia non ſemper tantum nocumentum infertur proximo per periurium, ſicut per homicidium, vel per furtū: ideo non ſemper tantum puniuntur. non enim per humanas leges maiora peccata ſemper magis puniētur: ſed illa grauius puniuntur, per quæ maius nocumentum proximo infertur, & Reſpublica magis perturbatur. † H

* al. quia.

† Commentar. 12. lib. 3. in Direct. Inquiſitor.

AD tertium dicitur, ꝙ ſi hæretici etiam poſt abiuratam hæreſim occultè pœniteant, & non deprehendantur relapſi per facti euidentiam, vel per propriam confeſſionem, ſeu per teſtium incuſationē, non traduntur ſæculari iudicio: quia Eccleſia iudicat de his, quæ foris patent, Deus autem ſolus intuetur cor.

ARTICVLVS VI.

VTRVM HAERETICI PER Papam puniendi ſint pœna temporali.

Doctores in cap. cum ſecundum leges. de hæret. lib. 6. Eymericus in Directorio Inquiſitorum par. 3. q. 109. & ſeq. & Zanchinus tract. de hæret. cap. 25.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ hæretici per Papam non ſint puniendi temporali pœna: quia ſpirituale crimen ſpirituali pœna puniri debet. Sed hæreſis eſt ſpirituale crimen. Ergo ſpirituali pęna puniri debet.

2 Præterea: Temporalia bona etiam inimicis ſunt communicanda, iuxta illud Apoſt. ad Roman. 12. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit: potum da illi. Non ergo hęretici poſt relapſum bonis temporalibus ſunt expoliandi.

3 Præterea: Deus non punit bis in idipſum. ſed omnes hæretici ſunt excommunicati. Ergo, cum excommunicatio ſit quædam pœna, non ſunt alia pœna puniendi.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur extra de hæreti. † vbi dicitur: De fratrum noſtrorum conſilio decernimus bona hæreticorum eſſe confiſcata: cuius confiſcationis executio, & bonorum ipſorum occupatio non debet fieri per Principes, aut per alios dominos temporales, antequam per Epiſcopum loci, vel aliam perſonam Eccleſiaſticam ſententia fuerit ſuper eos promulgata.

† Cap. cum ſecundū leges. de hęre. lib. 6.

RESOLVTIO.

Hæretici non modo ſpirituali, ſed etiam temporali pœna ſunt puniendi.

RESPONDEO, dicendum, quòd Eccleſia punit hæreticos quatuor modis. Primò, excommunicatione, quia nunc ſententia lata in iure omnis hęreticus excommunicatus eſt; ſiue occultus, ſiue manifeſtus. Secundo depoſitione: quia ſiue ſit clericus, ſiue laicus, cuiuſcunque dignitatis exiſtat; ſiue Papa, ſiue Imperator ab omni dignitate * deponatur. immo ipſo facto eſt depoſitus. Tertio, rerum temporalium ablatione: puta ſicut iam dictū eſt: omnia eorum bona debent confiſcari Eccleſiæ, cui deſeruiebant, ſi erant clerici, vel laici, ſi in temporali iuriſdictione ſunt Eccleſiæ ſubiecti: aliorum verò laicorum bona Principibus ſæcularibus. Quarto, militari perſecutione. ſi enim propter malos puniendos oportuit regiam † maieſtatem non ſolum legibus eſſe decoratam, ſed armis armatam: multo fortius propter hæreticos exterminādos. vnde dicit gloſ. 1. Ad Cor. 5. de Paulo: qui cum videbat aliquos proteruos, & corrumpentes fidem, Sathanæ tradebat corporaliter vexandos.

Extra de hæret. c. excommunicam' 1. & 2.

* al. debet deponi.

Extra de hæret. c. vergētis.

† In inſtitutionibus iuris ciuilis in principio.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd corporalia, & temporalia ad ſpiritualia ordinantur: vnde conuenienter crimina ſpiritualia per ſubtractionem bonorum temporalium, & corporalium puniuntur: quia ſicut ipſa ſunt quędam organa & inſtrumenta, per quæ virtutes, & ſpiritualia bona acquiruntur: ita per eorũ ſubtractionem organicè & inſtrumentaliter crimina ſpiritualia corriguntur, & puniuntur.

AD ſecũdum dicitur, quòd Apoſt. loquitur in caſu neceſſitatis, in quo nulli bona temporalia ſunt neganda. ſed ſi aliqui ſunt inimici fidei, nullo iure poſſunt bona temporalia poſſidere, vt dicit Auguſtinus Tomo 3. cap. 40. De doct. Chriſt. ꝙ iuſtè Iudæi colentes unum Deum expoliauerunt ægyptios bonis temporalibus, adorantes Idola, quibus male vtebantur. Vnde populus Dei exiens de ægypto ornamenta eorum de auro, & argento ſibi pęnitus tanquam ad vſum meliorem dãculo vendicauit, non auctoritate propria: ſed præcepto Dei.

† Alphonſ. Caſt. lib. 2. de iuſta hæret. punit.

AD tertium dicitur, ꝙ pro † peccato vna pœna quis punitur. Sed ſi ad vnum peccatum plura concurrunt, vel ꝙ ſint multa peccata, vel propter relapſum eiuſdem: poteſt homo iuiuſtè multiplici pœna puniri. Si quis ergo labatur in damnatam hęreſim: punitur pœna excommunicationis: quia (vt dictum eſt) omnis hæreticus ipſo iure excommunicatus eſt. ſed ſi poſt abiuratam hæreſim iterum labatur: debet alia pœna corporali, vel temporali puniri.

ARTICVLVS VII.

VTRVM HAERETICI IN aliquo caſu per Papam ſint tolerãdi.

S. Thom. 2. 2. qō. 11. art. 3. Ioannes Roffenſis aduerſus Lutherum art. 33. & Alphonſus Caſtr. lib. 2. de iuſta hęre. punitione cap. 12. & ſeq.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ hęretici in aliquo caſu per Papam ſint tolerandi. ſcribitur enim ex verbis Augu. 23. quæſt. 4. cap. Tolerandi, quòd tolerandi ſunt mali, nõ corporali, ſed ſpirituali vindicta puniendi. Vnde cum Diſcipuli non recepti ſunt à Samaritanis, ignem cælitus ſuper eos deducere voluerunt dicẽtes Magiſtro: Vis dicamus, ut deſcendat ignis de cęlo, & cõſumat eos; audierũt: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Luc. 9.

2 Præterea: Dominus mandauit Matth. 13. vt ſerui permitterent creſcere zizaniam ſimul cum tritico vſque ad meſſem: ne forte eradicantes zizaniam ſimul & triticum eradicarent. Planum eſt enim, quòd per zizaniam hæretici intelliguntur ſecundum expoſitionem Aug. 2. de tract. cap. 28.

3 Præterea: Quod eſt vtile Eccleſiæ tolerandum eſt. Sed ſecũdum Apoſtolum 1. ad Corin. 11. vtile eſt, hæreſes eſſe in Eccleſia: vt viri, qui probati ſunt, ma-
A nifeſti fiant. Super quo verbo dicit Augu. quòd innumerabiles in ſancta Eccleſia ſunt probati viri: ſed tũc manifeſti fiunt, quando per hæreticos à ſomno excitantur.

IN CONTRARIVM eſt, qđ ſcribitur auctoritate Aug. 23. q. 4. c. Diſplicet. Merito hæretici affligũtur in corpore: quia occidunt animas, & ſi ipſi ſempiternas mortes faciunt, temporales ſe perpeti non conquerantur.

RESOLVTIO.

Hæretici, ſi criminis grauitas, & fidelium utilitas perpendantur, quàm primum ſunt exterminandi: ſed ſi Eccleſiæ charitas conſideretur, non niſi monitione præ-
B *miſſa, & fraternę correctionis ordine ſeruato: relapſi exterminio ſunt tradendi.*

RESPONDEO, dicendum, quòd in peccato hæreſis tria poſſumus conſiderare. Primo ipſius criminis grauitatem. Secundo ipſius Eccleſiæ corrigentis charitatem. Tertio ipſorum fidelium vtilitatem. Conſiderando ergo criminis grauitatem, ſtatim cum ipſi hæretici deprehenſi ſunt, eſſent interficiendi, multo fortius, quàm incendiarij, vel falſarij. vnde Exo. 32. Statim cum Moyſes deſcendit de monte, mandauit, ꝙ frater interficeret fratrem, & proximus proximũ pro peccato idololatriæ. Et Deute. 7. mandatum eſt populo Iſraelitico, vt aras hæreticorum ſubuertere, & ſculptilia combureret. Et 4. Reg. 23. ſcribi-
C tur ꝙ Rex Ioſias vidit ſepulchra hæreticorum, quæ erant in montibus: miſitq;, & tulit oſſa eorum de ſepulchris, & combuſſit ea ſuper altari ſi vero conſideramus in tali crimine Eccleſiæ charitatem, tunc non ſtatim hæretici traduntur exterminio: ſed ſeruatur erga eos ordo correctionis fraternæ †: quia monentur primo, & ſecundo, & ſi poſtmodum deprehendantur relapſi, non amplius Eccleſia eos tolerat: quia nec amplius de eorum correctione ſperat. Sed conſiderando fidelium vtilitatem: ſi aliqui ſint hæretici, qui ſic defendant falſitatem ſententiæ ſuæ, vt intentam multitudinem faciant, & conuenticulorum ſegregationes, & Eccleſię perturbationes cogitent, tunc abſque alia monitione, vel inquiſitione exterminandi ſunt: quia cum bonum publicum ſit præferendum priuato; ma-
D gis eſt prouidendum ſaluti ſpirituali totius corporis Eccleſiæ, quàm ſaluti corporali alicuius, vel aliquorũ.

† Alphonſ. Caſtr. lib 2. c. 25 de iuſta hæret. punit. Et Simãcę de catho. inſti. tit. 19.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Ambroſius, Apoſtoli non zelo iuſtitiæ, ſed amaritudinis odio ob iniuriam ſuæ expulſionis vindicandã Samaritanos voluerunt igne conſumere: Vnde dominus volens, eos iniuriam propriæ perſonæ cum patiẽtia, & gaudio tolerare: iniuriam vero diuinæ ſeruitutis non inultam relinquere, dixit: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis. Lib. 7. ſ Luc. cap. 9. Luc. 9.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ tunc tolerandi eſſent hæretici, quando non poſſent exterminari ſine exterminio fidelium: Vnde dicit Auguſtinus, ꝙ Lib. 3. cõtra Epiſt. Parm. c. 2. To. 1.

quãdo cuiuſquã crimen notũ, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus, vel non tales habeat deſenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat tunc ſeueritas diſciplinæ. Ex quo datur intelligi, ꝙ tunc zizaniam ſimul cum tritico creſcere permittere debet, quando vnum ſine altero eradicari non poteſt.

Tomo 1. Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum Aug. in lib. de vera Religione cap. 8. Hæretici multum proſunt Eccleſiæ, non verum dicendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales catholicos excitando. vti namque (vt dicit) debemus hæreticis, non vt eorum approbemus errores, ſed vt catholicam diſciplinam aduerſus eorũ inſidias aſſerentes: vigilantiores, & cautiores ſimus; etiam ſi eos ad ſalutem reuocare non poſſimus.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum hæretici reuertentes ad fidem per Papam ſint ſemper recipiendi.

S. Tho. 2. 2. q. 11. art. 4. & Simanca de catho. inſtit. tit. 47. de pœnitentibus, & conuerſis.

Ad octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ hæretici reuertentes ad fidem per Papam ſemper ſint recipiendi: ſcribitur enim Matth. 18. ꝙ ad interrogationem Petri quærentis: Quoties peccauerit in me frater meus, dimittam ei, vſque ſepties; reſponſum eſt: Non dico tibi ſepties: ſed vſque ſeptuagies ſepties. Ergo ſemper peccantes ſunt recipiendi.

Tomo 3. 2 Præterea: Dicit Auguſtinus de Trini. cap. 3. In Sacra ſcriptura, & in fide catholica, vbi quis pariter certus eſt, vt ego: pergat mecum: vbi pariter hæſitat, quærat mecum: vbi errorem ſuum cognoſcit: redeat ad me: vbi meum videt, reuocet me. ita ingrediamur ſimul charitatis viam: tendentes ad eum, de quo di-

Pſal. 104. ctum eſt: Quærite faciem eius ſemper: quia hoc placitum, & pium eſt coram domino Ieſu.

3 Præterea: Infideles ſemper ſunt recipiendi. Ergo ſimiliter hæretici: cum ipſi fuerint aliquando de gremio Eccleſiæ.

In contrarium eſt quod ſcribitur Exo. 22. Maleficos non patieris viuere. Super quo verbo dicit Glo. ꝙ per maleficos intelliguntur peccantes peccato hæreſis: & peccato contra naturam: qui ſtatim ſunt vita corporali priuandi, ne alios inficiant.

Reſolutio.

Hæretici ad fidem reuertentes recipiendi ſunt ſemper, quantum ad Sacramentorum perceptionem: ſed quantum ad bonorum temporalium, vitaq́ corporea conſeruationem, non item.

E Respondeo dicendum, ꝙ hæreticos eſſe recipiendos potiſſimè relapſos poteſt intelligi tripliciter. Primo ad ſacramentorum perceptionẽ. Secundo ad bonorum temporalium reſtitutionem. Tertio ad uitæ corporalis conſeruationem. Prima reuerſio nunquam negatur hæreticis. quia ſalus animæ ex ordine charitatis omnibus eſt appetenda, etiã inimicis: iuxta illud Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos. Propter quod hæretici ſemper reuertentes quantuncunque, & quotieſcunque relapſi fuerint: ab Eccleſia recipiuntur ad pœnitentiam, & ad Euchariſtiæ perceptionem. Vnde ſcribitur extra de hære. ꝙ ſi poſt relapſum hæretici pœnituerint, & pœnitentiæ ſigna in eis apparuerint manifeſta; ſacramẽta pœnitentię, & Euchariſtiæ humi- Lib. 6. cap. ſuper eod.

F liter petita nequaquam ſunt eis deneganda. Sed ſecundo, & tertio modo negatur eis reuerſio: quia ſi ipſi cõſeruarentur in vita poſt relapſum, & ad dignitates, & ad bona temporalia reſtituerentur, & in vita corporali conſeruarentur incolumes: poſſet hoc venire in præiudicium aliorum fidelium: eo ꝙ ſi iterum relaberentur, poſſent alios inficere, & alij citius in hæreſim laberentur, ſi ipſi ſine pœna tranſirent. Interdum tamen Eccleſia hęreticos ad vitæ conſeruationem, & ad bonorum temporalium reſtitutionẽ recipit, vel propter bonum pacis nutriendum: vel propter ſchiſma euitandum. Dicit enim Auguſtinus in Epi. ad Vincentium: Nonnullos toleramus, quos corrigere, vel punire non poſſumus: neque propter paleam relinquimus aream domini: neque propter hædos in fine ſe- Epiſt. 48. Tomo 2.

G gregandos deſerimus gregem domini, nec propter piſces malos rumpimus retia domini, nec per vaſa facta in contumeliam migramus de domo Dei.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo dicitur, quòd illa indulgentia peccatorum, vel intelligitur de peccatis, quæ cõmittuntur in nobis: vel quantum ad forum conſcientiæ, non autem quantum ad forum exterioris iudicij. Dicit enim Gregorius, quòd peccata, quæ in Deum, vel in proximum committuntur à nobis, punienda ſunt. Illa vero, quibus in nos delinquitur, patienter toleranda, uel potius diſſimulanda ſunt.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Auguſtinus lo-

H quitur de errore proueniente ſubreptitiè, vel ex ignorantia: non autem de errore hæreticorum, qui poſt abiuratam hæreſim iterum labũtur: quia tales ſtatim extra Eccleſiam pellendi ſunt. vt dicit idem Aug. in quæſtionibus Euangeliorum. Q. ex Matt. cap. 11. Tomo 4.

Ad tertium dicitur, ꝙ cum infidelibus non prohibemur communicare, ſicut cum hæreticis: quia ipſi per verba fidei fidem impugnant. Vnde multum ipſi inficiunt, & proficiunt ad impietatem: quia ſermo eorum vt cancer ſapit, & ſubuertit corda multorum, vt dicit Apoſtolus 2. ad Timothe. 2. Ideo non eſt ſimilis ratio de infidelibus, & hęreticis.

QVAE-

QVAEST. XXIX. DE FACIENTE INDVLGENTIAS.

DEinde conſiderandum eſt de potentia Papę, vt eſt infra terram. Tria autem genera hominum infra terram ponũtur eſſe: quia aliqui fuerunt, & ſunt de Eccleſia. Et iſti ponuntur eſſe in Purgatorio: Aliqui autem nec fuerunt, nec ſunt de Eccleſia: Et iſti ponuntur eſſe in Limbo puerorum. Sed aliqui fuerunt de Eccleſia, nec tamen ſunt: Et iſti ponuntur eſſe in Inferno damnatorum. Illi autem, qui ponuntur eſſe in Purgatorio, ex quo fuerunt, & ſunt de Eccleſia, debent iuuari per indulgentiam, & ſuffragia Eccleſię. Circa quam quatuor conſideranda occurrunt.

Primo, de faciente Indulgentiam.
Secundo, de cauſa Indulgentia.
Tertio, de Indulgentiam recipiente.
Quarto, de effectu Indulgentię.

Circa primum quæruntur decem.

PRIMO, *Vtrum ſolus Papa poſſit dare vniuerſalem Indulgentiam.*
Secundo, Vtrũ Papa poſſit dare Indulgentiã ſibiipſi
Tertio, Vtrum Papa exiſtens in mortali peccato poſſit dare Indulgentiam.
Quarto, vtrum Papa poſſit dare Indulgentiam illis, qui ſunt in Purgatorio.
Quinto, Vtrum Epiſcopus ſine auctoritate Papa poſſit dare Indulgentiam.
Sexto, Vtrum Epiſcopus omnes Indulgentias, quas dat in conſecrationibus diuerſarum Eccleſiarum, transferre poſſit in conſecrationem vnius.
Septimo, Vtrum ſimplex Sacerdos poſſit dare Indulgentias.
Octauo, Vtrum Legatus Papa poſſit dare Indulgentiam, ſi non ſit Sacerdos.
Nono, Vtrum quilibet electus ſine auctoritate Papa poſſit dare Indulgentiam.
Decimo, Vtrum Sancti viri poſſint dare Indulgentiã.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVS PAPA poſſit vniuerſalem Indulgentiã dare.

S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 26. art. 3. Canoniſtæ in cap. Quod autem. Et in cap. Cum ex eo. de pænit. & remiſ. Armilla Tit. Indulgentia.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſolus Papa non poſſit vniuerſalem Indulgentiam dare: quia quod Dei ordinatione taxatum eſt, Papa non poteſt tollere. Sed ſcribitur
A Deuteronom. 25. Iuxta mẽſuram delicti erit & plagarum modus: Secundum ergo quòd peccator deliquit, debet puniri: & talis modus per Papam non poteſt immutari.

2 Præterea: Ad remiſſionem peccatorum tria requirũtur: ſcilicet contritio: confeſſio, & ſatisfactio. Sed Papa non poteſt facere quòd per Indulgentiam alicui dimittatur peccatum ſine propria confeſſione, & contritione. Ergo non poteſt facere per Indulgentiam, ꝙ alicui peccatum dimittatur ſine propria ſatisfactione.

3 Præterea: Ille, qui non eſt vniuerſalis Pontifex non poteſt vniuerſalem facere indulgentiam: ſed Pa-
B pa prohibet vniuerſalem Põtificem ſe nominari 99. diſt. cap. Ecce. Ergo non poteſt vniuerſalem Indulgentiam facere.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Chriſtus poteſt vniuerſalem Indulgentiam in Eccleſia facere: ſed Papa eſt Chriſti Vicarius in tota Eccleſia. Dicit enim Chriſoſt. quòd homini mortali omnium, quæ in terra, & in cœlo ſunt, poteſtatem commiſit Deus, & validiorem cœlo Eccleſiam eſſe monſtrauit.

RESOLVTIO.

Papa ſolus vniuerſalem Indulgẽtiam dare poteſt,
C *in quo ſolo Theſauri, iuriſdictionis, & cauſa vniuerſalitas reperitur: qua quidem tria ad vniuerſalem Indulgentiam dandam requiruntur.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ad dandam vniuerſalem Indulgentiam tria requiruntur.

Primum, vniuerſalitas theſauri, quo ſtipendiãtur milites Eccleſiæ fideles Chriſti. talis autem theſaurus vniuerſalis eſt: quia meritum paſſionis Chriſti vniuerſalitatem, & infinitatẽ habuit ratione ſubiecti infiniti. Vnde dicit Gloſſa ſuper illo verbo Marci 7. Caput Ioannis datum eſt puellæ. q. Eccleſiæ ex Gentibus congregatæ datum eſt caput gratiæ Chriſtus.

D Secundum eſt vniuerſalitas iuriſdictionis, & diſpẽſationis: quia ſicut diſpenſare theſaurum corporalẽ totius communitatis non pertinet niſi ad illum, qui præeſt toti communitati: ſic diſpenſare theſaurum ſpiritalem Eccleſiæ pertinet ad illum, qui præeſt toti Eccleſiæ.

Tertium eſt vniuerſalitas cauſę, pro qua Indulgentia fit: quia vniuerſalis Indulgentia ſolum pro vtilitate vniuerſalis Eccleſiæ fieri debet. Iſta autem tria ſolum in Papa reperiuntur: & ideo ſolus ipſe põt vniuerſalem Indulgentiam dare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ut aliquis

quis portet pœnam ſecundum menſuram culpæ, poteſt intelligi dupliciter: uel in ſe: uel in altero. Ille ergo, cui fit indulgentia: quamuis non puniatur tantũ in ſe, quantum peccauit, ut eſt membrum quoddam ſingulare: punitur tamen tantum, & amplius in capite ſuo Chriſto, cuius pœna maior fuit in ualore, quã tota pœna, ad quam obligantur omnia eius membra.

AD ſecundum eſt dicendum, q non eſt ſimile de contritione, & ſatisfactione: quia per contritionem homo reconciliatur Deo: & per confeſſionem homo recõciliatur † Eccleſię. Ita quòd per iſta duo homo efficitur de Eccleſia, numero, & merito. & tunc cum iã homo factus eſt de Eccleſia poteſt, & debet ab ipſa Eccleſia iuuari: & onus eius ab Eccleſia debet ſupportari. Et ideo ad contritionem, & confeſſionem requiritur perſonalis contritio, & confeſſio, & interior ſatisfactio. Sed ſatisfactio exterior, quæ eſt relaxatio pęnę, poteſt fieri per meritum alterius.

† Id eſt, etiã reconciliatur Eccleſię.

AD tertium eſt dicendum, q Papa prohibet uniuerſalem Pontificem ſe nominari ad vitandam notã ſuperbiæ: vnde dicitur ſuperbæ appellationis verbũ vniuerſalem me Papam dicens: imprimere curaſtis: quod (peto) mihi dulciſſima ſanctitas veſtra vltra nõ faciat: quia vitanda ſunt verba, quę veritatem inflant, & charitatem vulnerant.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT dare Indulgentiam ſibiipſi.

S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 27, art. 4. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim; q Papa ſibi ipſi non poſſit dare indulgentiam: quia ad dandam indulgentiam requiritur auctoritas iuriſdictionis. ſed nullus habet iuriſdictionem ſuper ſeipſum: ergo nullus poteſt ſibiipſi dare indulgentiam.

2 Præterea: Papa nõ poteſt ſe* abſoluere à culpa in foro pœnitentiæ. Ergo non poteſt ſeipſum abſoluere à pœna per communicationem indulgentiæ.

* al. ſeipſũ.

3 Præterea: Excommunicatio eſt quædam obligatio ad pœnam, & abſolutio eſt quędã relaxatio * pœnæ. ſed nullus poteſt ſeipſum excommunicare. Ergo nullus poteſt ſibiipſi indulgentiam dare: quę eſt quędam pœnę relaxatio.

* al. à pœna.

IN CONTRARIVM eſt, quia poteſt, & debet Papa pro ſeipſo offerre ſacrificium, Iuxta illud ad Hebræ. 5. Quoniam ipſe circundatus eſt infirmitate, debet quemadmodum pro populo, ita & pro ſe ipſo offerre ſacrificium pro peccatis. Ergo poteſt ſibiipſi pro peccatis indulgentiam facere.

RESOLVTIO.

Papa ſibiipſi dare poteſt indulgentiam, quàm ut Eccleſiæ membrum recipit: ut autem caput, concedit.

E RESPONDEO, dicendum, q aliud eſt indulgẽtiam dare, & aliud eſt indulgentiam participare. Dicunt autem aliqui, quòd Papa non poteſt ſibiipſi indulgentiam dare propter duo. Primo, quia actũ iuriſdictionis, qui ad indulgentiam dandam requiritur: nullus poteſt in ſeipſum exercere. Secundo, quia indulgentia datur, vt aliquis prouocetur ad aliquem actum, qui vergat in honorem Dei, & vtilitatem Eccleſiæ. & ad hoc prouocatus eſt Papa ex ſuo officio; cũ ſit paſtor vniuerſalis Eccleſiæ. ſed ad indulgentiam pro alijs datam poteſt bene participare, dummodo faciat illa, quæ requiruntur ad hoc, quòd indulgentia valeat: puta q ſit in charitate, & q det de bonis ſuis ſecundum iuſtam æſtimationem.

Sed iſta ratio non multũ ponderat: quia Papa non F dat indulgentiam ſibiipſi, vt eſt caput habens iuriſdictionem vniuerſalis Eccleſiæ, ſed vt eſt membrum Eccleſiæ recipit, & vt eſt caput, dat. Sicut enim in foro pœnitentię poteſt dare auctoritatem alicui ipſum abſoluendi, & poteſt ab illo abſolui, & ſe inferiorem illo facere, vt eſt membrum: ſic poteſt indulgentiam ſibi dare, vt caput, & recipere vt mẽbrum: dummodo reperiantur in eo illa, quæ requiruntur ad hoc, quod indulgentia valeat.

AD PRIMVM ergo dicitur, q indulgentia non datur per modum ſententiæ promulgationis ſed per modum debitæ ſolutionis, & communicationis: Et ideo quamuis ſit actus iuriſdictionis, non eſt inconueniens, q talem actum in ſeipſum homo exerceat ſecundum diuerſum modum conſiderandi.

G AD ſecundum eſt dicendũ, q in foro pœnitentiæ requiritur exterior confeſſio. Sicut ergo nullus confitetur ſibiipſi: quia Iacobus dicit: Confitemini alterutrum peccata veſtra; ita nullus in foro pœnitentiæ poteſt ſeipſum abſoluere. Iacob. 5.

AD tertium dicitur, q non eſt ſimile: quia excommunicatio datur per modum ſententiæ. Sicut ergo nullus ſupra ſeipſum profert ſententiam: ita nullus poteſt ſeipſum excommunicare iudicialiter, ſed ſolũ cauſaliter, committendo culpam, pro qua fertur excõmunicatio. non ſic autem eſt de indulgentia, quæ ſimpliciter communicatur illi, qui hoc fecerit pro vtilitate Eccleſiæ.

ARTICVLVS III.

H *VTRVM PAPA EXISTENS in peccato mortali poſſit dare Indulgẽtiã.*

S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 26. art. 4. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 1. ar. 4. ad 3. argum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, q Papa exiſtens in culpa mortali non poſſit dare indulgentiam: quia nullus poteſt dare quod nõ habet: ſed qui eſt in culpa mortali non habet indulgentiam culpę, ergo nõ poteſt ipſam alijs dare.

2 Præterea: Riuulus, cui fons non influit, non po-

teſt

teſt alijs ipſe influere, ſed Papa exiſtenti in culpa mortali, fons gratiæ Chriſti non influit. Ergo non poteſt ipſe alijs indulgentiam influere.

3 Præterea: Quilibet actus magis dependet ab agente, quàm à recipiente: ſed nullus exiſtens in culpa mortali, poteſt indulgentiam recipere: ergo Papa exiſtens in peccato mortali, ſeu culpa, non poteſt indulgentiam dare.

IN CONTRARIVM eſt, quia indulgentiæ dantur per poteſtatem iuriſdictionis: ſed Papa pro culpa mortali non amittit poteſtatem iuriſdictionis, niſi talis culpa hæreſim haberet annexam. Ergo Papa exiſtens in peccato mortali indulgentiam dare pót.

RESOLVTIO.

1 Papa exiſtens in peccato mortali, pro quo non amittit iuriſdictionem, indulgentiam dare poteſt, ſicut gratia ſacramentalis per malum, & per bonum miniſtrũ confertur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Papa in dando indulgentiam habet ſe in ratione inſtrumenti, quo relaxatio pœnæ fit: non in ratione ſubiecti per * quod gratia ſacramentalis tribuatur, vel ipſa gratia indulgẽtiæ. & ideo ſicut gratia ſacramẽtalis ita datur per malũ miniſtrũ, ſicut per bonũ: ſic gratia indulgentię ęquè bene tribuitur per malum miniſtrũ, ſicut per bonum. ſecus autem eſt de recipiente: quia recipiens gratiam indulgentiæ, vel ſacramentalem, ſe habet ad ipſam in ratione ſubiectis. & ideo cum talis gratia nõ compatiatur ſecum culpam mortalem: quia non tollitur pœna, niſi prius tollatur culpa; exiſtens in mortali non recipit gratiam ipſam. Sed ſicut Papa exiſtẽs in mortali poteſt gratiam ſacramentalem conferre adminiſtrando ſacramentum: ita poteſt dare gratiã indulgentiæ adminiſtrando officium.

* al. cal.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, ꝙ Papa exiſtens in mortali, non habet gratiam indulgentiæ ad propriam ſalutem: ſed habet eam ad miniſterium ſalutis aliorum.

AD ſecundum dicitur, ꝙ fons gratiæ non influit ſibi exiſtenti in culpa ad propriam fęcunditatem: ſed ad fęcunditatem aliorum: ſicut canale, per quod fluit aqua ad hortum, non habet ipſam aquam ad propriã fęcunditatem: ſed ad fęcunditatẽ horti. Et ſicut cymbalum non habet ſonum ad delectandum proprium auditum, quo caret: ſed ad delectandum illorum auditum, qui habent.

AD tertium dicitur, ꝙ recipere indulgentiam minus eſt, quàm dare quoad auctoritatẽ. Sed recipere maius eſt quoad propriam vtilitatẽ, malitia autem, ſeu mortalis culpa bene tollit propriam vtilitatẽ: ſed nõ tollit iuriſdictionem, vel auctoritatem.

A

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT dare Indulgentiam illis, qui ſunt in Purgatorio.

Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 3. verſ. de Indulgentiis autem. & diſt. 45. q. 2. art. 1. & 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit dare indulgentiam illis, qui in Purgatorio ſunt: quia Papa nõ poteſt dare indulgentiam illis, qui non

B ſunt de foro eius: ſed illi, qui ſunt in Purgatorio, non ſunt de foro Papæ, cũ non ſint viatores amplius. Ergo non poteſt Papa eis dare indulgentiam.

2 Præterea: Indulgentiæ fiunt pro operibus bonis exterioribus, quæ poſſunt vergere in honorem Dei, & vtilitatem Eccleſiæ: ſed illi, qui ſunt in Purgatorio, nõ poſſunt huiuſmodi opera operari. Ergo non ſunt ſuſceptibiles indulgentiæ.

3 Præterea: Papa non poteſt ligare eos, qui ſunt in Purgatorio. Ergo nõ poteſt eos à pœna abſoluere per communicationem indulgentiæ.

IN CONTRARIVM eſt, quia indulgentia fit de theſauro Eccleſiæ: puta de merito Chriſti, & Martyrum: ſed illi, qui ſunt in Purgatorio, participes ſunt

C talis theſauri, cum deceſſerint in charitate. Ergo Papa poteſt, & debet talem theſaurum eis communicare.

RESOLVTIO.

Papa exiſtẽtibus in Purgatorio indulgentiam dare poteſt, non merito eorum abſoluto, quo iam per radicẽ ſuæ charitatis vitam meruerunt æternam: ſed merito conditionali, ab opere alterius pendente, quo pœnæ accelerationem mereri poſſunt. Viatores enim adhuc ſunt, & de foro Papæ quantũ ad meritũ conditionale.

RESPONDEO, dicendum, quòd tria vidẽtur obuiare, vt illis, qui ſunt in Purgatorio, Papa indulgentiam non poſſit dare.

D Primum, quia ipſi non ſunt in ſtatu merendi.

Secundũ, quia non ſunt de foro Eccleſiæ militãtis.

Tertium eſt, quia non ſunt viatores, & non viuunt vita viatorum.

Sed iſta non obſtant; quia duplex eſt meritum. Vnum eſt eſſentiale abſolutum, quo quis meretur vitam æternam propria operatione per radicem charitatis. & de tali merito verum eſt, quòd illi, qui ſunt in Purgatorio, non ſunt in ſtatu merendi, quia iã meruerunt vitam æternam per charitatem, cum qua deceſſerunt: Tale namque meritum non dependet ab opere alterius, ſed ab opere proprio. Aliud eſt meritũ conditionale, quo quis meretur pœnæ remiſſionem, vel accelerationem, dummodo alij pro eis faciãt illa, quæ inſtituta ſunt ab Eccleſiã ad pœnæ remiſſionem conſequendam: tali autem merito cõditionali, quod

dependet

dependet ab opere alterius;illi,qui ſunt in purgatorio E mereri poſſunt: & quantum ad tale meritum, cum nondum ſint comprehenſores,ad huc ſunt viatores, & de foro Papæ:quia poſſunt ſtipendiari theſauro Eccleſiæ per communicationem indulgentiæ: ex quo alij faciunt pro eis illa,propter quæ indulgentiæ ſunt ordinatæ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, q illi, qui ſunt in purgatorio, ſunt de foro Papæ, quantũ ad meritũ conditionale ſupra dictum,vt ipſi percipiant indulgẽtias,ſi amici eorum faciunt pro eis illud,quod Eccleſia iniungit ad habendam indulgentiam.

AD ſecundum dicitur, q non poſſunt operari operatione perſonali: quia tali operatione iam F meruerunt ſibi vitam æternam,dum vixerãt. ſed operatione conditionali (ex quo alij operantur illa, propter quæ communicatur eis theſaurus Eccleſię ad relaxationẽ pœnę) operari poſſunt: quæ enim per amicos facimus,nos ipſi facere dicimur.

AD tertium dicitur, quòd non eſt ſimile: quia nullus ligatur niſi perſonali culpa: unde illi, qui ſunt in Purgatorio, non merentur ligari noua ligatione, ſed poſſunt abſolui à pœna,operatione aliorum, modo,quo ſupra dictum eſt.

ARTICVLVS V.

UTRUM EPISCOPUS POSSIT Indulgentiam dare abſque auctoritate Papæ. G

Concilium Lateranen. ſub Innocentio III.cap.62.refertur in cap. cum ex eo,de pænit.& remiſ.Adde omnino textũ,& ibi Canoniſtas in cap.1.& 3. de pænit. & remiſ. lib.6. & Sotum lib.4.ſent.diſt. 21.q.1.ar.4. Vide Barth. Sybillam in peregr.q.Decade 1.cap.3.Quæſtione 3.quæſtiuncula 13.& qõ.4.quæſtiunculã 12.& alios ibi citatos.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, q Epiſcopus abſque auctoritate Papæ poſſit indulgẽtiam dare: quia Epiſcopi ſunt ſpõſi Eccleſiæ, quod patet.quia generant filios, & filias ipſi ſponſo Chriſto. Ergo defuncto tali ſpon H ſo debent de iure ſuccedere in bonis eius,vt theſaurũ eius poſſint auctoritate propria diſpenſare, & de ipſo indulgentiam dare.

2 Præterea: Epiſcopi habent ordinariam iuriſdictionem. Ergo in eorum diœceſi,propria iuriſdictione poſſunt indulgentiam dare.

3 Præterea: Epĩ ſuccedũt locõ Apoſtolorũ:ſed Apoſtoli auctoritate immediata recepta à Chriſto indulgẽtiam potuerunt dare. vnde dixit Apo.2.ad Cor.2. Quod donaui vobis,ſi quid donaui,ĩ perſona Chriſti donaui vobis.gloſ.ac ſi ipſe Chriſtus donaſſet.

IN CONTRARIVM eſt:quia nõ poteſt quis remittere pœnas taxatas in iure,niſi ille,qui eſt conditor iuris.ſed ſolus Papa eſt conditor iuris. Ergo ſolus ipſe Papa propria auctoritate poteſt indulgẽtiã dare.

RESOLVTIO.

Epiſcopi non niſi particulariter, & per auctoritatẽ deriuatam dare indulgentiam poſſunt

RESPONDEO, dicendum, quòd in quibuſcũque eſt auctoritas deriuata, non immediata,taxatur iuriſdictio ab illo,qui poteſtatem immediatam habet: in Epiſcopi autem (vt ſupra dictum fuit) non eſt poteſtas iuriſdictionis immediata,ſed ſolum deriuata ab ipſo Papa: ſicut ergo eis taxatur ab eo qualitas,& quantitas indulgentiæ; ſecundum hoc poſſunt ipſam dare. & nõ aliter. & iſtud patet iuxta illud, qđ ſcribitur extra de pęnit. & re. c. Cum ex eo,vbi poſtquàm Papa determinauit modum,& formam,in qua indulgẽtia debeat dari, ſtatim taxat quantã dare poſſunt,dicens: Quia per indiſcretas, & ſuperfluas indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Pręlati facere non verentur,& claues Eccleſiæ contemnuntur,& ſpiritualis ſatisfactio eneruatur;decernimus, vt cum dedicatur baſilica,non extendatur indulgentia vltra annum, ſiue ab vno,ſiue à pluribus Epiſcopis dedicet̃. ac deinde in anniuerſario dedicationis tempore 40. dies de iniunctis pęnitentijs indulta remiſſio non excedat, & hunc dierum numerum indulgentiarum illis litteris præcipimus moderari, quę pro quibuſlibet* cauſis aliquotiens conceduntur;cum etiã Romanus Pontifex,qui plenitudinem obtinet poteſtatis,hoc in talibus moderamen conſueuerit obſeruare.

*al. caſibus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd Epiſcopi ſunt ſpõſi Eccleſiæ particulares,quia cooperãtur principali,& vniuerſali ſponſo Eccleſiæ:puta Papæ:& Papa,& Epiſcopi omnes cooperantur Chriſto. vnde Papa,qui in tota Eccleſia obtinet vniuerſalis ſponſi auctoritatem, poteſt dare indulgentiam vniuerſaliter propria auctoritate: Epiſcopi vero particulariter, & per auctoritatem deriuatam ab ipſo.

AD ſecundum eſt dicendũ. q Epiſcopi dicuntur iuriſdictionem ordinariã habere: quia habent ipſam per iuris taxationem, non per particularem diſpenſationem. vnde dicuntur ordinarij,iuris taxatione, nõ particulari conceſſione.

AD tertiũ dicitur q Epiſcopi loco Apoſtolorũ ſuccedunt.& ideo ſicut Apoſtoli indulgentiã auctoritate Chriſti dabãt: ſic Epiſcopi auctoritate Papæ,qui loco eius ſucceſſit poſt Chriſti Reſurrectionem, & Aſcenſionem in officio.

ARTICVLVS VI.

UTRUM EPISCOPUS OMNES Indulgentias,quas dat in cõſecrationibus diuerſarũ Eccleſiarũ,poſſit transferre ad conſecrationem vnius.

Panormitanus in c.Quòd autem. de pænit. & remiſ. & Doctores in c.fin.de pænit.& remiſ.lib.6.

AD ſextũ ſic proceditur. videtur enim, q Epiſcopus omnes indulgentias, quas dat in conſecrationibus diuerſarum Eccleſiarum, poſſit transferre ad conſecrationẽ vnius: quia qui põt

multas

multas indulgentias particulares dare, poteſt omnes illas ſimul dare : ſicut, qui poſſet facere, ꝙ quilibet cęcus videret particulariter: poſſet facere, ꝙ omnes cęci ſimul viderent. A

2 Præterea: Gratiæ ſunt ampliandæ, & pœnæ reſtringendæ. Si ergo epiſcopus poteſt multas indulgentias facere : poteſt omnes ſimul dare.

3 Præterea: Qui poteſt maius, poteſt minus: ſed Epiſcopus poteſt ligare ſententia excōmunicationis ſubditum non ſuum, delinquentem in eius epiſcopatu. Ergo poteſt transferre indulgentiam datam ab eo in diœceſim alterius.

IN CONTRARIVM eſt: quia tunc Epiſcopus poſſet vltra formam ſibi taxatam ſuperius.

RESOLVTIO. B

Indulgentias oēs ſimul dare, & particulares transferre non poteſt niſi Papa.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Epiſcopi nō ſunt vocati in vniuerſalem diſpenſationem theſauri Eccleſiæ: ſed ſolum in particularem ſolicitudinem, & particulariter theſaurum Eccleſiæ diſpenſare poſſunt ſecundum, ꝙ eis taxatum eſt per vniuerſalē ſponſum Eccleſiæ: ideo puto, quòd ſolum ſubditis ſuis in ſua propria diœceſi indulgentiam facere poſſunt: & in diœceſi alterius, dummodo ibi celebrent, de licentia epiſcopi, in cuius diœceſi ſtant. Et ſi contingat indulgentias aliquas inueniri multorum Epiſcoporū, quorum quilibet dat 40. dies de indulgentia euntibus ad talem Eccleſiam, oportet illam indulgentiam vel eſſe ꝓbatam per Papam, qui ſubditos vnius poteſt in tali caſu facere ſubditos alterius: vel omnes illos Epiſcopos oportet ad inuicem cōſentire, vt vnus ſupponat ſubditos ſuos iuriſdictioni alterius: nec credo, quòd Epiſcopus indulgentiā datam per eum ſecundum formam ſibi taxatam, poſſit transferre ad cōſecrationem alterius, niſi ſibi eſſet per formam priuilegij particulariter conceſſum: quia particulares indulgentias transferre, & ſimul omnes dare, ſubterfugit epiſcoporum poteſtatem. pertinet enim hoc ſolum ad Papam. Et per hoc patet ſolutio ad primum. C

AD ſecundum dicitur, quòd gratiæ ſunt ampliandæ, vbi cauſa iuſta penſatur, & vbi claues Eccleſiæ nō contemnuntur, & ſatisfactio pro culpa cōmiſſa non ſpernatur. D

AD tertium dicitur, ꝙ epiſcopus non poteſt dare indulgentiam ſubdito alterius ſine illius conſenſu, poteſt tamen eum ligare, vel excommunicare ſine conſenſu eius, quia ratione delicti efficitur ſubditus eius, & de foro ſuo: ſed non ratione boni operis: cum illud inſtituerit Eccleſia ad malorum depreſſionem.

ARTICVLVS VII.

VTRVM QVILIBET SACERdos poſſit Indulgentiam dare.

S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 26. ar. 1. Et Geminianus in cap fin. de pænit. & remiſ. lib. 6. Et Sylueſter in Summa, verbo; Indulgentia nu. 12. Armilla Tit. Indulgentia, concedit in foro conſcientiæ.

B AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ quilibet ſacerdos poſſit indulgentiam dare: quia indulgentiæ fiunt virtute clauiū, ſed quilibet ſacerdos habet claues. Ergo quilibet poteſt indulgentiam dare.

2 Præterea: Quilibet Sacerdos eſt ſponſus ſuæ parochiæ: ergo quilibet in ſua parochia poteſt indulgētiam dare.

3 Præterea: Indulgentia fit de theſauro Eccleſiæ, ſed quilibet ſacerdos habet aliquem theſaurū in ſua parochia. ergo quilibet poteſt dare.

IN CONTRARIVM eſt: quia qui non poteſt ligare, non poteſt ſoluere: ſed ſimplex Sacerdos non poteſt excommunicare, ergo non poteſt indulgentiam dare.

C RESOLVTIO.

Sacerdotes ſimplices, niſi eis ſpecialiter ſit conceſſum, indulgentiam dare non poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicūt, quòd omnes claues, & earum executionem poſſunt indulgentiam facere, quantum ſe extendit poteſtas eis commiſſa. Vnde dicunt, quòd quilibet ſacerdos parochialis poteſt indulgentiam dare in parochia ſua, ſicut quilibet epiſcopus in diœceſi ſua. Sed puto, ꝙ non poſſit ſimplex ſacerdos indulgentiā dare. quia indulgentia datur de theſauro communi Eccleſiæ: qui eſt meritum paſſionis Chriſti, & Martyrū, cuius diſpenſator immediata auctoritate eſt ipſe Papa. Alij autem non niſi auctoritate ab eo deriuata, &
D taxata. Cum ergo ſacerdotibus non inueniatur in iure conceſſum, prohibitum eſt eis, vt poſſint indulgētiam dare, & rationabiliter: quia multi propter eorum ruditatem neſcirent æſtimare pro quanta neceſſitate Eccleſiæ deberent facere: & indulgentiæ ipſæ vileſcerent. ideo credo, ꝙ ſimplices Sacerdotes non poſſunt dare indulgentiam, niſi eis ſpecialiter eſſet conceſſum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, ꝙ dare indulgentiam non reſpicit claues ordinis proprie: ſed magis iuriſdictionis cum ſpeciali auctoritate diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, quam non habet ſimplex Sacerdos.

AD

E A D ſecundum dicitur, ꝙ ſimplex Sacerdos non eſt proprie ſponſus ſuæ parochiæ, cum non poſſit filios generare: eo ipſo, quòd non poteſt alios ſacerdotes ordinare. ſed eſt coadiutor ſponſi. ideo ſine licentia Epiſcopi, vel Papæ non poteſt dare indulgentiam.

A D tertium dicitur, ꝙ theſaurus cuiuslibet congregationis, vel parochiæ non ſuperabundat, vt de ipſo poſſit fieri indulgentia: cum vix ſufficiat cuiuslibet propria merita: theſaurum autem ſuperabundantem, puta meritum Chriſti, & Apoſtolorum, & Martyrum; de quo fiunt indulgentiæ, diſpenſare eſt Papę, & Epiſcoporum, qui Chriſto ſponſo, & eius Apoſtolis ſuccedunt.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM LEGATVS PAPAE, ſi non ſit Sacerdos, poßit dare Indulgentiam.

S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 26. art. 2. Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 1. art. 4. Et Sylueſter in Summa verbo: Indulgentia. nu. 13.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ legatus Papæ, ſi non ſit ſacerdos, nō poſſit dare indulgentiam: Quia qui non eſt ſponſus Eccleſiæ, non poteſt dare indulgentiam: ſed legatus non eſt ſponſus. Ergo non poteſt indulgentiam dare.

2 Præterea: Remiſſio peccatorum fit virtute indulgentiæ: ſed qui non eſt ſacerdos, non poteſt remittere peccata. Ergo indulgentiam dare non poteſt.

3 Præterea: Qui non poteſt minus, nec poteſt maius; ſed legatus non ſacerdos non poteſt abſoluere aliquem in foro pœnitentiæ. Ergo non poteſt indulgentiam dare, cum maior remiſſio peccatorum fiat in ipſa indulgentia, quàm in foro pœnitentiæ.

I N C O N T R A R I V M eſt: quia ille poteſt diſpenſare theſaurum Eccleſię, cui committitur regimē Eccleſiæ. ſed Diacono Cardinali, & vniuerſaliter legato Papæ, qui non eſt ſacerdos, poteſt committi regimen Eccleſiæ. Ergo ſibi intelligitur eſſe conceſſum H poſſe theſaurum Eccleſiæ diſpenſare.

RESOLVTIO.

Indulgentia, cum detur mediante officio, non Sacramento; à Legato Papa, non Sacerdote dari poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd indulgentiæ valent ad remiſſionem peccatorū: Iuxta illud, quod habetur in forma generalis Concilij: † Omnibus, qui laborem proprijs perſonis, & expenſis ſubierint pro tranſitu vltramarino, plenam ſuorum peccaminum, de quibus fuerint veraciter corde contriti, & ore confeſſi, veniā indulgemus. Remiſſio autem peccatorum dupliciter fieri poteſt. Primo, mediante ſacramento, ſicut mediante inſtrumento quodam. Secundo mediante officio. In primo caſu, tantum poteſt homo, quantam poteſtatem Deus dedit ſacramento: quia non melius datur ſacramentum à maiori, quàm à minori. In ſecundo vero caſu, tantum homo poteſt, quantam poteſtatem Deus dedit officio. Cum igitur officium, & regimen Eccleſiæ poſſit habere non ſacerdos: quia poteſt eligi in Papam, & in legatum Papæ, dato ꝙ non ſit ſacerdos (vt ſupra dictum fuit) eo ipſo, quòd remiſſio peccatorum, quę fit per indulgentiam, datur mediante officio, nō mediante ſacramento: ita poteſt dare indulgentiam officialis Papæ, vel Legatus, ſi non eſt ſacerdos, ſicut ſi eſſet ſacerdos.

† Scilicet Lateranen. ſub Innocē. III. § expeditione pro recuperanda terra ſancta.

F

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo dicitur, quòd eſſe ſponſum Eccleſiæ, poteſt dupliciter intelligi: vel iuriſdictione: vel ſacramentali adminiſtratione. Nam ſponſus Eccleſiæ eſt ille, qui filios ſpirituales generat ſponſo Chriſto. huiuſmodi autem filios generare, quamuis Legatus, qui non eſt ſacerdos, per ſacramentalem adminiſtrationem non poſſit; poteſt tamen per ſibi commiſſam iuriſdictionem: quia poteſt committere Sacerdoti ſacramēta adminiſtrare: Epiſcopo ſacerdotes ordinare, & virgines conſecrare in tota iuriſdictione ſibi commiſſa.

A D ſecundum dicitur, quòd licet non poſſit peccata remittere, mediante ſacramēto, cuius ipſe ſit perſonaliter adminiſtrator: poteſt tamen mediante officio, cuius ipſe eſt immediatè executor per communicationem indulgentiæ.

A D tertium dicitur, ꝙ non eſt mirum, ſi plus poteſt facere legatus ad remiſſionem peccatorum mediante officio, quàm mediante ſacramento: ſicut plus poteſt manus per ſe, quàm mediāte ſigillo, vel aliquo inſtrumento determinato.

ARTICVLVS IX.

VTRVM ELECTVS POSSIT Indulgentiam dare.

H Syluester in ſumma verbo: Indulgentia. nu. 13. verſ. Tertium, electus, & confirmatus.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ electus non poteſt indulgentiam dare: quia indulgentiam facere pertinet ad vſum clauium: ſed electus non habet vſum clauium ante, quàm conſecretur.

2 Præterea: Indulgentiam dare pertinet ad executionem, non ad electionem: antequàm ergo conſecretur, non poteſt indulgentiam dare.

3 Præterea: Nullus electus poteſt diſpenſare theſaurum Eccleſiæ, niſi Summus Pōtifex. ſine ergo eius auctoritate electus non poteſt indulgentiam dare.

IN

In Contrarium eſt, quia electus in Epiſcopum ſtatim, vt eſt confirmatus, habet iuriſdictionem: Ergo ſtatim poteſt indulgentiam dare ſecundum formam ſibi taxatam, abſque alterius requiſitione.

RESOLVTIO.

Epiſcopus, vt Epiſcopus, nondum ſacerdos, ſed in Epiſcopum electus, ſtatim confirmatus, dare poteſt indulgentiam in iure taxatam, quæ ad iuriſdictionis pertinet poteſtatem.

Respondeo, dicendum, ꝙ indulgentiam dare pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis: poteſt autem quis habere iuriſdictionem dupliciter: vel iuris taxatione, & iſta dicitur ordinaria: vel ſpeciali cōmiſſione; & iſta dicitur delegata. Cum igitur electi ſtatim poſt obtentum confirmationis beneficium habeant iuriſdictionem in eorum diœceſi: ſtatim poſſunt indulgentiam dare ſecundum formam eis taxatam in iure, abſque aliqua alia ſpeciali cōmiſſione.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum. ꝙ duplex eſt clauis: ordinis, & iuriſdictionis. electus ergo confirmatus quamuis non habeat clauem ordinis antequā ſit conſecratus: habet tamen clauem iuriſdictionis, quam recipit in ipſa eius electione, & confirmatione. & ad vſum talis clauis pertinet indulgentiam dare.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd electus habet executionem clauis iuriſdictionis quamuis non clauis ordinis: & per executionem illius clauis dat indulgentiam.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ nullus poteſt diſpēſare theſaurum Eccleſiæ niſi auctoritate Papæ, vel ſpecialiter delegata: vel in iure taxata. primo modo poſſunt diſpenſare legati: ſecundo modo electi, & confirmati, etiam nondum conſecrati.

ARTICVLVS X.

VTRVM VIRI SANCTI POSſint Indulgentiam dare.

Turrecremata de pœnit. diſt. 1. 5. Item in Leuitico q. 5. ad 1. & 2. argumentum.

A D decimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſancti viri poſſunt indulgentiam dare. Quia quilibet habens aliqua bona, quorum eſt dominus, poteſt illa communicare quibus placet: ſed ſancti viri multa bona ſpiritualia habent, A quorum ſunt domini. Ergo poſſunt illa diſpenſare quibus volunt.

2 Præterea: Bona ſpiritualia, per quorum diſpenſationem dantur indulgentiæ, ſunt magis cōmunicabilia, quàm bona temporalia: ſed ſancti viri poſſunt bona temporalia communicare: & per conſequens indulgentiam dare per communicationem ſpiritualium.

3 Præterea: Quanto magis aliqui ſunt propinqui Domino, tanto magis ſunt digni eius theſaurum diſpenſare. ſed ſancti viri magis ſunt propinqui Chriſto, de cuius theſauro fiunt indulgentiæ, quàm fortè Papa, & multi epiſcopi. Ergo magis ſunt idonei eius theſaurum diſpenſare.

In Contrarium eſt. quia dare indulgē B tiam pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis: quæ non eſt in ſanctis viris, ſi non ſint in prælaturam eccleſiaſticam aſſumpti.

RESOLVTIO.

Indulgentiam ad poteſtatem iuriſdictionis pertinentem viri Sancti ad prælaturam non aſſumpti dare non poſſunt.

Respondeo, dicendum, quòd in Eccleſia duo ſunt. Primo communio charitatis, & dilectionis: ſecundo auctoritas iuriſdictionis. Quædam igitur impendit per communionem charitatis, & dilectionis, vt ſuffragia orationum, eleemoſynarum, C ſacrificiorum, & aliorum bonorum. Quędam vero impendit per auctoritatem iuriſdictionis, vt indulgētias, diſpenſando theſaurum ipſius Eccleſiæ. Sancti ergo viri poſſunt eorum ſpiritualia bona impendere alijs per communionem charitatis, & dilectionis: ſed non poſſunt indulgentiam dare: quia non habent auctoritatem iuriſdictionis diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ, de quo fiunt indulgentiæ. Et per hoc patet reſponſio ad primum, & ſecundum.

Ad tertium eſt dicendum, quòd licet ſancti viri ſint magis ꝓpinqui Chriſto per charitatem, nō ſunt tamen magis propinqui per iuriſdictionis auctoritatem: & ideo quamuis poſſint communicare bona ſpiritualia per charitatem: quorum communicatio dicitur communicatio ſuffragiorum, nō poſſunt D tamen communicare theſaurum Eccleſię per iuriſdictionis auctoritatem, cuius communicatio dicitur cōmunicatio indulgentiarum.

QVAEST. XXX. DE CAVSA INDVLGENTIAE.

DEINDE *conſiderandum eſt de cauſa indulgentiæ. Circa quod quæruntur ſex.* E

Primo, Vtrum Papa ſolum pro actibus exterioribus debeat indulgentiam dare.

Secundo, Vtrum Papa ſolum pro temporalibus bonis debeat indulgentiam facere.

Tertio, Vtrum Papa debeat indulgentiam dare ſolũ habentibus voluntatem dandi aliquid temporale, ſicut dantibus.

Quarto, Vtrum non exiſtente iuſta cauſa, indulgentia data per Papam valeat.

Quinto, Vtrum ſola poteſtas Papæ, poſſit eſſe iuſta cauſa faciendi indulgentiam.

Sexto, Vtrum in litteris Papalibus, quas deferunt Quæſtores cõtineatur iuſta cauſa indulgẽtiã faciẽdi.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA DEBEAT indulgentiam dare pro actibus exterioribus.

Concilium Trident. ſeſſio. 25. in decreto de Indulgentiis. Turrecremata de pœnit. diſtin. 1. 5. item in Leuitico. q. 3. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 2. Et Armil. Titu. Indulgentia 16.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ pro actibus exterioribus Papa non debeat facere indulgentiam: Quia maius eſt corripere delinquentem, & cõſulere neſcientem, quàm Eccleſiam materialem reparare, vel peregrinari. Si ergo Papa pro actibus exterioribus facit indulgentiam: multo magis debet facere pro illis.

2 Præterea: Pro maiori bono magis debet fieri indulgentia, quàm pro minori: ſed maius bonum eſt intrare Religionem, quàm ire vltra mare. Ergo magis Papa debet facere indulgentiam pro introitu Religionis, quàm pro tranſitu vltramarino.

3 Præterea: Expoſitio ſacræ ſcripturæ, & exhortatio in fide catholica maius bonum eſt, quàm ædificare partes Eccleſiæ materialis, vel pontem reficere. Si ergo Papa facit indulgentiam pro iſtis actibus, multo magis pro illis.

IN CONTRARIVM eſt cõſuetudo Eccleſiæ.

RESOLVTIO.

Indulgentia tribus rationibus pro actibus exterioribus per Papam dari poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd tribus rationibus poteſt probari, congruum eſſe, vt indulgẽtiæ fiant pro actibus exterioribus. Primo quidem ex parte indulgentiæ: nam indulgentiæ ſacramentales ſunt, cum fiant virtute clauium. In omni autem eo, quod eſt quid ſacramẽtale, debet eſſe aliquid exterius actum, vel geſtum. quia ſecundum Aug. 10. de Ciuit. Dei. cap. 5. Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ interioris viſibilis forma exterior, in quo ſub tegumẽto (Tomo 5.) F diuina virtus ſecretius operatur ſalutem. Secundo ex parte ipſius pœnæ, pro qua tollenda, fit indulgentia: nam indulgentiæ ſunt relaxatiuæ pœnæ, non culpæ: ſed pœnæ ſunt exteriores, ſicut ieiunium: peregrinatio: ſanctæ Terræ defenſio: vnde pro talibus exterioribus actibus indulgentia debet fieri, non tamen pro quibuſcunque, ſed pro illis dumtaxat, per quos Deus honoratur. vt eſt viſitatio reliquiarum Sanctorum. quia Deus honorificatur in Sanctis ſuis: auditio verbi Dei: reparatio parietum Eccleſiæ, vel pontis. Tertio ex parte theſauri, de quo fit indulgentia: nã ſicut theſaurus alicuius ciuitatis, vel communitatis nõ debet expendi niſi vel propter dominij Ciuitatis hono- G rem, & reuerentiam; vel propter ipſius Ciuitatis neceſſitatem, & indigentiam: ſic theſaurus Eccleſiæ, de quo fiunt indulgentiæ, non debet diſpenſari niſi pro talibus exterioribus actibus, in quibus vel Deus honoratur, vel neceſſitas Eccleſię releuatur, vel fides Chriſtiana promouetur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quilibet tenetur ex præcepto corripere delinquẽtem, & conſilium dare erranti. Non autem tenetur ad Eccleſiæ H releuationem, ſeu parietum, vel pontis reparationem. Ideo pro iſtis actibus fiunt indulgentiæ, non pro illis.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ ingredi Religionem eſt ſtatus, in quo ſufficienter ſoluit pro ſe, cum ſit in ſtatu perfectionis. Ideo non indiget, ꝙ fiat ei indulgẽtia: ſęcularis autẽ, cum ſit adhuc in ſtatu imperfectionis, indiget. Vel poteſt dici, ꝙ licet intrare Religionem, ſit maius bonum, q̃ ire vltra mare, non eſt tñ Eccleſiæ ita neceſſariũ, quę ibi a fidelibus impugnatur.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ vbi fides periclitaretur, & ſacra ſcriptura praue intelligeretur, danda eſſet indulgentia prædicantibus fidem, & exponentibus Scripturam ſacram. vnde prædicãtibus crucẽ, & docentibus fidem, quandoque indulgentiæ dantur.

ARTI-

ARTICVLVS II.

UTRUM PAPA DEBEAT Indulgentias facere pro bonis temporalibus.

Doctores citati in artic. proximè pcedenti. Et S. Thò. in qõnib. additis ad 3. p. q. 25. ar. 3. Et Armil. tit. Indulg. 16.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q pro bonis temporalibus Papa non debet facere indulgentiam: quia remiſſio peccatorum, quæ fit per indulgentiam, eſt quid ſpirituale: ſed dare ſpirituale pro temporali eſt ſimonia: vt dicitur 1. quæſt. 1. cap. Gratia. Ergo pro temporalibus bonis non debet fieri indulgentia.

2 Præterea: Bona temporalia nec ſunt ſic meritoria, nec ſic neceſſaria, ſicut ſpiritualia. Si ergo pro ſpiritualibus bonis non fit indulgentia: multo fortius pro bonis temporalibus.

3 Præterea: In veteri lege promittebantur temporalia iuxta illud Iſa. 1. Si volueritis, & audieritis me, bona terrę commedetis. in noua vero lege promittuntur ſpiritualia. Iuxta illud Matth. 6. Primum quærité regnum Dei. Ergo magis indulgentia debet fieri pro ſpiritualibus, quàm pro temporalibus bonis.

IN CONTRARIVM eſt, quia bona ſpiritualia ſunt communia membris Eccleſię per charitaté: quia ſunt omnia communia iuxta illud Pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te. nõ igitur pro talibus debent fieri indulgentiæ, vt communicentur. ſed temporalia bona, cum non ſint communia, niſi in neceſſitate: neceſſarium eſt fieri indulgentiam, vt communicentur.

RESOLVTIO.

Indulgentia per Papam pro bonis temporalibus ad ſpiritualia ordinatis dari poteſt.

RESPONDEO dicendum, q temporalia, quantum ad præſens, tripliciter ordinantur ad ipſa ſpiritualia.

Primo, quantum ad ipſorum bonorum ſpiritualium acquiſitionem: acquiruntur enim ipſa ſpiritualia per ipſa temporalia: Iuxta illud Thobiæ 12. Eleemoſyna à morte liberat, & non patitur animam irè ad tenebras, & ipſa ſola facit inuenire vitam æterná. Secundo, quantum ad ipſorum ſatisfactionem: quia delentur peccata, quæ animam inficiunt, per temporalium largitionem: Iuxta illud Danielis 4. Conſilium meum audi Rex: Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs pauperum. Tertio quántum ad miniſtrorum Eccleſię ſpiritualibus deſeruientium ſuſtentationem: ſuſtentantur enim miniſtri Eccleſiæ de bonis temporalibus oblatis à Populo: Vnde dicit Apoſtolus 1. ad Cor. 9. Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, non magnum eſt, ſi veſtra temporalia metamus. Pro temporalibus ergo, vt per ipſa, ſpiritualia bona acquiruntur, vel ipſa peccata per ſatisfactionem delentur, vel miniſtri Eccleſię ſuſtentantur, licitè poteſt fieri indulgentia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, quòd pro temporalibus bonis non fit indulgentia finaliter, & terminatiuè: ſed ſolum inſtrumentaliter, & ordinatiuè. & ideo non committitur ſimonia.

AD ſecundum eſt dicendum, q temporalia poſſent eſſe meritoria, inquantum procedunt ex voluntate informata charitate. poteſt tamen fieri indulgentia pro pure ſpiritualibus bonis: dummodo ex illis inſurgat aliqua neceſſitas, vel vtilitas Reipublicæ, ſicut pro illis, qui orát pro Rege, & ꝓ illis, qui ſunt in ſublimitate conſtituti, quandoque datur indulgentia.

AD tertium eſt dicendum. q in noua lege promittuntur ſpiritualia principaliter, & ex conſequenti ipſa temporalia: Iuxta illud Matth. 6. Primum quęrite regnum Dei, & hæc omnia adijciétur vobis. & ſic indulgentia principaliter pro ſpiritualibus fit, & pro temporalibus, vt ad ipſa ſpiritualia ordinantur.

ARTICVLVS III.

UTRUM HABENTIBUS voluntatem dandi aliquid temporale Papa debeat Indulgẽtiam dare, ſicut dantibus.

Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 1.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, q Papa habentibus voluntatem dandi aliquid temporale debeat dare indulgétiam, ſicut dantibus: quia maius eſt vita æterna, quàm indulgentia: ſed bona voluntate informata charitate meretur quis vitam ęternam; ergo multo fortius meretur indulgentiam.

2 Præterea: Si ex ſola voluntate dandi quis non cõſequeretur indulgentiam, pauperes, qui non habent quid dent, eſſent peioris conditionis, quàm diuites. & ita papertas eſſet vituperabilis, quod eſt abſurdum.

3 Præterea: Dare eſt corporale, velle autem dare eſt ſpirituale. Sed magis dari indulgentia debet pro ſpirituali, quàm pro temporali. Ergo magis debet dari indulgentia pro voluntate dandi, quàm pro dato.

IN CONTRARIVM eſt. quia indulgentię fiũt ad releuandam indigentiam Eccleſiæ: ſed indigentia Eccleſiæ non releuatur per ſolam voluntatem dandi, ſed per datum.

RESOLVTIO.

Quamuis bona voluntas vitam mereatur æternam, & ſi ſit uehemens, et feruens dimiſſionem pœnæ: Indulgentiam tamen conceſſam cum conditione dandi eleemoſinam non conſequitur qui nihil dat. indulgẽtia enim tantum valent, quantum ſonant.

RESPONDEO, dicendum, quòd cõmuniter ponitur, indulgentias tantũ valere, quantum ſonant. ſi ergo Papa faciat indulgentias ſub hac forma:

Quicunque dederit de bonis ſuis ad fabricam talis E
Eccleſiæ, habeat tantum de indulgentia: puto, ꝙ qui nihil dat, indulgentiam non conſequatur: quamuis enim bona uoluntate mereatur quis vitam æternam: & ſi eſt vehemens, & feruens meretur quis dimiſſionem pœnæ: tamen, quantum eſt de ratione indulgentiæ, ex quo fit pro releuanda indulgẽtia loci, vel Eccleſiæ, non valet homini ſola voluntas dandi: potiſſimè cum virtute indulgentiæ non ſoluatur pœna, niſi per pœnam. velle autem dare, & velle ire ad talem Eccleſiam, non eſt opus pœnale: ſed dare, & ire. & ideo puto, ꝙ ſola voluntate non acquiritur indulgentia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non F
ſequitur: ſi aliquis meretur quod eſt maius. ergo quod eſt minus, niſi eodem modo ordinetur ad merendum vtrumque: quod non eſt in propoſito. quia charitas ordinatur ad meritum vitæ æternę: opus vero pœnale ordinatur ad dimiſſionem pœnæ. Vnde nõ eſt eiuſdem rationis vtrumque meritum.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ ſimpliciter melioris conditionis eſt pauper, quàm diues. quantum tamen ad remiſſionem pœnæ, quæ acquiritur per indulgentiam: in tali caſu non eſt inconueniens, quòd diues ſit melioris conditionis, quàm pauper.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ corporale inquantum eſt pœnale, ſolutorium eſt pœnæ, vel commutabile in pœnam: vnde eſt ibi commutatio pœnæ maioris in minorem. & ideo indulgentia, quę eſt quæ- G
dam relaxatio pœnæ, magis fit pro ipſo dato, quàm pro voluntate dandi.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM VLLA CAVSA poſſit eſſe, vt Indulgentia data per Papam valeat.

Citati in præcedentibus articulis, & præ aliis S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 25. art. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ nulla cauſa iuſta H
poſſit eſſe, vt indulgẽtia data per Papam valeat. Quia merita Sanctorũ non poſſunt eſſe iuſta cauſa. Scribitur enim in perſona electorum Matth. 25. Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis. Multo ergo magis nulla alia cauſa poteſt eſſe iuſta dandi indulgentiam.

2 Præterea: Iuſta cauſa eſt, vt quantum datur, tantum recipiatur: ſed quandoque minus datur. Ergo talis non erit ſufficiens ad dimittendam pœnam.

3 Præterea: Diues dat vnum denarium, & pauper dat tantum. ſed non eſt iuſtum, ꝙ diues habeat tantũ de indulgentia, quantum habet pauper. Ergo iuſta cauſa non erit in faciendo indulgentiam.

IN CONTRARIVM eſt, quia Deus iuſtus
E eſt, & ſeipſum in iuſtitia negare non poteſt, vt ſcribitur 2 ad Timo. 2. Non exiſtente ergo iuſta cauſa, indulgentia data per Papam non valebit.

RESOLVTIO.

Iuſta æſtimatio ex parte facientis indulgentiam requiritur pro iuſta Indulgentiæ cauſa, qua non exiſtente, indulgentia non valet.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicunt iuſtam cauſam indulgentiæ penſandam eſſe ex parte illius, cui indulgentia datur. Dicunt enim, ꝙ iuſto iudicio rationis debet attendere pro quanto vellet exonerari à pœna præſenti, ſi vellet eam perficere: vel
F pro quanto vellet exonerari à pœna Purgatorij, ad quam eſt obligatus per culpam, ſi nollet eam perficere in præſenti: & pro quanto vellet à prædicta pœna exonerari iuſto iudicio rationis, tantum debet dare: aliter, vt dicunt, indulgentię ſibi non valent, non exiſtente tali cauſa. ſed tunc indulgentia non eſſet relaxatio, vel commutatio pœnæ maioris in minorem: ſed magis ſolutio: quamuis enim ex parte meriti Chriſti, & Sanctorum indulgentia poſſit dici ſolutio: quia ipſe ſufficienter ſoluit pro omnibus: ratione tamen dati, & ratione pœnæ, quæ per datum dimittitur, propriè debet dici relaxatio, vel cõmutatio maioris pœnæ in minorem: quia datum longè eſt minus, quàm ipſa pœna, quæ debetur, vel deletur.

Sed puto, ꝙ iuſta ęſtimatio non debet attendi ex
G parte eius, quod datur ad tollendam pęnam debitam pro peccato, ſiue ad pœnam iniunctam pro peccato. Sed debet æſtimari neceſſitas loci, vel Eccleſiæ: quia licet datum per ſe nõ videatur ſufficiens reſpectu tantæ pœnæ ad tollendam ipſam. Ipſa tamen neceſſitas Eccleſiæ cum auctoritate dantis facit, ꝙ datum ſufficiat ad pœnam relaxandam, quod alias non valeret, niſi ad hoc iuuaret neceſſitas Eccleſiæ. Et ideo iuſta æſtimatio ex parte facientis indulgentiam requiritur pro iuſta cauſa indulgentiæ, qua non exiſtente, puto ꝙ indulgentia non valet.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd merita
H ipſorum membrorum quantumcũque perfectorum, puto ꝙ non ſufficerent ad faciendas relaxationes tales: ſed merita membrorum cũ merito capitis ſufficiunt ad faciendã relaxationem cuiuſcũque pœnæ.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet ex parte dati ſemper minus detur, quàm recipiatur ex parte perſonæ dantis: ex parte tamen perſonę ſatisfacientis, ſemper plus datur, quàm recipiatur. quia meritum paſſionis Chriſti, quod Papa accipit per ſe ad ſoluendum pro quacumque pęna, in valore excedit nedum vnum mundum, ſed infinitos.

AD tertium eſt dicendũ, ꝙ ſi indulgentia fiat ſub iſta forma: Quicunque dederit de bonis ſuis ad fabricam talis Eccleſię, remittimus tertiam partem pœnitentiæ iniunctæ: ſi diues ita parum dat, vt pauper: puto, ꝙ non tantum habeat de indulgẽtia diues,

ſicut

ſicut pauper: quia tunc oportet recurrere ad iuſtam æſtimationem facientis indulgentiam, quę penſanda eſt valere ſecundum facultatem dantis. Sed ſi ſic dicatur: Quicunque dabit vnum denarium, vel aliud terminatum, relaxamus tertiam partem pœnitentiæ iniunctæ. & diues illud daret, ſicut pauper; puto, quòd tantum haberet diues, ſicut pauper: quamuis tamen in hoc eſſent pares, in multis alijs melioris conditionis eſſet pauper, quàm diues.

Articulus hic quintus & ſextus in aliquot manuſcriptis non habentur.

ARTICVLVS V.

VTRVM SOLA VOLVNTAS Papæ ſit cauſa iuſta ad faciendam Indulgentiam.

B

Syluester in Summa, verbo: Indulgentia, & ver. Papa. q. 4. §. 6. Et Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 2. Armilla Tit. Papa. §. 11. & Tit. Indulgentia. §. 22.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſola voluntas Papæ ſit cauſa iuſta ad faciendam indulgentiam: quia ſola voluntas Papæ, mediante ſacramento, ſufficit ad remiſſionem. Ergo ſola voluntas eius, mediante officio, & iuriſdictione dandi, ſufficit ad relaxandam pœnā.

2 Præterea: Si ſola voluntas Papæ non ſufficit, hoc eſt quia deficit rationabilis cauſa; ſed hoc non poteſt deficere: quia theſaurus Eccleſiæ eſt cauſa ſufficiens ad ſatisfaciendum pro omnibus. C

3 Præterea: Quanto aliquid datum eſt magis liberum, tanto eſt magis gratum: ſed magis eſt gratū, ſi detur ſine aliqua receptione. Ergo ſola voluntas Papæ libera ſufficit.

IN CONTRARIVM eſt, quia miſericordia Papæ in faciendo indulgentiā debet eſſe cū iuſtitia. ſicut enim vniuerſæ viæ domini ſunt iuſtitia, & miſericordia: ſic voluntas Papæ debet eſſe ſic miſericors, quòd non careat iuſtitia.

RESOLVTIO.

Indulgentia valet, modo in huiuſmodi theſauro diſpenſando rectus uſus clauis diſcretionis, & ſcientiæ ſeruetur. D

RESPONDEO, dicendum, quòd indulgentia datur, mediante vſu clauiū: quarū virtute remittitur culpa, & ſoluitur pœna: de quibus clauibus ſcribitur Matth. 16. Tibi dabo claues regni cęlorum. per has enim claues theſaurus Eccleſiæ, de quo ſtipendiantur milites Chriſti, aperitur filijs Eccleſiæ: Vnde ſicut ad diſpenſationem talis theſauri requiritur in Papa rectus vſus clauis potentiæ: ne talem theſaurum diſpēſet, quibus nō poteſt: ita ad diſpenſationem dicti theſauri requiritur rectus vſus clauis diſcretionis, & ſciētiæ: ne ſic careat ratione, & diſcretione, vt pro ſola voluntate ſine rationabili cauſa indulgentiam faciat: nō enim poteſt Papa aduerſus veritatem, ſed pro veritate: vt dicit Apoſtolus 2. ad Cor. vlt. Vnde pro ſola voluntate ſi ſubeſt probabilis ratio, vel generalis Eccleſiæ, vel ſpecialis alicuius perſonæ; poteſt indulgentiā facere, aliter non. A

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non eſt ſimile, quia mediante ſacramēto tantum Papa poteſt, quantum vnus alius miniſter Eccleſiæ: Tantum enim poteſt, quantam poteſtatem Deus dedit ſacramento. Sed mediante officio Papa tamen poteſt, quanta poteſtas data eſt officio: & ideo ſi excedit in poteſtate, vt theſaurum Eccleſiæ diſpenſet quibus non poteſt: vel excedit in iuſtitiæ æquitate: vt diſpenſet quibus non debet: non debet tunc dici diſpenſatio, ſed diſſipatio.

B AD ſecundum eſt dicendum, quòd in faciendo indulgentiam nunquam deficit, vel deficere poteſt cauſa effectiua: eo quòd theſaurus Eccleſiæ, de quo fit indulgentia, infinitus eſt, & exhauriri nō poteſt. Sed cauſa finalis terminatiua deficere poteſt: quia pro tali cauſa finaliter Papa debet facere indulgentiam, per quā Eccleſia releuetur in aliqua neceſſitate. vel promoueatur in aliqua vtilitate.

AD tertium eſt dicendum, quòd theſaurus Eccleſiæ liberè diſpenſatur: eo quòd Chriſtus ſponte, & liberè tradebat ſe iudicanti iniuſtè, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo: ſed finaliter Chriſtus gratis non eſt mortuus. Vnde ſicut ipſe pro neceſſitate totius Eccleſiæ paſſus eſt: ſic pro vtilitate Eccleſię generalis, vel perſonæ ſpetialis indulgentia fienda eſt.

C

ARTICVLVS VI.

VTRVM IN LITTERIS PApalibus, quas deferunt Quæſtores, contineatur iuſta cauſa faciē-di Indulgentiam.

Quæſtorum nomen, & vſum pœnitus ſuſtulit Concilium Trident. ſeſſio. 5. de refor. cap. 2. §. Quæſtores. & ſeſs. 21. de refor. cap. 9.

D AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd in litteris Papalibus, quas Quæſtores deferunt, iuſta cauſa contineatur faciendi indulgentiam. Quia iuſta cauſa eſt indulgentiam faciendi, vbi fit mentio de eleemoſynarum largitione. Sed in talibus litteris fit mentio de eleemoſynis faciendis, iuxta illud, quod habetur extra de pœn. & remiſ. cap. Cum ex eo. Vniuerſitatem veſtram monemus, & hortamur in domino, atque in remiſſionē vobis iniungimus peccatorum, quatenus de bonis à Deo vobis collatis pias, & gratas eleemoſynas faciatis.

2 Præterea: ſcribitur Matth. 10. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ: mercedem Prophetæ accipiet: Sed tales quęſtores recipiuntur cū litteris Papalibus nomine Papæ, vel Epiſcopi. Ergo iuſtè indulgentiam datam per Papam, vel Epiſcopum recipiunt.

3 Præterea: Iuſta cauſa indulgentiæ eſt vtilitas loci, vel Eccleſiæ: ſed per tales quæſtores allegatur vtilitas loci, vel Eccleſiæ. Iuſta ergo cauſa indulgentiæ per eos proponitur.

IN CONTRARIVM eſt. quia, vt dicit Gregorius, & ponitur 11. quæſt. 3. c. Priuilegium. Priuilegiũ amittit, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate: ſed tales quæſtores, vt in pluribus, inueniuntur abuti poteſtate eis conceſſa à Papa. Ergo priuilegium conceſſum in nullo eis ſuffragatur.

RESOLVTIO.

Quæſtores admittendi ſunt, ſex conditionibus ſeruatis, vt infra patebit.

Armilla Ti. Indulgẽtia §. 5. ait quatuor requiri ad ualorẽ Indulgẽtię.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ vt indulgentia valeat, requiritur auctoritas dantis: Ille autem, qui poteſt uniuerſaliter indulgentiam dare, eſt Papa, ad quem pertinet tradere formam, & modum quantum, & qualiter vult indulgentiam valere. † ſpecificãtur autem ſex conditiones, quas debent habere quæſtores prædicantes indulgentiam.

† Vid Armi. Titu. Quæſtuarij.

Prima eſt, vt nihil populo proponere permittantur præter illud, quod in eorum litteris continetur. Vnde ſi alias abuſiones prędicant, admittendi non ſunt. Secunda eſt, vt formam eis taxatam non excedant. quæ quidem forma exprimitur extra de pœni. & remiſ. Quoniam, vt ait Apoſtolus, cap. Cum ex eo. Tertia eſt, vt illi, qui deſtinantur ad tales eleemoſynas colligendas, ſint modeſti, & diſcreti viri. Quarta eſt, vt in E tabernis, & alijs locis incongruis non hoſpitentur. Quinta eſt, vt inutiles, & ſumptuoſas expenſas non faciant. Sexta eſt, vt falſo modo alicuius Religionis habitum non ferant. Omnes iſtæ conditiones ponũtur extra de pęni. & remiſ. † Vnde cum tales quæſtores prædictas conditiones non ſeruent, modica vel nulla fides eſt eis adhibenda: maximè cum omnia priuilegia perſonis, locis, vel ordinibus prædictorũ quęſtorum quocunque modo per Sedem Apoſtolicam fuerint conceſſa, reuocata ſint per cle. extra de pęn. & remiſ. † & prædictos quæſtores per locorum ordinarios mandat eſſe puniendos.

† In dicto cap. Cum ex eo.

† Cap. Abuſionibus.

F

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ eleemoſyna eſt cauſa iuſta faciendi indulgentiam: interueniente tamen auctoritate dantis: qua cum ipſi abutuntur, merentur illam amittere.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illi, qui recipiunt Prophetam in nomine Prophetæ; debent videre, quos Prophetas ipſi recipiunt, & Papa ſpecificat formas, per quas poſſunt cognoſci, ſi mittuntur ab eo, vel non.

G

AD tertium eſt dicendum, ꝙ vtilitas Eccleſię, vel loci eſt iuſta cauſa faciendi indulgentiam, quam penſare non ſpectat niſi ad Summum Pontificem: cuius auctoritate cũ tales quęſtores, qui pro modica re dicunt ſe abſoluere à pœna, & à culpa, abutantur, fides eis adhibenda non eſt, eo ꝙ indulgentiam ipſam, & dantem nimis vilificant.

QVAEST. XXXI. DE RECIPIENTE INDVLGENTIAM.

VLterius conſiderandũ eſt de recipiẽte indulgentiam. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum indulgentiã datam per Papam recipiãt exiſtentes in peccato mortali.

Secundo, Vtrum indulgentiam datam per Papam recipiant Cruce ſignati morientes cum firmo propoſito transfretandi.

H

Tertio, Vtrum indulgentiam datam per Papam recipiant clerici, & religioſi, ſicut alij.

Quarto, Vtrum indulgentiam datam per Papam poſſit quis recipere pro Patre, & Matre, ſicut pro ſeipſo.

ARTICVLVS I.

VTRVM INDVLGENTIAM datam per Papam recipiant exiſtentes in peccato mortali.

Turrecremata de pænit. diſt. 1. §. item in Leuitico. nu. 88. verſ. Nona quæſtio eſt. Et Sotus lib. 4. ſent. diſt. 21. q. 2. art. 3. Armilla Tit. Indulgentia §. 14.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ indulgentiam datã per Papam poſſit recipere exiſtẽs in peccato mortali. Quia exiſtẽs in mortali peccato poteſt indulgentiam dare. Ergo multo fortius exiſtens in mortali peccato poteſt indulgentiam recipere.

2 Præterea: Dicit Auguſtinus, ꝙ ſi aliquis in peccato

cato mortali patiatur propter fidem, valet ſibi ad remiſſionem pœnæ: quia minus punitur in Inferno, quàm ſi fidem negaret. Ergo eodem modo, ſi aliquis dat eleemoſynam ad fabricam Eccleſiæ, valet ſibi ad remiſſionem pœnæ.

3 Præterea: Scribitur Eccle. 9. quòd homo neſcit, vtrum amore, vel odio dignus ſit. ſi homo ergo neſciat, vtrum habeat charitatem, ex quo indulgentia non valet niſi habenti charitatem: neſciet ſimiliter, vtrum indulgentia ſibi valeat. Fruſtra ergo homo ſuſtinet labores, & expenſas pro acquirenda indulgentia.

In Contrarium eſt, quia indulgentia fit pro eleemoſynis, & aliis exterioribus bonis. ſed de talibus dicit Apoſtolus 1. ad Corint. 13. Si diſtribuero in cibos pauperũ omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt.

RESOLVTIO.

Indulgentia exiſtentibus in peccato mortali non prodeſt. Hinc eleemoſyna facta in peccato non valet per modum ſatisfactionis, ſed per modum ſupplicationis.

Respondeo, dicendum, ꝙ quatuor rationibus probari poteſt, indulgentiam non prodeſſe illis, qui ſunt in mortali peccato.

Primo quidem ex parte formæ indulgentiæ. Datur enim indulgentia ſub iſta forma: Omnibus verè contritis, & confeſſis. non exiſtente ergo vera contritione, & confeſſione: indulgentia non ſibi valebit.

Secundo ex parte conditionis indulgentiæ: Planũ enim eſt, ꝙ nulli poſt hanc vitam fit remiſſio pœnæ, niſi deceſſerit cum charitate. Ergo ſimiliter in hac vita nulli poteſt remitti pœna niſi ſit in charitate.

Tertio ex parte ipſius pœnę, cuius relaxatio, & ſatisfactio ponuntur in indulgentia: ſicut enim pœnitẽtia facta in mortali peccato non eſt ſatisfactio dimiſſionis pœnę: licet valeat homini ad quædam alia bona: ſic indulgentia, exiſtenti in mortali peccato non valet per modum indulgentiæ, puta per modum ſatisfactionis, vel relaxationis pœnæ. cum indulgentia nõ ſit aliud, quàm pœnæ commutatio, vel relaxatio.

Quarto ex parte culpæ. Nam cum pœna culpæ correſpondeat, nõ poteſt tolli pęna, niſi prius tollatur culpa. Exiſtens ergo in mortali culpa, per communicationem indulgentiæ non poteſt expoliari pœna, niſi prius expolietur culpa.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile. quia dans indulgentiam habet ſe per modum miniſtri inſtrumentaliter ſolum, Iuxta illud Apoſtoli 1. ad Corint. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti: Ideo gratia ſacramentalis, & gratia indulgẽtiæ dantur per malum miniſtrum, ſicut per bonum: recipiens vero habet ſe per modum ſubiecti materialiter. & quia in eodem ſubiecto non poteſt eſſe gratia cum mortali culpa: ideo ſicut gratia ſacramẽ

A talis remittens culpam non datur homini ſine contritione culpæ: ſic gratia indulgentiæ relaxans pœnã non datur homini ſine contritione prædicta.

Ad ſecundum reſpondetur, ꝙ Aug. non loquitur de pœna reſpectu peccati, in quo eſt homo, ſed reſpectu peccati, quod faceret negando Deum, niſi pro fide pateretur, & ſic in inferno grauius puniretur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ homo poteſt ſcire ſe eſſe in charitate ſcientia coniecturali, non certitudinali: puta ſi eſt contritus, & confeſſus de omnibus peccatis ſuis. ſic ſcientia coniecturali poteſt ſcire indulgentiam ſibi valere, ex quo non cognoſcit aliquid eſſe in eo remordens conſcientiam, quod effectum indulgentiæ impediat.

B ARTICVLVS II.

VTRVM INDVLGENTIAM datam per Papam conſequantur Cruce ſignati, morientes cum ſolo propoſito transfretandi.

Vide expeditionẽ pro recuperanda terra ſancta in Concilio Lateranen. ſub Innocentio III. S. Thom. quodlibeto 2. qō. 8. art. 18. & Turrecremata de pænit. diſtin. 1. 5. item in Leuitico. nu. 63.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ indulgentiam datam per Papam cruce ſignati mo- C rientes cum ſolo propoſito traſfretandi non conſequantur. quia efficatior eſt baptiſmus ad remiſſionem peccatorum, quàm indulgentia Papæ. ſed propoſitum baptiſmi non facit plenã remiſſionem ſine baptiſmi ſuſceptionẽ. Ergo nec propoſitum transfretandi ſine transfretatione.

2 Præterea: indulgẽtia datur pro ſubuentione Terræ ſanctæ: ſed per tale propoſitum in nullo ſubuenitur Terræ ſanctæ: fruſtraretur enim Eccleſia fine ſuo, ſi tale propoſitum dicatur valere ad indulgentiam cõſequendam.

3 Præterea: Si ſolum per crucis aſſumptionem plena habetur indulgentia omnium peccatorum; Ergo, qui hora prima accepit crucis ſignum, & poſtea hora D tertia peccat mortaliter: ſi ſtatim moriatur, non punietur in inferno, niſi pro uno peccato. quod videtur abſurdum.

In Contrarium eſt, quia potentius eſt bonum, quàm malum: ſed malum propoſitum ſufficit vt cum eo homo decedens, ad infernum deſcendat. Ergo bonum propoſitum magis ſufficere debet, vt homo cũ ipſo decedens ſtatim ad cœlũ aſcendat.

RESOLVTIO.

Morientes contriti, & confeſſi, cruce ſignati, nullo deinde ſuperaddito peccato mortali, cum propoſito firmo ſatisfaciendi, ſi daretur facultas; indulgentiam datam per Papam plenè conſequitur.

Respondeo, dicendum, ꝙ tale firmum propoſitum transfretandi quatuor modis poteſt intelligi valere ad plenam indulgentiã conſequendã.

Primo, ꝙ tale propoſitum intelligitur valere de uoto, corde per deliberationem concepto, & firmato. & ſic non poteſt intelligi: quia tunc non oporteret recipere crucis ſignaculum.

Secundo, quòd intelligatur valere per crucis aſſumptionẽ ex voto emiſſo. & ſic ſimiliter non poteſt intelligi: quia, qui poſt aſſumptionem crucis in craſtinũ pœniteret de voto, & proponeret non implere, nihilo minus haberet plenam indulgentiam peccatorum præcedentium.

Tertio, vt intelligatur valere de voto per itineris perſecutionẽ inchoato: & nec ſic intelligi poteſt. quia tunc, quando rediret de portu: haberet remiſſionem omnium peccatorum. F

Quarto, ꝙ intelligatur ſolum de voto per completionem itineris * confirmato, & nec ſic conuenienter intelligitur. quia ſecundum Apoſtolum 2. ad Cor. 8. Si voluntas prompta eſt ſecundum illud, quod habet, & quod poteſt, accepta eſt, non autẽ ſecundum illud, quod non habet, & ſecũdum illud, quod non poteſt. Puto ergo eſſe dicẽdũ, ꝙ cũ plena cauſa producat plenũ effectũ; ex quo firmum propoſitum, & votum eſt cauſa remiſſionis pœnæ. huius plena remiſſio requirit plenum propoſitum, & plenum votum. vnde credo, ꝙ non ſufficiat ad habendam plenam remiſſionẽ votum corde cõceptum, ſeu exteriori ſigno emiſſum; vel per partem itineris inchoatum. ſed requiritur, ꝙ ſit verè, & interpretatiuè impletum. & intelligo votũ impleri ſiue quãdo hoc fecit, qđ poterat, & debebat G de uoto implendo, & iuſta impotentia totaliter impedit effectum, præcipue impotentia mortis. Puto ergo, ꝙ ſi aliquis, aſſumpta cruce, cũ propoſito firmo transfretandi, faciendo totum, quod in ſe eſt de implendo propoſitum: ſi ſit contritus, & confeſſus de omnibus peccatis mortalibus præcedentibus: & moritur nullo ſuper addito, poſt crucis aſſumptionẽ, mortali peccato, plenam indulgentiam omnium peccatorum cõſequitur. Compleuit enim votum, iuris interpretatione, licet non operis executione, eo ipſo ꝙ fecit, quod potuit, & debuit. nec tenetur ad plus faciendum, & præcipuè ſi talis fuit intentio indulgentiam dantis.

*al. cõſummato.

Ad Argumenta.

H

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile de baptiſmo, & indulgentia. quia ibi ſolũ opus operatum uirtutem remiſſionis habet. hic vero non, immo opus operans. in baptiſmo enim indulgentia habetur per modum ſacramenti. ſed per indulgentiã datur remiſſio per modum meriti operantis: Vnde in indulgentia reputatur voluntas pro facto. ex quo * prompta eſt ſecundum illud, quod poteſt, & quod habet.

*al. prõpta.

Ad ſecundũ eſt dicendum, ꝙ non per ſolam crucis aſſumptionem habetur indulgentia, niſi hoc faciat quod in ſe eſt de adimpletione voti. ſed faciendo totũ, quod in ſe eſt, habetur indulgentia: licet non ſubueniatur Terræ ſanctæ: Principalis enim intentio Papæ eſt ſalus filiorum Eccleſiæ: & ad hunc ordinat finem, E qui eſt ſubuentio Terræ ſanctæ. ad cuius ſubuentionẽ ſufficit, ꝙ faciat quantum in ſe eſt, vt indulgentiam conſequatur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ talis (vt puto) non conſequitur indulgentiam: quando non fecit totum, quod in ſe erat, eo ipſo, ꝙ ante horam, qua indulgentia valere debebat, poſuit obſtaculum indulgẽtiæ per contractionem mortalis culpæ.

ARTICVLVS III.

VTRVM INDVLCENTIAM datam per Papam conſequãtur Clerici, et Religioſi.

S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 27. ar. 2. Et Armilla Tit. Indulgentia §. 59.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ indulgentiam datam per Papam Clerici, & Religioſi non cõſequantur: quia indulgentia non valet niſi indigẽtibus: ſed Clerici, & Religioſi propter votũ caſtitatis emiſſum, & propter ſtatum perfectionis, in quo ſunt, habent abundantiam meritorum. Non ergo indigent indulgentia propter abundantiam meritorum aliorum.

2 Præterea: Illud non debet applicari Religioſis, quod facit ad detractionem regularis obſeruãtiæ, qua ipſi uoto ſunt aſtricti. ſed diſcurſus potiſſimè facit ad diſſolutionem regularis obſeruantiæ. vnde hac de cauſa omnis diſcurſus prohibetur Monachis, & Religioſis. Ergo indulgentia, quæ ſine diſcurſu acquiri nõ poteſt, religioſis applicari non debet.

3 Præterea: Indulgentia quandoque datur pro bellantibus cõtra rebelles, & inimicos Eccleſiæ: ſed bellare interdicitur Clericis, & Religioſis. ergo eis indulgẽtia applicari non debet.

In Contrarium eſt. quia actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito: ſed Religioſi magis ſunt diſpoſiti, quàm alij exiſtentes in ſeculo. Ergo eis maximè applicanda eſt. Ariſtot. 2. de anima text. com. 24.

RESOLVTIO.

Clerici, & Religioſi indulgentiam datam per Papã conſequũtur, modo in ijs reperiantur, quę requiruntur.

Reſpondeo, dicendum, quòd vt indulgentia valeat alicui; ex parte dantis requiritur auctoritas, & cauſa pro qua ſit iuſtitię æquitas. ex parte vero recipientis requiritur, ꝙ habeat fidem in intellectu, quia non niſi homini chriſtiano indulgentia poteſt dari, qui firmiter credat, Papam poſſe dare, & ſe poſſe recipere, & habeat charitatem in affectu: vt ſit verè contritus, & confeſſus. Cum ergo Religioſi iſta duo habeant: dummodo ipſi impleant cauſam, pro qua facta eſt indulgentia, plenius conſequuntur ipſam indulgentiam, quàm aliqui alij.

Vide Armil. tit. Indulgẽtia. §. 5. & 13.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quãtumcunque Religioſi ſint in ſtatu perfectionis propter tria vota emiſſa: ſine peccatis tamen tranſire non poſſunt: propter quorum remiſſionem indigent recipere indulgentiam: Etſi non de abundantia meritorum aliorum membrorum Eccleſiæ: ſaltem de abundantia meriti capitis Chriſti, qui pro omnibus, tam pro perfectis, quàm imperfectis paſſus eſt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non eſt dubium, Religioſos plus mereri merito eſſentiali ad acquirendam vitam æternam ſolitariè ſtando, & regulares obſeruantias tenendo, quàm diſcurrendo, acquirendo indulgentias: Sed merito accidentali, acquirendo dimiſſionem pœnæ plus meretur accipiendo indulgentias: dantur tamen indulgentiæ quandoqne ſic de propinquo, ad quas accedere poſſunt ſine magna diſtractione obſeruãtię regularis.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut ponitur 23. q. 8. cap. Quicunque. Quãuis Clerici, & Religioſi propria manu arma accipere non debeant; licet tamen eis alios hortari ad accipiendum arma propter oppreſſorum offenſionem, & Dei inimicorum expugnationẽ: vnde ipſi conſequuntur indulgentiam, ſicut alij.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM INDVLGENTIAM datam per Papam conſequatur aliquis pro Patre, & Matre.

S. Tho. in quęſtionibus additis ad 3. par. q. 27. art. 3. Et Armill. Tit. Indulgentia. §. 19.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ indulgentiam datam per Papam recipiat aliquis pro Patre, & Matre. Quia vnus poteſt alteri impetrare primam gratiã. Ergo multo fortius poteſt ei impetrare peccatorum indulgẽtiã.

2 Præterea: Quicunque impleuit cauſam indulgẽtię, conſequitur indulgentiam. ſed poteſt filius pro Patre, & Matre implere cauſam indulgentiæ. Ergo pro eis conſequitur indulgentiam.

3 Præterea: In forma Concilij generaliter datur in-
A dulgentia accipientibus crucem pro ſe, & pro Patre, & Matre mortuis. Poteſt ergo indulgentiam pro patre, & matre homo recipere.

IN CONTRARIVM eſt: quia ille, cui theſaurus Eccleſiæ diſpenſatur, non poteſt ipſum diſpẽſare: ſed cuilibet fideli diſpenſatur theſaurus Eccleſiæ per communicationem indulgentiæ. Ergo non eſt in poteſtate eius alteri diſpenſare.

RESOLVTIO.

Vnus pro alio indulgentiam datam per Papam, vt
B *pro Patre, & Matre mortuis, aut viuis conſequi poteſt, ſi huiuſmodi applicatio à Papa in Bulla ſit expreſſa: et, quod præcipitur, ſeruetur.*

RESPONDEO, dicẽdum, quòd ad recipiendam indulgentiam pręcipue duo requiruntur.

Primo applicatio illius, qui habet iuriſdictionem diſpenſandi theſaurũ Eccleſiæ: ideo ipſe ſic applicat, vt nomine Patris, & Matris quis poſſit recipere indulgentiam eundo vltra mare: vel ad ſanctum Iacobum: puto ꝙ talis applicatio valeat: ex quo interuenit
C auctoritas applicantis.

Secundo requiritur impletio cauſæ, pro qua facta eſt indulgentia ſimul cum auctoritate applicantis. ſi ergo iſta duo interueniant, puto ꝙ homo pro Patre, et Matre mortuis, vel viuis poteſt recipere indulgentiã, ſecundum quòd in forma dantis indulgentiam exprimitur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia gratiam poteſt homo alteri impetrare
D per ſuffragia, & alia opera meritoria, quæ poteſt communicare alteri per radicem charitatis: ſed indulgentia non communicatur alicui per charitatem, ſed magis per iuriſdictionis poteſtatem.

AD ſecundum eſt dicendum. ꝙ non ſufficit impletio cauſæ indulgẽtię, niſi adſit auctoritas applicantis: nam impletio cauſæ eſt cauſa indulgentię finalis, & terminatiua: auctoritas vero applicantis eſt cauſa indulgentiæ agens, & effectiua. finis autem non acquiritur ſine agente, & ideo illa non valet ſine iſta.

AD tertium patet ſolutio. quia dummodo in forma indulgẽtię exprimatur, ꝙ valeat pro Patre, & Matre implendo cauſam indulgentiæ, ita valet ſicut exprimitur.

QVAEST. XXXII. DE EFFECTV INDVLGENTIAE.

DEINDE conſiderandum eſt de effectu Indulgentiæ. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit facere, quòd duorum exiſtentium in Purgatorio in æquali pœna vnus citius liberetur, quàm alius.

Secundo. Vtrum Papa poßit facere: ꝙ bona facta ab exiſtente in peccato mortali ſint meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio.

Tertio, Vtrum Papa per communicationem indulgentiæ poßit totum locum Purgatorij expoliare.

Quarto, Vtrum Papa per communicationem indulgẽtiæ contritos, & confeßos ſic à tota pœna, & à culpa poſſit abſoluere, vt non tranſeant per ignem Purgatorij.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT facere, quòd duorum exiſtentiũ in Purgatorio in æquali pœna, vnus citius liberetur, quàm alius.

Magiſter ſent. & cum eo Doctores Scholaſtici, lib. 4. ſent. diſt 45. Et ibidem Sotus q. 2. ar. 4. & S. Thom. quodlibeto 2. q. 7. art. 14. Bart. Syb. Dec. 1. cap. 3. quæſt. 4. quæſtiuncula 15.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit facere, quòd duorum exiſtentiũ in æquali pœna in Purgatorio vnus citius liberetur, quã alius: quia, qui ſunt æqualiter capaces ad recipienda ſuffragia, & bona Eccleſiæ, æqualiter liberantur à pœna: ſed tales, qui ſunt in æquali pœna in Purgatorio, æqualiter ſunt capaces. Ergo vnus nõ poteſt citius liberari, q̃ alius per cõmunicationem indulgẽtię, & ſuffragiorũ Eccleſię.

2 Præterea: Iudicium non eſt hominis poſt mortem, ſed Dei, qui ſecundum veritatem iudicat (vt ſcribitur ad Roma. 2.) Sed contra mentem iuſti iudicis H debet eſſe, vt duorum, qui ſunt in æquali pœna, vnus retardetur à gloria, & alius admittatur. Ergo non poteſt fieri potentia Papæ, quæ inferior eſt, vt vnus citius liberetur, quàm alius.

3 Præterea: Indulgentiæ, & ſuffragia valent homini ex virtute paſſionis Chriſti, qui æqualiter paſſus eſt pro illis, qui ſunt in æquali charitate. Cũ ergo illi, qui ſunt in æquali pœna in Purgatorio ſupponantur deceſſiſſe cum æquali charitate, nõ poteſt vnus citius liberari, quàm alius.

IN CONTRARIVM eſt. quia tunc fruſtra
E fierent in Eccleſia ſuffragia plura pro vno, quàm pro alio, ex quo æqualiter valerent pro omnibus.

RESOLVTIO.

Quamuis omnibus exiſtentibus in Purgatorio ſuffragia facta, vel indulgentia pro aliquo acquiſita proſint quantum ad charitatis communicationem: tamen quantum ad debiti ſolutionem, & ſatisfactionem non item, ſed ſolum illi, pro quo fiunt, vel acquiruntur. Hinc vnus citius, quàm alius liberatur.

RESPONDEO, dicendum, quòd iſta quæſtio fundatur ſupra * virtutẽ ſuffragiorũ, & indul- *al. veritatem.
gentiarum: vtrum prædicta facta pro aliquo valeant
F ſolum illi, pro quo fiũt, ad liberationem pœnæ: vel valeant etiam illis aliis. Ad quod aliqui dixerunt, ꝙ nõ magis valent illi, pro quo fiunt, quàm aliis: immo fortè magis aliis, ſi ſunt melius diſpoſiti ad recipiẽdum ſuffragiorum, ac indulgentiarum virtutem, & ponũt exemplum: Si enim accendatur cereus in domo pro aliquo diuite, illuminat omnes exiſtentes in domo: & fortè alios magis illuminat, quàm diuitem, pro quo accenſus eſt, ſi habent limpidiorem viſum. ſecundum ergo hanc opinionem dicendum eſt, ꝙ duorum, qui propter æquales culpas retinentur in Purgatorio in æquali pœna, non citius liberatur vnus, quàm alius: ex quo indulgentiæ, & ſuffragia proſunt æqualiter illis, qui ſunt æqualiter diſpoſiti. Sed Magiſter in 4. Magiſtri opinio.
G ſenten. 45. diſt. expreſsè dicit, ꝙ illi, pro quibus fiunt plura ſuffragia, & plures indulgentiæ acquiruntur, citius à pœnis Purgatorij liberantur. Confirmat hoc ſimiliter conſuetudo Eccleſiæ, quæ per communicationem indulgentiarum, & ſuffragiorum ponit illos à toto, vel à parte pœnæ liberari, pro quibus fiunt, & quibus ſpecialiter applicantur, & non alios.

Puto ergo, eſſe dicendũ, ꝙ ſiue ſuffragia, quę ſpecialiter applicantur alicui per charitatis cõmunicationẽ: ſiue indulgentiæ, quæ applicãtur ꝑ poteſtatis iuriſdictionem: dupliciter poſſunt valere alicui. Vno modo propter vnitatẽ charitatis, & dilectionis. & quia iſto modo omnes, qui ſunt in charitate, ſunt quaſi vnum corpus: & per conſequens bonum vnius redũdat in
H omnes, ſicut manus deſeruit toti corpori purgando oculum: & ſimiliter cuilibet corporis membro. iſto modo quodcunq; bonum factũ ab aliquo valet cuilibet in charitate exiſtenti. Iuxta illud Pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.

Alio modo poſſunt prædicta valere alicui propter intentionem debitæ ſolutionis, & ſatisfactionis: quia ſi talia ſpecialiter fiũt pro aliquo, & illi ſpecialiter applicantur ad ſatisfaciendum debitum, quod ipſe tenetur, ſic eſt ſolutum, & ſatisfactum ac ſi perſonaliter ſoluiſſet, vel ſatis feciſſet.

Dicen-

Dicendum eſt ergo, vt puto, ꝙ ſiue ſuffragia pro aliquo fiant ſpecialiter, ſiue indulgentiæ pro aliquo ſpecialiter acquirantur, omnibus proſunt, qui ſunt in Purgatorio, ex quo deceſſerunt in charitate, quantum ad charitatis communicationem. Omnes enim, qui ſciunt, gaudent ex charitate de bonis, quæ fiunt in Eccleſia. Sed quantum ad debiti ſolutionem, & ſatisfactionem ſolum illis proſunt, pro quibus ſpecialiter fiunt, & pro quibus acquiruntur. Vnde Papa per communicationem ſuffragiorum, & indulgentiarum poteſt facere, ꝙ duorum exiſtentium in æquali pœna in purgatorio, vnus citius liberetur, quàm alius. Et per hoc patet ſolutio ad rationes in oppoſitum.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT facere, quòd bona facta ab exiſtentibus in peccato mortali ſint meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio.

Magiſter lib. 4. ſent. diſt. 45. & omnino S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 71. art. 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit facere, ꝙ bona facta ab exiſtentibus in peccato mortali ſint meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio: quia nullũ agens poteſt habere actionem ad illa, quæ ſuæ actioni non ſubijciuntur: Sed illi, qui ſunt in Purgatorio, non ſubijciuntur iuriſdictioni Papæ: ergo non poteſt facere, vt bona Eccleſię ſint eis meritoria.

2 Præterea: Papa non poteſt ligare illos, qui ſunt in Purgatorio noua ligatione per ſubtractionem bonorum, quæ fiunt in Eccleſia. Ergo non poteſt eos abſoluere noua abſolutione per communicationem prędictorum bonorum.

3 Præterea: Qui non poteſt facere opus meritoriũ pro ſe, non poteſt facere pro alio: ſed ille, qui eſt in mortali peccato non poteſt facere pro ſe opus meritorium. Ergo non poteſt facere pro alio.

4 Præterea: Scribitur Iſa. 1. in perſona exiſtentium in mortali: Cum multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam. Ergo videtur, ꝙ bona facta ab eis non ſint meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa eſt communis diſpenſator theſauri Eccleſiæ, & omnium bonorum, quæ fiunt in Eccleſia. Sed illi, qui ſunt in Purgatorio, aliquo modo ſunt de corpore Eccleſiæ, cum communicent in charitate nobiſcum. Ergo poteſt eis bona Eccleſiæ communicare, à quibuſcunque fiant.

RESOLVTIO.

Bona facta ab exiſtentibus in peccato mortali proſunt ijs, qui ſunt in Purgatorio, ad velociorẽ liberationẽ conſequendam merito eorum, non abſoluto, ſed conditionali, quibus applicantur. meruerunt.n. dum viuerẽt, vt ſibi prodeſſent, quæ pro eis poſt mortẽ facta eſſent.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ quæſtio videtur dubia pro tanto: quia ſi bona facta ab exiſtentibus in peccato mortali poſſunt applicari illis, qui ſunt in Purgatorio per modum meriti; vel hoc eſſet ex parte facientis: vel ex parte Papę applicantis: vel ex parte illius, cui applicantur. Non primo modo ex parte facientis: quia ſupponitur eſſe in peccato mortali. bona autẽ, quæ fiunt in peccato mortali, meritoria nõ poſſunt eſſe. Et ſi dicatur, ꝙ ſint meritoria alicuius boni temporalis: quia ponitur communiter, ꝙ valeãt ad acquiſitionem gratiæ diſpoſitiuè, & ad augmentum bonorum temporalium: hoc non eſt, quòd ſint meritoria ex parte facientis: quia exiſtens in peccato mortali, pane non eſt dignus, quo veſcitur ſecundum Aug. Vnde quantum ex ſe: nec de congruo, nec de cõ- B digno per bona, quæ facit exiſtens in mortali, meretur aliquod bonum temporale, vel æternum. Sed verum eſt, quòd decet Deum bona quæcunque remunerare. Vnde dicit Anſelmus Proſologion cap. 10. Cum vero Domine parcis malis, & peccatoribus, iuſtũ eſt, non quia eorum meritis: ſed quia tuæ bonitati condecens eſt. Poſſunt ergo bona facta ab exiſtentibus in mortali eſſe meritoria alicuius boni temporalis: non propter facientem, ſed propter Deum remuneratẽ. Dato tamen, ꝙ ex parte facientis eſſent meritoria alicuius boni temporalis, non tamen, vt videtur, poſſunt eſſe meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio: quia illi nõ communicant nobiſcum aliqua naturali, & ciuili cõmunicatione, ratione cuius bona facta à peccatoribus poſſint prodeſſe illis, qui cum eis communicant tali C ciuili communicatione, dummodo ſint de genere bonorum: vel ad alleuiationem pœnę, vel abſolutionem culpæ: non enim communicant illi nobiſcum niſi in charitate. & ideo bona, quæ ab exiſtenti in mortali fiunt, non videtur ꝙ ſint eis meritoria, cum careant charitate. Ex parte vero Papæ applicantis ſimiliter quæſtio eſt dubia: quia Papa aliqua applicat fidelibus per poteſtatis iuriſdictionem: ſicut indulgentiã, quæ habet efficaciam ex theſauro recondito in Eccleſia ex paſſione Chriſti, & Martyrum: cuius eſt vniuerſalis diſpenſator per iuriſdictionem vniuerſalem, quam habet. Aliqua vero communicat per charitatis communicationem: ſicut orationes, eleemoſynas, & alia ſuffragia fidelium: Nunc autem ita eſt, ꝙ non videtur quòd illis, qui ſunt in Purgatorio, poſſit communicare indulgentias, cum ſuper illis nõ habeat iuriſdictio- D nis poteſtatem, eo ꝙ non uiuunt ſuper terram. Nec videtur, quòd poſſit communicare alia ſuffragia fidelium, dummodo non fiant in charitate: quia ex quo non eſt ibi radix communicandi, non poteſt eſſe meritoria ipſa communicatio prædictorum bonorum. Eodem modo, vt videtur, non poſſunt eſſe meritoria talia bona ex parte illius, cui applicantur: quia ille, qui eſt in Purgatorio, eſt in termino, nec eſt in ſtatu merendi. Dicit enim Apoſtolus: Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. (2. Cor. 5.) Ille autem, qui eſt in Purgatorio, non poteſt aliquid operari in corpore: quia ipſo caret. ergo non poteſt mereri, † vel demereri. Puto ergo, quòd ex dictis beati Aug. poteſt pie, & rationaliter dici, quòd bona, quæ fiũt in Eccle- ſia,

† Alphonſ. Caſt. lib. 12. aduerſus hæreſes, verbo Purgatoriũ. hæreſi. 2.

ſia, poſſunt eſſe meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio: vel per modum ſuffragiorum, vel per modum indulgentiarum ad relaxationem pœnæ. vel ad totalem liberationem, quantumcunque fiant ab exiſtentibus in peccato mortali. Diſtinguendum eſt tamen de merito: quia duplex eſt meritum: eſſentiale, & conditionale. Meritum eſſentiale eſt illud, quo quis meretur præmium eſſentiale, vt viſionem diuinam, ſua propria operatione procedente ex charitate. Meritum vero conditionale eſt illud, quo quis meretur pœnæ dimiſſionem, vel liberationem, ſi alius faciat pro eo poſt mortem illa, quæ ordinata ſunt ad pœnæ dimiſſionē: puta, ꝙ pro eo, & nomine eius recipiat indulgentias: & pro eo, & nomine eius faciat eleemoſynas, & alia bona, quæ fiunt in Eccleſia, quæ ordinata ſunt ad pœnæ liberationem, vel dimiſſionem. Illud autem meritum conditionale vocatur: quia non meretur quis tali merito ſua propria operatione: ſed cum merebatur merito abſoluto, & merito eſſentiali vitam æternam, & præmium eſſentiale per ſuam propriam operationem, tunc meruit quæcunque bona fierent in Eccleſia per deuotos, & amicos ſuos poſt mortem ſuam nomine ſuo ſibi eſſent meritoria ad pœnæ dimiſſionem, & velociorem liberationem. Et iſta videtur expreſſè ſententia Aug. 3. Enchi. licet magis clare loquatur de hac quæſtione ad Dulcitium in libro de octo quæſtionibus quæſt. 2. vbi ſic ait: Si dicantur bona facta per viuos prodeſſe defunctis: quomodo huic opinioni non ſit contrarium quod ait Apoſtolus: Omnes aſtabimus ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum? Admonet ergo hoc Apoſtolica ſententia ante mortem fieri, quod poſſit prodeſſe poſt mortem: non tunc quando iam recipiendum eſt prout * vnuſquiſque geſſit ante mortem: Et tunc ſubditur: Verum hæc quæſtio ita ſoluitur. quoniam quodam vitæ genere acquiritur dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent iſta defunctos: ac per hoc ſecundum ea, quæ per corpus geſſerint, eis, quæ poſt mortem religioſè pro illis facta fuerint, adiuuantur. Nā meritum, per quod iſta proſint, ſi nullum comparatum eſt in hac vita: fruſtra poſt hanc vitam quæritur: & tunc concludit: Nō eſt igitur negandum, Defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, & alia bona fiunt. ſed eis hæc proſunt, qui cum viuerent, vt hæc ſibi poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt.

Tomo 3. Tomo 4. — 1. Cor. 5. — * al quod

Quæſt. 2. ad Dulcitium. Puto ergo tenendum eſſe de quæſtione, ꝙ ſecundū intentionem B. Aug. bona facta ab exiſtētibus in peccato mortali meritoria ſunt exiſtētibus in Purgatorio ad pœnæ dimiſſionem, vel velociorem liberationem: non propter meritum facientium, quia illi mereri nō poſſunt, cum ſupponantur eſſe in peccato mortali: ſed propter illos, qui ſunt in Purgatorio, qui iam meruerunt per ea, quæ iam geſſerunt in corpore, dum adhuc viuerent, vt ſi qua bona pro eis fierent, valerent eis poſt mortem. Vnde Auguſtinus non dicit, ꝙ propter hoc eis valeant, ſi facta ſunt ex charitate, vel quæ meruerunt illi, qui faciunt; ſed dicit, ꝙ eis proſunt, qui dum viuerent, ſibi meruerunt, vt poſtea poſſint prodeſſe poſt mortem.

E

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illi, qui ſunt in Purgatorio, ſubijciuntur Papæ quantum ad meritum cōditionale: licet non quantum ad meritū eſſentiale.

AD ſecundum eſt dicendū, ꝙ non eſt ſimile, quia illi, qui ſunt in Purgatorio meruerunt per illa, quę geſſerunt in corpore, abſolui noua abſolutione, non tamen meruerunt ligari noua ligatione.

AD tertium patet ſolutio. quia talia bona non ſunt meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio ex parte facientis, dummodo ſit in mortali culpa: ſed ex parte eorum, propter illa, quæ geſſerunt in corpore, per quæ meruerunt, vt ſibi valerent poſt mortem: ſi fierēt eis aliqua bona, & per hoc patet ſolutio ad quartum. F

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA PER COMmunicationem Indulgentiæ poſſit totū locum Purgatorij expoliare.

Turrecremata de pænit. diſt. 1. 5. Item in Leuitico. q. 6. num. 73. Siluest. in uer. Papa. q. 4. §. 6. Et Armill. Tit. Papa. §. 11. Et Indulgentia q. 7. Et Barth. Syb. Dec. 1. cap. 3. q. 4. quæſtiuncula 14.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa per communicationem indulgentiæ non poſſit totum locum Purgatorij expoliare. quia nulla potētia inferior poteſt abſoluere ab eo, quod ſuperior obligauit, quacunque indulgentia. ſed Deus abſoluendo homines à culpa, & æterna pœna, ligat eos in Purgatorio ad temporalem pœnam. Papa ergo, qui eſt inferior, abſoluere non poterit per communicationem indulgentiæ, & per conſequens, nec locum expoliare. G

2 Præterea: Vt communicatio indulgentiæ valeat, requiruntur tria. Puta dantis auctoritas, recipientis charitas, & cauſa, prò qua fit, ſcilicet iuſtitiæ ęquitas, vel Eccleſiæ vtilitas. ſed ſi Papa expoliaret totum locū Purgatorij per communicationem indulgentiæ, non eſſet in tali indulgentia æquitas iuſtitiæ. & ſic per talem communicationem Purgatorium non expoliaretur. H

3 Præterea: Papa non poteſt Purgatorium expoliare niſi in virtute paſſionis Chriſti: Sed Chriſtus in ſua paſſione, & morte, quando deſcendit ad inferos, non expoliauit purgatorium. Ergo multo minus Papa per communicationem indulgentiæ poteſt ipſum ſpoliare.

4 Præterea: ſi Papa poteſt ſpoliare Purgatorium; ponamus ꝙ talis potentia reducatur ad actum. quia fruſtra eſt potentia, quę non reducitur ad actum. & ſi reduceretur ad actum: tolleretur ordo diuinæ iuſtitiæ, quæ ſtatuit purgatorium eſſe vſque ad diem iudicij.

IN

IN CONTRARIVM eſt: quia maius eſt abſoluere per orationem ab aliqua pœna infinita, q̃ per communicationem indulgentiæ abſoluere à pœna finita. ſed ponitur, ꝙ beatus Grego. Papa per ſuam orationẽ abſoluit † Traianũ à pœna inferni, quæ eſt infinita. Ergo multo fortiùs Papa per communicationem indulgentiæ poteſt abſoluere omnes, qui ſunt in Purgatorio à pœna illa, quæ eſt finita.

† De hac hiſtoria vide Melchiorem Canũ lib. xi. de locis Theologicis c. 2. & Somm lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 1. & Nauarrum in Manuali de oratione cap. 22. Hãc hiſtoriam recitat Damaſcenus in quodã ſermone pro mortuis: Et Ant. in Sũma p. 2. Alexãder verò de Aleſ ait Traianũ reſurrexiſſe oratione B. Gregorij, egiſſe pœnitentiã, & baptizatũ. B. Gregorius autẽ motus eſt ad orandũ pro eo, cũ audiſſet Traianũ dediſſe filium ſuum, & hæreditatẽ viduæ cuidam pro filio viduæ interfecto à filio ipſius Traiani. Vide Aegid. Romã. Quol. 1. q. 2.

Præterea, Omne infinitum poteſt exhaurire omne finitum ſibi ſubiectum. ſed Papa eſt diſpenſator meriti Chriſti, quod eſt infinitum. Ergo poteſt exhaurire omnem pœnam Purgatorij, quæ eſt finita.

RESOLVTIO.

Papa quantum ad abſolutam eius iuriſdictionem totum Purgatorium euacuare poteſt, quantum ad illos, qui ſunt de foro eius: quantum verò ad eius ordinatam executionem, non poteſt, nec debet.

RESPONDEO dicendum, ꝙ quæſtio iſta vnũ præſupponit & aliud quærit. Nam præſupponit Purgatorium eſſe: ſed quærit, an Papa per communicationem indulgentiæ poſſit Purgatorium expoliare. Rationabiliter autẽ præſupponitur eſſe † Purgatoriũ: quia illud confirmat auctoritas Apoſtoli, & ratio Auguſtini, & conſuetudo Eccleſię. Nam Apoſtolus 1. ad Corinth. 3. expreſſe dicit: ꝙ vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. quia ſi cuius opus permanſerit, ita ꝙ non ſit in eo aliquid cremabile, quod ſupra ædificauit, mercedem accipiet: Si vero opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe tñ ſaluus erit quaſi per ignem. Ratio vero Auguſtini in ſermone de igne Purgatorij eſt talis. Scribitur enim Sap. 7. ꝙ diuina ſapientia, in cuius fruitione noſtra beatitudo conſiſtit, eſt emanatio quædam claritatis Dei, & nihil inquinatum in ipſam intrat. quia nõ tranſibit per eam pollutus, & immundus, vt ſcribitur Iſa. 52. Sed peccatis venialibus, cum quibus multi tranſeunt de vita iſta, licet anima non occidatur, tamen quibuſdam puſtulis horrenda, & maculata, ſit vt ad amplexum cœleſti. Sponſi admitti non valeat: niſi igne purgetur, vt ibi Auguſtinus † dicit: Ergo neceſſarium eſt ignẽ purgatorium dare. Confirmat hoc ſimiliter conſuetudo Eccleſiæ, quæ orat pro defunctis: quæ quidem orationes fruſtra eſſent, ſi non eſſet aliqua pœna purgatorij: cum prædictæ orationes non proſint illis, qui ſunt in inferno; nec illis, qui ſunt in Paradiſo. Vnde manifeſtum eſt illos erraſſe, qui volentes vitare errorem Origenis ponentis omnes pœnas poſt mortem eſſe purgatorias, & terminabiles; in contrarium errorẽ prolapſi ſunt, ponentes nullam pœnam poſt mortem eſſe purgatoriam. Sed ſancta mater Eccleſia natat in medio. quia ponit poſt mortem pœnas aliquas purgatorias eſſe, eorũ duntaxat, qui abſque peccato mortali decedunt de hac vita: non tamen cum Origene confitetur omnes pœnas eſſe purgatorias. immo eos, qui cum peccato mortali decedunt, cõfitetur cum Diabolo, & Angelis eius eſſe æternaliter cruciandos. Quantum vero ad illud, quod quæſtio quærit: Vtrum Papa poſſit per communicationem indulgentiæ ſpoliare Purgatorium: videtur eſſe dicendum, quòd Papam poſſe ſpo-

† De hoc articulo aduerſus Luterũ grauiter diſputat Roffenſis artic. 37. & ſeq. & Alphonſus Caſt. lib. 12. aduerſus hęreſes, verbo: Purgatoriũ. Et Armilla tit. Purgatorium.

† To. 10. ſermo de Sanctis 41.

A liare Purgatorium tripliciter poteſt intelligi. Primo quantum ad abſolutam eius iuriſdictionem. Secundo, quantum ad eius ordinatam executionem. Tertio, quantum ad diuinam acceptionem, ita vt ſi faceret, quòd Deus acceptaret. Primo modo puto, quòd poteſt expoliare Purgatorium quantum ad omnes illos, qui ſubijciuntur iuriſdictioni ſuæ ſecundum meritum conditionale, vt ꝙ ſint aliqui, qui faciant pro illis illa, propter quæ ordinatæ ſunt indulgẽtię, & ſuffragia Eccleſiæ valere. Nam ſecundũ Aug. illis pſunt indulgentiæ, & ſuffragia Eccleſiæ, qui dum viuerent, meruerunt ſibi per charitatem, vt prodeſſent eis poſt mortẽ, ſi qua bona pro eis fierent per amicos, & deuotos. Exiſtentes ergo in Purgatorio carẽtes talibus, qui pro eis faciant illa, propter quæ ordinatæ ſunt indul-

Qõ. 2. ad Dulcitium.

B gentiæ valere, effectum indulgentiæ conſequi nõ valent. quia etſi poſſunt eis indulgentię applicari per intentionem dantis, non tamen poſſunt eis applicari, quantum ad cauſam, propter quam ordinatę ſunt indulgentiæ valere. Similiter quantũ ad illos, qui ſubijciuntur iuriſdictioni ſuæ ſecundum meritum ſacramentale. nam ſolũ illi ſunt de foro Papæ, qui ſaluantur, & qui decedunt cum charitate ad Purgatorium, qui de lege cõi fuerunt de foro Eccleſiæ militãtis per gratiã ſacramentorũ. Vnde ſuper illo verbo Apoſtoli 1. ad Corinth. 5. Quid mihi de his, qui foris ſunt, iudicare? nonne de his, qui ſunt intus, iudicamus: nã eos qui foris ſunt, iudicabit Deus. Dicit gloſſa, ꝙ iudicare de his, qui ſunt extra Eccleſiã Prælatis Eccleſiæ nõ eſt conceſſum. Quia ergo multi poſſunt eſſe in Purgato-

C rio, & forte ſunt, qui non fuerunt de foro Eccleſiæ militantis, dum viuerẽt: ſed immediate Deus eos ſaluos fecit per ſuam gratiam, quam ſacramentis Eccleſiæ non alligauit: Vult tamen Deus eos punire in purgatorio ſecundum taxationem ſuæ iuſtitiæ. Quantum ad tales, qui non ſubijciuntur iuriſdictioni Papæ ſecundum meritum ſacramentale, communicatio indulgentiæ non habet locum; ita ꝙ puto duo genera perſonarum eſſe in Purgatorio, vel ſaltem poſſe eſſe, quæ propriè non ſubijciuntur iuriſdictioni Papæ, & quibus indulgentiæ applicari non poſſunt per Papam, quantum ad ſatisfactionem pœnæ. Primo illi, qui carent merito conditionali, vt qui carent illis, qui pro eis faciant illa, propter quæ ordinatæ ſunt indulgentiæ valere. Secundo illi, qui carent merito ſa-

Qui nõ ſũt d foro Papæ, in Purgatorio.

D cramentali: vt qui ſaluati ſunt præter communem legem, & gratiam ſacramentorum. tales enim immediate ſaluantur per gratiam Dei ſacramentis non alligatam: ita vt immediate à Deo puniantur, & à pœna Purgatorij relaxentur ſecundum taxationem ſuæ iuſtitiæ. Præter iſtos ergo duos gradus perſonarum, quantum ad omnes alios puto, quòd Papa poſſit Purgatorium expoliare. Et illud probatur tali ratione: Papa poteſt omnium illorum pœnam tollere per ſatisfactionem, & communicationem indulgentiæ, in quibus poteſt vti clauibus Eccleſiæ: & dico per communicationem indulgentiæ: quia Papa poteſt vti clauibus ad remiſſionem peccatorum dupliciter. Primo mediante ſacramento, vt baptizando, vel confeſſiones audiendo. Secundo ſine ſacramento, indulgentias faciendo, & ſuffragia Eccleſiæ communicando.

In primo caſu tantum poteſt Papa, quantam poteſtatem Deus dedit ſacramento, ita ꝙ non melius datur ſacramentum à meliori, & deterius à peiori, vel à minori. quia ſecundum Auguſti. per diuerſos miniſtros Dei munus æquale eſt. In ſecundo vero caſu Papa tantum poteſt, quantam poteſtatem Deus dedit officio: De qua poteſtate ſcribitur Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum. Iſto nanque modo Papa poteſt per cōicationem indulgentię omnium illorum pœnā tollere, in quibus poteſt vti prædictis clauibus Eccleſiæ: ſed Papa poteſt vti clauibus Eccleſiæ in omnibus, qui ſunt in Purgatorio, ſubiectis iuriſdictioni ſuæ quantum ad meritum conditionale: quia omnes tales habent pro eis poſt mortē illa, propter quæ indulgentia ordinata eſt valere: & quantum ad meritū ſacramentale: quia omnes tales fuerunt Eccleſiæ milites: & ſaluati ſunt ſecundum communem gratiā ſacramentalē: Ideo omnes poſſunt ſtipendiari theſauro Eccleſiæ. Sequitur ergo quantum ad omnes prædictos, ꝙ Papa poſſit Purgatorium ſpoliare. Loquendo ergo de poteſtate Papę primo modo quantum ad abſolutam eius iuriſdictionem, videtur eſſe dicendum ꝙ Papa poſſit Purgatorium ſpoliare, quantū ad omnes iſtos, qui ſubijciuntur iuriſdictioni ſuæ.

Lib. 3. cōtra Creſc. Grā. c. 6.

Loquēdo vero ſecūdo modo de tali poteſtate, quātū ad eius ordinatā executionē: puto, ꝙ Papa non poſſit, nec debet, & iſtud probatur tribus rationibus. Prima eſt talis: Potentia Papæ iuſta, & rationalis non reducitur, nec debet reduci ad actum per voluntariā affectionem; ſed per rationabilem rationem: ſed ſi talem potentiam Papa reduceret ad actum, ſic, ꝙ totū Purgatoriū ſpoliaret, non eſſet ibi legitima ratio: ſed potius voluntaria affectio: Ergo tali legitima poteſtate Papa non poteſt, nec debet. Secunda ratio eſt talis, Papa illud poteſt recto vſu clauium ordinaria, & legitima poteſtate, quod facit poteſtate non excedente, & clauę ſcientię non errante. ſed ſi totum Purgatorium ſpoliaret, eſſet exceſſus poteſtatis, & error ſcientiæ. quia non eſſet iuſta, & rationabilis cauſa, vt dictum eſt. ergo legitima, & rationabili poteſtate illud nō poteſt, nec debet. Tertia ratio eſt talis: legitima, & rationabili poteſtate theſaurus Eccleſiæ non eſt aperiendus, niſi militibus Eccleſię, & illud duntaxat pro* vtilitate Reipublicæ. quia ſicut videmus, ꝙ theſaurus corporalis non diſpenſatur niſi militibus pro Republica laborantibus; ſic theſaurus ſpiritualis aperiri non debet, niſi pro vtilitate Eccleſiæ. ſed multi ſunt in Purgatorio, qui non fuerunt milites Eccleſiæ militantis ſecundum vniuerſalem legem, & ſecundū gratiā communem ſacramentalem. Multi ſunt ſimiliter, qui carent illis, qui faciant pro eis pertinentia ad vtilitatem Eccleſiæ, pro qua ordinatum eſt, indulgentias valere. Ergo poteſtate legitima, & ordinaria talibus, theſaurus Eccleſiæ aperiendus non eſt. Sed loquendo tertio modo quantum ad diuinam acceptionem. vt ſi Papa illud faceret, quod applicaret intentionem ſuam indulgentiam communicando omnibus, qui ſunt in Purgatorio, volendo prædictum locum expoliare, an Deus haberet acceptum; Dico, ꝙ ignotum eſt mihi, & puto, ꝙ ignotum ſit cuilibet creaturæ, & ipſimet Papæ. Nec credo, ꝙ Papa poſſit ſcire totum, quod poteſt

* Al neceſſitate.

E facere per potentiam ſuam, & potiſſime quod poteſt facere per cōicationem theſauri Eccleſię: & iſtud ſimiliter probatur tribus rationibus: quarum Prima eſt talis: Illa potentia eſt homini ignota, quę eſt in virtute voluntatis, & æquitatis ſibi ignotæ: ſed Papa agit in virtute, & æquitate Dei, quę ſibi eſt ignota. Ergo ſimiliter poſſe Papæ eſt ſibi ignotum. Secunda eſt talis: Quando aliqua duo ſunt relatiua ad inuicem: ſi vnū relatiuorum eſt ignotum, & reliquum: ſed potentia, & actus ſunt relatiua: Ergo cum potentia Papę ſit infinita; quia eſt reſpectu theſauri infiniti; & omne infinitum ſit ignotum: erit ſimiliter actio eiuſdem potentiæ ſibi ignota. Tertia eſt talis. nam dupliciter poteſt homo ſatisfacere pro delicto. Primo ſatisfactione exigentiæ. & ſic quilibet ſatisfacit pro ſeipſo. F Secundo ſatisfactione condecentiæ. Et ſic vnus poteſt ſatisfacere pro alio. ſed in communicatione indulgentiæ attenditur ſatisfactio condecentiæ: quia theſauro paſſionis Chriſti ſatisfit pro pœna illorum, qui ſunt in Purgatorio. Cum ergo talis ſatisfactio conſiſtat in Dei acceptatione, ſicut acceptatio Dei eſt ignota Papę, & cuilibet creaturæ; ita & talis ſatisfactio, quæ fit per communicationem indulgentiæ, ignota eſt ſibi.

Ad Argumenta.

AD PRIMAM ergo rationem in contrarium eſt dicendum, ꝙ potentia inferior poteſt abſoluere ad quod potentia ſuperior obligauit: ſecundum tamen ordinationem potentiæ ſuperioris. Sed Chriſtus or- G dinauit abſolutos à culpa abſolui à pœna Purgatorij per ſatisfactionem paſſionis ſuæ, & ſic Papa abſoluit ſecundum talem ordinem.

AD ſecundum eſt dicendum. ꝙ bona Eccleſiæ, vt communicatio ſuffragiorum, & indulgentiarum dupliciter poſſunt valere fidelibus. Primo per modum meriti: & ſic valent omnibus, qui ſunt in charitate, ſiue ſint in Purgatorio, ſiue in præſenti vita, quia omnes gaudent de bonis, quæ fiunt in radice charitatis. Alio modo per modum ſatisfactionis pœnæ, & iſto modo valent illis, qui faciunt, vel pro quibus fiunt illa, propter quæ ordinatum eſt, indulgentias valere. vnde concedo, quòd ſi pro eis talia non fiant: non valent eis indulgentiæ ad ſatisfactionem pœnæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus principa- H liter paſſus eſt pro ſatisfactione peccati originalis: & ideo cum deſcendit ad inferos non ſpoliauit Purgatorium, ſed ſpoliauit Lymbum ſanctorum Patrum: qui ibi detinebantur pro dicto peccato.

AD quartum eſt dicendum, quòd potentia Papæ eſt potentia rationalis: & ideo legitima cauſa, & ratione exiſtente; debet reduci ad actum iſtum, qui eſt communicatio indulgentiæ; & ſi ſic reducitur, ordo diuinæ iuſtitiæ non deſtruitur; ſed includitur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA PER communicationem indulgentiæ poſsit contritos, & confeſſos ſic à tota pœna, & culpa abſoluere, vt non tranſeant per ignem Purgatorij.

Syluester in ſumma, verbo: indulgentia. in fine, Auctorē hunc & citat, & doctrinā eius ſequitur in hoc articulo.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa per communicationem indulgentiæ non poſſit contritos, & confeſſos ſic à pęna, & à culpa abſoluere, vt non tranſeant per ignē Purgatorij. Quia Papa non poteſt contra ordinem diuinæ iuſtitiæ. Sed ſic abſoluendo, tolleretur ordo diuinæ iuſtitiæ, qua taxatum eſt, quòd pro tanta culpa debeat pati tantam pœnam.

2 Præterea: Vnum infinitum non poteſt tollere, niſi vnū infinitum; ſed cuilibet peccato mortali debetur pœna infinita. Ergo theſaurus Eccleſiæ, qui eſt infinitus, nō poterit tollere niſi pęnā vnus peccati mortalis.

3 Præterea: Si contriti, & confeſſi per communicationem indulgentiæ abſolui poſſent ab omni culpa, & pœna, ſtatim euolarent abſque pœna Purgatorij: ſed hoc eſt falſum, quia multa peccata poſſunt haberi, de quibus confeſſi non ſunt, aut propter ignorantiam, aut propter obliuionem, ex quibus nihil deperit diuinæ iuſtitiæ, quin puniantur in Purgatorio.

4 Præterea: Si contriti, & confeſſi ſtatim euolarent per talem indulgentiam, periret æquitas iuſtitiæ, & perfectio charitatis: quia vnus illorum, qui conſecuti ſunt indulgentiam, poteſt eſſe in maiori charitate, quàm alius, & plura feciſſe pro vtilitate Reipublicæ, quàm alius, citius ergo debet euolare.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa poteſt totum Purgatorium ſpoliare per communicationem indulgentiæ, vt in alia quæſtione dictum eſt: ſaltem quantum ad illos, qui ſubijciuntur iuriſdictioni Papę. Ergo poteſt per talem communicationem contritos, & confeſſos à tota * culpa abſoluere.

RESOLVTIO.

Papa fideles ſuos per communicationem indulgentię ſic à tota culpa, & pęna, liberare poteſt; vt per ignē Purgatorij non tranſeant, ſeruata voluntatis applicantis determinata intentione, clauiſque ſcientię determinata diſcretione, cum clauis potentię recto vſu, determinataque iuriſdictione: modo in recipiente ſit fides in intellectu, charitas in affectu per contritionem, & confeſſionem, ac tota impletio in effectu illius, pro quo facta eſt indulgentia: quatuor tamē retardatiuis ablatis: indulgentię videlicet taxatione, peccati ignorātia, vel obliuione: peccati mortalis ſequentis indulgentiam perpetratione, culpęq; venialis expurgatione.

A RESPONDEO, dicendum, quòd vt communicatio indulgentiæ habeat completum, & vniuerſalem effectum, quantum ad totam remiſſionem peccatorum in contritos, & confeſſos, ita vt decedentes ſtatim euolent, & per Purgatorium non tranſeāt: aliqua requiruntur ex parte indulgentiam facientis: aliqua ex parte recipientis: & aliqua ex parte retardationis pœnæ, quibus talem indulgentiam conſecuti retardantur, vt non ſtatim euolent.

Propter primum eſt intelligendū, ꝙ Papa, qui eſt vniuerſalis diſpenſator theſauri Eccleſiæ, non poteſt prædictū theſaurum aperire, niſi quibus ipſum applicat per claues Eccleſiæ. Aliquid ergo requiritur ex parte ipſius applicationis vt totalis, vel partialis intētio, vt videlicet, applicet intentionem ſuam vel ad partem, B vel ad totam remiſſionem peccatorum. Ex parte vero clauis potentiæ requiritur recta, & determinata iuriſdictio, vt ita ſit rectus vſus talis clauis ſcientiæ: ꝙ terminum ſuæ iuriſdictionis non excedat: vtpote quòd faciat indulgentias, quibus non poteſt, & de quibus non poteſt. Sed ex parte clauis ſcientiæ requiritur cognitio, & iuſta diſcretio: vt ſic ſit rectus vſus talis clauis ſcientiæ, quatenus indulgentiam faciat non pro libera voluntate, & affectione: ſed ſecundum iuſtam cauſam vtilem, & rationabilem. Tria itaque requiruntur ex parte facientis indulgentiam.

Primo, eius voluntatis applicantis determinata intentio. Secundo, clauis potentiæ rectus vſus, & determinata iuriſdictio. Tertio, clauis ſcientiæ rectus vſus, & determinata diſcretio. Et quodcunq; iſtorū triū ex C parte faciētis indulgentiā deficit: puto ꝙ ipſa indulgētia non cōſequatur effectū ſuū, ſaltē totū, & cōplete.

Propter ſecundū eſt intelligendum, ꝙ ex parte recipientis indulgentiā tria ſimiliter requiruntur. Primo, ꝙ talis, qui conſequitur indulgentiam, habeat fidem in intellectu, qua credat, Eccleſiam talem indulgentiam poſſe facere: quia ſi illud non crederet, nihil reciperet. Secundo, ꝙ habeat charitatem in affectu, vt ꝙ ſit vere cōtritus, & cōfeſſus: Nam per contritionē homo recōciliatur Deo: per cōfeſſionē recōciliatur & Eccleſię: & tunc numero, & merito eſt de numero militū Eccleſiæ, quibus theſaurus debeat aperiri pro ſatisfactione pœne. Tertio, ꝙ habeat impletionē cauſæ, pro qua fit indulgentia in effectu: & ꝙ cōpleuerit voto, & effectu illud, pro quo facta eſt indulgētia. Et iſta tria tangit Papa † in forma concilij generalis dicens: D Omnibus, qui laborem proprijs perſonis, & expenſis ſubierint, plenā ſuorum peccaminū, de quibus veraciter fuerunt cōtriti corde, & ore confeſſi, veniā indulgemus: Eis autē, qui proprijs expenſis iuxta facultatē alios deſtinauerint: vel alienis expēſis in proprijs perſonis acceſſerint, ſimiliter plenā indulgentiā concedimus ſuorū peccatorum. Ex parte ergo recipientis indulgentiam requiritur, ꝙ habeat fidē in intellectu, & charitatē in affectu, ſaltem quantū ad coniecturā verę confeſſionis, & contritionis: & tertio ꝙ habeat completionem cauſæ, pro qua facta eſt indulgentia in effectu. Et quòdcunque iſtorum trium deficiat ex parte recipientis indulgentiam, puto quòd effectum eius non conſequitur completum.

Propter tertium autem eſt ſciendum, quòd quatuor

† Scilicet Innocētius. 3. in Concilio Lateran. pro expeditione pro recuperanda Terra Sancta.

* al. pœna

E tuor poſſunt retardare conſecuturos talem indulgentiam ſecundum modum ſupradictum, vt non ſtatim euolent. Primum eſt formæ indulgentiæ taxatio, vt ſi dicatur: Indulgentiam ſibi plenam omnium peccatorum ſuorum de pœnitentia ſibi iniuncta indulgemus; tunc ſi moreretur, nõ ſtatim euolaret: quia maior pœnitentia debuit ſibi iniungi, quàm ſibi fuerit iniuncta, & pro illa, quæ debuit ſibi iniungi, punit' in purgatorio. (Notãdum.)

Secundũ eſt, alicuius peccati ignorãtia, vel obliuio: quia non niſi de confeſſis conſecutus eſt indulgentiã.

Tertium eſt peccati mortalis ſequentis indulgentiam perpetratio, de quo licet poſtmodum confiteatur, pro ſatisfactione tamen eius non conſecutus eſt indulgentiam.

Quartum eſt culpæ venialis expurgatio, cum qua contriti, & confeſſi poſſunt decedere: quia ſimul ſtat cum gratia: à qua ſecundum Auguſtinum: niſi anima expurgetur, ad amplexum cęleſtis Sponſi admitti non poteſt. (Serm. 41. de Sanctis. Tomo 10.) F Si ergo iſta quatuor contritos, & confeſſos non impediant, & concurrant illa, quæ dicta ſunt ex parte facientis indulgentiam, & ex parte recipientis, puto quòd Papa ſic poteſt à tota pœna, & culpa abſoluere, vt per ignem purgatorium non tranſeant; & iſtud ad præſens probatur tribus rationibus.

Prima talis eſt: Chriſtus poteſt totam pœnam tollere. Ergo & Papa; iſta cõſequẽtia probatur per glo. ſuper illo verbo 2. ad Corinth. 2. Si quid vobis condonaui propter vos, donaui in perſona Chriſti. vbi dicitur: ac ſi Chriſtus condonaſſet, ne irrita videatur conatio, quæ propter amicos fit.

Secunda eſt talis: vnus poteſt pro alio ſatisfacere ſecundum intentionem facientis; ſed Chriſtus meritum ſuæ paſſionis applicauit pro ſatisfactione omniũ de Eccleſia. Ergo applicatum eis per communicationem indulgentiæ modo ſupradicto pro omnibus eſt ſatisfactum †.

† Forſan legendum ſatisfactiuum.

Tertia eſt talis: Quod eſt valoris infiniti, debitum quodcunque poteſt ſoluere; ſed meritum paſſionis Chriſti fuit valoris infiniti. Iuxta illud Sap. 7. Infinitus eſt theſaurus datus hominibus, quo qui vſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei. Debitum ergo quodcunque potuit, & poteſt ſoluere.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd ordo diuinæ iuſtitiæ non tollitur. quia culpæ correſpondet pęna, vel ſua, vel alterius pro ipſo, & in communicatione indulgentiæ tollitur pœna pro culpa, ratione pœnæ Chriſti patientis pro ſuis membris.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd culpæ mortali debetur infinita pœna ratione Dei offenſi, qui eſt infinitus: & ideo ex virtute eius poterit relaxari omnis pœna debita culpæ in eum commiſſæ.

AD tertium eſt dicendum, quòd retardatur in purgatorio pro peccato non confeſſo: ſicut ſupra dictũ eſt.

AD quartum eſt dicendum, quòd dũmodo impleat cauſam indulgentiæ, exiſtens in maiori charitate, vel minori, vel faciens plus pro vtilitate Eccleſiæ, vel minus, ſecundum formam datam, quilibet pariter euolat. Sed vnus de præmio eſſentiali plus conſequitur de gloria, quàm alius.

QVAEST. XXXIII. DE ILLIS, QVI SVNT INFRA TERRAM, QVI NEC ſunt, nec fuerunt de Eccleſia.

DEINDE conſiderandum eſt de illis, qui ſunt infra terram: Qui nec ſunt, nec fuerunt de Eccleſia. Circa quod quæruntur quatuor. G

Primo, Vtrum Papa per communicationem indulgentiæ poſſit abſoluere pueros non baptizatos.

Secundo, Vtrum Papa per communicationem indulgentiæ poſſit abſoluere pueros non circumciſos.

Tertio, Vtrum Papa per communicationem indulgentiæ poſſit Lymbum puerorum expoliare.

Quarto, Vtrum Papa per communicationem indulgentię poſſit pueris in Lymbo exiſtentibus ianuam Paradiſi aperire. H

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA PER communicationem indulgentiæ poſſit liberare pueros non baptizatos.

S. Thomas par. 3. quæſt. 52. art. 7. & opuſculo. 3. c. 243.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa per communicationem indulgentiæ poſſit pueros non baptizatos liberare. quia impotentia maxime meretur indulgentiam recipere: ſed pueri non potuerunt peccatũ originale vitare. Ergo indulgentia maxime eis debetur.

2 Præterea: Indulgẽtię fiunt virtute paſſionis Chriſti; ſed pueri ſunt potiſſime capaces meriti paſſionis Chriſti: cum non contraxerint niſi originale peccatũ, ad quod tollendum Chriſtus principaliter paſſus eſt.

Præterea:

3 Præterea: Qui per alium peccauerunt, iuſtum eſt, A
per alium liberari. ſed pueri per alium peccauerunt: quia per Adam: iuſtum ergo eſt per Ieſum Chriſtū liberari. Dicit enim Apoſtolus ad Roman. 5. quia ſicut vnius hominis delicto multi mortui ſunt: ita vnius hominis gratia (domini Dei) in plures abundauit.

IN CONTRARIVM eſt: quia indulgentia non communicatur, niſi habenti gratiam: ſed pueri non habuerunt gratiam perſonalem, quia non habuerunt vſum liberi arbitrij, nec gratiam ſacramentalem: quia non fuerunt baptizati. Ergo eis indulgētia communicari non poteſt.

RESOLVTIO.

Indulgentia, cū ex merito paſſionis Chriſti & Martyrum virtutē habeat; non niſi Chriſti militibus per baptiſmum ſaltem effectis dari poteſt. B

RESPONDEO dicendum, quòd indulgentiæ ſiūt de theſauro eccleſiæ collecto ex merito paſſionis Chriſti, & Apoſtolorum, & Martyrum. Illi ergo poſſunt ſtipēdiari tali theſauro, qui fuerunt Chriſti milites. Chriſti autem militiam homo profitetur in baptiſmo: quia tunc conſepelitur morti Chriſti, per quam ipſe de Diabolo triumphauit. Iuxta illud ad Roma. 6. Conſepulti enim ſumus cum Chriſto per baptiſmum in morte, vt quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Pueri ergo non baptizati, quia C
non fuerunt conſignati militia Chriſti per baptiſmū, theſauro paſſionis Chriſti ſtipendiari non poſſunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd peccatum puerorum remiſſibile eſt Chriſti paſſione. Sed quòd non remittatur, prouenit ex eorum indiſpoſitione: ſicut peccatum veniale, quantum eſt de ſe, non meretur æternam pœnam: ſed quòd æternaliter puniatur in damnatis, hoc eſt ratione adiuncti, quia cōiunctum eſt mortali peccato, cum quo ipſi damnati deceſſerunt.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd pueri non baptizati capaces eſſent meriti paſſionis Chriſti, ſi deſtitiſſent eſſe membra Adæ, per cuius peccatum origi- D
nale peccatum contraxerunt: & effecti eſſent membra Chriſti, cuius morte tale peccatum deletū eſt. ſed per carentiam baptiſmi carent tali tranſlatione, vt deſiſterent eſſe membra Adæ, & efficerentur membra Chriſti: & per conſequens carent fructu indulgentiæ paſſionis Chriſti.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut pueri peccauerunt per alium, ita per alium ab illo peccato liberari potuiſſent; ſi illi per quem poterant liberari fuiſſent incorporati per gratiam perſonalem, vel per gratiam ſacramentalem; & quia neutrum habuerunt, liberari non potuerunt.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA PER communicationem indulgentiæ poſſit liberare pueros non circumciſos.

S. Thomas 3. par. quæſt. 70. art. 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa per communicationē indulgentiæ poſſit abſoluere pueros non circūciſos: Quia poſt aduentum Chriſti circumciſio nihil operat' ad ſalutē: vnde dicit Apoſtolus ad Galat. 5. quòd in Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputiū. Propter priuationē ergo circumciſionis pueri non debent priuari indulgentia Chriſti.

2 Præterea: Sancti Patres per paſſionem Chriſti fuerunt liberati: multo ergo magis per indulgentiam Chriſti eorum filij debent liberari.

3 Præterea: Circumciſio non conferebat gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis: quia ſicut lex vetus nihil ad perfectum deduxit, vt dicitur ad Hebr. 7. ſic circumciſio, quæ erat ſacramentum illius legis, nihil ad perfectum deducere potuit. Pueri ergo non habentes vſum rationis: ex quo per fidem propriam, gratiam recipere non potuerunt, per priuationē circumciſionis fructu paſſionis Chriſti priuari non debent.

IN CONTRARIVM eſt. Quia nulli poteſt communicari indulgentia, niſi ſit numeratus in populo Dei, & membrum Chriſti factus. Sed ſcribitur Gen. 17. Ille, cuius præputij caro circumciſa non fuerit, peribit de populo meo: quia pactum meum irritum fecit. Pueris ergo non circumciſis indulgentia non poteſt communicari.

RESOLVTIO.

Pueri non circumciſi in lege veteri, membra Chriſti non facti carentia circumciſionis indulgentiam recipere non poſſunt, ſicut pueri non baptizati in lege noua.

RESPONDEO dicendum, quòd ſiue in circumciſione conferretur gratia ex ipſius circumciſionis efficacia, ſiue ex ipſius Dei pactione, & inſeparabili concomitantia: quia Deus ſic pepigit cum populo illo, quòd quicunque reciperet illam circumciſionem, gratiam reciperet, & à peccato originali mundaretur, vt aliqui dicunt. Idem tamen auxilium ſalutiferæ curationis contra originalis peccati vulnus agebat circumciſio in veteri lege, quod nunc agere baptiſmus conſueuit tempore reuelatæ gratiæ: excepto hoc ſolum, q regni cœleſtis ianuam nunquam intrare poterant, tantum in ſinu Abrahæ poſt mortē beata requie conſociati ſupernæ pacis ingreſſum fœlici ſpe expectabant: vt expreſſe dicit Beda ſuper Lucam. Sicut ergo pueri non facti membra Chriſti in lege noua per baptiſmum, indulgentiam

Chriſti recipere non valent : ita pueri non facti mem bra Chriſti in veteri lege per circumciſionem, recipere non poſſunt.

Ad Argumenta.

A d P r i m v m ergo eſt dicendum, quòd circumciſio nihil operatur ad ſalutem illis, qui per baptiſmum tenētur effici membra Chriſti, poſt eius aduentum in noua lege : ſed in veteri lege, non tenebātur effici per baptiſmum membra Chriſti, ipſo nondum inſtituto : immo per circumciſionem pro illo ſtatu locum baptiſmi tenentem. Ideo eadem ratio eſt de priuatione utriuſque.

A d ſecundum eſt dicendum, quod non eſt ſimile : quia in Sanctis patribus erat gratia perſonalis, & F ſacramētalis, per quam membra Chriſti ſunt effecti : & effectum paſſionis eius perceperunt, quod nō fuit de eorum filijs.

A d tertium eſt dicendum, quod ſi non conferebatur gratia ex vi ſacramenti, aut ex ipſius circumciſionis efficacia : propter ipſius tamen Dei pactionem & ordinationem, conferebatur ex quadam inſeparabili concomitantia.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA PER communicationem Indulgentiæ poſſit Lymbum puerorum expoliare.

Ricardus lib. 4. ſent. diſt. 45. art. 1. q. 2. & ibidem Sotus q. 1. art. 2.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa per communicationem indulgentiæ poſſit Lymbum puerorum expoliare. Quia maior eſt pœna ſenſus, quàm pœna damni : cum pœna damni minima dicatur eſſe. Sed locus purgatorij, in quo exiſtentes puniuntur pœna ſenſus, expoliari poteſt per communicationē indulgentiæ, & finaliter locus ille ex merito paſſionis Chriſti totaliter deſtrueretur. Ergo multo fortius Lymbus puerorū poteſt expoliari per communicationem indulgentiæ, in quo exiſtentes puniuntur ſolum pęna damni.

2 Præterea : In Lymbo ponuntur illi, qui ſunt pro peccato originali. Sed per paſſionem Chriſti fuit ſpoliatus Lymbus Sanctorum Patrum, qui pro tali peccato ibidem tenebantur. Ergo multo magis per indulgentiam paſſionis Chriſti Lymbus puerorum poteſt expoliari.

3 Præterea. Lymbus puerorum ponitur eſſe in cētro terræ, cum ponatur eſſe quædam pars inferni. ſi ergo non expoliaretur, intentio naturæ fruſtraretur. quia tunc grauia ad centrum ferri non poſſent.

I n C o n t r a r i v m eſt. quia locus non poteſt expoliari, permanente locato : ſed pueri non bap E tizati, & non circumciſi, perpetuo ibi remanebunt. Ergo prædictus locus expoliari non poteſt.

RESOLVTIO.

Locus Puerorum non baptizatorum, & incircumciſorum intactus æternaliter permanebit, ſicut & ille damnatorum.

RESPONDEO dicendum, ꝙ ſicut dicit Gregorius 29. moralium cap. 7. Occulta inferni nullo nobis naturali ſenſu penetrantur : Auguſtinus tamen vnum de iſtis occultis conatus eſt penetrare : Alterum vero ſub dubio, & impenetratum reliquit. Hoc enim aſſerit certum de inferno, quòd nunquam infernus
F in bonum accipitur : Vnde dicit 12. ſuper Gen. Nondum inueni, & adhuc quęro. neque mihi occurrit, inferos alicubi in bonam partem poſuiſſe Scripturam dumtaxat canonicam. Vbi autem ſit, & in quo loco terræ, vel mundi in lib. de Ciuit. Dei ſub dubio & impenetratum relinquit. 12. tamen ſuper Gen. aſſertiue videtur loqui, ꝙ infernus ſit infra terrā propter tria.

Tomo 3. c. 33.

Tomo 5.

† Primo propter nominis interpretationem. Quia inferi eo, quòd in terra ſint, latine appellantur. ſicut enim ſecundum ſpiritum inferiora ſunt omnia terreſtria, ita ſecundum corpus (vt ait) inferiora ſunt omnia grauiora, cuiuſmodi terra eſt.

† Hanc materiam tractat fuſiſſimè Barth. Syb. Decade 1. c. 3. q. 3. quæſtiuncula 1. 2. 3. & 4.

Secundo propter cōgruam ſignificationem : Nam quia defunctorum animæ amore inferioris carnis peccauerunt, digne mortuæ carni hoc exhibetur, vt ſub
G terra recondatur.

Tertio propter Chriſti viſitationem. Quia Chriſtus viſitaturus infernum ad inferiores partes terrę dicitur deſcendiſſe. Iuxta illud Apoſtoli ad Ephe. 4. Quod autem aſcendit quid eſt, niſi quia & deſcendit primum ad inferiores partes terræ. in quibus quatuor loca erant ante eius mortem. Vnus inferior : puta infernus damnatorum. Alius ſuperior, vt Lymbus puerorum. Tertius adhuc illo ſuperior, vt locus Purgatorij. Quartus adhuc illo ſuperior, vt Lymbus Sanctorum Patrum : quem Chriſtus expoliauit. Iuxta illud Zacha. 9. Tu autem in ſanguine teſtamēti tui eduxſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Locus vero Purgatorij non ſpoliabitur vſque ad finē mundi. Alia vero duo intacta æternaliter pmanebūt.

H

Ad Argumenta.

A d P r i m v m ergo eſt dicendum, quòd non ſemper quando tollitur minus, poteſt tolli maius : gratia enim poteſt tollere peccatum mortale, & non tollit peccatum veniale. Non enim valet talis propoſitio, niſi quando minus ordinatur ad maius, & econuerſo. Vel poteſt dici, ꝙ licet pœna damni ſit minima reſpectu pœnæ ſenſus, quantum ad doloris perceptionem : non tamen eſt minima, quantum ad perpetuam durationem.

A d ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia Sancti Patres nō detinebantur in Lymbo pro peccato originali, vt erat infectio perſonę, quia ſic a tali peccato purgati erant per gratiam ſacramētalem,

& per-

& perſonalem : detinebantur ergo ibi ſolum pro tali peccato, vt erat infectio naturæ, donec per Chriſti paſſionē pro tota humana natura pretium ſolutum eſt, ſic autem non eſt de pueris.

A D tertium eſt dicendum, quòd non eſt inconueniens, ꝙ virtute diuina impediantur grauia, ne ad centrum terrę deſcendant, ſicut in terra ſunt multæ cauernæ, ad quas grauia non deſcendunt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA PER communicationem Indulgentiæ poſſit pueris in Lymbo exiſtentibus ianuam Paradiſi aperire.

Citati in præcedenti articulo.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa per communicationem indulgentię poſſit pueris exiſtentibus in Lymbo ianuā Paradiſi aperire. Quia poteſt aperire damnatis : ergo multo magis pueris. Scribitur Lucæ 15. ꝙ diues ille exiſtens in tormentis damnatorum vidit Lazarum in ſinu Abrahæ : quia ſinus Abrahæ ſecundum Auguſtinum 12. ſuper Gen. c. xxxiij. cum non accipiatur niſi in bono, non poteſt inferni nomine comprehendi. (Tomo.3.)

2 Præterea : videre Chriſtum eſt Paradiſus ; iuxta illud Ioan.17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum: Sed pueri, & omnes alij videbunt Chriſtum, quia videbit eum omnis oculus, etiam qui eum pupugerūt. vt ſcribitur Apoc.1.

3 Præterea : Pueri priuati ſunt luce ſpirituali, non corporali. Ergo ſaltem Paradiſus corporalis poteſt eis aperiri.

I N C O N T R A R I V M eſt: quia dolor, & pœna non compatiuntur ſecum gaudio Paradiſi ; ſed pueri ſunt in doloribus pœnarū multo magis, quàm ſancti Patres liberati per Chriſtum : De quibus tamen dicitur Act.2. Deus ſuſcitauit Chriſtum à mortuis, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat illum teneri ab eo.

E

R E S O L V T I O.

Pueris exiſtentibus in Lymbo eodem peccato Adæ adſtrictis Paradiſus terreſtris aperiri non poteſt, ex quo ipſe expulſus eſt: nec Paradiſus Beatorum: nec ille ſpiritualis, cum carentia viſionis diuinæ perpetuò illis inſit.

R E S P O N D E O, quòd ſecundum Auguſtinum 12. ſuper Gen. cap. 34. Quamuis omnis regio, vbi animæ bene eſt, poſſit merito Paradiſus appellari; tripliciter tamen Paradiſus accipitur. † Primo, pro loco corporali, vbi primus homo creatus eſt. Secundo, pro loco cœleſtiali: vt pro cœlo ipſo Empyreo, vbi animæ Beatorum diuina beatitudine fruuntur. F

(† Hunc locum latè declarat Bart. Syb. Decade 1. cap.3. q.7. quæſtiuncula.1.2. & 3.)

Tertio pro viſione intellectuali, vel ſpirituali, qua diuina eſſentia intuitiuè conſpicitur. Et iſte Paradiſus eſt omnibus melior, & Paradiſus Paradiſorum nominandus. Primus ergo Paradiſus pueris aperiri non poteſt, quia peccato illo ſunt aſtricti, † propter quod primus homo expulſus eſt. Nec ſecundus, quia ille ſolum Beatis, & Sanctis Angelis debetur. Nec tertius, quia carentia viſionis diuinæ perpetuò in eis remanebit.

(† Ideſt peccato originali, quod ex Adā contraxerūt, id tamen peccatū in Adā actuale fuit.)

G

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd ſi ſinus Abrahæ accipiatur pro quiete, quæ erat in Lymbo ſanctorum Patrum, qui priuati erant pœna ſenſibili : ſic pœna inferni eis conuenire non poteſt, vt aliqui dicunt. Sed iſto modo nec conuenire poſſet nomen inferni Lymbo puerorum. Vnde dicendum eſt, ſicut dicit gloſa Bedæ, ꝙ licet ſancti Patres in ſinu Abrahæ, puta in conſolatione quietis eſſent per fidē Mediatoris, & per gratiam: à doloribus tamen mortis, ſiue inferni non erant ſoluti ex toto: quia non meruerunt gaudia cœli intrare ; donec impleretur illud Zacha.9. Tu autem in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu. H Vnde nomine inferni non meretur ſinus Abrahæ appellari, ſecundum Auguſtinum, propter fidem, & gratiam ipſius Abrahæ. (12. ſuper Gen.c.33.)

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ pueri videbunt Chriſti humanitatem : diuinitatem tamen non poterunt videre, eius membra non effecti per fidem, & gratiam perſonalem, vel ſacramentalem.

A D tertium eſt dicendum. quòd lux corporalis ordinatur ad ſpiritualem, propterquod priuatis luce ſpirituali lux corporalis communicari non debet.

QVAEST. XXXIIII. DE ILLIS, QVI SVNT INFRA TERRAM, QVI quandoque fuerunt de Eccleſia, modo autem non ſunt.

NVNC videndum eſt de illis, qui ſunt infra terram, qui quandoque fuerunt de Eccleſia, quamuis nunc non ſint. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit mandare, vt quis teneatur potius velle ad pœnam inferni damnari, quàm peccare mortaliter.

Secundo, Vtrum Papa poſſit facere, quòd damnati non gaudeant de pœnis eorum inimicorum.

Tertio, Vtrum Papa iuſte poſſit aliquos ad pœnam inferni damnare.

Quarto, Vtrum Papa poſſit facere, quòd indulgentia, & ſuffragia eccleſię meritoria ſint illis, qui ſunt in inferno.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT præcipere, quòd homo teneatur eligere potius damnari ad infernum, quã peccare mortaliter.

S. Thomas quodlibeto 1. quæſt. 5. art. 9.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit præcipere, vt homo teneatur potius præeligere damnari ad infernum, quàm peccare mortaliter. Quia pęna inferni eſt æterna, & irremediabilis: de peccato autẽ mortali poteſt quis liberari per pęnitentiam. Ergo potius tenetur homo velle peccare mortaliter.

2 Præterea: Pęna inferni includit culpã. vna enim de pęnis inferni eſt vermis, & remorſus conſcientiæ de culpa commiſſa: ſed culpa mortalis non includit pęnam inferni. Ergo magis eſt eligenda culpa mortalis, quàm pęna inferni.

3 Præterea: Illud Papa non poteſt mandare, quod eſt de iure naturali: Sed refugere æternaliter mori, & æternam pęnã eſt de iure naturali: quilibet enim naturaliter fugit mortem, potiſſime æternam. Peccare ergo mortaliter præeligendum eſt ante, quàm æternaliter damnari.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Anſelmus in libro de ſimilitudinibus, cap. 199. vbi ait, quòd aliquis debet magis eligere eſſe in inferno ſine culpa, quàm in Paradiſo cum culpa: quia innocens in inferno E non ſentiret pęnam, & peccator in Paradiſo non gauderet de gloria. Hoc idem videtur dicere Chryſ. i libello de laudibus Pauli exponens illud ad Roma. 9. Optabã ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, quia potius Paulus voluiſſet eſſe in inferno cum charitate, quàm extra ſine charitate.

RESOLVTIO.

Homo ex charitate plus Deum, quàm ſeipſum tenetur diligere: & pati magis quamcunque pœnam, q̃ mortaliter peccare. Id enim eſt de neceſſitate ſalutis, & ſub pręcepto cadit.

F RESPONDEO, dicendum, quòd illud cadit ſub præcepto, quod eſt de neceſſitate ſalutis: Eſt autem de neceſſitate ſalutis, vt homo contritus in via ſalutis exiſtens, in generali magis velit pati quamcunque pœnam, quàm peccare mortaliter. Et hoc ideo, quia contritio eſt ſalus hominis, & non poteſt eſſe ſine charitate, per quam omnia peccata dimittuntur. Ex charitate autem plus tenetur homo Deum diligere, quàm ſeipſum. Conſtat autem, quòd peccare mortaliter eſt facere contra Deum, puniri autem quacunque pœna eſt pati aliquid contra ſeipſum: Vnde charitas hoc requi- G rit, vt potius, quàm peccet mortaliter, quamlibet pœnam homo contritus exiſtens in via ſalutis in generali præeligat culpæ mortali. Et dico in generali. quia in ſpeciali deſcendere ad hanc pœnam, vel aliam homo non tenetur: immo non ſapienter ageret Papa, vel quilibet ſuperior ſeipſum, vel alium mouendo, vel inducendo ad particulares pœnas. Cuius ratio eſt, quia ſicut delectabilia plus mouent in particulari conſiderata, quàm in communi: ita terribilia plus terrent ſi in particulari cõſiderentur: Et aliqui ſunt, qui in maiori tentatione non cadunt: qui forte in minori caderent, ſicut aliquis audiens adulterium, H non incitatur ad libidinem: ſed ſi per conſiderationem deſcendit ad ſingulas illecebras carnis, magis promoueretur. Et ſimiliter aliquis non refugeret pati mortem pro Chriſto: Sed ſi deſcenderet ad conſiderandum ſingulas pœnas, magis retraheretur: Et ideo deſcendere in talibus ad ſingularia, eſt inducere hominem ad tentationem, & præbere occaſionem peccandi: quod Papa, & quilibet ſuperior maxime vitare debet.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd culpa mor-

pa mortalis quantum eſt de ſe, perpetua eſt, ſicut pœna inferni: ſi autem remedium habet, hoc eſt ex ſola miſericordia Dei. Vel dicendum eſt, quòd plus præponderat bonũ diuinum, contra quod agit mortalis culpa, bono naturæ creatæ, cui opponitur pœna, quàm perpetuitas pœnę temporali culpæ.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd remorſus conſcientiæ non ſemper eſt culpa: quamuis ad culpã quandoque conſequatur: poteſt enim eſſe ſine culpa, vt in eo, qui habet conſcientiam errantem de pręterito commiſſo. Sicut ſi aliquis credat aliquid a ſe prius commiſſum eſſe illicitum, quod tamen licitum erat, & ipſe dum faceret, illicitum reputabat.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ refugere mortem æternam eſt de iure naturali, ſecundum appetitum ſenſitiuum: ſed refugere, vel pręeligere ipſam potius, q̄ quod Deus offendatur, eſt de iure naturali ſecũdum appetitum, per rationem deliberatam, & per charitatem ordinatam.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT facere, quòd damnati non gaudeant de pœnis inimicorum ſuorum.

S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. pár. q. 98. art. 4. & Sotus lib. 4. ſent. diſt. 50. q. vnica. art. 5.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit facere, ꝙ damnati non gaudeant de pęnis inimicorum ſuorum. Quia ſuper illo verbo Iſaię 14. Surrexerunt Principes terræ de ſolijs ſuis; dicit Gloſſa Hieronymi, quòd ſolatium eſt malis inimicos ſuos ſocios habere pęnarum. Tale ergo gaudium Papa impedire non poteſt.

Ariſt. 7. Eth. cap. 14. 2 Præterea: Omne gaudium diminuit dolorem, vt patet per Philoſophum ſeptimo Ethicorum. Cum ergo dolor damnatorum ſit finitus intenſiue, ſi Papa poſſet gaudium damnatorum impedire: poſſet facere, ꝙ inimici damnatorum non damnarentur, & ſic tolleretur liberum arbitrium hominis.

3 Præterea: Dicit Gregorius, quòd culpa eſt, totã culpam exigere. ſed Deus non poteſt culpam cõmittere. ergo non poteſt totam culpam proſequi puniẽdo damnatos ſecundum condignum. Remanet ergo in eis aliquod gaudium de eo, quòd non puniuntur tantum, quantum deberent puniri.

In Contrarium eſt, quia Papa per communicationem indulgentiæ, & ſuffragiorum retrahit multos à peccatis, vt non damnentur: poteſt ergo impedire gaudium damnatorum, ſicut poteſt impedire damnationem peccatorum, de quorum ſocietate damnati gaudent.

A RESOLVTIO.

Gaudium damnatorum, in quibus dolor eſt eſſentialis, accidentale poteſt eſſe, ex damnatione aliquorum, quod per indulgentiam à Papa impediri poteſt. Ij enim, qui potuerunt damnari, per indulgentiam datam à Papa, ſaluari poſſunt. quod dãnatis non placet.

RESPONDEO dicendum, ꝙ triſtitia, & dolor in damnatis eſt totalis, & eſſentialis: ad mixtũ tamen poteſt eſſe eorũ triſtitiæ aliquod gaudiũ partiale, & accidentale. Eſt quidem eorum triſtitia totalis, & eſſentialis propter tria.

Primo quidem propter diuinæ iuſtitiæ impletionem: Triſtantur enim, quando vident diuinam B impleri iuſtitiam in pœna damnationis inimicorum ipſorum, quam Dei iuſtitiam damnati odiunt, & blaſphemant in inferno. Iuxta illud Apoc. 16. Æſtuauerunt homines æſtu magno, & blaſphemauerunt nomen Dei habentis poteſtatem ſuper has plagas.

Secundo propter eorum cõſcientiæ infectionem: remanẽt enim in damnatis effectiones prauæ remordenes, & torquentes eorum conſcientiam: quia vermis eorum nunquam moritur. De quibus prauis affectionibus dolẽt, & pœnitent, Iuxta illud Sap. 5. Pęnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes. Vnde ſicut pœnitentes in hac vita dolent, & de dolore gaudent: ita damnati in inferno gaudent de pœnis inimicorum ſuorum, & de ipſo tamen gaudio magis dolent. Marc. 9.

C Tertio propter cauſæ adminiſtrationẽ. Si enim dãnati in inferno præſtiterunt cauſam damnationis eorum inimicis, pęnitent, & triſtantur: non quidem propter diuinam offenſionem: ſed propter eorum punitionem: vnde talis pœnitentia non eſt in eis meritoria. tali ergo triſtitiæ damnatorum totali, & eſſentiali aliquod gaudium accidentale eſt annexum: quia deſcendunt damnati ad infernum cum armis ſuis, & cum affectibus prauis ipſorum, vt ſcribitur Ezech. 32. Quia ergo vident damnati prauas eorum voluntates, quas in hoc mundo habuerunt contra eorum inimicos impletas eſſe per damnationem, & malum ipſorum, gaudent: Quod quidem gaudium poteſt per Papam impediri eo, quòd per communicationem indulgentiæ, & ſuffragiorum damnatorũ, D inimici in præſenti vita poſſunt conuerti, & non dãnari: Et ex hoc tollitur illud gaudium, quod damnati de eorum damnatione habuiſſent.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Papa non impedit gaudium damnatorum per ſe, ſed per accidens ſubtrahẽdo inimicos eorum à damnatione per communicationem indulgentię, & ſuffragiorum Eccleſiæ, de quorum damnatione gaudium habuiſſent.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd liberum arbitrium non tollitur: ſed iuuatur per auxilia Eccleſiæ: quibus peccatores de culpa reſurgunt ad gratiã.

Ad tertium eſt dicendum, quòd damnatus punitur tali pœna, qua debet puniri ſecundum exigentiam

tiam culpæ,ſemper tamen punitur citra condignum, quàm deberet puniri, propter condecentiam diuinæ bonitatis, de qua damnatis nullum eſt gaudium,ſed potius triſtitia.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA ALIQVOS iuſte condemnare poſsit ad pœnam inferni.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 87. art. 3. & ſeq. & Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 15. q. 1. art. 4. item S. Thomas in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 99. art. 1.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit aliquos iuſtè ad pœnam inferni condemnare: Quia iuſtus, & pius iudex nō debet punire, niſi ad corectionem: ſed Papa debet eſſe iuſtus, & pius iudex. Ergo non debet punire, niſi ad correctionem. Corrigere autem non eſt punire æternaliter, ſed ſolum temporaliter.

2 Præterea: Temporale non poteſt eſſe cauſſa æterni. Pro culpa ergo quacunque temporali Papa æternam pœnam infligere iuſtè non debet.

3 Præterea: Scribitur Deutero.25. Secundum mēſuram delicti erit & plagarum modus. ſecundum G ergo menſuram temporalis culpæ, debet Papa imponere menſuram temporalis pœnæ.

IN CONTRARIVM eſt..quia ſcribitur.23. diſt. cap. In nomine domini. De illis, qui ſeditionē ponunt in Eccleſia, & potiſſime in electione Summi Pontificis: Quicunque contra hoc decretum ire tentauerit, perpetuo anathemate,atque excommunicatione damnetur, & cum impijs, qui non reſurgūt in iudicio,reputetur.

RESOLVTIO.

Culpa mortali,modo peccans ſit contumax,à Papa æterna pœna iuſtè poteſt infligi. Idque quatuor rationibus patet.

RESPONDEO dicendum, ꝙ iuſtè culpæ mortali temporaliter commiſſæ (dūmodo qui tali culpa peccat ſit contumax) per Papam æterna pœna infligitur.

Primo quidem ratione boni, quod per ipſam culpam perimitur. Tollitur enim per culpam mortalem charitas, quæ ſecundum Apoſtolum 1. ad. Corint. 13. nunquam excidit. vnde ſicut charitas, quæ perimitur per mortalem culpam, eſt perpetua, & æterna poteſt eſſe: ita iuſtum eſt, quòd culpæ,per quam tollitur, æterna pœna correſpondeat.

Secundo, ratione voluntatis, quæ inficitur. voluntas enim ſubiecta culpæ mortali æterna eſt. quia ex quo homo non imponit finem culpæ in præſenti, & E cum illa decedit: iam culpa æterna eſt,ratione voluntatis peccandi. Non debet ergo iudex imponere finem pœnæ, ex quo peccans non impoſuit finem culpæ.

Tertio, ratione temporis,quod præfigitur: præfigit enim Papa tanquam vicarius Dei tempus, in quo dimittitur culpa,& in quo non: quia in præſenti eſt tempus dimittendi culpam, in futuro vero non.quācunque ergo actio peccantis ſit momentanea, & temporalis; ipſa tamen culpa æterna eſt, ex quo per contumaciam non dimittitur ſibi in præſenti,vbi eſt tempus dimittendi. Iuſtè ergo Papa tali pœnæ æternæ æternam pœnam infligit.

Quarto ratione boni, quod offenditur: Nam per culpam mortalem bonum æternum offenditur.Ergo iuſtè pœna æterna ſibi debetur. F

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ pius,& iuſtus iudex punit ad correctionem, quando eſt tempus corrigendi: ſed quando non eſt tēpus correctionis,non punit ad correctionem: ſed magis ad vindictam ex iuſtitiæ obſeruatione.

AD ſecundum eſt dicendum,quòd temporale bene poteſt eſſe cauſa perpetui, quamuis non proprie æterni,quod caret principio,& fine, cuiuſmodi æternitas ſoli Deo conuenit: Nam emptio domus momentanea eſt, & temporalis: ſed ius poſſidendi eſt æternum: Similiter vulnus inflictum eſt momentaneum, & mors quę ſequitur eſt æterna. Eodem modo crimen lęſę maieſtatis eſt momentaneum, & pœna ſibi debita eſt æterna.

AD tertium eſt dicendum, quòd in peccato tria ſunt. delectatio, actio, & uoluntatis deformatio. Pęna ergo ſecundum menſurā debet correſpondere peccato: non quantum ad delectationem,& actionem, quæ temporalia,& momentanea ſunt: Sed quantum ad uoluntatis deformationem, quæ ęterna eſt, ex quo in pręſenti non remouetur per contritionem,& pęnitentiam. Ideo iuſtè ſibi debetur æterna pœna.

ARTICVLVS IIII.

H *VTRVM PAPA POSSIT facere, vt Indulgentiæ, & ſuffragia Eccleſiæ meritoria ſint illis, qui ſunt in Inferno.*

Magiſter lib. 4. ſentent. diſt. 45. ſ. neque negandum eſt, & diſt. 46. ſ. 1. & ſeq. & omnino Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 45. q. 2. art. 2. & Turrecremata in cap. tempus.13. quæſt. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit facere,vt indulgentiæ,& ſuffragia Eccleſiæ meritoria ſint illis,qui ſunt in inferno. Quia quando aliqua ſunt eiuſdē rationis,agens, qđ poteſt in vnū,pōt in aliud.

ſed

ſed pœna inferni,& pęna Purgatorij, ſunt einſdẽ rationis, cum non differant, niſi ſicut magis durabile, & minus durabile,& magis & minus non diuerſificant ſpeciem. Ergo cum Papa poteſt communicare ſuffragia illis,qui ſunt in Purgatorio,poterit ſimiliter illis, qui ſunt in inferno.

Ariſt. lib. 13. meta. com. 72.

2 Præterea: Aliqui ſunt in inferno, qui fecerunt aliqua bona, dum vixerunt in corpore,& bona meritoria per charitatem,quam habuerunt. Ergo per ea,quę geſſerunt in corpore,meruerũt ſibi,vt prodeſſent eis, ſi nomine eorum fierent poſt mortem.

3 Pręterea: Eccleſia orat pro defunctis, vt liberẽtur de ore leonis, & de profundo lacu. Sed fruſtra oraret pro eis,niſi ſciret ſuffragia eis prodeſſe. Ergo videtur, quòd poſſint.

4 Præterea: Homo poteſt iuſte ſoluere debitum pro ſe, & ꝓ alio,qđ tenetur ſoluere. Si ergo illi,qui ſunt in inferno,ſoluant debitũ,quod ſoluere tenentur per ſuffragia viuorũ, videtur, quòd iuſte perſolutum ſit.

In Contrarium eſt: quia in inferno nulla eſt redemptio.

5 Pręterea: Si ſuffragia Eccleſiæ prodeſſent eis, vel hoc eſſet ex parte Papæ applicantis: vel ex parte illorum, quibus applicantur. Non ex parte Papæ applicantis. quia illi qui ſunt in inferno, non ſubijciuntur iuriſdictioni ſuæ. nec ex parte illorum, quibus applicantur: quia ſunt in termino,& non ſunt habiles ad recipiendum.

RESOLVTIO.

Exiſtentibus in Inferno proſunt ſuffragia, vel Indulgentia, non quantum ad pœnam eſſentialem, ideſt quantum ad pœnam damni, & conſcientiæ vermem; ſed quantum ad pœnam accidentalem, cum eorum ſocij in vita per mala exempla, & opera non damnantur: vel quantum ad pœnæ ſenſus mitigationem, & præſertim, ſi, dum vixerunt in corpore, bona Eccleſiæ ſibi applicari meruerunt.

Respondeo, dicendum, quòd de hac quæſtione eſt duplex modus dicendi. Vnus eſt cõmunis: Alius ſpecialis: qui ortũ videtur habere ex dictis beati Auguſtini. Modus cõmunis talis eſt. Quia cũ in damnatis ſit duplex pęna: eſſentialis, & accidẽtalis: bona, quæ fiunt in Eccleſia, non poſſunt eis valere ad dimiſſionem pęnę eſſentialis: quia manente culpa, pęna non poteſt remoueri: in damnatis autẽ ſemper culpa remanebit, cũ deceſſerint in mortali peccato. Ergo de pœna eſſentiali nihil pōt tolli. & Chryſ. ſuper illo verbo Matt. 18. dicit: Tradidit eum tortoribus, donec vniuerſum debitum redderet. quod ly donec non dicit determinatum tempus, ſed indeterminatũ: quia ſemper ſoluẽt dãnati,& nunquã ſatisfacient, eo ꝙ ſatisfactio non eſt grata Deo, niſi per charitatẽ: & quia ipſi deceſſerũt in mortali: & ſunt in termino dãnationis ipſorũ, ideo ſemper ſoluũt, & tamẽ Deo nunquã ſatisfaciunt. Pęna uero accidentalis eſt in dãnatis ratione ſociorũ, quos per exemplũ prauũ, & prauã doctrinã corruperunt. Merentur.n. dãnati puniri ex ſocietate illorũ, qui per prauũ eorum exemplũ,& prauã doctrinã corrupti ſunt: & ideo quando

Notãdum.

Damnatorum pœna accidentalis quænã ſit.

A tales non dãnantur: ſed potius cõuertuntur,& ſaluãtur, eorũ pęna accidentalis dicit̃ minui: Cũ vero non ſaluant̃,ſed dãnantur,eorũ pęna dicitur augeri: Vnde talis pęna accidentalis pōt in eis augeri,& minui ſecũdum quòd plures, aut pauciores ſocios poſſint habere in prædicta pœna.

Cũ ergo ſuffragia Eccleſiæ multũ valeãt,vt corrupti ꝓpter malã doctrinã & mala exẽpla dãnatorũ non dãnentur,ſed magis conuertãtur,& ſaluẽtur: Ideo ꝑdicta ſuffragia dicũtur eis valere ad releuationẽ pęnæ accidentalis, ſicut ſana doctrina,& bona exempla dicuntur valere Apoſtolis, & Beatis ad augmentũ accidentalis glorię: quia ex ſocietate eorũ,qui per doctrinã,& bona exẽpla illorũ ſaluãt̃,eorũ gloria augmẽtat̃.

Beatorum gloria accidentalis

Alius eſt modus dicendi magis ſpecialis, qui talis B eſt: Diſtinguit̃.n. triplex pęna, quæ debetur dãnatis: Nã in peccato mortali, in quo decedunt dãnati, tria cõſiderãtur. Primũ eſt à bono incõmutabili auerſio; quia oẽ peccatũ mortale in tantũ eſt mortale, in quantũ auertit à Deo, bono incõmutabili. ſecundum quẽ modũ dicit beatus Iacobus: Qui offendit in vno factus eſt omniũ reus. Quia oĩa peccata vnũ peccatum ſunt, inquantũ auertit ab incõmutabili bono. Secundũ eſt interioris cõſcientiæ,& interioris imaginis deformatio: quia cauſa conſcientiæ interior ſemper remurmurat de peccato: ex ipſa perpetratione peccati deformatur imago,& deformatur conſcientia. Tertiũ eſt in bonis cõmutabilibus inordinata delectatio, Propter primum ergo, vt propter boni incommutabilis auerſionem, debetur peccato mortali pęna damni, vt eſt perpetua priuatio viſionis diuinæ. Propter ſe-C cundũ vero, vt ꝓpter conſcientiæ deformationẽ: debet̃ peccato mortali pęna vermis cõſcientiæ. Sed ꝓpter tertiũ, vt propter inordinatã delectationẽ, quę in bono creato percipitur, debetur peccato mortali pœna ignis,& pęna ſenſus, & proportionaliter: quia pro menſura delicti debet̃ plagarũ modus, loquẽdo de pęna tali. Ponitur ergo, ꝙ pęna dãni, vt priuatio diuinę viſionis, & pęna vermis conſcientiæ eſſentialiter correſpondent peccato mortali, quia manẽte culpa manet ſemper pęna dãni, vt priuatio diuinæ viſionis: & manẽte culpa, manet ſemper pęna vermis cõſciẽtiæ: quia dicente beato Auguſtino: Omnis inordinatus animus ſibi ipſi ſemper eſt pœna. Sed ſenſus,& pęna ignis accidentaliter debet̃ culpæ mortali: quia ad ſen-D ſum videmus, ꝙ multi ſunt in peccato mortali, & nõ habẽt pœnã ſenſus annexã. Dicitur ergo ab iſtis, ꝙ ſuffragia Eccleſiæ nõ valent dãnatis ad illius pęnę diminutionem, quæ eſſentialiter debet̃ peccato, quia remanẽte culpa remanet eſſẽtialiter illa duplex pœna, ꝗ ſibi debet̃, vt pęna dãni,& vermis cõſcientiæ. Sed bene dicunt, ꝙ valẽt eis ad pęnæ ſenſus diminutionẽ, cũ illa eſſẽtialiter nõ reſpõdeant mortali culpæ. non quidẽ ad totalẽ dictæ pęnæ liberationẽ: ſed ad aliqualẽ mitigationẽ. Et ponũt ꝙ iſta mitigatio tribus modis habet fieri in dãnatis. Primo, per ſociorũ ſubtractionẽ: quia ſaluãtur multi, vt dicebat̃ in primo modo dicẽdi, per ſuffragia Eccleſiæ, qui fuerũt eorũ exẽplo,& doctrina corrupti: qui ſi non ſaluarentur, augeretur eorũ pęna. Secundo, per eorũ ſuffragiorũ fortificationẽ, & confortationẽ: quia per prædicta ſuffra-

Iacobi auctoritas c. 2. declaratur.

gia

gia fortificãtur & confortantur damnati, vt tolerabi lius poſſint pœnam illã ignis ſuſtinere, Tertio, per ipſius pœnæ aliqualẽ relaxationẽ: quia cũ ignis ille infernalis ſit inſtrumentũ diuinę iuſtitiæ taxatũ à Deo, ꝙ tantũ debeat affligere, & nõ plus. Et ideo nõ ſequitur, ꝙ ſi ſuffragia Eccleſiæ valeant ad dictæ pœnę relaxationẽ, ꝙ tantũ poſſent multiplicari ſuffragia Eccleſiæ, vt totaliter relaxetur. quia taxatũ eſt à Deo, ꝙ tantũ debeat diminui de illa pęna, & non amplius.

Iſte autẽ modus ponendi videtur ſatis habere fulcimentum ex dictis beati Auguſtini: Nam quòd talis mitigatio pęnæ fiat in dãnatis, & ſuffragijs Eccleſiæ per ſubtractionem ſociorum expreſſe dicit Auguſtinus, quòd pęna Arrij nondum determinata eſt: quia nondum determinati ſunt illi, qui eius praua doctrina, & exemplo prauo corrupti fuerunt. ꝙ vero talis mitigatio poſſit fieri per damnatorum fortificationem, & ſuſtentationem. patet per illud, quod dicit Auguſtinus in Enchyridion, & in libro ſupradicto ad Dulcitium de octo quæſtionibus: vbi loquens de mediocriter bonis: vt de illis, qui ſunt in Purgatorio, & de mediocriter malis, vt de illis, qui ſunt dãnati, fuerunt tamen fideles Chriſti, & multa bona fecerunt exiſtentes in gratia, dicit: Quibus autem proſunt ſuffragia Eccleſiæ: aut ad hoc proſunt vt ſit plena eorum remiſſio, quantum ad illos, qui ſunt in Purgatorio: aut certe vt tolerabilior ſit eorum damnatio quantum ad illos, qui ſunt in inferno. Et planum eſt, quòd loquitur de illis, qui ſunt in inferno, quia ſi loqueretur de illis, qui ſunt in Purgatorio, non diceret vt tolerabilior ſit eorum damnatio, ſed magis vt tollerabilior ſit eorum purgatio. Sed quòd talia bona proſint damnatis ad pęnæ relaxationem, patet per Auguſt. ſimiliter in libro prædicto, vbi ait: Eis talia proſunt, qui cum viuerent, ſibi meruerunt, vt prodeſſent eis poſt mortem, ſi pro eis fierent. Planum eſt autem, ꝙ multi ſunt in inferno, qui cũ viuerent, multa opera meritoria exiſtentes in gratia fecerunt, per quæ meruerũt ſibi prodeſſe ſuffragia Eccleſiæ, ſi pro eis fierent poſt mortem non per charitatem, cũ qua non deceſſerunt: ſed per charitatem, quam prius habuerunt. Iſte autem modus ponendi, quòd ſuffragia Eccleſiæ proſint damnatis ad pęnæ ſenſus mitigationem, expreſſe tangitur in gloſſa ſuper verbo: Hic Auguſtinus. quem Gratianus allegat 13. quæſt. vlti. cap. Tempus. vbi dicit † Gloſſator. Hic Auguſt. diſtinguit quatuor genera hominũ valde bonos, & valde malos: & mediocriter bonos, & mediocriter malos. Et ſubdit: pro valde bonis non eſt orandum: quia iniuria facit Martyri, qui orat pro Martyre. nec pro valde malis, ſed pro mediocriter bonis proſunt ſuffragia Eccleſiæ, vt citius liberentur ab igne Purgatorij, & pro mediocriter malis proſunt ad hoc, vt mitius puniantur, nunquam tamen liberantur. Suſtinendo ergo, ſine præiudicio, hunc modum, poteſt probabiliter reſponderi ad rationes pro, & contra.

Arrii pœna nõdum determinata.

Tomo 5.

Quæſt. 2 ad Dulcitium Tomo 4 Et vide declarationem in Barth. Syb. 1. Dec. cap. 5. q. 3. quæſtiuncula 13.

† De hoc Gloſſatoris dicto, vide omnino Doctores initio huius articuli citatos.

Ad Argumenta.

NAM cum primo dicitur, ꝙ pęna Purgatorij, & inferni ſint eiuſdẽ rationis: Dicendũ, ꝙ non eſt verũ: quia illi, qui ſunt in inferno, ſunt in termino damnationis: illi vero, qui ſunt in Purgatorio, nõ ſunt in termino ſaluationis: Ideo ratione ſtatus pęna vtrorũque non eſt eiuſdem rationis: Et dato ꝙ illi, & iſti poſſint iuuari per ſuffragia Eccleſiæ, non tamen eodẽ modo: ſed illi, qui ſunt in Purgatorio, iuuãtur, vt ex toto liberẽtur: illi vero, qui ſunt in inferno, vt mitius puniantur.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ ſicut dictũ eſt, illa bona proſunt eis quãtũ ad pęnæ ſenſus mitigationẽ, ſed non quantum ad totalem liberationẽ: quia ſunt in termino damnationis ipſorum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Eccleſia neſcit, qui ſunt damnati, & qui non. Ideo non decipitur, dato; ꝙ oret pro illis, qui ſunt in inferno: quia neſcit eos eſſe in inferno per certitudinem. Dato tamen, ꝙ oret ut liberentur de ore leonis, Eccleſia intẽdit conformare * orationem ſuam voluntati diuinæ, ſecundum quã licet non poſſint ex toto liberari, poteſt tamen eorũ pęna mitigari, vt dictum eſt. Vel poteſt dici, vt aliqui dicunt, ꝙ illa oratio non eſt pro liberatione eorũ, qui damnati ſunt: ſed gratiarum actio pro illis, qui liberati ſunt ab illa pœna.

* al. intentionem.

AD quartum eſt dicendum, ꝙ damnati ſemper ſoluunt, & ſemper patiuntur: nunquam tamen ſatisfaciunt debito: eo quòd illa ſatisfactio non eſt Deo grata, cum non procedat ex radice charitatis.

AD quintum, cũ arguebatur in contrarium, eſt dicendum, ꝙ licet in inferno non ſit redemptio ex toto liberans, eſt tamen redemptio aliqualiter mitigans, & relaxans. Similiter dicendum ad aliud, quòd licet illi, qui ſunt in inferno, non ſint ſub iuriſdictione Papæ quantum ad pœnæ totalem liberationem: ſunt tamen ſub iuriſdictione ſua, quantum ad illius pœnæ aliqualem mitigationem, ſaltem ad illos, qui meruerunt bona Eccleſiæ ſibi applicari per bona, quæ fecerunt, dum uixerunt exiſtentes in gratia: dato quòd finaliter cum culpa deceſſerint.

Finis Primæ Conſiderationis de Poteſtate Papæ ſecundum ſe.

PARS

SVMMAE AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI

PARS SECVNDA

De Poteſtate Papæ, vt comparatur ad effectum.

POSTQVAM viſum eſt de Eccleſiaſtica Poteſtate ſecundum ſe: nunc conſiderandum eſt de ipſa per comparationem ad actum, ad quem ordinatur. Et primo de actu electionis, quantum ad dominium temporale. Secundo de actu electionis quantum ad dominium ſpirituale. Circa primum Duodecim occurrunt conſideranda. Primo de Imperatoris electione. Secundo de ipſius Imperij deriuatione. Tertio de eius tranſlatione. Quarto de eius confirmatione. Quinto de eius adminiſtratione. Sexto de eius depoſitione. Septimo de eius examinatione. Octauo de eius duratione. Nono de eius ſucceſſione, & de eius conceſſione. Decimo de eius legum inſtitutione. Vndecimo de aliorum Regum ſubiectione. Duodecimo de aliorum Regum correctione.

QVAESTIO TRIGESIMAQVINTA

DE IMPERATORIS ELECTIONE.

CIRCA primum quęruntur octo. C

Primo, Vtrum Papa per ſeipſum poſſit Imperatorem eligere.

Secundo, Vtrum, electores per quos Papa Imperatorem eligit, debeant eſſe de Alemania.

Tertio, Vtrum Papa prædictos electores poſſit mutare.

Quarto, Vtrum Papa poſſit prædictos electores de alia natione ordinare, quàm de Alemania.

Quinto, Vtrum Papa in electione Imperatoris poſſit alteri parti eligentium fauere.

Sexto, Vtrum Papa poſſit Imperatorem facere per hæreditariam ſucceſſionem, ſicut per electionem. D

Septimo, Vtrum Papa melius faceret ordinando Imperium per hæreditariam ſucceſſionem, quàm per electionem.

Octauo, Vtrum Papa melius faceret ordinando plures Imperatores, quàm vnum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT per ſeipſum eligere Imperatorem.

Vide cap. Venerabilem. & ibi Doctores extra de elect. & Sylueſtrum verbo: Papa. quæſt. 10. Et Aluar. de Planctu Eccle. lib. 1. cap. 21. & 37.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa, per ſeipſum, Imperatorem non poſſit eligere: Dicit enim Hierony. ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum: Sicut qui viſibiliter in hoc mũdo ius inuadit alienũ, accuſatus à paupere, damnatur à iudice: ita in Eccleſia Dei quãdo quis ſtipendia perdit,* clamet ad Dominũ, & à Chriſto exauditur. Papa ergo non põt, per ſeipſum, Imperatorẽ eligere, ſicut nõ põt alienũ ius inuadere.

Epiſt. xiiii. de ſeptem gradibus Eccleſiæ lo. xi.

* al. clamat.

2 Præterea: Ab illo Imperator immediatè non poteſt eligi, à quo gladium temporalem non accepit. Sed dicit Innocentius, & ponitur 23. quæſt. 4. capit. Quæſitum. Meminerant enim à Deo poteſtates has

fuiſſe conceſſas, & propter vindictam noxiorum gladium fuiſſe permiſſum. Si ergo Imperator gladium recepit à Deo, & non à Papa, ab ipſo nõ poterit eligi. A

3 Præterea: Dicit Auguſtinus, & ponitur 11. diſt. cap. In his rebus. In his rebus, de quibus nil certi ſtatuit diuina Scriptura, mos populi Dei, & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. ſed iſta eſt conſuetudo in populo chriſtiano: vt Imperator eligatur, vel à populo, vel ab electoribus deputatis. Ergo Papa per ſeipſum non poterit ipſum eligere.

In Contrarium eſt, quia propoſitio vulgata Philoſophi eſt: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ſed electores auctoritate Papę eligunt Imperatorem. Ergo per ſeipſum poteſt eligere, ex quo eius auctoritate alij eligunt. Ariſt. 1. Poſt. cap. 2. ſub finem

RESOLVTIO.

Papa, ſi iuſta, & rationabilis adſit cauſa, per ſeipſum eligere poteſt Imperatorem, vt infra probatur. B

Respondeo, dicendum, quòd Imperator eſt miniſter Papæ eo ipſo ꝙ eſt miniſter Dei. dicit Apoſtolus ad Roman. 13. ꝙ non ſine cauſa gladium portat, quia Dei miniſter eſt, iudex in iram ei, qui malum agit. deputauit enim Deus Imperatorem tanquã miniſtrum ſummi Sacerdotis: quia eius eſt Eccleſias contritas, & concuſſas reſtaurare: nouas ædificare: & Dei Sacerdotes honorare: atque contra hæreticos, & rebelles tueri. Eſt autem principaliter agentis eligere Miniſtros, & inſtrumenta ad ſuum finem: ſicut ars militaris, cuius finis eſt victoria, habet eligere equeſtrem, & frænefactiuã, ſecundum ꝙ videt expediri ſini intento, ſicut dicitur 1. Ethicorum. Vnde puto, ꝙ Papa, qui vniuerſos fideles in præſenti vita ad pacem habet ordinare, & ad ſupernaturalem finẽ conſequendum dirigere, & deſtinare; iuſta, & rationabili cauſa exiſtente, per ſeipſum poſſit Imperatorem eligere: vt, propter eligentium negligentiam, vel diſcordiam, aut propter electi bonitatem, & condecentiam, vel propter populi chriſtiani pacis prouidentiam: ſeu propter coercendi Hæreticorum, Paganorum, & Schiſmaticorum potentiam, & audaciam, Poſſe enim Papæ fulcitum debet eſſe veritate, iuſtitia, & æquitate: Non enim poteſt aduerſus veritatem: ſed pro veritate, vt dicit Apoſtol. ad Corint. vlt. Et ideo cum ſubeſt cauſa rationabilis, & iuſta; puto, quòd poteſt. Eth. lib. 1. cap. 1. C

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ ius eligẽdi Imperatorem non eſt conceſſum aliquibus in fauorem ipſorum: ſed in fauorem Eccleſiæ, & populi chriſtiani, cuius caput eſt ipſe Papa. Vnde quando ſibi videretur hoc eſſe in fauorem Eccleſiæ, & pacem chriſtiani populi, poteſt tale ius eis ſubtrahere, ſicut propter talem cauſam eis conceſſit.

Ad ſecundum eſt dicendum, verum eſſe, Imperatorem gladium recipere à Deo, eo quòd à Papa nõ recipit, niſi vt eſt Vicarius Dei: Non enim Papa poteſt eligere Imperatorẽ, ut ſingularis perſona quædã: ſed vt eſt ſucceſſor Petri, qui immediatè à Chriſto caput Eccleſiæ ordinatus eſt.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſt. in libro de vnico baptiſmo, contra Donatiſtas c. 127. veritati, & rationi conſuetudo eſt poſtponenda: Non enim dixit Chriſtus: Ego ſum conſuetudo, ſed Ego ſum veritas: Et ideo Papa quando conſpiceret hoc eſſe conſonum veritati, & iuſtitiæ, talem conſuetudinem rationabiliter poteſt poſtponere. A Tomo 9.

ARTICVLVS II.

VTRVM ELECTORES, PER quos Papa eligit Imperatorem, debeant eſſe de Alemania.

Gloſſ. & Doctores in cap. Ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iud. Et Sylueſt. verbo: Electio 3. §. 4. vbi ſequitur Auctorem hic. B

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Electores, per quos Papa Imperatorem eligit, non debeant eſſe de Alemania: Quia illius Regionis debent eſſe electores, cuius ipſe electus Imperator nominatur. ſed nominatur Imperator Romanorum. Ergo Romani, vel de partibus Italiæ debent eſſe Electores.

2 Præterea: Ad eligendam perſonam publicam publici, & vniuerſales debent eſſe Electores. ſed Imperator eſt perſona publica, & vniuerſalis. Ergo vniuerſales, & de qualibet Regione debet habere electores.

3 Præterea: In electione pręlaturæ ſpiritualis non conceditur aliquod ius ipſis laicis, vt ſupradictum fuit. Ergo eodem modo in electione prelaturæ temporalis non debet acquiri aliquod ius eligendi ipſis clericis. Cũ tamen in electione Imperatoris tres Epiſcopi ponantur ius habere. C

In Contrarium eſt antiqua conſuetudo Eccleſię.

RESOLVTIO.

Electores, per quos Papa eligit Imperatorem, debent eſſe Alemani, qui Eccleſiam de ſeruitute liberarunt. Idquod eorum etiam deuotio, & Gregorij Quinti voluntas effecerunt.

Respondeo, dicendũ, ꝙ Gregor. V. tempore Otthonis Imperatoris, conuocatis, & requiſitis Principib⁹ Alemanię, ſeptẽ Electores inſtituit officiales ipſius Curiæ Imperialis: quatuor Laicos, vt Regẽ Bohæmie: Ducẽ Saxoniæ: Comitẽ Palatinũ: & Marchionẽ Brandẽburgenſẽ: Et tres clericos: Archiepũm Maguntinẽſem: Colonień. & Treuereń. Cauſa autẽ, quare ſolum de Alemania prędicti Electores ſunt aſſumpti, communiter triplex ratio aſſignatur. D

Vna fuit, quia de Alemania fuerunt illi Principes, qui liberauerunt Eccleſiam de ſeruitute Longobardorum, & impiorum Romanorum.

Secũda fuit, deuotio illius Populi ad ſanctũ Petrũ, & Paulũ, quod apparet in eorũ cõtinua peregrinatione ad viſitandũ Eccleſias dictorum Apoſtolorum.

Tertia fuit, voluntas Papę, puta Gregor. V. qui de Theutonia fuit natus, & conſanguineus Otthonis Imperatoris.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut
Tomo 5. dicit Auguſt. 5. de Ciui. Dei cap. 12. Quales tunc fuerunt Romani, & quales nunc ſunt ex ſententia Catonis videri poteſt. Nolite (inquit Cato) exiſtimare maiores noſtros armis Rempublicã ex parua magnam feciſſe: quia ſi ita eſſet, multo pulchriorem, & maiorem nos haberemus: cum ſociorum, atque ciuium, armorum, & equorum maior nobis copia ſit, quàm illis. Sed alia fuere, quæ illos viros magnos fecerunt: quę in nobis nulla ſunt: pro virtutibus namque illorum, habemus luxuriam, atque auaritiam, Reipublicæ egeſtatem: priuati boni opulentiam. Laudamus diuitias: ſequimur inertiam: inter bonos, & malos diſcrimen nullum: omnia virtutis præmia ambitio poſſidet. Quia ergo Romani ante Chriſti Aduentum fuerunt Patrię zelatores, Reipublicæ amatores, & legis, & iuſtitiæ obſeruatores; Ideo Imperiũ in toto orbe obtinere meruerunt: ſed poſtmodum
Tren. 4. obſcuratum eſt aurum: mutatus eſt color optimus, atque lapides ſanctuarij fuerunt diſperſi: & armis contrarijs ad virtutes fuerunt armati: merito, tam Imperium, quàm ius eligendi Imperatorem, perdiderunt.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicit
Ariſt. 1. met. cap. 1. circa medium. Philoſophus 1. Meta. Actiones ſunt ſuppoſitorum particularium. Ideo ius eligendi Imperatorem aliquibus perſonis particularibus committi oportuit. quare autem ſpecialius de Alemania, quàm de alia Regione, ſuperius cauſa eſt aſſignata.

AD tertium eſt dicendum, quòd quamuis Imperium ſit dominium temporale: ordinatum eſt tamé in miniſterium, & in obſequium dominij ſpiritualis. Eſt autem contra naturam rei temporalis in rem ſpiritualem agere ſua propria virtute: ſed ſpirituale ſupra temporale ſua propria virtute actionem, & iuriſdictionem habere poteſt: quia ſpritualis homo iudicat omnia, & ipſe a nemine iudicatur, vt dicit Apoſt. 1. ad Corinth. 2.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA ELEctores Imperij poſſit mutare.

Textus, & Doctores in c. Venerabilem, extra de ſent. & re iud. Aluar. lib. 1. cap. 37.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa dictos Electores non poſſit mutare: dicit enim Gregor. & ponitur 25. q. 2 c. Eccleſiaſticę. Eccleſiaſticæ moderationi omnino cõueniens eſt, vt quæ ordinata fuerunt, vel deciſa, nulla in poſterum debeant refragatione turbari. Ex quo ergo Electores ordinati ſunt per Papam, mutari non poſſunt.

2 Præterea: Scribitur extra de elec. cap. Venerabi-
A lem. Illis Principibus ius, & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendũ recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure antiqua conſuetudine noſcitur pertinere. ſed ex antiqua conſuetudine prædicti electores ius eligendi Imperatoré habuerunt. Ergo per Papam mutari non poſſunt.

3 Præterea: Quod poteſt eſſe materia ſcandali, & ſchiſmatis in Eccleſia, per Papam non debet fieri. ſed mutando prædictos electores poteſt eſſe materia ſcãdali, & ſchiſmatis. Ergo per Papã fieri non poteſt.

IN CONTRARIVM eſt, quia par in paré non habet Imperiũ. ſed tales electores ordinati ſunt per Papam. Ergo per Papam poſſunt mutari, & in loco eorum alij inſtitui.

B

RESOLVTIO.

Electores Imperij à Papa mutari poſsũt, ſi euidẽs, & manifeſta vtilitas Reipublicę chriſtianæ requirit.

RESPONDEO dicendũ, ꝙ ſicut dicit Philoſ. Ariſt. 5. Eth. cap. 10.
5. Eth. Actus humani ſic ſunt variabiles ꝑpter particulares circunſtantias occurrentes, & propter eorum mutabilitaté, vt non poſſint menſurari, & regulari ſub regula inflexibili, puta ferrea: ſed oportet, ꝙ regulentur, & menſurétur ſub regula flexibili, & plũbea: Quamuis ergo nouitates ſint timendæ. Vbi tamen euidens, & manifeſta apparet vtilitas, poteſtati Papę ſubeſſe dignoſcitur mutare, & innouare omne, quod expedit Reipublicæ vtilitati. nec mutationes Capit. Non debet. extra de conſan. & affinit.
C Canonum, & ſtatutorũ prędeceſſorum, vel ſuorum attribuendum eſt eius animi leuitati, quãdo videt eſſe expediens Reipublicæ vtilitati, & paci Populi chriſtiani vnitati. Scribitur enim Heſter 16. ꝙ quia multi bonitate, & honore, qui in eos collatus eſt, abutuntur in ſuperbiam, & non ſolum ſubiectos nituntur opprimere: ſed datam ſibi gloriam non ferentes, in ipſos, qui dederunt, moliuntur inſidias: nec contenti ſunt gratiam non agere beneficijs, ſed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur ſe fugere poſſe ſententiam: vnde prouidendum eſt paci omniũ Prouinciarum. nec putare debetis, ſi diuerſa iubemus, ex animi noſtri venire leuitate. ſed pro qualitate, & neceſſitate temporũ, vt Reipublicę poſcit vtilitas, ferre ſententiam.

D

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ illa, q̃ ſunt deciſa, & ordinata, cauſa ordinationis, & deciſionis non mutata, mutari, & perturbari nõ debent. ſed mutata cauſa in bonum, vel in malum, poſſunt ſic ordinata, & deciſa aliter mutari, & aliter ordinari.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ argumentũ ſoluit in eadem Decre. allegata. quia ibi dicitur, ius, & poteſtas eligendi Imperatoré ad Sedé Apoſtolicã pertinere. Sicut ergo à Sede Apoſtolica poteſtas eligendi Imperatorem Electoribus eſt conceſſa; ita à pradicta Sede poteſt eis auferri.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſcandalum actiuum ſemper eſt vitandum. ſed ſcandalum paſſiuum quãdoque potius eſt permittendum, quàm veritas doctrinę, vel æquitas iuſtitiæ omittatur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT electores Imperij facere de alia Regione, quàm de Alemania.

Syluester in ſumma verbo: Electio. 3. ſ. 4. vbi ſequitur Auctoris doctrinam. Et Aluar. lib. 1. cap. 37.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa prædictos electores nou poſſit de alia Regione facere, quàm de Alemania. Dicit enim Gregor. & ponitur 25. quæſt. 2. cap. Quod vero. Abſit à me, vt ſtatuta maiorum cum Sacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam: quia mihi iniuriam facio ſi fratrum meorum iura perturbo. Sed perturbatio iuris illarum Eccleſiarum eſſet Maguntineñ. Colonieñ. & Treuereñ. ſi de alia regioue ordinarentur electores. Papa ergo uou poteſt hoc facere.

2 Præterea: Idem Gregor. dicit cauſa, & quæſtione ſupradicta: Sicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibusq; Eccleſijs ſua iura ſeruamus. Iura ergo illarum Eccleſiarum ſuper electione Imperatoris Papa nou poteſt auferre.

3 Præterea: Quod ordinatum eſt pro pace, & vnitate Eccleſiæ, Papa immutare uou poteſt. Dicit enim Iuriſconſultus: Nulla ratio iuris patitur, vt, quę ſalubriter pro * vtilitate hominum introducuntur, nos duriori interpretatione cõtra ipſorũ cõmodũ producamus: ſed tales electores pro pace Eccleſiæ videntur eſſe ordinati. Ergo Papa hoc immutare non poteſt.

*al. ſalute.

In Contrarivm eſt. quia mutata cauſa, mutari debet effectus: ſed cauſa, quare de Theutonia prædicti electores fuerunt ordinati, fuit defenſio, protectio, & liberatio Eccleſiæ, de poteſtate Tyrannorum: Mutata ergo tali cauſa, poſſet mutari iuſtè dignitas talis eis conceſſa.

RESOLVTIO.

Electores Imperij ex alia Regione, quàm de Alemania à Papa inſtitui poſſunt, ſi id iuſta cauſa requirat.

D

Respondeo, dicendum, q̄ Papæ eſt in omnibus Regnis mutare, & tranſlationem facere, tã in electo, quàm in electoribus propter duo: Primo, quia vicarius eſt illius, qui Regnum à gente in gentẽ transfert propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos, vt ſcribitur Eccle. 10. Secũdo, quia ipſe ſolus habet conſiderare finem totius Eccleſiæ, & ad dictum finem omnes ordinare per debita media. Dicit enim Iſydo. in de ſummo bono, lib. 3. cap. 53. quòd poteſtates ſęculares intra Eccleſiam neceſſariæ non eſſent, niſi, quòd non præualet Sacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem: quia ſæpe cœleſte Regnum per Regnum terreſtre proficit: vt quando aliqui intra Eccleſiam poſiti contra fidem, & diſciplinã

A Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur. Quãdo ergo Summus Pontifex hoc videret ad talem finẽ magis valere perſonas alicuius Regni, vel Regionis, q̃ alterius, poſſet iuſtè hm̃odi trãſmutationẽ facere.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd illa iura nõ ſunt conceſſa illis Eccleſijs propter ſingularẽ ipſarũ vtilitatem, vel propter totius Eccleſiæ vniuerſalis, & populi Chriſtiani pacificam vnitatem. & ideo quando propter talẽ cauſſam ſubtraherentur eis illa iura, abſque perturbatione iuris proprij fieri poſſet.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſummus Põtifex eſt Paſtor communis totius Eccleſiæ, & ideo ius

B cuiuſlibet Eccleſiæ particularis ſic debet defendere, quòd non derogetur iuri communis boni, quod eſt præferendum cuilibet bono priuato.

Ad tertium eſt dicendum, quòd pax Eccleſiæ cõſiſtit in obſeruatione diuinæ iuſtitie: quia iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt, plerumque vero talis pax magis aliquando habetur per mutationem, & diuiſionem aliquorum, quàm per eorum coniunctionem. Vnde Saluator Math. 10. dicit: Nolite arbitrari, quòd venerim pacem mittere in terram: quia non veni pacem mittere, ſed gladium.

ARTICVLVS V.

C

VTRVM PAPA IN ELEctione Imperatoris poſſit alteri parti eligentium fauere.

Textus, & ibi Doctores in c. Venerabilem extra. de elect.

AD quintũ ſic proceditur. Videtur enim, q̄ Papa nõ poſſit alteri parti eligentium fauere. Quia Papa non debet eſſe acceptor perſonarum. ſcribitur enim ad Roma. 2. Non eſt perſonarũ acceptio apud Deum. Sed Papa eſt vicarius Dei. non ergo debet vni parti magis, quàm alteri fauere.

2 Præterea: Papæ, & omnibus Iudicibus dicitur

D Iſa. 30. Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis ad dexterã, neq; ad ſiniſtrã. Nou ergo debet Papa magis ad vnam partẽ electorũ declinare, quàm ad aliã.

3 Præterea: Dicit Iſydo. in lib. de ſummo bono cap. 54. Omnis qui recte iudicat, ſtaterã in manu ſua portat: vt iuſto libramine quædam per æquitatem corrigat: quædam vero per miſerationem indulgeat. Non debet ergo Papa vni parti maiorem fauorem prebere, quàm alteri.

In Contrarivm eſt quod ſcribitur extra de electione cap. Venerabilem.

RESOLVTIO.

Papa in electione Imperij, illi parti, quam magis idoneam pro defenſione Eccleſia, & pro recta vita, ac iuſtitia ſeruanda cognoſcit, iuſtè fauere poteſt.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ ſicut dicit Damaſcenus 2.lib. cap.21. Electio eſt duorum exiſtẽtium vnum præ altero eligere. Si ergo contingat electores Imperatores duos eligere, ad Papam pertinet alteri parti in hoc fauere, vt vnum illorum præ altero eligat, quem magis cognoſcit eſſe idoneum pro aduocatione, & defenſione Eccleſiæ: & cui fama, vita, & iuſtitia magis ſuffragatur. vel quando altera pars vocata, & expectata nollet eligere, vel ad eligendum conuenire. Vnde ſcribitur extra de elect. cap. Aſſignato: † Quòd autem, cum in electione Imperatoris vota Principum diuiduntur, poſt admonitionem, & expectationem, alteri parti fauere poſſimus, maxime poſtquam à nobis vnctio, coronatio, & conſecratio poſtulatur; iure patet, pariter & exemplo: Iure quidem. quia ſi Principes vocati, & expectati noluerint conuenire, ſedes Apoſtolica aduocato, & defenſore carere non debet. Exemplo vero: quia cum Lotarius, & Conradus in diſcordia fuiſſent electi, Romanus Pontifex Lotarium coronauit, & Imperium obtinuit coronatus.

† Ideſt, in dicto cap. Venerabilem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd acceptio perſonæ contra veritatem doctrinæ, vel æquitatem iuſtitiæ, ſeu bonitatem vitæ, peccatum eſt. ſed præferri vnam perſonam alteri non ratione perſonę, ſed propter iſta tria, non eſt acceptio perſonæ.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut ſcribitur Prouerb. 4. Vias, quæ à dextris ſunt, nouit dominus; peruerſę vero ſunt, quæ à ſiniſtris ſunt. Fauere ergo perſonę propter bonitatem vitæ, & æquitatem iuſtitiæ non eſt declinare à dextris: ſed eſt dexteram viam cuſtodire.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſtateram in manu tenere, eſt iuſtitiæ fauere: vnde cum Papa alteri partium eligentium fauorem pręber propter æquitatem iuſtitiæ, non ratione perſonæ, non deſiſtit propter hoc ſtateram in manu portare.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA POSSIT Imperatorem facere per hæreditariam ſucceſsionem, ſicut per electionem.

Turrecremata in cap. 1. diſt. 23.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit Imperatorem facere per hęreditariam ſucceſſionẽ, ſicut per electionem: Quia dominium Imperiale Papa non debet exponere caſui, & fortunę. Sed ſi Imperator fieret per ſucceſſionem, exponeretur dominium Imperiali caſui, & fortunæ. quia neſciretur cuius

A zeli, & diſcretionis eſſet filius regnaturus poſt eum. Ergo non per hæreditariam ſucceſſionem debet fieri, ſed per electionem ſolum.

2 Præterea: Scribitur extra de elect. cap. Venerabilem, ꝙ Eccleſia nõ debet carere aduocato, & defenſore. Sed magno tẽpore careret huiuſmodi aduocato, & defenſore, ſi huiuſmodi dominium per ſucceſſionem hæreditariam filiorum transferretur. Ergo, &c.

3 Præterea: Talis debet in Imperatorem eligi, qui alios excedat in liberalitate, & poteſtate, & Reipublicæ communitate: ſed talia magis apparent, ſi eligitur perſona, quàm ſi remittitur dominium ad ſucceſſiuã hæreditatem filiorum. Magis ergo tale dominium debet currere per electionem, quàm per hæreditariam ſucceſſionem.

B IN CONTRARIVM eſt. quia Imperiale dominium ſpectat ad Eccleſiam de iure poſitiuo: ſicut ergo Eccleſia ordinauit huiuſmodi dominium fiendum per electionem, ita poteſt ordinare, quòd vadat per hæreditariam ſucceſſionem.

RESOLVTIO.

Papa Imperatorem per hęreditariam ſucceſſionẽ facere poteſt, ſi id pacis conſeruatio poſtularet. Sicut enim electionem inſtituit, ita hęreditariam ſucceſſionem condere poſſet.

RESPONDEO dicendum, ꝙ Eccleſia indiget Imperatore tanquam aduocato, & defenſore

C pro ſtatu pacifico præſentis vitæ. Scribitur enim 10. diſt. cap. Quoniam idem. & 96. diſt. cap. Cum ad verum, ꝙ chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigent. Pontifices vero tantummodo pro curſu rerum temporalium Imperialibus legibus vtãtur, quatenus ſpiritualis homo non implicet ſe negocijs ſęcularibus. hac de cauſa Apoſtolus 1. ad Tim. 2. præcipit orationes, & obſecrationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitatibus ſunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate: & pro tali fine Hierem. etiam pro Regibus infidelibus mandauit orationes fieri. Scribitur enim Baruch. 1. Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita filij eius, ſcilicet Balthaſar, vt ſint dies eorum, ſicut dies cœli ſuper terram, &

D viuamus ſub vmbra ipſorum, & inueniamus gratiam in conſpectu eorum. Quando ergo Papa videret populo chriſtiano magis pacem dari per hęreditariam ſucceſſionem Imperij, quàm per electionem; puto, quòd ſic poſſit ordinare iſtud, ſicut ordinauit illud.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non exponeretur caſui, & fortunæ dominium Imperiale. eo quòd filio nato poſſunt aſſociari boni conſiliarij, & ſapientes viri, quorum conſilio, & prudẽtia Reſpublica poſſet bene tractari, & Eccleſia iuuari in eius opportunitatibus.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non careret aduocato, & defenſore magno tempore Eccleſia: eo

quòd per ſapientes ſibi datos poſſet huiuſmodi aduocatio,& defenſio fieri, quòd ſi ſpreto conſilio ſapientum,& dimiſſa ſocietate bonorum, vellet priuatū bonum, & proprium appetitum ſequi, iam non eſſet Rex, ſed Tyraonus.

A D tertium eſt dicendum, quòd filij nobiliom debent inſtrui, & nutriri in bonis moribus, & ſic habituari in liberalitate, & vt ſint Dei Eccleſiæ,& iuſtitię amatores, quòd talia reperiantur in eis actualiter cum ad dominium perueniunt, ſicut inueniretur in perſona,quæ eligeretur.

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA MELIVS faceret ordinando Imperium per hæreditariam ſucceſſionem, quàm per electionem.

Vide citatos in prędentibus articulis.

A D ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, qoòd Papa melius facit ordlnando Imperium per electionem, quàm ſi per hæreditariam ſucceſſiooem Imperium transferet. quia non poſſet Papa tale dominium auferre, quando placeret. ergo, &c.

2 Prætereà: Super illo verbo: Incenſa igni, & ſuffoſſa: Dicit Auguſt. quòd omnia mala proceduut ex amore male inflammante, & ex timore male humiliante. Ex amore ergo priuati boni, vel ex timore perdendi huiuſmodi priuatum bonum Imperator dominium non recognoſceret ab Eccleſia. Ex quo ex hæreditaria ſucceſſione, & ex antiqua conſuetudine eſſet ſibi quaſi in naturam conuerſum. In Pſal. 79.

3 Præterea: Si Imperator fit per electionem, ſemper recognoſcuntur illi, qui ſunt de parte Eccleſiæ. quod non contingeret ſi tale domioiom ordinaretur tranſire per ſucceſſiuam hæreditatem.

I N C O N T R A R I V M eſt. quia magna ſolicitudo debet eſſe Papæ, Populom chriſtianum io pace ſeruare. Sibi enim & alijs Prælatis dicitur ad Epheſ. 4. Soliciti ſeruate vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Sed magis ſeruarentur in pace fideles Eccleſiæ, ſi Imperium ordinaretur per hæreditariam ſucceſſionem, quàm per electionē: ſicut experimentaliter videmus iu Regnis, quæ hæreditario,& perpetuo Dño regūt.

R E S O L V T I O.

Papa ſi Imperium inſtitueret pet hęreditariam ſucceſſionem, multa incommoda vitarentur, & paci magis conſuleretur.

R E S R O N D E O dicendum, ꝙ conſideratis geſtis, & cònditionibus hominum, quas experimentaliter nunc videmus: ſatis videtur magis expe-
E diens Eccleſię pro pacifico ſtatu ſuorum fidelium ordinare Imperiale dominium per hæreditariam ſucceſſionem, qoàm per electionem. Poſſunt enim in dominio Imperiali tria conſiderari. Primum eſt ipſius Imperatoris imperantis affectio. Naturale nanque eſt: (vt dicit Philoſophus 2 Politicorum) vt quilibet afficiatur ad bonum proprium: ſicut naturale eſt, ꝙ homo ad ſeipſum amicitiam habeat. Ex quo ergo Imperator ſciret, Imperium ſibi deberi, non ſolum ad vitam, ſed per hæreditariam ſucceſſionem in proprijs filijs, magis conaretur ad iuſtitiæ obſeruationem, & Eccleſiæ defenſionem,& protectionem, ex quo ſciret ſe ad hunc finem Imperium pro ſe,& ſuis filijs ab Eccleſia recepiſſe. Secuodum eſt populi obedientis naturalis ſubiectio: conſuetudo nanque eſt quaſi altera
F natura: Ex quo igitur fideles Eccleſiæ per diuturnam conſuetudinem eſſent aſſuefacti Imperio obedire, & Eccleſiæ famulari, cuius ipſe Imperator miniſter eſt, non faciliter rebellarent: quia conſiderarent ſemper durum eſſe contra ſtimulum recalcitrare. Tertium eſt Eccleſiæ Imperium ordinantis impugnatio: quia enim Eccleſia ex morte Imperatoris, & quandoque ex diſcordia electorum, magno tempore caret Imperatore, aduocato,& defenſore; plura bella,& prælia, & litigia percipit ioſurgere in ſuis fidelibus: & plerumque ipſamet Eccleſia à ſuis vaſallis paruipenditur, & impugnatur, ſicut experimentaliter omni die videmus. Ad adiuuandum ergo ſupradictis, & alijs ſuperuenientibos impedimentis, quæ occurrunt ex carentia Rectorum in partibus Italiæ, ſatis *, puto, quòd
G Eccleſia melius faceret ſi Imperium ordinaret per hęreditariam ſucceſſionemm, quàm per electionem.

Ariſt. 2. Polit.cap. 2. circa finem altera pars propoſitionis circa medium. 3. ca.

Conſuetudo quaſi altera natura.

* Al. puto.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M eſt dicendum, quòd nō ſequitur. quia regnum Apuliæ, & Siciliæ concedit Eccleſia per hæreditariam ſucceſſionem: & tamen poteſt auferre, quando placet, ſi contingat Regem, & ſucceſſores eius tranſgredi iuramētum, & pacta inter ipſum, & Eccleſiam ordinata: ſic recepto iuramento, Eccleſia ab Imperatore,& ordinatis pactis, ex tranſgreſſione ipſorom poſſet Eccleſia auferre Imperium ab eo, & à ſucceſſoribus eius.

A D ſecundom eſt dicendum, qoòd ſermones mo-
H rales quandoque ſicut affirmatiue ligant, ſic oegatiue ſoluuntur. Ex amore nanque bene inflammāte, & ex timore bene homiliante procedunt omoia bona: magis autem ſecundum rectam rationem arbitrandum eſt, quòd Imperator deberet bene inflammari ex bono ſuo, ex quo videret ipſum perpetuari in ſuis filijs, quàm male, & quòd magis deberet bene homiliari ex timore, ne priuaretur in ſe, & in ſuis filijs tali bono, qoàm ſi priuaretur io ſe tantum.

A D tertiom eſt dicendum, quòd Eccleſia noo debet habere partem, ſed totum. Sponſa enim eſt illius, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos: vnde nullam partem dabet recognoſcere io iuſtitię obſeruatione; ſed in beneficiorum largitione illis plura debet impendere, quos magis dignos,& virtuoſos recognoſcit. Matth. 9.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA MELIVS faceret eligendo plures Imperatores, quàm vnum.

Gloſ. in cap. Nunc autem. 21. diſt. & textus, gloſ. & Doctores in cap. In apibus 7. quæſt. 1.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa melius faceret eligendo plures Imperatores, quàm vnum. quia plura cognoſcũt plures homines, quàm vnus: ſicut plura vident plures oculi, quàm vnus oculus. Sed ad regẽdum fideles Eccleſiæ, & obuiandum malitijs hominum, maxima viſio requiritur. Melius eſt ergo eſſe plures Imperatores, quàm vnum.

2. Præterea: Ad coercendum malorum prauitates, maximum poſſe requiritur. Sed plura poſſunt plures Principes, quàm vnus Princeps: ſicut plura poſſunt plures manus, quàm vna manus. Melius eſt ergo eſſe plures Imperatores, quàm vnum.

3. Præterea: Ad rectũ regimen Imperiale requiritur maxime, vt non peruertatur per paſſiones, & concupiſcentias, nec corrumpatur pretio, vel precibus. Sed facilius peruenitur, vel corrumpitur vnus, quàm plures. Melius eſt ergo, plures Imperatores eſſe, quàm vnum.

IN CONTRARIVM eſt. quia Eccleſia non debet obligare ſuos fideles ad impoſſibilia ſeruitia. Sed ſcribitur Matth. 6. Homo non poteſt duobus dominis ſeruire. aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget; aut vnum ſuſtinebit, & alterum contemnet, vt ibi ſubditur.

RESOLVTIO.

Si plures eſſent Imperatores, multa incommoda ſequerentur. quod à Papa nec fieri, nec permitti debet.

Ariſtoteles lib. 12. Metaphyſ. c.

RESPONDEO dicendum, quòd loquendo de regimine recto, & naturali, & nõ tyrannico, melius eſt ſimpliciter quamlibet multitudinem regi vno Principe, quàm pluribus Principibus. Cuius ratio eſt. quia plures Principes, vel dominantur, vt plures, & vt diſcordiam habent ad inuicem, vel vt ſunt vnum, & vt habent concordiam. Si vt plures, & vt diſcordes ſunt, tunc tale dominium perpetuari non poteſt. dicente Saluatore Lucæ xj. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, & domus ſupra domum cadet. Si vero dominantur, vt vnum, & ad inuicem habent cõcordiam, & vnitatem (cum propter quod vnũquodque, & illud magis;) ex quo dominari plures intantum eſt bonum regimen, inquãtum tenet locũ vnius, melius eſt ſecundum rectum dominium dominari vnum, quàm plures. Vnde Philoſ. in 12. Meta. dicit, quòd quia entia nolunt male diſponi, nec bona eſt pluralitas Principum, & principatuum; ideo concludit: vnus ergo Princeps, & vnus principatus.

vlti. in fine & ibi interprete.

Ariſt. 1. poſt t. 5. ſub finem.

Ariſt. 12. Metaph. t. com. 55. in fine.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd, & ſi plures Imperatores eſſent, per ſeipſos nõ poſſent omnia videre, & cognoſcere, niſi haberent eis adiunctos multos ſapientes, & multos videntes. Debet ergo Imperator, & quilibet alius Princeps multos ſapientes ſibi adiungere, de quorũ conſilio videat, & deliberet q̃ agenda ſunt; etiam cũ eum iraſci, & perturbari contingit, ſapientum conſilio vti debet. vnde ſcribitur Heſter. 1. quòd iratus Aſſuerus, & nimio furore ſuccenſus interrogauit ſapientes, qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio ſcientium leges, ac iura maiorum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ virtus vnita potentior, & fortior eſt ſeipſa diſperſa. fortius eſt Imperium per dominium vnius, quàm per dominium plurium, potiſſime quando plures Principes reguntur dominio vnius.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ recte dominantem non contingit peruerti, ſeu corrumpi, niſi velit ſpernere conſilium bonorum, & adhærere conſilio malorum, modo, quo fecit Hieroboam filius Salomonis, qui, ſpreto conſilio ſenum, adheſit conſilio iuuenum, ſed tunc magis cẽſendus eſt tyrannizare, quàm recto regimine imperare.

3. Reg. 12.

QVAEST. XXXVI. DE IMPERII DERIVATIONE.

VNC conſiderandum eſt de Imperij deriuatione. Circa quod quæruntur ſeptem.

Primo, Vtrum Papatus fuerit ante Imperium.

Secundo, Vtrum Papatus deriuatus ſit ab Imperio.

Tertio, Vtrum Papa ſaltem temporale dominium ab Imperio recognoſcat.

Quarto, Vtrum Imperator in dominio temporalium ſit maior Papa.

Quinto, Vtrum Imperator ſit maior Papa in dignitate.

Sexto, Vtrũ Imperator ſit maior Papa in cauſalitate.

Septimo, Vtrum Imperator ſit maior Papa in auctoritate.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPATVS FVERIT ANTE IMPERIUM.

Tur. Crem. in Summa de Eccleſia. lib. 1. Et Aluar. de Planctu Eccleſiæ lib. 1. cap. 68.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ante fuerit Imperium, quàm Papatus. Quia in primo ſtatu, ante peccatum fuiſſet dominium: ſecundum enim Philoſophum vigentes intellectu ſunt apti dominari, & alijs imperare: pollentes vèro viribus corporalibus debent alijs ſeruire, & miniſtrare: planum eſt enim, quòd in primo ſtatu ante peccatum aliqui viguiſſent magis in intellectu, & aliqui minus.

Ariſt. 1. Politicorũ. ca. 3.

2 Præterea: In ſecundo ſtatu poſt peccatum, tempore legis naturæ fuit dominium regale: ſcribitur enim Gen. 14. quòd quatuor Reges pugnauerunt aduerſus quinque in Valle ſylueſtri, nec dum erat dominium Papale.

3 Præterea: Tempòre legis ſcriptæ Saul fuit Rex primus in Iſrael, nondum inſtituto Papatu.

4 Præterea: Papatus incœpit in Petro, ſed ante multi fuerunt Imperatores, ſicut de Tyberio, & Iulio Ceſare, & de multis alijs.

IN CONTRARIVM eſt. quia idem eſt dominium Papæ, & dominium Chriſti: ſicut idem eſt dominium delegantis, & delegati. Petrus autem, & alij Apoſtoli Chriſti legati fuerunt. Iuxta illud 2. ad Corinth. 5. pro Chriſto enim legatione fungimur. Sed de dominio Chriſti ſcribitur Prouer. 7. Per me

E Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt: per me Principes imperant, & potentes decernunt iuſtitiam.

RESOLVTIO.

Imperium tyrannicum (hoc eſt Cain) fuit ante ſacerdotium, quod fuit inſtitutum in perſona Melchiſedech, qui figurabat ſummum Sacerdotem, qui nunc eſt. Politicum autem, rectum, & iuſtum ſecutum eſt ſacerdotium, & à ſummis Sacerdotibus inſtitutum, & confirmatum.

F RESPONDEO dicendum, quod de dominio Regali, ſeu Imperiali dupliciter poſſumus loqui. Primo, vt eſt vſurpatum, & Tyrannicum. Secundo, vt eſt Naturale, & Politicum.

S Anto. 3 p. tit. 22. §. 14. in omnibus ſequitur Auctorem.

Primum eſt permiſſum in pœnam dominantium, & in pœnam peccantium, atque in correctionem malorum.

Secundum eſt conceſſum in remediũ peccati propter pacem iuſtorum. Primum ergo dominiũ vſurpatum, & tyrannicum fuit ante ſacerdotium. Dicit enim Aug. 17. de Ciuit. Dei: Primus Regum terræ fuit ipſe Cain. Secundus eius filius Enoch, in cuius nomine, vbi regnaretur, condita eſt Ciuitas. vnde ſcri-

Tomo. 5. cap. 20.

G bitur Gen. 4. quòd cognouit Cain vxorem ſuam, & concœpit, & peperit Enoch, & ædificauit Ciuitatem, quam nominauit ex nomine filij Enoch: poſtmodũ omnes geniti ex maledicto ſemine Cain, vſurpatiuè, & tyrannicè dominium ſibi acquiſiuerunt. Sed dominium Naturale, & Politicum, & recto, & iuſto titulo acquiſitum ſecutum eſt ſacerdotium: quia tale dominium in miniſterium ſacerdotij, & in tuitionẽ, & defenſionem Eccleſiæ conceſſum eſt. Vnde dicit Iſy. in lib. 3. c. 53. de ſum. bono. Cognoſcant Principes ſæculi Deo debere rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt: Nam

De triplici dominio vide Ariſt. 1. Pol. 5. & Ægid. Rom. de regimine Principum lib. 1. parte 1. c. 14. & 2. p. c. 3. & 2. lib. cap. 14. idem 2. ſen. d. 18. dub. 6. litt. & d. 27. q. 1. artic. 3. ſub alijs verbis.

H ſiue augeatur pax Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit. Planum eſt autem, quod ſacerdotium ſtatim poſt diluuium inſtitutum fuit in perſona Melchiſedech, qui ſummum Sacerdotem, qui nunc eſt, ſignificabat. Sicut expreſſe dicit Gloſſa Gen. 14. vnde ſuper illo verbo: *Hic eſt enim Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi*: dicit Hierony. Melchiſedech, † aiunt Hebræi, fuiſſe ſecundum filium Noe, & computatione annorum oſtendunt eum vſque ad Iſaac vixiſſe, & omnes primogenitos à Noe vſque ad Aaron Summos Pontifices fuiſſe: ita vt omnes, qui iuſto titulo dominio naturali, & politico ſumpſerunt dominium ad Reipublicæ defenſionem, & Ec-

Epiſt. 126.

† Vide Alphõſum Caſtrũ lib. 10. aduerſus hæreſes, verbo Melchiſedech.

cleſiæ

eleſiæ Dei tuitionem verè per ſummos Sacerdotes A ordinati ſunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd dominium, vt dicit naturæ gradus diſtinctionem, fuiſſet ante peccatum. ſed vt dicit vitiorum correctionem, & ſeruitutis ſubiectionem, (Quia qui facit peccatum ſeruus eſt peccati) ante peccatum non fuiſſet. — *Ioan. 8.*

AD ſecundum eſt dicendum, quòd tempore legis naturæ Dominium regale, vt fuit vſurpatum, & tyrannicum, fuiſſet permiſſum in punitionem peccatorum, quia Deus Hypocritam facit regnare propter peccata populi. ſed Dominium naturale, & politicũ, vt fuit conceſſum in remedium peccati ad Reipublicæ defenſionem, & Eccleſiæ tuitionem, ſecutum eſt ſacerdotium. quia ſacerdotium eſt ordinatum in remedium peccati principaliter, & effectiuè. Dominiũ vero regale ſeu imperiale eſt ordinatũ in remedium peccati miniſterialiter, & adminiculatiuè. Vnde dicit glo. Gregorij, Nume. 35. quòd poſt mortem Summi Pontificis homicida iubetur reuerti, & ire in terram ſuam: quia humanum genus peccando mortem ſibi intulit, ſed poſt mortem veri ſacerdotis Chriſti, abſolutionem ſui reatus accepit. — *Iob. 34.*

AD tertium eſt dicendum, quòd Saul conſtitutus eſt Rex ex clamore populi quaſi in cõtemptum Samuelis pro iſto ſtatu locum ſummi Sacerdotis tenentis. Vnde ex hoc à Deo reprobatus eſt, & tamen non niſi per Samuelem in Regem ordinatus eſt. vnde ſcribitur 1. Regum 8. quia diſplicuit ſermo populi petentis Regem in oculis Samuelis; Dominus dixit ad eum: Audi vocem Populi in omnibus, quæ loquuntur tibi. quia te non abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.

Melius hoc habetur apud S. Hieronym. in ca. 8. Oſeæ ex quo fortè deſumpſit Auctor.

AD quartum eſt dicendum. quòd Dominium Papale poſſumus conſiderare tripliciter. Vel quantum ad figuram: Vel quantum ad perſonam: Vel quantum ad officium. Quantum ergo ad figuram: officium Papale præceſſit omnes Imperatores, & omnes Reges, qui iuſto titulo naturaliter, & politice dominium ſumpſerunt. Quia ſummum ſacerdotium in Melchiſedech figuratum eſt, vt dictum eſt ſupra Per gloſ. Hieronymi.

Quantum vero ad perſonam verum eſt, quòd Dominium Papale in B. Petro incœpit, qui fuit primus Papa, quem planum eſt plures Imperatores, & Reges præceſſiſſe in temporalium adminiſtratione, non autem quantum ad ipſius dominij iuriſdictionem, quã nec ante, nec poſt, nullus Rex, vel Imperator habere poteſt niſi à Chriſto, & per conſequens niſi à Papa: quia poteſtas Chriſti æterna eſt, quæ non auferetur, & Regnum eius, quod non corrumpetur, vt ſcribitur Danielis 7. Sed quantum ad officium ſecundum immediatam adminiſtrationem aliquorum temporaliũ, & ſecundum liberam executionem omnium ſpiritualium in toto orbe terrarum, officiũ Papale poſt Conſtantinum Imperatorem incœpit.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPATVS DERIUATUS ſit ab Imperio.

Canoniſtæ in cap. Solitæ. de maior. & obedientia. Et Aluar. vt ſupra.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papatus deriuatus ſit ab Imperio: Scribitur enim 1. Macha. 4. quòd Iudas Machabæus, qui fuit Dux Populi Iudæorum, elegit Sacerdotes ſine macula: vt mundaret ſancta, & B ſic ſacerdotium (vt videtur) deriuatum eſt à Iudicibus, & Regibus, & per conſequens Papatus ab Imperio.

2. Præterea: Electi ab electoribus deriuantur. Scribitur in geſtis Beati Greg. quòd cum electus eſſet in Papam, & ipſe conaretur Pontificalem dignitatem refugere, ſcripſit Mauritio Imperatori, vt ſuæ electioni non præberet aſſenſum. Hoc idem habetur expreſsè. 23. diſt. c. In nomine domini, quòd Imperatorum conſenſus requirebatur in electione Summi Pontificis.

3 Præterea: Præeſſe alijs proprium eſt Gentilium: dicit enim glo. ſuper illo verbo Lucæ 22. Scitis, quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper illos benefici vocantur, quia primatũ habere ſuper alios, Gentile eſſe Saluator oſtendit. Et ideo mentem Diſcipulorum æſtuantem comparatione Gentilium extinxit. cum ergo Papale, & ſacerdotale dominium præſidentiam quandam ſuper alios importet; ab Imperatoribus Gentilium tale C dominium videtur eſſe deriuatum.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſicut materia eſt propter formam; ita corporale, & temporale videtur eſſe propter ſpirituale. Dominium ergo Imperiale deriuatur, & eſt propter ipſum dominium Papale; non autem econuerſo.

RESOLVTIO.

D *Dominium Imperiale, vel Regale à Papali, vel ſacerdotali deriuatur quantum ad formationem dignitatis, auctoritatiſque receptionem.*

RESPONDEO, dicendum, quòd iſta quæſtio ſoluitur per illud, quod habetur extra de maior. & obe. c. Solitæ. vbi Papa reſpondens Imperatori ſic dicit: Noſſe debueras, quòd fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli. Luminare maius, vt præeſſet diei: & luminare minus, vt præeſſet nocti: vtrumque magnum, ſed alterum maius. Ad firmamentum ergo cœli, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ fecit Deus duo luminaria; quia duas inſtituit dignitates: quæ ſunt Pontificalis auctoritas, & Regalis poteſtas. ſed illa, quæ præeſt diebus, puta ſpiritualibus, maior eſt: quæ vero carnalibus minus eſt. Vt, quanta eſt inter Lunam, & Solem; tanta inter Pontifices, &

Reges differentia cognoſcatur. Plánum eſt autem, ꝙ Luna deriuatur à Sole, quantum ad eius formationẽ: quæ ex illa luce, quæ facta deſcribitur in Gen. prima die: Quarta die poſtmodum formatus eſt ſol primo, vt Dionyſius dicit: deinde Luna, & aliæ ſtellæ. & quantum ad eius lucis receptionem: quia Luna à Sole ſuam lucem recipit. vnde Pater omnium planetarum per Aſtrologos ipſe Sol deſcribitur; ſic dominiũ Imperiale, vel Regale deriuatur à Dominio Papali, vel ſacerdotali quantum ad eius formationem, vel quantum ad eius dignitàtis, vel auctoritatis receptionem.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Iudas Machabęus non elegit Sacerdotes, quantum ad officium, ſed quantum ad perſonas. quia de deputatis ad officium ſacerdotale, illos elegit, quos ex ſanctitate vitæ, & ex fama populi magis cognouit habere voluntatem in lege Domini.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ quandoque Papa in Eccleſia primitiua propter pullulationem hæreticorum conceſſit aliquod ius Imperatoribus, & Regibus, tam in Summi Pontificis electione, quàm in Eccleſiæ gubernatione. Ideo pro illo tempora tunc ad depreſſionem inimicorum indigebat Regum, & Imperatorum auxilio; ſed poſtmodum reaſſumpſit ſibi gladiũ correctionis eorum, & reaccepit * eis ius Eccleſiaſticum, quod eis ex conditione ipſorum non conueniebat.

* al. eius.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ iuſto dominio non includitur faſtus, vel ambitioſitas ſuperbię. hoc enim ſine dubio gentile eſt. ſcribitur enim Eccle. 32. Rectorem te poſuerũt, noli extolli: eſto in eis ſicut vnus ex illis: ſed quantum ad benignitatem conſulendi, & regendi, quæ iuſto dominio importatur, Sacerdotale, & Papale dominium non deriuatur ab Imperio, & dominio Gentilium: ſed magis èconuerſo.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA SALTEM Dominium temporale recognoſcat ab Imperatore.

Couarruuias lib. 4. variar. reſolut. cap. 15. & Alcia. ibi per eum citati. Et Aluar. lib. 1. cap. 13. & 37. & cap. 56.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſaltem Dominium temporale ab Imperatore recognoſcat. Scribitur enim 96. di. c. Conſtantinus, ꝙ dictus imperator Conſtantinus, coronam, & omnem regiam poteſtatem, vel dignitatem in Vrbe Romana, & in Italia, & in partibus Occidentalibus Apoſtolico conceſſit.

2 Præterea: Scribitur eodem c. Beato Silueſtro, & omnibus ſucceſſoribus eiuſdem, in præſenti tradimus Palatiũ noſtri Imperij Lateranenſe; deinde dyadema, videlicet coronam capitis noſtri, ſimul & frigium, ſimulque clamidem purpuream, atque tunicam coccineam; necnon omnia Imperialia indumenta, & diuerſa ornamenta, & omnem proceſſionẽ Imperialis culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ.

3 Præterea: Additur in dicto c. Decernimus itaque, & hoc vt ipſe Beatus Silueſter, & ſucceſſores eius dyademate, videlicet & corona, quam ex capite noſtro illi conceſſimus, ex auro puriſſimo, & gemmis precioſis vti debeant pro honore beati Petri.

In Contrarium eſt, quia dominiũ ſpirituale Papa à nullo recognoſcit niſi à Deo. Ergo dominium temporale non niſi à Deo recognoſcere debet: aliàs Papa per euidentiam facti duo principia eſſe fateretur, vnum ſpiritualium, & aliud temporalium: quod fuit error Manicheorum, vt dicit Auguſtinus.

De moribus Eccleſ. cath. Tom. 1. cap. 10.

RESOLVTIO.

Papa quantum ad reſtitutionem tyrannicè ablatorum, & quantum ad immediatam temporalium adminiſtrationem, temporale dominium ab Imperatoribus, vel Regibus recognoſcere poteſt: quantum vero ad vniuerſalem iuriſdictionem non item, ſed à ſolo Deo.

RESPONDEO dicendum, quòd dominium temporale quantum ad pręſens, tripliciter poſſumus conſiderare.

G Primo, quantum ad ipſorum temporalium tyrãnicè, & vſurpatiuè ablatorum reſtitutionem: Poſſũt enim aliqui tyrannicè, & vſurpatiuè dominium temporale habere: vel quantum ad acquiſitionem: quia iniuſto, titulo, & tyrannicè huiuſmodi dominium acceperunt: vel quantum ad vſum, & executionem, qua non vtuntur ad perfectionem, & defenſionem Eccleſię, ſicut miniſterialiter vti debent: multi namque Imperatores ante Chriſti aduentum dominium temporalium fortè iuſto titulo acceperũt, vt ſi per electionẽ populi, vel eorum, ad quos pertinebat, domini effecti ſunt: Quia tamen tali dominio non miniſterialiter vtebantur in obſequium Eccleſiæ, & in defenſionem Eccleſiaſticæ diſciplinæ: ſed potius ad eius impugnationem, tale dominium tyrannicum, & vſurpatum cenſendum erat. Dicit enim Iſydor. in lib. de ſummo bono, cap. 53. quòd Principes ſęculi non aliter intra Eccleſiam poteſtatis adepta culmina iuſtè tenent, niſi vt per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant, & defendant.

Secundo, temporalium dominium poſſumus conſiderare quantum ad immediatam adminiſtrationẽ, quam Imperatores, & Reges, & alij Principes ſæculi habent, & habuerunt: aliter domini temporales nõ appellarentur, niſi temporalium immediatam adminiſtrationem haberent.

Tertio, tale dominium poſſumus conſiderare quãtum ad vniuerſalem, & totalem iuriſdictionem. Totalis enim, & vniuerſalis dominus ſpiritualium, & tẽporalium eſt ipſa Chriſtus, & Vicarius eius Summus

Ponti-

Iob dictum c. 26. & intelligitur de Angelis, q̄ tum ad timorem filialem, vel reuerentiam. Vide hanc quæſtionẽ: An Angeli cadere timeant, in Barth. Syb. Dec 2. cap. 6 quęſtiuncula 3.

Pontifex: Columnæ enim cœli contremiſcunt, & pauent ad outum eius, & ſub eo curuantur qui portãt orbem, vt ſcribitur in Iob. Primis ergo duobus modis Papa bene poteſt tecognoſcere dominium temporale ab Imperatoribus, & Regibus: Quia quantum ad eorum tyranoicè, & vſurpatè ablatorum reſtitutionem: & quantum ad eorum immediatam adminiſtrationem, Eccleſia ab Imperatoribus recepit, & recipit temporalia. Sed quantum ad vniuerſalem iuriſdictionem, dominiũ temporale à oullo recognoſcit, niſi à Deo. huius ſignum eſt, quia ſi Papa iniuſte temporalia reciperet, vel ꝙ iniuſte vteretur, coram nullo Principe poſſet conueniri, & à oullo poſſet iudicari, niſi à Deo ſolo.

Ad Argumenta.

B

ET PER hunc modum poteſt teſponderi ad omnes rationes ſuperius adductas. Quia beatus Silueſter non recepit illa temporalia à Conſtantino, quantum ad dominij recognitionem, ſed quantum ad immediatam aliqoorum temporalium adminiſtrationem; quorum Eccleſia ante non habebat, & quantum ad ipſius Eccleſiæ, & fidei catholicæ defenſionem: Quia ſicut dictus Conſtantinus ante receptionem bapuiſmi vtebatur dominio temporalium tyrannicè, & vſurpatiue ad Eccleſiæ impugnationem, & Chriſtianorum perſecutionem: ita poſtmodum ſicut Dei mioiſter vſus eſt tali dominio ad Eccleſiæ exaltationem, & Chriſtianæ fidei defenſionem: nam multa priuilegia conceſſit Eccleſiæ in fauorem Chriſtianæ fidei; ſicut in legenda Beati Sylueſtri habetur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM IMPERATOR ſit maior Papa in dominio temporalium.

Turrecremata in cap. Cum ad verum. 96. diſt.

AD quartum ſic proceditur. videtur enim, ꝙ Imperator ſit maior Papa in dominio temporalium. D.cit enim Nicolaus Papa, & ponitur 96. di. c. Cum ad verum, ꝙ vltra oec Imperator ſibi iura Pontificatus arripiat, nec Pontifex iura Imperatorum vſurpet: quoniam idem mediator Deĩ, & hominum homo Chriſtus Ieſus actibos proprijs, & dignitatibus diſtioctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit. Sed ſi Papa diceretur maior Imperatore in temporalibus, vſurparet ius eius. Ergo nec debet dici maior ipſo in tali domioio.

2 Præterea: Iuramentum fidelitatis præſtatur ab Epiſcopis, Regibus, & Imperatoribus, cum accipiunt adminiſtrationem temporalium, noo autem tale iuramentum præſtatur Papæ. Ergo in dominio tempo-

A ralium Papa non eſt maior Imperatore, vel quocunque alio Rege.

3 Præterea: Beatus Ambroſius † dicit, & ponitur 23. q. viij capite: Conuenior; Tẽporalia Imperatorũ ſunt: ad Imperatorẽ palacia pertinent, ad Sacerdotem vero eccleſię. In temporalibus ergo imperator eſt maior Papa.

† Epiſtola 33. ad Marcellinam ſororẽ. To. 2.

IN CONTRARIVM eſt. quia in eo, cuius merũ domioiom homo habet, homo noo poteſt conueniri coram alio, ſi delinquat. ſed quicũque chriſtianus Rex, vel Imperator, ſi delinquat, poteſt conueniri coram Papa. vt patet 11. q. 1. Quicunque litem habens. Ergo nollius rei temporalis, vel ſpiritualis merum, & ſupremum dominium habet, oiſi Papa.

B

RESOLVTIO.

Papa maior eſt quocunque Imperatore, vel Rege tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus, cum ſit Vicarius Dei, qui temporalium, & ſpiritualium Dominus eſt vniuerſorum. Sed quantum ad immediatum vſum, & immediatam executionem Imperator eſt maior.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Hugo io decre. ſupra allegato. Cum ad verum: tria videtur dicere de dñio * Imperiali, & Papali contraria ſupradictis.

* Al. temporali.

Primo namque dicit, quòd Imperator poteſtatem gladij, & dignitatem imperialem oon tecepit ab Apoſtolico, ſed à Principibus, & populo per electionem, cuius contrariom ſopra determinatom eſt. Quicquid enim fuerit de Imperatoribus præteritis, moderno-

C rum tamen Imperatorum electio planum eſt, quòd pertinet ad Summum Pontificem: vel immediatè per ſeipſum, vel per Electores, quos ipſe Summus Pontifex ordinaoit.

Aluar. lib. 1. c. 37. Idem ſupra apud Doct. q. 85. arti. 1. 2. 3. & cet.

Secundo dicit, ꝙ ante fuit Imperator, quàm Papa, & quòd dictæ poteſtates Imperiales, & Apoſtolicæ ſuot diſcretæ, * & diuerſæ. Quorum vtrunque indiget diſtioctione. verum eſt nãque, Imperatorem fuiſſe ante Papam quantum ad perſonam: ſed oon quantum ad officium, & figuram: ſucceſſit enim Papatus, & Sacerdotiũ Chriſti Sacerdotio Leuitico: & Sacerdotium Leuiticum ſucceſſit Sacerdotio legis naturæ, ſicut dicit Apo. ad Hebræ. 7. Vode vniuerſaliter Sacerdotium fuit ante Imperium, ſicut ſupra dictum eſt: nec dictæ poteſtates ſic ſunt diſcretæ, & diuerſæ,

* Al. diſtinctæ.

D quòd vna non reducatur ad aliam: vtraque enim eſt à Deo Imperialis, & Apoſtolica: ſed Apoſtolica, & Sacerdotalis immediate: Imperialis vero, mediante Apoſtolica, & Sacerdotali.

Tertio dicit, quòd Papa eſt maior Imperatore in ſpiritualibus: ſed Imperator maior Papa in temporalibus. ſed ſi ſic eſſet, pari ratione Imperator poſſet dici maior Chriſto in temporalibus: oon enim eſt Imperator maior Papa in temporalibus, niſi propter immediatum vſum, & immediatam executionem, ſecundum quem modum Imperator maior Deo dicitur. quia Deus non habet immediatum vſum, & immediatam executionem temporalium. non enim ipſe manducat caroes taurorum: aut ſanguinem hircorum potat, nec equitat equos, præcedente turba famulorum, & armatorum; & tamen ipſe dicit in Pſal. vbi

iſta le-

Pſal. 49. iſta leguntur: Meus eſt orbis terræ,& plenitudo eius, & Dominum vniuerſorum ſe nominat. Nec,quia cœlos ſibi reſeruauit,terram autem ad vſum conceſſit filijs hominum, iuxta illud Pſal. Cœlum cœli domino, terram autem dedit filijs hominum. Pſal. 113. Propter hoc dicendum eſt, q̃ filij hominum ſint maiores Deo in terrenis,& Deus ſit maior homine ĩ cœleſtibus. quod enim ſimpliciter dicitur, ſine additamento dicitur. Et ideo ſicut Deus dominus vniuerſorum eſt temporalium,& ſpiritualium, quantum ad vniuerſalem iuriſdictionem; ſic Papa vicarius eius in ſpiritualibus, & temporalibus eſt maior quocunque alio Rege, vel Imperatore. E

Ad Argumenta.

F

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd Papa non debet ſibi vſurpare immediatam executionem, vel adminiſtrationem temporalium: ne propter talẽ immediatam executionem implicet ſe negotijs ſecularibus; ſicut nec Imperator immediatam executionem ſpiritualium debet habere. tunc enim illa abuſio ſequeretur, quòd carnalis homo in rebus diuinis præſidere videretur, & ſpiritualis homo carnalibus negotijs implicaretur. ſed ex hoc non ſubtrahitur dominium temporalium ipſi Papæ, quin in delictis, & violentijs non poſſit Imperatores, & Reges corrigere,& eos dominio temporalium priuare, ſi contingat eos † forefacere.

† Ideſt, peccare.

Ad ſecundũ eſt † dicendum, quòd iuramentum fidelitatis ab Epiſcopis non debet præſtari Regibus, vel Imperatoribus, quòd ab eis recognoſcant temporalium immediatam * iuriſdictionem. Tale enim iuramentum ſolum præſtandum eſt Papæ, qui ſuper temporalia, & ſpiritualia huiuſmodi iuriſdictionem vniuerſalem habet in toto orbe. Sed bene poteſt præſtari eis iuramentum,vt ab eis recognoſcant immediatam temporalium executionem,vel adminiſtrationẽ, potiſſimè in terris,& in regnis,vbi Eccleſia immediatam adminiſtrationem temporalium non habet. G

† Vide notata in cap. indignum. extra de regu. iur.

* al. Executionem.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Ambroſius intelligit temporalia eſſe Imperatorum, quantum ad vſum,& executionem, non quantum ad vniuerſalem dominationem, & tranſmutationem. Dei enim ſolius,& vicarij Ieſu Chriſti eſt tale dominium: quia ad eum ſpectat temporalia, & regna terræ tranſmutare,ordinare. Vnde dicitur Danielis 4. Tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur excelſus ſuper regnum hominum, & cuicunque voluerit,dabit illud.

ARTICVLVS V.

VTRVM IMPERATOR ſit maior Papa in dignitate.

S. Ant. p. 1. tit. 4. c. 10. §. 4. & p. 3. tit. 22. c. 5. §. 15. Turrecrem. in ſumma de Eccleſia lib. 2. c. 90.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Imperator ſit maior Papa in dignitate. Scribitur enim 96. diſt. c. Cõſtantinus, quòd ſicut Imperialis exiſtit decorata militia: ita Clerum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ adornari decreuimus,& Patronos,& Conſules effici: necnon in terris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari. Videtur ergo Imperatorem excedere Papam in dignitate,ex quo eius dignitas ex dignitate Imperiali videtur eſſe deriuata.

2 Præterea: Illud, quod ineſt cauſæ, & cauſato, dignius eſt in cauſa, quàm in cauſato: ſed ſcribitur eadem diſt. & c. Sicut noſtra eſt terrenà imperialis poteſtas: ita Sacroſanctam Romanam Eccleſiam decreuimus venerãter honorare, & amplius,quàm noſtrũ imperium, terrenumque thronum,Sedem ſacratiſſimam Beati Petri glorioſè exaltare,tribuentes ei poteſtatem,gloriam,& dignitatem,atque vigorem, & honorificentiam imperialem.

3 Præterea: Papa eſt vicarius Chriſti: ſed maior,& dignior fuit Chriſtus in eo,quòd Imperator, & Rex, quàm in eo q̃ Sacerdos: nam in eo, quòd Sacerdos paſſus eſt, & mortuus: in eo quòd Rex à mortuis reſurrexit. Ergo maior eſt dignitas Imperialis, quàm Papalis.

In Contrarivm eſt quod Scribitur 96. diſt. c. Duo quippe, vbi ex auctoritate Beati Ambroſij dicitur, quòd non tam aurum precioſius eſt plumbo, q̃ Regia poteſtate dignior ſit ordo Sacerdotalis.

RESOLVTIO.

Papa dignitas,cum ſit Vicarius Dei, omnem terrenam dignitatem, Imperialem videlicet, ac Regalem excellit.

H

Respondeo, dicendũ, q̃ ad præſens non ſit nobis curæ per auctoritatem Noui, vel Veteris Teſtamenti, ſeu per aliam rationem oſtendere,dignitatem Papalem excedere Imperialem: ſed ſolum per exempla Imperatorum Gentilium. Scribitur enim de Alexandro Imperatore, quòd cum veniret in Iudæam cum propoſito deſtruendi, & exterminandi ipſam,in viſione habuit, quòd Ioadæ ſummo Sacerdoti ſibi obuiam venienti honorem deberet impendere, tanquam ſuperiori,& digniori ſe. Quod ſic fecit, quia ſtatim, vt eum vidit Pontificalibus veſtibus ornatum, & laminam, vbi erat nomen Domini ſcriptum ſecundum legem antiquam in fronte Pontificis,de equo deſcendit, digniſſimèque eum veneratus eſt: De quo cum admirarentur Principes eius comitatum

Alexandri Magni hiſtoria.

A tatum ſequentes: reſpondit, ꝙ non ipſum adoraſſet, ſed Deũ, cuius principatum, & vicẽ gerebat in terris: vnde veniens cum eo Hieruſalẽ, templum dñi cum maximis donis honorauit, atque barbaram cõtra Iudæos ferocitatem deponens: ipſos ab omni tributo exemit, & libertate donauit. In libello ſimiliter Sibyllę Thyburtinæ ſcribitur, ꝙ cum in die Natalis Domini templum ædificatum à primordio vrbis Romæ corruiſſet, Cæſar Auguſtus intelligens maiorẽ Dñm ipſo eſſe in terra natum: prohibuit ex tunc, ne quis eum dñm vocaret, & cum diligẽter perquireret à Thyburtina Sibylla, quis eſſet verus Deus in hoc mundo: & cum illa oraculo ſe dediſſet, apparuit circa Solẽ circulus, & in medio circuli virgo pulcherrima puerũ geſtans in gremio. Tunc Sibylla reſpice (inquit) Imperator. Cum autẽ Cæſar ſtuperet ad viſionẽ prædictã, audiuit vocẽ de cœlo dicentẽ: Hęc eſt Ara cœli. Et Imperatori dixit Sibylla: Hic puer maior eſt te, ideo ipſum adora. quod fecit. Ex tunc præcepit, ne aliquis eum dñm vocaret. propter quod ille locus vocatur adhuc Sancta Maria de Ara cœli. Quicunque ergo non dubitat, Papam verum eſſe Chriſti vicarium; dubitare non debet eius dignitatem excellere omnem terrenam dignitatem, Imperialem, & Regalem.

Sibyllę Thyburtinę hiſtoria.

Sācta maria de Ara cœli vnde nomẽ traxerit.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt dubium, ꝙ militia Clericalis maioribus, & meliorib⁹ ornamentis debet ornari, q̃ militia Imperialis, quæ à Sacerdotali militia deriuata eſt. Scribitur enim Sap. 18. ꝙ in veſte poderis, quã habebat Aaron, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor lapidum ordinibus erant ſculpta, & magnificentia Dei in dyademate capitis illius erat ſcripta.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ cauſaliter nominaliter nomina dignitatis Eccleſiaſticæ, verum eſt ꝙ deriuata ſunt à Gentilibus magis, q̃ à Iudæis. Et potius imitãtur Gentiles in talibus dignitatibus, q̃ imitentur Iudæos, non obſtante ꝙ in ſacerdotio Iudæorum ſit figuratum ſacerdotiũ Chriſti. Quantum ad dignitatem, & cauſaliter effectualiter dignitas Imperialis, & Regalis magis ſit deriuata à dignitate Sacerdotali, quàm econuerſo. Quia lex illa iudaica, vbi dignitas Sacerdotalis deſcribitur, particularis erat reſpectu ritus Gentilium, qui diſperſi erant vniuerſaliter per vniuerſum orbem: Vnde Eccleſia noſtra, quæ catholica eſt, & vniuerſalis: magis in dignitate imitatur ritum Gentilium Imperatorum, quàm Sacerdotium Iudæorum.

Ad tertium eſt dicẽdum, ꝙ Chriſtus vnus, & idẽ fuit Rex, & Sacerdos: dignior tamen fuit (vt liceat ſic loqui) inquantum Sacerdos, quàm in eo ꝙ Rex. Quia dignius fuit ſua oblatione in cruce mortẽ vincere; & cœleſtem ianuam fidelibus aperire, quàm à mortuis reſurgere. Vel poteſt dici, ꝙ dignitas Chriſti, inquantum Rex, accipitur quantum ad præmium gloriæ reſurrectionis: ſed dignitas Chriſti, inquantum Sacerdos, ſumitur quantum ad meritum fructuoſæ paſſionis. Vnde non eſt inconueniens, quòd alio, & alio reſpectu vna dignitas ſit maior alia.

ARTICVLVS VI.

VTRVM IMPERATOR SIT maior Papa in cauſalitate.

Tur. Crem. in Summa de Eccle. lib. 1. c. 90.

Ad ſextũ ſic proceditᷣ. Videtur. n. ꝙ Imperator ſit maior Papa in cauſalitate, quia cauſa primaria plus influit in ſuum cauſatum, q̃ ſecundaria: vt dicitur in libro de cauſis. ſed plus poteſt Imperator, quàm Papa, cuius ſignum eſt: Propoſitione primà.
B quia eum in auxilium ſuum vocat ad defenſionem Eccleſiæ.

2 Præterea: Principium, & cauſa idẽ ſunt. Sed Imperator eſt primum mouens in corporalibus. Ergo excedit in cauſalitate.

3 Præterea: Oſcula pedum, & proſtrationes prius exhibita ſunt Imperatoribus, quàm Papæ. Ergo maior ipſo in cauſalitate.

In contrarium eſt, quia cauſæ eſt influere motum, & ſenſum in ſuum cauſatum: ſed motum directionis, & ſenſum cognitionis Papa influit in omnia membra Eccleſię. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus. Excedit ergo omnes in cauſalitate.

RESOLVTIO.

C *Papa cum ſit cauſa omnium credentium miniſterialiter, in cauſalitate maior eſt quocunque, ſicut Deus in genere cauſæ finalis, efficientis, & formalis.*

Respondeo, dicendum. ꝙ ſicut Deus altiſſimus eſt cauſa omnium in triplici genere cauſæ, finalis, efficientis, & formalis, vt dicit Commentator 12. Metaph. ſic Papa vicarius eius cauſa eſt omniũ credentium miniſterialiter. Primo, finalis, & ſupernaturalis finis demonſtratione. non enim poteſt quis credere, niſi audiendo: nec audire ſine prædicante, nec ṗdicare, niſi mittatur. Oportet ergo deuenire ad vnũ, à quo mittantur illi, qui fideles ad finẽ ſupernaturalẽ vocant. & iſta eſt deductio Apoſtoli ad Romanos 10.

D Secundo, efficiens in omnium credentium gubernatione, & motione. Non eſt enim abire in infinitum, & in mouentibus, & motis, & in rectoribus, & rectis. vnde dicit Aug. 3. de Trinit. ꝙ quemadmodũ corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur: ita omnia corpora per ſpiritum vitæ: & ſpiritus vitæ irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem. Et ſpiritus vitæ rationalis deſertor, atque peccator, per ſpiritum vitæ rationalem piũ, & iuſtum: & ille per ipſum Deũ, ac ſic vniuerſa creatura per Creatorem ſuum, ex quo, & per quẽ, & in quo condita, atque inſtituta eſt. ac per hoc voluntas Dei, & per conſequens, Papæ, qui eſt eius Vicarius, eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium, & ſpiritualium motionum: quia nihil fit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiori, inuiſibili, atque

Tomo 3. cap. 4.

inſenſibili, & intelligibili aula Sūmi Imperatoris aut iubeatur, aut permittatur. Tertio, eſt cauſa formalis in omni donorum, & gratiarum diffuſione, & diſtributione. Eſt enim vniuerſalis diſpenſator illius infiniti theſauri: puta meriti Chriſti, Martyrum, & Apoſtolorum, quo Eccleſia eſt dotata, & ditata, & Chriſti milites ſtipendiantur.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, ꝙ hoc ipſum ꝙ Papa vocat Imperatorem in ſuum auxilium, & Eccleſiæ defenſionem, à Papa habet cauſaliter effectiuè, & finaliter * terminatiuè, cum gladium imperialē ſolum in miniſterium Dei conſtet ſibi eſſe datum, vt dicitur 23.q.4.c. Quæſitum. (* Al. deriuatiuè.)

Ad ſecundū eſt dicendum, ꝙ ſicut contingit eſſe, multos fines, vnius tñ reducitur in alium, quouſq; deueniatur ad vltimū, ad quē omnes reducuntur, cum non ſit in talibus abire in infinitum; Sic cōtingit eſſe, multos mouentes: vnū tū reducitur ad aliud, quouſque deueniatur ad primū mouens, à quo cuncta mouentur. iſte eſt Deus, poſt Deū eſt Papa Vicarius eius.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſicut dicit Aug. multa de diuinis honoribus ſubtracta ſunt, quæ deferuntur humanis, vel ſubiectione mortifera, vel adulatione peſtifera: Papæ tamen vicario Chriſti non eſt dubium, quòd plures, & maiores honores deferri debent, quàm cuicunque alteri Imperatori, vel Regi. (De Ciuit. c. 4. Tomo 5.)

ARTICVLVS VII.

VTRVM IMPERATOR ſit maior Papa in auctoritate.

Turrecremata in Sum. de Eccleſ. lib. 1. cap. 96. & ſeq.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Imperator ſit maior Papa in auctoritate. Scribitur enim 1. Petri 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti: ſiue Ducibus tanquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.

2 Præterea: Scribitur Iudith 6. ex perſona Holofernis: Vt oſtendam tibi, quoniam non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor, & quòd ipſe ſit Dominus vniuerſæ terræ, tunc probabis, quando gladius militiæ meæ tranſibit per latera tua.

3 Præterea: Scribitur 96. diſt. c. Cōſtantinus, ꝙ in primo priuilegio dato per ipſum Eccleſiæ conſtitutum eſt, vt in toto orbe Romani Pontifices, vel Sacerdotes ita caput habeant Romanum Pontificem, ſicut iudices Regem: Auctoritatem ergo accepit Papa à Conſtantino, & ſic fuit maior ipſo.

In Contrarivm eſt. Quia auctoritas Papæ eſt in cœlo, & in terra. eſt autem Vicarius illius, de quo ſcribitur Sap. 18. Gladius acutus inſimulatum Imperium tuum portans, ſtans in terra, tangit cœlum. Poteſtas autem imperialis ſolum eſt in terra. Ergo minor illa.

RESOLVTIO.

Papa, cuius auctoritas eſt in cælo, & in terra, maior eſt Imperatore, cuius auctoritas eſt ſolum in terra.

Respondeo, dicendum, ꝙ iſta quæſtio determinatur per illud, quod habetur extra de maior. & obedien. c. Solitæ benignitatis affectu. vbi Papa reſpondens Imperatori ex eo, quòd * iratus fueras, ꝙ in litteris ſuis viſus fuit eum increpare ſic dicit: Potuiſſes autem prærogatiuam Sacerdotij ex eo intelligere potius, quia dictū eſt non à quolibet, ſed à Deo; non Regi, ſed Sacerdoti: non de Regia ſtirpe: ſed de ſacerdotali proſapia deſcendenti: de Sacerdotibus videlicet qui erant in Anathoth: Ecce conſtitui te ſuper gentes, & regna, vt euellas, & diſſipes, ædifices, & plantes. Soluitur ſimiliter per illud, quod habetur 96. di. c. Conſtantinus. vbi ſic dicit: Vtile iudicauimus vna cum omnibus Satrapis noſtris: vt ſicut B. Petrus in terris vicarius filij Dei videtur eſſe conſtitutus: ita principatus eius poteſtatem, & auctoritatē amplius, quàm terrenæ imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur: Vnde & tenentes frænum equi ipſius pro reuerentia B. Petri, ſtratoris officium illi exhibuimus. (* Al. iratus.) (Hierem. 1.)

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ B. Petrus ſcribebat ſubditis ſuis prouocans eos ad humilitatis meritum, nec imponens eis Regalis, vel Imperialis ſubiectionis iugum: quia ſi hoc intendiſſet ſuppoſuiſſet eos nedum ſeruituti Imperatorum, verum etiam ſeruituti ſeruorum: cum dicat: Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Planum eſt, autem, quòd ſerui inter creaturas Dei nominantur. (1. Petri. 2.)

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Holofernes, qui illa verba dixit labijs charitatis vnius mulieris Hebrææ interfectus eſt, & Nabuchodonoſor, qui ſe Deum vniuerſæ terræ nominabat, ab hominibus eiectus eſt, & cum beſtijs fuit habitatio ſua, quàmdiu non recognouit Deum cœli eſſe Dominum vniuerſorum, vt dicitur Danielis 4.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Conſtantinus non dixit ſe eſſe caput omnium: ſed ſolum illorum, qui erant ſuæ iuriſdictioni ſubiecti: Non enim Imperator, vel Rex accipit poteſtatem gladij ſuper bonos, & malos vniuerſaliter, ſed ſolum ſuper eos, qui ſunt eorum poteſtati commiſſi. nec Conſtantinus Papam conſtituit eſſe caput omnium Sacerdotum principaliter effectiuè. quia ſic conſtitutus eſt caput ab ipſo Chriſto, quando dixit Petro: Tu vocaberis Cephas, ſed ſolum inſtrumentaliter adminiſtratiuè. Exhibuit enim ſua imperiali potentia miniſterium, quo omnes beatum Syluestrum Summum Pontificem recognoſcerent. (Ioan. 1.)

QVAE-

QVAEST. XXXVII. DE IMPERII TRANSLATIONE.

De materia huius quæſtionis præter alios vide Caſtaldum Perufinum in tractatu de Imperatore quæſt. 7. Et Aluar.lib.1.cap.18.& 37.

VLTERIVS conſiderandum eſt de Imperij tranſlatione. Circa quod quęritur ſex.

Primo, Vtrũ auctoritate Papæ facta ſit tranſlatio omniũ regnorũ.

Secundo, Vtrum auctoritate Papæ ſpecialiter Imperium tranſlatum ſit ad Romanos.

Tertio, Vtrum auctoritate Papæ Imperium tranſlatum ſit à Romanis, ad Græcos.

Quarto, Vtrum auctoritate Papæ Imperium tranſlatum ſit à Græcis ad Germanos.

Quinto, Vtrum auctoritate Papæ Imperiũ poſſit transferri à Germanis ad alios.

Sexto, Vtrum auctoritate Papæ ordinandum ſit, ſtudiũ ſemper ſequi imperium, & regalem militiam.

ARTICVLVS I.

VTRVM AVCTORITATE Papæ facta fuerit tranſlatio omnium Regnorum.

AD primũ ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ auctoritate Papæ non ſit facta tranſlatio omniũ Regnorũ. Scribitur enim Daniel. 2. ꝙ Deus ipſe mutat tpa, & ætates: transfert regnũ, & cõſtituit. Non ergo hoc fit auctoritate Papæ.

2 Præterea: Scribitur Eccl.10. ꝙ Deus regnũ à gente in gentẽ trãsfert propter iniuſtitias, & cõtumelias, & diuerſos dolos. Peccatorũ ergo abundãtia magis, q̃ Papæ potentia, facta eſt tranſlatio ipſorũ regnorum.

3 Præterea: Scribitur.1.Paralip.10. ꝙ Deus interfecit Saulem, & trãſtulit regnũ eius ad Dauid filiũ Iſai.

IN CONTRARIVM eſt, quia mediante Sacerdotali, vel Prophetali pronunciatione, qui pro illo tempore, loco Papæ vicem Dei gerebant, facta eſt regnorum tranſlatio.

RESOLVTIO.

Regnorum omnium tranſlatio auctoritate Papæ facta fuit, vel alicuius, qui ipſum figurabat.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ vel loquimur de tranſlatione Regni Iudeorum: vel de tranſlatione Regni Gentilium, & Paganorum: vtroque autem A modo auctoritate Papæ, vel eius, qui gerebat vicem Papæ ſecundum conditiones ſtatus illius temporis, facta eſt tranſlatio regnorum. Nam primus Rex in Populo Iudæorum fuit Saul: qui ſicut per Samuelem, qui pro illo tempore perſonam ſummi Sacerdotis gerebat, fuit à Deo electus, & vnctus: ita per eundem Samuelem, à Deo fuit reprobatus; & eius regnum ad Dauid filium Iſai eſt tranſlatũ: Vnde dictum eſt Samueli 1.Reg. 16. Vſque quò tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael: imple cornu tuum oleo: & veni, & mittam te ad Iſai Bethlehemitam, cuius filium prouidi mihi in Regem. Si vero loquamur de tranſlatione Regni Gentilium, & Paganorum: Planum eſt etiam, quòd facta eſt tranſlatio eius, B mediante Dei auctoritate, & prophetica veritate Danielis, qui pro illo tempore perſonam Papæ repræſentabat: Scribitur enim Danielis 2. ꝙ Nabuchodonoſor vidit ſtatuam vnam, cuius caput erat ex auro optimo, pectus vero, & brachia de argento, venter vero & fœmora ex ære, tibię verò, & pedes de ferro: Quam viſionem interpretans Daniel ſic dicit: Caput ſtatuæ ex auro ſignificabat regnum Aſſyriorum. Pectus vero de argento ſignificabat Regnũ Græcorum propter ſonoroſam ſapientiam. Fœmora vero ex ære, regnum Medorum: Pedes vero, & tybiæ de ferro, regnum Romanorum. quia ſicut ferrum comminuit, & domat omnia metalla, ſic Romani comminuerũt; C & domauerunt omnia regna terræ. Ab Aſsyrijs ergo regnum tranſlatum eſt ad Græcos: A Græcis ad Medos, vel ad Medos tranſlatum eſt primo: & poſtmodum à Medis ad Græcos: & à Græcis ad Romanos. Et tunc Romanis imperantibus in vniuerſo orbe, abſciſsus eſt de monte lapis ſine manibus; tunc natus eſt Chriſtus de vtero Virginali, ſine virili ſemine: qui percuſit ſtatuam, & redacta fuit quaſi in fauillam. Ex tunc enim Reges terræ, qui idola deſtruxerunt: & Roma ſpecialiter, quę erat Magiſtra erroris, fuit facta diſcipula veritatis.

Saul prim⁹ Rex Iudæorum.

Nabuchodonoſ. ſtatuæ ſignificatio.

Roma erroris magiſtra eſt facta Diſcipula veritatis.

Ad Argumenta.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Deus per ſeipſum poſſet Imperare: & regere vniuerſum orbem, qui potens eſt, vt & ſine rate quis adeat mare: ſed vt non ſint ſuperuacua opera ſapientiæ ſuæ, exiguó ligno credunt homines animas ſuas, vt dicit Sap. 14. Potuit ergo ſine Sacerdotibus, & Prophetis, qui pro conditione illius ſtatus vicem Papæ gerebãt, ordinare, & pronunciare tranſlationem omnium regnorum ſupradictorum. hoc tamen non fecit, ſed fecit mediantibus eis.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut formaliter

liter quis efficitur dignus Principatu, & imperio, virtutibus, & gratijs: ita peccatis, & vitijs formaliter quis meretur, imperio, & regno priuari: effectiuè tamen, & auctoritatiuè fit hoc à Deo, miniſterialiter vero à Sũmo Pontifice, qui eſt vicarius eius.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Saul merito priuatus eſt Regno: & tranſlatum eſt eius regnum ad Dauid, propter eius ſuperbiam: propter eius inobedientiam, & propter eius idololatriã, quia conſuluit Phytoniſſam: nec ſperauit in domino: vt dicitur 1. Parali. 10. non eſt tamen regnum eius tranſlatum niſi auctoritate Samuelis, vt ſupra dictum eſt.

ARTICVLVS II.

VTRVM AVCTORITATE Papæ ſpecialiter Imperium ſit tranſlatum ad Romanos.

Videto Caſtaldum ſupra, initio quæſtionis citatum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ auctoritate Papæ ſpecialiter imperium non ſit trãſlatum ad Romanos. Quia ante fuit imperium ad Romanos trãſlatum, quàm Papa eſſet. Ergo nõ eius auctoritate hoc factũ eſt.

2 Præterea: Quod non fit auctoritate Dei, non fit auctoritate Papæ. Sed imperiũ non eſt tranſlatum ad ad Romanos auctoritate Dei. Quia Romani Deum verum Hebræorum nunquam colere voluerunt, ſicut dicit Auguſt. de conſenſu Euangeliſtarum 1. cap. 12. Non ergo ad eos tranſlatum eſt auctoritate Papæ.

3 Præterea: Natura fecit vigentes intellectu naturaliter dominos, & deficientes intellectu naturaliter ſeruos, vt dicit Philoſophus 1. Poli. Sed Romani potiſſimè vigebant prudentia, & intellectu. Ergo naturaliter dominium Imperij tranſlatum eſt ad eos abſque Papæ auctoritate. Ariſt. 1. Polit. cap. 3.

In contrarium eſt, quia Papæ ſummo Sacerdoti dicitur Hiere. 1. Ecce conſtitui te ſuper Gentes, & Regna, vt euellas, & deſtruas, & diſſipes, & plantes. Diſſipatio ergo, & tranſlatio regnorum ad ſummum Sacerdotem ſpectant.

RESOLVTIO.

Auctoritate Papę Imperium ad Romanos fuit tranſlatum.

Tomo 5. cap. 21. RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. 5. de Ciuit. Dei; Valde ſupra vires hominũ eſt occulta diſcutere, & liquido examine merita iudicare Regnorũ: iſtud tamen indubitanter tenendum eſt, ꝙ ille vnus verus Deus, qui nec iudicio, nec adiutorio deſerit genus humanum, qui dedit regnum Aſſyrijs, vel etiam Perſis, ſeu Græcis; ille idem, quando voluit, & quantum voluit, Romanis regnum dedit.

Poſſumus tñ quinq; colligere ſpecialiter ex dictis

E Aug. in diuerſis locis ſupradicti libri de Ciuitate Dei, propter quæ imperium tranſlatum eſt ad Romanos. Primum fuit reuerentia Deorũ. Cum enim Marcus Marcellus Syracuſanam vrbem ornatiſſimam debellaſſet, euerſa illa, more bellorũ, tam caſto, & tam clementi animo ab eo præceptum eſt, vt quicunque ad hoc; vel ad illud templum refugiſſet, haberetur illæſus. Ipſe idem Imperator cum videret Ciuitatem ruiturã, prius fleuit, & prius illi lacrymas effudit, quàm Ciuitas eſſet euerſa. prius etiam, quàm Ciuitatẽ iuſſiſſet inuadi, pręceptum fecit, ne quis corpus liberum violaret, vt refert Aug. 1. de Ciui. Dei. Tom. 5. c. 6.

Secundum fuit clementia, & virtus animorũ. vnde dicit Aug. eodem lib. quòd de eorum præcipua laude dictum eſt: quòd parcere ſubiectis, & debellare F ſuperbos, & quòd accepta iniuria, ignoſcere potius, quàm perſequi malebant. Vergili⁹ lib. 6. Æneid.

Tertium fuit fides promiſſorũ: recitat enim Aug. 1. de Ciuit. Dei, ꝙ † Marcus Attilius regulus cauſa ꝓmiſſi, iuriſque iurandi ad hoſtes ſine vlla dubitatione remeauit. Cum enim à Carthaginenſibus in carcere detineretur, Romam pro impetranda pace miſſus fuit, quam cum non impetraſſet, propter iuramentum, quod de reuertendo fecerat, ad eos reuerſus eſt, & ab eis occiſus. Tomo 5. cap. 15. † Valerius Maxim⁹ li. 2. cap. 4. & in dolio clauis pleno dicitur diẽ ſuũ obijſſe.

Quartum fuit iuſtitia diſcuſſionum. non enim iudicabant aliqua abſque matura diſcuſſione: quod potiſſimè apparuit in accuſatiune Pauli Act. 25. de quo dixit Feſtus Regi Agrippę: Audierunt me Principes Sacerdotum, & ſeniores Iudæorum poſtulantes aduerſus Paulum damnationem mortis: ad quos reſpondi: quia non eſt conſuetudo Romanis damnare aliquem hominem, prius, quàm ille, qui accũſatur, præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi G accipiat ad abluenda crimina, quæ ei obijciuntur.

Quintum fuit carentia propriorum. Dicit enim Auguſtinus ſuper illo verbo 2. ad Thimo. 4. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum veniens, affer tecum; Romanos hanc cõſuetudinem habuiſſe, vt Gentes, quæ cum pace eos recipiebant, ex tunc fratres eorum appellarentur: & Ciues Romani abſque aliquo tributo dicerentur. Propter quod penula veſtis conſularis erat data patri Pauli in ſignum, quòd Ciuis Romanus erat. Vnde ex hac cauſa Iudas Machabæus audiens virtutem Romanorum quòd curiam ſibi fecerant, & quòd quotidie conſulebant trecentos, & viginti H viros, de quorum conſilio gerebant quæ digna erant: & quòd per ſingulos annos magiſtratum eorum vni committebant dominari vniuerſæ terræ: & quòd omnes obediebant vni, & quòd non erat inuidia, neque zelus inter eos. & quòd propter victoriam obtentam de vniuerſis Gentibus nullus eorum portabat dyadema, nec induebatur purpura: vt magnificaretur in ea miſſis Legatis conſtituit cum illis amicitiam, & ſocietatem, vt ſcribitur 1. Macha. 8. Pauli Pater Ciuis Romanus.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendũ, ꝙ illud, quod fit auctoritate Sũmi Pontificis, fit auctoritate Chriſti, cuius Sacerdotiũ æternũ fuit, & in ęternum durabit: vnde

vnde quod factum eſt de tranſlatione regnorũ Chriſti anſtoritate permiſſiuè, vel effectiuè, auctoritate ſummi Sacerdotis dicitur eſſe factum.

A d ſeccundũ eſt dicendum, ꝙ cauſam, quare Romani Deũ Hebræorũ noluerunt colere, aſſignat Aug. in lib. ſupradicto. quia Socratis Philoſophi ſententiã firmã tenebant: quæ talis erat: Vnũquenque Deũ ſic coli oportere, quomodo ſe colendũ ipſe ꝓciperet. Cũ ergo ſcirẽt per dicta Hebræorum, ꝙ eorũ Deus ſolus volebat coli, exterminatis dijs omnium Gentium, noluerunt ſibi ſacrificis offerre: ex quo ſibi ſimul cum alijs Dijs ſeruire nõ poterant. vnde reſpueruot vnius Dei veri cultũ, ne multos falſos offenderent: arbitrantes magis ſibi obfuturam illorum deorum iracundiã, quàm veri Dei profuturam beneuolentiam.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ accipiendo naturaliter affirmatiuè, nulli homini conuenit naturaliter Dominium, ſaltem ſecundum ꝙ dominium opponitur ſeruituti. Cum enim omnes homines ex vno viro, & vna fœmina originem traxerint, non eſt datum vni magis dominari, quàm alteri. Nec bona mundi alia ſunt magis vni, quàm alteri appropriata. Sed accipiendo naturaliter negatiuè, ſicut dicimus, quòd homo naſcitur naturaliter nudus: quia non oritur cum aliquo veſtimento: per artem tamen poteſt ſibi omne veſtimentum fabricare: ſic homo naturaliter efficitur Dñs: quia per virtutes, quas ſibi acquirit, meretur principari illis, q ſunt prudẽtia, & virtutibꝰ denudati.

ARTICVLVS III.

UTRUM AUCTORITATE *Papæ Imperium tranſlatum fuerit à Romanis ad Græcos.*

Ad tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ auctoritate Papæ imperium non ſit à Romanis ad Græcos tranſlatum. quia Conſtantinus Imperator fecit huiuſmodi tranſlationem. Non ergo hoc factum eſt auctoritate Papæ.

2 Præterea: Quatuor conſilia facta in Græcia, præcipientibus Imperatoribus ibi exiſtentibus, cõfirmata ſunt per ſummos Pontifices exiſtentes Romæ. Non ergo auctoritate Papę Græci Imperium habuerunt.

3 Præterea: Tempore Alexandri, imperiũ fuit apud Græcos, & poſtmodum tranſlatum eſt ad Romanos. Noo ergo à Romano Pontifice tranſlatum eſt Imperium à Romanis ad Græcos.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur 96. diſt. c. Conſtantinus.

RESOLVTIO.

Auctoritate Papę imperium à Romanis ad Gręcos fuit tranſlatum.

Respondeo, dicendũ ꝙ poſtquam Imperator Cõſtantinus baptizatus eſt per B. Silueſtrũ † imperio Occidẽtali ceſſit, & vrbẽ ſibi in Grecia elegit,

† Vide Couarruuiam. lib 4. variar. reſolut. cap. 16.

A quæ Bizantiũ vocabatur: quã Romæ potentia, & meritis coæquauit, ibidẽque ſedẽ imperialem cõſtituit, & ex tunc imperiũ à Romanis ad Græcos tranſlatũ eſt. ita vt Imperator de partibus Occidentalibus non debeat ſe intromittere, niſi expreſſe auctoritate, & mandato ſummi Pontificis, & hoc eſt quod Decre. ponit di. & c. ſupradicto Vbi ſic dicitur: Ecce tã palatiũ noſtrũ, q̃ Romanam Vrbem, & omnes Italiæ, ſine Occidẽtaliũ Regionũ, Prouincias, Loca, Ciuitates, beatiſſimo Pontifici vniuerſali concedimus, atque relinquimus: & ab eo, & à ſucceſſoribus eius per conſtitutum Imperatorũ decreuimus diſponenda: vnde congruũ proſpeximus noſtrũ Imperiũ, & Regni poteſtatem Orientalibus transferre Regionibus, & in Bizantiæ Prouincię optimo loco nomine noſtro Ciuitatem

B ædificare, & noſtrũ Imperium illic conſtitui. qm̃ vbi Principatus Sacerdotum, & Chriſtianæ Religionis caput ab Imperatore cœleſti conſtitutum eſt, ius nõ eſt, vt illic Imperator terrenus habeat poteſtatem.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ Cõſtantinus huiuſmodi tranſlationẽ fecit auctoritate ſummi Pontificis, q tãquã Vicarius Dei filij cœleſtis Imperatoris iuriſdictionẽ hẽt vniuerſalẽ ſup oĩa regna, & imperia.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ propter imperiũ ad Græcos poſt tempus Conſtantini tranſlatum: Eccleſia ibi poteſtate, & dignitate multum vigebat: & ideo quatuor Concilia fuerunt ibi celebrata, quibus

C Imperatores ſic eis ſe ſubiecerunt, quatenus per ſummum Pontificem approbarentur.

A d tertium eſt dicendũ, verum eſſe, ꝙ ante Chriſti aduentũ imperiũ tranſlatũ eſt à Græcis ad Romanos: ſed poſt aduentũ Chriſti tempore Cõſtantini, ex quo ceſſit Occidẽtali Imperio, trãſlatũ eſt ad Græcos.

ARTICVLVS IIII.

UTRUM AUCTORITATE *Papæ imperium tranſlatum ſit à Græcis ad Germanos.*

Vide gloſſam, & Doctor. in cap. Venerabilem. extra de elect. & elect. poteſtate.

D

Ad quartũ ſic proceditur. Videt. n. ꝙ auctoritate Papę Imperiũ non ſit tranſlatũ à Græcis ad Germanos: quia Carolus Magnus, q, fuit primus Imperator, poſtquam à Græcis tranſlatũ eſt imperiũ, fuit Rex Francorum, non Germanorum, vel Theutonicorum. Non ergo à Græcis tranſlatum eſt imperium ad Germanos.

2 Præterea: Adhuc dominus Græcorũ vocatur Imperator Conſtantinopolitanus. Non ergo ab eis tranſlatum eſt imperium ad alios.

3 Præterea: Poſtquã Imperator eſt electꝰ, nõ nominaẽ Imperator Germanorũ, ſeu Theutonicorũ, ſed Romanorũ; & ſic nõ eſt tranſlatũ imperiũ ad Germanos.

In Contrarium eſt quod ſcribitur extra E de elec. c. venerabilem. vbi dicitur, ꝙ à ſede Apoſtolica poteſtas eligendi Imperatorem in ipſos Electores peruenit, quæ Romanum Imperium in perſona Magnifici Caroli à Grçcis tranſtulit in Germanos.

RESOLVTIO.

Auctoritate Papę Imperium à Grçcis ad Germanos fuit tranſlatum.

Respondeo, dicendum, quòd imperiũ conceſſum eſt Eccleſiæ in eius oppreſſionis ſubleuationem, & protectionem: vnde cum tam imperium Conſtantinopolitanũ penè deficeret, & Romana Eccleſia per Longobardos nequiter opprimeretur, tempore Adriani Papæ, & Leonis ſucceſſoris eius, cui per F Longobardos, & Romanos iniquos eruti fuerũt oculi, & lingua abſciſſa; diuina tamen virtute poſtmodũ ſibi reſtituta fuit; aduocatus fuit Carolus Magnus Rex Francorum, qui cum magno exercitu Papiam venit, & ipſam obſedit: & capto Deſiderio Rege, ac Longobardis proſtratis: de ſeruitute ipſorum Eccleſiam liberauit. vnde propter tale beneficium collatum Eccleſiæ, Papa Adrianus Carolo imperium contulit cum inueſtitura Epiſcoporum, ſicut patet 63, diſt.c.Adrianus. poſtmodum tempore Leonis ſucceſſoris eius iam imperio de genere Caroli deficiente, & ſciſſo in multas partes; cum quidam Berengarius tyrannicè Italiã inuaſiſſet; Eccleſia vocauit Otthonẽ, primum Regem Saxoniæ: qui dictum Berengarium G eiecit de Regno, & cum aſſenſu Eccleſiæ totã Italiam ſibi ſubiugauit. Ex quo beneficio collato Eccleſiæ, prædictus Rex à Leone ſummo Imperatore eſt conſtitutus forma, & modo, quo Carolus Magnus per Adrianum conſtitutus fuerat: ſicut patet 63.di.c. In Synodo, & ex tunc imperium à Grçcis dicitur ad Germanos eſſe tranſlatum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ tempore Caroli Magni imperium non erat diuiſum: ſed ipſe imperabat Germanis, & Francis. Sed poſtmodum deficiente genere Caroli: Hugo Dux Aurelianen. regnum Franciæ ſibi vſurpauit, occiſis illis, & extirpatis, qui erant de genere regio, & de genere imperiali; H vnde de dicto Hugone, vt ponitur, deſcenderunt omnes Reges Franciæ, vſque ad iſta tempora, non de Carolo Magno.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit gloſſa ordinaria extra de ele.c. venerabilem, poſtquam imperium Conſtantinopolitanum ſic defecit, vt Eccleſiã iuuare non poſſet, imperium proprie appellari non debuit. Sed ille verus Imperator dicitur, quem Eccleſia aſſumit in ſuum auxilium, & adiutorium.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Imperator dicitur Rex Romanorum, non ratione electionis, vel nationis, ſed propter dignitatẽ, ratione deriuationis: qa inde deriuatũ eſt imperiũ: & ratione confirmationis, & coronationis: quia ibi debet cõfirmari, & coronari.

ARTICVLVS V.

VTRVM AVCTORITATE Papæ, Imperium transferri poßit à Germanis ad alios.

[1] Caſtaldus in tractatu de Imperatore quæſt. 7. nu. 10. & citati ibi per eum.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd auctoritate Papæ imperium non poſſet à Germanis transferri ad alios: quia Papa non poteſt contra auctoritatẽ Sacræ Scripturæ. Sed ſcribitur Prouer. 22. Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui. Papa ergo ſtatuta antiquorum Patrum mutare non poteſt.

2 Præterea: Scribitur 25.q.1.c. Iuſtitiæ. Iuſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, vt qui à ſucceſſoribus ſuis deſiderat ſua mandata ſeruari, Prædeceſſoribus ſuis proculdubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiant.

3 Præterea: A Græcis tranſlatũ eſt imperiũ ad Germanos pp defectum potentiæ Grçcorũ, non potentiũ iuuare Eccleſiã: ſed in Germanis non eſt defectus potentiæ; ergo à Germanis nõ poteſt transferri ad alios.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur 22. q.4.c. Diſplicet. vbi auctoritate Aug. dicitur, quòd Eccleſia per incrementa temporum ſemper maiori poteſtate vtitur. ſi ergo Eccleſia quandoque fecit huiuſmodi tranſlationẽ, multò fortius nunc põt facere.

RESOLVTIO.

Auctoritate Papę imperium à Germanis ad alios transferri poteſt.

Respondeo, dicendum, ꝙ difficultas oritur ſuper electione imperij plerunque. quia conditio Imperatoris à tempore Conſtantini multipliciter variata eſt. Nam tempore dicti Conſtantini Imperatores eligebantur more antiquo, ſiue à Populo, ſiue à Senatu; ſiue ab Exercitu; & quandoque de genere; quandoque vero non. Qui modus ſeruatus eſt vſque ad tempora Michaelis Imperatoris, & Caroli Magni. Poſtea inſtitutio imperij proceſſit per ſucceſſionem vſque ad tertium Othonem, qui fuit nepos primi, & filius filij. De iſtis enim non inuenitur facta electio; ſed ſola prouiſio per ſummum Pontificem: quia Otho veniens Romam, Eccleſiã multipliciter vexatam per quendam Creſcentium Patritium ab illa vexatione ipſam liberauit tempore Ioan. xj. quo mortuo ad petitionẽ eius electus eſt quidã conſanguineus eius, Brunus nomine: qui poſtea vocatus eſt Gregorius V. qui, conuocatis Principibus Alemaniæ, ordinauit Electores Imperatoris officiales ipſius imperialis curiæ. qualitercunque tamen inſtitutio Imperij ſit variata, nulli tamen dubium eſſe debet, quin ſummus Pontifex, quẽ Cõſtantinus vicariũ eſſe Dei filij firmiter cõfeſſus eſt, Imperatorẽ poſſit eligere quẽcunq; & vnde

cunque

cunque ſibi placet, in auxiliũ, & defenſionẽ Eccleſiæ. A

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd termini antiquorum Patrum non transgrediuntur, quã do eorum intentiones obſeruantur ſuper vtilitate, & protectione Eccleſiæ, quam intendentes ſicut Imperatorem elegerũt de vna Regione, ita reliquerunt poſterioribus poſſe de alia eligere, eadem cauſa pẽſata.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Papa ita Canonibus auctoritatem præſtat, vt ſeipſum non ſubijciat eis: ſicut Chriſtus, qui ſic legem, quam dedit, carnaliter impleuit: vt cum ſe dominum legis oſtenderet, quando contra litteram legis leproſum tangẽdo curauit.

S. Tho. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. argu.

AD tertium eſt dicendum, quòd ad protectionem, & defenſionem Eccleſiæ non ſufficit ſolum poſſe defenſionis, nisi adſit velle debitæ ſubiectionis, & ſcire ordinatæ cognitionis.

ARTICVLVS VI.

VTRVM AVCTORITATE Papæ ordinandum ſit, ſtudium ſequi ſemper Imperialem, & Regalem militiam.

Vide proœmium Inſtitutionum Iuris Ciuilis in principio, & ibi Doctores.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd auctoritate Papæ non ſit ordinandum, ſtudium ſequi ſemper Imperialem, & Regalem militiam. Quia anima ſedendo, & quieſcendo fit ſciens, & prudens: vt ſcribitur 7. Phyſicorum. ſed militia Imperialis, ſiue Regalis conſiſtit in quodam motu. Non ergo ipſam debet concomitari ſtudium.

Ariſt. 7. Eth. t. com. 20.

2 Præterea: Curiam Imperialem, vel Regalem ſequitur tumultus quæſtionum generantium litem, & diſcordiam. Sed ſeruum Dei volentem ſtudere non oportet litigare: ſed manſuetum eſſe ad omnes, vt ſcribitur 2. ad Timoth. 2. Non ergo militiam Imperialem, ſeu Regalem debet ſequi, ſeu concomitari ſtudium.

3 Præterea: Quæ ſtudium impediunt, ſtudium concomitari non debent: ſed leges Imperiales impediunt ſtudium, vnde ordinatum eſt, vt Pariſijs non legantur, niſi vbi ſtudium eſt ordinatum.

IN CONTRARIVM eſt, quia Regalis, & Imperialis militia primo fuit in Ægypto: cum Regnum Aſſyriorum fuerit primum, vt ſupradictum eſt: ſed circa Aegyptum mathematicæ artes primo inuentæ ſunt; quia ibi gens Sacerdotum primo vacare dimiſſa eſt ſtudio, & doctrinę: vt dicit Philoſophus 1. Metaphyſices.

Ariſt. 1. Metaph. ſub. finẽ Prologi.

A RESOLVTIO.

Studium Theologię præſertim, & aliarum ſcientiarum ei adminiculantium, debet ſequi militiam Imperialem, & Regalem propter iuſtitiam defendendam, & multa bona conſeruanda.

RESPONDEO, dicendum, quòd Imperialem ſeu Regalẽ militiam quatuor per ordinem conſequuntur. & dico Imperialem, vel Regalem militiã, iuſtitiam ſeruantem, & defendentem. quia remota iuſtitia, Imperia, & Regna, non ſunt niſi quædam latrocinia, vt dicit Auguſtinus 4. de Ciuit. Dei c. 4. Tomo 5. Primum eſt pacis vnitas: quia finis Imperialis militię pax eſt. Non enim bellatur, vt belletur: ſed vt pax habeatur, ſecundum Philoſophum. B Abſque enim Regali, vel Imperiali prouidentia impoſſibile eſt rebus pacem dare, vt ſcribitur 2. Macha. 3. Secundum eſt diuini cultus reuerentia, & ſanctitas. Vnde poſt Carolum magnũ militaris iuſtitia viguit in Francia. Ideo cultus Dei miro modo extitit ampliatus. Tertium eſt rerum temporalium vbertas. Quia mercantię currere non poſſunt, niſi vbi Regalis militia, & iuſtitia ſeruatur. Quartum eſt ſtudij, & doctrinæ veritas: reuoluendo enim tam libros Theologorum, quàm Philoſophorum, ſemper inuenimus ſtudium concomitatum eſſe Regalem militiam, & Imperialem iuſtitiã.

Ariſtot. 10. Eth. c. 7. & 7. Polit. ca. 15.

Fuit enim ſtudium primo in Aegypto vigẽte militia Aſſyriorum tempore Ioſeph, qui omnem terrã Aegypti, & cunctos populos ſubiecit Pharaoni, præter terram Sacerdotum, C quæ à Rege tradita fuit eis ad ſtudium neceſſaria. vt ſcribitur 47. Geneſis. Secundo fuit in Græcia, vigente militia Græcorũ, tempore Alexandri: cuius tempore philoſophati ſunt Socrates, Plato, & alij, qui fuerunt iudices Philoſophorũ, vt di. Auguſt. ſuper illo verbo Pſalmi 140. Abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum. Tertio fuit Romæ vigẽte Imperio Romanorum: Quando tanta fuit pax vt de gladijs fierent falces, & de lanceis vomeres, & aratra. Quarto fuit in Britannia tẽpore Regis Arturij, vigente militia Anglicorum. Vltimo fuit in Francia, tempore Caroli Magni, vigente militia Gallicorũ, vbi ſtetit, & ſtat vſque ad iſta tempora. Sicut tamen inſurgente cupiditate, tepuit, & tepeſcit ibi iuſtitię ęquitas: ita ibi multum eſt debilitatum ſtudium, & doctrinæ veritas. D

Studiũ primũ fuit in Ægipto.

Studiũ ſecũdum fuit in Græcia.

Studiũ tertium fuit Romæ.

Studium quartũ fuit in Britãnia. Studium poſtremũ fuit in Francia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ ſecundũ diuerſitatem actuum diſtinguũtur actiones: vnde ideo militia Regalis, vel Imperialis eſt neceſſaria ſtudio, & doctrinæ, quia ex illius motione malos compeſcente fortificatur actio ſtudij, & doctrinæ, quæ magis conſiſtit in quiete, quàm in motu.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſtudium non ſequitur Regalem militiam propter tumultum quæſtionum generantium litem, & diſcordiam, ſed propter vigorem iuſtitiæ generantis pacem. Quia finis iuſtitiæ pax. fructus enim iuſtitiæ in pace ſeruatur, vt dicitur Iſa. 32.

AD

A D tertium eſt dicendum, quòd non loquimur de ſtudio cuiuſcunque doctrinæ humanitus acquiſitæ: ſed de ſtudio Theologiæ, quæ eſt finis, & domina omnium ſcientiarum: & de illis ſcientijs, quę ip
E ſi Theologiæ adminiculantur: tales enim ſcientiæ & ſi per leges Imperiales propter tumultum quæſtionum impediuntur, tamen propter obſeruationē iuſtitiæ iuuātur, & promouentur.

QVAESTIO XXXVIII. DE IMPERATORIS CONFIRMATIONE.

DEinde conſiderandum eſt de Imperatoris confirmatione. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Imperator per Papam electus debeat confirmari.

Secundo, Vtrum Imperator per Papam electus debeat inungi, & conſecrari.

Tertio, Vtrum per Papam Imperator electus debeat coronari.

Quarto, Vtrum Papa Imperator electus debeat fidelitatem iurare.

ARTICVLVS I.

VTRVM IMPERATOR ELECtus per Papam debeat confirmari.

S. Antoninus part. 3. tit. 22. cap. 5. §. 15.

AD primũ ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd per Papam Imperator electus non debeat cōfirmari. Quia Imperator eſt caput in temporalibus, ſicut Papa in ſpiritualibus. ſed Papa beneficium confirmationis non recognoſcit ab aliquo in ſpiritualibus. Ergo Imperator beneficium confirmationis in temporalibus non debet ab aliquo ſuperiori recognoſcere.

2 Præterea: Multis Prælatis conceditur, ꝙ ipſa eorum electio ſit confirmatio. Multo ergo magis tale beneficium intelligitur eſſe conceſſum Imperatori.

3 Præterea Papa gerit vicem beati Petri: ſed poteſtas data Petro per illa, quæ ſcribũtur Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum; intelligitur ſolum ſuper ſpiritualia, non temporalia. In temporalibus ergo beneficium confirmationis non debet recognoſcere Imperator ab ipſo.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur extra de elect. cap. Venerabilem.

R E S O L V T I O.

Ad Papam ſpectat Imperatoris confirmatio, ſicut ad ipſum pertinet Imperij iuriſdictio vniuerſalis.

F RESPONDEO, dicendum, quòd ad illum pertinet immediate Imperatoris confirmatio, ad quem pertinet Imperij immediata iuriſdictio. Sed ad Papam pertinet immediatè Imperij plena iuriſdictio. Poſtquam enim Conſtantinus ceſſit Imperio occidentali, nulla ſibi reſeruatione facta in Ciuitate Romana, in partibus Italiæ, & in omnibus occidentalibus regionibus, plenum ius totius Imperij eſt acquiſitum Summis Pontificibus, non ſolum ſuperioris dominationis, verum etiam immediatę adminiſtrationis, vt ex ipſis tota dependeat Imperialis iuriſdictio, quantum ad electionem, & quantum ad confirmationem: ita, vt ex tunc nullus de iure potuerit ſe intromittere de regimine occidentalis Imperij abſq; expreſſa auctoritate, & mandato Sedis Apoſtolicæ: niſi vſurpatiuè, & tyrannicè: ſicut fecit Iulianus apo
G ſtata, & multi alij. Igitur, ſicut ad Summum Pontificem pertinet Imperij vniuerſalis iuriſdictio, ſic ad ipſum ſpectat Imperatoris confirmatio, & approbatio.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd nō eſt ſimile: nam Imperator ſic eſt caput in temporalibus, quòd non eſt caput ſimpliciter in tota Eccleſia. habet enim ſuperiorem Summum Pontificem. quāuis enim Dominum temporalem ſuperiorem ſe non recognoſcat: recognoſcit tamen ſuperiorem Vicariũ Ieſu Chriſti. quod ipſe Imperator Valentinianus cōfitetur 63. diſt. cap. Valentinianus. Talem, inquit, in Pontificali Sede conſtituite, cui & nos, qui guberna-
H mus Imperium, ſincere noſtra capita ſubmittamus. ſed Papa ſuperiorem non habet ſimpliciter. ideo in ipſa ſua electione canonica ſtatim eſt confirmatus, & ſtatim plena, & libera gaudet iuriſdictione Pontificali.

A D ſecundum eſt dicendum, quod ſicut ſcribitur 25. quæſt. 1. cap. Ideo. Sacroſancta Romana Eccleſia, ius, & auctoritatem ſacris Canonibus impertitur, ſed non eis alligatur. Poſſet ergo Papa ius condere, quo Imperatoris electio canonicè celebrata, eſſet confirmatio, ſicut de multis alijs electis, quorũ confirmatio noſcitur ad eum pertinere, iure ſcripto, vel priuilegio gratioſè ordinat. huiuſmodi tamen beneficium confirmationis ab ipſo Summo Pontifice eſſet deriuatum.

A D

A AD tertium eſt dicendum, quòd auctoritas data Petro per illa verba, ſuper ſpiritualia, & temporalia, intelligitur eſſe conceſſa. Sicut ergo Chriſtus nõ poſſet ſeipſum negare Dominum ſpiritualium, & tẽporalium: ſic non poſſet ſe negare eſſe Deum. ita ex quo totum, quod ſuum erat, Petro cõceſſit, tàm Dominum ſpiritualium, quàm temporalium ipſum cõſtituit. vnde ſcribitur 22. diſt. cap. Omnes. quòd ſolus Chriſtus fundauit Eccleſiam, qui beato Petro æternæ vitæ clauigero terreni ſimul, & cœleſtis Imperij iura commiſit.

ARTICVLVS II.

B *VTRVM IMPERATOR per Papam electus debeat inungi, & conſecrari.*

Latiſſimè Caſtaldus tract. de Imperatore. q. 28. & aliquot ſequentes. Et Aluar. lib. 1. cap. 21.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ per Papã Imperator electus non debeat inungi, & conſecrari. quia inungũtur infirmi, & inualidi. ſed Imperator non aſſumitur vt infirmus, & inualidus: ſed magis, vt fortis, & ſanus ad defenſionẽ Eccleſiæ. Ergo non debet inungi.

2 Præterea: Inunctio fit ad inſtructionem doctrinæ. iuxta illud 1. Io. 2. Non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed vnctio eius docet vos de omnibus. & talis inſtructio, doctrinæ non eſt neceſſaria Imperatori, cum non teneatur Eccleſiam defendere gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei: ſed potius gladio corporali; Non eſt ergo neceſſarium, quòd Imperator electus inungatur.

3 Præterea: Non conſecratur, niſi qui Sacramenta adminiſtrat. ſed Imperator non admiſtrat Sacramẽta. Ergo non debet conſecrari.

IN CONTRARIVM eſt. quod ſcribitur extra de elect. cap. Venerabilem. & extra de ſacra vnct. cap. Cum veniſſet.

RESOLVTIO.

Imperatores, & Reges, propter inimicorum fidei expugnationem vnguntur: Propheta propter mentis illuſtrationem: Pontifices, & Sacerdotes propter Sacramentorum adminiſtrationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut miſſio exterior Spiritus ſancti in ſigno viſibili ſignificabat inuiſibilem miſſionẽ Spiritus ſancti interiorẽ, vt dicit Auguſtinus 15. de Trinit. cap. 26. ſic vnctio exterior vnctionem interiorem ſignificabat. qua quis Spiritus ſancti gratia inungitur, & conſecratur ad multiplices effectus. (Tomo 3.)

Quandoque quidem ad mentis illuſtrationem, vt quæ ſunt futura, & contingentia, pronunciare valeat. vnde Saul poſtquam in Regem vnctus eſt, in cuneo Prophetarum inuentus eſt, ſicut ſcribitur 1. Reg. 19.

Quandoq; vero ad inimicorũ fidei expugnationẽ. Dicit enim Auguſtinus ſuper illo verbo Pſalmi 90. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis: & conculcabis Leonem, & Draconem, quòd Eccleſia Spiritus ſancti gratia roborata, tunc calcat ſuper aſpidem, & baſiliſcum: quando nocumenta aperta ſignificata per Leonem, & nocumenta occulta ſignificata per Draconem, deijcit, & proſternit. (Tomo. 8.)

Quandoque autem ad Sacramentorum adminiſtrationem. propter quorum ſanctitatem non ſolum miniſtri, immo vaſa, & veſtes inungi, & ſacrari debent. Ergo propter mentis illuſtrationem inunguntur, & conſecrantur Prophetæ: propter inimicorum fidei expugnationem inunguntur Imperatores, & Reges. De quorum vnctione dictum eſt Heliæ 3. Reg. 19. Vade, & reuertere in terram tuam per deſertum in Damaſcum: Cumque perueneris illuc, vnge Hazael Regem ſuper Syriam. Heliſeum autem filium Saphat vnges prophetam pro te, & erit, ꝙ quicunque fugerit gladium Hazatel interficiet eũ Heliſeus, † vt intelligatur, ꝙ quicunque contemnit, & proteruit contra Sanctam matrem Eccleſiam, & fidem chriſtianam impugnat, dato, quòd fugiat gladium corporalem Regis, vel Imperatoris, gladium tamen ſpiritualem Eccleſiæ ſubterfugere non valet. Sed propter ſacramentorum adminiſtrationem inunguntur Pontifices, & Sacerdotes. de quorum vnctione ſcribitur C Exodi 29. vt Aaron, & filij eius in ſacerdotium mihi cõſecrentur; pones Tyaram in capite Aaron: & laminam ſanctam ſuper Tyaram, & oleũ vnctionis fundes ſuper caput eius, atque ex hoc ritu conſecrabitur.

† Hic variatur Lectio.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Hugo 2. lib. de ſacra. tria ſunt genera olei ſancti. Primum eſt, quod dicitur oleum infirmorum. Secundum eſt oleum vnctionis, quo cathecumini, & neophyti vnguntur in pectore, inter ſcapulas, ad Sacramentum baptiſmi percipiendum. Tertium eſt oleum principalis chriſmatis, quo inunguntur capita Regum, & Pontificum. Hac ergo vnctione D Imperator debet vngi, & conſecrari.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd quamuis Imperatori neceſſaria ſit mentis illuſtratio: non tamen principaliter inungitur ad hunc effectum: ſed magis ad inimicorum fidei expugnationem, vt dictum eſt.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ conſecrari quis dicitur, qui ſacra adminiſtrat, & qui ſacra recipit. Imperator ergo, quàmuis immediate ſacra non adminiſtret: recipit tamen ſacram vnctionem, ex cuius receptione conſecratur.

ARTI-

ARTICVLVS III.

VTRVM IMPERATOR electus debeat per Papam coronari.

De materia articuli latiſſimè Caſtaldus tract. de Imperatore quæſt. 30. & ſeq. Et Aluar. lib. 1. cap. 21.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd per Papam Imperator electus non debeat coronari. Scribitur enim 96. diſt. c. Conſtantinus: Frigium vero candido nitore ſplendidam reſurrectionẽ Domini ſignificans, atq; coronã ſacratiſſimo vertici Papæ Silueſtri manibus noſtris impoſuimus, & tenentes frænum equi ipſius, ſtratoris officium illi exhibuimus. Si ergo Imperator coronauit Papam, non videtur quòd debeat ab ipſo coronari.

2 Præterea: Imperator coronetur Aquiſgrani, & Mediolani. Non ergo debet Romæ per Papam coronari.

3 Prȩterea: Non debet coronari, niſi qui prius legitime certauerit, vt dicit Apoſt. ad Timot. 11. Ante ergo, quàm Imperator probatus ſit in certamine, coronari non debet.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de elect. cap. Venerabilem.

RESOLVTIO.

Imperator non niſi à Papa, quo minor eſt, coronari debet.

Imperator non niſi à Papa, quo minor eſt, coronari debet.

RESPONDEO, dicendum, quod ſicut dicit Apoſtol. ad Hebræ. 7. Abſque vlla contradictione ſemper quod minus eſt à maiori benedicitur. eo ergo ipſo, quòd Papa ſuperior, & maior eſt Imperatore, per eum debet benedici, & inungi, conſecrari, & coronari: In cuius coronatione ſex per ordinem debent ſeruari, quæ in illa auctoritate ſcripta Cantic. 3. intelliguntur: Egredimini filiæ Syon, & videte Regem Salomonem in dyademate, quo coronauit eũ mater ſua, in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ eius. Primum eſt populi debita reuerentia, & ſubiectio. Secundum eſt ipſius Imperatoris inunctio, & conſecratio. Tertium eſt coronę impoſitio. Quartum eſt ipſius Papæ, & eius auctoritatis interuentio. Quintum eſt annuli ſubarratio. Sextum eſt lætitiæ demonſtratio, & populi acclamatio. Scribitur enim de Carolo Magno, quòd cum per Adrianum, & per Leonem ſucceſſorem eius fuit coronatus, ab vniuerſo populo Romano acclametum eſt: Carolo Magno, Auguſto, à Deo coronato, pacifico Imperatori Romano, vita, & victoria.

Acclamatio in coronatione Caroli Magni.

Primum ergo iſtorum habetur cum præmittitur: Egredimini filiæ Syon. Secundum, cum ediungitur: Et videte Regem Salomonem. Non enim debet dici Rex, niſi prius inungetur, & conſecretur. Tertiũ, E cum additur: In dyademete. Quartum, cum annectitur: Quo coronauit eum mater ſua. mater enim Imperatoris Eccleſia eſt. Quintum, cum ſubinfertur: In die deſponſationis illius. Sextum, cum poſtponitur: In die lætitiæ eius.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Conſtantinus coronam impoſuit Papæ, ſicut miniſter obſequens, non ſicut dominium, & auctoritatem præbens, cuius ſignum eſt: quia tenens equum eius, ſtratoris officium ſibi exhibuit.

AD ſecundũ eſt dicendũ, quòd ſicut in naturalibus vltime forma eſt completiua: aliæ vero debent dici quædã diſpoſitiones, F ſic in moralibus vltima perfectio dicitur illa, quæ introducitur per principale agens. Imperator ergo non debet dici eſſe coronatus, quamdiu per Summum Pontificem, vel eius auctoritate, corone ſibi non imponitur.

AD tertium eſt dicendum, quòd legitime certare, poteſt intelligi dupliciter: vel animi præparatione, vel operis executione. Imperator ergo, quãdo coronatur, licet nondum ſit probatus legitime certare operis executione, probatus tamen iam eſt animi præparatione.

ARTICVLVS IIII.

G *VTRVM IMPERATOR electus debeat iurare fidem Papæ.*

Turrecremata in cap. Tibi domino. 63. diſt. vbi ſequitur hunc Auctorem.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papæ Imperator electus non debeat fidem iurare. Quia Papa non debet cogere aliquẽ ad illud, quod eſt perniciosum, vel periculoſum. Sed ſuper illo verbo Mat. 5. Ante omnia nolite iurare. Dicit Auguſtin. quod omnis iuratio falſa, eſt perniciosa: vera vero eſt periculoſa: nulla vero eſt ſecura.

De verb. Apoſt. ſer. 30. Tomo 10.

H 2 Præterea: Scribitur ad Hebr. 6. quod omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum. ſed inter Papam, & Imperatorem non debet eſſe aliqua controuerſia: cum vnus ſit miniſter alterius. Ergo non debet ſibi iuramentum præſtare.

3 Præterea: Eadem epi. & cap. dicit Apo. quod homines per maiores ſuos iurant. Sed Imperator in temporalibus non recognoſcit maiorem ſe. Ergo non debet alicui de temporalitate iuramentum præſtare.

IN CONTRARIVM eſt quod ſcribitur 63. cap. Tibi domino.

RESOLVTIO.

Imperator ad Eccleſiæ defenſionem aſſumptus Papę fidem iurare debet.

RESPON-

RESPONDEO, dicendum, quòd Imperator aſſumitur in defenſorem, & protectorem Eccleſiæ, potiſſime in partibus Italiæ, & in Occidentalibus Regionibus, in quibus Eccleſia non ſolum habet temporalium iuriſdictionem vniuerſalem, ſicut in toto orbe noſcitur habere; verum etiam habet, mediante Miniſtro, quem elegit, immediatam adminiſtrationem. Talis ergo miniſter in tribus tenetur Eccleſiæ fidelitatem ſeruare. Primo, in ipſius Eccleſiæ exaltatione, vt per rebelles, & infideles Eccleſia non deprimatur: ſed potius illis expugnatis, iuxta poſſe ſuum ſupra candelabrum ponatur. Secundo, in Eccleſiæ Paſtoris, & Rectoris defenſione: vt nec vita, nec honor ſibi debitus per eum auferatur: ſed magis volentibus auferre per ipſum viribus reſiſtatur. Tertio, in temporalium, per Conſtantinum conceſſorum Eccleſiæ conſeruatione: vt in talibus non prætendat aliquam immediatam iuriſdictionem, ſed ſolum immediatam adminiſtrationem. & iſta tria ponuntur in iuramento fidelitatis, quod ipſe Imperator Summo Pontifici præſtare tenetur. ſicut expreſſe patet cap. ſupra dicto, Tibi domino.

A

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd quãuis iuratio ſit periculoſa, ex cauſa tamen neceſſaria, cum debita cautela eſt facienda.

AD ſecundùm eſt dicendum, quòd propter cõtrouerſiam terminandam, vel non incurrendam, iuramentum eſt fiendum. quamuis ergo cum Imperator iuramentum pręſtat; inter eum, & ſummum Pontificẽ cõtrouerſia nõ habeatur; præſtandũ tñ eſt iuramentũ ad cõfirmationẽ, ne controuerſia incuttatur.

B

AD tertium eſt dicendum, quòd Imperator nullum ſuperiorem ſe recognoſcit Dominum temporalẽ: & qui fungatur auctoritate puri hominis: ſed bene debet recognoſcere ſuperiorem ſe vicariũ illius, qui eſt verus Deus, & verus homo.

QVAESTIO XXXIX. DE IMPERATORIS ADMINISTRATIONE.

VLterius conſiderandum eſt de Imperatoris adminiſtratione. Circa quod quęruntur tria.

Primo, Vtrum Imperator ſtatim electus, abſque eo, quòd ſit per Papã confirmatus poſſit adminiſtrare.

Secundo, Vtrum Imperator per Papam electus, & confirmatus abſque aliqua alia ſolemnitate poſſit adminiſtrare.

Tertio, Vtrũ Imperator ſtatim electus abſq; Papę auctoritate poſſit adminiſtrare, ſaltẽ ĩ Regno Alemanię.

ARTICVLVS I.

VTRVM IMPERATOR STAtim electus poſſit adminiſtrare.

Vide Baldum in l. vlt. C. de quadriennij pręſcriptione.

AD primũ ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Imperator ſtatim electus poſſit adminiſtrare. Quia temporalium adminiſtrationem Imperator cõfert Papæ, & Eccleſiæ. Vnde & ſibi tributum de talibus Papa mandat dari, ſicut patet 23. q. 8. c. Tributum. non ergo adminiſtrationem temporalium Imperator à Papa debet recognoſcere.

2 Præterea: Non eſt inferioris conditionis Imperator, quàm Rex, & alij Principes mundi. ſed Rex, & alij Principes ſtatim poſt mortem prædeceſſorũ poſſunt adminiſtrare. Ergo Imperator eodem modo ſtatim poſt mortem prædeceſſoris eius poſt canonicam electionem poteſt adminiſtrare.

C

3 Præterea: Per electionem aliquod ius acquiritur Imperatori, ſed non acquiritur ſibi ius ſuper adminiſtratione ſpiritualium. Acquiſitum eſt ergo ſibi ius ſuper adminiſtrationem temporalium.

IN CONTRARIVM eſt, quia nullus electus, cuius confirmatio ad Papam ſpectat, poteſt adminiſtrare, non obtento beneficio confirmationis, ſicut dicitur extra de elec. c. Noſti. planum autèm eſt, ꝙ Imperatoris electio Papæ relinquitur confirmãda.

D

RESOLVTIO.

Imperator electus ante cõfirmationem adminiſtrãre non poteſt. Papa autem electus intelligitur confirmatus, quia ſuperiorem non habet.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut in naturalibus actio præſupponit virtutem: & virtus præſupponit ſubſtantiam: eo quòd à nulla ſubſtantia creata poteſt egredi actio, niſi mediante virtute, vt probat Commentator 7. Metaph. Eſt enim hoc proprium ſolius Dei, quòd immediate agat per ſuã ſubſtantiam: quia virtus eius ſubſtantia eſt. Sic in moralibus iſta tria ſe ad inuicem præſupponunt: electio, confirmatio, & adminiſtratio: ita quòd electio tenet locum ſubſtantiæ: confirmatio locum virtutis:

& admi-

& adminiſtratio locũ operationis. Per electionẽ.n. Imperator generatur, & acquirit eſſe: per confirmationem vero acquirit virtutem, per quam agat. Sed per adminiſtrationem exequitur ipſum agere, & ipſum operari, mediante ſubſtantia, & mediante virtute ſibi per electionem, & confirmationem acquiſita: vnde ſicut nulla creatura poteſt agere immediatè, ſine virtute ſuperaddita: quia tunc ſua ſubſtantia eſſet ſua virtus; quod ſoli Deo conuenit: ſic Imperator per ſolam electionem non poteſt adminiſtrare, niſi beneficium confirmationis recipiat: quia tunc ſequeretur, q ſua electio eſſet eius confirmatio, quod ſolum veritatem habet de Summo Pontifice, qui ſuperiorem non habet.

Ad Argumenta.

F

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd poſt donationem factam Eccleſiæ à Conſtantino in toto Imperio Occidentalium Regionum Eccleſia habet temporalium non ſolum vniuerſalem iuriſdictionẽ, verum etiam vniuerſalem adminiſtrationem, quam exequitur, mediante Imperatore, quem elegit, ne ipſe Papa implicet ſe negotijs ſecularibus. & ideo virtutem, & poteſtatem adminiſtrandi Imperator recipit, quando eius electio per Papam confirmatur, & approbatur.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile de Imperatore, & alijs Principibus mundi propter tria. Primo, quia Papa confert Imperatori immediatam adminiſtrationem, & eſt miniſter Eccleſiæ in adminiſtratione temporalium, quam non cõfert alijs. Secundo, quia conſtitutio aliorum Regũ, vel Principum vadit per ſucceſſionem: non autem ſic inſtitutio Imperatoris. Tertio, quia quicquid agitur circa Imperium, tam eius electio, quàm eius confirmatio, totum eſt ex inſtitutione Eccleſiæ, quod non contingit de alijs.

Ad tertium eſt dicendum, quòd nullum ius adminiſtrandi acquiritur Imperatori per eius electionem, ſed bene acquiritur ſibi ius, quòd poſſit cõfirmationem ſuam procurare, & ſe purgare, ſi aliqua obijcerentur, quæ haberent vitiare electionem factam de ſe ipſo.

ARTICVLVS II.

VTRVM IMPERATOR ſtatim electus, & confirmatus poſſit adminiſtrare.

Panormitanus in c. Venerabilem. de elect. Et Caſtaldus tract. de Imperatore quæſt. 46.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q Imperator ſtatim electus, & confirmatus poſſit adminiſtrare: quia agente appropinquante paſſo diſpoſito, ſtatim ſequitur actio. Sicut dicit Philoſophus in Meta. Papa ergo appropinquante Imperatori diſpoſito per canonicã

Ariſtotel. 9. metaph. t. com. 10.

E electionem, confirmando ipſum, ſtatim poterit ſequi executio, & adminiſtratio.

2 Præterea: Vbi eſt maius periculum, ibi citius ſuccurrendum eſt. Sed Imperator aſſumitur ad ſubueniendum Eccleſiæ oppreſſæ, & moleſtatæ per Tyrannos. Ergo poſt confirmationem non eſt differenda eius adminiſtratio.

3 Præterea: Non in alio dependet Imperator ab Eccleſia, niſi in eius electione, & confirmatione. ſtatim ergo electus, & confirmatus poterit adminiſtrare.

In Contrarivm eſt, quia præter confirmationem, & electionem multa requiruntur ad Imperialem ſolennitatem: vt vnctio, conſecratio, & coronatio, ſicut ſupra dictum eſt.

RESOLVTIO.

Imperator, quamuis ſit confirmatus, adminiſtrare non poteſt, niſi ſit vnctus, cõſecratus, & coronatus.

Respondeo, dicendum, quòd aliqua requiruntur ad rei quidditatem, & ſubſtantiam: Aliqua vero ad rei ſolennitatem, & euidentiam. Illa ergo, quæ pertinent ad Imperatoris quidditatem, & ſubſtantiam, ſolum eſt eius cõfirmatio, & electio: ſed illa, quę pertinent ad ſolennitatem eius, & euidentiam, eſt eius inunctio, conſecratio, & coronatio, vnde conuenienter ante eius officij executionẽ omnia iſta circa eum expleri debent. habemus enim de hoc magnum documentum in veteri lege. Primo de Moyſe, qui fuit Dux, & Imperator populi Iſraelitici, de quo ſcribitur Exodi 17. quòd ante executio-
G ne ſui officij, puta antequam pugnaret contra Amalech, aſcendit in montem, vt prius precibus, quàm armis pugnaret.

De Salomone vero habetur 3. Reg. 1. quòd ante adminiſtrationem ſui officij multæ ſolennitates factę ſunt erga eum. vnde ibi dicitur ex mãdato Regis Dauid: Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri, & imponite Salomonem filiũ meum ſuper mulam meã, & ducite eum in Gyon, & inungat eum ibi Sadoch Sacerdos, & Nathan Propheta in Regem ſuper Iſrael: & canetis buccina, atque dicetis: Viuat Rex Salomon.

Ad Argumenta.

H

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd in agentibus ex neceſſitate naturæ ſufficit, vt actio naturalis ſequatur ex appropinquatione agentis cum paſſo diſpoſito: Sed in agentibus à propoſito, & per electionem, requiritur debita conſiliatio, matura deliberatio, & diuini auxilij impetratio: ac omnia alia, quæ faciunt ad conſecutionem finis ſupernaturalis: ad cuius faciliorem conſecutionem, & impedimentorum remotionem Eccleſia principaliter Imperatorem in ſuum aduocatum, & defenſorem aſſumit.

Ad ſecundum eſt dicẽdum, quòd vbi periculum Eccleſię immineret ex vexatione & perturbatione Tyrannorum Imperator vocatus * ad Papam ante eius confirmationem, vel electionem poſſet adminiſtrare *al. per

de

de mandato Papæ illa, quæ ſpectarent ad ſubleuatio- A nem Eccleſiæ. vnde de Carolo Magno ſcribitur 63. diſt. cap. Adrianus, q̧ vocatus per Papã, prius Regẽ Deſiderium captiuauit, & Longobardos expugnauit, & poſtmodum per eum in Imperatorem fuit confirmatus, & coronatus.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſine diuina influentia Imperator non poſſet populum ſibi cõmiſſum regere. Nam quãuis Imperator immediate ab Eccleſia non recipiat niſi electionem, & confirmationem: tamen diuinam influentiam, & cordis prudẽtiam recipit, mediante ſacra vnctione, & conſecratione. propter quod de Salomone ſcribitur 3. Reg. 3. q̧ ſtatim recepta ſacra vnctione, Dominus apparuit ſibi per ſomnum dicens: Poſtula à me quod uis. qui cum poſtulaſſet ſapientiam, & prudentiam, di- B ctum eſt ſibi: Cor ſapiens, & intelligens datum eſt tibi in tantum, q̧ nullus ante tibi ſimilis fuerit, nec poſt te reſurrecturus ſit.

ARTICVLVS III.

Vtrum Imperator electus poßit ante eius confirmationẽ in Regno Alemaniæ adminiſtrare.

Vide citatos in præcedentibus articulis. C

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Imperator electus non poſſit ante eius confirmationem in regno Alemaniæ adminiſtrare: quia eadem eſt ratio totius, & partis. totius terræ, & vnius glebæ: & totius ignis, & vnius ſcintillæ, vt dicitur 3. Phyſicorũ. Sed regnum Alemaniæ eſt aliqua pars Imperij. Si ergo non poteſt adminiſtrare ſine confirmatione in toto: non poterit adminiſtrare in illa parte.

Ariſt. 2. Phyſi. tex com. 48.

2 Præterea: Conſtantinus totum occidentale Imperium ſub dominio Romani Pontificis mandauit gubernari immediate. cum ergo regnum Alemaniȩ D in occidentali Imperio exiſtat; non poterit ibi adminiſtrare, niſi per confirmationem Papæ.

3 Præterea: Si poteſt adminiſtrare in regno Alemaniȩ, ſtatim electus; vel hoc eſt ratione, qua Rex: aut ratione, qua Imperator: non ratione qua Rex, quia non eſt electus in Regem, ſed in Imperatorem: nec ratione, qua Imperator, quia ſic vbique poſſet adminiſtrare.

In Contrarivm eſt conſuetudo diuturna, quæ æquipollet legi. ſecundum quod Iſi. dicit. lib. 6. Etymol. cap. 10.

Resolvtio.

Imperator electus ante confirmationem in Regno A *Alemania poteſt adminiſtrare. Quæ enim diſſimulantur, & non prohibentur, dicuntur conceßa.*

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicunt ius acquiſitum eſſe Imperatori per ſolam electionem adminiſtrãdi in Regno Alemaniæ, propter duo: Primo, ex diuturna, & longa conſuetudine: de qua ſi diſputare volumus, vt ex conſuetudine aliorum alios improbemus; oritur interminata luctatio, propter quam vitandam, ſummè cauendum eſt, ne tempeſtas contentionis ſerenitatem charitatis obnubilet, vt dicit Auguſt. in de ieiun. diei ſabbati. Epiſtola 119. Tomo 9.

Secundo, ex ordinatione illius regni, & conſuetudine illius populi, cui ſe tanquàm in re propria poſ- B ſunt ſe ſibi ſubijcere. quod de aliis partibus eis nõ cõuenit ordinare, & iſtud puto eſſe verum, ſi Papa diſſimulat, & contrarium ſibi non mandat: quia in talibus, quæ ex ordinatione Eccleſiæ pendent, eo ipſo q̧ diſſimulantur, & non prohibentur, intelligũtur eſſe conceſſa.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, q̧ licet in partibus homogeneis, de quibus loquitur Philoſophus, eadem ratio ſit totius, & partis, quantũ ad prædicationem, eo q̧ quælibet pars ignis eſt ignis. quælibet pars terræ eſt terra non tamen eſt eadem ratio quantum ad actionem vel paſſionem. poſſet enim C aliqua pars ignis in aquam conuerti, tamen non totus ignis. & aliqua pars terræ poſſet ſurſum eleuari per calorem Solis, non tamen tota terra. Sic in aliqua parte Imperij permittitur Imperatori adminiſtrare, quod tamen non permittitur ſibi in toto Imperio, niſi ſit per Papam confirmatus.

Ad ſecundum eſt dicendum, q̧ tempore Conſtãtini Romanum Imperium erat totum integrum, ſed poſtmodum tyrannicè & vſurpatiuè tam Imperium Orientale, quàm Occidentale fuit, & eſt multipliciter diuiſum. Et ideo Eccleſia propter pacem ſeruandam ſolum circa partes Italiæ temporalium adminiſtrationem committit Imperatori, cum ſolennitate confirmationis, & coronationis. In aliis autem partibus non exequitur quam habet iuriſdictionẽ: ſed D prudenter diſſimulat ſuorum fidelium Principũ dominationem.

Ad tertium eſt dicendum, quòd adminiſtrat in Regno Alemaniȩ magis, vt Rex, quàm vt Imperator, & quamuis non eligatur in Regem, ſed in Imperatorem, ad eum tamen ſpectat regnum Alemaniæ committere. & ibi, & in aliis partibus Rectorem inſtituere. cum ipſe omnibus partibus præſentialiter adeſſe non poſſit.

QVAEST. XL. DE IMPERATORIS DEPOSITIONE.

DEINDE conſiderandum eſt de Imperatoris depoſitione. Circa quod quæruntur quatuor.
Primo, Vtrum Papa poſſit Imperatorem deponere.
Secundo, Vtrum Papa propter contumaciam Imperatorem deponat.
Tertio, Vtrum Papa poſſit Imperatorem excõicare.
Quarto, Vtrum Papa poſſit Imperatoris ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluere.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT IMperatorem deponere.

Materiam huius quæſtionis vide cap. Ad Apoſtolicæ, & ibi Canoniſtas, de ſenten. & re iud. lib. 6. Et Aluar. lib. 1. cap. 13. 21. & 37.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit Imperatorem deponere. Quia miniſter inferior ſuperiorem deponere non poteſt. Sed Chriſtus Lucæ 22. quęſtionẽ Diſcipulorum quærẽtium inter ſe, quis eorũ videretur eſſe maior; determinauit per hunc modũ, ꝙ maior inter eos deberet eſſe omnium miniſter. Papa ergo, ex quo eſt mi- G niſter omnium, non poteſt Imperatorem deponere.

2 Præterea: Papa non põt auferre, niſi illud, quod dat Imperatori. Sed non dat Imperatori temporalitatem; immo potius ab eo recipit. Ergo hanc nõ poteſt ab eo auferre.

3 Præterea: Papa non poteſt tollere ordinem, & regimen vniuerſi mundi à Deo inſtitutum. Sed duo ſunt, quibus vniuerſus mundus regitur: Pontificũ auctoritas, & regalis poteſtas, vt ſcribit 96. diſt. c. Duo ſunt quippe. Ergo neutrũ iſtorũ Papa poteſt tollere.

IN CONTRARIVM eſt, quia Imperator cęleſtis poteſt Imperatorem terrenum deponere: cum non ſit poteſtas niſi ab ipſo. Sed Papa fungitur aucto- H ritate cęleſtis Imperatoris. Poteſt ergo terrenum Imperatorem deponere.

RESOLVTIO.

Imperatorẽ à Papa deponi poſſe, quis ibit inficias? eius enim eſt deponere Imperatorem, cuius eſt eundẽ conſtituere. id quod exempla ipſa, aut geſta declarãt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ duo præcipue declarant, Papam Imperatorẽ poſſe deponere. Primum eſt rationis efficacia. Planum eſt autem, E ꝙ eadẽ ſunt principia generationis rei, & corruptionis eiuſdem. Per illa enim eadem principia, per quæ res generatur, corrumpitur contrario modo ſumpta. Vt ſi per coniunctionem elemẽtorum, & eorum amicitiam mixtum generatur; per eorundem elementorum diſiunctionem, & inimicitiam mixtum corrũpitur, & diſſoluitur. Propter quod litem, & amicitiam principia omnium rerũ aliqui Philoſophi eſſe poſuerũt, ſicut Philoſophus dicit 1. Phyſicor. Cui cõcordat illud, quod ſcribitur extra de Reg. iuris auctoritate Chryſo. † Omnis res per quaſcunque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. principium autẽ ipſius generationis Imperatoris planũ eſt, ꝙ eſt ipſe Papa, quantum ad eius electionem, coronationem, & F confirmationem, vt ſupra oſtenſum eſt. Ergo principium eius depoſitionis, & corruptionis ipſe Papa exiſtit. Secundum eſt exempli, & facti euidẽtia. Legitur enim Innocentium III. Otthonem Imperatorẽ depoſuiſſe, quia fidelitatem iuramẽti, qđ Eccleſiæ fecerat, non ſeruauit. Et Fredericus poſt depoſitionẽ eius electus eſt, quẽ Honorius, qui dicto Innocentio in Põtificatu ſucceſſit, coronauit in Baſilica Sancti Petri: quẽ poſt modum ſimili modo à iuramento reſilientem, & contra Eccleſiam hoſtiliter inſurgentem, quã protegere tenebatur, Innocentius IIII. natione Ianuenſis in Concilio generali Lugduni celebrato publicè depoſuit, & Imperio priuauit.

Lib. 1. Phyſ. tex. cõ 48.

† Id habetur homil. 32 in Matt. in opere imperfecto referũt Iuo in decreto. par. 8. cap. 233. & Gratianus ſiue palea 27. q. 2. c. omnis res.

G

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ Chriſtus voluit caput Apoſtolorum eſſe miniſtrum omnium charitatis obſequio. non autem poteſtatis dominio. vtrumque enim ſecundum Aug. ille, qui præeſt, tenetur implere. Primo vt ſe non exiſtimet p̄tate dominante, ſed charitate ſeruiente felicẽ, q̃tum ad charitatis obſequiũ. ſecundo, vt ſi videt ſe excedere in rigiditate diſciplinę, non ab eo requirit, vt ab ipſis ſubditis venia poſtuletur, ne dũ nimiũ ſeruat humilitas, regẽdi frangatur auctoritas, quantũ ad p̄tãtis dominiũ.

D. P. Auguſtinus in prima Regula. Tomo 1.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ in partibus occidẽtalis Imperij, ſaltẽ prius donationem factam à Con- H ſtantino, Papa confert Imperatori temporalitatem, & adminiſtrandi poteſtatem: cuius ſignum eſt, ꝙ vacãte imperio, immediata temporaliũ adminiſtratio, & plena iuriſdictio Apoſtolicæ Sedi reſeruatur.

AD tertium eſt dicendum, quòd Papa non tollit ordinem à Deo inſtitutum, quantum ad iſta duo regimina, tollendo dominationem: ſed bene tollit poteſtatis abuſionem, vt ſi poteſtate, quam confert Imperatori, ipſe abutatur; Eccleſiam, cuius mandatis tenetur parere, inuadendo, & contemnendo, poteſt ipſam ab eo tollere, & alteri conferre: & ſic patet quæſtio.

ARTI-

ARTICVLVS II.

VTRUM PAPA IMPERATOREM PROPTER CONTUMACIAM DEPONERE DEBEAT.

Canoniſtæ in c.Ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iud. lib.6.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q. Papa Imperatorē propter contumaciam non debeat deponere. Quia Papa nō poteſt deponi niſi pro hæreſi. Ergo & Imperator, vt videtur, nō niſi pro hæreſi eſt deponendus.

2 Præterea: Contumacia incurritur, quando nō paret quis mandato ſuperioris. ſed ſuperior quandoque multa mandat ex liuore. interdum multa in mandatis ſuperioris inconueniētia, & difficilia continentur. Ergo non propter contumaciam Imperator eſt deponendus.

3 Præterea: Magis eſt eſſe contumacem contra Deum, quàm cōtra Papam. ſed per quodlibet peccatum mortale homo efficitur contumax contra Deū. Ergo per quodlibet peccatum mortale Imperator eſſet deponendus.

IN CONTRARIVM eſt, quia Imperator debet deponi ſi contra præſtitum iuramentū facit.

RESOLVTIO.

Imperator propter contumaciam ſibi annexam, irreuerentiam, impœnitentiam, inobedientiam: aut idololatriam, ſiue hæreſis completiuam ſententiam, à Papa eſt deponendus.

RESPONDEO, dicendum, quòd contumacia, quantum ad præſens, quatuor mala habet annexa. Nam primo habet annexam idololatriam. ſcribitur enim 1.Reg.15. quòd quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere. Secundo hæreſis habet annexam completiuam ſententiam. dicit enim Aug. lib. 18. de Ciui. Dei. cap. 51. Si aliquid praue aliqui ſapiunt, & correpti, vel moniti contumaciter reſiſtunt, nec ad mandatum ſuperioris emendare volūnt, hæretici ſunt. Tertio habet annexam impœnitentiam. vt ſi quis in contumacia ſic ſit obſtinatus, q. nullo modo velit pœnitere, vel obedire; talis contumacia ratione impœnitētiæ, & obſtinationis includit peccatum in Spiritum ſanctum. Quarto habet annexam præcipientis irreuerētiam. quia tales, vt plurimū, in contumacia perſiſtentes, ſicut nec Deum timent, ita nec hominem reuerentur. Propter contumaciam ergo habenē annexa iſta quatuor, meritò Imperator eſt deponēdus. Tomo 5.

C

D

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Papa ſolum propter hæreſim deſiſtit eſſe Papa. quia ſola fides, cui infidelitas opponitur, deſponſat ſibi Eccleſiam Chriſti non habentem maculam, neq; rugā.

A ſed Imperator ad multa aliâ tenetur, quę in ſuo iuramento ponuntur, in quibus ſi negligens fuerit, & contumax extiterit; deponendus eſt.

AD ſecundum eſt dicendum, q. Imperator tenetur parere mandatis Papæ rationabilibus, & poſſibilibus: & illis dumtaxat, ad quæ ſe per iuramentum obligauit. liuor autem mandantis, & ſi redundat in malum præcipientis: non tamen abſoluit ſubditum ab impletione præcepti.

AD tertium eſt dicēdum, q. licet per quodlibet peccatum mortale homo efficiatur contumax cōtra Deū, & ſic priuatur cęleſti imperio in foro interioris conſcientiæ: in foro tamen exterioris iudicij non eſt homo priuandus imperio, vel dominio temporali propter contumaciam cuiuslibet peccati mortalis: niſi quando in tali contumacia pertinaciter eſt obſtinatus contra ſuperioris mandatum.

B

ARTICVLVS III.

VTRUM PAPA POSSIT Imperatorem excommunicare.

Martinus Laudēſis tract. de Principibus not. 61. & Caſtaldus tract. de Imperatore. q. 50. nu. 24.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa Imperatorem excommunicare nō poſſit: quia Communitas nō poteſt excommunicari: vt habetur. Extra de ſent. excom. † ſed Imperator eſt perſona communis, & publica. Ergo excommunicari non poteſt. †cap. Romana §. in vniuerſitatē. de ſent. excom. lib. 6.

C

2 Præterea: Matth. 13. dicit Aug. † q. Princeps nō poteſt excommunicari. ſed Imperator eſt maior Princeps, qui eſt in Eccleſia, Ergo excōicari non poteſt. † lib. 3. contra Epiſtolā Parmeniani. cap. 2. Tomo 7.

3 Præterea: Excōmunicatio eſt quædam maledictio. ſed ſcribitur ad Rom. 12. Benedicite perſequētibus vos, benedicite, & nolite maledicere. Papa ergo Imperatorem quantumcunque perſecutorem non debet excommunicare.

IN CONTRARIVM eſt, quia excōicatio eſt quædam correctio, & quædam pœna: ſed Papa Imperatoris cenſetur eſſe Pater, & Magiſter, vt ſcribitur 96. diſt. c. Quis dubitet. Poteſt ergo Imperatorem tāquam filium, & diſcipulum tali pœna corrigere.

D

RESOLVTIO.

Imperator, cum ſubſit Papæ ſubiectione filiali, & miniſteriali; ab ipſo excommunicatione corrigi poteſt.

RESPONDEO, dicendum, q. Imperator ſubeſt Papæ duplici ſubiectione. Primò ſubiectione filiali in ſpiritualium deriuatione. deriuantur enim dona ſpiritualia ab eo, tanq̃ à fonte in Imperatorē, & in omnes filios Eccleſiæ. Vnde ſuper illo verbo Pſal. Sicut vnguentū in capite, quod deſcendit in barbā: barbam Aaron: dicit Aug. Vnctio Spiritus ſancti primo deſcendit in barbā Aaron: puta in Apoſtolos, & in Chriſti Sacerdotes, qui tanquā barbati, & fortes, primos impetus ſęculi ſuſtinuerūt, ſed vinci non po- In Pſal. c. 32. To. 8.

merunt : & ab illis deſcendit in oram veſtimenti eius: eo ꝙ ab eis deriuata eſt in omnes filios Eccleſię. Secundo ſubeſt Imperator Papæ ſubiectione miniſteriali in temporalium adminiſtratione. Eſt enim ipſe Imperator miniſter eius, mediante quo adminiſtrat temporalia per Conſtantinum Eccleſiæ conceſſa ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. & ſecundum iſtam duplicem ſubiectionem duplici gladio Papa poteſt Imperatorē corrigere, & percutere. Primo gladio ſpirituali ipſum excommunicando, & & à communione fidelium ipſum ſeparando, ac bonorum ſpiritualium, quæ fiunt in Eccleſia, ipſum priuando, cauſa legitima ſubſiſtente. Secundo gladio corporali: quia ſi adminiſtrationem temporalium, quam ab Eccleſia recipit, nollet dimittere, ſed tyrannicè, & vſurpatiuè tenere; bellum corporale contra ipſum poſſet conuocare, & manu armata expellere.

E

F

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd excommunicatio importat quendam actum: † actus autem ſunt ſuppoſitorum: & ideo in communitate non poteſt fieri excommunicatio: quia Communitati non conuenit agere, nec pati: ſed ad perſonas ſingulares, quibus conuenit agere, & pati.

† Ariſt. 1. Metaph. circa mediū Prologi.

Ad ſecundum eſt dicēdum, quòd Auguſtinus nō dicit Principem non poſſe excommunicari ſimpliciter. ſed ſolum quando timetur periculum ſchiſmatis: tunc enim quando timetur de ſchiſmate, tolerandum eſt minus peccatum, ne tota multitudo eius malitia inuoluatur.

G

Ad tertium eſt dicendum, quòd maledicere intentione perſiſtendi, & ad malum inducendi, prohibitum eſt: & à Papa, & à quolibet alio Prælato vitandum eſt. Sed maledicere intentione corrigendi, & à malo retrahendi, licitum, & obſeruandum eſt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT Imperatoris ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluere.

Vide cap. Ad Apoſtolicæ. circa finem de ſenten. & re iud. lib. 6.

H

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa nō poſſit Imperatoris ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluere. quia iuramentum pertinet ad mandatum primæ tabulæ. ſed in talibus non poteſt diſpenſare nec Deus, nec homo, vt dicit Bernardus.

2 Præterea: Si quis iurat alicui ſoluere pecuniam; & ſi ille poſtmodum excommunicetur, nihilominus tenetur illi pecuniam ſoluere, & iuramentū ſeruare.

3 Præterea: Non plus tenetur obedire Deo, quàm Papæ. Sed Deus mandat Num. 30. Si quis ſe conſtrinxerit iuramēto, non faciat irritum verbū ſuum: ſed omne, quod promiſit, implebit. Papa ergo nō poteſt à tali iuramento abſoluere.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur 15. q. 6. cap. Nos. vbi dicitur. Nos ſanctorum prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta ſequentes; eos, qui excommunicatis fidelitate, aut ſacramento conſtricti ſunt, Apoſtolica auctoritate à ſacramento abſoluimus, & ne ſibi fidelitatem obſeruent, modis omnibus prohibemus.

RESOLVTIO.

Imperatoris ſubditi à iuramento abſoluuntur, cū primum Imperator fidem Eccleſiæ præſtitam recuſat ſeruare.

Respondeo, dicendum, quòd ſicut ſcribitur extra † de regu. iur. fruſtra ſibi fidē quis poſtulat ab alio ſeruari, qui fidem præſtitam à ſe ſeruare recuſat. Planum eſt autem ꝙ in iuramento fidelitatis, quod Imperator Eccleſiæ præſtat, continetur, quòd ipſe iurare faciat omnes illos, quibus regnum Italicum, ſeu alia ad Eccleſiam pertinentia committet, vt ipſi Eccleſiæ adiutores exiſtant. Si ergo fidelitatem, quam iurat, recuſat obſeruare, ipſo facto eius ſubditi ſunt à iuramento eius fidelitatis abſoluti.

† Cap. fruſtra de regu. iur. lib. 6.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd Papa non abſoluit à iuramento, quantum ad præceptū diuinum, quòd in iuramento continetur, in quo tria clauduntur, vt dicit Hieronymus: Veritatis cognitio, Iudicij diſcretio, & iuſtitiæ obſeruatio. Abſoluit ergo à iuramento quantum ad illicitam iurationem, vt ſi iuramentum eſt illicitum, vel incautum, vel ꝙ ſit factum in ſuperioris præiudicium. Scribitur enim Nume. 30. Si puella, dum fuerit in domo patris: vel vxor in domo viri, iuramēto ſe conſtrinxerit, & pater, vel vir contradixerit, non tenebitur promiſſionis rea. His omnibus tribus modis iuramētum ſoluitur. Primo ſi eſt illicitum. Secundo ſi eſt incautum. Tertio ſi repugnat ſuperioris mandato, vt ſcribitur 22. q. 4. cap. Tribus modis.

In Hierem. cap. 4.

Iuramentū tribus ſoluitur modis, & vide Armill. Titul. iurare.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ pecunia ſic promiſſa, vel eſt deponenda, quouſque ille, cui debetur extra excommunicationem ponitur, vel ſibi ſoluenda eſt: quia excommunicatio licet obligationem tollat, quo ad fidelitatem, non tamen tollit quo ad alios cōtractus, vt aliqui dicunt.

Ad tertium patet ſolutio. quia licet iuramentū includat in ſe diuinum mandatum, & ſit inſolubile, quantum ad iuſtitiæ obſeruationem, vel veritatis cognitionem, ſeu iudicij diſcretionem; non tamen includit mandatum Dei. nec eſt inſolubile, quantū ad illicitam, & incautam iurationem, vel ſuperioris contradictionem. Immo ſi cum talibus conditionibus impleretur, non eſſet iuratio: ſed periuratio.

QVAE-

QVAEST. XLI. DE IMPERATORIS EXAMINATIONE.

VLTERIVS conſiderandum eſt de Imperatoris examinatione. Circa quod quæruntur tria. Primo, Vtrũ examinatio electionis ſit de iure naturali, & diuino. Secundo, Vtrum ad Papam ſpectet Imperatoris electionem examinare. Tertio, Vtrum ad Papam ſpectet examinare perſonam electam.

ARTICVLVS I.

VTRVM EXAMINATIO electionis ſit de iure naturali, & diuino.

De materia huius quæſtionis vide cap. Venerabilem, & ibi Canoniſtas extra de elect. & electi poteſtate.

AD primũ ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ examinatio electionis ſit de iure diuino. Dicit enim Apoſto. 1. ad Tim. 5. Sine præiudicio nihil faciens, in aliã partem declinando. & manum cito nemini impoſueris. Quod verbum exponens Aug. dicit: Sine examinatione nõ eſt aliquis in prælaturam ordinandus, nec in aliquã C partem declinandum prius, quàm examinatio præcedens probatum, quem inueniat, & poſt examinationem non ſtatim manus eſt imponẽda, et confirmationem, ſed ſæpe eſt probanda, & examinanda. probatio ergo electionis eſt de iure diuino.

2 Præterea: Secundum Philoſophum: Nemo eligit iuuenes in Duces, eo, ꝙ non conſtat eos eſſe prudentes. Examinatio ergo, & probatio debet præcedere naturaliter confirmationem illius, qui debet in Ducem confirmari. *(Ariſt. 1. Pol. ca. 1. ſub finem.)*

3 Præterea: Electionem præcedit conſilium ſecundum Philoſophum. 3. Ethi. Conſilium autem examinatio quædam eſt de his, quę poſſunt contingenter euenire. Videtur ergo, quòd examinatio ſit de iure naturali. *(Ariſt. 3. Eth. cap. 2. ſub finem.)* D

IN CONTRARIVM eſt, quia ius diuinum, & naturale eſt immutabile, & vniforme, ſed examinatio electionis non eſt vniformis, & multipliciter variatur. Non eſt ergo de iure diuino, vel naturali.

RESOLVTIO.

Examinatio electionis, quantum ad aliquam ſolennitatem, eſt de iure poſitiuo: ſed ſimpliciter ſumpta eſt de iure naturali, & diuino.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut accuſatio ſimpliciter ſumpta eſt de iure diuino, & naturali: eo ꝙ conſuetudo Romanorum erat non iudicare aliquem niſi præſentes haberet accuſatores, vt ſcribitur Act. 25. qui ſolo † iure naturali regebantur, & Aug. dicit ꝙ Chriſtus Iudam non condemnauit, eo, ꝙ præſentem accuſatorem non habuit: accuſatio tamen quãtum ad aliquam ſolennitatem, & ſecundũ aliquas conditiones temporum, & locorum, & inſcriptionum, eſt de iure poſitiuo: Sic poſſumus dicere, ꝙ examinatio electionis ſimpliciter ſumpta eſt de iure naturali, & diuino. Vnde dictum eſt Moyſi Exodi 18. ex conſilio Ietro cognati eius, qui iure naturali regebantur, prouide de omni plebe viros ſapientes, B & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtituas eos Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui iudicent Populum omni tempore. Et Moyſes ex præcepto Dei dixit Populo Iſraelitico Deutero. 1. Date ex vobis viros ſapientes, quorum conuerſatio ſit probata, & examinata in Tribubus veſtris, & ponam eos vobis Principes: ſed verũ eſt, ꝙ examinatio electionis quantum ad aliquam ſolẽnitatem locorum, & temporum; vt quando & vbi debeat fieri, & quantũ ad certas conditiones, quæ poſſunt, & habent illam electionem vitiare; vt ſic, eſt de iure poſitiuo.

(† Ius Romanum tripartitũ eſt. collectũ eſt enim ex naturalibus pręceptis, aut gẽtium, aut ciuilibus. §. iuris præcepta. inſtit. de inſt. & iure.)

Et per hoc patet reſponſio ad rõnes pro, & cõtra.

C

ARTICVLVS II.

VTRVM AD PAPAM ſpectet Imperatoris electionẽ examinare.

Vide Caſtaldum in tra ct. de Imperatore quæſt. 17.

AD ſecundum ſic proceditur, Videtur enim, ꝙ ad Papam nõ ſpectet Imperatoris electionẽ examinare. quia electio, quæ fit à D Papa, non debet examinari; quia ad ſuperiorem non poteſt ipſam examinandam remittere, cũ ſuperiorem non habeat: Sed electio Imperatoris fit à Papa. Ergo examinari non debet.

2 Præterea: Scribitur 1. Ethi. Quòd vnuſquiſque bene iudicat de his, quæ nouit, & horum eſt bonus iudex. Sed magis electores cognoſcũt, vtrũ electio ſit vitiata, quàm aliqui alij Ergo ad eos ſpectat examinatio. *(Ariſt. 1. Eth. cap. 3. circa medium.)*

3 Præterea: Electio aliorum Regum, & Principũ non examinatur per Papam. Ergo nec Imperatoris electio per eum debet examinari, cum dominium aliorum à dominio Imperiali dependeat.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de elect. c. Venerabilem.

RESOLVTIO.

Imperatoris electio ſpectat ad Papam, cuius eſt cõferre ius eligendi, electionemq. confirmare.

RESPONDEO, dicendum, quòd ad eum pertinet electionem aliquam examinare, ad quem pertinet ius eligendi conferre, & ordinare, ac manus imponere, & electionem confirmare. ſed planum eſt, quòd ad ſummum Põtificem ſpectat immediate ius eligendi Imperatorem conferre, & ordinare Imperium. quia cum ſit miniſter eius in Eccleſiæ defenſione, & temporalium adminiſtratione: poteſtas eligendi ipſum ab Apoſtolica Sede in ipſos Electores eſt deriuata. Sequitur ergo, ꝙ ad Papam immediate pertinet ipſius electionis probatio, & examinatio.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quando Electores admoniti, & expectati nollẽt Imperatorem eligere, cum congruum non ſit, Eccleſiam carere aduocato, & defenſore: tunc Papa immediate eligeret, & in tali caſu ſua electio eſſet examinatio, & cõfirmatio: ſed quando Papa eligit, mediantibus electoribus, quia per eos poteſt fieri in concordia, & diſcordia, & iuris ordine non ſeruato, tunc electio Papæ relinquitur examinanda, & confirmanda.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd nullus in cauſa propria ponendus eſt iudex. Electores ergo nõ habent iudicare, nec cognoſcere de ipſa electione per eos facta: ſed Papæ relinquitur examinanda, vtrum per eos fuerit vitiata, vel vtrum aliqua obijciantur, quæ talem electionem habeant vitiare.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile, quia modus eligendi, & examinãdi, & quicquid pertinet ad iuriſdictionem imperialis dominij, dependet ex ordinatione Eccleſiæ. qđ nõ contingit de alijs.

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PAPAM ſpectet perſonam electam examinare.

Caſtaldus loco citato in articulo præcedenti.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam non ſpectet examinare perſonam electam, quia Imperator aſſumitur vt corporali gladio defendat Eccleſiam: ſed probare perſonam idoneam ad hunc actum magis ſpectat ad militem, quàm ad Papam.

2 Præterea: Papa debet imitari veſtigia Dei. ſed Exo. 3. Deus immediate elegit Moyſen in ducẽ Populi
E Iſraelitici, & Dauid elegit Regem ſuper Iſrael 1. Regũ 16. nulla examinatione de eis facta.

3 Præterea: Examinatio, quæ fit per Papam, pertinet, vel ad ſcientiam, vel ad vitam. ſicut patet 23. diſtinct. c. de examinatione Prælatorum. Sed de neutro perſona Imperatoris examinari debet. ergo, & cetera.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de elect. c. Venerabilẽ. vbi Papa loquens in perſona ſua ſic dicit: Ius, & auctoritas examinandi perſonam electã in Regem, & promouere ad Imperiũ, ad nos ſpectat, qui eum inungimus, & cõſecramus.

RESOLVTIO.

Perſona ad Imperium aſſumpta eſt per Papam
F *immediatè probanda, & examinanda.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ animalis, & temporalis, ſeu carnalis homo per ſpiritualem examinatur, & probatur: vnde ſuper illo verbo 1. ad Corint. 2. Animalis homo ſpiritualiter examinatur. Dicit Aug. In de uera Religione, ꝙ ſemper animalia, & corporalia per ſpiritualia debent probari, & examinari: quia non propter aliud ſpiritualia eis proponũtur, niſi vt examinentur, & probentur, an ſpiritualia ament, & diligant, vel non. Planum eſt autem, quòd Imperator ſuum Imperium recipit principaliter ſuper regimen animalium, & corporalium hominum, propter quorum correctionem, eius maieſtatẽ decet non ſolum legibus eſſe armatam, ſed etiã armis eſſe
G decoratam. Papa vero ſuum imperium principaliter recipit ſuper regimen hominum intellectualium, & ſpiritualium, qui (dicente Apoſtolo eodem. c.) iudicant omnia, & ipſi à nemine iudicantur. Sequitur ergo, ꝙ perſona ad imperium electa eſt per Papam immediatè probanda, & examinanda.

Tomo 1. Cap. 31.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd fama, & teſtimonio aliorũ poteſt Papa examinare, vtrũ perſona electa ſit idonea corporali gladio Eccleſiam defendere, vel vtrum ſit effeminatus, & inutilis ad talem actum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd aliter examinat Deus, quàm homo: nam Deus examinat ſecun-
H dum interiorem euidentiam, homo vero ſecundum exteriorem famam, & ſecundum exteriorem apparẽtiam. vnde dictum eſt Samueli 1. Reg. 16. Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinẽ ſtaturæ eius, quoniam abieci eum. homo enim videt quæ foris parẽt, Deus autem intuetur cor.

AD tertium eſt dicendum, quòd de multis alijs debet examinari perſona electa præter vitam, & ſcientiam. poſſent enim Electores eligere hominem Sacrilegum, vel Excommunicatum, Hæreticum, Schiſmaticum, vel Paganum, Tyrannum, vel Fatuum, vel talem, cuius Progenitores fuiſſent perſecutores Eccleſiæ, & in omnibus iſtis perſona electa eſſet repellenda.

QVAESTIO XLII. DE IMPERII DVRATIONE.

Einde conſiderandum eſt de Imperij duratione. Circa quod duo quæruntur.

Primo, Vtrum Romanum Imperium auctoritate Papæ confirmatum debeat durare vſque ad finem ſęculi.

Secundo, Vtrum Romanum Imperium nunc diuiſum, auctoritate Papæ ante finem ſæculi debeat reintegrari.

ARTICVLVS I.

VTRVM ROMANVM Imperium auctoritate Papæ confirmatum vſque ad finem ſæculi ſit duraturum.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Romanum Imperium auctoritate Papæ confirmatū vſque ad finem ſęculi ſit duraturum. Scribitur enim Matthęi 14. Quod cum prædicatum fuerit Euangelium in toto orbe in teſtimonium omnibus Gentibus: tunc veniet conſummatio. ſed non poterit prædicari Euangeliū vſq; ad finem ſæculi in toto orbe, niſi Romanum Imperium duraret. quia illis, qui Romano Imperio non ſubijciuntur, Euangelium non eſt prædicandum.

2 Præterea: Scribitur Matth. 13. quòd in fine ſęculi filius hominis mittet Angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala. Sed ſecundum Auguſtinum, †Regnum ibi accipitur pro Regno præſentis Eccleſiæ: quia in Regno cœleſtis patriæ non erunt ſcandala, quæ colligi debeant. Regnum ergo pręſentis Eccleſiæ, quod eſt Romanum Imperium, vſque ad finem ſęculi eſt duraturum.

† Id habet B. Gregorius Hom. [illegible] in Euangelia.

3 Præterea: Romanum Imperium eſt, quod conceſſit Conſtantinus Eccleſiæ. ſed talem conceſſionē ipſe confirmauit vſque ad finem ſæculi illibatam, & inconcuſſam permanere, vt ſcribitur 96. diſt. cap. Conſtantinus.

IN CONTRARIVM eſt, quia in fine ſæculi ædificabitur Hieruſalem, & templum Domini per Iudæos ex Imperio Antichriſti; vt in tali templo colatur ab eis tanquam Deus & oſtendat ſe eis tanquā ſit Deus, vt dicit Apoſtolus 2. ad Theſſal. 2. Non ergo tunc erit Romanum Imperium.

A

RESOLVTIO.

Romanum Imperium ad finem vſque Mundi duraturum iudicamus.

RESPONDEO, dicendum, quòd iſta quæſtio eſt dubia propter illud, quod ſcribitur Apoc. 20. vbi ſic dicitur: Cū cōſummati fuerint mille anni, ſoluetur Sathanas de carcere ſuo. quia priorē poteſtatem recipiet, & exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quattuor Angulos terræ Gog, & Magog. & cōgregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris. Super quibus verbis dicit Gloſſa, quòd

B ad litterā has duas Gentes tectas, & abſconſas Diabolus primo decipiet, & per eas procedet ad ſeductionem, & perſecutionem fidelium, ita quòd Antichriſtus per has duas Gentes tectas, & abſconſas in angulis terræ: quorum numerus eſt ſicut arena maris, perſequetur Eccleſiam Dei. Nam Gog, & Magog, idē eſt, quod tectum de tecto: Vt ſit ſenſus, quòd tectę, & abſconſæ Gentes debeant exire de tectis, & abſconſis locis ex Imperio Antichriſti ad perſecutionem Eccleſiæ: & ſi ſic, erit quòd Imperium ad tales gentes ſit transferendum: cum clārum ſit huiuſmodi Gentes nunquam fuiſſe, nec eſſe ſub Romano Imperio, ſequitur quòd Romanum Imperium vſque in finem ſæculi duraturum non ſit. Sed Auguſtinus

Gog, & Magog, quid ſonent.

C 20. de Ciuitat. Dei cap. 9. Exponens iſta verba ſcripta in Apocal. dicit, quòd Gentes iſtæ, quas Euangeliſta appellat Gog, & Magog, non ſic accipiendæ ſunt, vt ſint aliquę Gentes in aliqua parte terrarum conſtitutæ tanquam barbaræ, & commixtæ alijs Nationibus, vel quaſi ſeiunctę, & ſemotæ à Romano Imperio: ſed Nationes in toto orbe terrarum ſimul cum alijs exiſtentibus intelligere debemus: In quibus Diabolus tanquam in abyſſo intelligitur eſſe incluſus, & tectus. Sed tunc, tempore Antichriſti exibit tanquā tectus de tecto: quia de tecta, & occulta exibit in manifeſtam, & apertam perſecutionem: qui iam ante per multa mala, & varia ſeducet multos. ſed tunc im-

Tomo 5.

D minente iudicio finali, vniuerſa Ciuitas Chriſti in toto orbe terrarum ab vniuerſa Ciuitate Diaboli, quantacunque erit vtraque ſuper terram, apertam, & manifeſtam perſecutionem patietur. Vnde ſecundùm hoc dicendum eſt, Romanum Imperium vſque ad finem Mundi eſſe duraturum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſecundum Chryſoſt. prædicatio Euangelij Regni fuit completa in quadraginta annis poſt Chriſti reſurre-

Hom. 76. in Matth.

ctio-

ctionẽ: Et tunc fuit conſummatio, non mundi vniuerſaliter: ſed ſolum Iudæorum, & Ciuitatis Hieruſalem facta per Titum, & Veſpaſianũ Romanos Principes. Sed ſecundum Auguſt. Epiſt. 80. talis prædicatio Euangelij Regni non complebitur vſque ad finem ſeculi. quia tempore ſuo in Affrica, vbi ipſe erat, multæ barbarę nationes erant, in quibus nondum prædicatum Euangelium eſſe, compertum eſt per illos, qui inde captiui ducebantur. Sed Origenes dicit vtrunque eſſe verum: ait enim, quòd prædicatio Euãgelij Regni completa fuit tempore Apoſtolorũ quantum ad famam, & prædicationis auditum: ſed quantum ad prædicationis fructum: vt in omnibus gentibus Eccleſia credentium in Chriſtum ſit fundata, ante finem ſeculi talis prędicatio non complebitur.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd in fine ſeculi ſcandala colligentur de Regno Eccleſiæ, eo quòd in omnibus Nationibus peruenientibus ad Romanum Imperium vſque ad finem ſæculi ſimul erit zizania cum tritico: puta fideles cum infidelibus, & boni cum malis. Sed in fine ſeculi tunc zizania ligabuntur in faſciculos ad comburendum: triticum autem ſeparabitur, & congregabitur in horreum Chriſti, ſecundum expoſitionem Auguſtini.

Qõ. 12. in matth. 10.4.

A D tertium eſt dicendum, quòd Romanum Imperium conceſſum Eccleſię per Conſtantinum vſque ad finem ſeculi, durabit quantum ad iuriſdictionem, ſed non quantum ad integrationem, & actualem adminiſtrationem, vel quantum ad ipſorum ſubditorum ſubiectionem: Quia Antichriſti tempore multi ſubtrahent ſe ante illud tempus à Romano Imperio, & ab Eccleſiaſtico dominio. Iuxta illud Apoſt. 1. ad Timot. 4. In nouiſſimis temporibus deſcendẽt quidam à fide attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum.

ARTICVLVS II.

VTRVM ROMANVM Imperium diuiſum ante finem ſeculi auctoritate Papæ debeat reintegrari.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Romanum Imperium diuiſum ante finem ſæculi auctoritate Papæ debeat reintegrari. Dicit enim gloſſa ſuper illo verbo 2. ad Theſſalo. 2. Niſi venerit diſceſſio primum, quod ante finem ſæculi, hoc modo erit triplex diſceſſio. Vna erit multorum fidelium à fide catholica. Secunda erit multorum regnorum à Romano Imperio. Tertia erit multarum Eccleſiarum à Romano Pontifice. Si ergo tunc erit ante finem ſæculi iſta triplex diſceſſio, erit Romanum Imperium reintegratum ante.

2 Præterea: Scribitur Danielis 7. quòd in beſtia erant cornua decem, quæ decem Reges erunt, Super quibus verbis dicit gloſſa, quòd decem cornua erunt E decem Regna, in quę diuidetur Romanum Imperium tempore Antichriſti. Si ergo tunc diuidetur Romanum Imperium, ante reintegratum erit.

3 Præterea: Scribitur Apocal. 11. quòd videbunt de Populis, & Tribubus, & Linguis, & Gentibus corpora Prophetarum iacere in plateis Hieruſalem tribus diebus cum dimidio: & corpora eorum non ſinent poni in monumentis, & inhabitantes in terra gaudebunt ſuper iſtos, & iocundabuntur: quoniam hi duo Prophetæ cruciauerunt eos, qui habitabant ſuper terram. Si ergo tunc erit vnitas, & pax vniuerſis Gentibus, reintegratum erit Romanum Imperiũ.

I N CONTRARIVM eſt. quia ſecundum ſententiam Saluatoris: Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Cum ergo iam Romanum Imperium in multas partes ſit diuiſum: magis eſt ſperanda * eius deſolatio, quàm eius reintegratio. Luc. 11.

F

* al. Timenda: vel abuſiuè ponitur ſperare pro timere. Virg. 1. Æneidos: At ſperare Deos memores fandi atque nefandi: Et 4. Hanc ego ſi potui tantũ ſperare dolorem. Propriè enim ſperam' bona, & timemus mala.

RESOLVTIO.

Romani Imperij diuiſio potius timenda, quàm eiuſdem reintegratio ſperanda eſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd manente cauſa, effectus remoueri non poteſt: Cauſa autem diuiſionis in membris Eccleſię eſt diuinæ voluntatis repugnatio. & quia iſta cauſa manebit vſque ad finem ſæculi, ſuperabundante ſemper magis, ac magis cupiditate, & refrigeſcente charitate: iccirco vſque ad finem ſæculi non eſt ſperanda Romani Imperij reintegratio: ſed potius amplior diuiſio. Quæſiuit

G enim iſtam quæſtionem Victorinus presbyter ab Auguſtino: Cur genus humanum poſt Chriſti aduentum tot tribulationibus, ac perſecutionibus Tyrannorum, ac barbarorum opprimatur, cum ante eius aduentum, & antequã doctrina Euangelica per mundum prædicaretur, humanum genus non tanta mala patiebatur, immo ſumma pace fruebatur intãtum, vt totus orbis ſub Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.

Ad quam quæſtionem ſic reſpondit Auguſtinus: Seruus, qui neſcit voluntatem domini ſui, & non facit, plagis vapulabit paucis. Sed ſeruus, qui ſcit voluntatem domini ſui, & non facit, vapulabit plagis multis. Quid ergo mirum, ſi nunc Chriſtiani plene ſcientes voluntatẽ domini, & non facientes: diuerſis plagis affliguntur: Attendunt enim

Epiſt. 122. Luc. 12.

H quanta celeritate Euangelium prædicatur: ſed non attendunt quanta peruerſitate contemnitur.

Ad Argumenta.

A D PRIMVM ergo eſt dicendum. quia ante aduentum Antichriſti illa triplex diſceſſio erit: non tamen ſic aperta, & manifeſta ad Eccleſiæ impugnationẽ, ſicut tunc erit, ſcilicet tẽpore Antichriſti, multi enim ſunt nunc ſecundum Auguſtinum ſub dominio Eccleſiæ, & ſub Romano Imperio, corpore, nõ tamen animo, & voluntate.

De ciui. dei to. 5 lib. 20. c. 19. & alibi.

A D ſecundum ſimiliter eſt dicendum, quòd Romanum imperiũ ante erit diuiſum in multa Regna: ſed

ſed tunc diuiſio illa manifeſtabitur quantum ad impugnationem Eccleſiæ: eo quòd Antichriſtus multos ſeducet, & per illos ſeductos robuſtos Iſrael interficiet. Et perſequetur manifeſte Eccleſiam Dei.

AD tertium eſt dicendum, quia illa iocunditas,

A & pacis vnitas ſuper interfectionem Prophetarum erit in Iudæis. quia qui Christum venientem in nomine Patris ſui non receperunt, immittet eis dominus ſpiritum erroris, vt recipiant Antichriſtum venientem in nomine ſuo, vt ſcribitur Ioannis 5.

QVAESTIO XLIII. DE IMPERII CESSIONE, VEL CONCESSIONE.

VLTERIVS *videndum eſt de imperij ceſſione, vel conceſſione. Circa quod quæruntur tria.*

Primo, Vtrum Conſtantinus potuerit Papæ poteſtatem imperij concedere, & partem ſibi reſeruare.

Secundo, Vtrum Conſtantinus potuerit Papæ immediatam adminiſtrationem Imperij concedere.

Tertio, Vtrum conceſſionem factam Papæ per Conſtantinum ſequentes Imperatores poſſint reuocare.

ARTICVLVS I.

VTRVM CONSTANTINVS potuerit Papæ parte Imperij concedere, & partem ſibi reſeruare.

Couarruuias lib. 4. variar. reſolut. cap. 16. Iacobatius tract. de Concilio lib. 10. art. 8. & Caſtaldus tract. de Imperatore quæſt. 51.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Conſtantinus non potuerit Papæ partem Imperij concedere, & partem ſibi reſeruare. Quia bona communia, & bona Reipublicę non poſſunt alienari, vendi, vel commutari: ſed bona Imperij ſunt bona Reipublicæ. Ergo talem cōceſſionem Conſtantinus non potuit facere.

2 Præterea: Quæ ſunt perſonæ conceſſa non poſſunt transferri ad poſteros: ſed bona imperij fuerunt Conſtantino perſonaliter conceſſa: cum in Imperatorē illo tempore Imperator eligeretur per perſonalem electionem, non autem per hæreditariam ſucceſſionem. Non ergo iure ſui regiminis poſteros ad iſtam conceſſionem obligare poterat.

3 Præterea: Sicut eſt in regimine ſpirituali: ſic videtur eſſe in regimine temporali. Sed clerici non poſſunt bona Eccleſiæ commutare, vendere, vel donare, nec alienare, vt ſcribitur 12. q. 2. cap. Diaconi. Ergo nec Imperator potuit bona Imperij Papæ concedere, vel donare.

IN CONTRARIVM eſt. quia non eſt peio-

B ris conditionis Imperator, quàm alij homines: ſed cuilibet homini dicitur Prouerb. 3. Honora dominū de tua ſubſtantia, & de primitijs omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſaturitate.

RESOLVTIO.

Eccleſiæ bona diuidi debent in Miniſtrorum ſuſtentationem, in Eccleſiæ reparationem, & in Pauperum erogationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd illo iure Conſtantinus potuit concedere partem bonorum tēporalium imperij Eccleſię, & partem ſibi reſeruare,

C quo iure homo in lege naturæ, & in lege ſcripta partem bonorum temporalium dabat Deo, & partem ſibi reſeruabat. Tenebatur autem homo iure naturę aliquam partem bonorum temporalium Deo dare ad miniſtrorum eius ſuſtentationem. Vnde dicitur Numeri 18. Aaron ſummo Sacerdoti, & filijs eius, in terra filiorum Iſrael nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos. quia ego pars, & hęreditas tua ſum in medio filiorum Iſrael. Et dico iure naturæ: Quia ratio naturalis dictat, vt qui altari ſeruit, de altari debet viuere. & qui paſcit gregem, de lacte eius debet comedere. Sicut Apoſtolus dicit 1. Corinth. 9. Aliquam vero partem dare tenebatur ad ſacrificiorū oblationem, & aliquam partem dare tenebatur ad pauperum erogationem, & hoſpitum receptionem,

D vt ponitur Deuter. 14. & ex hoc aſſumptum eſt, q̄ de bonis Eccleſiarum partes tres fieri debent.

Vna pro miniſtrorum ſuſtentatione. Alia pro Eccleſiæ reparatione. Et tertia pro pauperum erogatione, & hoſpitum receptione, ſicut Grego. ſcribit Auguſtino Epiſcopo Anglorum. Et ponitur 12. quæſt. 2. cap. Mos eſt. †Gregorius in reſpōſione ad primā interrogationem Auguſtini.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd bona Reipublicæ non poſſunt alienari: ſed bene poſſunt in meliorem vſum commutari, & Deo dicari, à quo recipiuntur.

AD ſecundum eſt dicendum, quod bona imperij Con-

rij Conſtantino perſonaliter conceſſa non potuiſſet transferre in dominium alicuius, qui eſſet purus tẽporalis homo, nec poſteros ad talem translationem potuiſſet obligare iure naturali, & diuino: ſed bene potuit transferre in dominium illius, qui eſt Deus, & homo: puta Chriſti, cuius Vicarius eſt ipſe Papa, & poſteros potuit ad talem tranſlationem obligare iure naturali, & diuino, cui omnes præſentes, & futuri ſubiacere dignoſcuntur.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſecus eſt de bonis temporalibus laicorum, & de bonis Eccleſiarum. quia bona temporalia laicorum ad vſum Eccleſiarũ venire licet: ſed bona Eccleſiæ poſtquam Deo ſacrata ſunt, & rei ſacræ deputata, vlterius ad alium vſũ venire prohibentur.

ARTICVLVS II.

VTRVM CONSTANTINVS poterit Papæ immediatam adminiſtrationem Imperij concedere.

Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 113. & ſeq. & in cap. Cum ad verum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Conſtantinus non potuerit Papæ immediatam adminiſtrationem Imperij concedere: Quia illud, quod non poteſt recipi, non poteſt dari: ſed Papa, & alij Eccleſiaſtici viri non poſſunt recipere immediatã adminiſtrationem temporalium. Dicit enim Petrus Actuũ 6. Non eſt æquũ nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.

2 Præterea: Temporalia non poſſunt adminiſtrari ſine ſæculari iudicio: Sed ſæcularia iudicia exercere interdicitur Papæ, & Eccleſiaſticis perſonis. Iuxta illud 1. Corint. 6. Sæcularia iudicia ſi habueritis, contemptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. 1. Tim. 6.

3 Præterea: Illud, quod eſt radix omnium malorũ, potiſſime eſt vitandum à Papa, vel ab Eccleſiaſticis viris. Sed cupiditas eſt radix omnium malorum, quę maxime augetur in adminiſtratione temporalium.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 12. quæſt. 1. cap. Videntes.

RESOLVTIO.

Imperator Conſtantinus Papę, eiuſque ſucceſſoribus iure temporalium dedit adminiſtrationem, quam Papa Imperatori conceſſit pro Eccleſia defendenda.

RESPONDEO, dicendũ, quòd iſta quæſtio determinatur 1. Paralip. cap. vltimo, vbi Propheta Dauid ſic ait: In manu tua domine virtus, & potentia: in manu tua magnitudo, & Imperium omniũ: Tuæ diuitiæ ſunt, & tua eſt gloria: tu dominaris

E omnium: Ego autem, & populus meus quid ſumus vt poſſimus aliqua tibi promittere, vel dare, cum tua ſint omnia? peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ: Sed hæc ipſa, quę de manu tua accepimus: dedimus tibi. Planum eſt autem, quòd Papa eſt verus Vicarius Chriſti in terra. Illo ergo iure temporalium adminiſtratio conceditur Papæ ab Imperatore, & recipitur ab ipſo: quo iure prædictorum bonorũ adminiſtratio recipitur à Deo, & datur Deo.

Recipitur autem temporalium adminiſtratio à Deo per ipſum Imperatorem, quantum ad vſum, & quantum ad ſui officij ſtipendiationem. non enim aliter Imperatores, & Reges tributa recipere poſſũt: niſi qa ſtipendiarij, & miniſtri Dei ſunt, dicente Apoſtolo Rom. 13. Ideo tributa præſtatis eis. quia miniſtri, & ſtipendiarij Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes

F Sed datur Deo temporalium adminiſtratio ab ipſo Imperatore quantum ad honoris venerationem, & dominij recognitionem, ac ſuorum miniſtrorum ſuſtentationem. Dicendum eſt ergo, quòd Conſtantinus Imperator dedit Papę, & ſuis ſucceſſoribus Imperij temporalium adminiſtrationem: in honoris venerationem, & dominij recognitionem: & Papa hanc eandem immediatam adminiſtrationem concedit Imperatori, quem eligit in uſum, & in ſui officij ſtipendationem pro defenſione, & pacifica gubernatione Eccleſiæ.

Ad Argumenta.

G AD PRIMVM ergò eſt dicendum, quòd Papa, & alij eccleſiaſtici uiri nõ recipiunt immediatam temporalium adminiſtrationem, quantum ad perſonalem executionem, quam ipſi perſonaliter exequũtur: eo, quòd officium ipſorum proprium eſt vacare diuinis, & ſpiritualibus actibus, & ſaluti animarum ſubditorum: ſed ſolum quantum ad miniſterialem commiſſionem, Committitur enim temporalium adminiſtratio miniſtris, & œconomis, quos quęlibet Eccleſia habere tenetur.

AD ſecundũ eſt dicendũ, quòd ſignanter (vt exponit Gregorius.) Apoſtolus dixit: Contemptibiles de Eccleſia eligatis, & illos conſtituite ad iudicandũ. 19. Mor. c. 14.
Quia per Laicos, & per illos, qui ſunt minoris meriti in Eccleſia, iudicia ſunt exercenda, & temporalia negotia tractanda: non autem per ipſos Clericos

H immediate.

AD tertium eſt dicendum, quòd temporalium adminiſtratio non auget cupiditatem, niſi propter inordinatam affectionem, & à ſpiritualibus bonis retractionem. Nam Abraham multorum bonorum temporalium adminiſtrationem habuit. Et tamen primo ipſe de ſalute humani generis promiſſionem recipere meruit.

ARTICVLVS III.

VTRVM CONCESSIONEM factam Papæ per Conſtantinum ſequentes Imperatores reuocare poſſint.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd conceſſionem factam Papæ per Conſtantinum ſequentes Imperatores reuocare poſſint. Dicit enim Iuriſconſultus, quòd ſi Princeps concedit alicui, quòd liceat ei ædificare in loco publico: talis conceſſio debet intelligi, vt fiat ſine præiudicio alterius. conceſſio ergò facta Papæ Silueſtro, & ſuis Succeſſoribus per Conſtantinum intelligenda eſt eſſe facta ſine præiudicio aliorum Imperatorum ſequentium.

L. 2. §. Merito. ff. ne qd in loco publico.

2 Præterea: Par in parem non habet Imperium. Sicut ergo Imperator Conſtantinus conceſſit, ita alius Imperator poteſt reuocare.

3 Præterea: Dicit Iuriſconſultus, quòd Princeps legibus ſolutus eſt. Non obſtante ergo, quòd de tali conceſſione condita fuerit aliqua lex, Imperator non obligatur illam ſeruare.

L. Princeps ff. de legib.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 12 diſt. cap. Ridiculum. vbi dicitur. Ridiculum eſt, & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones, quas antiquitus à Patribus ſuſcepimus, infringi patiamur.

RESOLVTIO.

Imperatoris conceſſio facta Papæ perpetuò duratura, irreuocabilis eſt. Quod enim Deo ſemel eſt dicatū, ab homine reuocari non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd dupliciter poteſt oſtendi, quantū ad præſens, conceſſionē prædictā per Conſtantinū factā irreuocabilem eſſe.

Primo ſic: Quod ſemel Deo dedicatum eſt, humano iudicio reuocari non poteſt. vnde ſcribitur 12. quæſt. 2. cap. De rebus: De rebus, quæ ſemel Deo cōtributę, atque dedicatæ ſunt, & poſtea ſub occaſione conceſſionis Principum à quibuſdam inuaduntur: ſancimus, vt prius conſulatis Principem ad reſecandum, tam præſumptiuam factionem, & cognoſcendum, vtrum illius ſit conceſſio, an inuaſoris pręſumptio. Quod ſi Principis inordinata fuerit largitio: ipſe ſit Princeps pro emendatione redarguendus. Si autem inuaſoris declaratur præſumptio vſque ad emendationem excōmunicationis, ſit vindicta coercendus.

Secundo ſic: Non alio iure temporalium adminiſtrationem Conſtantinus recepit, niſi conſenſu Populi, & Principum, ac vniuerſi Senatus Vrbis Romæ. Sed cum conſenſu omnium iſtorum talem conceſſionem ipſe fecit Eccleſiæ. Scribitur enim 96. diſt. c. Conſtantinus: Vtile iudicamus vna cum omnibus Satrapis noſtris, & vniuerſo Senatu, Optimatibus etiam, & cum cuncto Populo Romanæ Eccleſiæ ſubiacenti: vt ſicut beatus Petrus in terris Vicarius filij Dei videtur eſſe conſtitutus: ita & Pontifices ipſius Principis Apoſtolorum poteſtatem amplius, quàm terrenæ Imperialis noſtræ ſerenitatis habere videtur, conceſſam à nobis, noſtroque Imperio obtineant: & vſque in finem mundi illibatam, & incōcuſſam permanere decreuimus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd præiudicium fit ſucceſſori, quando ſubtrahitur ei, quod ſibi debetur: non autem quando redditur alteri, quod ſibi eſt ſubtractum: Conſtantinus autem reddidit Eccleſiæ, & Vicario Chriſti illa, quæ ab ipſo receperat: cum dictum ſit ſupra: omnia eſſe Dei, & per conſequens Papæ Vicarijs eius, quantum ad honoris venerationem, & dominij recognitionem.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd quantum ad illa, quæ ſunt iuris poſitiui, par in parem non habet Imperium. Sed illa, quæ ſunt iuris naturalis, & diuini omnes obligant præſentes, & ſequentes. quo iure Conſtātinus talem obligationem fecit. vnde ſcribitur cap. ſupradicto, quòd Conſtantinus talem obligationem fecit dicens: Coram Deo viuo, qui nos regnare præcepit: & coram terribili eius iudicio obteſtamur, omnes noſtros ſucceſſores Imperatores, & cunctos Optimates, ampliſſimumque Senatum, & vniuerſum Populum in toto orbe terrarum nunc, & in poſterum: nulli eorum quoquo modo hoc conceſſa infringere, vel aliquo modo conuelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator, aut contemptor extiterit: æternis condemnationibus ſubiaceat innodatus.

Et per hoc patet ſolutio ad tertium: † quia lege naturali, & diuina Princeps non eſt ſolutus: ſed plus, quàm alij, exiſtit ligatus.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 96. art. 5.

QVAESTIO

QVAEST. XLIIII. DE LEGVM IMPERIALIVM INSTITVTIONE.

IN ſuper conſiderãdum eſt de legum Imperialiũ inſtitutione. Circa quod quęruntur octo.

Primo, Vtrum Imperator abſque Papę auctoritate poſſit leges condere.

Secundo, Vtrum leges Imperiales ex præcepto Papę omnes teneantur obſeruare.

Tertio, Vtrum leges Imperiales ex pręcepto Papæ habeant homines in foro conſcientię ligare.

Quarto, Vtrum Papa leges Imperiales ſua auctoritate poſſit corrigere.

Quinto, Vtrum leges Imperiales Papa ſua auctoritate poſſit mutare.

Sexto, Vtrum Papa ſua auctoritate poſſit reum impunitum dimittere: quẽ leges Imperiales condemnant.

Septimo, Vtrum Papa abſque peccato legibus Imperialibus poſſit vti.

Octauo, Vtrũ Papa legibus Imperialibus ſit ſolutus.

ARTICVLVS I.

VTRVM IMPERATOR Abſque Papæ auctoritate poſſit leges condere.

Caſtaldus tract. de Imperatore quæſt. 105.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd abſque Papæ auctoritate Imperator poſſit leges condere. Quia quælibet perſona publica ex ſuo officio poteſt leges condere ad regendam multitudinem ſibi commiſſam. Sed Imperator eſt perſona publica; Ergo ex ſuo officio poteſt leges condere.

2 Præterea: Quod fit Dei auctoritate non requiritur q; fiat auctoritate Papæ. ſed dicit Iuriſconſultus † quòd leges ſunt diuinitus per ora Principum promulgatæ. Ergo non requiritur Papæ auctoritas.

†Vide l. 1. § ſed neq; C. de vete. iur. enuclean.

3 Præterea: Dicit Philoſophus 2. Ethicorum: Intentio Legiſlatoris ſemper eſt, vt homines ad virtutem inducat. Nullum enim agens ad malum aſpiciẽs agit quod agit, ſecundum Dionyſium. Sed quilibet homo poteſt alium inducere ad virtutem. Ergo quilibet homo poteſt abſque ſuperioris auctoritate leges condere.

Cap. 1. circa medium. De Diuin. nomin. c. 4.

IN CONTRARIVM eſt, quia ille, qui tenetur alterum ſequi, & alteri ſubijcitur, non poteſt abſque illius auctoritate ſtatuta cõdere. Sed Imperator ſubijcitur Papæ, ſicut miniſter eius. Ergo tenetur imitari eum, Vnde Gregorius dicit, & ponitur 2. q. 3. cap. Euthemium. quòd leges ſæculi non dedignãtur ſacros ſequi Canones. Et extra de iudicijs c. Clerici. ſcribitur, quòd leges Imperiales non dedignantur ſacros Canones imitari.

E

RESOLVTIO.

Lex omnis, modo ſit iuſta, à Dei eſt lege, hoc eſt, effectiuè, & deriuatiuè: materialiter, & ſubiectiuè.

F RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundũ Auguſtinum 1. lib. de libero arbitrio c. 6. Lex æterna eſt ſumma diuina ratio, qua iuſtum eſt, vt omnia ſint ordinatiſſima, cui ſemper obtemperandum eſt: ſecundum quam omnis lex recte fertur, recteq. imitatur. Omnis ergo lex, dummodo iuſta ſit (quia ſecundum Auguſtinum libro ſupradicto cap. 6. mihi lex non videtur eſſe dicenda, quæ iuſta non eſt) depẽdet † à lege diuina dupliciter. Tomo 1.

Primo effectiuè, & deriuatiuè: eo ipſo quòd iuſta eſt, cum non aliter diſcernatur, quid ſit iuſtum, & quid iniuſtum, niſi lege diuina mediante. iuxta illud Prouerb. 8. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.

B. Thom. 1. 2. q. 91. ar. 2. & Dominicus ſotus lib. 1. de iuſt. & iure. q 3. art. 3.

Secundo materialiter, & ſubiectiue. quia ex diuinis
G ſermonibus primæ leges Imperiales materialiter cõpoſitæ fuerunt. Nam Numa Pompilius, qui Romulo ſucceſſit in regno per decem viros leges ex libris Salomonis † conſcribi decreuit; & in latinum ſermonem tranſlatas in 12. tabulas expoſuit. vt dicit Iſidor. in lib. Ethymol. lib. 5. c. 1. Et Iuriſconſultus † ponit, quòd cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri diuino, & naturali tũc ius ciuile efficimus. Illo ergo iure lex Imperialis depẽdet ab auctoritate Papæ quo iure dependet a lege diuina, cuius ipſe Papa eſt Vicarius, & miniſter, potiſſime cum ſecundum Dionyſiũ lex diuinitatis hoc habeat, vt eius influẽtia nõ trãſeat ad inferiora niſi per media. Medius autẽ inter Deũ, & populum chriſtianum eſt ipſe Papa. Vnde nulla
H lex populo chriſtiano eſt danda, niſi ipſius Papæ auctoritate, ſicut nec aliqua lex fuit data populo Iſraelitico, niſi mediante Moyſe, ipſo atteſtante Deuter. 5. Ego ſequeſter, & medius fui inter Deum, & vos, vt annunciarem vobis verba eius.

† Legẽdum: Solonis, vt apud Iſidorum.

† L. Ius ciuile. ff. de iuſt. & iure.

De cœleſt. Hier. cap. 4.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd perſo

na publica poteſt leges condere, illius auctoritate tamen, cuius auctoritate Reſpublica ſibi commiſſa eſt. Sicut ergo Imperator recipit à Papa Imperij temporalium adminiſtrationem: ſic ab eo recipit legum, & ſtatutorum eius approbationem.

A D ſecundũ eſt dicendum, ꝙ diuinitus leges per ora Principum ſunt * promulgatę: mediante tamen ore Papæ: qui medius eſt inter Deum, & Imperatorẽ. quemadmodum Imperator medius eſt, & ſequeſter inter ſibi ſubditos, vel populum, & Papam quantum ad curam temporalem. Vnde ſicut eius electio, & confirmatio, à Papa dependet; ſic legum, & ſtatutorum approbatio.

*vl. promulgandæ.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ quilibet poteſt aliũ ad virtutem inducere monitione morali, & ſociali, vel œconomica, & paternali: ſed monitione politica, & regali non inducitur, niſi per legem, quæ cum habeat vim coactiuam (vt Philoſophus dicit.) pœnarum terrore, & cõminatione habet homines ad virtutem inducere, & à malo retrahere, quàm legem & condere, & executioni tradere, non pertinet, niſi ad perſonam publicã, cuius poteſtati alij ſubijciuntur.

ARTICVLVS II.

VTRVM LEGES IMPERIALES ex præcepto Papæ omnes teneantur ſeruare.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 96. ar. 5. & Sotus lib. 1. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 7.

A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd leges Imperiales ex præcepto Papæ, non omnes teneãtur ſeruare. Quia multi ſunt, qui Imperatoris dominio non ſubduntur. Tales ergo leges Imperiales non tenentur ſeruare.

2 Præterea: Scribitur 1. ad Tim. 1. quòd iuſto non eſt impoſita lex, propter tranſgreſſores ſolum lex eſt data, vt idem Apoſtolus dicit ad Galat. 3. Iuſti ergo, & boni viri non tenẽtur Imperatorum leges ſeruare.

3 Præterea: Scribitur 19. qō. 2. cap. Duę ſunt leges, quod qui lege priuata ducitur: nulla ratio exigit, vt à publica lege conſtringatur. dicitur autem lex priuata lex Spiritus ſancti. Sed multi aguntur, & ducuntur tali lege. Ergo tales non tenentur leges Imperiales ſeruare.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur 10. diſt. c. Certum eſt. vbi Papa mandat, quòd leges Romanorum Principum ab omnibus ſeruentur.

R E S O L V T I O.

Leges Imperiales ab omnibus ſeruari debẽt, quantum ad actuum humanorum directionem: quantum verò ad violentam coactionem, non item: ſed ſolum illi, qui dominio Principis ſubduntur.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd lex Imperialis includit multas conditiones, quas non oportet ab omnibus ſeruari. quia nec iſta fuit intentio Legiſlatoris: vt lex eius ſecundum omnes conditiones illas ab omnibus ſeruaretur. Includit namque lex: primo omnium actuum humanorum directionem: eo, ꝙ omnis intentio Legiſlatoris ad hoc tendit: vt per legem datam actus humani dirigantur ad virtutem: & ad bonum inducantur. Vnde ſecundum † Iſidorum lib. 2. Etymologiarũ: Lex dicta eſt à legendo. quia quilibet poteſt in ipſa legere qualiter ſe debeat dirigere in agendis. Secundo includit conſuetudinis loco, & tempore cõuenientis obſeruationẽ. Dicit enim Iuriſconſultus, † quòd quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſeruata, velut tacita ciuiũ conuentio, non minus, quàm iura ſcripta ſeruantur. Tertio includit ſuperioris, & inferioris ordinationem. Secundum enim Auguſtinum, † Si Procõſul mandat vni aliquid obſeruandũ, & in illo diſpenſatum ſit cum eo per Imperatorem, vel ſuperiorem, non ſtringitur ad illud ſeruandum, diſpenſatione ſuperioris facta. Quarto includit violentam coactionem. Ad hoc enim factæ ſunt leges, ſicut dicit Iſidorus lib. 2. cap. 10. vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidata ſupplicio refrenetur nocendi facultas. Quantum ergo ad actuum humanorum directionem, & quantum ad ſuperioris, & inferioris ordinationem omnes ſeruare debent leges imperiales. Sed quantum ad conſuetudinis obſeruationem, vel violentam coactionẽ, non omnes leges prædictas ſeruant: ſed ſolum illi, qui conſuetudine illa approbata ſtringuntur, & qui dominio poteſtatis alicuius Regis, vel Principis ſubduntur.

† Iſidorus lib. 2. Etymolog. c. 10.

† l. ſed & ea. ff. de legib'.

† Sermone 6. de verbis Domini. & refertur in cap. qui reſiſtit. xi. q. 3.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes factas in contrarium.

ARTICVLVS III.

VTR. LEGES IMPERIALES ex præcepto Papæ habeant hominem in foro conſcientiæ ligare.

De difficultate huius articuli. Vide S. Thomã 1. 2. q. 96. art. 4. Dominicum Sotum lib. 1. de iuſt. & iure q. 6. art. 5. & 6. & Alphõſum Caſtrum lib. 1. de poteſtate legis pænalis cap. 8. & ſequenti.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ leges imperiales ex præcepto Papæ non habeant hominẽ in foro conſcientiæ ligare. Quia leges humanæ frequenter ingerunt calumniam, & iniuriã hominibus iuxta illud Iſaiæ 10. Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitias ſcripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes.

Sed tales leges quilibet iure naturæ tenetur non ſeruare, ſicut quilibet tali iure tenetur oppreſſionem, & violentiam euitare.

2 Præterea: In foro conſcientiæ homo tenetur parere ſoli Deo: cum ipſe ſolus intueatur cor; & homo videat, quæ foris parent. Vt ſcribitur 1. Regum 16. Nullius ergo puri hominis lege poteſt homo in foro conſcientiæ ligari.

3 Præterea: Lex conſcientiæ ex obſeruatione diuinorum mandatorum dependet. Sed diuina mandata interdum irritantur per leges humanas: iuxta illud Matth. 16. Irritum feciſtis mãdatum Dei propter traditiones veſtras. Nulla ergo lege humana poteſt ligari quis in foro conſcientiæ.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur 1. Petri 2. Hæc eſt enim gratia, ſi propter conſcientiã F ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſtè.

RESOLVTIO

Leges Imperiales, modo ſint iuſtę, non contra Dei mandata, ſed ſint ordinata ad bonum commune, ex præcepto Papę obligare poſſunt hominem in conſcientia foro.

Respondeo, dicendum, quòd in foro conſcientiæ homo ſubijcitur ſoli Deo. Illa ergo ligant hominem in foro conſcientiæ: quæ & iure diuino, & naturali à Deo homini impreſſo, habent vim obligandi; quæ ſunt omnia iuſta.

G Poſſunt autem quatuor modis aliquæ leges iuſtitiam continere. Primo, effectiuè, & poteſtatiuè: vt quando ſic feruntur, quòd non excedunt poteſtatem ferentis. Secundo, formaliter, & quiditatiuè: Vt quando ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera, & diuiduntur inter eos honores in ordine ad bonum commune, ſine perſonarum acceptione: & cum virtutum conſideratione. Tertio, materialiter, & ſubiectiuè: vt quando non continent aliqua contra Dei mandata, & contra bonos mores: Sicut lex, quã edidit Nabuchodonoſor, quæ mandabat, vt omnes adorarent ſtatuam aureã, quam erexerat. Dan. 3. Quartò, finaliter, & terminatiuè: vt ordinentur ad bonum commune, & ad promotionem Reipublicę, ſine propria cupiditate, & gloria, nullo priuato bono cõſiderato. Si ergo iſtis quatuor H modis oppoſitis leges iniuſtæ ſint, in foro conſcientiæ homines non ligant.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendũ, ꝙ ſicut dicit Apoſtolus ad Romanos 13. Princeps Dei miniſter eſt tibi in bonum, non in malum. Ideo cum Princeps contra iuſtitiam, grauamina infert ſubditis per violentias, & leges iniquas, in talibus homo nõ obligatur, vt obediat talibus legibus, ſi ſine ſcandalo, vel maiori detrimento, reſiſtere poſſit.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ex ipſa ordinatione diuina in foro conſcientię homo tenetur parere legi ſui ſuperioris: dummodo iuſta ſit: dicente E Apoſtolo; Qui poteſtati reſiſtit, diuinæ ordinationi reſiſtit. Rom. 13.

Ad tertium eſt dicendum, quòd obedire oportet Deo magis, quàm hominibus: Ideo nulli legi Act. 5. contra mandata Dei eſt parendum, ſed pro viribus reſiſtendum.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA SVA auctoritate poßit leges Imperiales corrigere.

Turrecremata in cap. Conſtitutiones, diſt. 10.

F AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſua auctoritate non poſſit leges Imperiales corrigere: Quia illa, quæ innituntur iuri diuino, & naturali, non ſubijciuntur correctioni humanę: Sed leges Imperiales ex iure naturali, & diuino confectæ ſunt, vt ſupra allegatum eſt. Non ergo poſſunt per hominem corrigi.

2 Præterea: Legis correctio ſeruatur conditori eius, ſicut interpretatio. ſed Imperator eſt conditor legum ſuarum, non Papa. Ergo ſibi ſeruatur correctio, & interpretatio.

G 3 Præterea: Quod eſt bonum, & bona intentione operatum, non ſupponitur correctioni, ſed magis remunerationi. Sed ſecundum Philoſophum ſecundo Ethicorum: Voluntas omnis Legiſlatoris eſt inducere homines ad bonum. talia ergo non ſubijciuntur correctioni. Ariſt. 2. Eth. cap. 1. circa medium.

In Contrarivm eſt gloſa ſuper illo verbo Pſalmi: Lex domini immaculata conuertens Pſal. 18. animas.

RESOLVTIO.

Papa ſua auctoritate leges Imperiales corrigere poteſt, ſicut lex diuina humanam.

Respondeo, dicendum, quòd Papa eſt H principaliter executor legis diuinæ, ſicut Imperator eſt executor legis humanæ. Eo ergo modo Papa poteſt corrigere Imperatoris legẽ: quomodo lex diuina habet corrigere legem humanam. Habet autem lex diuina quatuor modis legem humanam corrigere, & eius defectũ ſupplere, vt poteſt haberi per Auguſtinum lib. 1. cap. 5. de libero arbitrio. Tomo 1.

Primo, per omnium malorum punitionem: Non enim lex humana omnia mala punit, ſed illa dumtaxat, quæ pacem publicam poſſunt perturbare, & in graue hominum nocumentum poſſunt redundare: lex autem diuina nihil impunitum relinquit. Vnde dicit Auguſt. libro ſupradicto, de lib. arbit. cap. 5. Videtur mihi lex iſta, quæ regendis ciuitatibus fertur, Tomo 1. multa concedere: atque multa impunita relinquere, quæ per diuinam legem iudicantur.

Secundo,

Secundo, per interiorum animorũ cohibitionem, vel ſententiationẽ: quia lege humana non ſententiatur homo per illa, quæ in animo geruntur, ſed per illa, quæ exterius manifeſtantur: Dicente Auguſtino: Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi ſponte conuictum, vel confeſſum. Sed per legẽ diuinam cogitata iudicantur, teſtimonium reddente illi conſcientia hominum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut defendentium. Sicut dicit Apoſtolus ad Romanos. 2.

De pœnitentiæ medicina cap. 3. Tomo 9.

Tertio, per iudiciorum rectificationem: Contingit enim humanę legis iudicium multipliciter falli, & multipliciter obliquari. qđ non cõtingit de iudicio diuinæ legis. Vnde dicit Auguſtinus ſuper illo verbo 1. Petri 4. Si iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt? Quare iuſtus vix ſaluabitur, niſi quia iuſtitiam Dei tantam eſſe conſtat, vt ad examen diuinę iuſtitiæ deducta iniuſtitia appareant.

Quarto, per finis ſupernaturalis conſecutionem. Dicit enim Auguſtinus eodem libro c. 15. quòd lex humana litteris promulgata, ſolum hominibus ſecundum animalem hanc vitam viuentibus opitulatur: Sed lex diuina ad conſecutionem ſupernaturalis boni nos inducit, & iuuat.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd illa, quæ innituntur iuri diuino, & naturali non corrigũtur ſecundum ſuam vniuerſalem conſiderationem, ſed bene corriguntur ſecũdum eorum particularem explicationem: ſecundum quam multa concedunt non concedenda, & multa impunita relinquunt punienda.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut per Papam Imperator, & omnis poteſtas inſtituitur, ſi bona eſt, & corrigitur ſi non bona eſt: ita omnis lex à quocunque feratur, per eum eſt comprobanda, ſi bona ſit: & per eum eſt corrigenda, ſi non bona ſit.

Ad tertium eſt dicendum, quòd voluntas Legiſlatoris habet inducere homines ad bonum ſecũdum conditionem, & poſſibilitatem ipſorum, ſecundum quam conſiderationem multa diſſimulat non facienda, & multa impunita relinquit punienda, propter euitationem maioris mali. Scribitur enim Prouerb. 30. Qui nimis emungit, elicit ſanguinem.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA SVA auctoritate leges Imperiales mutare poſſit.

Turrecremata ſuperiori articulo citatus, & omnino glo. s. in c. Poſſeſſor. de reg. iur. lib. 6. & ibi Doct.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim quòd Papa ſua auctoritate leges Imperiales mutare non poſſit. Quia lex Imperialis à lege diuina, & æterna deriuatur: Sed lex æterna

A eſt immutabilis eo ipſo, quòd æterna eſt: Ergo mutari non poteſt.

2 Præterea: Lex Imperialis ſi iuſta eſt, ligat hominem in foro conſcientię, vt ſupradictum eſt: Sed lex conſcientiæ mutari non poteſt. Ergo nec ipſa lex humana eſt mutabilis.

3 Præterea: Dicit Iuriſconſultus, † quòd iuſtitia eſt perpetua, & conſtans voluntas ius ſuum vnicuiq; tribuens. ſed lex humana, ſi lex eſt, ſemper eſt iuſta. Ergo ſemper perpetua, & immutabilis:

† In l. iuſtitia ff. de iuſt. & iure.

In Contrarivm eſt, quod dicit Auguſtinus primo libro de libero arbitrio cap. 6. vbi ait, q; lex temporalis, quamuis iuſta ſit, iuſte tamen per tempora mutari poteſt.

Tomo 1. cap 6.

B

RESOLVTIO.

Papa leges Imperiales mutare poteſt, pro temporum diuerſitate, ſi euidens inde vtilitas oriri videatur.

Respondeo, dicendum, quòd triplex poteſt diſtingui regula agendorum. Vna temporanea, quæ ponitur, & deponitur, puta lex humana poſitiua. Altera, quę ponitur, ſed non deponitur: vt lex naturalis menti rationali concreata. Tertia eſt æterna, quæ nec ponitur, nec deponitur: & iſta eſt lex diuina. Ad primam legem inſpicit ſolus homo. & hoc dumtaxat, quandiu iſta animali vita viuitur. Ad ſecundam regulam inſpicit homo, & Angelus.
C Sed ad tertiam inſpicit homo, Angelus, & ipſe Deus. Rationabiliter autem prima lex humana ponitur, & deponitur, & mutari poteſt pro temporum diuerſitate propter duo. Primo, propter humanorũ actuum variationem: Contingit enim humanos actus multipliciter variari, & per conſequens multipliciter regulari, vt aliqua lege regulentur vno tempore: & aliqua alio tempore, ſecundum variam conditionem illorũ, qui lege reguntur. Secundo, propter ipſius legis perfectam inuentionem. ſemper enim poſteriores habẽt ſe per additionem ad priores, vt inuentores muſicæ artis pauca primo inuenerunt: poſteriores vero plura illis de arte melodiæ ſcripſerunt, vt Philoſophus dicit 2. Metaph. ſic primo inuentores legum propter defectum experientiæ quædam imperfecta in multis
D deficientia ſtatuerunt: quæ poſteriores mutauerunt, inſtituentes aliqua, quæ in paucioribus deficere poſſent. Papa ergo, & Imperator, vel alij inferiores ſua auctoritate poſſunt humanam legem ponere, & deponere pro temporum diuerſitate. maxime quando euidens apparet vtilitas: Nam in rebus nouis conſtituendis euidens debet eſſe vtilitas.

Vide c. Non debet. de cõſang. & affi.

Ariſt. 2 Metaph. t. com. 2.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd lex æterna tribus modis accipitur. Primo modo ſtricte, reſpectu bonorum rationalis creaturæ, vt eſt regula agendorũ à creatura rationali. Secundo large, reſpectu bonorũ totius creaturæ. ſecundũ quẽ modũ dicit Auguſtinus lex æterna eſt: Lex omnium artium.

De vera Relig. cap. 31. Tomo 5.

E Tertio modo largiſſime, reſpectu omnium tam bonorum, quàm malorum. Omnis ergo lex deriuatur ab iſta lege æterna, ſiue ponatur, ſiue deponatur, ſicut lex humana: ſiue ponatur, & non deponatur, ſicut lex naturalis.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd in foro conſcientiæ duplex eſt lex. Vna immobilis, quæ certificat de rebus operandorum vniuerſalibus: & iſta dicitur lex naturalis. Altera mobilis, quæ certificat de caſibus operandorum particularibus, quæ appellatur conſcientia. Primam ergo regulam homo non poteſt ponere, nec deponere, quia impreſſa eſt ſibi à Deo. Sed ſecundam poteſt homo deponere, & ponere: Poteſt enim homo de aliquo agibili occurrente facere ſibi conſcientiam, & non facere.

F Ad tertium eſt dicendum, quòd iuſtitia conſiſtit in ordine ad alterum per reſpectum ad bonum Reipublicæ. ideo ſicut ex ſua applicatione ad particularia negotia poteſt mutari: ſic poteſt mutari lex.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA POSSIT dimittere impunitum reum, quem leges Imperiales codemnant.

S. Thom. 2. 2. qō. 67. art. 4. & Turrecremata in cap. Omnis, qui iudicat. 45. diſt.

Ad ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit reum impunitum dimittere, quem leges Imperiales condemnant. Quia Papa non poteſt contra auctoritatem ſacræ Scripturæ. Sed ſcribitur 3. Reg. 20. Quia dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima eius. G

2 Præterea: Dicit Auguſtinus in libro de vera Religione c. 32. Quamquam de temporalibus legibus homines iudicent, cum eas inſtituunt: poſtquam tamen inſtitutæ fuerint, atque firmatæ, non licebit iudici de ipſis iudicare: ſed ſecundum eas. Cum ergo lex non ſolum humana, ſed diuina mandet Exodi 22. Malefices non patieris viuere: videtur, quòd Papa reũ impunitum dimittere non poſſit. H

Tomo 1.

3 Præterea: Sicut lex præcipit innocentem abſolui, ita præcipit reum condemnari. Sed in nullo caſu licet innocentem probatum damnari. Ergo in nullo caſu licet reum probatum abſolui.

In Contrarium eſt Euangelica auctoritas. Quia Chriſtus adulteram impunitam dimiſit, Ioannis 8. & Apoſtolica veritas. Quia miſericordia ſuperexaltat iudicium, Iacob. 3. Similiter Eccleſiaſtica pietas, 23. quæſt. 5. cap. Pœna.

RESOLVTIO

Papa impunitum reum legibus Imperialibus condemnatum dimittere poteſt: ſalua tamen iuſtitia, publica videlicet, ac priuata.

E Respondeo, dicendum, quòd ſicut dicit Gregorius: Et ponitur 45. diſt. cap. Diſciplina. Diſciplina, vel miſericordia multum deſtituitur, ſi vna ſine altera teneatur. Ex vtroque enim iudex debet quoddam temperamentum facere: vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. Non licet ergo Papæ, reo, vel malefico miſericordiam ſine iuſtitia exhibere, ſed ſalua iuſtitia licet ei miſericordiam facere. Eſt autem duplex iuſtitia, quam Papa tenetur ſaluare. Vna priuata, qua tenetur tueri iura priuata ſingulorum: Altera publica, qua tenetur tueri Vniuerſitatis iura publica: puta vtilitatẽ Reipublicę tenetur reſpicere, cui ipſe præeſt. Salua ergo vtraque iuſtitia, & non aliter, Papa poteſt malefico miſericordiam facere, ipſum impunitum dimittendo, & aliter non. Vnde diſtinguendum eſt, quòd aut eſt maleficium priuatum in perſonam priuatã: aut publicum in Rempublicã.

Gregorius c. 6. lib. 20. ad cap. 29. Iob.

F Si ergo eſt maleficium priuatum: licet Papæ, ſaluo iure priuato perſonæ, cui actio ex maleficio competit, reum ſibi præſentatum dimittere. Quod contingit in duobus caſibus. Primo, quando perſonæ ſatisfactum eſt in re. Secundo, quando eſt ſatisfactum ſibi in ſua reputatione.

Exemplum primi caſus habetur de Abſalon, cui pater remiſit pœnam, cum iam tribus annis exul fuiſſet, vt habetur 2. Reg. 14.

Exemplum vero ſecundi caſus habetur de filio Viduæ: Pro quo ipſa mater vocabat Regem Dauid, vt parceret ei, vt habetur 2. Reg. c. ſupradicto.

G Si vero maleficium ſit publicum, tunc, ſalua vtilitate Reipublicę, licet Papæ reum impunitũ dimittere. Quod ſimiliter contingit in duobus caſibus.

Primo, cum ex punitione euidẽter damnũ notabile Reipublicæ timetur. Secundo, cum ex dimiſſione euidens vtilitas aliqua ſperatur. Exemplum primi caſus habetur 2. Reg. 19. de Semei, quem Rex Dauid impunitum dimiſit, ne pax noui Regni turbaretur. Exemplũ vero ſecundi caſus habetur de Ioab, qui interfecerat Abner, quem Rex ſimiliter impunitum dimiſit vſq; ad tempus Salomonis, ne vtilitas reſiſtendi inimicis impediretur. quia vir bellator, & Princeps militię erat 3. Reg. 20.

Ad Argumenta.

H Ad Primvm ergo eſt dicendũ, q Rex Achab merito fuit corrigẽdus: Quia dimiſit Regẽ Syriæ cõtra diuinã iuſtitiã, cum eſſet publicus hoſtis populi à Deo electi. nec hoc fecit, ſalua vtilitate Reipublicę. ſed magis hoc erat ad Reipublicæ ſubuerſionem.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile de innocentis abſolutione, & malefici punitione: Quia innocentis abſolutio eſt opus iuſtitiæ merum, & ſpontaneum. Sed malefici punitio eſt opus iuſtitię quaſi coactum. Vnde iura proniora ſunt ad abſoluendum, quàm ad condemnandum, ſatius eſt enim vt dicit Iuriſconſultus † innocentem propter nocentem abſoluere, quàm innocentem propter nocentẽ condemnare.

† l. abſentẽ. ff. de pœnis.

A D tertium eſt dicendum, quòd iudex debet indicare ſecundum leges, puta ſecundum legū æquitatem ex diuerſis legibus collectam: non autem ſecū dum vnius legis rigorem, & ſæueritatem. Vnde dicit Iuriſconſultus † ꝙ inciuile eſt, niſi tota lege perſpecta, in aliqua particula eius iudicare, vel reſpondere.

† l. inciuile eſt. ff. de legibus.

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA SINE peccato legibus imperialibus vti poſſit.

Turrecremata in cap. Si in adiutorium. 10. diſt. Auctorem ſequitur per omnia in hoc articulo.

A D ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine peccato legibus imperialibus vti nō poſſit. quia quod nō eſt licitum legere, non eſt licitum illo vti: Lex enim à legendo dicta eſt. Sed ſcribitur auctoritate Hieronymi 37. diſt. cap. Nonne. Quòd in vanitate, & obſcuritate ſenſus ambulant, qui in ſecularibus diſciplinis occupātur. Vnde ipſe Hieronymus, qui libros Ciceronis legebat, ab Angelo correctus eſt, ſicut ibi dicitur.

c. Legimus. 37. diſt.

2 Præterea: Leges non ſunt neceſſariæ niſi in iudiciis: Sed iudicia interdicuntur Papæ, & alijs Eccleſiaſticis perſonis: iuxta illud Matth. 5. Si quis voluerit tecum in iudicio contendere, & tollere tunicam, dimitte ei & pallium.

3 Præterea: Legibus homo vtitur ad repellēdam iniuriam, & fraudem. Sed hoc non eſt licitum Papæ, vel alicui Eccleſiaſtico viro: cum eis dicat Apoſtolus 1. Corin. 6. Quare non magis iniuriam accipitis, & fraudem patimini?

I N C O N T R A R I V M eſt quod ſcribitur 10. diſt. Auctoritate Auguſtini cap. Si in adiutorium. Si in adiutorium veſtrum terreni Imperij leges aſſumēdas putatis: non reprehēdimus: nam fecit hoc Paulus, cum aduerſus iniurioſos Romanum ciuē ſe eſſe teſtatur.

R E S O L V T I O.

Papa ſine peccato legibus Imperialibus vti poteſt, non quantum ad coactionis Imperium, ſed quantum ad obſequium veritatis.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd eo modo licet uti legibus Imperatorum, quo modo licet vti doctrinis Philoſophorum. nam ipſi Philoſophi legum traditores fuerūt. de vſu autem doctrinæ Philoſophorum, dicit Auguſt. 2. de doctrina chriſtiana, cap. 40. Philoſophi, qui vocantur: Si qua forte vera, & fidei noſtræ accōmoda dixerunt, maximè Platonici; non ſolum formidanda non ſunt, ſed ab eis, etiā tanquam iniuſtis poſſeſſoribus in vſum noſtrū vendicanda ſunt. Sicut Aegyptii non ſolum idola habeban, & onera grauia, quæ populus Dei deteſtabatur; ſed habebant vaſa, atque ornamenta de auro, & argēto, quæ populus ille exiens de Aegypto ſibi potius tāquam ad vſum meliorem clanculo vendicauit.

Tomo 3.

Ad quæſtionem ergo propoſitam eſt dicendum, ꝙ Papæ licere vti Imperialibus legibus, poteſt intelligi dupliciter. Primo, quantum ad coactionis dominium: Secundo, quantum ad veritatis obſequium.

Primo modo non licet, quia ſicut indignum eſt, vt verba cęleſtis oraculi ſub regulis Priſciani cogantur, vt dicit Gregorius in Prologo Moraliū: ſic indignum eſt, vt ſanctorum Patrum canones legibus Imperatorum aliqua coactione ſtringantur. Vnde nulli laico Imperatori, vel Regi licet aliqua ſtatuta in Eccleſia ponere præter auctoritatem Romani Pōtificis, nec in negotijs eccleſiaſticis aliquam poteſtatem habere. manet enim in eis neceſſitas obſequendi: non autem auctoritas imperandi, vt ſcribitur 96. diſtin. cap. Bene. Sed ſecundo modo in veritatis obſequiū licet eis vti: & dico in veritatis obſequium: quia, vt ſcribitur 10. diſtinct. cap. Lege. Legibus Imperatorū in omnibus Eccleſiaſticis controuerſiis vtendū non eſt: præſertim cum inueniantur Euangelicæ, & Canonicæ ſanctioni aliquotiēs obuiare. Nam in vſuris, in decimis, in primitiis, & in Sacramentis Eccleſiaſticis, ac in omnibus alijs, in quibus obuiant canonicæ veritati, vtendum non eſt.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd ſicut licitum eſt Doctoribus ſacræ Scripturæ ſcientias phyſicas diſcere, & eas interdum pertractare, non vt in eis ſiſtat eorū finalis intentio: ſed vt de ſacra Scriptura per eos clarior habeatur cognitio: ſic clericis licitum eſt legibus imperialibus vti: vt clarius Canones per eas intelligantur.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd illa verba intelligenda ſunt in præparatione animi: non quòd clericis prohibitum ſit in iudicio repetere, quæ eis iuſtè debentur cum charitatis amore, non autem cum litis, & diſcordiæ clamore.

A D tertium eſt dicēdum, ꝙ Apoſtolus loquitur de illis, qui alijs iniuriam faciebant, & fraudem, dum iudices corrumpebant eorum iuſtitiam peruertēdo: contra quos ſic loquitur, ꝙ magis ipſi debebant iniuriam pati, & fraudem recipere, quàm alijs irrogare.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA LEGIBVS Imperialibus ſit ſolutus.

S. Thomas 1. 2. quæſt. 96. art. 5. Burchardus lib. 15. Decretorum cap. 42. & Sotus lib. 1. de iuſt. & iure, quæſtione 6. art. 7.

A D octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa legibus Imperialibus ſit ſolutus: quia magis eſt ſolutus legibus Papa, quàm Imperator. Sed Iuriſconſultus l. Princeps. ff. de legibus, dicit, ꝙ Auguſtus legibus ſolutus eſt. Auguſta autem licet legibus ſoluta

non ſit: eadem tamen priuilegia ſibi tribuit, quæ ipſe habet.

2 Præterea: Dicit Apoſtolus 1. ad Corin. 2. quòd ſpiritualis homo omnia iudicat. Papa ergo, ſicut nulla lege poteſt iudicari, ita nulla lege poteſt ligari.

3 Præterea: Papa eſt Vicarius Chriſti. Sed Chriſtus probauit ſe eſſe liberum à lege, & ab imperiali tributo, Matthæi 17.

In Contrarium eſt, quia Matth. 23. Reprehenſi ſunt Principes Sacerdotum, qui onera grauia, & importabilia imponebant ſuper humeros hominum, & digito eorum nolebant ea mouere.

Resolutio.

Papa omni lege humana ſolutus eſt, quantum ad condemnationis iudicium: ſed quantum ad operationis exemplum, non item.

Respondeo, dicendum, quòd ſuper illo verbo Matth. 5. Sic enim decet nos implere omnem iuſtitiam; Dicit Hila. quòd omnis iuſtitia implenda eſt per Prælatum tam legis, quàm naturæ. Papam ergo ſolutum eſſe lege quacunque iuſta, & ità poſita, dupliciter poteſt intelligi.

Primo, quantum ad condemnationis iudicium: & ſic Papa omni lege humana poſita per eũ, vel per alium ſolutus eſt: Quia à nulla lege poteſt iudicari iudicio condemnationis: ſed à ſola lege æterna, ſecundum quam veriſſimè dictum eſt per Apoſtolum 2. Cor. 5. Oportet nos omnes præſentari ante tribunal Chriſti.

E Secundo, quantum ad operationis exemplum. & ſic ipſe tanto verius ligatus eſt omni legi uſta, quãto verius ipſe vicem illius gerit, qui exemplo impleuit quod verbis docuit. Vnde dicit Iſidorus in de ſummo bono, libro 3. cap. 52. quòd iuſtum eſt Principem legibus ſuis obtemperare: Quia tunc iura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet: quando & ipſe illis reuerentiam præbet.

Ad Argumenta.

F Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Imperator, vel Auguſta legibus ſolutus eſt, quantum ad iuſtitiam directiuam: immo quantum ad hoc voluntarius ipſe tenetur talem iuſtitiam implere. Eſt autem ſolutus à lege, quantum ad violentiam coactiuã. quia non cogitur ab aliquo. Et quantum ad virtutem poteſtatiuam. quia poteſt legem mutare pro loco, & tempore. quod non poſſunt alij. Et ſecundum hoc eodem modo Papa ſolutus eſt à lege multo fortius, quàm ipſe.

Ad ſecundũ eſt dicendum, quòd ſpiritualis homo non iudicatur ab aliquo homine, ſed bene iudicatur per legem diuinã, a qua iudicio nec ipſe Papa, nec aliqua creatura excluditur.

G Ad tertium eſt dicendum, quòd non obſtante, Chriſtum liberum eſſe à lege tributali: ſoluit tamen tributum ad vitandum ſcandalum infirmorum. Sic ipſe Papa vicarius eius, legem per eum poſitam, vel confirmatam ſeruare tenetur, ne alij exemplo eius ſcandalizentur.

QVAEST. XLV. DE ALIORVM REGVM SVBIECTIONE.

[1] Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 2. cap. 48. & 49. Aluar. lib. 1. cap. 7. & 37. Et vide ſupra quæſt. 22. de Papæ obedientia.

H *Vlterius conſiderandum eſt de aliorum Regum ſubiectione. Circa quod quæruntur tria.*

Primo, Vtrum omnes Reges ſubijciantur Papæ, quantum ad eius mandati obſeruationem.

Secundo, Vtrum omnes Reges ſubijciantur Papæ, quãtum ad temporalium recognitionem.

Tertio, Vtrum omnes Reges ſubijciantur Papæ, quãtum ad ſententiæ appellationem.

ARTICVLVS I.

Vtrum omnes Reges ſubijciantur Papæ, quantum ad eius mandati obſeruationem.

Ad primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd non omnes Reges Papæ ſubijciantur, quantum ad eius mandati obſeruationem. Quia Papæ non eſt obediendum, niſi præcipiat ſecundũ diuinam legem. Sic enim ſcribitur Ioſuæ 1. filios Iſrael dixiſſe ſibi: Sicut obediuimus in cunctis Moyſi, ita obediemus tibi. Qui contradixerit ori tuo, morte morietur.

..etur. ita tamen, ꝙ Dominus Deus tuus tecum ſit, ſicut fuit cum Moyſe. ſed quandoque Deus non eſt cum Papa, nec præcepta, quæ facit, ſunt ſecundum diuinam legem. Ergo non ſemper Papæ eſt obediendum.

2 Præterea: Quis nullius præceptum tenetur ſeruare, niſi ſui ſuperioris. Sed quilibet Rex in ſuo Regno non recognoſcit ſuperiorem. Ergo nullius præceptũ ſeruare tenetur.

3 Præterea: Illius præceptum Rex quilibet tenetur ſeruare in ſuo regno, à quo poteſtatem Regni habet, Sed quilibet Rex poteſtatem habet à Deo, non à Papa: cum non ſit poteſtas, niſi à Deo, vt ſcribitur Roman. 13.

In Contrarium eſt, quia ſuper illo verbo Lucæ 10. Qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me; dicit gloſſa: Diſcat quiſque in audiendo, vel ſpernendo Eccleſię Paſtores; non viles quaſque perſonas, ſed dominum Saluatorem: immo ipſum Patrem ſpernere: vel audire: quia in diſcipulo Magiſter auditur, & in filio Pater honoratur.

RESOLVTIO.

Iure, quiſquis ille ſit, damnationis ſuſtinet ſententiam, qui Summi Pontificis obedientiã contemnit.

Respondeo, dicendum, quòd conuenientia eſt inter Sacerdotium Leuiticum, & Sacerdotium Chriſti, quantum ad hoc: quia ſicut ſummo Sacerdoti Leuitici generis omnes Iudæi obedire tenebantur, cuiuſcumque ſtatuś, & conditionis exiſterent: ſic oẽs chriſtiani maiores, & minores Papæ locum Sacerdotis Chriſti gerenti, parere tenentur. De obedientia vero, & pœna non obedientium Summo Sacerdoti leuitici generis, ſcribitur Deuter. 17. Vbi ſic dicitur: Si difficile, & ambiguum apud te iudicium proſpexeris: inter ſanguinem, & ſanguinem: cauſam, & cauſam; & Iudicum intra portas tuas videris verba variari, ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes leuitici generis, ſequeriſque ſententiam eorum; & non declinabis ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat domino, morietur homo ille. Super quo verbo dicit gloſſa, quòd Chriſtus, qui eſt Sacerdos in ęternum, Vicarios ſibi ſubſtituit

Luc. 10. Apoſtolos, quibus ait: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. & ſubdit: Iure ergo dãnationis ſuſtinet ſententiam, qui contemnit Summi Pontificis obedientiam: tanquam ſi contemneret diuinę voluntatis potentiam. Vnde & Saul Rex, qui inobediens fuit Samueli, vice Domini ſibi præcipienti, vt percuteret Amalech, & non dimitteret paruulum, neque lactantem, bouem, ouem, & camelum, & aſinum, eiectus eſt de Regno, & alius in loco eius inſtitutus eſt, ſicut ſcribitur 1. Regum 15.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd præcepta Papæ non eſſe ſecundum diuinam legem, & Deum non eſſe cum eo, poteſt intelligi dupliciter. Vel quantum ad veritatem. Vel quantum ad vitæ ſanctitatem. Sufficit autem præcepta Papæ non eſſe contraria diuinę legi, quantum ad veritatem ad hoc, ꝙ nullus ab eius obedientia excludatur. Vnde Lucæ 9. Cum Diſcipuli dixiſſent Chriſto: Vidimus quendã in nomine tuo eijcientem Dęmonia, & prohibuimus eum, quia non ſequitur nos: Reſpondit Chriſtus: Nolite prohibere: quia qui non eſt aduerſum vos, pro vobis eſt.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Rex non recognoſcit ſuperiorem in ſuo regno quo ad dominiũ temporale, ſeu non habet in Regno ſuo Dominum temporalem maiorem ipſo. Sed ſicut nullus ſanæ mentis poteſt dicere, ſe non habere Deum ſupra ſe; ita nullus poteſt dicere, Vicarium eius, qui eius auctoritate dominatur, ſupra ſe dominium nõ habere.

Ad tertium eſt dicendum, quòd poteſtas Regibus temporalibus conceſſa eſt à Deo cũ ordine quodam: puta mediantibus Summis Pontificibus: quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt: quorum mandata ſpernendo, ſpernitur ille, à quo inſtituta ſunt. Vnde Auguſtinus in perſona Apoſtolorum loquens ſuper dicto verbo: Qui vos ſpernit, me ſpernit: dicit, ꝙ ſi ſermo Dei ad nos quoque peruenit: & vocauit nos, & in eorum loco nos conſtituit; videte, ne ſpernatis nos, ne ad illũ perueniat iniuria, quã nobis feceritis. Tomo 10. De ver. Domini c. 24. Luc. 10.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPAE SVBIIciantur omnes Reges, quantum ad temporalium recognitionem.

Vide extrauagantem: Vnam ſanctam de maior. & obedient. Et Turrecrematam in cap. Ad verum. 96. diſt. Et Aluar. lib. 1. cap. 13. & 68.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papæ non ſubijciantur omnes Reges quantum ad temporalium recognitionẽ. Quia ab eo nõ debent, Reges cognoſcere temporalia, à quo non recipiunt: Sed Reges temporalia à Papa non recipiunt, immo magis è conuerſo.

2 Præterea: Super illo verbo ad Titum 3. Admone illos Principibus, & poteſtatibus ſubditos eſſe, dicit Auguſtinus: Si Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici viri imperium ſpirituale habent, in temporalibus tamen Regibus, & Ducibus ſubijci debent.

3 Præterea: Nullus poteſt dici dominus rei, niſi eam iuſto titulo acquiſiuerit: vel per emptionem, vel per hæreditariam ſucceſſionem: ſeu per conceſſionem. ſed nullo iuſto titulo Papa acquiſiuit in omni Regno dominium temporalium: Ergo nullus, Rex temporalia ab eo recognoſcere tenetur.

In Contrarium eſt. quia idem eſt domi-

E dominium Dei, & Papæ: ſicut eadem eſt iuriſdictio delegantis, & delegan: & maxime quando delegatio eſt plena, & totalis, nulla reſeruatione facta. ſed de dominio Dei ſcribitur Heſter 13. Tu enim feciſti cœlum, & terram: & quicquid cœli ambitu continetur. Dominus enim vniuerſorum tu es.

RESOLVTIO.

Papa in vniuerſo mundo tam temporalium, quàm ſpiritualium iuriſdictionem habet. Sed temporalium immediata adminiſtratione non vtitur in omnibus locis propter pacem ſeruandam.

RESPONDEO, dicendum, quòd dicentes Papam Vicariũ Chriſti in toto orbe dominiũ F habere ſolum ſuper ſpiritualia, non autem ſuper tẽporalia, ſimiles ſunt Conſiliarijs Regis Syriæ, qui dixerũt 3. Reg. 20. Dij montium ſunt Dij eorum: ideo ſuperauerunt nos. ſed pugnemus contra eos in campeſtribus, & in vallibus, in quibus Dij eorum dominium non habent, & obtinebimus contra eos. Ad litteram ſic hodie mali Conſiliarij adulatione peſtifera ſeducunt Reges, & Principes terræ dicentes: Dij montium, pota ſpiritualium Dominorum, ſunt Summi Pontifices: ſed non ſunt Dij conuallium: quia tẽporalium bonorum nullum habent dominium: ideo in campeſtribus, quaſi in potentia bonorum temporalium pugnemus contra eos, & obtinebimus. ſed quid dicat eis diuina ſententia, audiamus. quia dixerunt (inquit) Syri: Deus montium eſt dominus, & G non Deus conuallium: dabo omnem multitudinem hanc in manu veſtra: & ſcietis, quia ego ſum Dominus.

Ad quæſtionem ergo puto, pro veritate, eſſe dicendum: quòd Papa Vicarius Ieſu Chriſti, vice Dei viuẽtis, in toto orbe terrarum ſpiritualium, & temporaliũ habet vniuerſalem iuriſdictionem: ſed ipſorum tẽporalium immediatam adminiſtrationem non recipit, niſi in Regionibus Occidentalibus imperij, per conceſſionem factam Eccleſiæ à Conſtantino. Quare autem Eccleſia non vtitur temporalium adminiſtratione, niſi in partibus Italiæ, mediante Imperatore, quem elegit, & non in alijs Regnis, quæ ſunt in Occidentali Imperio, hoc non eſt propter carẽtiã auctoritatis: ſed propter nutriendum in ſuis filijs H vinculum pacis, & vnitatis: quia ex quo Imperium fuit diuiſum, & à diuerſis partibus diuerſimode, & tyrannicè vſurpatum; Eccleſia propter vitandum ſcãdalum, & ſchiſma, temporalium adminiſtrationẽ in regnis illis dimiſit: propter cuius ſcandali vitationẽ Saluator humani generis etiam ſe tributarium fecit Matthæi 17.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſic iſta temporalia recipiuntur à Deo: ſicut elementa, & alia mobilia, mouentur ab ipſo. Planum eſt autem, q iſta mobilia non mouentur à Deo immediatè, ſed mediantibus cœlis: quorum motu ceſſante, ceſſabit E omnis motus iſtorum inferiorum. ſic iſta temporalia recipiuntur à Deo, mediante iuriſdictione, & diſpoſitione ipſorum cœlorum, puta Summorum Põtificum: qui cœli, verbo domini firmati ſunt: de quibus ſcribitur in Pſal. 18. Cœli enarrãt gloriã Dei.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Apoſtolus loquitur de Laicis, ſubiectis Epiſcopis, quos præcipit monere: vt Regibus, & Principibus obediant in ſoluendo tributa, & ſtipendia, quæ tenentur eis: vnde Reges, & Principes magis debent dici miniſtri, & ſtipendiarij Eccleſiæ in adminiſtratione temporalium, quàm domini.

AD tertium eſt dicendum, quòd Papa non acquirit iuriſdictionem in aliquo Regno hæreditaria ſucceſſione, ſed immediata diuina traditione, quando F dictum eſt Petro: Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ſed pater meus, qui in cœlis eſt: ideo dico tibi; quia tu es Petrus, & tibi dabo claues regni cœlorum. vnde non vice ſua: ſed vice Dei vniuerſalem iuriſdictionem habet in toto orbe. Matth. 16.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPAE SUBIIciantur omnes Reges quantum ad ſententiæ appellationem.

Doctores in cap. Si quis veſtrum. & in cap. Ad Romanam 2. quæſt. 6. G

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papæ omnes Reges non ſubijciantur, quantũ ad ſententiæ appellationem. Quia ſcribitur extra de appell. cap. Si duobus, quòd non eſt appellandum à ſæculari iudice ad Papã, niſi in terris, vbi Eccleſia, ſeu Papa habet immediatam temporalium adminiſtrationem.

2 Præterea: Appellatio fit ad releuandum grauamen illatum: ſed temporalis homo non releuatur à grauamine, niſi per temporalem dominum. Non ergo per Papam.

H 3 Præterea: Non licet tranſire de extremo ad extremum ſine medio. ſed Imperator eſt quaſi quoddam medium inter alios Reges, & Papam. non ergo appellatio aliorum Regum poteſt deferri ad Papam, niſi mediante Imperatore.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 2. quæſt. 6. cap. Si quis. Si quis veſtrum pulſatus fuerit in aliqua aduerſitate, licenter ad hãc ſanctam Sedem Apoſtolicam appellet: & ad ipſam, tanquam ad caput, refugium habeat.

RESOLVTIO.

A quocunque homine, Rege, vel Imperatore, ad Summum Pontificem appellari poteſt, ſi quis iniuſtè in foro exterioris iudicij ſit oppreſſus.

RESPON-

L.1.ff. de appel.

A RESPONDEO, dicendum, quòd appellatio eſt remedium iuris, quo ſubuenitur oppreſſo in ordine iudiciario, quo quis oppreſſus ab inferiori iudice, licet ſibi poſtulatis Apoſtolis, & litteris dimiſſorijs ad ſuperiorem recurrere. Iſte autem ordo iudiciarius, quo per apellationem ſubuenitur oppreſſo, ſolum locum habet in foro exterioris iudicij: vbi agitur cauſa inter hominem, & hominem. & quia in toto iſto ordine iudiciario iudicij exterioris, in quo agitur cauſa inter hominem, & hominem, ſupremum gradum tenet ipſe Papa: ideo à quocunque homine, Rege, vel Imperatore, quis iniuſtè grauetur, poteſt licitè ad Summum Pontificem appellare. propter quod ſcribitur 2. quæſt. 6. cap. Ad Romanam. Ad Romanam Eccleſiam ab omnibus, maxime tamē ab oppreſſis, eſt appellandum, & concurrendū, quaſi ad mortem eius, vt vberibus nutriantur, auctoritate defendantur: à ſuis oppreſſionibus releuentur, quia non poteſt, nec debet mater obliuiſci filium ſuum. hoc idem patet xi. quæſt. 1. cap. Quicunque litem habens.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd verū eſt à iudice ſæculari non eſſe appellandum immediate ad Papam indifferenter, & in paruis negotijs: ſed bene in negotijs arduis, & neceſſitate vrgēte, à quocunque iudice homo grauetur, ad Papam poteſt habere recurſum tanquam ad vniuerſalem dominum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd appellatio eſt prouocatio de minori Iudice ad maiorem continens querelam iniquæ ſententiæ. Si ergo quis grauetur à domino temporali, & ille dominum ſuperiorem temporalem non habet, ad Papam iuſtè poteſt recurrere: quia & ſi temporalium omnium adminiſtrationem non habet: habet tamen omniū vni- B uerſalem iuriſdictionem, vt dictum eſt.

AD tertium eſt dicendum, quòd illa ratio non habet locum in Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis: vnde ſicut ab eo poſſunt exire prouiſiones ſine medio: quia ſi ad Capitulum iſtius Eccleſiæ ſpectat Prælatum eligere, poteſt ſine electione Capituli * illi Eccleſiæ de Prælato prouidere: ſic poſſunt appellationes reduci in ipſum, remoto omni medio.

* al. illius.

QVAESTIO XLVI. DE ALIORVM REGVM CORRECTIONE.

DEINDE conſiderandum eſt de aliorum Regum correctione. Circa quod quæruntur tria. C

Primo, Vtrum Papa poſſit omnes Reges, cum foreſaciunt, publicè corrigere.

Secundo, Vtrum Papa poſſit omnes Reges, cum ſubeſt cauſa, deponere.

Tertio, Vtr. Papa poſſit ī quolibet Regno Regē īſtituere

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT omnes Reges, cum foreſaciunt, publicè corrigere.

D

Conferunt tradita per S. Thomam 2. 2. q. 33. art. 3.

† Foreſacio pro peccare ponitur, vt ſupra nō ſemel ē dictū. Quod verbum nō raro eſt vſurpatū ab Ægid. Rom. 2. ſent. & ad Rom. cap. 1. ſub finem.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam non ſpectet Reges terræ, cum † foreſaciunt, publice corrigere. Quia dictū eſt Petro Math. 18. Si peccauerit in te frater tuus: vade, & corrige eū inter te, & ipsū ſolū: Ad Papam ergo non ſpectat publica correctio.

2 Præterea: Dictum eſt Petro, & cuilibet eccleſiaſtico viro, Math. 5. Si quis percuſſerit te in vna maxilla: præbe ſibi alteram: Non ergo ad Papam ſpectat correctione iniuriam repellere: Sed potius ſuſtinere.

3 Præterea: Quædam correctio fit per incuſationem: quædam vero per pœnæ illationem. ſed neutro modo pertinet correctio Regum ad Papam: quia nec poteſt eos incuſare, nec pœnam corporalem infligere.

IN CONTRARIVM eſt illud, quod ſcribitur Eccl. 7. Noli quærere fieri iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. cum ergo Papa ſit iudex, vice Chriſti, viuorum, & mortuorum; ad eum ſpectat omnium hominum, cum foreſaciunt, vniuerſalis correctio.

RESOLVTIO.

Ad Papam, qui vice Chriſti & viuorum, & mortuorum iudex eſt, Reges etiam peccantes corrigere ſpectat.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Hugo 2. lib. de ſacramentis parte 2. cap. 4. Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem habet inſtituere, & vt ſic iudicare, atque corrigere, ſi bona non fuerit:

fuerit: ipſa vero à Deo primo inſtituta eſt, & cum deuiata à ſolo Deo corrigi, & iudicari poteſt. Sicut ſcriptum eſt per Apoſtolum: Spiritualis homo iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Vnde Prophetæ in veteri lege, in quibus erat ſpiritualis poteſtas, Reges, cum foreſaciebant, corrigebant, & fortiter increpabant, ſicut patet de Helia 3. Reg. 18. quòd cũ audiuiſſet ab Achab Rege: Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael? Reſpondit: Ego non conturbaui Iſrael: ſed tu, & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. Hoc idem patet de Natham propheta qui 2. Reg. 12. fortiter correxit Dauid Regem dicens: Vriam Ethæum percuſſiſti gladio, & illius vxorem accepiſti tibi vxorem: quamobrem non recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternum. 1.Cor.2.

Ad Argumenta.

Ad primvm ergo eſt dicendum, quòd duplex eſt culpa: vna occulta, in te, & te ſolo ſciente conmiſſa. alia publica per incuſationem ad iudicem deuoluta: vtramque autem corrigere ſpectat ad Papam. Nam primam poteſt corrigere, vt Sacerdos in foro interioris conſcientię: aliam inquantum eſt Papa in foro exterioris iudicij.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicit Gregorius, peccata, quæ in deum: vel in proximum committuntur à Prælato, punienda ſunt, & corrigenda. Illa vero, quæ committuntur in eum, patienter tolleranda, vel potius diſſimulanda ſunt: quamuis illa verba magis in animi præparatione, quàm in operis executione intelligenda ſint, vt ſuper expoſitum fuit.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Papa poteſt corrigere per incuſationem, cum ad eum culpa defertur, & per condemnationem, cum coram eo reus conuincitur, & ſic per condemnationem poteſt ſecundo corrigere per pœnæ illationem ſpiritualis, vel corporalis.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT omnes Reges, cum ſubeſt cauſa, deponere.

Canoniſtæ in cap. Alius. 15. q. 6. & in cap. Ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iud. lib. 6. Et Aluar. lib. 1. cap. 13.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſet omnes Reges, cum ſubeſt cauſa, deponere: quia ad illum ſolum ſpectat Regis depoſitio, ad quem ſpectat electio, & confirmatio regum: ſed ad Papam nõ ſpectat electio, & confirmatio Regum, potiſſime illorum, qui hæreditaria ſucceſſione regnant.

E 2 Præterea: Maior ſufficientia requiritur in regimine ſpirituali, quàm in regimine temporali: ſed cum prælatus eſt inſufficiens in regimine ſpirituali, non deponitur: ſed coadiutor ſibi datur. ergo multo fortius in regimine temporali, cum Rex inuenitur inſufficiens non eſt deponendus, ſed coadiutor ſibi dandus.

3 Præterea: Papa deponit Imperatorem. quia in toto Imperio habet immediatam temporalium adminiſtrationem: ergo in Regnis illis, in quibus adminiſtrationem temporalium non habet, Reges deponere non poteſt.

In contrarivm eſt quod ſcribitur 15. quæſt. 6. cap. Alius.

F

RESOLVTIO.

Papa iuſta de cauſa Reges omnes deponere poteſt, vt iuſtitię vniuerſali, necnon particulari prouideat.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundũ Auguſtinum 4. de Ciuitate Dei cap. 4. Remota iuſtitia, regna non ſunt niſi quædã magna latrocinia: quia latrocinia non ſunt aliud, niſi quędam parua Regna. Tenetur autem Papa, vice Chriſti, in toto orbe duplicem iuſtitiam ſeruare: vnam particularem ſingulorum hominum, vt vnicuique reddatur, quod iuſte ſibi debetur, & releuetur a grauamine, quod iniuſtè ſibi infertur: ac vt nocendi improbis, facultas tollatur: Aliam vniuerſalem, vt Reſpublica promoueatur, ac bonum Reipublicæ non perturbetur: & G maxime, quòd totus Chriſtianus Populus Eccleſiæ Chriſti ſponſę ſubijciatur, nulla namque iuſtitia hominis eſſe poteſt, quæ ipſum hominem Deo vero tollit. vnde qui ſeipſum offert dominanti Deo, à quo factus eſt, & a dominio Eccleſiæ ſe ſubtrahit, iniuſtus eſt, vt dicit Auguſt. 19. de Ciuitate Dei cap. 21. Propter iſtum ergo duplicem defectum iuſtitiæ Papa poteſt Reges deponere. Tomo 5.

Primo, propter defectum iuſtitiæ particularis: qua iuſtitia ſingulorum perditur, & improbis facultas nocendi præbetur: & propter defectum talis iuſtitiæ Zacharias Romanus Pontifex Regem Francorum, non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm pro eo, quòd tantæ poteſtati erat inutilis, à Regno depoſuit, & Pipinum patrem Caroli Imperatoris in eius loco H ſubſtituit, vt ſcribitur 15. q. 6. cap. Alius. Propter defectum vero iuſtitiæ vniuerſalis Innocentius † depoſuit Imperatorem Federicum in Concilio Lugdunenſi: qui bonum Eccleſiaſticum, & bonum Reipublicæ, quod promouere tenebatur, per eius ad Romanam Eccleſiam inobedientiam perturbabat, & impediebat, per eius arrogantiam ſuperbiam. Vnde dubium non eſt, quin Papa poſſit omnes Reges, cum ſubeſt cauſa rationabilis, deponere.

† Innocentius ſcilicet quartus, & refertur in cap. Ad Apoſtolicæ. de ſent. & re iud. lib. 6.

Ad Argumenta.

Ad primvm ergo eſt dicendum, quòd non eſt ſimile de electione, & depoſitione. quia non poteſt aliquis deponi, niſi conuictus, vel ſponte confeſſus

feſſus coram iudice. Vnde ad deponendum Regem requiritur iudicialis ſententia, quàm ferre in Regem non conuenit Electoribus, cum ipſe ſit eis ſuperior, ipſo facto Rege: pertinet autem ſolum ad Papam, cui omnia ſubijciuntur.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod tunc datur Prælato coadiutor, quando innocens inuenitur: inſufficiens tamen comprobatur in adminiſtratione, & ſic fiendũ eſſet de Rege in adminiſtratione temporali. Sic autem non fuit de Rege Francorum, cum fuit depoſitus. quia non innocens, immo lubricus, & effæminatus erat. unde Regnum in ſingulis partibus Regni patiebatur iacturam.

Ad tertium eſt dicẽdum, quod ad Papam ſpectat correctio Regum, & aliorum, non propter in mediatam temporalium adminiſtrationem, ſed propter vniuerſalẽ iuriſdictionem, quam vice Chriſti habet in toto orbe ſuper Reges, & ſup oẽs alios Principes.

ARTICVLVS III.

UTRUM PAPA POSSIT in quolibet Regno Regem inſtituere.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit in quolibet Regno Regem inſtituere, quia Saul conſtitutus eſt Rex ſuper Iſrael, non tamen ſine conſenſu Populi, immo populo clamante ad Samuelem: Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut vniuerſæ habent Nationes, ut ſcribitur 1. Reg. 8.

2 Præterea: Nullus poteſt inſtitui dominus alterius, ipſo inuito. Papa ergo non poteſt, inuitis illis, qui ſunt in Regno, aliquem Regem conſtituere.

3 Præterea: Eius eſt conſtituere, cuius eſt deſtituere: ſed Zacharias ſummus Pontifex nõ depoſuit Regem Franciæ ſine conſenſu Baronũ, & Comitum regni, vt dicit Hugutio, cauſa, † & cap. ſupradicto. Ergo, eodem modo Papa non poteſt in quolibet Regno Regem inſtituere abſque conſenſu aliorum.

† Scilicet 15 q.6.c.Alius.

In Contrarium eſt: quia Papa poteſt in qualibet Eccleſia Prælatum ponere, & deponere abſque aliorum requiſitione, & conſenſu. Ergo poteſt in quolibet regno hoc facere, cum maius ſit dominium ſpiritale, quàm temporale.

RESOLVTIO.

Papa iuſta de cauſa in quolibet Regno Regem inſtituere poteſt. eſt enim vice Dei omnium Regnorum prouiſor, ſicut Deus omnium Regnorũ prouiſor, & factor.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundum Dama. 2. lib. 39. Neceſſe eſt eundem factorem eſſe eorum, quæ ſunt in mundo, & prouiſorem. Sicut ergo Deus eſt factor omnium Regnorum, & prouiſor; ſic Papa vice Dei eſt omnium regnorum prouiſor. Vnde, cum cauſa rationabilis ſubeſt, in quolibet Regno poteſt Regem inſtituere, ſiue ſit cauſa ipſius Regis nequitia, vt dictum eſt ſupra de Rege Francorum: ſiue ipſius populi fraudulenta malitia, vt ſi in Regis mortem conſpirarent, vel eum eijcerent, ac p hoc ſe ipſos iuriſdictione * habendi Regem, priuarent, vel quocumque alio modo cauſa iuſta, & rationabilis ſubeſt, ad Papam ſpectaret illi Regno de Rege prouidere.

* Eligendi videtur legendum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Rex bene fuit datus populo Iſraelitico ad * voluntatem, & conſenſum populi: non tamen de perſona determinata fuit eis de Rege prouiſum de conſenſu populi. Sed immediate per ipſum Samuelem ſummum Sacerdotem de perſona fuit eis prouiſum, quando tulit lenticulam olei, & effudit ſuper caput Saul, & vnxit eum in Regẽ ſuper Iſrael, vt ſcribitur 1. Reg. xi.

* al. vocem

Ad ſecundum eſt dicendum, quod ſicut dicit Aug. 19. de Ciuitate Dei cap. 21. Cum obijceretur Romanis, Rempublicam non poſſe cum iuſtitia Prouincijs imperare, aperte reſponſum eſt per eos, quòd iuſtè imperabant, & alij iuſtè ſeruiebant, quia vtile erat eis ſic ſeruire, cum improbis per dominium Romanorũ tolleretur licentia nocendi ſubditis. quod dictũ licet non credamus ſufficere ad iuſtæ damnationis initiũ, eo, quòd quantumcunque homini ſit vtile dominium: iuſtè tamen aliquis ſibi dominari non poteſt, ipſo inuito. poteſt tamen ſufficere quantum ad dominationis progreſſum: quia cum homo videt Dominum ſibi datum iuſtè regere, incipit voluntariũ ſeruitium ſibi exhibere, quod ante exhibebat inuitus: poteſt ſimiliter quandoque inuitis ſubditis Rex vel Dominus dari, per Papam, ſi eorum culpa exigat. non enim Papa faciendo iuſtitiam, debet patrociniũ dare criminoſis, vel criminibus: ſed potius ſuppliciũ.

Tomo 5.

Ad tertium eſt dicendum, quòd conſenſum Baronum, & Comitum, ſeu populi requiri in Papa ad depoſitionem Regis, poteſt intelligi dupliciter.

Primo, quantum ad ipſius Regis incuſationem: & ſic planum eſt, quòd ſicut Deus non condemnat aliquem in foro exteriori niſi per incuſationem conuictum: vnde nec meretricem condemnat: † ex quo incuſata non fuit: ſic nec Papa vicarius eius condemnaret, vel deponeret aliquem Regem, niſi conuictũ per incuſationem Comitum, Baronum, & aliorum de regno.

† Ioan. 8.

Secundo, quantum ad cauſæ cognitionem: & ſic in cognitione cauſæ, & probatione ſententiæ Papa non requirit conſenſum alicuius. quia ſicut ſuperior eſt omnibus, ita de cauſa criminali omnium poteſt cognoſcere, & ſententiam proferre, abſque alicuius requiſitionis conſenſu.

QVAE-

QVAESTIO XLVII. DE ACTV ELECTIONIS QVANTVM AD DOMINIVM SPIRITVALE.

VISO de poteſtate Papæ reſpectu actus electionis, quantum ad Dominium temporale: Reſtat videre de dicta poteſtate reſpectu actus electionis, quantum ad Dominium ſpirituale: & deinde reſpectu actus diſpenſationis, & de his, quæ diſpenſationi annectuntur. Circa primum quæruntur octo. E

Primo, Vtrum Papa abſque perſonæ acceptione poſſit aliquem ſuum conſanguineum ad prælaturam Eccleſiaſticã eligere, ratione, qua conſanguineus eſt.

Secundo, Vtrũ Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad prælaturã Eccleſiaſticã eligere bonũ, dimiſſo meliori.

Tertio, Vtrum Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere diuitem, dimiſſo paupere. F

Quarto, Vtrum Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere diuitem, & nobilem, ratione, qua potens, & nobilis eſt.

Quinto, Vtrum Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad petitionem Regum, & Principum aliquem eligere ad prælaturam Eccleſiaſticam.

Sexto, Vtrum Papa ſemper peccet mortaliter, cum acceptat perſonam in eligendo aliquem in prælaturam Eccleſiaſticam.

Septimo, Vtrum Papa ſine peccato poſſit conferre prælaturã Eccleſiaſticã petenti, & procuranti ipſam.

Octauo, Vtrum Papa ſine peccato poſſit conferre Magiſterium petenti, & procuranti licentiã magiſtrandi. G

ARTICVLVS I.

VTR. PAPA ABSQVE ACCEptione perſonæ poſſit aliquem ſuum conſanguineũ ad prælaturã Eccleſiaſticã eligere, ratione, qua conſanguineus eſt.

S. Thom. quodlibeto 4. art. 15. 2. 2. q. 63. art. 2. Turrecremata in c. Decenter 89. diſt. & io cap. Peruenit. 1. q. 3.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa abſque acceptione perſonæ poſſit conſanguineum eligere ad prælaturam Eccleſiaſticam, ratione, qua conſanguineus. Quia magis eſt beneficium ſpirituale docere, & instruere aliquem in fide, quàm Eccleſiaſtica prælatura. ſed citius deberem beneficium tale impendere H Patri, vel fratri meo, ſi eſſet infidelis, quàm alteri extraneo. Ergo eodem modo Eccleſiaſticã prælaturã.

2 Præterea: Ordo charitatis, quem aſſignat Ambroſ. fundatur ſuper legem naturæ. quia dicit, quòd magis ex ordine charitatis debemus diligere conſanguineum, & domeſticum, quàm extraneum. Ergo præferendo conſanguineum extraneo, eligendo ipſum prius ad Eccleſiaſticum beneficium, non eſt acceptio perſonæ.

3 Præterea: Scribitur actuum 10. In veritate comperij, quoniam non eſt perſonarum acceptor Deus. Sed Matth. 4. legitur, quòd Chriſtus ad Apoſtolatum elegit conſanguineos; ſcilicet, Iacobum, & Ioannem. Ergo ſine acceptione perſonæ poteſt conſanguineus ad prælaturam Eccleſiaſticam eligi.

IN CONTRARIVM eſt, quia Propheta imprecatur malum his, qui ędificant Syon in ſanguinibus. Sicut ſcribitur Micheæ 3. & exponit gloſſa de his, qui ædificant Eccleſiam in conſanguineis, & Nepotibus.

RESOLVTIO.

Si veritas doctrinæ, ſanctitas vitæ, & iuſtitiæ æquitas æque in conſanguineo, ac in extraneo reperiantur, abſque acceptione perſonarum conſanguineus ad prælaturam aſſumi poteſt. Si autem conſanguineus iiſdẽ conditionibus careret, extraneus verò eaſdem haberet, non item

RESPONDEO, dicendum, quòd iſta quæſtio eſt dubia propter exemplum Chriſti, & propter exemplum Summorum Pontificum, qui ſunt eius Vicarij. Nam Chriſtus elegit populũ Iſraeliticum, non gentilem ad legem Dei recipiendam: ſicut patet Deuter. 7. Elegit Dauid in Regem, ex cuius ſemine erat ſecundũ carnem naſciturus, & Saulẽ reprobauit: vt patet 1. Reg. 1. Similiter elegit Iacob, & Eſau reprobauit: vt patet Malachiæ 1. Similiter ad Apoſtolatum conſanguinitate ſibi coniunctos elegit: Summi autem Pontifices eius Vicarij (vt in pluribus videmus) ad prælaturam Eccleſiaſticam eligũt citius conſanguineos, & compatriotas, quàm extraneos: & graue eſſet dicere, q omnes tales peccarent, & eſſent acceptores perſonarum.

Ideo ſciendum eſt, quòd beneficia Eccleſiaſticã conferenda ſunt propter officia: puta propter veritatem doctrinę: ſanctitatem vitæ: & æquitatem iuſtitiæ: hæc enim perſonam faciunt dignam Eccleſiaſtica prælatura. Quando ergo tales conditiones ſunt

pares

pares in conſanguineo, & extraneo: puto, ꝙ non fit A acceptio perſonæ ſi conſanguineus eligatur ad prælaturam Eccleſiaſticam: & non extraneus: quia non pręfertur perſona perſonæ, ex cauſa indebita: maximè quia in tali electione conſanguinitas non eſt cauſa principalis, ſed annexa: ſi vero conditiones prædictæ non eſſent pares: puta, ꝙ conſanguinitas eſſet cauſa principalis, & non veritas doctrinæ, vel ſanctitas vitæ, ſeu æquitas iuſtitię: ita, ꝙ conſanguineus præferatur extraneo: quantumcunque extraneus prędictas conditiones haberet, & conſanguineus eis careret, abſque acceptione perſonæ eſſe non poſſet.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd in B tali caſu, prius debemus pṙedicare patri, vel fratri, vel conſanguineo, quàm extraneo: quia hoc eſt de neceſſitate vitæ. ſine fide enim ſpiritualis vita haberi non poteſt. promouere autem aliquem ad prælaturam Eccleſiaſticam eſt ſupererogationis, ideo non eſt ſimile.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd in beneficijs temporalibus, quæ debentur alicui ſecundum legem naturæ, attenditur ille ordo, quem ponit Ambroſius: talia enim beneficia temporalia, quæ ex lege naturæ debentur alicui hæreditaria ſucceſſione, vel Reipublicæ adminiſtratione, abſque peccato conſanguineis citius, quàm alijs debent conferri: ſecus autem eſt de beneficijs ſpiritualibus, vel de his, quæ ſunt ſpiritualibus annexa.

AD tertium eſt dicendum, quòd Chriſto notá erant corda munda, & opera bona illorum, quos vocauit, tam in veteri lege, quàm in noua, ad eccleſiaſticam dignitatem. nec ſibi reuelabat Caro, & Sanguis illa, que agebat, ſed Pater cœleſtis. Vnde exempla eius velle ad humanam fragilitatem conuertere non eſt imitationis, ſed præſumptionis.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT ſine acceptione perſonæ ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere bonum, dimiſſo meliori.

Præter citatos in ſuperiori articulo Couarr. in regula peccatum. de reg. iur. lib. 6. pat. 2 ar. 7. & Sotus lib. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 2.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ad prælaturam Eccleſiaſticam ſine acceptione perſonę nõ poſſit eligere bonum, dimiſſo meliori: quia Papa tenetur ſequi conſcientiam rectam: ſed conſcientia recta dictat cuilibet, ꝙ minori bono maius bonum præeligendum eſt: Ergo ſemper tenetur meliorẽ eligere.

2 Præterea ſ ſcribitur Deuter. 1. Non accipietis cuiuſcunque perſonam, quia Dei iudicium eſt. ſuper quo verbo dicit gloſſa, ꝙ in iudicando, Summi Pontifices Vicarij Dei ſunt, qui perſonam hominis non accipiunt. ſed ſi Papa bonum præfert meliori, non eſt ſine acceptione perſonæ.

3 Præterea: Scribitur 8. quæſt. 1. cap. Licet. † ꝙ ad Prælaturam Eccleſiaſticam non eligitur, niſi qui cæteris doctior, & ſanctior habetur. Sumptũ ex Origene Hom. 6. ad c. 8. Leuitici.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſufficit ad Eccleſiaſticam prælaturam perſonam bonam, & idoneam eligere: ſicut patet extra de electione. Extra de elect. multis locis ſignificatur, ꝙ ſufficiat eligere dignũ.

RESOLVTIO.

Papa in foro exterioris iudicij ſine acceptione perſonæ ad prælaturam poteſt aſſumere bonum, & ſufficientem, eumque meliori præferre. Sed in foro conſcientiæ, æqua facilitate poſita, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliter eſt loquendum in foro conſcientiæ, & aliter in foro exterioris iudicij. planum eſt autem, quòd in foro exterioris iudicij ſecundum iura ſcripta ſufficit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere bonum, & ſufficientem: † ſed in foro interioris conſcientiæ puta, ꝙ ſi Papa ęqua facilitate poteſt habere meliorem, nulla alia cauſa conſiderata, & ſcienter præfert bonum meliori, non poteſt eſſe ſine acceptione perſonę: multum enim ipſe haberet groſſam conſcientiam, quando C abſque conſideratione debitę cauſæ ſcienter præferret bonum meliori: ex quo vtrumque ęqua facilitate poſſet haberi. † Vide omnino Concilium Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 18.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ quãdo conſcientia aliquid dictat faciendum ex debito; tenetur homo illam ſequi: ſed quando dictat aliquid faciendum ex expedienti, vel ex conſilio ſolum, non tenetur illam ſequi: quia non æqua facilitate poteſt implere conſilium, ſicut debitum, vel præceptum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ acceptio perſonæ poteſt eſſe ex intentione facientis: Quia ſi Papa mouetur ad dandum beneficium Eccleſiaſticum bono D potius, quàm meliori ex aliqua cauſa non licita, & indebita, puta propter conſanguinitatem, vel diuitias, eſt acceptio perſonę: ſed ſi hoc facit ex aliqua cauſa debita: vtputa propter eius paupertatis ſubſidium, & honeſtatis obſequium, non eſt acceptio perſonæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illa verba †Hieronym. intelligenda ſunt conſultiue, non autem pręceptiuè: vel ſi præceptiuè intelliguntur, oportet, quòd non æqua facilitate, ex debita cauſa bonus pręferatur meliori: tunc enim conſcientia Papam debet arctare, vt bono pręferat meliorem. † Id habet Origenes Hom. 6. ad c. 8. Leuitici.

ARTICVLVS III.

UTRUM PAPA POSSIT ſine acceptione perſonæ ad Prælaturã Eccleſiaſticam eligere diuitem, dimiſſo paupere.

Conferunt tradita per Doctores citatos in præcedentibus articulis. Et gloſſa in cap. Conſtitutis. verbo: Impotentiam. extra de appel. & ibidem Canoniſtæ.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere diuitem, dimiſſo paupere. quia non eſt acceptio perſonæ honorare hominem propter illud, quod à Deo recipitur. Sed diuitiæ ſunt bona, quæ à Deo recipiuntur. Ergo non eſt acceptio perſonæ, diuitem, dimiſſo paupere, ad Eccleſiaſticã dignitatẽ aſſumere. F

Cõtra duas Epiſt. Pelag. cap 7. To 7. 2 Præterea: Secundum Auguſt. Accipere perſonã eſt exhibitio honoris ſeruato gradu dignitatis, & officij: nec iſto modo eſt peccatum perſonam accipere, vt dicit. Sed planum eſt quòd diues eſt in alio gradu dignitatis, & officij, quàm pauper. Ergo abſque acceptione perſonæ poteſt diues ad prælaturam Eccleſiaſticam aſſumi, dimiſſo paupere.

3 Præterea: Vbi nulla eſt iniuſtitia, nulla eſt acceptio perſonæ: ſed ſi Papa præfert diuitem pauperi in honorem Eccleſiaſticæ dignitatis, non facit iniuſtitiã pauperi. G

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Iacobi 2. capite.

RESOLVTIO.

Diues pauperi à Papa, in Prælatura Eccleſiaſtica concedenda, præferri poteſt. quantum ad exterius obſequium: ſed quantum ad interius iudicium, quo Diues melior iudicetur, non item.

Epiſt. 29. Tomo 2. RESPONDEO dicendum, ꝙ Aug. expreſsè determinat iſtam quæſtionem ſuper illis verbis, quę ponuntur Iacobi 2. de introitu diuitis, & pauperis: H & de ſeſſione vtriuſque: ꝙ diues ponatur in ſede, & pauper in ſtabulo. ait enim ꝙ ſi hanc diſtantiam ſedendi, & ſtãdi ad honores Eccleſiaſticos referamus; non eſt putandum, leue eſſe peccatum in perſonarũ acceptione habere fidẽ Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Sciendum eſt tamen, ꝙ præferre diuitem pauperi in honore Eccleſiaſticæ prælaturæ, dupliciter poteſt intelligi. Primo, diuitiarum iudicio: vt tanto quis iudicetur dignior, Eccleſiaſticam prælaturam ſuſcipere, quanto ditior. Secundo, in aliquo exteriori obſequio: vt aliquod ſignum exterioris reuerẽtiæ exhibeatur diuiti, & non pauperi. Primo modo eſt peccatum: ſecundo non. Et iſta eſt expreſſa ſententia Auguſtini in gloſſa ſupra allegata. Subdit enim: Non E peccat quis honorando diuitem magis, quàm pauperem: niſi cum apud ſemetipſum intus ita iudicat, vt ei tanto melior, quanto ditior ille videtur. quod videtur ſignificaſſe Apoſtolus ſubdendo: Nonne iudicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis iudices cogitationum iniquarum? Diues quo magis, quã pauper honorari poſſit. Iac. 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non eſt acceptio perſonæ: ſi honoretur diues illo honore, qui ſibi debetur propter diuitias. ſed prælatura Eccleſiaſtica non debetur diuiti propter diuitias, ſed magis propter alias conditiones virtuoſas ſuperius dictas. In quibus ſi diues ratione, qua diues, præfertur pauperi, eſt acceptio perſonæ.

F AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ acceptio perſonæ aliquando accipitur in bono; aliquando in malo. ſecundum enim, ꝙ in bono accipitur, ſic eſt honorare vnumquemque ſecundum gradum dignitatis ſuæ, & officij. & hoc modo non eſt peccatum: quia talis acceptio perſonæ eſt ex cauſa debita. ſed quando accipitur in malo, ſic eſt, cum præfertur perſona perſonæ ex cauſa aliqua indebita. Secundum primum modum loquitur Auguſtinus.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non eſt acceptio perſonæ præferre diuitem pauperi in honore exterioris reuerentiæ: non autem in honore prælaturæ Eccleſiaſticæ.

ARTICVLVS IIII.

G *UTRUM PAPA SINE acceptione perſonæ poſſit diuitem, & nobilem eligere ad Prælaturam Eccleſiaſticam ratione, qua potens, & nobilis.*

Gloſſa in cap. Conſtitutis. de appellat. in verbo: Impotentiam. Et gloſſa in capit. Conquerente. in verbo: Sufficientia, de cleri. non reſiden. & vtrobiq. Doctores.

H AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſine acceptione perſonę nõ poſſit diuitẽ, & nobilem eligere ad prælaturã Eccleſiaſticam, ratione, qua potens, & nobilis. quia Papa eſt Vicarius Chriſti. ſed de vocatione Chriſti ſcribitur 1. ad Cor. 1. Videte vocationem veſtram fratres: quia non multi potentes, & nõ multi nobiles, ſed quæ infirma ſunt, elegit Deus, vt fortia confunderet.

2 Præterea: In veteri lege Paſtores vocati ſunt ad Eccleſiaſtica beneficia: ſicut patet de Moyſe, & Aaron. vt ſcribitur Exodi 3. Tales ergo vocandi ſunt per Papam.

3 Præterea: Scribitur Leuitici 19. Non honores vultum potentis: honor ergo Eccleſiaſticus non eſt exhibendus potenti, ratione, qua potens eſt.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Eccl. 7.

Eccl. 7. Noli quærere fieri iudex: niſi valeas virtute irrumpere iniquitates. A

RESOLVTIO.

Nobilis, & potens in Prælatura concedẽda, ſi præferatur virtuoſo, minus nobili, minusq. potenti, in ordine ad vtilitatem Eccleſiæ, acceptio perſonæ non eſt: ſed aliter, eſt. maius enim bonum, ceteris paribus, minori bono ſemper eſt præferendum.

Tomo 1. RESPONDEO, dicendum, quòd Auguſt. circa finem ſecundi libri de libero arbitrio cap. 18. diſtinguit tria genera bonorum: Infima: vt bona corporalia, & temporalia: Media: vt intellectus, & voluntas, & aliæ potentiæ hoĩs: Et ſuprema: vt virtutes acquiſitæ, vel infuſæ. Cum ergo ſemper maius B bonum minori bono ſit præferendum, cæteris paribus, magis eſt eligendus ad beneficium eccleſiaſticũ bonus, & virtuoſus bonitate intrinſeca acquiſita vel infuſa, quàm potens, vel nobilis, & hoc eſt intelligẽdum, vt potentia vel nobilitas conſideratur ſecundũ ſe. quia iſto modo præferre potentem, vel nobilem virtuoſo minus potenti, & minus nobili, ratione potentiæ, vel nobilitatis in ſe conſideratæ, eſſet conditio indebita, & acceptio perſonæ. Sed conſiderare nobilem, vel potentem in ordine ad vtilitatem Eccleſiæ: poſſet tũc præferri alteri abſque acceptionẽ perſonæ.

Ad Argumenta C

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut gloſſa dicit ſuper illo verbo Apoſtoli: Nõ multi potẽtes &c. ideo poſuit Apoſtolus: Non multi, propter ſe. quia inter Apoſtolos ſeculorium litterarum fuit peritus, terrenarum opum diues: ratione dignitatis, parentela fuit perſpicuus: vnde quamuis Chriſtus potentes, & nobiles non elegerit in primitiua Eccleſia, vt non gloriaretur omnis caro, in conſpectu eius, & hoc pro vtilitate Eccleſiæ, quatenus per Piſcatores lucraretur Imperatores: nunc pro eiuſdem vtilitate Eccleſiæ poſſunt nobiles, & potentes ad Eccleſiaſtica beneficia vocari.

1. Cor. 1.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ Paſtores in veteri lege vocati ſunt: & in noua lege Piſcatores in ſignũ, ꝙ illi, qui ad Eccleſiaſticam Prælaturam aſſumũtur; & paſcere ſubditos tenentur, & cuſtodire: ne retibus peccatorum diabolica fraude capiantur. D

AD tertium eſt dicẽdum, ꝙ poteſtas, & nobilitas non eſt honoranda in Prælatura Eccleſiaſtica ſecundum ſe, & animi iudicio, ſed in ordine ad vtilitatem Eccleſiæ, ipſius promotionis beneficio.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA SINE acceptione perſonæ poſſit ad petitionem Regum, & Principum aliquem ad Prælaturã Eccleſiaſticã eligere.

Conferunt tradita per Canoniſtas in cap. Porro 63. diſtin. & in cap. Siquis. 1. q. 6.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſine acceptione perſonæ ad petitionem Regum, & Principum poſſit aliquem ad Prælaturam Eccleſiaſticam eligere. Quia quod fecit Chriſtus, licitũ eſt facere Papæ: ſed Chriſtus ad petitionem Apoſtolorum ſanauit Socrum Simonis; ſtans enim ſuper illã imperauit febri, & dimiſit illã, vt ſcribit Lucæ 4.

2 Præterea: Lucæ 7. habetur ꝙ ſeniores Iudæorũ cum veniſſent ad Ieſum rogauerunt illum, vt ſanaret ſeruum Centurionis: dicentes: Dignus eſt, vt hoc illi præſtes. diligit enim gentem noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis. planum eſt autem, ꝙ donũ ſanitatis eſt donum Spiritus ſancti, & aliquod ſpirituale: licet ergo Papæ ad petitionem Regum beneficium ſpirituale alicui conferre abſque acceptione perſonæ.

3 Præterea: Papa eſt dominus meſſis, & ipſius Eccleſiæ ſaltem miniſterialiter. ſed Chriſtus mandauit Lucæ 10. vt diſcipuli rogarent dominum meſſis, vt mitteret operarios in meſſem ſuam; licet ergo operarios in Eccleſia ponere ad rogamina aliorũ abſque acceptione perſonæ.

IN CONTRARIVM eſt quod habetur 1. q. 6. c. Si quis. Nec timore, nec præmijs, nec potentũ ſuffragio Epiſcopi confirmetur electio: & 63. diſtio. cap. Porrò, Scribitur, quòd Apoſtolica auctoritate, non regio fauore Epiſcopus eſt eligendus.

RESOLVTIO.

Papa ſine acceptione perſonæ ad petitionem Regũ, & Principum aliquem ad Prælaturam Eccleſiaſticã aſſumere poteſt: modo indebita non adſit cauſa.

RESPONDEO, dicendũ, Quòd acceptio perſonæ eſt, quando ad Prælaturam Eccleſiaſticã vna pſona præfertur alteri ex indebita cauſa: poſſunt autem preces Regum, & Principum eſſe indebita cauſa, ꝙ quis promoueatur ad Prælaturam Eccleſiaſticam tribus modis. Primo ex parte eius, pro quo preces fiunt: vt ſi preces pro indigno porrigãtur, tũc expreſſe omittitur iuſtitia. Iniuſtitia eſt enim, ꝙ indignus præferatur digno. Secundo ex parte ipſius Papæ, qui rogatur, qui ſi ſua intentione non intendat ad dignitatem perſonæ, ſed ad fauorem humanum, quem principaliter intendit, annuendo precibus rogantiũ, manifeſta eſt acceptio perſonæ.

Tertio ex parte illorum, qui rogant. Si enim credatur, rogantes promotionem alicuius procurare, vt ei ſit fauorabilis in eorum cauſis, & petitionibus ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè dirigantur ad Paſtorem Eccleſiæ, indebita cauſa eſt, & per conſequens acceptio perſonę.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut dicit Hierony. quandoq; Saluator rogatus, quandoq; non rogatus curauit ægrotos, oſtendens per hoc ꝙ ipſe ſuperannuit precibus fidelium in dando illa, quæ ipſi minime intelligunt, ſiue *intelligenda ſint, dare: ſiue non intelligenda dimittere. Vnde ſi ipſe rogatus tribuat, ſiue non, ſemper facit ex debita cauſa.

* al. intellecta.

AD ſecundū eſt dicendū, ꝙ ſicut dicit Euſebius: Seniores quidem Iudæorum pro modicis ſumptibus ad opus Sinagogæ datis gratiā poſcunt; ſed dominus non propter hoc, ſed pro fide Centurionis augenda, & manifeſtanda cunctis mortalibus ſemet ipſum ſibi exhibuit: vnde non fuit acceptio perſonę: quia hoc fecit ex cauſa debita.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ (ſicut dicit Chryſoſtomus) non eſt intellectus verbi, vt Prælati precibus quorumcumque principaliter debeant operarios mittere in meſſem Chriſti: ſed ꝙ inducendi ſint ſubditi, vt pro eorum Paſtoribus rogent, quatenus digna in eis valeant operari: eſt enim magnum donum, operarios mitti in meſſem diuinam: ideo Chriſtus mādauit, dominum meſſis ſuper hoc eſſe rogandum, vt digne, & iuſtè hoc fiat.

Hom. 23. In Matth.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA SEMPER mortaliter peccet, cum acceptat perſonam in eligendo aliquē ad prælaturam Eccleſiaſticam.

S. Thom. 2. 2. quæſt. 63. art. 1. & 2. & Dominic. Sot. lib. 3. de iuſt. & iur. quæſt. 6. art. 2.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa nō ſemper peccet mortaliter, cum acceptat perſonā in eligendo aliquem ad prælaturam Eccleſiaſticā. Quia tunc peccaret Deus mortaliter, acceptando perſonam, cum dat gratiam vni, & non alteri. Quòd ſi diceretur liberū arbitrium melius eſſe pręparatum in vno, quàm in alio, quærendum eſſet de illa pręparatione, quæ cum ſit à Deo, ſequitur æque, quòd Deus ſit acceptor perſonarum.

2 Pręterea: Gregor. dicit 34. Moral. quòd accipere perſonam eſt hominem non ex eo quòd homo eſt: ſed propter illud, quod circa ipſum eſt, eſſe honorabilem: ſed omnes honorant alios propter aliqua, quæ circa ipſos ſunt: Ergo omnes peccant mor-

E taliter, cum ſint acceptores perſonarum.

3 Præterea: Acceptio perſonæ poteſt fieri malè, & benè. Ergo non ſemper eſt peccatum mortale.

IN CONTRARIVM eſt. quia quod opponitur præcepto diuino, & diuinæ legi, peccatum mortale eſt. Sed quando honor debitus vni, datur alteri, & perſona vna pręfertur alteri ex indebita cauſa: rectè opponitur illi præcepto: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, in quo omnis honor debitus proximo præcipitur. Similiter quando in datione Eleemoſinæ minus indigens præfertur magis indigenti, & exiſtenti in extrema neceſſitate, opponitur illi præcepto: Non furtum facies. quia in extrema neceſſitate omnia ſunt communia.

Exodi 20.

Exodi 20.

F *RESOLVTIO.*

Acceptio perſona ex indebita cauſa in Papa ſemper eſt mortale peccatum.

RESPONDEO, dicendum, quòd mortale peccatum eſt, quod tollit nobis Chriſtum, qui eſt vita noſtra: iuxta illud Colo. 3. Cum autem Chriſtus apparuerit vita noſtra. Chriſtus autem tribus modis in nobis exiſtit: Primo per iuſtitiæ æquitatē: Secundo per doctrinæ veritatem: Tertio per vitæ ſanctitatem. ipſo atteſtante Io. 14. Ego ſum via iuſtitię, ueritas doctrinę, & vita. Quando ergo acceptio perſone repugnat iuſtitiæ æquitati, vt quando Papa teneretur reddere iuſtitiam, uel iudicium alicui, & non redderet; puto, quòd eſſet peccatum mor-
G tale, ſiue eſſet pauper, ſiue diues. Vnde ſcribitur Exo. 23. Pauperis non miſereberis in iudicio. Vel quando acceptio perſonæ repugnaret doctrinæ veritati: vt quando Papa doceret aliquid contra bonos mores, & cōtra illa, quæ in Sacra Scriptura continentur, amore alicuius perſonæ, peccatum mortale eſſet: ſimiliter quando acceptio perſonæ repugnaret vitæ ſanctitati: vt quando Papa præferret vitioſum virtuoſo ex indebita cauſa, vt quia conſanguineus, vel quia potens, & diues; puto, quòd eſſet peccatum mortale.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Deus
H quare dat gratiam vni, & non alteri, non eſt aliud niſi quia vult: voluntatis autem eius non eſt quęrenda cauſa effectiua, ſed bene poteſt eſſe cauſa terminatiua: quia ipſe Deus ſcit iſtum bene vſurum gratia: illum autem ſcit non bene vſurum, & quia ipſe præparat ſe ad gratiam, ille autem non. A quo autem ſit ipſa præparatio gratiæ Auguſt. expreſſe dicit, quòd ab homine. ait enim in libro de correctione, & gratia, quòd deſiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ eſt. de quo ait Propheta: Et dixi, nunc cæpi hæc mutatio dextræ excelſi. ita, quòd petere auxilium gratiæ præparatio gratiæ, & initium gratiæ eſt, ſecundum Auguſtinum.

Intelligas. Ab homine conſentiente, ſed a Deo in primis excitante.

Pſal. 76.

Ad formam argumenti eſt dicendum, quòd Deus non eſt acceptor perſonarum, cum confert gratiā

vni, &

vni, & non alteri. quia ipſe nulli tenetur, quòd enim iſtum ſaluet, eſt liberalitas: quòd autem illum non ſaluet, non facit ſibi iniuriam. quia omnes in prima maſſa perditi ſunt.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ quatuor modis contingit honorem homini exhibere propter aliquod, quod circa ipſum eſt: vt propter diuitias, & potentiam. Primo, in collatione ſpiritualis beneficij. Secundo in ſubuentione temporalis ſubſidij. Tertio in executione ſæcularis iudicij. Quarto, in exhibitione exterioris reuerentiæ. Primis tribus modis eſt acceptio perſonæ ex cauſa indebita: ſed quarto modo non.

Ad tertium eſt dicendum, quòd cum acceptio perſonæ fit benè, concurrit ibi debita cauſa. quando vero fit malè, concurrit ibi cauſa indebita. Vnde non ſemper eſt peccatum mortale, ſed quandoque veniale: quandoque mortale: quandoque vtrumque: quandoque neutrum.

ARTICVLVS VII.

VTRUM PAPA POSSIT ſine peccato conferre Prælaturam eccleſiaſticam petenti, et procuranti ipſam.

Vide gloſſam Archidia. Præpoſitum Turrecrē. & Doctores in cap. Ordinationes 1. q. 1. & eoſdem in c. Moyſes & in c. Scriptoris 8. q. 1. Sanct. Thom. & Petrum de palude in 4. lib. ſenten. & Hoſt. In ſumma in tit. de Simonia.

1 AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine peccato poſſit conferre Prælaturam Eccleſiaſticam petenti, & procuranti ipſam. Quia quod iuſtè appetitur, iuſtè procuratur, & iuſtè conceditur. Sed Apoſtolus dicit 1. Timot. 3. Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Si ergo iuſtè deſideratur: iuſtè procuratur, & iuſtè conceditur.

2 Præterea: Status Prælaturæ eſt periculoſus. quia ſecundum Auguſtinum, quanto quis in ſtatu ſuperiori: tanto in periculo maiori verſatur. Sed quod periculis homo ſe exponat, perfectionis eſt, & laudabile. Abſque peccato ergo Eccleſiaſtica prælatura procuranti ipſam poteſt conferri. *In Regula Tomo 1.*

3 Prȩterea: Sine peccato confertur homini illud, per quod ad beatitudinem tendit. Sed ſecundū Auguſtinum in Epiſtola ad Valerium: Nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, periculoſius Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio: ſed apud Deum nihil beatius. *Epiſt. 148. Tomo 2.*

In Contrarivm eſt, quod dicit Aug. 19. de Ciuitate Dei cap. 19. vbi ait, quòd locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, & ſi adminiſtretur, vt decet: non tamen decenter appetitur: multo ergo magis non decenter procuratur. ac per hoc ſine peccato procuranti non confertur. *Tomo 5.*

A

RESOLVTIO.

Prȩlatura, quȩ ſine peccato ſuperbiæ, vel iniuſtitiȩ, procurari non poteſt, ſine peccato procuranti conferri non valet.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſecundum aliquos prælatura Eccleſiaſtica, vel eſt ſine animarū cura, vel cum cura. Si ergo ſit ſine cura, dicunt, quòd licitum eſt, talem prælaturam per ſe, vel per alios petere, & procurare: dummodo homo ſit dignus, & ſufficiens in tali officio, ſeu beneficio adminiſtrare. Si autem ſit cum cura, non eſt licitum: ſed quòd homo dignum ſe reputet adminiſtrare in aliquo beneficio Eccleſiaſtico, quantumcunq; paruo; ſuperbiȩ,
B & præſumptionis eſſe videtur. Dicit enim Auguſtinus in Epiſtola ſupradicta ad Valerium: Putas me idoneum, cum ego melius me nouerim: qui tamen nec ipſe me noſſem, niſi experiendo didiciſſem.

Sed dicit fortaſſe Sanctitas Tua: vellem ſcire quid deſit inſtructioni tuæ? Ad quod reſpondeo, quòd tam multa ſunt, vt facilius poſſim enumerare, quæ habeam, quàm quæ non habere conſidero. Et ideo puto eſſe dicendum, quòd procurans per ſe, vel per alium prælaturam Eccleſiaſticam, vel eſt iniuſtus, vel ſuperbus. Iniuſtus quidem; quia iniuſtitia eſt, quòd aliquis ſibi plus velit de honore accipere, aut de poteſtate, vel de alijs bonis, cum non ſciat vtrum minoribus dignus ſit. Superbus vero: quia ſine ſuperbia non eſt, quòd aliquis exiſtimet ſe magis dignum
C prælatione omnibus illis, ſuper quos prælationem recipit. Sicut ergo ſine peccato ſuperbiæ, vel iniuſtitiȩ prælatura non procuratur; ſic puto, quòd ſine peccato procuranti non conferatur.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd multa in nomine Epiſcopatus includuntur, quorum aliqua ſunt bona, & appetenda; aliqua vero reſpuenda: neutra tamen procuranda: ſed ſi quis vocatur à Deo tanquam Aaron: humiliter pro ſalute aliorum ſuſcipienda ſuſcipiet.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd laudabile eſt, quòd aliquis periculis corporalibus ſe exponat pro-
D pter bona ſpiritualia conſequenda: Sed quòd quis periculis ſpiritualibus ſe exponat propter bona temporalia, ſicut uidetur ſe exponere ille, qui Eccleſiaſtica beneficia procuraret, vituperoſum eſt.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Auguſt. vult nihil officio Epiſcopi, aut Presbyteri apud Deum eſſe beatius. ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet. quod ſequentia manifeſtant: ait enim nihil eſſe in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, & lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio. Et ſubdit: ſed ſi perfunctorie, atque adulatoriè res agatur, nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA POSSIT ſine peccato conferre Magiſterium petenti licentiam magiſtrãdi.

S.Thom.quolib. 3. q.4.art.9.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine peccato poſſit cõferre Magiſterium petenti licentiam magiſtrandi. quia Apoſtolus 1. Timo.2.dicit ſe poſitũ eſſe in Euangelio Chriſti Magiſtrum,& Doctorem. Et F 2. Corin, xi. commendat ſe de ſcientia dicens: Quia ſi imperitus lingua,non tamen doctrina.

2 Præterea: Quod iuſtè concupiſcitur, iuſtè procuratur,& confertur. Sed ſcribitur Sapiẽtiæ 6. Quia concupiſcentia ſcientiæ deducit ad regnum perpetuum.

3 Præterea: In Magiſterio accipitur opportunitas, ſeu poteſtas communicandi ſcientiam: Sed hoc licitum eſt procurare, & alijs conferre. Scribitur enim Sapientiæ 7. Quam ſine fictione didici, ſine inuidia communico, & honeſtatem illius abſcondo.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 23. vbi Saluator prohibuit, vt nullus vocaretur Magiſter. quia vnus eſt Magiſter, qui eſt in G cœlis Chriſtus.

RESOLVTIO.

Magiſterium, quod ſicut Prælatura ſine ijſdem peccatis procurari nõ poteſt, ſine peccato procuranti conferri non valet.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicũt licitum eſſe Magiſterium procurare, ſed non prælaturam Eccleſiaſticam, propter tria. Primo, quia ille,qui recipit cathedram magiſtralem,non accipit aliquam eminentiam ſuper alios, quam prius non habuerat: ſed qui recipit cathedram Epiſcopalem, recipit eminentiam ſuper alios, quam prius nõ H habebat. Secundo,quia eminentia ſcientiæ,quæ requiritur in Magiſtrali cathedra, eſt perfectio hominis ſecundum ſe. Eminentia vero poteſtatis, quæ pertinet ad cathedram Pontificalem, non eſt perfectio ſecundum ſe: ſed requirit perfectionem reſpectu aliorum. Tertio quia quis poteſt ſcire ſe habere ſcientiam, quam requirit cathedra magiſtralis: charitatem vero excellentiæ,quam requirit cathedra Pontificalis,nullus poteſt ſe ſcire habere.

Sed iſtæ rationes propoſitum non concludunt. quamuis enim in Cathedra magiſtrali nõ recipiatur eminentia poteſtatis, recipitur tamen eminentia honoris. Non enim dicit Apoſtolus: Nemo aſſumat ſibi poteſtatem, ſed ait: Nullus ſibi aſſumat honorem; ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Dicit E enim Auguſtinus in Epiſtola ad Florentinam: Quoniam neceſſe eſt, vt Doctor habeat ſuperiorem locũ, vbi laborioſum eſt obtinere,ne ſubrepat elatio. Vnde videns ſanctus Propheta in audiendo facillime ſeruari humilitatem,quæ difficilis eſt in docendo, cum dixit: Auditui meo dabis gaudium,& lætitiam: cõtinuo ſubiecit. Exultabunt oſſa humiliata. Nec eſt verum.quod ſcientia non ſit perfectio reſpectu aliorũ: Quamuis enim Doctor non perficiat alios per modum coactionis,vel punitionis: perficit tamen alios per modum doctrinę communicationis. Et quãuis homo poſſit ſe ſcire habere ſcientiam pertinentẽ ad ſalutem ſuam, & aliorum; qualiter tamen ad ſalutẽ aliorum poſſit adminiſtrare, nullus poteſt perfectè ſcire. Dicit enim Auguſtinus in Epiſtola ad Valeriũ: F Audeo enim dicere, ſcire me, & plena fide retinere, quid pertineat ad ſalutem noſtram: ſed hoc ipſum quomodo miniſtrem ad ſalutem aliorum, non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant, ignoro. Puto ergo eſſe dicendum, quòd ſicut Prælatura Eccleſiaſtica indecenter procuratur, ſic & Magiſterium propter illa,quæ vtrique annectuntur.

Tom. 2. Epiſtol. 152.

Pſal. 50.

Tom. 2. Epiſtol. 148.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Apoſtolus non recepit Magiſterium ab homine, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti, ſicut ipſe dicit ad Gal. 1.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſcientia iuſtè cõcupiſcitur, ſed cum periculo docetur. Dicit enim G Auguſtinus in Ioan. quòd doctrina quælibet tutius auditur, quàm doceatur: & ideo propter periculum, quod in ea incurritur, ſeu recipitur, & propter honorem, qui ſibi annectitur, & propter gloriam, quæ in ipſa quandoque appetitur, Magiſterium indecenter procuratur.

Tomo 9. Tract. 57.

AD tertium eſt dicendum, quòd quamuis facultas communicandi ſcientiam, quæ in Magiſterio cõfertur, ſit res licita; tamen, quia (vt dicit Auguſt.) qualiter communicetur ad ſalutem aliorum, vt ſalui fiant, ignoratur: nec homo ad hoc idoneum ſe debet reputare, aliter incurreret notam ſuperbiæ. Ideo per ſe non debet petere, nec procurare.

Tom. 2. Epiſtol. 148.



QVAEST. XLVIII. DE DISPENSATIONE PRIMI PRAECEPTI.

P*OST hac conſiderandum eſt, de Poteſtate Papa reſpectu actus diſpenſationis.*
Et primo de diſpenſatione præceptorum.
Secundo de diſpenſatione Sacramẽtorum.
Tertio de diſpenſatione articulorum.
Quarto de diſpenſatione legum, & canonum Sanctorum. Circa primum Decem ſunt conſideranda, ſecundum quòd decem ſunt præcepta.

Quantum ergo ad diſpenſationem primi præcepti quæruntur quatuor.

P*RIMO, Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum Dæmonum conſultoribus, qui plures Deos colunt.*
Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum Aſtrologis, & Planetarijs, qui plures Deos colunt.
Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum ſortilegis & maleficis: qui vnum Deum non adorant.
Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum Idolatris, qui vnum Deum non colunt.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare cum Dæmonũ conſultoribus.

S. Thomas 2.2. quæſt. 95. art. 4. Alfonſus Caſtrus lib. 1. cap. 14. de iuſta hæret. punit. Ambroſius de Vignate tract. de hæret. quæſt. 7. Et quatenus in primo argumento agit Auctor de ſuſcitatione animæ Samuelis p Phythoniſſam vide S. Auguſtinum lib. 2. de mirabilibus Sacræ ſcripturæ cap. 11. Tomo 3. & in quæſtionibus ad Simplicianum lib. 2. quæſt. 3. Tomo 4. & cap. nec mirum. 5. præterea quidam 26. quæſt. 5. & doctores theologos ſuper 46. cap. Eccleſiaſtici. Adde Philaſtrium in catalogo hæreſeon, vbi agens de hæreſi de Phytoniſſa non obſcure videtur reſferre inter hæreſes eorum aſſertionem, qui dicebant piam ſanctamque Samuelis animam ab impia anima Phytoniſſæ fuiſſe excitatam. vide etiam Doctorẽ ipſum Triumphum in ſuo Cõtra Diuinatores, & Somniatores tractatu.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare cum dæmonum conſultoribus: quia Papa diſpenſare poteſt in illis, quæ Sancti Prophetæ fecerunt, ſed ſcribitur 1. Reg. 28. Quia Samuel Propheta ad inuocationem Phythoniſſæ cõ-
A ſulentis eum, apparuit Sauli dicens: Cras tu, & filij tui mecum eritis.

2 Præterea: Scribitur in legenda ſancti Iacobi, q ad preces Apoſtoli dæmones ligauerunt Hermogenem, & ligatum poſuerunt eum ante ipſum. Si ergo licitum fuit Apoſtolis vti auxilio dæmonum, poteſt Papa in hoc diſpenſare.

3 Præterea: In his, quæ acta ſunt per Chriſtum, Papa nõ ſolum poteſt diſpenſare, immo tenetur ipſe imitari: ſed Marci 5. ſcribitur, quòd Chriſtus interrogauit à Dæmone: Quod tibi nomen eſt? Qui reſpondit: Legio: multi enim ſumus. Si ergo licitum
B eſt de aliquo occulto Dæmonem interrogare, & conſulere, poteſt Papa in hoc diſpenſare.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa non poteſt diſpenſare contra præceptum legis. Sed ſcribitur Deuter. 18. Non inueniatur in te, qui conſulat Phythones, & diuinos, & qui quærat à mortuis veritatem.

RESOLVTIO.

Sicut diſpenſari non poteſt, quod homo colat plures Deos, ſic Papa diſpenſandi poteſtatem non habet
C *cum Dæmonum conſultoribus, & inuocatoribus, quia illis magica arte per inuocationem, pactionem, & confœderationem vtantur.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Dæmonum inuocatores, & conſultores faciunt contra primum præceptum: Non habebis Deos alienos; propter duo. Primo, quia quilibet fidelis in baptiſmo fidelitatem promittit Deo, renunciando diabolo, & omnibus pompis eius. Si ergo poſt præſtitum iuramentum fidelitatis, Dæmonem in ſuum auxiliũ, &
D fauorem inuocat: ipſo facto inuenitur proditor, & fidei promiſſæ fractor. Secundo, quia conſiliũ eſt pars prouidentiæ, ut dicit Philoſophus 3. Ethi. cum Cap. 3.
ergo idem ſit rei productor, & prouiſor, vt dicit Damaſc. 2. lib. cap. 29. Eo ipſo, quòd quis dæmones cõſulit, faciendo eos ſui, & ſuorum actuum prouiſores: quodam pacto tacito, vel expreſſo manifeſtè profitetur eos eſſe ſui, & ſuorum actuum productores, & creatores. Et per hunc modum determinat Tomo 5.
iſtam quæſtionem Auguſt. in lib. de 10. Cordis, cap. 3. Vbi ſic ait: Dicit tibi diuina lex: vnus eſt Deus tuus: vnum Deum cole: & tu vis, dimiſſo vno Deo, tamquam legitimo animæ viro, fornicari per multa dæmonia: & quod grauius eſt, non quaſi apertè

deferens,

deſerens, ſicut apoſtatæ faciunt, ſed tamquam manens in domo viri tui, admittis adulteros, cum conſulis Mathematicos, aut Aruſpices, aut Augures, aut Maleficos.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſt. in quęſtionibus ad Simplicianum qō. 3. faciliter ſoluitur argumentum ſi credamus non Lib. 2. ſpiritum Samuelis à ſua requie fuiſſe excitatum, ſed aliquod phantaſma per imaginariam diaboli illuſionem Sauli, & Phytoniſſæ fuiſſe præſentatum: nominatus eſt tamen Samuel, quia imagines rerum nominibus rerum conſueuimus appellare. Aliam tamen ſolutionem dat ibi Aug. dicens, nullum eſſe inconueniens, ſi dicamus realiter ſanctum Prophetam ad inuocationem Phytoniſſæ apparuiſſe Sauli, eum diuina ſententia percuſſurum: quia filius Dei permiſit ſe à diabolo tentari, & abſque diminutione poteſtatis ſuæ à Iudæis tamquàm à membris diaboli illudi, capi, crucifigi, & interfici.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ conſulere diabolum ſuper aliquo occulto, dupliciter poteſt intelligi. Primo, per diuinæ poteſtatis coactionem: & ſic Chriſtus, & alij Sancti viri virtute eius poſſunt à dæmone, imperando, aliqua perquirere, & rebelles fidei per eos, tāquam per inimicos Reipublicæ corrigere: ſecundum quem modum Chriſtus dæmonem interrogauit: & Apoſtolus Hermogenem Philoſophum ad fidem reuocauit. Secundo, per ipſorum dæmonum Magica arte inuocationem, & per eorū G pactionem, & per confœderationem, ſecundum quem modum non poteſt cadere diſpenſatio ſuper dæmonum conſultoribus, & inuocatoribus: ſicut non poteſt cadere diſpenſatio, quòd homo colat plures Deos.

AD tertium patet reſponſio per ea, quæ dicta ſunt ad ſecundum argumentum.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare cum Aſtrologis, & Planetarijs, qui plures Deos ponūt.

S. Thomas 2.2. q.95.art.5. & Hoſtienſis in c. 2. extra de Sortilegis.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare cum Aſtrologis, & Planetarijs, qui plures Deos adorant. Quia quod deſeruit vtilitati humanæ, diſpenſabile eſt: ſed Aſtrologia maximè deſeruit humanæ vtilitati: unde ſuper illo verbo Gen. 1. Fiant luminaria in firmamento cœli: & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: dicit gloſſa, ꝙ per luminaria cœli aſtrorum iudicio diſcernuntur dies artifi- E ciales, & naturales: & anni Solares, & Lunares.

2 Præterea: Papa poteſt diſpenſare in eo, quod eſt vtile ad intelligendam ſacram Scripturam: ſed vt dicit Aug. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 16. Omnes Tome 3. Mathematicæ ſcientiæ vtiles ſunt ad intelligendam ſacram Scripturam: inter quas Aſtrologia numeratur.

3 Præterea: Aſtrologia ponitur inter artes liberales: ſed tales abſq; peccato poſſunt ſciri. Ergo in eis Papa poteſt diſpenſare.

IN CONTRARIVM eſt. Quia quod eſt damnatum per Eccleſiam, non eſt diſpenſabile. Sed Aug. dicit 4. lib. confeſſ. c. 3. Illos Planetarios, quos Mathematicos uocant, planè conſulere non deſiſtebam: quod tamen Chriſtiana, & vera pietas conſe- F quenter repellit, & damnat.

RESOLVTIO.

Cum vnus Deus ſit colendus Super Aſtrologis, & planetarijs, contra illud praeceptum facientes alium quam verum Deum rectorem animarum noſtrarum conſtituendo, noſtram operationem à Dei ſeruitio ſubtrahendo, & quod proprium Dei eſt creaturis tribuendo, Papa diſpenſare non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd Aſtrologi, & omnes diuinatores tripliciter faciunt cōtra iſtud præceptum: Non habebis Deos alienos coram me.

G Primo. Quia ipſi aliud, quàm verum Deū Rectorem animarum noſtrarum conſtituunt. Si enim corpora cœleſtia (vt dicunt) habent neceſſariam influentiā in animæ noſtræ operatione, oportet quod habeant neceſſariam influentiam in eius productione, cum operatio ſequatur ſubſtantiam, & naturam rei: & ſic ipſis ſtellis, & corporibus ſupercœleſtibus honorem diuinum tenemur exhibere, quod fuit error antiquorum Gentilium, qui Solem, & Lunam, Deut. 4. & alias Stellas pro Dijs adorabant. Vnde Moyſes prohibuit Iudæis, ne oculos eorum in cœlum leuarent: ne Solem, & Lunam, & alia corpora cœleſtia inducerentur ad adorandum.

Secundo. Quia noſtra opera à grato Dei ſeruitio, & magnificentia ſubtrahunt. Si namque orti, & nati H ſub diuerſis conſtellationibus coguntur neceſſaria talia opera exercere, vt dicunt, noſtra opera tamquam coacta, & violenta Deo grata, & accepta non eſſent: nec digna laude, nec vituperio, ſicut nec opera animalium brutorum. Vnde dicit Aug. 2 de Doctrina Tome 5. Chriſtiana, cap. 21. Tantum malum incurrit, qui Aſtrologos ſuper ſuis agendis conſulit, quia ad ipſos ingreditur liber, & data pecunia ab eis reuertitur ſeruus: cum eum ponunt ſeruum eſſe Veneris, Mercurij, ſeu alterius Stellæ, ſub cuius influentia, & dominio ponunt eum natum: quod tamen falſum con Notandũ. uincitur. quia Iacob, & Eſau gemini in vtero matris ſub vna conſtellatione orti ſunt, & tamen vni proſpera, & alteri diuerſa euenerunt. Fornicatores etiam animarum hominum conſtituuntur: quia opera eorū à Dei reuerentia, & magnificētia ſubtrahūt.

Tertio.

Tertio. Quia quod Dei proprium eſt, creaturis tribuunt. Nam ſcire futura, & futurorum euentus præſentialiter cognoſcere proprium eſt ei, cui omnia nuda ſunt & aperta. Vnde ſcribitur Iſa. 41. Nunciate quæ futura ſunt nobis in futurum, & ſciemus, quia Dij eſtis vos. Pronunciare ergo, quid futurum eueniat homini ſecundum illa, quæ ſubiacent libero arbitrio, & aliquorum corporum impreſſione eſt ſubripere quod Dei propriū eſt, & creaturæ tribuere. Sicut ergo non cadit diſpenſatio, q̀ alius Deus colatur niſi vnus, qui eſt Creator, & Gubernator animarum hominum: ita non cadit diſpenſatio cum Aſtrologis, & Planetarijs.

Ad Argumenta.

A D PRIMVM ergo eſt dicendum, q̀ Aſtrologia deſeruiens humanæ vtilitati non eſt prohibita, & verum eſt q̀ glo. illa dicit per luminaria cœli cognoſci ſigna tempora, & annos. Ponunt enim Aſtrologi, quòd circulus ille, quem Sol deſcribit proprio motu, poteſt diuidi tripliciter. Primo in 12. partes: ſecundo in 4. partes: tertio vt conſideratur ſecundū ſe totus. Primo modo Sol facit 12. menſes, & peragit 12. ſigna Zodiaci: quia in Martio dicitur eſſe Sol in ſigno Arietis: in Aprili in ſigno Tauri: & ſic de alijs. Secundo modo Sol facit 4. tempora, vt Ver, quod eſt calidum, & humidum: Eſtatem, quæ eſt calida & ſicca: & Autumnum, qui eſt frigidus, & ſiccus: & hyemem, quæ eſt frigida, & humida: Sed tertio modo, vt circulatio conſideratur ſecundum ſe tota, facit annum, & tot annos facit, quot circulationes complet.

A D ſecundum eſt dicendum, q̀ verum eſt ſcientias Mathematicas facere ad intellectionē ſacræ Scripturæ, pro tanto q̀ homines circa effectus corporales vtuntur motu cœleſtium corporum: ſicut agricolæ † ſeminant, & metunt ordinato tempore, & nautæ nauigationem vitant in plenilunio, vel in Lunæ defectu. Medici ſimiliter circa ægritudines certos dies obſeruant, qui ſecundum curſum Solis, & Lunæ determinantur, vt ipſi dicunt: Aſtrologiam ergo ſecundum prædictas obſeruantias ſacra Scriptura nō damnat. Sed illa, quæ ex voluntate hominis dependent: qualia ſunt omnia humana opera, ex neceſſitate Aſtris ſubduntur, ſacra Scriptura condemnat, & prohibet.

† Vide regulam 9. præfixam indici librorū prohibitorū authoritate Pij 4. Pōtificis Max.

A D tertium eſt dicendum, quòd Aſtrologia inter artes liberales computatur: eo quòd Filij Gentilium liberorum, & nobiliū talibus ſcientijs imbuebantur, eo quòd Gentiles nimis erant curioſi in aſpectu cœli, vt numquam inciperent aliqua opera, niſi conſiderato, & numerato gradu ſyderum: ſed exempla Gentilium nō ſunt conuertenda ad Religionem Chriſtianorum.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare cum Sacrilegis, & Maleficis, qui vnū Deum non colunt.

S. Thom. 2. 2. q. 95. ar. 8. Gratianus 26. q. 5. per totam quæſtionem, & ibidem Canoniſtæ.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, q̀ Papa poſſit diſpenſare cū Sacrilegis, & Maleficis, qui vnum Deum non colunt. quia quod conceſſum eſt Apoſtolis vti, Papa poteſt in eo diſpenſare. Sed Apoſtoli vſi ſunt ſortibus, ſicut patet Actuum 1. & Danielis 14. ſcribitur, q̀ ipſe interfecit Draconē ponendo in os eius eſcas confectas ex adipe, & pice, & pilis: & ſic maleficio fuit vſus (vt videtur) ad interfectionem Draconis.

2 Præterea: In eo, quod eſt vtile ſcire, & bonum, Papa poteſt diſpenſare: Sed vtile eſt ſcire occultam veritatem quocunque modo. Ergo Papa cum talibus poteſt diſpenſare.

3 Præterea: Per eadem vnumquodque generatur, & corrumpitur: Sed per Sortiarios, & Maleficos multa mala fiunt. Ergo Papa poteſt diſpenſare, ut per illa, maleficia remoueantur.

I N CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 26. q. 5. cap. Sortes. Vbi Leo Papa ſcribens Epiſcopis Britāniæ ita dicit: Sortes, quibus cuncta vos veſtris diſcriminatis Prouincijs: quas Patres damnauerunt, nihil aliud, quàm diuinationes, & maleficia eſſe decernimus.

RESOLVTIO

Diſpenſatio cum Sacrilegis, & Maleficis vnum Deum non colentibus diſpenſari à Papa non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd Auguſt. 2. lib. cap. 20. de Doctrina Chriſtiana, hanc dubitationem diligenter pertractat; oſtēdens Sacrilegos, Faſcinatores, & vniuerſaliter Maleficos directè facere contra primum præceptum: Vnum Deum adorabis, & non habebis plures Deos coram me; quod idem eſt: quia in negatione intelligitur affirmatio propter duo. Primo quidem: quia ōmnes tales honorem latriæ debitum Deo, creaturæ impendunt: omnia enim ſortilegia, & maleficia quaſi fiunt per quaſdam oblationes, & per ſacrificia quædam: Vnde aliqui ſuper prædicta faciunt dici Miſſas: aliqui vero Euangelium, vel Pater noſter, aut aliquod tale. & planum eſt, q̀ oblationes, & ſacrificia non debent offerri niſi ſoli Deo. Quamuis enim ſecundum Aug. 10. de Ciuit. Dei. cap. 4. De diuinis honoribus multa ſubtracta ſint: ſacrificium tamen numquā aliquis cenſuit eſſe offerendum, niſi ſoli Deo. q̀ ergo talibus ſuperſtitionibus humana, & diabolica procuratione

Tomo 3.

Tomo 5.

tione Iuuentis exhibeatur, ſine peccato eſſe non pōt. Secundo: quia tales colunt dæmones, quos colēdo, non colunt vnum Deum verum. Nam, vt dicit Apoſtolus 1 Cor. 10. Non poteſtis menſæ domini participes eſſe: & menſæ dęmoniorum. Quod autē omnes tales Malefici, & Sortilegi, & Faſcinatores, & ſignorum quorundam obſeruatores dæmones colāt expreſſe, dicit Auguſt. ſupradicto libro de Doctrina Chriſtiana, cap. 22. vbi ait, quòd omnes tales pacta quædam cum dæmonibus placita, atque fœderata faciunt. Ad hoc genus pertinent libri Magicarum artium: libri Aruſpicum, & Augurum, cap. 20. Omnes ligaturæ, atque remedia quibuſdam præcantationibus, ac quibuſdam * nodis, vel caracteribus præſignata, ſiue in quibuſdam rebus collo ſuſpendēdis, vel alligandis, ſeu ſaltandis, ad iſtud genus ſimiliter (vt ait) pertinent omnes obſeruationes ſignorum: vt ſi oculorum, vel membrorum aliquod ſaliat, ſi cū homo ſe calciat, ſternutauerit: ſi cum domum exijt, limen calcauerit: ſi cum caligas à Soricibus corroſas inuenerit: in omnibus enim talibus homines diabolica fraude decepti conſueuerunt timere ſignum futuri mali plus, quàm præſens damnum. Vnde commendat ibi dictum Catonis, qui cum eſſet conſultus à quodam quod arduum ſignificaret, ꝙ caligę eius à Soricibus eſſent corroſæ; Reſpondit: ego nullum arduum ſignum puto, quòd caligæ ſint corroſæ à Soricibus; ſed ſi caligę corroſiſſent Sorices, hoc magnum ſignum reputarem.

Tomo 3.

Vide c. Nec mirum 26. q6.5.

* al. notis.

Notandum Catonis dictum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, quòd cum ſit triplex ſors: diuinatoria, conſultoria, & diuiſoria; quamuis diuinatoria ſit prohibita propter idololatriam, quæ ibi committitur; non eſt tamen diſpenſandum in ſorte cōſultoria, vel diuiſoria propter peccatum, quòd ibi quandoq; incurritur multis modis. Primo, ſi abſque aliqua neceſſitate homo putet per ſortem ad diuinum auxilium eſſe recurrendum. Secundo, ſi abſque debita deuotione, & reuerentia quis putaret per ſortes diuinum auxilium eſſe implorandum. Tertio, ſi diuinum miraculum ad humana & ſęcularia negocia quis crederet per ſortes eſſe conuertendum. Quarto, ſi aliquod, quod eſt per diuinam inſpirationem faciendum, quis crederet, ſorti eſſe committendum: Daniel vero non interfecit Draconem magicæ artis maleficio, ſed Dei * potentis auxilio.

* al. potius.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet ſcire occultam veritatem poſſit eſſe vtile, & bonum: modus tamen ſciendi, ex quo malus eſt, non poteſt inde actus bonus, & virtuoſus produci: maximè quia vtilitas tēporalis non poteſt comparari detrimento ſpiritualis ſalutis, quam homo incurrit ex indebito modo ſciēdi illud, quod occultum eſt.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſcribitur 33. quæſtione 1. c. Si per ſortiarias. Si per ſortiarias, & maleficas artes, occulto Dei iudicio permittente, maleficia ſubſequuntur: hortandi ſunt illi, in quibus iſta eueniunt, vt per exorciſmos, ac cętera Eccleſiaſtica medicinæ munera curentur: aliter † non eſt diſpenſandum ſuper curatione ipſorum. quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona: vt dicit Apoſtolus, Rom. 3.

† Hęc ſententia eſt vera, & omnino tenenda de qua doctores li. 4. ſen. diſtin 34 & Syluester in ſumma verbo Maleficium. q. 8.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare cum Idolatris, qui vnum Deum non colunt.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 94. per totum.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſsit diſpenſare cum idolatris, qui vnum Deum non colunt: quia idolatria eſt adorare imagines, ſculptilia, & omnem ſimilitudinem. prohibetur enim adoratio talium in primo præcepto: ſicut patet Exo. 20. Sed Papa diſpenſat in adoratione imaginum Chriſti, & Sanctorum. Ergo poteſt cum idolatris diſpenſare.

2 Præterea: Aug. dicit in lib. de vera religione, ꝙ Deus colitur Fide, Spe, & Charitate: ſed quādoq. aliquis exhibet honorem debitum Deo ipſi creaturæ ſolo verbo: Dicit enim Aug. 14. de Ciuitate Dei, c. 21. non eſſe credendum, ꝙ Salomon, qui diuina ſapiētia erat præditus, aliquid diuinitatis crederet eſſe in illis idolis, quæ adorabat ad petitionem mulierum: ſed ſolo ſigno exteriori agebat, quod in eius mente non credebat eſſe faciendum. Ergo Papa in tali idolatria poteſt diſpenſare.

Tomo 1.

Tomo 5.

3 Præterea: Scribitur 1. Reg. 15. quòd idolatria eſt, ſuperiori non obedire: cum igitur vnus homo, & vnus Angelus ſit ſuperior alio; & Papa diſpēſare poſſit quòd honor, & reuerētia per aliquem inferiorem ſuperiori non exhibeatur, ſequitur propoſitū, quòd Papa poteſt diſpenſare ſuper idolatria.

In Contrarium eſt. Quia Papa nō poteſt diſpenſare in eo, qđ Apoſtolus mandat eſſe fugiendum: ſed ſcribitur 1. Corin. 10. Fugite ab idolorum cultura, neque idolatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis.

RESOLVTIO.

Diſpenſatio cum Idolatris vnum Deum non colentibus à Papa dari non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd idolatria eſt, cum bonum creatum adoratur, vel colitur, vt Deus. Sunt autem tria genera bonorum creatorum: ſcilicet delectabilia, ſeu carnalia: vtilia: & honorabilia. Circa quæ triplex idolatria committi poteſt: Nam nimium diligētes carnalia, vt filios, vel vxores colentes talia pro Dijs, directè faciunt contra primum præceptum, quo præcipitur, vnum ſolum Deum coli. Vnde Sap. 14. ſcribitur: Acerbo luctu

dolens

dolens pater cito ſibi rapti filij fecit imaginem, & eum, qui quaſi homo mortuus fuerat, tamquàm Deum colere cœpit. quod quidem fuit principium totius idolatriæ, vt ibidem ſubditur. Nimium vero diligentes bonum vtile, vt aurum, vel pecuniam colentes talia pro Dijs, rectè faciunt contra primum præceptum, quo præcipitur vnum ſolum Deũ adorari. Vnde Apoſtolus de auaritia loquens ad Ephe. 5. dicit, quòd eſt idolorum ſeruitus. Sed nimium diligentes bonum honorabile volentes ſe pro Dijs coli, & adorari, ſimiliter faciunt contra primum præceptũ. Similiter Pharao, & Nabuchodonoſor preceperũt ſe pro Dijs adorari, & coli. Vnde in perſona Regis Tyri ſcribitur Ezechielis 28. Eleuatũ eſt cor tuum, & dixiſti: Ego ſum Deus, & in cathedra Dei ſedi in corde maris: cum ſis homo, & non Deus. cũ talibus ergo idolatris Papa diſpenſare non poteſt. ſicut non poteſt diſpenſare contra primum præceptũ, quo præcipitur, ꝙ vnus Deus adoretur, & colatur.

Ad Argumenta.

† Conradus Brunus de imaginibus c. 18. 19. & 30.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, † quòd imaginum adoratio prohibetur in primo præcepto, vt res quædam creata eſt, non vt ſunt ſigna rerũ adorabilium. non enim adorãtur imagines, vt terminus ad quem, ſed vt terminus à quo.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ differentia eſt inter idolatriam, & infidelitatem. Si enim aliquis honorem debitum Deo impendat creaturis, credendo in eis eſſe aliquid diuinitatis, infidelis eſt; Et peccatum idolatriæ committit. Si vero in eo aliquid diuinitatis eſſe non credat, non cenſetur infidelis: non tamen excuſatur à peccato idolatriæ, nec à tranſgreſſione primi præcepti: quia ſicut Deus præcepit ſe interius coli, & exterius adorari; ita præcepit nihil aliud præter ſe interius eſſe colendum, vt Deus, & exterius adorandum. Vnde ſuper illo verbo Exo 20. Non adorabis ea, neq; coles: dicit gloſſa, quod aliud eſt colere, & aliud adorare. Nam poteſt quis inuitus adorare, vel amore adulationis, vel timore tormentorum: cum ſciat, & verè credat corde, ꝙ idolum nihil eſt. Sed colere eſt toto affectu, & ſtudio idolis ſe mancipare. nec ergo affectu interiori colere, nec exterius ſigno aliquo adorare præcipitur, niſi vnum Deum.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſuperiori creaturæ debetur reuerentia: non tamen illa, quæ eſt latriæ per oblationem ſacrificij: quia talis debetur ſoli Deo, corde credendo, & opere exterius exhibendo: vtrumque enim clauditur in primo præcepto.

QVAEST. XLIX. DE DISPENSATIONE SECVNDI PRAECEPTI.

Deinde videndum eſt de diſpenſatione ſecundi præcepti. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit in iuramento diſpenſare.

Secundo, Vtrum præter Papam aliquis poſſit in iuramento diſpenſare.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in voto continentiæ, iuramento ſolennizato.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum iurãtibus per idola, qui nomen Dei in vanum aſſumunt.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT in iuramento diſpenſare.

S. Thom. 2. 2. quæſt. 89. art. 9. & ibidem Caietanus.

Ad primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa in iuramento diſpenſare non poteſt. dicit enim Auguſt. in lib. de x. Chordis cap. 3. Quod ille nomen Dei in vanum accipit, qui exiſtimat Chriſtum eſſe creaturam, cum ipſe ſit æqualis Patri, & vnus cum Patre. Sed Papa non poteſt in hoc diſpenſare, quòd Chriſtus credatur eſſe creatura. Ergo non poteſt diſpenſare in iuramento.

Tomo 9.

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare in iuramento aſſertorio de præſenti, vel præterito: ſicut nõ poteſt diſpenſare cum aliquo, quòd de præſenti, vel de præterito iuret contra veritatem. Non ergo poteſt diſpenſare in iuramento promiſſorio de futuro, vt quòd quis non faciat eſſe verum illud, quod iuramẽto in futurum promiſit.

3 Præterea: In iuramento diſpenſatur, quando illud, quod iuratur, nõ impletur. Sed in hoc nomẽ Dei in vanũ aſſumitur, in quo Papa diſpẽſare nõ poteſt.

In Contrarivm eſt illud, quod ſcribitur extra de elect. c. Venerabilem. Vbi habetur, ꝙ vtrum iuramentum licitum ſit, aut illicitum: & vtrũ ſeruandum, aut non ſeruandum; nemo ſanæ mentis ignorat ad iudicium noſtrum pertinere.

RESOLVTIO.

Iuramentum materialiter ſumptum, vt illud, quod iuratur, in iuramento non includatur, à Papa diſpenſari

ſari poteſt: ſi vero formaliter ſumatur, quo ſex modis nomen Dei in vanum aſſumi poteſt, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd Papam in iuramento poſſe diſpenſare, dupliciter poteſt intelligi. Primo formaliter, vt ꝙ nomen Dei in vanum aſſumatur. Secundo materialiter, vt quod iuratur, in iuramento non includatur. primo modo non poteſt diſpenſare, quòd nomē Dei in vanum aſſumatur: quod ſic patet. Aſſumitur autem ad præſens nomen Dei in vanum ſex modis. Primo, cum ad laudem Dei non pronunciatur. vnde hypocritæ, & ſimulatores in vanum nomen Dei aſſumunt. Secundo, cum aduerſarius nominis Chriſti inuocatur: Ideo dæmonum inuocatores aſſumunt nomen Dei in vanum. Tertio, cum nomen Dei blaſphematur: Blaſphematores ergo nomen Dei in vanū aſſumunt. Quarto, cum quis falſum teſtificatur: vnde falſitatis aſſertores in vanum aſſumunt nomen Dei. Quinto, cum inutile, & non neceſſarium iuratur: Ideo ſine cauſa iurantes, nomen Dei in vanum aſſumunt. Sexto, cum iuſtitia, vel iudicium, vel iuramentū non ſeruatur. Omnibus iſtis ſex modis iuramentum eſt indiſpenſabile: quia diſpenſari non poteſt, vt aliquo iſtorum modorum nomē Dei in vanum aſſumatur. Sed ſecundo modo materialiter, vt illud, quod iuratur, ſub iuramento non includatur, Papa poteſt diſpenſare. Poteſt enim homo tale quid iurare, quod repugnat iuſtitiæ æquitati, vt ſi quis iurat male agere: Puta hominem velle occidere, vel adulterari: Vel quod eſt boni impeditiuum, & contra Charitatem; vt Religionem non intrare. Quandoque vero repugnat iudicio diſcretionis, & deliberationis maturitati. & ſic omnia iuramenta, quæ dubia ſunt, an ſint licita, vel illicita, & an expedientia, vel non expedientia: quæ incauta vocantur; ſunt diſpenſabilia. Quandoque vero repugnat teſtificandæ veritati, ad cuius aſſertionem iuramentum inducitur: & ſic falſum iuramentum eſt diſpenſabile. Quandoque etiam repugnat ſuperioris poteſtati: & ſic, cum puella ſit ſub poteſtate patris; & vxor ſub poteſtate viri; iuramentū factum ſine eorum conſenſu diſpenſabile eſt. Sed quandoque repugnat Reipublicæ vtilitati: & ſic cum Papa totius Reipublicæ vtilitatem, & communitatem habeat videre, conſiderare, & diſpenſare; ideo omnia iuramenta cōtraria Reipublicæ vtilitati per eum diſpenſabilia ſunt. Et per hoc patet ſolutio ad rationes in oppoſitum factas.

ARTICVLVS II.

VTR. ALIQVIS PRAETER Papā poſſit in iuramento diſpēſare.

S. Thom. in præcedenti articulo citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd præter Papam aliquis poſſit in iuramento diſpenſare. quia iuramentū aliquod poteſt eſſe aſſertorium, & aliquod promiſſorium:

E ſed quilibet, cui fit promiſſio, poteſt in iuramento promiſſorio diſpenſare. Ergo pari ratione in quolibet iuramento.

2 Præterea: Epiſcopus poteſt in omni voto diſpēſare exceptis quibuſdam, quorum diſpenſationem Papa ſibi ſeruat. Ergo eodem modo poteſt diſpenſare in omni iuramento.

3 Præterea: Iuramentum continetur ſub præceptis primæ tabulæ, in quibus non poteſt diſpēſare; nec Deus, nec homo ſecundum Bernardum. Si ergo Papa poteſt diſpenſare in iuramento, pari forma poteſt quilibet alius.

IN CONTRARIVM eſt. Quia ſi Epiſcopus poteſt diſpenſare in iuramento, multo magis poteſt diſpenſare in homicidio. ſed diſpenſare in homi-
F cidio, interdicitur Epiſcopis ſicut patet 50. diſt. cap. Miror. Ergo intelligitur ſibi eſſe interdicta diſpenſatio iuramenti.

RESOLVTIO

Iuramenti diſpenſatio ſecundum Reipublicę vtilitatem, ſubditorum vniuerſalitatem, & ius reſtringendi, ampliandiq. poteſtatem, ſoli Papę reſeruatur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ adminiſtratio Papalis tria includit. Primo, totius Reipublicæ vtilitatem. habet enim prouiderē vtilitati non ſolum vnius hominis, vel vnius populi, imo totius mundi. Eſt enim Vicarius Chriſti, qui ſecūdum Au-
G guſtinum In de verā Religione, non ſolum vni homi- Tomo 1.
ni, ſed etiam toti humano generi conſulit, quid agendum. Secundo, includit ſubditorum vniuerſalitatem: quia non eſt, qui ſe poſſit abſcondere à iuriſdictione eius: ſicut enim extra Eccleſiam non eſt ſalus: ſic omnes volentes conſequi vitam æternam tenentur eius mandato parere. Tertio includit ius ampliandi, & reſtringendi poteſtatem. poteſt enim reſtringere ius, vel ampliare, vel relaxare, vel diſpenſare ſecundum varietatem negociorum occurrentiū. Secundum ergo iſta tria vniuerſalis diſpenſatio, vel relaxatio iuramenti ſoli Papæ reſeruatur.

Ad Argumenta.

H AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ aliquis poteſt accipere promiſſionem aliquām iuramēto firmatam dupliciter.

Primo, in perſona ſui, & pro ſua vtilitate: vt ſiquis promittat alicui pecuniam dandum vſque ad tale tempus, & iuramento firmat; poteſt ille, cui facta eſt talis promiſſio in tali iuramento, diſpenſare, & iurantem abſoluere: quia promiſſum intelligitur implere: ex quo facit ſecundum voluntatem eius.

Secundo, in perſona alterius: & hoc, vel pro Dei honore, & reuerentia, vt cum quis per iuramentum promittit Religionem intrare. Vel pro Reipublicę fideli diligentia, ſicut executores Reipublicæ faciunt iurare eorum miniſtros, vt iniuncta eis officia fideliter exequantur. Vel pro legis, & ſtatutorum factorū per Communitatem, obſeruationis euidentia: vt ſta-

tuta facta, & ſcripta debeant obſeruare: & ſic recipiē-tes iuraméta in perſona aliorum, ut puto, nō poſſunt iurantes abſoluere, nec cum eis diſpenſare.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ aliqua ſunt iuramenta, quæ nulla indigent diſpenſatione, vt quæ repugnant iuſtitiæ, & aliis * omnibus requiſitis in iuramento: vt ſi quis iuret, quòd debeat aliquem occidere. Aliqua vero indigent diſpenſatione particulari: vt ſi aliquid promittatur ſub iuramento, & dubium ſit, vtrum ſit licitum, vel illicitum: proficuum, vel non proficuum, diſpenſatio talis iuramenti permittitur Diœceſano. Sed aliquod iuramentum indiget vniuerſali diſpenſatione: vt ſi aliquid promittatur ſub iuramento, vnle, & proficuum, nec occurrit dubitatio, quin ſit licitum: diſpenſatio in tali iuramento non habet locum̃ niſi aliquid occurrat ad dictam vtilitatem pertinens. quod conſiderare ſolú ad Papam pertinet. ideo vniuerſalis diſpenſatio iuramenti, & voti Papæ relinquitur.

* al. Conditionib*, ſed videtur legendum ita: & aliis communibus requiſitis &c.

A D tertium eſt dicendum, quòd Papam diſpē-ſare in præceptis primæ tabulæ poteſt intelligi dupliciter. Primo, per ipſorum præceptorum tranſgreſſionem. Secundo, per ipſorum tranſgreſſorum abſolutionem. Primo modo Papa non poteſt diſpenſare in præceptis Dei: vt quod alicui liceat Dei mandata tranſgredi, & contra ipſa aliquid agere: Sed ſecundo modo poteſt. quia abſolutionem, & pœnæ taxationem tranſgreſſorum præceptorum Dei in aliquibus caſibus Papa ſibi reſeruat, in aliquibus vero alijs committit.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in voto continentiæ, iuramento ſolennizato.

S. Thom. 2. 2. qō. 88. art. 10. 11. & 12. Et Syluester in ſumma verbo: Votum 4.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poteſt diſpenſare in voto continentiæ, iuramento ſolennizato. Scribitur enim extra de ſtatú Mon. cap. Cum ad monaſterium: Abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo regulæ monachali eſt annexa, vt ſummus Pontifex in ea diſpē-ſare non poſſit.

2 Pręterea: In præceptis Dei Papa diſpenſare nō poteſt: ſed votum continetur ſub diuino præcepto: Dicit enim gloſſa ſuper illud Pſal. Vouete, & reddite domino Deo veſtro; quòd vouere eſt voluntatis, ſed votum reddere eſt præcepti, & neceſſitatis. Ergo votū continentiæ non eſt diſpenſabile per Papam. Pſal. 75.

3 Præterea: In voto ſit obligatio ſuper fidem, qua quis Deo tenetur: ſed in hoc nullus poteſt diſpen-

A ſare, quòd fidem, qua quis Deo tenetur, non ſeruet. Ergo Papa in voto cōtinentiæ diſpenſare non poteſt.

I N C O N T R A R I V M eſt. Quia Papa poteſt diſpenſare in voto paupertatis, & obedientiæ, ſolē-nizato per iuramentum. Ergo poteſt diſpenſare in voto continentiæ.

R E S O L V T I O.

Papa in voto continentia per iuramentum ſolennizato, pro Reipublica vtilitate diſpenſare poteſt. Hoc enim nec iuri diuino, nec naturali aduerſatur.

B R E S P O N D E O, dicendum, quòd in voto continentiæ eſt tria conſiderare. Primo voti commutationem. Secundo voti obligationem. Et tertio voti relaxationem. Et ſecundum hoc tres opiniones ſunt de diſpenſatione voti continentiæ, iuramento ſolennizato. Nam aliqui attendentes ad voti commutationem, dicunt, Summum Pontificem in voto continentiæ diſpenſare non poſſe: quia non inuenitur æquale bonum, quo talis commutatio fieri poſſit: iuxta illud Eccleſiaſtici 26. Omnis ponderatio non eſt condigna animæ continentis. Iſta autem opinio communiter non tenetur: quia multa ſunt alia bona, & multæ aliæ virtutes digniores continentia, potiſſimè obedientia, ſine qua ſecundum Aug. in ſermone de obedientia: Omnes aliæ virtutes nihil valent. Poteſt autem fieri recompenſatio, vel per Tom. 9.

C bonum Reipublicæ, vt cum virgo ſolenniter profeſſa daretur filio Regis, ex quo tota Reſpublica pace gauderet. Vel propter bonum priuatæ perſonæ, vt cum virgo profeſſa daretur Regi infideli, vt ipſe, & populus eius ad fidem conuerterentur. Nam ipſa magis mereretur ex tali copula, quàm ex continentia. Aliqui vero attendentes ad voti Religionē: * (quia per votum obligatur homo, & ſanctificatur Deo: & quod ſemel ſanctificatum eſt, & conſecratum, ſuam ſanctificationem, & conſecrationem dimittere non poteſt) dicunt, quòd in voto continentiæ, quod quidem in quadam conſecratione conſiſtit, qua anima Deo ſanctificatur, Papa diſpenſare non poteſt: potiſſimè quando talis ſanctificatio, & obligatio eſt annexa eſſentialiter voto continentiæ: vt patet in voto Religionis.

* al. obligationem.

D Si vero ſit talis obligatio accidentaliter annexa, ſicut patet in ordinibus ſacris, quibus ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ continentia eſt annexa, Papa poteſt diſpeuſare. Sed nec iſta opinio communiter tenetur, quia qualitercumque quis obliget ſe iuramento, vel voto: ſemper intelligitur, excepta auctoritate Superioris: vt patet de iureiurando, cap. Venientes. Quod autem ſemel ſanctificatum eſt, non poteſt mutari in alios vſus contrarios per diſpenſationem. Poteſt tamen mutari in vſum magis proficuum, in quo ſi non actualiter, ſaltem virtualiter includitur. Aliqui vero attendentes ad voti relaxationem, dicunt, quòd Papa in omni voto diſpenſare poteſt: quia viuere in matrimonio, vel extra: habere temporalia, vel non habere, non contrariantur iuri diuino, vel naturali. Vnde Papa in tali-

bus poteſt diſpenſare, cum videt hoc eſſe expediens pro Reipublicæ vtilitatē, & hanc opinionem puto eſſe veriorem. E

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicēdum, quòd illa decretalis condita eſt per Papā, qui ſibiipſi vel alteri neceſſitatem non poteſt imponere. ibi enim nō poſſe diſpenſare, nō dicit impoſſibilitatem, ſed raritatem, & difficultatem. Raro enim occurrit caſus, in quo Papa diſpenſet in voto continentiæ iuramento ſolemnizato.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ præcepta Dei inducunt creaturam ad ſubiectionem ſui Creatoris: vnde quòd creatura ſuo Creatori non ſubijciatur, nec Deus, nec homo diſpenſare poteſt: verum quia iſta ſubiectio poteſt fieri per copulam coniugalem, & per continentiam regularem, quamuis ſecuriori, & tutiori modo per vnum, quàm per aliud: Papa loco Chriſti, qui habet toti humano generi conſulere, quid expediat ad ſalutem, poteſt vni membro aliquod detrimentum facere pro ſalute totius corporis Eccleſiæ. F

Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA DISPENſare poſſit cum iurantibus per idola, qui nomen Dei in vanum aſſumunt.

Cap. Et iurabunt. Et cap. Mouet te. 22. qō. 1. Et ibi Canoniſtæ, & Syluester in ſumma verbo: Iuramentum 4. quæſt. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare cum iurantibus per idola, qui nomen Dei in vanum aſſumunt. Dicit enim Gratianus 22. qō. 1. ſ. Sed obijcitur, quòd qui iurat per creaturas mendaciter, dupliciter peccat. Primo, quia iurat per quod non licet. Secundo, quia dolo proximum capit. Multo ergo fortius non licet iurare per idola.

2 Præterea: Super illo verbo Matth. 5. Nolite iurare per cœlum, neque per terram, dicit glo. ꝙ paruulis conceſſum eſt iurare per Deum, ne iurarent per creaturas. Cum igitur idolum, per Apoſtolum, nihil ſit, non licebit aliquo modo iurare per idola. [1. Cor. c. 8.]

3 Præterea: Secundum Aug. Epiſt. 154. Quanto enim per quod iuratur eſt magis ſanctum: tanto magis obligat iuramentum. ſed in idolis non eſt aliqua ſanctitas: ergo nulla obligatio. [Tomo 2.]

4 Præterea: Dicit Iuriſconſultus in l. non erit ratum. verſ. Sed ſi quis. ff. de iureiuran. Quòd non valet iuramentum, quod fit per falſos Deos.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 22. q. 1. cap. Mouet te.

RESOLVTIO.

Papa cum iurantibus per idola, Dei nomen in vanum aſſumentibus diſpenſare poteſt quantum ad finē iuramenti: ſed formaliter, non item. Veritas enim nō firmatur, niſi per Deum verum: aut per creaturā non reprobatam: vel per ſcripturam à Deo reuelatam.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Auguſtinus determinat hanc quæſtionem in quadam Epiſtola ad Publicolam, vbi ait: In veteri teſtamento inueniuntur iuramenta facta per falſos Deos, & per idola à Sanctis Patribus eſſe recepta: Sicut Iacob recepit iuramentum Laban, qui iurauit ſibi per Deum ſuum: vt patet Geneſis 31. Et cum Romani firmauerunt pacem cum Machabæis per idola, quæ colebant, & per falſos Deos, intelligendum eſt eos iuraſſe, ſicut Iudæi iurabant per Deum verum. [Epiſt. 154. Tomo 2.]

Sciendum eſt ergo, quòd in iuramento duo ſunt conſideranda. Primum eſt forma iurandi: puta illud, per quod iuratur. Non enim iuratur niſi ad confirmandam veritatem, quam non poteſt confirmare, niſi Deus, qui nec fallit, nec fallitur: Vnde in iuramēto vel nominatur ſola creatura ab ipſo Deo creata, & ſcriptūra ab ipſo inſpirata: vel nominatur Creator, vel ſimul Creator, & creatura. In primo modo Deus confirmat veritatem, mediante creatura. In ſecundo modo immediatè, per ſeipſum. Sed in tertio modo, mediatè, & immediatè. Secundum, quod conſiderandum eſt in iuramento, eſt finis ipſius iuramenti: G puta aſſertio veritatis, quantum ad iuramentum aſſertorium: vel obſeruatio promiſſionis: quantum ad iuramentum promiſſorium. Cum ergo quæritur, an Papa poſſit diſpenſare cum iurantibus per idola, qui nomen Dei in vanum aſſumunt; Dicendum eſt, ꝙ quantum ad formam iuramenti Papa diſpenſare non poteſt, ꝙ per idola iuretur: vel per falſos Deos: quia non poteſt diſpenſare, ꝙ veritas non firmetur niſi per Deum verum, vel per eius creaturam non reprobatam, & per eius ſcripturam ab eo inſpiratam. Idolum autem non eſt aliquid: diabolus autem licet in veritate fuerit creatus: in ea tamen non ſtetit, ſed * in ea mendax effectus eſt, ſed bene poteſt Papa diſpenſare cum iurantibus per idola, quantum ad finē iuramenti, vt ad veritatis aſſertionem, & promiſſionis obſeruationem quis vtatur fide illius, qui per idola iurat, vel per falſos Deos. [* al. ſtatim.] H

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, ꝙ Gratianus loquitur de illo, qui iurat per creaturas, eas nimis venerando, vel nimis contemnendo. Tale enim iuramentum per creaturas factum, reprobatur.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd teſtem eſſe veritatis dubiæ confirmandæ, propriū eſt Dei. Si quis ergo iuraret per creaturas, tribuēdo eis in ſe conſideratis hoc, quod debetur Deo, peccatum eſſet idololatriæ. Sed iurare per creaturas, vt diuina bonitas eſt in eis repræſentata: ſicut cū iuramus per Sanctos: vel vt

diuina

diuina veritas eſt in ea inſpirata, ſicut cum iuramus per Euangelia, vel cum creatura nobis dilecta eſt ipſi Deo quaſi ſubpignorata: iſto modo per creaturam iurare, licitum eſt.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ non vtimur iuramento facto per idola, vel per falſos Deos in eorum ſanctitatis venerationem, ſed in veritatis aſſertionẽ, A vel promiſſionis obſeruationem.

Ad quartum eſt dicendum, quòd Iuriſconſultus loquitur de hominibus, qui ſunt euſdẽ fidei: inter quos planum eſt, ꝙ non valet iuramentum factũ per idola, & per falſos Deos. ſed inter homines, qui ſunt diſparis cultus, tenet iuramentum: quia idẽ finis eſt vtrorumque, licet forma iurandi ſit differens.

QVAEST. L. DE DISPENSATIONE TERTII PRAECEPTI.

NVNC conſiderandum eſt de diſpenſatione tertij præcepti. Circa quod quęruntur ſex.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd dies ſabbati ſeruetur ſecundum ſenſum ſpiritualem, non litteralem.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ dies ſabbati in diem Dominicam ſit mutata.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ in die Dominica fiant ſeruilia opera.

Quarto, Vtrum Papa debeat prohibere ſtrictius opera ſeruilia fieri in die Dominica, quàm fuerint prohibita in die ſabbati.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ in die Dominica fiat forum rerum emptionis, & venditionis.

Sexto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ in die Dominica committatur bellum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd dies ſabbati ſeruetur ſecundum ſenſum ſpiritualem, non litteralem.

S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 5. ad 2. argumentum, & q. 102. art. 4. ad 10. argumentum.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare, ꝙ dies ſabbati ſeruetur ſecundum ſenſum ſpiritualem, nec litteralem. quia præcepta moralia ſecũdum ſenſum moralem non litteralem ſeruanda ſunt: ſed ſabbati obſeruatio inter præcepta moralia continetur. Ergo in hoc Papa diſpenſare non põt.

2 Præterea: Litteraliter in ſabbati obſeruatione ponitur ſanctificatio, & dedicatio ad cultũ Dei. Sed in hoc non cadit diſpenſatio, ꝙ dies ſabbati diuino cultui non ſit dedicata.

B 3 Præterea: Senſus ſpiritualis in obſeruatione ſabbati erat quid figurale ceremoniale. ſed omnia figuralia ceſſauerunt poſt aduentum Chriſti. Ergo Papa non poteſt diſpenſare, ꝙ ſabbatum ſeruetur ſecundũ ſenſum ſpiritualem.

IN CONTRARIVM eſt quod dicit Aug. in lib. de 10. Chordis, cap. 3. Vbi ait: Dicitur tibi, vt ſpiritualiter obſerues ſabbatum, non quomodo Iudæi obſeruabant carnali ocio. Tomo 9.

RESOLVTIO

Diei ſabbati obſeruatio ſecundum ſenſum litteralem, temporisq. determinationem à Papa diſpenſata C *eſt: ſed quantum ad ſenſum ſpiritualem diſpenſari nõ poteſt. obſeruatio vero prędicti diei, quantum ad cuiuslibet operis vacationem, ſeruanda eſt: ita autem vniuerſaliter, ac ita rigidè, non item.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundũ ſenſum litteralem tria includebantur in obſeruatione ſabbati. Primo eius ſanctificatio, & ad cultum Dei deputatio. vnde ſcribitur Exo. 20. Memẽnto, vt diem ſabbati ſanctifices. Secundo, ab omni opere vacatio: vnde ſcribitur Exodi 31. Diem ſabbati cuſtodiatis; quicũque fecerit in eo aliquod opus, morietur, & anima eius peribit de medio populi mei. Tertio, temporis determinatio: quia tale ſabbatum D die ſeptimo hebdomadę ſtatutum fuit cuſtodiendũ: vnde dicitur Exodi 31 Sex diebus fecit Deus cœlũ, & terram: & die ſeptimo ceſſauit ab opere: ſic vos facietis die ſeptima.

Primum ergo iſtorum habuit rationem naturalẽ: Nam ratio naturalis hoc perſuadet, vt homo, quandoque dimiſſis alijs curis, vacet Dei ſeruitio, & intẽtus ſit vitæ contemplatiuæ, præſertim cum homo ſit magis intellectus, quàm ſenſus, ſecundum Philoſophum 9. Ethicorum.

Secundum habuit rationem iudicialem, & conſuetudinalem: Nam Populus Iudæorũ totus erat carnalis: & ideo pro cõſuetudine illius ſtatus per iudicialia præcepta, & pœnas cõminatorias reuocãdus erat à carnalibus operibus, & cultui diuino applicandus.

Sed tertium habuit purè figuralem rationē: quia *realiter tantum valeret, ſi vna dies deputetur cultui diuino, ſicut alia: quamuis ſecundum figurā vna dies poſſet eſſe conuenientior alia. Ergo obſeruare diem Sabbati ſecundum ſenſum ſpiritualem, quantum ad eius ſanctificationem, & cultui diuino deputationē, ſemper, & vniuerſaliter eſt faciendum, nec in hoc per Papam eſt diſpenſandum. Obſeruare vero prædictā diem, quantum ad cuiuſlibet operis vacationem, ſeruandum eſt, licet non ſic vniuerſaliter, nec ſic rigidè, ſicut tunc fiebat. Sed quantum ad temporis determinationem ſeruandum non eſt: quia figuralia, Chriſto adueniente, ceſſauerunt.

* al. literaliter.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q ſicut dicit gloſſa Exodi 31. Quamuis præceptum de Sabbato eſſet de numero præceptorū moraliū, non tamen erat de eis: quia non erat purè morale ſecundum ſe totum. vnde quantum ad illud, quod morale non erat, diſpenſationem recipit.

AD ſecundum eſt dicendum, q Auguſtinus aſſignat duplicem rationem, quare Deus mandauit diē Sabbati eſſe ſanctificandam, & ſuo ſeruitio deputandam. Primo, propter erroris Gentilium improbationem: Voluerunt enim Philoſophi Gentiles probare mundum fuiſſe ab æterno: ad cuius erroris exterminationem mādauit Deus diem Sabbati, ſeu ſeptimā, in qua facta eſt conſummatio vniuerſi, ſemper in memoria haberi. Secundo, propter humanæ cupiditatis repreſſionem: præuidit enim Deus tantam eſſe humanam cupiditatē, vt niſi aliqua dies quietis animæ, & corpori eſſet deputata, homo nec ſibi, nec alijs quietē daret. Ergo non eſt diſpenſatum in diei Sabbati ſanctificatione, ſed ſolū in tēporis determinatione.

AD tertium eſt dicendum, q dies Sabbati ſecundum ſenſum ſpiritualē eſt ſemper ſeruanda. Intelligebatur autem ſpiritualiter per requiem diei Sabbati. Primo, requies Chriſti in Sepulchro ſemper credenda. Secundo, intelligebatur requies animarum, in hac ſeptima ætate, in qua ſumus, ſperanda. Tertio, intelligebatur requies à vitijs, & peccatis cuſtodienda. Spiritualiter ergo ſecundum iſta tria dies Sabbati ſemper eſt ſeruanda. ſed in terminatione diei, quod erat quid figurale, diſpenſatum eſt, &c.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd dies Sabbati in diem Dominicā ſit mutata.

S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. late Albertinus in Rubr. de hæret. lib. 6. q. 12. §. 5. de quinto errore Iudæorum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare, quòd dies Sabbati in diem Dominicam ſit mutata. Quia præcepta primæ tabulæ ſunt indiſpenſabilia, & immutabilia; Sed obſeruatio

E diei Sabbati inter præcepta primę tabulæ numeratur. Ergo nulla auctoritate mutari poteſt.

2 Prętere: Dicit Auguſtinus in lib. de 10. Chordis. cap. 9. Qui obſeruat Sabbatum, interficit beſtiā cupiditatis: ſed nunc in tempore gratię maxime occidenda eſt beſtia cupiditatis. Ergo ſemper Sabbatū eſt ſeruandum.

Tomo 9.

3 Præterea: Quod eſt ſempiternum, mutari non poteſt. ſed ſcribitur Exodi 31. Cuſtodite Sabbatum meum, pactum enim ſempiternum eſt inter me, & Filios veſtros, in generationibus ſuis.

4 Præterea: Dicit Auguſt. † quòd ſi Proconſul mādat vnum, & imperator aliud; Imperatori non Proconſuli eſt obediendum. Sed obſeruatio diei Sabbati eſt ex mandato Dei: obſeruatio vero diei Dominicæ

F eſt ex mandato hominis. Magis ergo Sabbatum, quàm dies Dominica, eſt ſeruandum.

† Id habet B. Auguſtinus Sermone 6 de verbis domini. & refertur in cap Qui reſiſtit. 11. quæſt. 3.

IN CONTRARIVM eſt gloſſa ſuper illo verbo Exodi 31. Videte, vt Sabbatum meum cuſtodiatis: quia ſignum eſt inter me, & vos in cunctis generationibus veſtris: dicens, quòd fruſtra gloriantur Iudæi de legali obſeruatione Sabbati. aperte enim dicitur, q ſignum eſt futuræ quietis. vnde adueniente ſignato, ceſſare debebat ſignum, ſeu vmbra.

RESOLVTIO.

Dies Sabbati, in Diem Dominicam iure à Papa mutata eſt, propter ſignificatorum præeminentiam, factorum excellentiam, temporumque conuenientiam.

G RESPONDEO, dicendum. quòd ſecundum Auguſtinum conuenienter loco diei Sabbati, inſtituta eſt dies Dominica fidelibus celebranda propter tria. Primo, propter ſignificatorum præeminentiam. Secundo, propter ſignorum factorum excellētiam. Tertio, propter temporum conuenientiam: nam longe melior eſt, & perfectior requies animarū, & corporum futura in octauā ætate, quàm ſignificat dies Dominica, quæ eſt octaua dies hebdomadæ, quàm ſit requies animarum ſolum in futura ſeptima ætate, in qua nunc ſumus. quam ſignificat dies Sabbati, quæ eſt ſeptima dies. Similiter opera recreationis, & Chriſti reſurrectionis, quæ fuerunt die Dominica facta, excellentiora fuerunt, quàm opera

H ceſſationis à creādo, & quietis Chriſti in Sepulchro, quæ fuerunt facta die Sabbati. Eodem modo habere aliquid iam in re, longè melius eſt, quàm ſperare in futuro in ſpe: ſed Sabbatum ſignificat requiem animarum, vt adhuc futuram: dies vero Dominica ſignificat requiem animarum in noſtro capite Chriſto inchoatam.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd in obſeruatione præcepti celebrationis Sabbati aliquid fuit morale, & reale: & per conſequens perpetuale non recipiens diſpenſationem: puta, vt aliqua dies deputetur ad laudem Dei. Aliquid vero fuit cerimoniale, & diſpenſabile, vt determinatio talis diei, vel

talis temporis. Primum ergo ſemper manet: ſed ſecundum eſt mutatum. ſicut enim illi diem ſabbati celebrabant, quia Deus tunc perfecit opus creationis, ſic nos celebramus diem dominicam, quia tali die *Deus perfecit opus recreationis per gloriam ſuę reſurrectionis. *al. Chriſt.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd beſtia cupiditatis interficitur per obſeruationem diei ſabbati ſpiritualiter acceptam, non autem per obſeruationē diei litteraliter intellectam, vt exponit Aug. eodem libro.

AD tertium eſt dicendum, quòd obſeruatio diei ſabbati ſit pactum ſempiternum, poteſt intelligi dupliciter. Primo, quòd omni tempore ſit ſeruandū quantum ad determinationem talis diei, & ſic negatur. Secundo, quòd non exprimatur temporis vſquequo ſit obſeruandum, & ſic ſumitur Exo. 31.

AD quartum eſt dicendum, quòd mutatio diei ſabbati in diem Dominicam non eſt facta humana auctoſitate: ſed diuina. quia Chriſtus ſua reſurrectione diem Dominicam ſanctificauit, & Eccleſia tā Apoſtolorū obſeruatione, quàm ſpiritus Sancti reuelatione poſtmodum loco diei ſabbati ſtatuit eſſe celebrandam.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd in Die Dominica fiant opera ſeruilia.

S. Thomas 2.2.q. 122. art. 4. & Albertinus in præcedenti articulo citatus.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare, quòd in die Dominica fiant ſeruilia opera: quia ſeruilia opera magis ſunt diſſona liberis, quàm ſeruis: ſed nos ſumus filij liberæ, non ancillæ, vt dicitur ad Gal. 4. ergo magis prohibenda ſunt opera ſeruilia die Dominica, quàm fuerint prohibita die ſabbati.

2 Præterea: Scribitur Matth. 5. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quàm Scribarū, & Phariſæorum non intrabitis in regnum cælorum. ergo magis tenemur ſeruare diem Dominicam, quàm Scribæ, & Phariſæi diem ſabbati.

3 Præterea: Prohibita fuerunt opera ſeruilia die ſabbati, vt diuinis laudibus homo inſiſteret: ſed magis hoc eſt obſeruandum nunc die Dominica, quàm tunc die ſabbati. Ergo Papa non poteſt in hoc diſpenſare.

Tomo 9. IN CONTRARIVM eſt Aug. in lib. de. 10. Chordis c 3. dicēs: Quàm melius eſſet, quòd Iudæus faceret aliquid in agro ſuo vtile, quàm in theatro ſeditionibus intentus exiſteret: & melius eſſet, vt fœminæ eorum in die ſabbati lanam facerent, quàm vt

A tota die impudicè ſaltarent. Tibi autem chriſtiano dicitur, vt obſerues ſpiritualiter ſabbatum in ſpe futuræ quietis. Et ſubditur: Quis enim propter illam quietem futuram agit quicquid poteſt: quamquam laborioſum videatur quod agit, tamen, ſi ad finem promiſſæ quietis illud refert, nondum quidem ſabbatum habet in re, ſed habet iam in ſpe.

RESOLVTIO.

In operibus ſeruilibus a ſeruitute culpæ dictis a Papa diſpenſari non poteſt: in ſeruilibus a ſeruitute Fortunæ dictis, quandoque: ſed in ſeruilibus, a ſeruitute naturę, omnino diſpenſatum eſt.

B RESPONDEO, dicendum, quòd ſeruilia opera tripliciter poſſunt accipi.

Primo, vt dicantur ſeruilia a ſeruitute culpæ: nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioan. 8.

Secundo a ſeruitute Fortunæ: Secundum enim Auguſtinum 19. de Ciu. Dei cap. 15. Seruus vno modo dictus eſt a ſeruando, quia antiquitus † qui capiebantur in prælio, ſerui capientium efficiebantur. & quia dubius eſt euentus belli, ideo iſto modo ſeruitutem facit fortuna. Tomo 5. §. 1. inſtit. de iure perſonarum. verſ. ſerui autem.

Tertio a ſeruitute naturæ: nam humana natura, vt dicitur 1. Meta. multipliciter ſerua eſt: quia multis indiget ad ſui præſeruationem. In operibus ergo ſeruilibus primo modo dictis Papa nō poteſt diſpenſare: quia mala, & * pernicioſa opera quamuis omni *al. vitioſa.

C tempore fieri, ſit prohibitum: magis eſt tamen nunc prohibitū fieri die dominico, quā tūc die ſabbati. In operibus vero ſeruilibus ſecundo modo acceptis: tēpore illo, quo mentem hominis a Dei ſeruitio non diſtrahunt, Papa in caſu diſpenſare poteſt. Sed in operibus ſeruilibus tertio modo ſumptis ex toto diſpenſatum eſt; nam cibum coquere, & preparare, conceſſum eſt fieri die dominico, quod tamen die ſabbati in lege veteri fuit prohibitum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut tempore gratiæ, homines liberiores ſunt libertate ſpirituali, non autem corporali: ita magis debent

D ceſſare ab operibus ſeruilibus ſeruitute ſpirituali, puta a vitijs, & peccatis: non tamen ab operibus ſeruilibus ſeruitute corporali.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Chriſtus non requiſiuit in nobis maiorem abundantiam iuſtitiæ, quàm in Scribis, & Phariſæis quo ad rigorem operum exteriorum corporalium: ſed quo ad perfectionem operum interiorum ſpiritualium.

AD tertium eſt dicendum, quòd perfectius vacatur in noua lege diuino cultui, quàm in veteri, non quo ad illas ceremonias, a quibus Iudæi abſtinebant die ſabbati, ſed quo ad opera ſpiritualia, quibus nunc vacatur. Et ſi interdū corporalibus laboribus intēditur, ex quo ad ſpem futuræ quietis illud refertur, vere ſabbatum obſeruatur. vt Auguſtinus dicit. De decem Chor. c. 3. Tomo 9.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA STRICTIVS debeat prohibere opera ſeruilia fieri in die dominico, quàm fuerint prohibita in die ſabbati.

Tomo 9. AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſtrictius debeat prohibere opera ſeruilia fieri in die dominico, quàm fuerint prohibita in die ſabbati. Dicit enim Auguſtinus in lib. de decem Chordis c. 9. Tãgis enim primã chordam, cecidit beſtia ſuperſtitionis: Tangis ſecundam, cecidit beſtia erroris: Tangis tertiam, cecidit beſtia mundanæ affectionis. Sed ſtrictius eſt nunc prohibenda humana affectio circa temporalia, quàm fuerit in veteri lege. Ergo ſtrictius ſunt prohibenda opera ſeruilia fieri in die dominico, quàm fuerint prohibita in die ſabbati.

2 Præterea: Maiorem ſolicitudinem requirit ciborum coctio, & præparatio, quàm temporalium affectio, vel cogitatio: ſed cibos coquere, & præparare, fuit prohibitum Exodi 16. Et temporalium affectionem Chriſtus prohibuit. Matth. 6. Ergo opera corporalia, & ſeruilia fieri die dominico omnino sũt prohibenda.

3 Præterea: Quanto lex eſt arctior, tanto arctiora præcepta ponit: ſed lex Euangelica arctior eſt lege veteri, iuxta illud Matthæi 7. Arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam. ſtrictius ergo prohibenda ſunt opera ſeruilia fieri die dominico, ꝗ̃ fuerint prohibita fieri die ſabbati.

In Contrarium eſt. Quia iugum Chriſti ſuaue eſt, & onus eius leue, vt ſcribitur Matth. xj.

Resolvtio.

In operibus ſeruilibus, quę ſui natura peccata non ſunt, die Dominico diſpenſari poteſt à Papa, corporis neceſſitate, proximi ſanitate, Eccleſiæ vtilitate, & ſuperioris poteſtate: in ijs verò, quę ſui natura ſunt peccata, nullo modo diſpenſari poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd opera ſeruilia, & corporalia, quæ de ſui natura ſunt peccata, vt fornicari, inebriari, & alia huiuſmodi immunditiam, ac diſſolutionem includentia, vel animorum diſtractionem importantia, ſtrictius in noua lege prohibentur fieri in Dominica, quàm fuerint prohibita in lege veteri die ſabbati: ſed alia opera corporalia, vel ſeruilia, quæ de ſui natura peccata non ſunt, non ſic ſtrictè prohibenda ſunt hic, ſicut ibi: maximè quia inuenimus Chriſtum in quatuor caſibus talia conceſiſſe fieri in die ſabbati.

Primo, in corporis neceſſitate. Vnde Matth. 12. excuſauit Diſcipulos vellẽtes ſpicas die ſabbati inducens exemplum Dauid: qui panes propoſitionis comedit, quos non licebat comedere niſi Sacerdotibus. 1. Reg. 21.

Secundo, in proximi ſanitate. Vnde Matth. 12. Curauit hominem habentem manum aridam die ſabbati: & increpauit Phariſæos tale opus factum in die ſabbati calumniantes: inducens exemplum ipſorum contra eos, quia bouem, vel aſinum cadẽtem in puteum extrahebant die ſabbati.

Tertio, in Eccleſiæ vtilitate: vnde Matthæi 12. Chriſtus exemplum poſuit de Sacerdotibus, qui faciebant omnia, quæ neceſſaria erant in templo die ſabbati, & tunc ſine crimine erant apud eos.

Quarto, ſuperioris poteſtate: vnde Ioannis 7. Chriſtus † mandauit circumciſionem die ſabbati fieri: nec propter hoc ſoluebatur lex Moyſi, cùm ipſe eſſet dominus etiam diei ſabbati. puto ergo, ꝙ illis quatuor caſibus opera ſeruilia, vel corporalia, quæ de ſui natura peccata non ſunt, die dominica ſine peccato fieri poſſint. † id eſt, declarauit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd mundana affectio circa temporalia, vel poteſt eſſe tamquam finis intenta, vel tamquam conditio annexa, & neceſſaria ad ſuſtentationem vitæ. Primo modo eſt beſtia crudelior cæteris. Secundo modo non. vnde dicit Aug. eodem libro; quòd propter amorem ſæculi huius laborant homines in omnibus negocijs ſuis, quantum ad illos qui amorem ſęculi tamquam finem ſibi proponunt. Sed tu in omnibus operibus tuis labora: non propter amorem ſæculi, ſed propter ſempiternam requiem, quantum ad illos, qui amorem ſæculi non vt finem proponunt, ſed vt illud, quod eſt ad finem.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Saluator ſolicitudinem temporalium prohibuit non prouidentiam: poſſet enim homo die dominico abſtinere à labore corporali, & ſeruili opere: & ſic ſolicitari erga temporalia, & bona mundialia, vel habenda, ſeu occupanda, quod maius peccatum incurreret ex tali ſolicitudine, quàm ex ſeruili opere, vel labore.

AD tertium eſt dicendum; quòd lex Euangelica arcta eſt labore: quia (dicente Apoſtolo) per multos labores oportet ad Regnum peruenire: lata tamẽ eſt, & facilis amore. lex tamen Moyſi erat arcta labore in multitudine præceptorum, & terrore in multitudine comminationum: quia Abſque vlla cõtradictione irritam quis faciens legem Moyſi, duobus, vel tribus teſtibus moriebatur. Act. 14. Heb. 10.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA DISPENſare poſsit, vt in die Dominica fiat forũ emptionis, & venditionis.

Vide citatos in præcedenti art. Et textum, & Doctores in cap. Omnes, extra de ferijs.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa diſpenſare non poſſit, quòd die dominico fiat forum emptionis, & vẽditionis. Scribitur enim de conſecra. diſt. 3. ꝙ die dominico nihil aliud agendũ eſt, niſi Deo vacandum. Et ſubditur: Nulla operatio in die illa ſancta agatur, niſi ſolum in hymnis, & canticis ſpiritualibus dies illa tranſigatur.

2 Præterea: Scribitur extra de ferijs cap. Omnes. Omnes dies dominicos à veſpera in veſperam præcipimus obſeruari cum omni veneratione, vt mercatũ in eis non fiat, nec placitum.

3 Præterea: Præceptum negatiuum obligat ſemper, & ad ſemper. Sed quòd opus ſeruile non fieret die ſabbati, fuit præceptum negatiuum, vt patet Exodi 31. Tomo 9.

IN CONTRARIVM eſt Auguſtinus de decẽ Chordis, cap. 3. Vbi opus aliquod corporale fieri die ſabbati non prohibet, dũmodo fiat propter ſempiternam requiem. Tomo 9.

RESOLVTIO.

In foro emptionis, & venditionis à Papa in die Dominica diſpenſari poteſt, cauſa ineuitabilis neceſſitatis, ac naturalis, corporaliſq. neceſſitatis: cauſa cupiditatis, non item.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ tenere forum diebus dominicis, & feſtiuis, triplicitet contingit fieri. Primo, cauſa cupiditatis. Scribitur enim Eccl. 2. Quòd peccatori dedit Deus ſuperfluam curam, & afflictionem animi, vt per noctem non requieſcat: & cuncti dies eius doloribus pleni ſunt, cum tali enim cupiditate charitas ſtare non poteſt. quia, dicente Hom. 8. Auguſtino de tempore: Cum augetur cupiditas, diminuitur charitas. Tomo 10. Emere ergo, vel vendere die dominico ſola cupiditate, directè eſt contra tertium præceptum, quo præcipitur ſabbatum ſanctificari. vnde dicit Auguſtinus cap. 9. tãgis tertiã chordam, & interficis beſtiam cupiditatis. Secundo, hoc poteſt fieri cauſa ineuitabilis neceſſitatis; Contingit. n. quandoque, conſideratis conditionibus temporum, perſonarum, & negociorum, ac Regionum, ꝙ niſi fieret forum die dominica, vel feſtiua in emendo, vel vendendo res aliquas, magnum detrimentum perſonæ prędictæ reportarent, quia fortè ſunt artifices. Vnde alijs diebus eorum artificijs eos oportet intẽdere, vt ſic victũ, & veſtitum pro ſe, & pro illis, quo-

A rum curam habẽt, poſſint procurare. Et tales ex quo Miſſam audiunt, & horam aliquam deputant ad vacandum cultui diuino, poſſunt excuſari à peccato, potiſſimè ſi in talibus operibus eorum mens nõ multum à diuino ſeruitio diſtrahatur. Tertio, hoc poteſt fieri cauſa naturalis, & corporalis vtilitatis. Cõponitur enim homo ex natura corporali, & ſpirituali. Sicut ergo aliqua ſunt deſeruientia vtilitati naturę ſpiritualis: vt diuino ſeruitio vacare, aliqua hora orare, prædicationes audire; Item aliqua ſunt deſeruientia vtilitati naturæ corporalis: vt vendere, & emere, quæ ſunt neceſſaria ad victum, & veſtitum humanæ naturæ, cibos coquere, & præparare: ſine quibus vita corporalis tranſire non poteſt.

B

Ad Argumenta.

AD rationes in oppoſitum eſt dicendum: ꝙ illa intelliguntur de clericis, & alijs diuino ſeruitio mãcipatis: de quibus vniuerſaliter verum eſt, quòd die dominico nihil aliud debent agere, niſi vacare diuino cultui. Vel eſt dicendum, quòd illa opera prohibentur, quæ mentem hominis ex toto diſtrahunt, & à Dei ſeruitio ſeparant; præſertim quando fiũt pręciſè cauſa cupiditatis.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA POSSIT

C *diſpenſare, vt in die Dominica bellum committatur.*

S. Thom. 2. 2. q. 40. art. 4. Et ibidem Caietanus.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quod Papa non poſſit diſpenſare, vt Die Dominica bellum cõmittatur. Nullum enim opus culpabile die dominica fieri debet, quacũque diſpenſatione: ſed bellare eſt opus culpabile, cuius probatio eſt: quia bellanti indicitur pœna à domino, Matth. 26. Omnis, qui accipit gladium

D gladio peribit. Ergo tale opus non eſt diſpenſabile die dominica.

2 Præterea: Dies dominica loco diei ſabbati eſt diuino cultui mancipata: ſed bellum habet hominẽ à diuino cultu, & mentem hominis multum diſtrahere. Ergo Papa non poteſt in hoc diſpenſare die dominica.

3 Præterea: Actio ſpiritualis non eſt omittenda pro ſalute corporali: Sed actio, ad quam ordinatur dies dominica, eſt ſpiritualis: Ergo pro quacunque commoditate corporali omittenda non eſt.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 23. quæſt. 8. cap. Si nulla. Si vrgens neceſſitas eſt pro defenſione Patrię, vel legum paternarum, nullo tempore eſt bellorum præparationi parcendum.

RESO-

RESOLVTIO.

Bellum Diebus Dominicis, & feſtiuis committi nõ debet, niſi iuſta cauſa, & neceſſitate imminente, in hoſtibus expugnandis: in piſcibus quibuſdam capiendis rarò apparentibus, neceſſitate pauperum præſertim vrgente: in electione Prælatorum: in litibus audiendis, aut diſſoluendis, non item, niſi in quæſtionibus matrimonialibus.

RESPONDEO, dicendũ, quòd bellum committi die Dominica, poteſt intelligi tripliciter. Primo, in quæſtionibus, & litibus diſſoluendis: de quo bello dicitur Iacobi 4. Litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulaſtis. Secundo, in hoſtibus expugnandis. Tertio, in brutis animalibus capiendis. Diebus ergo Dominicis, & feſtiuis bella in quæſtionibus audiendis, & diſſoluendis fieri non debent, ſicut patet extra de Ferijs. & 15. q. 4. niſi fortè quæſtiones matrimoniales propter periculũ adulterij, & de electionibus Prælatorũ, propter periculum moræ. quia infra tres menſes fieri debent. Bella vero in hoſtibus expugnandis, diebus Dominicis committi poſſunt, imminente neceſſitate: Legimus enim 1. Machabæorum c. 2. Quòd illi ſancti Machabæi, quorum aliqui permiſerunt ſe interfici antequam vellent bellare diebus ſabbatis: poſtmodum alij plena deliberatione præhabita di-

E xerunt: Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die ſabbatorum, pugnemus aduerſus eum, & non moriemur, ſicut mortui ſunt fratres noſtri. Sed bella in piſcibus, & animalibus capiendis, ſi neceſſitas fuerit, poſſunt permitti. Vnde extra de ferijs. cap. Licet. Alexander tertius concedit alecia piſcari Dominicis diebus pro ſuſtentatione eorum, & pauperũ habentium neceſſitatem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd bellanti tunc indicitur pœna, quando in ſanguinem ali-

F cuius armatur, nulla ſuperioris poteſtate concedente, vel præcipiente, vt dicit Aug. lib. 22. contra Fauſtũ cap. 74. Sed bellãti pro Republica ſalus promittitur: venientibus enim militibus ad Ioannem Lucæ 3. dictum eſt: Neminem concutiatis, nemini calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris, & ſalui eritis. Tomo 6.

AD ſecundũ, & Tertium eſt dicendum, q̀ imminente neceſſitate interponenda eſt actio ſpiritualis pro ſalute corporali: tentare enim eſſet Deum, cum adeſt auxilium humanum, diuinum quærere. ſed cum deficit humanum, hoc ſolum nobis eſt refugij, vt oculos noſtros dirigamus ad Deum, vt ſcribitur 2. Paralip. cap. 20.

QVAEST. LI. DE DISPENSATIONE QVARTI PRAECEPTI.

VLTERIVS conſiderandum eſt: de diſpenſatione quarti præcepti. Circa quod quæruntur quinque. *Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd à ſubuentione Parentum abſoluatur homo propter introitum Religionis.*

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo introitum Religionis dimittat propter ſubuentionẽ Parentum.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo peregrinationem, vel oblationem voto promiſſam dimittat propter ſubuentionem Parentum.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare: quòd homo præter honorem nullam aliam ſubuentionem Parẽtibus teneatur impendere.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare: vt homo vigore præcepti nullũ alium teneatur honorare, præter carnales Parentes.

G

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd homo à ſubuentione Parentum abſoluatur propter introitum Religionis.

S. Thom. 2. 2. q. 101. ar. 4. Et quodlib. 3. qõ. 6. art. 16. Aegid. Columnius Rom. Quodlib. 2. q. 25. Et Martinus Nauar. in Man. confeſſ. cap. 14. num. 14.

H AD primum ſic proceditur. Videtur enim, q̀ Papa poſſit diſpenſare, q̀ homo à ſubuentione Parẽtum abſoluatur propter introitum Religionis. Quia ad impoſſibile nemo tenetur. Sed exiſtens in Religione, cum ſit pauper, non poteſt Parentes ſuſtentare: ergo nõ tenetur.

2 Præterea: Mortuus non tenetur ad opera viuorum: ſed per introitum Religionis homo moritur mundo:

mundo: ergo non tenetur ad ſuſtentationem viuorũ.

3 Præterea: Per ingreſſum Religionis homo abſoluitur à redditione debiti, quo tenebatur vxori. Ergo eodem modo filius abſoluitur à ſubuentione, qua tenebatur Patri, vel Matri.

In Contrarium eſt. Quia ſolus ille, qui dedit præceptum, poteſt diſpenſare. Sed Deus ſolus dedit præceptum de ſubuentione Parentum. Ergo nec Papa, nec aliquis alius in hoc poteſt diſpenſare.

RESOLVTIO.

Parentum ſubuentio, cum ſit de iure naturę ſecundum omnem ſtatum: quantum ad pręcepti obligationem ab ea Religioſus profeſſus abſolui non poteſt, ſi eius Parentes ſint in neceſſitate conſtituti. in quo caſu, Religionis poteſt exire clauſtrum, etiamſi ei licentia negetur.

Respondeo, dicendum, quòd filios teneri ad ſubuentionem Parentum, poteſt intelligi dupliciter. Primo vniuerſaliter, ſecundum omne tempus, & ſecundum omnem ſtatum. Alio modo particulariter, ſecundum aliquod tempus, & aliquem ſtatum. Dicunt ergo aliqui, quòd de lege naturæ ſubuẽtio Parentum intelligitur ſecundum omne tempus, & ſecundum omnem ſtatum. Quia ſiue homo ſit iuuenis, ſiue ſenex, quantum ad variationem temporis; Siue ſęcularis, ſiue Religioſus, quantum ad variationem ſtatus; ſemper homo tenetur Parentibus ſubuenire, eo ꝙ cum ſit præceptum legis naturæ, manente natura, ſemper manet obligatio præcepti. Alij vero dicunt, ſubuentionem Parentum eſſe de iure legis naturæ particulariter ſecundum determinatum tempus, & ſecundum determinatum ſtatum: manente ergo tali ſtatu, quòd homo ciuiliter, & ſęculariter viuat in mundo, tenetur ad ſuſtentationem Parentum. Sed quando non viuit cum eis ſęculariter, amplius non tenetur. Volunt enim, ꝙ viuere in mũdo, tripliciter poteſt intelligi. Primo naturaliter, vtẽdo cibo, & potu: & alijs neceſſarijs, & ſic Religioſi viuunt in mundo. Secundo beſtialiter, & ſic peccatores viuunt in mundo. Tertio ciuiliter, & ſęculariter: & ſic Religioſi mortui ſunt mundo. Vnde per profeſſionẽ Religionis mortui ſunt, & ſoluti à ſubuentione Parentum.

Aegi. Qdl. lib.2.q.25.

Quamuis ergo quælibet iſtarum opinionum contineat aliquid veritatis, mediam tamen reputo viam eſſe tenendam, vt dicatur, quòd ſubuentio Parentũ eſt de iure naturæ ſecundum omnem ſtatum, quantum ad pręcepti obligationem: non tamen quantum ad ipſius præcepti executionem. Planum eſt enim, ꝙ per impotentiam exequẽdi præceptum, homo excuſatur ab executione: & potiſſimè quando impotẽtia exequendi eſt temporalis, quandoque ad actum reducibilis: quia ſi eſſet perpetua, non remaneret obligatio præcepti, ex quo numquam poſſet impleri. Nunc autem eſt ita, quòd ſtatus Religionis non impedit ſemper hominem à ſubuentione Parentũ, quia multi caſus poſſunt occurrere, in quibus poteſt Parẽtibus ſubuenire, vel per licentiam Superioris de proprio ſuo labore, vel per adminiſtrationem communium rerum. Puto ergo, ꝙ Religioſus propter ſtatũ religionis non abſoluitur ab obligatione præcepti dati de ſubuentione Parentum, ſed ab executione poteſt excuſari, donec adſit ſibi poſſibilitas ſubueniendi per licentiam ſuperioris. † Sed ſi peteret licentiã in caſu, in quo Patri poſſet ſubuenire de labore ſuo, vel alio modo, & Prælatus non concederet; puto, ꝙ in hoc caſu ſibi nõ teneretur obedire: Religioſus enim tenetur obedire Prælato in his, quæ ſpectant ad obſeruantiam regulæ: & eorum, quæ in regulari obſeruantia continentur: præſuppoſita tamen obedientia pręceptorum Dei, tam primæ tabulæ, quàm ſecundæ, in quibus per hominem diſpenſari non poteſt.

† D. P. Auguſt. ſerm. 6 ad Erem. Tomo 10. S. Thom. Quol.3.ar.15.& Aegi. Quol.2.q.25 negant egreſſu Religiõis abſque Superioris licentia.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ duplex eſt impoſſibilitas: quædam perpetua, & iſta abſoluit à præcepti obligatione, & impletione. Quædam vero temporalis, & iſta licet abſoluat à præcepti impletione, exiſtente impoſſibilitate exequendi: non tamen abſoluit à præcepti obligatione: ex quo talis potẽtia quandoque eſt reducibilis ad actum.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd duplex eſt mors: vna naturalis, quæ eſt mors ſimplex: cum ſeparatur anima à corpore: & iſta abſoluit totaliter ab actibus viuentium. Alia ſpiritualis, quæ non abſoluit ab actibus viuentium ſimpliciter: ſed ſolum à repugnantibus. non enim abſoluit ab actibus præceptorum Dei, ſed negociorum ſęcularium.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Religioſo per ingreſſum religionis tollitur potentia perpetua debitũ reddendi vxori, ſed non tollitur ſibi potentia perpetua ſubuentionem reddendi Patri, vel Matri. ideo non eſt ſimile.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt homo introitum Religionis dimittat propter ſubuentionem Parentum.

S. Thom. 2.2.q.189.art.6.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa nõ poſſit diſpenſare, vt homo introitũ Religionis dimittat ꝓpter ſubuentionem Parentũ. Dicit enim Auguſt. ſuper illo verbo 1.Pet.4. Chriſtus paſſus eſt pro nobis; ꝙ Chriſtus quantumcunque anguſtiam, vel indigẽtiam Matris conſpiceret, non dimiſit crucem aſcendere. Ergo nec homo propter ſubuentionem Parentum debet introitum Religionis dimittere.

2 Præterea: Super illo verbo Matth. 10. Qui

amat

amat Patrẽ, aut Matrem pluſquam me; dicit gloſſa, quòd malefacit, qui carnalem affectum præfert ſpirituali. Propter carnalem ergo affectum Parentum homo non debet dimittere introitum Religionis.

3 Præterea: Plus homo tenetur honorarare Deũ, quàm Parentes: ſed per introitum Religionis maxime honoratur Deus. Propter ſubuentionem ergo Parentum non eſt dimittendus introitus Religionis.

IN CONTRARIVM eſt, Quia nulla obligatio poteſt fieri contra ius naturale: ſed ſubuentio Parentum eſt de iure naturali: ergo nulla obligatio tenet, contra hoc.

RESOLVTIO.

Religionis introitus, ſi alicuius Parentes ſint in neceſſitate conſtituti, nec habent vnde vllo modo ex ſe, per alios poſſint ſibi ſubuenire; ab eo dimitti debet: aliter vero, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd in præceptis eſt iuſtitia ſufficiens, & neceſſaria. In conſilijs vero iuſtitia abundans, & expediens. Eſt enim præceptũ magis neceſſarium, quàm conſilium. conſilium vero magis bonum, licet minus neceſſarium. Quidam autem attendentes ad bonitatem conſilij maiorem dicunt, quòd propter neceſſitatem Parentum non debet homo Religionis ingreſſum dimittere: quia maiora bona minoribus ſunt præferenda. Alij vero reſpicientes ad præcepti neceſſitatem maiorem: dicunt, ꝙ propter neceſſitatem ſuſtentandorum Parentum debet homo Religionis ingreſſum dimittere. Verum quia conſilium ſapientis, & potiſſime Dei, cuius ſapientiæ non eſt numerus numquã eſt præcepto eius contrarium, nec econuerſo: Ideo puto, ꝙ in caſu, in quo obligat præceptum Dei de honore Parentum, vt quando aliter impleri non poſſet eorum ſubuentio, quàm manendo in ſæculo, tunc non habet locum cõſilium de intrando Religionem: ſed potius eſſet peccatum: eo quod in tali caſu conſilium eſſet contrariũ præcepto Dei. Sed quia ſubuentio Parentum eſt præceptum affirmatiuum; ideo licet obliget ſemper ratione, qua præceptum: non tamen ad ſemper ratione, qua eſt affirmatiuum. Vnde quando conſilium de introitu Religionis non contrariatur præcepto de ſubuentione Parentum; in tali caſu ingreſſus Religionis dimittendus non eſt propter ſubuentionem Parentũ. Et hoc poteſt contingere in tribus caſibus: Primo, quando Parentes ex ſe habent, vnde poſſint ſibi ſubuenire. Secundo, quando faciliter per ſeipſos poſſunt acquirere: Tertio, quando per alios eorum ſubuentio poteſt impleri.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non eſt ſimile de miniſterio Chriſti, & priuatæ perſonæ Religionem intrare volentis: quia illud erat vniuerſalis neceſſitas, & ideo præferendum eſt omni affectioni Parentum: iſtud autem non eſt neceſſitatis, ſed ſupererogationis.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd duplex eſt affectus ſpiritualis: quidam neceſſitatis, & quidam ſupererogantis bonitatis. Qui ergo carnalem affectũ præfert affectui ſpirituali, peccat. vnde qui amorem Parentum præferret amori Dei, peccaret: ſed qui amorem Parentum præfert amori intrandi Religionem, non peccat.

AD tertium eſt dicendum, quòd in caſu illo, in quo homo tenetur præceptum Dei implere de ſubuentione Parentum, cum implet, Deus honoratur multo magis, quàm per ingreſſum Religionis: quia non implendo quando tenetur implere, non honoraretur Deus, ſed contemneretur.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt homo oblationem, vel peregrinationem voto præmiſſam dimittat propter ſubuentionem Parentum.

Citatos præiudicantibus articulis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare, vt homo oblationem, vel peregrinationem voto promiſſam, dimittat propter ſubuentionem Parentum, & maius vinculum ſoluit minus: ſed votum eſt vinculũ ligans homines quo ad Deum: ſubuentio vero Parentum ligat quo ad hominem. Non poteſt ergo tolli tale vinculum propter ſubuentionem Parentum.

2 Præterea: Ex ordine charitatis plus homo tenetur procurare ſalutem ſuam, quàm aliorum. Magis ergo tenetur homo per votum peregrinationis, & ſuorum bonorum, erogationis procurare ſalutem ſuam, quàm Parentibus ſubuenire.

3 Præterea: Bona corporalia & temporalia magis homo recipit a Deo, quàm à Parentibus. Si ergo quis obligat voto bona ſua Deo, non tenetur ipſe amplius Parentibus impendere.

IN CONTRARIVM eſt Auguſtinus ſuper illo uerbo Matth. 25. Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram.

RESOLVTIO.

Propter ſubuentionem Parentum in neceſſarijs poteſt a Papa diſpenſari ſuper voto peregrinationis, & eorum oblatione, per quæ quis Parentibus in neceſſitate conſtitutis tenetur ſubuenire.

RESPONDEO, dicendum, quòd Auguſtinus in lib. de quæſtionibus Euangeliorum determinat hanc quæſtionem dicens: Superſtitionem Phariſæorum fuiſſe, vt quando filij Iudæorum ad talem ætatem perueniebãt, vt voto poſſent ſe aſtringere ad offerendum aliquid Deo, vel ad peregrinationem, & Tomo 4. cap. 16.

ad

ad alia opera pietatis extunc abſoluti erant a ſubuentione Parentum, & amplius Parentibus ſubuenire nō tenebantur. Sed hæc ſuperſtitio, vt dicit, damnanda eſt; quia in ætate perfecta plus tenetur homo diuina mandata obſeruare, quàm in non perfecta. Si quis ergo uoueret Deo offerre illa, per quę tenetur Parentibus in neceſſarijs ſubuenire: non teneretur tale votum implere. quia Deus nō vult ſibi promitti, & multo minus obſeruari illud, per quod ſubtrahitur vita noſtris Parentibus, quorum vitam mandauit per filios eſſe ſeruandam. verum quia de ſubuentione Parentum eſt præceptum affirmatiuum, quòd non obligat ad ſemper: ideo ſi aliquo tempore quis poteſt laborare ad ſubuentionem Parentum, & alio tempore votum peregrinationis implere, non abſoluitur tunc a voto propter ſubuentionem Parentum. B Sed ſi Parentibus non poſſet ſubuenire implendo peregrinationis votum propter longam viam, aut aliquod tale; puto, quòd ad votum peregrinationis implendum non tenetur.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ votum eſt maius vinculum, quàm ſubuentio Parētum, cum reducatur ad mandatum primæ tabulæ. dummodo illud ponatur ſub voto, quod non contrariatur diuinis præceptis: tunc enim licet votum eſſet implendū ratione, qua votum: ratione tamen, qua tranſgreditur diuinum mandatum, non ligat. Scribitur enim 1. Regū 15. C Quòd Deus nō vult holocauſta, vel victimas, ſed magis vt obediatur voci eius, & vt ſeruetur mandatum eius.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ quando per votum peregrinationis, aut eleemoſynæ, vel cuiuſcumque alterius operis pietatis ſubtrahitur illud per qđ ſubtrahitur ſubuentio Parentum, non eſt tunc ſecundū ordinē charitatis ꝓfectus ſalutis; ſed detrimentū.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ homo recipit bona corporalia, & temporalia à Deo cum obſeruatione præceptorum eius, Vnde quando oblatio, vel peregrinatio voto promiſſa non poteſt ſtare cum obſeruatione diuini præcepti, tunc votum non eſt implendum. Planum eſt enim, ꝙ ſi quis voueret iugulare patrem, non teneretur obſeruare promiſſum. Sic cum vita Parentum auferatur per ſubtractionem rerum D temporalium, per debilitationem virium corporalium, non tenetur homo illa Deo offerre, per quæ vita parentum conſeruatur. Dicitur enim 22. q. 4. c. Si publicis; ꝙ tolerabilius eſt vota ſtultæ promiſſionis reijcere, quàm crimen committere.

A

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd homo, præter honorem, nullā aliam ſubuentionem Parentibus teneatur impendere.

S. Thomas. 2. 2. q. 101. art. 2.

Ad quartum ſic proceditur. videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, quòd homo præter honorem nullam aliam ſubuentionē B Parentibus teneatur impendere. Nam ſcribitur 2. ad Corinth. 12. quòd filij non debent Parentibus theſaurizare, ſed parentes filijs. ergo præter honorem, aliam ſubuentionem non debent filij Parentibus impendere: ſed potius recipere ab eis.

2 Præterea: Propter eſſe nutritionis, & generationis, filij tenentur honorare Parentes. ergo non tenentur aliam ſubuentionem eis exhibere.

3 Præterea: Super illo verbo ad Ephe. 6. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam; dicit glo. Sicut Deus Principaliter eſt principium hominis: ſic Pater eſt ſecundarium principium. ſed Deo non debet homo niſi honorem: Ergo nec Patri.

In Contrarium eſt glo. ſuper illo verbo C Exo. 20. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam: quæ dicit, quòd omnis ſubuentio in honore Parentum intelligitur.

RESOLVTIO.

Parentibus honor, obedientia, & neceſſariorum in victu, & veſtitu ſufficientia à Filijs debentur, ſuper quibus Papa diſpenſare non poteſt.

Respondeo, dicendum, ꝙ Filij tria recipiunt à Parentibus: Primo eſſe, & generationē: Secundo doctrinam, & exhortationem. Tertio, ſuſtentationem, & nutritionem. quia nudi naſcuntur, nihil nutrimenti portantes, vel veſtimenti. Propter D iſta tria ergo tenentur eis filij tria rependere, quæ in honore Parentum includuntur ſecundum Auguſtinum. Primo namque pro eſſe, & generatione debent Parentibus honoris reuerētiam maiorem, quàm Dominis terrenis. à quibus recipiunt forte bona temporalia: Secundo, pro Doctrina, & exhortatione debent eis ſubiectionis obedientiam: præter illa, quæ eſſent contra Deum in omnibus alijs conſilijs tenentur filij Parentibus obedire Tertio, pro ſuſtentamento, & nutritione, quam recipiunt in iuuentute, debent eis in ſenectute neceſſariorum in victu, & veſtitu ſufficientiam. Quod autem iſta tria claudantur in hoc præcepto; Honora Patrem tuum, & Matrem tuam; patet illud, quod ſcribitur Eccl. 3. vbi dicitur: Honora Patrem, & Matrem tuam, vt veniat tibi benedictio. & ſtatim ſubditur, in quibus conſiſtat iſte

honor

honor: Quoniã in opere, & ſermone, & omni potentia: quòd autem filij in his tribus non teneãtur ſubuenire Parentibus, Papa diſpenſare non poteſt, neç contrarium mandare.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendũ, ꝙ ſicut Parentes tenentur filijs theſaurizare, & diuitias congregare in iuuentute: ſic in ſenectute tenentur filij Parentes ſuſtentare etiam de proprijs laboribus: vnde ſcribitur Eccl. 3. Fili ſuſcipe ſenectutem Patris tui, & ne contriſtes eum in vita ſua: & ſi defecerit ſenſu, veniam da illi, & ne ſpernas eũ in tua virtute.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod natura ad hoc inclinat, vt bona, quæ homo alteri facit, fieri ſibi velit. vnde ſicut filij recipiunt à Parentibus eſſe F nutritionis in iuuentute; ita ratio naturalis dictat, vt in ſenectute debeant eis rependere. dicit enim Baſilius: (Exam. ho. 8.) Ciconię naturali inſtinctu, cum vident Parentes confectos ſenectute, in volatu ſupportant, plumis calefaciunt, & alimenta eis procurant.

Ad tertium eſt dicendum, quòd non omnibus æquipollenter ſecundum Philoſophum tenetur homo ad beneficiorum recompenſationem: Deo enim, cum non participet in animali vita nobiſcum, ſufficit recompenſatio honoris, & reuerentiæ: ac etiã ſuperioribus Dominis temporalibus, qui ipſorum inferiorum ſubuentione non indigent: ſed Parentibus in vita animali nobiſcum participantibus, cum neceſſe fuerit, tenentur eis neceſſaria miniſtrare.

G

ARTICVLVS V.

VTR. PAPA DISPENSARE poſſit, vt homo vigore præcepti nullum alium teneatur honorare, præter carnales Parentes.

S. Thomas in præcedentibus articulis citatus.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa diſpenſare poſſit, vt homo vigore præcepti nullũ alium teneatur honorare præter carnales Parentes. Quia H in honore Parentũ, eorum ſubuentio intelligitur. ſed hanc homo non tenetur omnibus impendere: Dicit enim Auguſtinus 1. de Doctrina chriſtiana, (Tomo 3. cap. 28.) cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſime conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi quaſi quadam ſorte iunguntur.

2 Præterea: Parentes debemus honorare propter eſſe generationis, & nutritionis, quod ab eis recipimus; ſed non niſi ab eis tale eſſe habemus. ergo vigore præcepti ſolum eos tenemur honorare.

3 Præterea: Honorantibus Parentes promittitur longitudo dierum Exo. 20. ſed tale præmium non promittitur honorantibus alios. Ergo vigore præcepti honorẽ Parentum nõ tenemur alijs impendere.

E

In contrarium eſt, qđ dicitur ad Hebre. 12. Si patris quidem carnis noſtræ habuimus eruditores: & reuerebamur eos, nonne multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus.

RESOLVTIO.

Apoſtolis, Doctoribus, Prælatis, Paſtoribus, Regibus, Rectoribus, Promotoribus, Benefactoribus, & Senibus honor paternus eſt exhibendus.

Respondeo, dicendum, quòd ſecundum præcepta ſacræ Scripturæ quinque generibus perſonarum honorem paternum tenemur exhibere.

Primo, Apoſtolis & Doctoribus, quorum doctrina F illuminamur. Dicit enim Apoſtolus 1. ad Co. 4. Si decem millia Pedagogorũ habeatis in Chriſto, nõ tamen multos Patres: In Chriſto enim Ieſu per Euangelium ego vos genui.

Secundo, Prælatis, & Paſtoribus, quorum regimine in moribus regulamur, & vita ſpirituali regeneramur. Ideo eis paternum honorem debemus impendere: magnum enim bonum eſt ſubditis habere tales patres bonos, non minus quàm habere patres bonos carnales. Scribitur enim Prouerb. 17: quòd gloria filiorum ſunt Parentes eorum.

Tertio, Regibus, & Rectoribus, quorum potentia protegimur: & de rabie tyrannorum liberamur: Vnde ſerui Naaman principis Regis Syriæ dixerunt ei: (4.Reg.5.) Pater & ſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debuiſſes.

G Quarto, noſtris Promotoribus, & benefactoribus quorum beneficio viuimus, & ſuſtentamur: tales enim, vt patres honorare debemus, vt dicitur Eccl. 4. In iudicando eſto pupillis miſericors, vt pater: & pro viro, Matri illorum.

Quinto Senibus, & noſtris antiquioribus, quorũ narrationes audimus, & geſtis informamur. Interroga, inquit Moyſes, patres tuos, & annunciabunt tibi. vnde præceptum fuit Leui. 19. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Omnibus iſtis modis ex vigore præcepti honor paternus eſt exhibendus.

Ad Argumenta.

H Ad primum ergo, & Secundum eſt dicendum, quòd Auguſtinus intelligit de ſubuentione temporalis ſubſtantiæ, quæ non eſt omnibus exhibenda, niſi in neceſſitatis articulo: ſed ſubuentio honoris, reuerentiæ, ſubiectionis, & obedientiæ, debetur perſonis ſupradictis, ſicut parentibus carnalibus.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ pro longitudine dierum oportet accipere non vitam longam annorũ, vel dierum multiplicationẽ, ſed virtuoſam operationẽ. Tunc enim vita hominis eſt longa, quãdo eſt plena virtute, & virtuoſa operatione. Si quis enim viuit 20. annis virtuoſe, & bene operãdo; plus viuit, quàm viuens 60. ſine operatione virtuoſa: Vnde ſcribitur Sap. 4. Conſummatus, in breui compleuit tempora multa. talis autẽ longitudo dierũ debetur honorãtibus perſonas ſupradictas, ſicut carnales Parentes.

QVAE-

QVAEST. LII. DE DISPENSATIONE QVINTI PRAECEPTI.

Deinde conſiderandum eſt de diſpenſatione quinti præcepti. Circa quod quæruntur quinque. A

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo occidatur abſque transgreſſione diuini præcepti.

Secundo, Vtrum præter Papam aliquis poſſit in homicidio diſpenſare.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo occidens alium, ne occidatur ab eo, excuſetur ab homicidio.

*Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo interficiens ſeipſum nō incurrat culpam * homicidij.*

* al. homicidæ.

B *Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo interficiens filiam in adulterio deprehenſam, non incurrat culpam parricidij.*

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpēſare, Quòd homo occidatur abſque tranſgreſſione diuini præcepti.

S. Thomas 2.2.q.64.art.2.& Dominicus Sotus lib.5. de iuſtitia, & iure quæſt.1.art.2.

AD primum ergo ſic proceditur. videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpēſare, ꝙ homo occidatur abſque tranſgreſſione diuini præcepti. Quia præceptum negatiuum obligat ſēper, ratione, qua præceptum affirmatiuum: & pro ſemper ratione, qua negatiuum. Sed, Non occides, eſt præceptum negatiuum. Ergo in nullo caſu cadit diſpenſatio, vt homo occidatur. D

2 Præterea. ſicut mandatum eſt: Non occides, ita mandatum eſt: Nō furaberis. ſed in nullo caſu cadit diſpenſatio in furto per purum hominem. ergo eodē modo non cadit diſpēſatio, ꝙ homo occidatur.

3 Præterea: Triplex eſt vnio animæ cum Deo: vxoris cum viro; & animæ cum corpore proprio. Sed nō poteſt diſpenſari per hominem, ꝙ anima ſeparetur à Deo: nec quòd vxor ſeparetur à viro. ſcribitur enim Matthæi 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. ergo eodem modo Papa non poteſt diſpenſare, ꝙ anima ſeparetur à proprio corpore.

IN CONTRARIVM eſt, quod dictum eſt Moyſi gerenti vicem Papæ pro illo ſtatu, Exodi 22. Maleficos non patieris viuere. Cadit ergo diſpenſatio, vt homo maleficus occidatur abſque tranſgreſſione diuini præcepti. A

RESOLVTIO.

Diſpenſatio de homicidio datur in bello iuſto, ex iuſſu Dei expreſſo, ex occulta Spiritus ſancti inſpiratione, & ex iuſta Iudicum ſententia.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſecundum Auguſtinū, Manichæi putauerunt illud præceptum: Non occides; intelligendum eſſe de omni re habente animam: Vnde dicebant homines plantas incidētes, & animalia irrationabilia occidentes, homicidij crimē incurrere: in quorū errorem etiam ipſe Auguſtinus, quandoq; lapſus eſt: quia ficum plorare dicebat, quando folium euellebatur: ſicut ipſe recitat in lib. Confeſſionum. Sed, vt idem Auguſtinus ait, Error eſt hoc credere: quia iuſtiſſima ordinatione Creatoris, vita, & mors omniū animalium irrationabilium vſibus hominum ſubditur. Ideo reſtat, vt ſolum de homine intelligatur præceptum, cum dicitur: Non occides; ita vt ſubaudiatur: nec te, nec alium. B

Lib. 1. de morib. Manich. c. 16. Tomo 1.

Lib. 3. c. 10. Tomo 1.

C Excipiuntur tamen quatuor caſus, in quibus cadit diſpenſatio, vt homo iuſtè occidatur abſque tranſgreſſione illius præcepti ſecundum eundem Auguſtinū. † & ponitur. 23. q. 5, cap. Si non licet. Primo: ſi illi, qui, Deo auctore, bella iuſta gerunt, hoſtes interficiunt, non tranſgrediuntur diuinum præceptū. Secundo: ſi expreſſo iuſſu Dei, & præcepto hoc fiat: Vnde Abraham excuſatur, qui filium innocentem voluit occidere. Non enim fecit contra præceptum illud: Non occides: quia ex Dei præcepto illud facere voluit. Tertio: Si iudices, qui publica poteſtate funguntur, malefactores puniunt, homicidij crimen nō incurrunt. Quarto: ſi illud fiat priuato conſilio, & occulta inſpiratione Spiritus ſancti, ſic excuſatur Sāſon, qui ſeipſum cum hoſtibus occidit. ſimiliter Iepte, qui filiam ſuam vnigenitam de victoria reuertenti occurrentem, occidit: vt habetur Iudicum xi. Ipſi enim priuato conſilio hoc fecerunt. D

† Lib. 1. de ciuit. Dei c. 17. & ſequ. Tomo 5.

Gen. 22.

Iud. 16.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd lex prohibet hominem occidi præciſe: niſi enim cauſa addatur, quare ſit occidendus: puta maleficium, vel iuſſio Dei, homo occidendus non eſt: nam hominem maleficū lex non proibet occidi: immo in alio

loco lex præcipit, vt occidatur. homo enim nominat naturam: maleficium vero nominat culpam. Et quia mors eſt pœna debita, non naturæ, vt ſic, ſed culpæ: Ideo quamuis non liceat occidere hominem: occidere tamen hominem maleficum licet.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia furari eſt malum de ſe in ſuo genere: & ſecundum ſe includens circumſtantiam malam: quia importat fraudem: Ideo in nullo caſu poteſt cadere diſpenſatio per hominem, vt bene fiat. Sed occidere hominem, quamuis ſit malum in ſe; non tamen ſecundum ſe. quia adueniente ſibi debita circumſtantia, non erit malum, ſed bonum: Bonum namque eſt hominem maleficum occidere.

Ad tertium eſt dicendum, quòd anima non ſeparatur à Deo, niſi per peccatum: & vxor non ſeparatur a viro niſi propter fornicationẽ. Sed anima poteſt ſeparari a corpore non per peccatum, ſed per pœnam peccati, puta ſi occidatur: Vnde ibi non cadit diſpenſatio: ſicut non cadit diſpenſatio, vt peccatum committatur: ſed hic ſic.

ARTICVLVS II.

UTR. PRAETER PAPAM aliquis poſſit in homicidio diſpẽſare.

Concilium Trident. ſeſſ. 14. de reformat. cap. 7.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur. enim, quòd præter Papã aliquis non poſſit in homicidio diſpenſare: quia ſi aliquis alius hoc poſſet, ille eſſet Epiſcopus: ſed inter caſus, quorum diſpenſatio interdicitur Epiſcopo, ponitur homicidium: Ergo præter Papam nullus poteſt in homicidio diſpenſare. G

2 Præterea: Per homicidiũ ſeparatur homo à tota Eccleſia militante. Ergo ſolus ille, qui præeſt toti Eccleſiæ, diſpenſare poteſt ſuper homicidio.

3 Præterea: Scribitur 50. d. cap. Miror, quòd poſt quantamcumque pœnitentiam non eſt diſpenſandum cum homicida, cum hoc ſit canonicæ diſciplinæ contrarium.

In Contrarium eſt. quia cui conceditur diſpenſatio maiorum, conceditur diſpenſatio minorum. Sed Epiſcopus poteſt diſpenſare in periurio, quod grauius peccatum eſt, quàm homicidium. H

RESOLVTIO.

Epiſcopus, qui diſpẽſare poteſt in omnibus caſibus, quorum diſpenſatio in iure canonico non prohibetur: in ſimplici homicidio diſpenſare conſueuit: nunc vero propter enormitatẽ delicti, aliorũ terrorem, maiorẽq; pœnam, Homicidæ ad ſedem Apoſtolicã mitti ſolent.

RESPONDEO, dicendum, quòd differentia eſt inter iudicium iuris, & iudicium iudicis: Nã iudiciũ iuris eſt inuariabile, cum ſit de vniuerſalibus E caſibus: vniuerſalia verò inuariabilia ſunt. Iudiciũ vero iudicis, cum ſit circa cõditiones particulares, oporteret variari ſecundum variationem circumſtantiarum occurrentium. & ſicut dictum eſt de iudicio, ita dicẽdum eſt de diſpenſatione: quia ſuper his, quæ conceduntur in iure, vel prohibentur, nõ cadit diſpenſatio niſi per illũ, qui eſt conditor iuris. In omnibus ergo caſibus, quorũ diſpenſatio Epiſcopo nõ interdicitur, vel nõ prohibetur in iure canonico, Epiſcopus diſpẽſare poteſt. Sed quando illa, quæ non prohibentur ſecundũ aliquas circumſtãtias variantur, Epiſcopus tãquam iudex ordinarius poteſt in eis diſpẽſare & nõ diſpenſare ſecundum variationem circumſtantiarũ occurrentiũ. Vnde in ſimplici homicidio conſueuit Epiſcopus diſpenſare. Conſuetum eſt ſimiliter, vt ho- F micidæ ad ſedem Apoſtolicam mittantur, aut propter enormitatem delicti: aut propter terrorem aliorum: aut propter maiorem pœnam ipſorum.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ homicidiũ ponitur inter caſus, quorum diſpenſatio interdicitur Epiſcopo, non vniuerſaliter: ſed homicidium enorme, vel homicidium clericorum, cuius diſpenſatio Papæ relinquitur propter cauſam dictam.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd quamuis per quodlibet homicidium homo ſeparatur à tota eccleſia militante: iſta tamen ſeparatio poteſt fieri, vel ex cauſa aggrauante peccatum, vel alleuiante. Vnde quando occurrit circumſtantia aggrauans, diſpenſatio relinquitur Papæ: quando vero non, poteſt Epiſcopus diſpenſare.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ illud Decre. intelligitur de homicidio clericorum. Cum enim ſacerdotes, & vniuerſaliter in ſacris conſtituti homicidium committunt: quia ipſo facto irregularitatem incurrunt, cum talibus nõ ſolum Epiſcopus, verum etiam ipſe Papa conſueuit cum difficultate diſpenſare. Et quia diſpenſatio talis in iure prohibetur: ſoli Papæ, qui eſt iuris conditor, talis diſpenſatio relinquitur.

ARTICVLVS III.

UTRUM PAPA POSSIT diſpenſare, vt homo occidens alium, ne ipſe occidatur ab eo, excuſetur ab homicidio.

S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. & Sotus lib. 5. de iuſt. quæſtione. 1. art. 8.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare, vt homo occidens aliũ, ne occidatur ab eo, excuſetur ab homicidio: quia ius naturale numquã poteſt eſſe iniuſtũ. Sed de iure naturali eſt vim per vim repellere. vt dicit Iſid. & ponitur 1. di. c. Ius naturale.

Præterea:

2 Præterea: Quicquid homo iuſtè poteſt pro vita ſua conſeruanda, iuſtè poteſt facere, & iuſtè facit, ſi facit. Sed Auguſtinus 1. de lib. arbi. cap. 5. dicit: Iuſta eſt lex, quæ dat poteſtatem viatori, vt latronem occidat, ne ab eo occidatur. Si ergo in tali caſu latro iuſtè occidatur, non committitur homicidium. A

Tomo 1.

3 Præterea: Prius homo tenetur diligere ſe ex charitate, quàm proximum. ſuppoſito ergo, quòd quis non poſſit ſaluare vitam proximi cum ſua vita, potius debet perimere vitam proximi, quàm ſuam.

In Contrarivm eſt Apoſtolus ad Roma. 12. dicens: Nulli malũ pro malo reddentes. & Petrus dicit in canonica ſua: Melius eſt, ſi velit voluntas Dei, uos pati benefaciendo, quàm malefaciendo.

1. Pet 3.

Resolvtio.

Papa ſuper hoc homicidio diſpenſare non poteſt, ut homo ab eo excuſari queat: etiam ſi quacumque neceſſitate ineuitabili fiat.

Respondeo, dicendum, quod homo aliquã do occiditur nocendi, vel vlciſcendi cupiditate: & talis occiſio vniuerſaliter prohibetur. Exodi. 20. cũ dicitur: Non occides. Aliquando vero iuſtitiæ æquitate, & talis occiſio præcipitur uniuerſaliter Exo. 22. Maleficos ne patiaris viuere. Aliquando autem ineuitabili neceſſitate, & iſta permittitur Exo. 22. Vbi latronem nocturnum lex permittit interfici, & non diurnum: quia ſecundum Auguſtinũ ibidem, de nocturno probabiliter neſcitur, an venerit ad rapiendũ ſolum, vel ad occidendum. Cum ergo permiſſio fiat de minori malo propter euitationem maioris mali, vt dicit Auguſtin. 1. de lib. arb. Ideo puto, quòd culpa ſit hominem occidere, ne ipſe occidatur: quacumque ineuitabili neceſſitate hoc fiat. quia animam proximi plus teneor diligere; quàm corpus propriũ, quod, me inuito, poſſum perdere. Planum eſt autem, quòd anima proximi perditur ex quo in actu iniuſtè me occidentis per me occiditur. Ad hoc eſt auctoritas Auguſtini in pluribus locis. Primo de lib. arbit. dicentis: Lege inculpata illi homines, qui alios occidũt, ne ipſi occidantur, quomodo inculpati eſſe queant, non uideo, & aſſignat rationem prædictam dicens: Quicquid erepturus erat ille, qui occiditur, totum in poteſtate noſtra non eſt. quia uita animæ nullo pacto aufert, dũ hoc corpus interimitur. Qua propter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici: ſed quo pacto illos defendam, qui interficiunt, non inuenio. Idem Auguſtinus † ad Publicolã in quadam epiſtola. Et ponitur. 23. q. 5. cap. De occidendis, vbi dicit ſic: De occidendis hominibus, ne ab eis quiſque occidatur: non mihi placet conſilium. Nec valet dictum quorundam dicentium, quòd Auguſtinus loquitur in caſu, quo quis interficit volentẽ eum interficere ex euadendi euitabili neceſſitate, & ex vitę poteſtatis inordinato amore occiſurus eum, etiam ſi non crederet licere. quia Auguſt. vniuerſaliter dicit, quòd qualiter inculpati eſſe queant occidentes alios, ne ipſi occidantur, non uideo: & qualiter excuſari poſſint a culpa, non inuenio.

Quæſt. in Exo. c. 84.

S. Tho. loco pręcitato & alij aliter ſentiunt.

Tomo 5.

† Epiſtola 154. Tomo 2.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd glo. ad Ro. 12. exponit illud verbũ: Licet vim per vim repellere: quia inferenda eſt vis motui * noſtro. cũ mouetur ad illatas iniurias repellendas: Hoc enim eſt de iure naturali talem vim inferre animo noſtro, vt non moueatur contra ordinem charitatis, illatas iniurias repellere, non ſecundum naturam ſenſitiuam. in qua communicamus in brutis: ſecundum enim illam verum eſt, quòd inclinamur per vim repellere vim: ſed ſecundum naturam intellectiuam diuina iuſtitia, & charitate formatam, ſecundum quam inclinamur plus diligere animam proximi, quàm corpus proprium, quod inuite poſſumus perdere.

* al. motui animi noſtri.

B Ad ſecundum eſt dicendum, quòd quicquid homo iuſtè poteſt, iuſtitia ſuadente, & præcipiente, debet facere pro vita ſua conſeruanda: ſed nõ quicquid poteſt, iuſtitia permittente. Latronem vero à viatore occidi lex permittit, non autem iubet. vnde dicit Auguſtinus in libro ſupradicto, legem quidem ſatis video eſſe inimicam contra huiuſmodi accuſationem: quæ in eo populo, quem regit in minoribus malefactis, ne maiora committerentur, dedit licentiam: multo enim minus malum eſt occidi eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quàm eum, qui ſuam tuetur vitã.

Ad tertium eſt dicendum, quòd licet prius homo teneatur diligere animam ſuam, quàm proximi; plus tamen tenetur diligere animam proximi, quàm proprium corpus. Planum eſt autem, quòd occiſio volentis me iniuſtè occidere: non eſt ſine periculo damnationis animę proximi. Ideo non ſolum perfecto uiro, verum etiam cuilibet priuatæ perſonæ magis expedit permitttere ſe occidi, quàm occidere. C

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt homo interficiens ſeipſum, non incurrat homicidij reatum.

S. thomas 2. 2. q. 64. art. 5. & Dominicus Sotus lib. 5. de iuſtitia, & iure quęſt. 1. ar. 5. & Alphonſus Caſtrus lib. 10. aduerſus hęreſes, verbo: Martyrium.

D Ad quartum ſic proceditur. videtur enim, quod Papa poſſit diſpenſare, vt homo interficiẽs ſeipſum non incurrat reatum homicidij. Dicit enim Apoſtolus 1. Cor. 9. Melius eſt mihi mori, quàm vt gloriam meã quis euacuet. Melius ergo eſt, vt homo ſeipſum occidat, quàm quod perdat gloriam ſuæ innocentiæ.

2 Præterea: Dicit † Hierony. & ponitur. 23. q. 5. c. Non eſt: Non eſt noſtrum arripere mortem, ſed oblatam libenter ſuſcipere; vnde in perſecutionibus non licet propria perire manu abſque eo, vbi caſtitas periclitatur. Ante igitur homo deberet ſeipſum interficere, quàm caſtitatem perdere.

† Id habet s. Hieronymus in cõment. ad finem cap. 3. Ionę.

3 Præterea: Nullus homicida inter Sanctos numeratur. ſed multi, qui ſeipſos interfecerunt, numerantur inter Sanctos: licet ergo, quòd homo ſeipſum interficiat abſque eo, quòd homicidium incurrat. E

In Contrarium eſt glo. ſuper illo verbo Exodi 20. Non occides, te, nec alium.

Resolvtio.

Papa diſpenſare non poteſt, ut quis ſe occidat, abſque homicidij culpa: Samſon enim non niſi iuſſu Spiritus ſancti ſe interfecit.

Tomo 5. cap. 21.

Reſpondeo, dicendum, quòd iſtam quæſtionem mouet Auguſt. 1. de Ciui. Dei: vbi ait, aliquos ſenſiſſe non licere hominem occidere, ſed ſeipſum licebat, quod probabant per multa exempla. F

Iud. 16.

Primo, quia Samſon ſeipſum interfecit: Quædam ſimiliter fœminę volentes fugere eos, qui volebant earũ pudicitiam violare in rapturũ, & necaturum fluuiũ ſe proiecerũt. Narrat etiã ibi de Lucretia Romana quæ cum violẽter eſſet oppreſſa à Filio Regi, hoc eius viro, & cuidam conſobrino ſuo viris fortiſſimis primo indicauit, & conſtrinxit iuramento, vt vindictam facerent: poſtmodum † tamquam fœderis promiſſi tranſgreſſa ſeipſam occidit. Similiter † Cato ſeipſum occidit. Et omnes iſtæ perſonę in venerabili habentur honore ab Eccleſia.

cap. 19. Valer. max. lib 6. cap. 1.

§ Auguſtinus ita habet: Deinde fœdi in ſe cõmiſſi ſceleris ægra, atque impatiens ſe peremit.

† Val. max. lib. 3. cap. 2.

* al. haberi.

Ad quod reſpondet Auguſtinus, quòd Samſon, & Iepte nõ aliter excuſantur, niſi quia iuſſu Spiritus ſancti hoc fecerunt, & ſi perſonæ aliæ ſupra nominatę tali iuſſu Spiritus ſancti ſe occiderũt, in memoria debent * celebrari, aliter non. Vnde concludit ibi Auguſtinus, quòd nec propter malorum, & perſecutorũ vltionem ſicut Samſon: nec propter aliorum peccatorum vitationem, ſicut Virgines timẽtes deflorari. nec propter peccatorum pręteritorum deſperationẽ, ſicut Iuda: nec propter melioris vitæ acquiſitionem, ſicut multi hæretici faciunt; † Omnibus enim iſtis modis non poteſt diſpenſari per hominem, vt homo ſeipſum occidens culpam homicidij non incurrat. Nam homo tenetur ſemper ſeruare ſalutem animæ, ne auferatur ſiue ab alio, ſiue à ſe: Salutem vero corporis tenetur homo ſeruare, ne auferatur à ſe, ſed nõ tenetur ſeruare eam, ne auferatur ab alio, dummodo expediat pro ſalute animæ, ſalutem corporis morti exponere. G H

† Hic videntur deſiderari hęc verba. Neminem ſpõtaneam mortem ſibi inferre debere ſicut colligit ex S. Auguſtino lib. 1. c. 26 de ciuitate Dei. Tomo 5.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, quòd melius eſt homini mori, quàm gloriam ſuæ innocentiæ perdere. non tamen ideo debet ſe occidere, ſed permittere ſe prius occidi ab alio.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod dictum Hieronymi ſic exponit glo. cauſa, & quæſtione ſupradicta dicens: quòd ly, abſque eo, intelligitur incluſiue: ac ſi diceret: nec in iſtis, in quibus magis videtur, puta in perditione caſtitatis, vel Virginitatis licet alicui ſe occidere. ſecundum quem modum exponitur Canti. 4. Pulchræ ſunt genæ tuæ, abſque eo, quod intrinſecus latet.

Ad tertium patet ſolutio per ea, quæ dicta ſunt in corpore quæſtionis.

Articvlvs V.

Utrum Papa diſpenſare poſſit, quòd pater occidens filiam in adulterio deprehenſam, non incurrat culpam parricidij.

l. Patri cum duabus ſeq. ff. ad leg. Iul. de adulter.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa diſpenſare poſſit, quod pater occidens filiam in adulterio deprehenſam, non incurrat culpam parricidij. Quia quod iuſta lege conceditur, fieri poteſt abſq; culpa: ſed lex concedẽs patri, vt filiã in adulterio deprehẽſam poſſit occidere, iuſta eſt: aliter enim lex dicẽda nõ eſſet, niſi iuſta eſſet, vt dicit Auguſtinus primo de libe. arbi. c. 5. Tomo 1.

2 Præterea: Lex diuina lex ſancta eſt, & mandatũ ſanctum. ad Ro. 7. ſed Deuter. 21. pro inobedientia, & adulterio Parentes poterant prolem ſuam morti tradere. Ergo diſpenſabile eſt, quòd pater filiam occidat in adulterio deprehenſam abſq; culpa parricidij.

3 Præterea: Iuriſconſultus dicit † quod ideo Patri non marito mulierem, & omnem adulterum permiſſum eſt occidere, quia plerumque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit. Mariti vero calor, & impetus facile decernentis refręnandus fuit. indultum eſt ergo Patri, non marito, quòd mulier in adulterio deprehenſa interficiatur.

† In l. Nec in ead. ff. ad legem Iuliã de adulterijs.

In Contrarium eſt. Quia quicumque non dimittit minus malum propter euitationẽ maioris mali, non excuſatur à culpa, nec à pœna debita illi culpe. ſecundum enim Gregoriũ, & ponitur. 13. d. cap. Nerui teſticulorum. ſemper minus malum dimittendum eſt propter euitationem maioris mali. ſed maius malum eſt homicidium, quàm adulterium. quod patet: quia propter vitandum homicidiũ Deus permiſit † repudium. Non ergo Pater interficiens filiã in adulterio excuſatur à pœna parricidij.

† prius minus emendate legebatur: Vxoricidium.

Resolvtio.

Lex quamuis Patri permittat filiam adulteram occidere cum Adultero in ipſo actu adulterij in domo Patris, vel Mariti, non alibi: & in actu acerbi doloris. Ipſe tamen Pater Parricidij culpam per diſpenſationem euitare non poteſt.

Reſpondeo, dicendũ, quòd ſicut dicit Auguſtinus 1. de libe. arb. c. 5 Lex in malefactis minoribus, ne maiora cõmitterẽtur, dedit licẽtiã: Planũ eſt autẽ, quod minus malũ eſt adulteriũ, quàm quòd mulier in adulterio deprehenſa ſic per Patrẽ interficiatur *. Nã melius eſt, quod tale quid impunitũ dimittatur, quàm poſt interfectionẽ Pater eius interficiens pœna parricidij puniatur, præſertim cum paterna pietas, Tomo 1.

* al. &

quæ

A quæ ſemper conſilium capit pro liberis liberandis, potius, quàm interficiendis, non ſine inconſulto dolore, & magno incitatiuo ad interfectionem adulteræ filiæ moueatur. quamuis tamen lex pœnam non apponat, à culpa tota parricidij excuſari non poteſt propter duo.

Primo quia lex diuina, quæ vniuerſaliter præcipit: Non occides; humanis legibus aſtricta non eſt. Ideo talis tamquam tranſgreſſor legis diuinæ, pœnę Eccleſiaſticæ eſt ſubijciendus tamquam parricida: licet eius culpa poſſet excuſari, ſeu alleuiari, & aggrauari ſecundum conditionem circunſtantiæ occurrentis. B Secundo, quia ſecundum promiſſionem legis: magis oſtenditur, ꝙ pater interficiens filiam adulteram ex dolore, & ira vindictæ, & iniuriæ in eam irrogatæ, quàm ex zelo iuſtitiæ fecerit, ſecundum quem modum non ſolum priuata perſona, verùm etiam miniſter legis interficiens maleficum, à culpa homicidij non excuſatur. non † enim lex permittit Patri filiam adulteram occidere, niſi quatuor conditionibus appoſitis.

† l. nec î ea. ſupra citata. & l. qđ nit. ff. ad legem Iul. de adulr.

Primo, ꝙ in ipſo actu, & operatione adulterij eam occidat. Secundo, ꝙ ſimul interficiat adulterum cũ adultera. C Tertio, ꝙ non ubique, ſed ſolum in domo, quam inhabitat, vel in domo mariti ipſam occidat. Maiorem enim iniuriam putauit Legiſlator, quòd in domo Patris, aut mariti auſa fuit filia adulterium cõmittere. Quarto, ꝙ in continenti inconſulto dolore, & dum eſt in actu acerbi doloris filiam adulterã occidat. Planum eſt autem, ꝙ omnes iſtæ cõditiones, ſecundum quas permittitur Patri adulteram filiam occidere, oſtendunt, ꝙ talis occiſio non ſit zelo iuſtitiæ, ſed magis dolore illatæ iniuriæ, ac per conſequẽs culpa Parricidij carere non poteſt.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. lex humana iuſta eſt, multa tamen permittit, & multa impunita relinquit, quæ per diuinam legem puniuntur, quæ in criminibus quantum ad culpæ immunitatem, vel grauitatem, humanæ legi ſubiecta non eſt.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicitur 10. Ethic. Pater non habet poteſtatem coactiuam ſuper liberos: ſed monitiuam tantum. Vnde licet lex mandauerit filium proteruum pro rebellione patris eſſe lapidandum, & filiam ſimiliter fornicariam in domo patris: non tamen illud debebat fieri proprio iudicio paterno: ſed debebant ipſi parentes apprehẽdere filiam, vel filium, & ducere ad ſeniores ciuitatis, & ad portam iudicij, vt per iudices, qui illo tempore erant, tale iudicium fieret, non dolore illatæ iniuriæ, ſed zelo iuſtitiæ. Nec contra illud lex humana poteſt aliquid ſtatuere præcipiendo. ſed ſolum permittendo, non taxando pœnam.

Ad tertium dicitur, quòd prima pietas conſilium capit pro liberis extra paſſionem, ceſſante dolore: ſed inconſulto dolore dum in actu adulterij filiã cum adultero occidit, ſecundum quem modum ſibi à lege permittitur, conſilium capere non poteſt. Vnde licet propter magnum incitatiuum pœna ſibi à lege non taxetur, in foro tamen Eccleſiaſtici iudicij puniendus eſt. Viro † vero permittitur adulterum vxoris occidere, non tamen omnem ſicut patri, ſed talẽ, qui ſit ſeruilis, & humilis cõditionis, quia motiuum videtur maioris contemptus. vel talem, qui per legẽ Iuliã impunè poſſit occidi, vt Iuriſconſultus dicit.

† l. marito. ff. ad legem Iul. de adul.

QVAEST. LIII. DE DISPENSATIONE SEXTI PRAECEPTI.

D *VLTERIVS conſiderandum eſt de diſpenſatione ſexti præcepti. Circa quod quæruntur quinque.*

Primo, Vtrum Papa poßit diſpenſare, quòd vnus homo habeat plures vxores.

Secundo, Vtrum fuerit aliquando humana auctoritate diſpenſatum, plures vxores habere.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ vna mulier poſſit eſſe vxor plurium virorum.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd ſimplex fornicatio non ſit peccatum mortale.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in omni gradu conſanguinitatis.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd vnus homo habeat plures vxores.

Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 33. q. 1. ar. 1. & 2.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, ꝙ vnus homo habeat plures vxores. In eo enim, quod non eſt contra ius naturale, Papa poteſt diſpenſare: ſed Iſidorus† dicit ius naturale eſſe, quod eſt commune omni nationi. cum ergo homines multa-

† Ethymol. lib. 5. cap. 4.

rum nationum vxorum pluralitate vtantur, non erit contra ius naturale, vxorum pluralitatem habere.

2 Præterea: Papa poteſt diſpenſare, ꝙ vnus homo vtatur pluribus cibis. Ergo poteſt diſpenſare, ꝙ vnus homo copuletur pluribus vxoribus. Quod enim facit cibus ad ſalutem hominis conſeruatiuè: Idem facit concubitus ad ſalutem generis multiplicatiuè.

3 Præterea: Papa poteſt diſpenſare in eo, quod poteſt aſſueſieri, & conſuetum fieri: nam quod eſt contra naturam, numquam aſſueſieri poteſt. ſi enim millies proijcitur lapis ſurſum nunquàm aſſueſiet ſurſum aſcendere, vt dicit Philoſophus 8. Phyſicorum, ſed habere plures vxores, poteſt aſſueſieri, & aliquando fuit conſuetum. Cadit ergo in eo diſpenſatio.

In Contrarivm eſt. quia Apoſtolus dicit ad Epheſ. 5. vt viri diligant vxores ſuas: ſicut corpora ſua propria. Sed contra naturam eſt, ꝙ vnus homo habeat duo corpora. Ergo etiam, ꝙ habeat duas vxores.

RESOLVTIO.

Diſpenſatio à Papa ſuper habentibus plures ſimul vxores dari non poteſt, cum ſit contra diuinam inſtitutionem, contra naturæ ordinationem, & contra diuini præcepti obligationem.

Respondeo, dicendum, quòd Papa non poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt contra diuinam inſtitutionem, contra naturæ ordinationem, & contra diuini præcepti obligationem. Habere autem plures vxores ſimul, eſt contra omnia iſta.

G Primo quidem contra diuinam inſtitutionem: Sic enim inſtitutum eſt matrimonium, vt vir, & vxor debeant eſſe vna caro, iuxta illud Gen. 2. Adhærebit homo vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. qui enim plures vxores habet, cum pluribus diuidit carnem ſuam: & facit directè contra matrimonij à Deo primam inſtitutionem.

Secundo eſt contra naturæ ordinationem. Ordo namque naturæ non includit impoſſibilitatem: cum igitur natura matrimonij talis ſit, vt vnus coniugum alteri poteſtatem ſui corporis tradat. ſicut impoſſibile eſt, vnum hominem vna hora pluribus vxoribus debitum petentibus reddere: ſic impoſſibile eſt vnũ hominem ſecundum naturæ ordinem plures vxores habere.

H Tertio eſt contra diuini præcepti obligationem. Nam præceptum legis naturæ datũ homini Matth. 7. ſic ligat, vt nemo faciat alteri, quod ſibi non vult fieri. Planum eſt autem, quòd homo diuidens carnem ſuam cum pluribus vxoribus, facit vxori ſuæ quod ſibi nollet fieri: nullus enim vellet, quòd ſua vxor cum pluribus viris carnem ſuam diuideret. vnde plures vxores habere, eſt directè contra dictamen rationis naturalis.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd ius naturale eſſe commune omnium nationum, poteſt

E intelligi dupliciter: loquendo etiam de iure naturali non communiter ſumpto, ſecundum quem modum dicimus, ꝙ ius † naturale eſt, quòd natura omnia animalia docuit: ſed de iure ſpecialiter accepto, & ſingulariter, naturaliter omni homini indito: ſecũdum quem modum dicit Iſidorus. † Quòd ius naturale eſt, quod in lege, & Euangelio continetur. Primo, quantum ad obligationem: & ſic tale ius commune eſt omnium nationum habentium rationalẽ animam. Secundo, quantum ad obſeruationem: Habere ergo plures vxores, eſt contra ius naturale, vt eſt com mune omni nationi: quia omnes nationes ligat, non tamen ſic eſt commune, quòd ab omnibus obſeruetur.

† .5. 1. inſti. de iure nat. gent. & ciuil.

† Id habet Gratianus in decreto diſtinct. 1. in principio.

F Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia per vſum ſecundi cibi nullum fit præiudiciũ primo: ſed per vſum ſecundæ vxoris fit præiudiciũ primæ: hominis namque ad cibum, quem cõſumit, nulla contrahitur obligatio: ſed hominis ad uxorẽ perpetua obligatio contrahitur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ eſſe aliquid naturale, poteſt intelligi dupliciter: Vel à natura ſola ſine actu animæ: vt motus lapidis: & tale nõ poteſt aſſueſieri in contrarium: vel à natura cum actu animę: & tale poteſt aſſueſieri in contrarium. Vnde aues docentur hominum voces articulatas formare.

ARTICVLVS II.

VTRVM FVERIT ALIquando humana auctoritatè diſpenſatum, plures vxores habere.

Turrecremata in cap. Dixit Sara. 32. queſtio. 4. & Sotus ſupra citatus.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ aliquando auctoritate humana fuit diſpenſatum, plures vxores habere: quia in illis, quæ non ſunt contra naturam, nec contra mores, nec cõtra Dei præcepta, auctoritate humana diſpenſari poteſt. ſed dicit gloſſa Aug. Gen. 29. quòd pluralitas vxorũ Iacob non fuit contra naturam, nec contra mores, nec contra Dei præcepta. Ergo in hoc auctoritate humana diſpenſatum fuit. Tomo 5. 16. De Ciuit. Dei. c. 38.

2 Præterea: Ambroſ. lib. 1. de Abrahã, cap. 4. Dicit, ꝙ Abraham habendo plures vxores, non commiſit aliqnid contra legem: ſed præuenit legem. In omni autem eo, quod non eſt contra legem diuinam, diſpenſari poteſt auctoritate humana.

3 Præterea: Diſpenſatio cadit ſuper eo, quod non eſt contra legem naturæ: ſed conſeruatio ſpeciei humanæ, quam natura omnium animalium dictat, in ſuo genere ſecurius, & certius poteſt fieri per pluralitatem vxorum, quàm aliter. ſolum ergo auctoritate humana in hoc cadit diſpenſatio.

In Contrarivm eſt. quia humana auctoritas

ctoritas non ſe extendit diſpenſare in eo,quod eſt cō tra naturam : & contra mores. Sed glo.Gen.4.dicit ꝙ primus contra naturam,& mores committēs adul terium fuit Lamech,qui accepit duas vxores.

Adulter primus.

R E S O L V T I O.

Auctoritate humana in habentibus plures vxores diſpenſatum numquam fuit : ſed diuina, propter cultus diuini ampliationem ,ſanctorumq. Patrum deuotionem. Hinc Abrahę, & Ioannis continentia meritum impar non extitit : ſicut Petro, qui paſſus fuit, Ioannes, qui paſſus non eſt,in merito patientię impar non fuit.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundum Aug. duo præcipuè oſtendunt, ſolum Dei auctoritate diſpenſatum eſſe in pluralitate vxorum.

Primum eſt diuini cultus ampliatio. Secundum eſt ſanctorum Patrum deuotio. In ſucceſſione namque ſanguinis,ſicut dicit Aug. lib.16.de Ciuit.Dei.c.25. Erat ſucceſſio religionis, in qua colebatur Deus. vnde quia gentis fidelium diſtinctæ ab infidelibus, primus pater fuit Abraham : ideo in eo primo factum eſt priuilegium ſanctæ diſpenſationis de pluribus habendis vxoribus. Et ſic ſucceſſiuè omnibus poſteris eius, in quibus fuit eadem cauſa propagationis fidelis populi. Secundo hoc oſtendit ſanctorum Patrum deuotio.Contrahebant enim ſecundum Aug. ſancti Patres cum pluribus vxoribus, non ducti libidine, ſed ducti pietate, qua vtebantur coniugibus pluribus caſtius, quàm nunc vna quilibet iſtorum : in quibus videmus, quòd ſecundum veniam concedit Apoſtolus, qui atteſtatur eorum meritum. ait enim,quòd ſicut non fuit impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Ioanne,qui paſſus non eſt;ſic non fuit impar meritum continentiæ in Ioanne,qui nullas expertus eſt nuptias : & in Abraham, qui filios generauit : nam illius cœlibatus, & iſtius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militauerunt. quàmuis enim caſtitas cœlibum melior ſit, quàm caſtitas nuptiarum : Abraham tamen ambas habuit in habitu, & vnam ſolam in vſu.

Tomo 5.
De bono cōiug.c.21.
Tomo 6.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ plures vxores habere,non fuit contra naturam in antiquis Patribus : quia non fuit propter affectum libidinoſum,ſed officioſum. vnde non erat contra legem naturæ : ex quo ſciebant interna inſpiratione,& Angelica reuelatione ipſum Deum hoc velle: quàuis enim ratio naturalis abſolutè dictet, non eſſe accipiendam rem alienam,domino rei inuito : conditionaliter tamen poteſt dictare contrarium, puta domino volente.Ex quo ergo ſancti Patres ſciebant,Deum velle,nō erat contra dictamen legis naturæ ſic conditionaliter ſumptum : nec contra morem: quia illo tempore ſic fiebat : nec contra præceptum, quia nulla lege ſcripta adhuc iſtud erat prohibitum.

Et per hoc patet reſpōſio ad Secundū. quia Abraham præuenit legem Muſaicam ſcriptam: nō autem præuenit legem naturæ, quæ licet abſolutè dictaret, pluribus uxoribus non eſſe commiſcendum: volente tamen Deo, & inſpirante, dictabat contrarium.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ratio naturalis in homine dictat conſeruationem ſpeciei ſecundum rationem poſſibilem : pluralitas autem vxorum talem poſſibilitatem rationabilem excludit. vnde non recipit diſpenſationem niſi in caſu, & diuina auctoritate, &c.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd vna mulier poſſit eſſe vxor plurium virorum.

Turrecremata ſupra citatus, & plenè Sotus lib.4.ſent. diſt.33.q.1.art.3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare,quòd vna mulier poſſit eſſe vxor plurium virorū.Dicit enim Auguſtinus in li. de x. Chordis. cap.3.Quòd plus peccat *homo quàm mulier adulterans.Magis ergo eſt diſpenſabile, ꝙ vna mulier habeat plures viros, quàm quòd vnus homo habeat plures uxores.

Tomo 9.
* al. vir.

2 Præterea : Aliquando de facto diſpenſatum eſt, quòd homo plures vxores habeat. Ergo de facto diſpenſabile eſt, ꝙ vna mulier habeat plures viros.

3 Præterea : Philoſophus dicit 1. Phyſicorum, ꝙ ſic fœmina appetit maſculum,ſicut materia formā : ſed materia poteſt pluribus formis informari. Ergo mulier poteſt pluribus viris copulari. Ariſt.1.Phyſic. text. cō. 81.

IN CONTRARIVM eſt. Quia illud non eſt diſpenſabile, quod in nulla lege legitur eſſe factū, vel diſpenſatum : ſed nuſquam legitur lege diuina fuiſſe diſpenſatum, nec in aliqua natione,quantumcunque barbara,legitur eſſe cōſuetum,quòd vna mulier habeat plures viros. Non eſt ergo hoc diſpenſabile.

R E S O L V T I O

Indiſpenſabile eſt, quòd mulier ſit plurium virorū vxor, ne naturalis ſubiectio, amicitia copulatio, prolis affectio, educatioq. è medio tollantur.

RESPONDEO, dicendum,quòd in copulatione viri,& vxoris quatuor includuntur. Primo naturalis ſubiectio : Sic enim dictum eſt vxori Gen. 2. Sub viri poteſtate eris : & ipſe dominabitur tui. Secundo, perfectæ amicitiæ copulatio. Eſt enim naturalis amicitia perfecta,& primaria inter virum, & vxorem. Tertio, prolis generandæ affectio. quia propter hoc facta eſt in adiutorium viri, ut dicit Auguſtinus lib.de Geneſi ad litteram. Quarto eius nu- Tomo 3. lib.9.c.3.

tritio

tritio, & educatio. Iſta aotem quatuor deſtruerentur, E ſi mulier eſſet vxor plorium virorum. Remoueretur enim naturalis ſubiectio: quia cootra ordinem naturæ eſt, vt aliqua perſona æqoe per ſe pluribus ſubijciatur. Secundo remoueretor amicitiæ copulatio. Perfecta enim amicitia noo niſi ad vnum eſſe poteſt, & cum hoc induceretur doloris afflictio, quæ eſt priocipium diſcordiæ. quia quilibet triſtatur cum impeditur per alterum in vſu ſuæ rei delectabilis. Tertio, remooeretur prolis affectio: Quamuis enim vnus vir poſſit fęcundare multas fęminas: vna tamen mulier cõmuniter à pluribus viris fęcundari nõ poteſt. Vnde meretrices, quæ pluribus viris ſe ſupponunt, commuoiter ſteriles ſunt. Quarto, remoueretur nutritio, & educatio: quia certitudo prolis eſt cauſa ſolicitudinis habendæ circa eius ootritionem, & edocationem: quæ nulla eſt, quando vna mulier pluribus viris copulatur. Iodiſpenſabile ergo eſt, ꝙ vna mulier ſit vxor plurium virorum. F

Meretrices cur ſteriles.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo, & Secundum eſt dicendom, ꝙ intentio Auguſtini eſt in libro præallegato: maius peccatum eſt adulteriũ vxoris, quàm viri: pro tanto, quia ad adulterium vxoris concurrit.

Adulterium Vxoris cur maius, q̃ Viri.

Primo furtum in eo, ꝙ hæreditas debita filijs mariti, datur extraneis.

Secundo concurrit frequenter homicidium, propter quod vitandum Moyſes permiſit adulteria, permittendo libellum repudij. Expreſsè enim dicit glo. Deutero. 24. Vide (ioquit) quantum malum eſt homicidiũ, pro quo vitando multa adulteria tolerantur. G

Tertio concurrit ibi ſacrilegium. quia omnis mulier adulterans ſecundum omoe tempus eſt vniuerſaliter præuaricatrix legis diuinæ. non autem ſic homo, cum aliquando fuerit diſpenſatum, quòd vnus homo poſſit pluribus vxoribus commiſceri. Plus tamen peccat homo adulterãs, qoàm mulier. quia Deo eſt propinquior: eſt enim caput eius. Eſt io complexione fortior: & io ratione præſtantior. Iſta enim duo ſimul ſtant: quòd mulier adulterans maius peccatum committat, qoàm vir: & tamen vir plus peccat, quàm vxor, quia maius peccatum refertur ad operationem, & actum peccati. ſed plus peccare refertur ad conditionem, & ſtatum peccantis.

Adulterium Viri cur maius, q̃ Mulieris.

Conciliatio dictorum.

Ad tertiom eſt dicendum, ꝙ ſicut contra oaturam eſt quòd materia ſimul, & eodem modo pluribus formis informetur: ſic cootra naturam eſt, ꝙ vna mulier ſimul matrimonialiter pluribus viris copuletur. ſucceſſiuè vero, mortuo viro, poteſt alteri nubere: ſicut in materia ex corruptione vnius, fit generatio alterius. H

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare; quòd ſimplex fornicatio non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. Et Turrecremata in c. Meretrices 32. q. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, ꝙ ſimplex fornicatio nõ ſit peccatum mortale. Quia ille, qui facit quod eſt de iure naturæ, nõ peccat mortaliter: ſed Iſidorus dicit, de iure naturali eſſe, maris, & fœminæ coniunctionem. Non eſt ergo peccatum mortale ſimplex fornicatio. Lib. 5. Ety. cap. 4.

2 Præterea: Abraham cognooit ancillam ſuam de cooſenſu vxoris, & cũ ibi fuerit fornicatio ſimplex, non tamen ei imponitur, ꝙ peccauerit mortaliter. Gen. c. 16.

3 Præterea: Vbi poſſunt aſſignari bona matrimonij, ſine peccato fieri poteſt: ſed in concubitu fornicario poſſunt aſſignari perpetuitas fidei, generatio prolis, & ſacramentum. Ergo ſioe peccato mortali fieri poteſt.

In Contrarivm eſt. Quia nullus excluditur à Regno cœleſti, niſi pro peccato mortali. ſed Apoſtolus dicit ad Epheſios 5. Omnis fornicator, aut immondus, non habet hæreditatem in G regno Chriſti, & Dei.

RESOLVTIO.

Fornicatio ſimplex cum ſit cõtra ius naturale, ideſt contra pręceptum legis naturæ, à Papa ſuper ea diſpenſari non poteſt.

Respondeo, dicendom, ꝙ quibuſdam viſum eſt, fornicationem ſimplicem oon eſſe peccatũ mortale. Quia Gen. 1. iodifferẽter omnibus dicitur: Creſcite, & multiplicabimini, & replete terram. Similiter lex † ciuilis dicit: Quod in oullius bonis eſt, cooceditur occupanti: vt inſula † nata in mari, quia in oullius bonis eſt, cooceditur occupanti. ſed mulier H ſoluta carens viro in oullius bonis eſt, occupanti ergo licitè conceditur. Vti etiam re ad vſum, ad quem facta eſt, nullum videtur eſſe peccatum: & maximè vti re ſua. Ergo quòd quis vtatur ancilla ſua ad actũ generationis, cum ad hoc mulier facta ſit, oon videtur eſſe peccatum mortale. Ad hoc ergo reſpondet Aug. in lib. de x. Chordis, cap. 10. Dicens ſimplicem fornicatiooem eſſe contra ius naturale. quia eſt contra iſtud præceptum legis naturæ: Quod tibi nõ vis fieri, alteri ne facias. qood quidem præceptum (vt ait) extendit ſe ad dilectionem Dei, & dilectionem proximi. nõ enim homo debet facere proximo quod ſibi nollet fieri; & multo magis non debet facere Deo, quod ſibi nollet fieri. aliter (vt ait) charior eſſẽt homini proximus, quàm Deus. Sed ideo adul-

† l. quod n. ff. de acqu. rerũ domi. † l. Adeo q. dem. §. præterea. ff. de acquir. rerũ domin.

Tomo 9.

terium eſt peccatum mortale. quia hom o facit proximo, quod ſibi nollet fieri. corrumpit enim vxorē eius: & tamē ſuam nollet ab aliquo corrumpi. Ergo eodem modo fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale: quia facit homo Deo, quod nollet ſibi fieri. Nā corrumpit domum, & templum Dei: & tamen domum, & templum ſuum nollet ab aliquo corrumpi, Geneſ. 1. & deturpari. quòd vero dicitur: Creſcite, & multiplicamini, &c. dictum eſt hoc poſt formationem Euæ, & inſtitutionem matrimonij: & ſi ante dictū eſt, fuit propter operum ſex dierum continuationē: non propter præcepti executionem. Quod autem ſubditur: Occupanti conceditur, quod non eſt in bonis alicuius; intelligitur de illis, quorum dominium fuit datum homini, non de mulieribus vel hominibus: ſimiliter re ſua vti cuilibet licet, non tamen abuti. Ancilla autem non eſt deputata homini ad vſum fornicationis, ſed ad alia obſequia.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, q vſus viri cum fœmina quæcunque, naturalis dicitur, à natura generali, non autem ſpeciali, quæ eſt cum ratione, & diſcretionis vſu. Vnde poſtquàm Iſidorus dixit de iure naturali eſſe coniunctionem maris, & fœminæ; addidit: quam nos matrimonium appellamus.

Ad ſecundum eſt dicendum, q Abraham non fuit fornicatus cum ancilla ſua: quia, vt ſcribitur Geneſ. 16. Ancilla fuit ſibi vxor, & pro uxore aſſignata: non enim diceretur Abraham habuiſſe duas vxores: ſi ancilla non fuiſſet ſibi matrimonialiter copulata.

Ad tertium eſt dicendum, quòd perpetuitas fidei non ſeruatur in concubitu fornicario, eo quòd de conſenſu alterius, vel vniuſcuiuſque perpetuitas illa diuidi poteſt: nec bonum prolis, cum non ſit ad prolem affectus matrimonialis: & multo minus, nec eſt hoc bonum ſacramenti, propter quod error eſt dicere, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum mortale.

ARTICVLVS V.

UTRUM PAPA POSSIT diſpenſare in quolibet conſanguinitatis gradu.

Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij. cap. 5. Armill. Tit. Diſpenſatio. §. 9. & Matrimoniū §. 25.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, q Papa non poſſit diſpenſare in quolibet conſanguinitatis gradu: quia ius poſitum, cuius Papa eſt conditor, non poteſt tollere ea, quæ ſunt de iure naturæ. Sed vinculum conſanguinitatis, quod eſt aptum natum impedire matrimonium, eſt vinculum naturale, ergo nullo ſtatuto Eccleſiæ hoc poteſt tolli.

2 Præterea: Manente cauſa, ſemper manet effectus: Sed cauſa, quare conſanguinitas impedit matrimonium, eſt bonum prolis, repreſſio concupiſcētiæ, & multiplicatio amicitiæ. manente ergo tali cauſa, ſemper manebit effectus, vt quòd non diſpenſetur in gradibus conſanguinitatis.

3 Præterea: Papa non poteſt facere, q vna, & eadem actio ſit in genere peccati inceſtus, & in genere Sacramenti. Sed ſi aliqui contraherent in tertio gradu conſanguinitatis abſque Papæ auctoritate, talis contractio eſſet peccatum inceſtus: ſi vero talis contractio approbatur per Papam, eſſet verum matrimonium. Et ſic vna, & eadem actio eſſet peccatum, & ſacramentum.

B In Contrarium eſt. Quia non minoris auctoritatis eſt Papa, quàm Imperator, qui eſt conditor iuris ciuilis. Sed quandoque ius ciuile determinabat gradus conſanguinitatis matrimonij impedientes, & non impedientes. Ergo multo fortius in talibus poteſt diſpenſare Papa.

RESOLVTIO.

In quolibet conſanguinitatis gradu à Papa diſpenſari poteſt, primo gradu excepto, id eſt, inter Patrē, & filiam: vel inter Matrem, & filium. Has enim perſonas prima Matrimonij inſtitutio excepit, vt filialis ſubiectio remaneret.

C Respondeo, dicendum, quòd in matrimonio tria poſſumus conſiderare. Primo, æqualem æquipollentiam. Vir enim, & vxor non ad imparia iudicantur: ſunt enim æquales in actu matrimoniali. Secundo, carnalis copulæ inerubeſcentiā. Tertio, ipſius prolis diligentiam. Propter carentiā igitur æqualis æquipollentiæ ſemper Pater, & Mater fuerunt à matrimonio excluſi in omni lege. ſi enim filia copularetur Patri, aſſumeret eam in ſociam, & non remaneret in ea filialis ſubiectio. & eodem modo ſi filius copularetur Matri. Vnde ſtatim in primordio productionis hominis Pater, & Mater à matrimonio fuerunt excluſi. iuxta illud Gen. 2. Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, quorum derelictio non poteſt intelligi quantum ad habitationem, vel neceſſariorum ſubuentionem, quia tunc D eſſet contrarium illi præcepto: Honora Patrem tuū, & Matrem tuā. Intelligitur ergo talis derelictio quātum ad matrimonialem coniunctionem. In hoc igitur nulla diſpenſatio cadit: quia prima inſtitutio matrimonij has duas perſonas excepit. In cæteris autem nullam nulli ad coniugij ſacramentum fœderandum prohibuit vt dicit Vgo 2. lib. de Sacramentis p. xj. cap. 4. Propter carentiam vero honeſtatis pudicitiæ excluſæ fuerunt in lege Moyſi à matrimonio illę perſonæ, quæ in vna domo adinuicem conſueuerūt habitare, quorum vnus alterius honeſtatem, & pudicitiam ſeruare tenetur. Sed propter carentiam prolis diligentiæ, quam parentes tenentur naturaliter habere, excluſi ſunt à contractione matrimonij quandoque per Eccleſiam vſque ad ſextum, & ſeptimum gradum:

gradum: nunc vero excluduntur ſolū uſque ad quartum ex vna parte, & quintum in alia: in aliis vero inferioribus gradibus ſine diſpenſatione Eccleſiæ, contractio matrimonialis fieri non poteſt. Sic enim. reſpondet Grego. requiſitus ab Aug. Anglorum Epiſcopo quęrenti in quota generatione fideles debeant copulari: Diſpenſatoriè (inquit) quædam lex Romana in Rep. permittit, vt ſiue frater, ſiue ſoror, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororū filius, & filia miſceantur: ſicut experimento didicimus in tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. vnde neceſſe eſt, vt iam in † quarta, vel in quinta generatione fideles licenter ſibi iungantur.

35.q0.2. & 3.c.Quędā.

Tūc licebat. nunc vero quartus cōſanguinitatis gradus copulā con iugalē non admittit ſine diſpenſatione.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd licet E conſanguinitas ſit naturale vinculum, non tamē tollit matrimonium impediendo carnalem copulam: niſi ſecundum determinatum gradum, quem determinare ſpectat ad Eccleſiam: in quo gradu copula talis carnalis ſit licita, & in quo illicita.

De contar gui. & aff. cap. Nō debet.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd non ſemper manet eadem cauſa. quod enim in vno tempore prohibetur matrimonium in gradibus conſanguinitatis propter cauſas ſuperius dictas: alio tempore propter alias cauſas occurrentes ſalubriter conceditur.

A D tertium eſt dicendum, quòd ſi fieret contractio matrimonialis in gradu cōſanguinitatis prohibita ab Eccleſia: ſecundum quem modum eſſet in F genere peccati inceſtus, non fieret ſacramentalis illa actio ratione illius primæ contractionis, ſed habita diſpenſatione, noua contractio eſſet ſacramentalis, & matrimonialis.

QVAEST. LIIII. DE DISPENSATIONE SEPTIMI PRAECEPTI.

NVNC conſiderandum eſt de diſpēſatione ſeptimi præcepti. Circa qđ quęruntur quatuor.

Primò, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto, quòd non ſit peccatum mortale.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto in caſu propriç neceſſitatis.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto in caſu paupertatis alienæ.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt res furtiuè ſublata non reſtituatur.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto, quòd non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. & Sotus lib. 5. de iuſtitia, & iure q. 3. art. 3.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare in furto, ꝙ non ſit peccatum mortale. quia nullū peccatum cadit ſub diuino præcepto. Deus enim nulli mandat impie agere, vt ſcribitur Eccle. 15. Sed Deus inuenitur præcepiſſe furtum. Sicut enim ſcribitur Exo. 12. Fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat dominus Moyſi, & expoliauerunt Aegyptios.

2 Præterea: Papa poteſt diſpenſare in eo, quod nō eſt ius naturæ, nec de iure diuino. Sed appropriatio G rerum non eſt de iure naturæ: dicit enim Aug. tractatu 6. ad cap. 1. Ioannis. Et ponitur 8. diſt. cap. Quo iure. Tolle iura Imperatoris, & quis audet dicere: hæc villa eſt mea: & iſta domus eſt mea. Nullum ergo furtum committi poteſt, ex quo nulla res magis eſt propria vni, quàm alteri.

3 Præterea: Papa eſt Vicarius Dei, ſed Deus eſt dominus omnium rerum iure namque diuino, Domini eſt terra, & plenitudo eius. Poteſt ergo Papa diſpenſare, vt nulla res, vel poſſeſſio attribuatur vni magis, quàm alteri. Pſal. 23.

I N C O N T R A R I V M eſt. Quia Papa non poteſt diſpenſare in diuinis præceptis, ſed non furari numeratur inter diuina præcepta. Exodi 20.

R E S O L V T I O.

H *Papa in furto diſpenſare non poteſt; cum ipſum ſit contra diuinum præceptum.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut gratia eſt quædam lux, ita peccatum mortale, quod gratiam tollit, quædam tenebra eſt. per fructus autem lucis, & tenebræ poteſt cognoſci peccatū, quod luci gratiæ opponitur: iuxta illud Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Fructus autem lucis eſt triplex, vt dicit Apoſtolus ad Gal. 5. Primus eſt charitatis bonitas. Secundus iuſtitiæ æquitas. Tertius eſt * manifeſtationis veritas. Opponitur autem furtum charitatis bonitati per ſubtractā à proximo indigentiam. Opponitur iuſtitiæ æquitati per violentem retentam eius ſubſtantiam. per furtum enim non

* al. manifeſtatio veritatis.

non redditur vnicuique, quod ſuum eſt: ſed violenter, inuito domino, eius ſubſtantia retinetur, & opponitur manifeſtationi veritatis, per occultam fraudulentiam. vnde furtum ex his tribus habet, quòd ſit peccatum mortale, nec in eo auctoritate humana diſpenſari poteſt.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. in lib. 83. qōnum. Nullum decipere, ſumma virtus eſt. quemlibet vero decipere, ſummum vitium eſt. hoſtem autem decipere propria voluntate, malum eſt. ſed diuina auctoritate eſt bonum. Filij ergo Iſrael non expolianerunt Aegyptios propria voluntate, ſed diuina auctoritate: nec Deus hoc præcipiens fuit deceptor, quod credere nefarium eſt: ſed fuit meritorum, & perſonarum iuſtiſſimus diſtributor. nec filij Iſrael furtum commiſerunt, ſed magis quod debitum erat eis acceperunt. Vnde ſcribitur Sapien. 10. ꝙ iuſti tulerunt ſpolia impiorum.

83. To- 4. (margin)

Ius ciuile de iuſt. iur. (margin)

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Iuriſconſultus, cum aliquid iuri diuino, vel naturali additur, vel ſubtrahitur, ius ciuile efficitur. Communitas ergo rerum pro tanto attribuitur iuri naturali, non ꝙ ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter: immo dictat contrarium: vnde Philoſophus naturali ratione reprobat opinionem illorũ, qui dixerunt vxores, & omnia alia communiter eſſe habenda: ſed quia ſecundum ius naturale non eſt facta diſtinctio, vel appropriatio rerum: ſed magis hoc factum eſt ſecundum ius poſitiuũ. ideo appropriatio rerum non dicitur eſſe de iure naturali, ſed de iure ciuili, quod non eſt iuri naturali contrarium, ſed ſuperadditum.

A D tertium eſt dicendum, quòd ſicut Deus, qui habet principale omnium rerum dominium, ſecundum ſuam prouidentiam ordinauit temporales res ad corporalem hominum ſuſtentationem: eiſque naturale omnium rerum dominium, quantum ad poteſtatem vtendi, conceſſit: ſic Papa eius Vicarius hũc ordinem diuinæ prouidentiæ obſeruare tenetur, nõ immutare.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto, in caſu propriæ neceſſitatis.

S. Thom. 2. 2. qō. 66. ar. 7. Et Canoniſtæ in cap. Siquis propter neceſſitatem. extra de furtis.

A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare in furto, in caſu propriæ neceſſitatis: quia magis conſonum eſſe videtur naturæ fornicari, quàm furari; ſed nũquàm pro ſeruanda propria vita Papa poteſt diſpenſare, quòd liceret homini fornicari.

A Ergo multo minus poteſt diſpenſare, ꝙ liceat homini furari.

2 Præterea: Maius bonum eſt conſeruatio ſpeciei, quàm indiuidui: & maius malum eſt furari, quàm fornicari: ſed non licet cõmittere minus malum, puta fornicari pro maiori bono, vt pro conſeruatione ſpeciei. Ergo multo minus licet facere maius malum, ſcilicet furari, pro minori bono, vt pro conſeruatione indiuidui.

3 Præterea: Sicut fit approbatio mulierum per matrimonium; ita fit approbatio rerum per dominium. ſed numquam licet rapere mulierem iam alteri appropriatam per matrimonium. Ergo numquam licet rapere rem iam alteri appropriatam per dominium.

B I N C O N T R A R I V M eſt. quia Papa poteſt diſpenſare, quòd homo abſoluatur à reſtitutione rei alienæ in caſu neceſſitatis. Ergo ſimiliter poteſt diſpenſare in caſu neceſſitatis, ꝙ rem alienã poſſit homo capere.

R E S O L V T I O.

In caſu neceſſitatis, omnia fieri communia quis ibit infitias? Hinc in huiuſmodi furto diſpenſari poteſt. ius enim poſitiuum, quo fit rei appropriatio, iuri cedit naturali.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. † & ponitur 8. diſt. Aduerſum naturale ius nulli quicquàm agere licet. Eſt enim ius naturale idẽ, & immobile apud omnes. Ius vero poſitiuũ C eſt multiplex, & multipliciter mutabile. quia quandiu conſonat iuri naturali ſeruandum eſt: quando vero diſcordat, ſeruandum non eſt. Planum eſt autẽ ꝙ conſeruatio vitæ eſt de iure naturali, appropriatio vero, & diſtinctio rerum (vt dictum eſt) facta eſt per ius poſitiuũ. Quando ergo appropriatio rerum conſeruationi vitæ non obuiat, ſeruanda eſt: vbi vero obuiat, ceſſat. ita quòd ſi neceſſitas vitæ conſeruandæ eſt aliter releuabilis, quàm per acceptionem rei alteri appropriatæ, non eſt diſpenſabile, vt rem alteri appropriatam pro conſeruanda vita ſua homo accipiat: quia ius poſitiuũ in tali caſu non obuiat naturali. Si vero non eſt releuabilis, diſpenſabile eſt, vt homo rem alteri appropriatam pro conſeruanda vita ſua accipiat. quia in tali caſu ius poſitiuum oppo- D nitur naturali. ceſſat enim ex neceſſitate rerũ appropriatio, & fiunt omnia communia.

† id habetur Aug. lib. 3. Confeſſ. c. 8 refert. Gratianus in c. Quæ cõtra. d. 8. & Iuo in Decreto par. 4. cap. 178.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum. Verũ eſt, quòd actus fornicationis magis eſt conſonus naturę, quàm furti: materia tamen, circa quam eſt furtum, in caſu neceſſitatis aliter ſe habet, quàm materia, circa quam eſt fornicatio. quia in caſu neceſſitatis materia furti fit idonea ad accipiendam eam: eo quòd de propria fit communis. ſed materia, circa quam eſt fornicatio, numquàm fit idonea ad coeundum cũ ea. ſemper enim manet fornicatio in ſua ratione: quia numquam fit communis.

A D

Ad ſecundum eſt dicendum. Quòd licet maius bonum ſit conſeruatio ſpeciei, quàm indiuidui, homo tamen magis tenetur ad conſeruationem indiuidui, quàm ſpeciei. Et ideo illud, per quod conſeruatur indiuiduum, ſit licitum vt proprium fiat commune in caſu neceſſitatis: ſed illud, per quod conſeruatur ſpecies, non facit licitum, quia non facit mulierem communem.

Ad tertium eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia appropriatio mulierum perpetua eſt eiſdē perſonis manentibus. non autem ſic eſt appropriatio rerum: quia quod eſt proprium, ſit commune in caſu neceſſitatis, ſicut dictum eſt.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto in cauſa alienæ paupertatis.

Citati in articulo præcedenti.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpēſare in furto, in caſu alienæ paupertatis. Quia maius peccatum eſt furari, quàm mentiri. ſed Papa non poteſt diſpenſare, quòd pro vita alterius conſeruanda liceat alicui in aliquo caſu mentiri. Ergo multo minus furari.

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare, quòd pro ſalute animæ alterius liceat alicui furari. Ergo multo minus poteſt diſpenſare, quòd liceat alicui furari pro ſalute corporis.

3 Præterea: Apoſtolus dicit Rom. 3. quòd iuſta eſt illorum damnatio, qui dicunt: Faciamus mala, vt veniant bona. Non eſt ergo diſpenſabile, ſed damnabile, quòd quis furetur, vt ſubueniat pauperi indigenti in caſu neceſſitatis.

In Contrarivm eſt. Quia Saluator
1.Reg.21. excuſauit Dauid, qui panes propoſitionis dedit pueris ſuis ī caſu neceſſitatis, quos nō licebat comedere, niſi Sacerdotibus. Sicut habetur Lucæ 6. Super quo verbo dicit gloſſa, quòd neceſſitas non licitum facit licitum. Ergo furari, & indigenti ſubuenire in neceſſitatis articulo, ſi homo non habet per ſe, quòd ſibi ſubueniat, licitum eſt.

RESOLVTIO

Quilibet de iure naturali tenetur conſeruare vitam ſuam, & proximi. Hinc in caſu neceſſitatis in huiuſmodi furto, ſicut in ſuperiori, diſpenſari poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicūt, perſonam, à qua furtiuè aliquid accipitur aut publicam eſſe, & de ſtipendijs Communitatis viuere; vel priuatam: & ſi eſt publica, dupliciter: quia vel habet dominium tyrannicum: vel iuſto titulo acqui-
E ſitum. Vtroque modo dicunt, quòd licitum eſt furari à perſona publica in caſu neceſſitatis propriæ, vel alienæ. quia non eſt contra legem naturæ tyrannum ſpoliare, quem honeſtum eſt necare, vt dicit Tullius in de offi. Similiter licitum eſt furari de bonis publicæ perſonę habentis dominiū iuſto titulo acquiſitum, quia bona eius ſtipendia Communitatis ſunt. Sed de bonis priuatæ perſonæ nō licet furari: immo potius, vt dicunt, debet ſe, vel alterū permittere mori, quàm contra legem naturæ facere furtum. Furtum autē lege naturæ prohibetur, vt dicit Aug. lib. 2. Cōfeſſ. c. 4. Tomo 4.
Omnia autem iſta non vidētur eſſe benedicta. Quāuis enim hoſtem, vel tyrannum ſpoliare licitum ſit, auctoritate ſuperioris: non eſt tamen licitum propria voluntate, vt dicit Auguſtinus, Bona vero pu- Supra ar.
F blicæ perſonæ habentis dominium iuſto titulo acquiſitum, licet ſint ſtipendia communia: ſunt tamen ſibi appropriata pro communi adminiſtratione, quā exercet. Vnde ea ratione non eſt licitum furari de bonis eius, qua rōne non eſt elicitum furari de bonis priuatæ perſonæ. Nec eſt contra legem naturæ, rem alteri appropriatam accipere in neceſſitatis articulo, ad ſubueniendum ſibi, vel alteri: quia hoc non eſt propriè furtum in lege naturę prohibitum: quamuis videatur eſſe ſimile furto, cum in caſu neceſſitatis illud, quod proprium eſt, fiat commune. Puto ergo eſſe dicendum (ſicut ſupradictum eſt) quòd vel neceſſitas proximi poteſt aliter releuari, quàm per acceptionem rei alteri appropriatæ, & tunc non licet rē alienam accipere. Vel non eſt aliter releuabilis, & tūc licet. Nam ſecundum Aug. in lib. de vera Religione, Tomo 1.
G cap. 46. Iſta eſt regula charitatis Proximo optare bona: quæ ſibi homo optat. Sicut ergo de iure naturali quilibet tenetur conſeruare vitam ſuam: ita & vitam proximi. In eo ergo caſu, in quo diſpenſabile eſt, vt homo rem alienā accipiat pro conſeruanda vita ſua, in ſimili caſu diſpenſabile eſt, vt homo accipiat rem alienam pro conſeruanda vita proximi.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd quāuis furari maius peccatum ſit, quàm mentiri; tamen mendacium importat inſeparabiliter prauam intentionem agentis, puta intentionem fallendi. Ideo numquàm poteſt bene fieri. Furtum autem non ſic
H importat.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. Quia ſalus animæ aliter poteſt conſeruari, quàm per ſubuentionem rei temporalis: ſalus autem corporis non. non enim res temporalis ſic ordinatur ad ſalutem animæ, ſicut corporis.

Ad tertium eſt dicendum, quòd rem prius alienam accipere, & pauperi tamquàm ſuam dare in neceſſitatis articulo, non eſt malum, neque propriè furtum: quàmuis videatur furto ſimile: nam furtum propriè dictum eſt, cum accipitur res aliena manens aliena, & inuito domino, manente domino, & intentione fraudulenta, puta animo celandi, & retinendi alienum. In tali vero caſu non manet res aliena, eo quòd neceſſitas facit communem: neque manet idē

dominus

dominus rei, quia accipiendo, & vtendo in neceſſitate ſua, efficitur communis, nec accipitur fraudulenter, ſed ſimpliciter. vnde non fit malum, vt eueniat bonum, ſicut ſupponebatur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt res furtiuè ſublata non reſtituatur.

Canoniſtæ, & præ alijs Couaruuias in cap. Peccatum: de regul. iur. lib. 6.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare, vt res furtiuè ſublata nõ reſtituatur. quia Papa eſt dominus omnium. Ergo poteſt rẽ vnius alteri cõcedere, abſque eo quòd illi reſtituatur.

2 Præterea: Papa eſt Vicarius Dei, ſed Deus mandauit, vt filij Iſrael furarentur bona Aegyptiorũ, non reddituri eis illa bona, quæ furati eis fuerant, vt dicit

Tomo 4. Auguſt. in lib. 83. q. c. 53. Ergo ſimiliter hoc Papa facere poteſt.

3 Præterea: Scribitur extra de furtis c. Si quis. Si quis per neceſſitatem famis, vel nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecuniam, pœniteat per tres hebdomadas. Indulget ergo Papa, ꝙ res furtiuè ſublata non reſtituatur.

4 Præterea: Mitior debet eſſe lex diuina, quàm lex humana: ſed non taxatur pœna mortis pro furto ſemper in lege humana: ergo lex diuina nec pœnam damni taxare debet, ex quo mitior eſt.

IN CONTRARIVM eſt. Quia non furari; cum ſit præceptum diuinum, indiſpenſabile eſt.

RESOLVTIO.

In re ablata, in caſu neceſſitatis, & impoſſibili exiſtente reſtitutione, vel adminiſtratione, fidei defenſione, & bonorum confiſcatione, diſpenſatio cadi poteſt:

RESPONDEO, dicendum, ꝙ res poteſt auferri ab aliquo quinq; modis, quantum ad præſens.

Furtum vnde dicatur. Primò, per illius, cuius eſt, ignorantiam: & ſic propriè nominatur furtum, à furuo, vel à fuſco: eo, ꝙ noctis tpe accipitur, neſciente domino rei, vt dicit Iſidorus.

Lib. 5. Etymolo. c. 26. Secundò, per violentiã, & ſic propriè vocatur rapina: ſicut tyranni, & mali Principes violentiam inferentes

Ezech. 22. rapiunt aliena: de quibus dicit ſcriptura: Omnes Principes tui quaſi lupi rapientes prædam. Tertiò, per iniuſtitiam. & ſic vocatur latrocinium: tales. n. ſunt Rectores, qui condunt iniuſtas leges ad extorquendũ pecunias pauperũ. remota n. iuſtitia, Regna, & Regimina non ſunt niſi quædam magna latrocinia, vt dicit Aug. 4. de Ciui. Dei. c. 4. Quarto, propter

Tomo 5. ſacræ rei illatam irreuerentiam, & ſic vocatur ſacrilegium. Nam ſecundum Iſidorũ, Sacrilegus dicitur, eo

Sacrilegus vnde dicatur. ꝙ legit, vel furatur rem ſacram. Quintò, per negle-

A ctam malitiam. Et ſic eſt retentio mercedis operariorum. qui. n. non reddit mercedem ſuis mercenarijs, planum eſt, ꝙ tenetur ad reſtitutionem. Omnia enim iſta nomine furti prohibentur. & ideo in oĩbus iſtis non cadit diſpenſatio, vt res his modis ſublata non reſtituatur, niſi in caſu neceſſitatis, & pro Reip. adminiſtratione, vel fidei defenſione, ſeu pro illorũ, à quibus accipitur, bonorum confiſcatione: & pro illorũ, qui accipiunt, indigentiæ releuatione, & impoſſibili redditione.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa eſt dominus omnium per tuitionem, & iuſtitię obſeruationem. Vnde non puto, ꝙ ipſe poſſit rem vnius con-

B cedere alteri, niſi fortè in caſibus ſupradictis. Sed nunquid ſi aliquis recipiat de bonis alicuius confiſcatis per Papam tenetur ad reſtitutionem; Puto, ꝙ ſi iuſtè confiſcata ſunt, non tenetur. tamẽ, quia dicit Aug. in lib. 83. quæſtionũ: Solus Deus nouit, vel certè longè excellentius, & ſincerius, atque certius, quàm homines noſcant, qua quiſq; pœna, vel præmio dignus ſit; puto, quod tutius ſit talia bona, quantumcunq; confiſcata, reſtituere, quàm tenere.

Pro hac difficultate cõſule Decre. Grego. De Hære. cap. Vergentis. Tomo 4. Quæſt. 53.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa eſt Vicarius Chriſti, & miniſter eius: non ꝙ mediante eo aliquis decipiatur, ſed potius ꝙ à deceptione liberetur. Dicit enim Aug. in lib. ſupradicto, q. 53. ꝙ Deus expoliauit Aegyptios, & decepit: non quidem per ſeipſum. quia ipſe per ſeipſum neminem decipit, cum ſit

C Pater, & Spiritus veritatis: dignis tamẽ digna diſtribuens. Nec per Angelum bonum, cui non conueniebat perſona fallaciæ. nec per talem hominẽ, qui cuſtodire, & obſeruare intendit illud, quod ſcriptũ eſt: Sit ſermo veſter eſt, eſt: non, non. Sed per talem Angelum; qui pro ſuæ voluntatis peruerſitate infimis naturæ gradibus ordinatus eſt ad vindictam malefactorum, & exercitium, atq; purgationem iuſtorum: aut per tales homines, qui nondum huius mundi cupiditatibus ſe exuerunt: Iudęi nãque, per quos Aegyptij expoliati ſunt, & decepti, non iam erant tales, quibus diceretur: Diligite inimicos veſtros: ſed tales, quibus dici opportebat: Dilige proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum.

Math. 5.

Math. 5.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illa decretalis in-

D telligitur in caſu neceſſitatis propriæ, vel alienæ, in quo, rem alienam accipere non committitur propriè furtum, licet videatur ſimile furto, vt dictum eſt: vel loquitur de furto paruarũ rerum, quæ non accipiantur animo inferendi magnũ nocumentum proximo: Talia enim, quæ minima ſunt, intellectus accipit, quaſi nihil. vt dicit Philoſophus 2. Phyſicorum.

Vel loquitur in caſu; in quo non eſt vrgẽs neceſſitas, ita S Thom. 2. 2 q. 66. art. 7. ad 1. argumentum. Tex. cõ. 56.

AD quartum eſt dicendum, ꝙ pro quolibet furto non infertur pœna mortis, niſi aggrauaretur ex aliqua circumſtantia, vel ex parte eius, quod furtiuè auffertur: vt ſi quis furabatur hominẽ, mortis pœna puniendus erat Exo. 21. Vel ex parte modi furandi: vt ſi quis furatur rem ſacram, vel rem communem, vel in loco communi: puta in balneo, vel in foro, vbi nulla eſt cuſtodia muri, vel familię. In talibus enim, pro cuſtodia Legiſlator dedit minas mortis

QVAEST. LV. DE DISPENSATIONE OCTAVI PRAECEPTI.

Deinde conſiderandum eſt, de diſpenſatione octaui præcepti. Circa quod quęruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ falſum teſtimonium non ſit peccatum mortale.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd mendacium non ſit peccatum.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd liceat mẽtiri mendacio officioſo, vel iocoſo.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ in ferendo teſtimonium: non interueniat iuramentum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd falſum teſtimoniũ non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare, ꝙ falſum teſtimoniũ non ſit peccatum mortale. Quia mendacium, quod vni nocet, & alteri prodeſt, peccatum nõ eſſe videtur. Sed quandoque aliquis falſum teſtimonium perhibet, vt aliquem à morte liberet, & à falſa ſententia intentata ſibi per falſos teſtes, vel per iudicis peruerſitatem. Ergo tale teſtimonium falſum diſpenſabile eſt, ꝙ non ſit peccatum mortale.

2 Præterea: Aliquis fert teſtimonium de aliquo homine, ꝙ ſit caſtus, & caſtum eum credit: & tamen eſt adulter. falſum ergo teſtimonium profert, & nihilominus non peccat mortaliter ſecundum Aug. in Enchir. cap. 22. Tomo 3.

3 Præterea: Veritas, quę eſt virtus moralis, requirit veritatem ſecundum omnes circumſtantias: ſed difficile eſt ſecundum oẽs circumſtantias conſiderare factum, de quo fertur teſtimoniũ. graue eſt ergo dicere, ꝙ oẽ falſum teſtimoniũ ſit mortale peccatum.

IN CONTRARIVM eſt, quia tranſgreſſio diuini præcepti peccatũ mortale eſt: Sed Papa nõ põt diſpenſare in diuinis præceptis. Ergo nõ põt diſpenſare, vt falſum teſtimonium non ſit peccatũ mortale.

RESOLVTIO.

Papa diſpenſare non poteſt, quin falſum teſtimonium ſit peccatum. Hoc enim vel contra fidei veritatem, vel contra iuſtitiam proximi, ſiue contra ſuammet iuſtitiam eſſe, neceſſe eſt.

E RESPONDEO, dicendum, ꝙ falſum teſtimonium ex hoc dicitur eſſe mortale peccatũ, quia eſt contra Dei iuſtitiam, & contra iuſtum iudicium. ſcribitur enim Rom. 1. ꝙ cum iuſtitiam Dei cognouiſſent non intelligentes ipſam, ſed potius contra eã agentes, digni ſunt morte. Iſtud autem contingit tripliciter. Primo, quãdo homo profert falſum teſtimonium contra iuſtitiam Dei in his, quę ſunt fidei: & in his, quæ ſpectant ad ſacram Scripturam, ſicut multi faciunt, vt videantur ſapientes, contra quos ſcribitur Ioan. 13. Numquid Deus indiget noſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Secundo, quando quis profert falſum teſtimonium contra iuſtitiã proximi, vt ex tali teſtimonio iuſtitia proximi perdatur, & occultetur. quod prohibet Spiritus ſanctus quando ait: Noli mentiri aduerſus proximum tuum. Eccl. 6. Tertio, quã quis profert falſum teſtimonium contra iuſtitiam ſuammet. Et hoc, vel ex nimia humilitate: cum in cõfeſſione dicit ſe feciſſe, quod non fecit. de quo dicit Aug. ꝙ ſicut ſummo opere cauendum eſt, ne homo taceat, quod homo fecit; ſic cauendum eſt, ne dicat, quod non fecit: vel ex aliqua vtilitate, cum homo mentitur alicui, volendo aliquid conſequi ab ipſo. Omnibus iſtis modis falſum teſtimonium eſt peccatum mortale. nec in hoc cadit diſpenſatio.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ ſi alicui fieret iniuſtitia, & falſo modo iudicaretur, poſſet quis ſine peccato ad releuandam iuſtitiam eius, falſum † teſtimonium dicere, quia licet diceret falſum, non tamen falsè, nec contra proximum, vt tolleret proximo iuſtitiam, immò vt ſeruaret ei. Tamen quia teſtis iuratus admittitur, vt dicat veritatem, puto ꝙ in tali caſu mentiri non deberet; quamuis enim mortaliter non peccaret, quia mendaciũ non diceret in nocumẽtum proximi, peccaret tñ quia periuriũ incurreret.

† addita hac doctrina ſecus cũ aliis doctoribus, & præſertim cũ S. Tho. 2. 2 q. 110. art. 3.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſecundũ Aug. in Enchy. 22. c. Quatuor modis contingit hominẽ falli. Tomo 3. Primo namq. magno malo quis fallitur: cum non credit illud, quod ad vitam ducit æternam. Secundo paruo malo aliquis fallitur, qui falſum pro vero approbando, aliquid patitur ab ipſo: puta, cũ quis bonũ hominem putat, qui malus eſt, & ab eo aliquid mali patitur. Tertio, nullo malo quis fallitur: quando aliquis malum hominem ita bonum credit, vt nil mali patiatur ab eo. non enim in tali cadit illa prophetica deteſtatio: Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. Iſaiæ 5. quia de ipſis rebus, quibus homines mali ſunt, non de ipſis hominibus intelligendũ eſt, ſecundũ ꝙ ibi dicit Auguſt. in Enchyr. cap. 19. Tomo 3. Sed quarto, nonnullo etiam bono quis fallitur, quando ipſum hominem dicit bonum, quem putat eſſe caſtum, nec ſcit ipſum adulterum. Dato, ꝙ contrarium

fit.

ſit. Nō enim fallitur in doctrina rerum bonarum, & A malarum, ſed in occultis humanorum motuum.

A d tertium eſt dicendum, quòd non oportet teſtimonium ferentes omnes circumſtantias circumſpicere, ſed illas dumtaxat, quæ habent iudicem de veritate informare, puta de loco, & tempore. Dicit.n. Hugo ſuper Iſa. quòd in teſte debet eſſe ſcientia veri, memoria facti, & intentio boni. Et tunc ſecundum Aug. in lib. de Ciui. Dei. vbi par eſt numerus teſtium pro rei abſolutione, & damnatione, reus abſoluendus eſt, & non condemnandus.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT B *diſpenſare, quòd mendacium non ſit peccatum mortale.*

S. Thomas ſuperiori articulo citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa diſpenſare poſſit, ꝙ mendacium non ſit peccatū mortale. Dicit enim Aug. de vera Relig. cap. 14. quòd peccatum eſt voluntarium: ſed mendacium conſiſtit in ratione, non in voluntate. Ergo non eſt peccatum. (Tomo 1.)

2 Præterea: Lex humana iniuſta non eſt. ſed talis lex † concedit, vt contrahentes ſe poſſint decipere citra medietatem iuſti pretij. Si ergo licet fallere, licet mentiri. C

(† In cauſa. 2. § penult. ff. de minoribus. Lib. 4. Epiſto 15.)

3 Præterea: Ambro. dicit, ꝙ non ſolum in verbis, ſed etiam in factis ſimulatis mendacium eſt: ſed non omne mendacium in factis ſimulatis eſt peccatum: quia aliquando ſimulatio bona eſt. Simulauit enim Dauid, ſe eſſe furioſum 1. Reg. 31. Non ergo omne mendacium eſt peccatum mortale.

In Contrarivm eſt, quia omne, quod non eſt à Deo, peccatum eſt. Sed Iſido. dicit in lib. de ſummo bono, quòd omne mendacium ſummo opere cauendum eſt. quia omne † mendacium non eſt à Deo. (Lib. 2. c. 30.) († al. peccatū.)

RESOLVTIO. D

Mendacium omne cum ſit iniuſtum, & peccatum, ſuper eo Papa diſpenſare non poteſt.

RESPONDEO dicendum, ꝙ ſecundum Auguſt. 15. de Trini. cap. 11. Verbum exterius ſonans in auribus auditoris ſignum quoddam mediū eſt verbi interius latentis, & ipſius rei exterius exiſtētis. Habet ergo verbum triplicem comparationem; vnam ad rem ſignificatam, aliam ad proferentem, & tertiam ad audientem. Nam ad rem ſignificatā hanc comparationem habet, vt rem, ſicut vere eſt, ſic vere ſignificare valeamus. ad proferentem vero habet hāc comparationem: vt affectum noſtrum, vel conceptū mentis, ſicut eſt, alteri exprimamus. ad audientem ſic comparatur: vt eius mentem per ſigna ad veritatis cognitionem excitemus: Omnis autem mētiens, iſto triplici bono, & iſta triplici vtilitate, verbum ſuū priuare intendit: nam intendit ſignificare rem aliter, ꝗ ſit, & exprimere contrarium eius, quod non ſentit, & ad falſum excitare animum eius, qui audit; ſed non poteſt verbū hominis carere rei vera ſignificatione, & loquentis vera expreſſione, & audientis vera informatione abſque peccato: cum Apoſtolus dicat: Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Omne igitur mēdacium iniuſtum eſt, & peccatum: nec in hoc cadit diſpenſatio. (Tomo 3.) (Eph. 4.)

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Intentio vero non eſt rationis tantum, nec voluntatis tantum, ſed rationis eſt, vt dirigentis: voluntatis vero, vt exequentis.

A d ſecundum † eſt dicendum, quòd ſecundum legem humanam contrahentibus ſe mutuo permittitur decipere, quia per talem deceptionem, contractus non reſcinditur, quaſi factus contra legem, ſed non permittitur ſecundum legem diuinam, quia peccatum eſt. Multa enim permittit lex humana, quæ per diuinam legem prohibentur, vt ſupradictum eſt per Auguſt. 1. lib. de lib. arb. c. 5. († S. Tho. 2. 2 q. 77. art. 1.) (Tomo 1.)

A d tertium eſt dicendum, quò omne mendacium in factis, & verbis ſimulatis eſt peccatum, non tamen conuertitur, ꝙ omnis ſimulatio, &c. Eſt enim duplex ſimulatio. Vna cautelę, & prudentię, qua verū interdum prudenter celatur. Et iſta eſt licita, & ſine mendacio. Alia deceptionis, & fraudulentiæ, quia falſum intenditur, & iſta eſt illicita, cum mendacio. (Simulatio quænam ſit ſine peccato.)

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, ꝙ liceat mentiri officioſo, vel iocoſo mendacio.

S. Thom. Quodlibeto 8. art. 14. Et 2. 2. q. 110. art. 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, ꝙ liceat mentiri mendacio officioſo, vel iocoſo. quia non vituperatur Abraham, qui vxorem ſuam Saram ſororem ſuam eſſe dixit † Gen. 30. ꝓpter euaſionē mortis. Nec Iehu, qui culturæ Dei ampliatione ſe velle colere Baal ſimulauit, & omnes cultores eius interfecit 4. Reg. 10. Nec obſtetrices, quæ officioſo mendacio paruulos Hebræorum ſeruauerunt Exodi 1. († Hoc etiā videre licet cap. 19.)

2. Præterea: Mendacium eſt falſa vocis ſignatio cū intētione decipiendi: ſed iocoſe mentiens non intēdit decipere. Licet ergo iocoſe mentiri.

2 Præterea: Maius malum eſt homicidiũ, quàm mendacium: ſed pro aliqua vtilitate, vel neceſſitate hominum homicidium licite poteſt fieri. Ergo multo magis mendacium.

In Contrarium eſt quod ſcribitur Eccle. 7. Noli velle mentiri omne mendacium.

RESOLVTIO.

Papa ſuper mendacio, includente intentionem fallendi, diſpenſare non poteſt.

Tomo 3. cap. 26.

RESPONDEO, dicendum, quòd iſtã quæſtionem pertractat Aug. in Ench. cap. 28. vbi dicitur, aliquos ſenſiſſe ad hominis iuſti officium pertinere aliquando mentiri, maxime de rebus paruis, & de rebus ad Dei culturam pertinentibus. Mihi autẽ (vt ait) videtur peccatum eſſe omne mendaciũ. Sed multum intereſt (vt dicit) quo animo, & de quibus rebus quiſque mentiatur. quia non ſic peccat ille, qui mentitur animo conſulendi; ſicut ille, qui mentitur voluntate nocendi: vt qui viatorem mentiendo in diuerſum iter mittit, ſicut qui vitæ viam mendacio fallente deprauat. Nec, vt ait, mentiens iudicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat eſſe verum. Talis enim, non fallit, ſed fallitur.

F

Sciendum eſt ergo ſecundum intentionem Aug. ibidem, quòd quædam ſunt mala opera ex genere operis propter indebitam materiam: vt occidere hominem. Quædam vero propter indebitam circumſtantiam: vt celebrare Miſſam, ſumpto prãdio. Quædam vero propter indebitum finem: vt dare eleemoſinam propter vanam gloriam. Primum genus malorum poteſt aliquando ſine peccato fieri: quia materiæ indebitæ poteſt addi debita circumſtantia. vt homini poteſt addi maleficus. Secundũ genus malorũ poteſt fieri ſine peccato: quia circumſtantia mala poteſt remoueri. Sed tertium genus malorum quando importat actualem deordinationem, & prauã intentionem in finem: non poteſt ſine peccato fieri eo, quòd actuali intentioni, & deordinationi finis contraria ſimul ineſſe non poſſunt. Cum igitur mendacium includat in ſua diffinitione intentionem fallendi, numquam poteſt bene fieri, & numquam diſpenſandum eſt, quòd fiat. G

Ad Argumenta.

H

Mẽdacium dici noluit, tunc enim propinqui dicebantur cognatione fratres & ſorores. Natura, vt Iacob, & Eſau. Gente vt omnes iudęi.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Abraham non fuit mentitus ſecundum intentionem ſuã, large enim loquendo, Sara ſoror eius erat. Erat enim ſoror loth filij Aram fratris Abrahæ, vt dicit glo. Gene. 20. Iehu vero ampliando cultum diuinum commendatus eſt de fine, quem intendebat: non de modo perueniendi ad finem. vnde commendatus eſt de vero, non de mendacio. Nec obſtetrices remoneratæ ſunt pro mendacio, ſed pro beneficio benignitatis.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ mendacium eſt peccatum propter intentionem fallendi, vel falſum aſſerendi: iocoſe vero mentiens quamuis non habeat intentionem decipiendi, habet tamen intentionem falſum aſſerendi.

E

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quamuis homicidium maius peccatum ſit in genere, quàm mendacium; non tamen importat ſemper intentionem malam operantis: ſicut mendacium. vnde quantitatiue maius eſt: ſed qualitatiue non: nec pro aliqua vtilitate mentiendum eſt. Dicit enim Aug. 1. de doctrina Chriſtia. cap. 14. Quod nullus mentiens; in eo, ꝙ mentitur, ſeruat fidem. Nam hoc vult, vt cui mentitur, fidem ſibi adhibeat, quam tamen mentiendo ei non ſeruat. ſed omnis fidei violator iniquus eſt. Omnis enim iniquitas eſt inutilis. Ergo omne mendacium inutile eſt. Tomo 3.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd in ferendo teſtimonium non interueniat iuramentum.

Cap. Hortamur. 3. q. 9. & c. Nuper de teſtib. & l. iuſiurandi. C. de teſtib.

Vide omnino Felinũ in c. cõſtitutus de reſcriptis nu. 16.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare, ꝙ in ferendo teſtimonium non interueniat iuramentum. Quia quod eſt de ſe confirmatũ non indiget confirmari, ſed verum teſtimoniũ dicere eſt præceptum Dei per ſe confirmatum. Non ergo indiget alio confirmari.

2 Præterea: Papa non debet inducere aliquem ad peccatũ. Sed dicit Auguſtinus, ꝙ ille, qui prouocat aliquem ad iuramentum; quamuis ille, qui iurat, ſi bene vtitur iuramento, non peccet, à malo tamen eſt illius, cuius infirmitate cogitur iurare.

Serm. de Sãctis. cap. 11. Tomo 10.

3 Præterea: Quæ ſunt idem, vnum non confirmatur per aliud: ſed ſicut periurium, & falſum teſtimonium idem eſſe uidentur, ſic teſtimonium verum, & iuramentum verum idem ſunt.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Iacob Gen. 31. teſtimonium, & promiſſionem Laban ſoceri ſui per iuramentum confirmatum habere voluit.

RESOLVTIO.

Teſtimonium extra iudicium abſque iuramento firmandum eſt: in iudicio vero non item, propter controuerſiam tollendam.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ teſtimonium hominis vel inducitur in iudicio, vel extra iudicium: Si extra iudicium profertur, non eſt iuramento confirmandũ, ſed ſimpliciter proferẽdum. in ſimplici enim teſtimonio vitandũ eſt iuramentũ, ne incurratur periuriũ: Sed ſi teſtimoniũ in iudicio inducitur, conuenienter interponitur iuramentũ. Inducitur namq; teſtimonium in iudicio, ad tollendã controuerſiam inter hominem, & hominẽ. Sed ſecundũ

Apoſto-

Apoſtolum ad Hebræ.6. Homines per maiores ſuos iurant, & omnis controuerſiæ eorum ad confirmationem [*veritatis*] finis eſt iuramentum. In omni ergo teſtimonio adducto in iudicio interuenire debet iuramentum, vt teſtes non admittantur in iudicio, niſi iurati.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ homines maximè timent peccata incurrere, quæ ſunt contra Deum tamquam grauiſſima. non autem ita abhorrent peccata, quæ ſunt contra proximum. Ideo ad maiorem certitudinem teſtimonij, requiritur teſtium iuramentum.

Notandū. Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi inducens aliquem ad iuramentum ſit perſona priuata, & ſciat eū A eſſe falſum iuraturum; peccat iuramentum requirēs tali * pacto, vt vincat homicidā, vt dicit Aug. † Et ponitur 22.q.5. cap. Ille, qui. Sed ſi eſt perſona publica, ſi ſciat teſtem iuraturum falſum, dicunt aliqui, ꝙ non peccat iuramentum requirens. quia non eum ipſe cogit iurare, ſed lex. Quia tamen ex falſo teſtimonio iniuſta, & falſa ſententia ſubſequitur, & totum iudicium peruertitur; puto, quòd potius deberet ſuo officio cedere, quàm tale iuramentum requirere: niſi fortè propter ſcandalum vitandum.

*al. peccato, & vincit homicidam.
† Sermone 23. de ſāctis. Tomo 10.

Ad tertium dicitur, quòd lex materialiter poſſet eſſe idem periurium, & falſum teſtimoniū, eo, ꝙ omne periurium eſt falſum teſtimonium, & mendaciū: aliter iurans non peccaret, vel deieraret, niſi mentiretur, & falſum diceret: non tamen omne falſum teſtimonium eſt periurium: quia non omne falſum teſtimonium, vel mendacium eſt iuramento firmatum.

QVAEST. LVI. DE DISPENSATIONE NONI PRAECEPTI.

VLTERIVS *conſiderandum eſt de diſpenſatione noni præcepti. Circa quod quæruntur quatuor.*
Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis Moſaicæ.
Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcētia rei alienæ, auctoritate legis Euangelicæ.
Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis humanæ.
Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ concupiſcētia rei alienæ non ſit peccatum mortale.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, auctoritate legis Moſaicæ, in concupiſcentia rei alienæ.

S. Thom. 1.2.q.110. art.5.& 8.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poteſt diſpenſare auctoritate legis Moſaicæ in concupiſcentia rei alienæ. Nam interior cōcupiſcentia nō cohibetur, niſi per auxilium gratiæ Dei: ſed lex Moſaica non cōferebat gratiam ſcribitur enim ad Hebræ. 7. quòd nihil ad perfectum adduxit lex. Auctoritate ergo illius legis rei alienæ concupiſcentia non prohibetur.

2 Præterea: Lex noua perfectior eſt veteri lege: ſed B in hoc ponitur perfectior, quia cohibet animum, & manum: illa autem ſolum manum, ſed non animū. Concupiſcentia ergo non prohibetur auctoritate illius legis.

3 Præterea: Illa lex, quæ non iudicat hominem, niſi per auditū, & per facta exteriora non cohibet interiorem concupiſcentiam: ſed lex Moyſi ſolum iudicabat ſecundum auditum, & exteriora facta. Scribitur enim Ioan. 7. Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audiuerit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?

In Contrarivm eſt Apoſtolus Rom. 7. C Ego concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Nō concupiſces.

RESOLVTIO.

Lex Moſaica, quantum ad Legislatoris intentionē, in concupiſcentia rei alienæ, animum, & manum cohibuit: ſed quantum ad pœna tranſgreſſorum taxationem, non item. id eſt, manum, non animum. Hinc Papa ſuper ea diſpenſare non poteſt.

D RESPONDEO, dicendum, quòd legem Moſaicam prohibuiſſe concupiſcentiam rei alienæ dupliciter poteſt intelligi. Primo, quantum ad Legislatoris intentionem, & expreſſionem. Secundo, quantum ad pœnæ tranſgreſſorum taxationem, & impoſitionem. Primo modo planum eſt, quòd lex Moſaica concupiſcētiam prohibuit. quod tripliciter patet. Primo, quia lex illa à Deo data fuit, ut patet Exodi 20. Sed Deus plus diligit munditiam cordis, quàm operis. Ergo Deus in lege non ſolum alienæ

rum nationum vxorum pluralitate vtantur, non erit contra ius naturale, vxorum pluralitatem habere.

2 Præterea: Papa poteſt diſpenſare, ꝙ vnus homo vtatur pluribus cibis. Ergo poteſt diſpenſare, ꝙ vnus homo copuletur pluribus vxoribus. Quod enim facit cibus ad ſalutem hominis conſeruatiuè: Idem facit concubitus ad ſalutem generis multiplicatiuè.

3 Præterea: Papa poteſt diſpenſare in eo, quod poteſt aſſuefieri, & conſuetum fieri: nam quod eſt contra naturam, nunquam aſſuefieri poteſt. ſi enim millies proijcitur lapis ſurſum nunquàm aſſuefiet ſurſum aſcendere, vt dicit Philoſophus 8. Phyſicorum, ſed habere plures vxores, poteſt aſſuefieri, & aliquando fuit conſuetum. Cadit ergo in eo diſpenſatio.

In Contrarium eſt. quia Apoſtolus dicit ad Epheſ. 5. vt viri diligant vxores ſuas: ſicut corpora ſua propria. Sed contra naturam eſt, ꝙ vnus homo habeat duo corpora. Ergo etiam, ꝙ habeat duas vxores.

RESOLVTIO.

Diſpenſatio à Papa ſuper habentibus plures ſimul vxores dari non poteſt, cum ſit contra diuinam inſtitutionem, contra naturæ ordinationem, & contra diuini præcepti obligationem.

Respondeo, dicendum, quòd Papa non poteſt diſpenſare in his, quæ ſunt contra diuinam inſtitutionem, contra naturæ ordinationem, & contra diuini præcepti obligationem. Habere autem plures vxores ſimul, eſt contra omnia iſta.

Primo quidem contra diuinam inſtitutionem: Sic enim inſtitutum eſt matrimonium, vt vir, & vxor debeant eſſe vna caro, iuxta illud Gen. 2. Adhærebit homo vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. qui enim plures vxores habet, cum pluribus diuidit carnem ſuam: & facit directè contra matrimonij à Deo primam inſtitutionem.

Secundo eſt contra naturæ ordinationem. Ordo namque naturæ non includit impoſſibilitatem: cum igitur natura matrimonij talis ſit, vt vnus coniugum alteri poteſtatem ſui corporis tradat. ſicut impoſſibile eſt, vnum hominem vna hora pluribus vxoribus debitum petentibus reddere: ſic impoſſibile eſt vnũ hominem ſecundum naturæ ordinem plures vxores habere.

Tertio eſt contra diuini præcepti obligationem. Nam præceptum legis naturæ datũ homini Matth. 7. ſic ligat, vt nemo faciat alteri, quod ſibi nolit fieri. Planum eſt autem, quòd homo diuidens carnem ſuam cum pluribus vxoribus, facit vxori ſuæ quod ſibi nollet fieri: nullus enim vellet, quòd ſua vxor cum pluribus viris carnem ſuam diuideret. vnde plures vxores habere, eſt directè contra dictamen rationis naturalis.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd ius naturale eſſe commune omnium nationum, poteſt intelligi dupliciter: loquendo etiam de iure naturali non communiter ſumpto, ſecundum quem modum dicimus, ꝙ ius † naturale eſt, quòd natura omnia animalia docuit: ſed de iure ſpecialiter accepto, & ſingulariter, naturaliter omni homini indito: ſecũdum quem modum dicit Iſidorus. † Quòd ius naturale eſt, quod in lege, & Euangelio continetur. Primo, quantum ad obligationem: & ſic tale ius commune eſt omnium nationum habentium rationalẽ animam. Secundo, quantum ad obſeruationem: Habere ergo plures vxores, eſt contra ius naturale, vt eſt commune omni nationi: quia omnes nationes ligat, non tamen ſic eſt commune, quòd ab omnibus obſeruetur.

† .5.1. inſti. de iure nat. gent. & ciuil.

† Id habet Gratianus 1 decreto diſtinct. 1. in principio.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia per vſum ſecundi cibi nullum fit præiudiciũ primo: ſed per vſum ſecundæ vxoris fit præiudiciũ primæ: hominis namque ad cibum, quem cõſumit, nulla contrahitur obligatio: ſed hominis ad uxorẽ perpetua obligatio contrahitur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ eſſe aliquid naturale, poteſt intelligi dupliciter: Vel à natura ſola ſine actu animæ: vt motus lapidis: & tale nõ poteſt aſſuefieri in contrarium: vel à natura cum actu animę: & tale poteſt aſſuefieri in contrarium. Vnde aues docentur hominum voces articulatas formare.

ARTICVLVS II.

VTRVM FVERIT ALIquando humana auctoritatè diſpenſatum, plures vxores habere.

Turrecremata in cap. Dixit Sara. 32. quęſtio. 4. & Sotus ſupra citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ aliquando auctoritate humana fuit diſpenſatum, plures vxores habere: quia in illis, quæ non ſunt contra naturam, nec contra mores, nec cõtra Dei præcepta, auctoritate humana diſpenſari poteſt. ſed dicit gloſſa Aug. Gen. 29. quòd pluralitas vxorũ Iacob non fuit contra naturam, nec contra mores, nec contra Dei præcepta. Ergo in hoc auctoritate humana diſpenſatum fuit.

Tomo 5. 16. De Ciuit. Dei. c. 38.

2 Præterea: Ambroſ. lib. 1. de abrahã, cap. 4. Dicit, ꝙ Abraham habendo plures vxores, non commiſit aliquid contra legem: ſed præuenit legem. In omni autem eo, quod non eſt contra legem diuinam, diſpenſari poteſt auctoritate humana.

3 Præterea: Diſpenſatio cadit ſuper eo, quod non eſt contra legem naturæ: ſed conſeruatio ſpeciei humanæ, quam natura omnium animalium dictat, in ſuo genere ſecurius, & certius poteſt fieri per pluralitatem vxorum, quàm aliter. ſolum ergo auctoritate humana in hoc cadit diſpenſatio.

In Contrarium eſt. quia humana auctoritas

ctoritas non ſe extendit diſpenſare in eo,quod eſt cõ tra naturam : & contra mores. Sed glo.Gen.4.dicit ꝙ primus contra naturam,& mores committẽs adul terium fuit Lamech,qui accepit duas vxores. Adulter primus.

RESOLVTIO.

Auctoritate humana in habentibus plures vxores diſpenſatum nunquam fuit : ſed diuina, propter cultus diuini ampliationem, ſanctorumq. Patrum deuotionem. Hinc Abrahę, & Ioannis continentia meritum impar non extitit : ſicut Petro, qui paſſus fuit, Ioannes, qui paſſus non eſt,in merito patientię impar non fuit.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundum Aug. duo præcipuè oſtendunt, ſolum Dei auctoritate diſpenſatum eſſe in pluralitate vxorum.

Primum eſt diuini cultus ampliatio. Secundum eſt ſanctorum Patrum deuotio. In ſucceſſione namque ſanguinis,ſicut dicit Aug. lib.16.de Ciuit.Dei.c. Tomo 5. 25. Erat ſucceſſio religionis, in qua colebatur Deus. vnde quia gentis fidelium diſtinctæ ab infidelibus, primus pater fuit Abraham : ideo in eo primo factum eſt priuilegium ſanctæ diſpenſationis de pluribus habendis vxoribus. Et ſic ſucceſſiuè omnibus poſteris eius, in quibus fuit eadem cauſa propagationis fidelis populi. Secundo hoc oſtendit ſanctorum Patrum deuotio.Contrahebant enim ſecundum Aug. De bono cõiug.c.22. Tomo 6. ſancti Patres cum pluribus vxoribus, non ducti libidine, ſed ducti pietate, qua vtebantur coniugibus pluribus caſtius, quàm nunc vna quilibet iſtorum : in quibus videmus, quòd ſecundum veniam concedit Apoſtolus, qui atteſtatur eorum meritum. ait enim,quòd ſicut non fuit impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt, & in Ioanne,qui paſſus non eſt;ſic non fuit impar meritum continentiæ in Ioanne,qui nullas expertus eſt nuptias : & in Abraham, qui filios generauit : nam illius cœlibatus, & iſtius connubium pro temporum diſtributione Chriſto militauerunt. quàmuis enim caſtitas cœlibum melior ſit, quàm caſtitas nuptiarum : Abraham tamen ambas habuit in habitu, & vnam ſolam in vſu.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ plures D vxores habere,non fuit contra naturam in antiquis Patribus : quia non fuit propter affectum libidinoſum,ſed officioſum. vnde non erat contra legem naturæ : ex quo ſciebant interna inſpiratione,& Angelica reuelatione ipſum Deum hoc velle: quàuis enim ratio naturalis abſolutè dictet, non eſſe accipiendam rem alienam,domino rei inuito : conditionaliter tamen poteſt dictare contrarium, puta domino volente.Ex quo ergo ſancti Patres ſciebant,Deum velle,nõ erat contra dictamen legis naturæ ſic conditionaliter ſumptum : nec contra morem: quia illo tempore ſic fiebat : nec contra præceptum, quia nulla lege ſcripta adhuc iſtud erat prohibitum.

Et per hoc patet reſpõſio ad Secundũ. quia Abra-A ham præuenit legem Moſaicam ſcriptam: nõ autem præuenit legem naturæ, quæ licet abſolutè dictaret, pluribus uxoribus non eſſe commiſcendum: volente tamen Deo, & inſpirante, dictabat contrarium.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ratio naturalis in homine dictat conſeruationem ſpeciei ſecundum rationem poſſibilem : pluralitas autem vxorum talem poſſibilitatem rationabilem excludit. vnde non recipit diſpenſationem niſi in caſu, & diuina auctoritate, &c.

ARTICVLVS III.

B VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd vna mulier poſſit eſſe vxor plurium virorum.

Turrecremata ſupra citatus, & plenè Sotus lib.4.ſent. diſt.33.q.1.art.3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare,quòd vna mulier poſſit eſſe vxor plurium virorũ.Dicit enim Auguſtinus in li. de x. Chordis. Tomo 9. cap.3.Quòd plus peccat *homo * al. vir. quàm mulier adulterans.Magis ergo eſt diſpenſabile, ꝙ vna mulier habeat plures viros, quàm quòd vnus homo habeat plures uxores.

C 2 Præterea : Aliquando de facto diſpenſatum eſt, quòd homo plures vxores habeat. Ergo de facto diſpenſabile eſt,ꝙ vna mulier habeat plures viros.

3 Præterea : Philoſophus dicit 1. Phyſicorum, ꝙ Ariſt. 1.Phyſic. text. cõ. 81. ſic fœmina appetit maſculum,ſicut materia formã : ſed materia poteſt pluribus formis informari. Ergo mulier poteſt pluribus viris copulari.

IN CONTRARIVM eſt. Quia illud non eſt diſpenſabile, quod in nulla lege legitur eſſe factũ, vel diſpenſatum : ſed nuſquam legitur lege diuina fuiſſe diſpenſatum, nec in aliqua natione,quantumcunque barbara,legitur eſſe cõſuetum,quòd vna mulier habeat plures viros. Non eſt ergo hoc diſpenſabile.

RESOLVTIO

Indiſpenſabile eſt, quòd mulier ſit plurium virorũ vxor, ne naturalis ſubiectio, amicitia copulatio, prolis affectio, educatioq. è medio tollantur.

RESPONDEO, dicendum,quòd in copulatione viri,& vxoris quatuor includuntur. Primo naturalis ſubiectio : Sic enim dictum eſt vxori Gen. 3. Sub viri poteſtate eris : & ipſe dominabitur tui. Secundo, perfectæ amicitiæ copulatio. Eſt enim naturalis amicitia perfecta,& primaria inter virum, & vxorem. Tertio, prolis generandæ affectio. quia propter hoc facta eſt in adiutorium viri, ut dicit Auguſtinus lib.de Geneſi ad litteram. Tomo 3. lib.9.c.3. Quarto eius nutritio

tritio,& educatio. Iſta autem quatuor deſtruerentur, E ſi mulier eſſet vxor plurium virorum. Remoueretur enim naturalis ſubiectio: quia contra ordinem naturæ eſt, vt aliqua perſona æque per ſe pluribus ſubijciatur. Secundo remoueretur amicitiæ copulatio. Perfecta enim amicitia non niſi ad vnum eſſe poteſt, & cum hoc induceretur doloris afflictio, quæ eſt principium diſcordiæ. quia quilibet triſtatur cum impeditur per alterum in vſu ſuæ rei delectabilis. Tertio, remoueretur prolis affectio: Quamuis enim vnus vir poſſit fęcundare multas fęminas: vna tamen mulier cōmuniter à pluribus viris fęcundari nō poteſt. Vnde meretrices, quæ pluribus viris ſe ſupponunt, communiter ſteriles ſunt. Quarto, remoueretur nutritio, & educatio: quia certitudo prolis eſt cauſa ſolicitudinis habendæ circa eius nutritionem, & educa- F tionem: quæ nulla eſt, quando vna mulier pluribus viris copulatur. Indiſpenſabile ergo eſt, ꝙ vna mulier ſit vxor plurium virorum.

Meretrices cur ſteriles.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo, & Secundum eſt dicendum, ꝙ intentio Auguſtini eſt in libro præallegato: maius peccatum eſt adulteriū vxoris, quàm viri: pro tanto, quia ad adulterium vxoris concurrit.

Adulterium Vxoris cur maius, q̃ Viri.

Primo furtum in eo, ꝙ hæreditas debita filijs mariti, datur extraneis.

Secundo concurrit frequenter homicidium, propter quod vitandum Moyſes permiſit adulteria, permittendo libellum repudij. Expreſsè enim dicit glo. Deutero. 24. Vide (inquit) quantum malum eſt ho- G micidiū, pro quo vitando multa adulteria tolerantur.

Tertio concurrit ibi ſacrilegium. quia omnis mulier adulterans ſecundum omne tempus eſt vniuerſaliter præuaricatrix legis diuinæ. non autem ſic homo, cum aliquando fuerit diſpenſatum, quòd vnus homo poſſit pluribus vxoribus commiſceri. Plus tamen peccat homo adulterās, quàm mulier. quia Deo eſt propinquior: eſt enim caput eius. Eſt in complexione fortior: & in ratione præſtantior. Iſta enim duo ſimul ſtant: quòd mulier adulterans maius peccatum committat, quàm vir: & tamen vir plus peccat, quàm vxor, quia maius peccatum refertur ad operationem, & actum peccati. ſed plus peccare refertur ad conditionem, & ſtatum peccantis.

Adulterium Viri cur maius, q̃ Mulieris.

Conciliatio dictorum.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut contra na- H turam eſt quòd materia ſimul, & eodem modo pluribus formis informetur: ſic contra naturam eſt, ꝙ vna mulier ſimul matrimonialiter pluribus viris copuletur. ſucceſſiuè vero, mortuo viro, poteſt alteri nubere: ſicut in materia ex corruptione vnius, fit generatio alterius.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd ſimplex fornicatio non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 154. art. 2. Et Turrecremata in c. Meretrices 32. q. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, ꝙ ſimplex fornicatio nō ſit peccatum mortale. Quia ille, qui facit quod eſt de iure naturæ, nō peccat mortaliter: ſed Iſidorus dicit, de iure naturali eſſe, maris, & fœminæ coniunctionem. Non eſt ergo peccatum mortale ſimplex fornicatio.

Lib. 5. Ety. cap. 4.

2 Præterea: Abraham cognouit ancillam ſuam de conſenſu vxoris, & cū ibi fuerit fornicatio ſimplex, non tamen ei imponitur, ꝙ peccauerit mortaliter.

Gen. c. 16.

3 Præterea: Vbi poſſunt aſſignari bona matrimonij, ſine peccato fieri poteſt: ſed in concubitu fornicario poſſunt aſſignari perpetuitas fidei, generatio prolis, & ſacramentum. Ergo ſine peccato mortali fieri poteſt.

In Contrarium eſt. Quia nullus excluditur à Regno cœleſti, niſi pro peccato mortali. ſed Apoſtolus dicit ad Epheſios 5. Omnis fornicator, aut immundus, non habet hæreditatem in G regno Chriſti, & Dei.

RESOLVTIO.

Fornicatio ſimplex cum ſit cōtra ius naturale, ideſt contra pręceptum legis naturæ, à Papa ſuper ea diſpenſari non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ quibuſdam viſum eſt, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatū mortale. Quia Gen. 1. Indifferēter omnibus dicitur: Creſcite, & multiplicabimini, & replete terram. Similiter lex † ciuilis dicit: Quod in nullius bonis eſt, conceditur occupanti: vt inſula † nata in mari, quia in nullius bonis eſt, conceditur occupanti. ſed mulier H ſoluta carens viro in nullius bonis eſt, occupanti ergo licitè conceditur. Vti etiam re ad vſum, ad quem facta eſt, nullum videtur eſſe peccatum: & maximè vti re ſua. Ergo quòd quis vtatur ancilla ſua ad actū generationis, cum ad hoc mulier facta ſit, non videtur eſſe peccatum mortale. Ad hoc ergo reſpondet Aug. in lib. de x. Chordis, cap. 10. Dicens ſimplicem fornicationem eſſe contra ius naturale. quia eſt contra iſtud præceptum legis naturæ: Quod tibi nō vis fieri, alteri ne facias. quod quidem præceptum (vt ait) extendit ſe ad dilectionem Dei, & dilectionem proximi. nō enim homo debet facere proximo quod ſibi nollet fieri; & multo magis non debet facere Deo, quod ſibi nollet fieri. aliter (vt ait) charior eſſet homini proximus, quàm Deus. Sed ideo adul-

† l. quod n. ff. de acqui. rerū domi. † l. Adeo q. dem. 5. præterea. ff. de acquir. rerū domin.

Tomo 9.

terium

terium eſt peccatum mortale. quia hom o facit proximo, quod ſibi nollet fieri. corrumpit enim vxorē eius: & tamē ſuam nollet ab aliquo corrumpi. Ergo eodem modo fornicatio ſimplex eſt peccatum mortale: quia facit homo Deo, quod nollet ſibi fieri. Nā corrumpit domum, & templum Dei: & tamen domum, & templum ſuum nollet ab aliquo corrumpi, Geneſ. 1. & deturpari. quòd vero dicitur: Creſcite, & multiplicamini, &c. dictum eſt hoc poſt formationem Euæ, & inſtitutionem matrimonij: & ſi ante dictū eſt, fuit propter operum ſex dierum continuationē: non propter præcepti executionem. Quod autem ſubditur: Occupanti conceditur, quod non eſt in bonis alicuius; intelligitur de illis, quorum dominium fuit datum homini, non de mulieribus vel hominibus: ſimiliter re ſua vti cuilibet licet, non tamen abuti. Ancilla autem non eſt deputata homini ad vſum fornicationis, ſed ad alia obſequia.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ vſus viri cum fœmina quacunque, naturalis dicitur, à natura generali, non autem ſpeciali, quæ eſt cum ratione, & diſcretionis vſu. Vnde poſtquàm Iſidorus dixit de iure naturali eſſe coniunctionem maris, & fœminæ; addidit: quam nos matrimonium appellamus.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Abraham non fuit fornicatus cum ancilla ſua: quia, vt ſcribitur Geneſ. 16. Ancilla fuit ſibi vxor, & pro uxore aſſignata: non enim diceretur Abraham habuiſſe duas vxores: ſi ancilla non fuiſſet ſibi matrimonialiter copulata.

Ad tertium eſt dicendum, quòd perpetuitas fidei non ſeruatur in concubitu fornicario, eo quòd de conſenſu alterius, vel vniuſcuiuſque perpetuitas illa diuidi poteſt: nec bonum prolis, cum non ſit ad prolem affectus matrimonialis: & multo minus, nec eſt hoc bonum ſacramenti, propter quod error eſt dicere, fornicationem ſimplicem non eſſe peccatum mortale.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in quolibet conſanguinitatis gradu.

Concil. Trid. ſeſſ. 24. de reformatione matrimonij. cap. 5. Armill. Tit. Diſpenſatio. §. 9. & Matrimonium §. 25.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in quolibet conſanguinitatis gradu: quia ius poſitum, cuius Papa eſt conditor, non poteſt tollere ea, quæ ſunt de iure naturæ. Sed vinculum conſanguinitatis, quod eſt aptum natum impedire matrimonium, eſt vinculum naturale, ergo nullo ſta

A tuto Eccleſiæ hoc poteſt tolli.

2 Præterea: Manente cauſa, ſemper manet effectus: Sed cauſa, quare conſanguinitas impedit matrimonium, eſt bonum prolis, repreſſio concupiſcētiæ, & multiplicatio amicitiæ. manente ergo tali cauſa, ſemper manebit effectus, vt quòd non diſpenſetur in gradibus conſaognitatis.

3 Præterea: Papa non poteſt facere, ꝙ vna, & eadem actio ſit in genere peccati inceſtus, & in genere Sacramenti. Sed ſi aliqui contraherent in tertio gradu conſanguinitatis abſque Papæ auctoritate, talis contractio eſſet peccatum inceſtus: ſi vero talis contractio approbatur per Papam, eſſet verum matrimonium. Et ſic vna, & eadem actio eſſet peccatum, & ſacramentum.

B In Contrarium eſt. Quia non minoris auctoritatis eſt Papa, quàm Imperator, qui eſt conditor iuris ciuilis. Sed quandoque ius ciuile determinabat gradus conſanguinitatis matrimonij impedientes, & non impedientes. Ergo multo fortius in talibus poteſt diſpenſare Papa.

RESOLVTIO.

In quolibet conſanguinitatis gradu à Papa diſpenſari poteſt, primo gradu excepto, id eſt, inter Patrē, & filiam: vel inter Matrem, & filium. Has enim perſonas prima Matrimonij inſtitutio excepit, vt filialis ſubiectio remaneret.

C Respondeo, dicendum, quòd in matrimonio tria poſſumus conſiderare. Primo, æqualem æquipollentiam. Vir enim, & vxor non ad imparia iudicantur: ſunt enim æquales in actu matrimoniali. Secundo, carnalis copulæ inerubeſcentiā. Tertio, ipſius prolis diligentiam. Propter carentiā igitur æqualis æquipollentiæ ſemper Pater, & Mater fuerunt à matrimonio excluſi in omni lege. ſi enim filia copularetur Patri, aſſumeret eam in ſociam, & non remaneret in ea filialis ſubiectio. & eodem modo ſi filius copularetur Matri. Vnde ſtatim in primordio productionis hominis Pater, & Mater à matrimonio fuerunt excluſi. iuxta illud Gen. 2. Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, quorum derelictio non poteſt intelligi quantum ad habita-
D tionem, vel neceſſariorum ſubuentionem, quia tunc eſſet contrarium illi præcepto: Honora Patrem tuū, & Matrem tuā. Intelligitur ergo talis derelictio quātum ad matrimonialem coniunctionem. In hoc igitur nulla diſpenſatio cadit: quia prima inſtitutio matrimonij has duas perſonas excepit. In cæteris autem nullam nulli ad coniugij ſacramentum fœderandum prohibuit vt dicit Vgo 2. lib. de Sacramentis p. xj. cap. 4. Propter carentiam vero honeſtatis pudicitiæ excluſæ fuerunt in lege Moyſi à matrimonio illę perſonæ, quæ in vna domo adinuicem conſueuerūt habitare, quorum vnus alterius honeſtatem, & pudicitiam ſeruare tenetur. Sed propter carentiam prolis diligentiæ, quam parentes tenentur naturaliter habere, excluſi ſunt à contractione matrimonij quandoque per Eccleſiam vſque ad ſextum, & ſeptimum

gradum:

gradum: nunc vero excluduntur ſolū uſque ad quartum ex vna parte, & quintum in alia: in aliis vero inferioribus gradibus ſine diſpenſatione Eccleſiæ, contractio matrimonialis fieri non poteſt. Sic enim reſpondet Grego. requiſitus ab Aug. Anglorum Epiſcopo quęrenti in quinta generatione fideles debeant copulari: Diſpenſatoriè (inquit) quædam lex Romana in Rep. permittit, vt ſiue frater, ſiue ſoror, ſeu duorum fratrum germanorum, vel duarum ſororū filius, & filia miſceantur: ſicut experimento didicimus in tali coniugio ſobolem non poſſe ſuccreſcere. vnde neceſſe eſt, vt iam in † quarta, vel in quinta generatione fideles licenter ſibi iungantur.

35.qo.2. & 3.c.Quędā.

Tūc licebat. nunc vero quartus cōſanguinitatis gradus copulā coniugalē non admittit ſine diſpenſatione.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd licet E conſanguinitas ſit naturale vinculum, non tamē tollit matrimonium impediendo carnalem copulam: niſi ſecundum determinatum gradum, quem determinare ſpectat ad Eccleſiam: in quo gradu copula talis carnalis ſit licita, & in quo illicita.

De conſangui. & affi. cap. Nō debet.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non ſemper manet eadem cauſa. quod enim in vno tempore prohibetur matrimonium in gradibus conſanguinitatis propter cauſas ſuperius dictas, alio tempore propter alias cauſas occurrentes ſalubriter conceditur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſi fieret contractio matrimonialis in gradu cōſanguinitatis prohibita ab Eccleſia: ſecundum quem modum eſſet in F genere peccati inceſtus, non fieret ſacramentalis illa actio ratione illius primæ contractionis, ſed habita diſpenſatione, noua contractio eſſet ſacramentalis, & matrimonialis.

QVAEST. LIIII. DE DISPENSATIONE SEPTIMI PRAECEPTI.

NVNC conſiderandum eſt de diſpēſatione ſeptimi præcepti. Circa qđ quęruntur quatuor.

Primò, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto, quòd non ſit peccatum mortale.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto in caſu propriæ neceſſitatis.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in furto in caſu paupertatis alienæ.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt res furtiuè ſublata non reſtituatur.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto, quòd non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 66. art. 6. & Sotus lib. 5. de iuſtitia, & iure q. 3. art. 3.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare in furto, ꝙ non ſit peccatum mortale. quia nullū peccatum cadit ſub diuino præcepto. Deus enim nulli mandat impie agere, vt ſcribitur Eccle. 15. Sed Deus inuenitur præcepiſſe furtum. Sicut enim ſcribitur Exo. 12. Fecerunt filij Iſrael, ſicut præceperat dominus Moyſi, & expoliauerunt Aegyptios.

2 Præterea: Papa poteſt diſpenſare in eo, quod nō eſt iuris naturæ, nec de iure diuino. Sed appropriatio rerum non eſt de iure naturæ: dicit enim Aug. tractatu 6. ad cap. 1. Ioannis. Et ponitur 8. diſt. cap. Quo G iure. Tolle iura Imperatoris, & quis audet dicere: hæc villa eſt mea: & iſta domus eſt mea. Nullum ergo furtum committi poteſt, ex quo nulla res magis eſt propria vni, quàm alteri.

3 Præterea: Papa eſt Vicarius Dei, ſed Deus eſt dominus omnium rerum: iure namque diuino, Domini eſt terra, & plenitudo eius. Poteſt ergo Papa diſpenſare, vt nulla res, vel poſſeſſio attribuatur vni magis, quàm alteri.

Pſal. 23.

In Contrarium eſt. Quia Papa non poteſt diſpenſare in diuinis præceptis, ſed non furari numeratur inter diuina præcepta. Exodi 20.

RESOLVTIO.

H *Papa in furto diſpenſare non poteſt; cum ipſum ſit contra diuinum præceptum.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut gratia eſt quædam lux, ita peccatum mortale, quod gratiam tollit, quædam tenebra eſt. per fructus autem lucis, & tenebræ poteſt cognoſci peccatū, quod luci gratiæ opponitur: iuxta illud Matth. 7. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Fructus autem lucis eſt triplex, vt dicit Apoſtolus ad Gal. 5. Primus eſt charitatis bonitas. Secundus iuſtitiæ æquitas. Tertius eſt * manifeſtationis veritas. Opponitur autem furtum charitatis bonitati per ſubtractā à proximo indigentiam. Opponitur iuſtitiæ æquitati per violenter retentam eius ſubſtantiam. per furtum enim non

* al. manifeſtatio veritatis.

non redditur vnicuique, quod ſuum eſt: ſed violenter, innito domino, eius ſubſtantia retinetur, & opponitur manifeſtationi veritatis, per occultam fraudulentiam. vnde furtum ex his tribus habet, quòd ſit peccatum mortale, nec in eo auctoritate humana diſpenſari poteſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. in lib. 83. qōnum. Nullum decipere, ſumma virtus eſt. quemlibet vero decipere, ſummum vitium eſt. hoſtem autem decipere propria voluntate, malum eſt. ſed diuina auctoritate eſt bonum. Filij ergo Iſrael non expoliauerunt Aegyptios propria voluntate, ſed diuina auctoritate: nec Deus hoc præcipiens fuit deceptor, quod credere nefarium eſt: ſed fuit meritorum, & perſonarum iuſtiſſimus diſtributor. nec filij Iſrael furtum commiſerunt, ſed magis quod debitum erat eis acceperunt. Vnde ſcribitur Sapien. 10. ꝙ iuſti tulerunt ſpolia impiorum.

Q. 53. Tomo 4.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Iuriſconſultus, cum aliquid iuri diuino, vel naturali additur, vel ſubtrahitur, ius ciuile efficitur. Communitas ergo rerum pro tanto attribuitur iuri naturali, non ꝙ ius naturale dictet omnia eſſe poſſidenda communiter: immo dictat contrarium: vnde Philoſophus naturali ratione reprobat opinionem illorũ, qui dixerunt vxores, & omnia alia communiter eſſe habenda: ſed quia ſecundum ius naturale non eſt facta diſtinctio, vel appropriatio rerum: ſed magis hoc factum eſt ſecundum ius poſitiuũ. ideo appropriatio rerum non dicitur eſſe de iure naturali, ſed de iure ciuili, quod non eſt iuri naturali contrarium, ſed ſuperadditum.

L. Ius ciuile. ff. de iuſt. & iur.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut Deus, qui habet principale omnium rerum dominium, ſecundum ſuam prouidentiam ordinauit temporales res ad corporalem hominum ſuſtentationem: eiſque naturale omnium rerum dominium, quantum ad poteſtatem vtendi, conceſſit: ſic Papa eius Vicarius hũc ordinem diuinæ prouidentiæ obſeruare tenetur, nõ immutare.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto, in caſu propriæ neceſſitatis.

S. Thom. 2. 2. qō. 66. ar. 7. Et Canoniſtæ in cap. Siquis propter neceſſitatem, extra de furtis.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare in furto, in caſu propriæ neceſſitatis: quia magis conſonum eſſe videtur naturæ fornicari, quàm furari; ſed nũquàm pro ſeruanda propria vita Papa poteſt diſpenſare, quòd liceret homini fornicari. Ergo multo minus poteſt diſpenſare, ꝙ liceat homini furari.

A

2 Præterea: Maius bonum eſt conſeruatio ſpeciei, quàm indiuidui: & maius malum eſt furari, quàm fornicari: ſed non licet cõmittere minus malum, puta fornicari pro maiori bono, vt pro conſeruatione ſpeciei. Ergo multo minus licet facere maius malum, ſcilicet furari, pro minori bono, vt pro conſeruatione indiuidui.

3 Præterea: Sicut fit approbatio mulierum per matrimonium; ita fit approbatio rerum per dominium. ſed numquam licet rapere mulierem iam alteri appropriatam per matrimonium. Ergo numquam licet rapere rem iam alteri appropriatam per dominium.

B

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa poteſt diſpenſare, quòd homo abſoluatur à reſtitutione rei alienæ in caſu neceſſitatis. Ergo ſimiliter poteſt diſpenſare in caſu neceſſitatis, ꝙ rem alienã poſſit homo capere.

RESOLVTIO.

In caſu neceſſitatis, omnia fieri communia quis ibit infitias? Hinc in huiuſmodi furto diſpenſari poteſt. ius enim poſitiuum, quo fit rei appropriatio, iuri cedit naturali.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. † & ponitur 8. diſt. Aduerſum naturale ius nulli quicquàm agere licet. Eſt enim ius naturale idẽ, & immobile apud omnes. Ius vero poſitiuũ eſt multiplex, & multipliciter mutabile. quia quandiu conſonat iuri naturali ſeruandum eſt: quando vero diſcordat, ſeruandum non eſt. Planum eſt autẽ ꝙ conſeruatio vitæ eſt de iure naturali, appropriatio vero, & diſtinctio rerum (vt dictum eſt) facta eſt per ius poſitiuũ. Quando ergo appropriatio rerum conſeruationi vitæ non obuiat, ſeruanda eſt: vbi vero obuiat, ceſſat. ita quòd ſi neceſſitas vitæ conſeruandæ eſt aliter releuabilis, quàm per acceptionem rei alteri appropriatæ, non eſt diſpenſabile, vt rem alteri appropriatam pro conſeruanda vita ſua homo accipiat: quia ius poſitiuũ in tali caſu non obuiat naturali. Si vero non eſt releuabilis, diſpenſabile eſt, vt homo rem alteri appropriatam pro conſeruanda vita ſua accipiat. quia in tali caſu ius poſitiuum opponitur naturali. ceſſat enim ex neceſſitate rerũ appropriatio, & fiunt omnia communia.

C

D

† id habetur Aug lib. 3. Coſeſſ. c. 8 refert. Gratianus in c. Quæ cõtra. d. 8. & ſuo in Decreto par. 4. cap. 178.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum. Verũ eſt, quòd actus fornicationis magis eſt conſonus naturę, quàm furti: materia tamen, circa quam eſt furtum, in caſu neceſſitatis aliter ſe habet, quàm materia, circa quam eſt fornicatio. quia in caſu neceſſitatis materia furti fit idonea ad accipiendam eam: eo quòd de propria fit communis. ſed materia, circa quam eſt fornicatio, numquàm fit idonea ad coeundum cũ ea. ſemper enim manet fornicatio in ſua ratione: quia numquam fit communis.

AD

A D ſecundum eſt dicendum. Quòd licet maius bonum ſit conſeruatio ſpeciei, quàm indiuidui, homo tamen magis tenetur ad conſeruationem indiuidui, quàm ſpeciei. Et ideo illud, per quod conſeruatur indiuiduum, ſit licitum vt proprium fiat commune in caſu neceſſitatis: ſed illud, per quod conſeruatur ſpecies, non facit licitum, quia non facit mulierem communem.

A D tertium eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia appropriatio mulierum perpetua eſt eiſdē perſonis manentibus. non autem ſic eſt appropriatio rerum: quia quod eſt proprium, fit commune in caſu neceſſitatis, ſicut dictum eſt.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in furto in cauſa alienæ paupertatis.

Citati in articulo præcedenti.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpēſare in furto, in caſu alienæ paupertatis. Quia maius peccatum eſt furari, quàm mentiri. ſed Papa non poteſt diſpenſare, quòd pro vita alterius conſeruanda liceat alicui in aliquo caſu mentiri. Ergo multo minus furari.

2 Præterea Papa non poteſt diſpenſare, quòd pro ſalutę animæ alterius liceat alicui furari. Ergo multo minus poteſt diſpenſare, quòd liceat alicui furari pro ſalute corporis.

3 Præterea: Apoſtolus dicit Rom. 3. ꝙ iuſta eſt illorum damnatio, qui dicunt: Faciamus mala, vt veniant bona. Non eſt ergo diſpenſabile, ſed damnabile, ꝙ quis furetur, vt ſubueniat pauperi indigenti in caſu neceſſitatis.

I N C O N T R A R I V M eſt. Quia Saluator excuſauit Dauid, qui panes propoſitionis dedit pueris ſuis ī caſu neceſſitatis, quos nō licebat comedere, niſi Sacerdotibus. Sicut habetur Lucæ 6. Super quo verbo dicit gloſſa, ꝙ neceſſitas non licitum facit licitum. Ergo furari, & indigenti ſubuenire in neceſſitatis articulo, ſi homo non habet per ſe, quòd ſibi ſubueniat, licitum eſt. 1.Reg.21.

R E S O L V T I O

Quilibet de iure naturali tenetur conſeruare vitam ſuam, & proximi. Hinc in caſu neceſſitatis in huiuſmodi furto, ſicut in ſuperiori, diſpenſari poteſt.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd aliqui dicūt, perſonam, à qua furtiuè aliquid accipitur aut publicam eſſe, & de ſtipendijs Communitatis viuere; vel priuatam: & ſi eſt publica, dupliciter: quia vel habet dominium tyrannicum: vel iuſto titulo acqui-

E ſitum. Vtroque modo dicunt, ꝙ licitum eſt furari à perſona publica in caſu neceſſitatis propriæ, vel alienæ. quia non eſt contra legem naturæ tyrannum ſpoliare, quem honeſtum eſt necare, vt dicit Tullius in de offi. Similiter licitum eſt furari de bonis publicæ perſonę habentis dominiū iuſto titulo acquiſitum: quia bona eius ſtipendia Communitatis ſunt. Sed de bonis priuatæ perſonæ nō licet furari: immo potius, vt dicunt, debet ſe, vel alterū permittere mori, quàm contra legem naturæ facere furtum. Furtum autē lege naturæ prohibetur, vt dicit Aug. lib. 2. Cōfeſſ. c. 4. Tomo 1. Omnia autem iſta non videtur eſſe benedicta. Quãuis enim hoſtem, vel tyrannum ſpoliare licitum ſit, auctoritate ſuperioris: non eſt tamen licitum propria voluntate, vt dicit Auguſtinus. Bona vero pu- Supra ar...
F blicæ perſonæ habentis dominium iuſto titulo acquiſitum, licet ſint ſtipendia communia, ſunt tamen ſibi appropriata pro communi adminiſtratione, quã exercet. Vnde ea ratione non eſt licitum furari de bonis eius, qua rõne non eſt elicitum furari de bonis priuatæ perſonæ. Nec eſt contra legem naturæ, rem alteri appropriatam accipere in neceſſitatis articulo, ad ſubueniendum ſibi, vel alteri: quia hoc non eſt propriè furtum in lege naturę prohibitum: quamuis videatur eſſe ſimile furto, cum in caſu neceſſitatis illud, quod proprium eſt, fiat commune. Puto ergo eſſe dicendum (ſicut ſupradictum eſt) quòd vel neceſſitas proximi poteſt aliter releuari, quàm per acceptionem rei alteri appropriatæ, & tunc non licet rē alienam accipere. Vel non eſt aliter releuabilis, & tūc licet. Nam ſecundum Aug. in lib. de vera Religione, Tomo 1.
G cap. 46. Iſta eſt regula charitatis Proximo optare bona: quæ ſibi homo optat. Sicut ergo de iure naturali quilibet tenetur conſeruare vitam ſuam: ita & vitam proximi. In eo ergo caſu, in quo diſpenſabile eſt, vt homo rem alienā accipiat pro conſeruanda vita ſua, in ſimili caſu diſpenſabile eſt, vt homo accipiat rem alienam pro conſeruanda vita proximi.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd quãuis furari maius peccatum ſit, quàm mentiri, tamen mendacium importat inſeparabiliter prauam intentionem agentis, puta intentionem fallendi. Ideo numquàm poteſt bene fieri. Furtum autem non ſic
H importat.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. Quia ſalus animæ aliter poteſt conſeruari, quàm per ſubuentionem rei temporalis: ſalus autem corporis non. non enim res temporalis ſic ordinatur ad ſalutem animæ, ſicut corporis.

A D tertium eſt dicendum, quòd rem prius alienam accipere, & pauperi tamquàm ſuam dare in neceſſitatis articulo, non eſt malum, neque propriè furtum: quàmuis videatur furto ſimile: nam furtum propriè dictum eſt, cum accipitur res aliena manens aliena, & inuito domino, manente domino, & intentione fraudulenta, puta animo celandi, & retinendi alienum. In tali vero caſu non manet res aliena, eo quòd neceſſitas facit communem: neque manet idē

dominus

dominus rei, quia accipiendo, & vtendo in neceſſitate ſua, efficitur communis, nec accipitur fraudulenter, ſed ſimpliciter. vnde non fit malum, vt eueniat bonum, ſicut ſupponebatur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt res furtiuè ſublata non reſtituatur.

Canoniſtæ, & præ alijs Couarruuias in cap. Peccatum. de regul.iur.lib.6.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare, vt res furtiuè ſublata nõ reſtituatur. quia Papa eſt dominus omnium. Ergo poteſt rẽ vnius alteri cõcedere, abſque eo quòd illi reſtituatur.

2 Præterea: Papa eſt Vicarius Dei, ſed Deus mandauit, vt filij Iſrael furarentur bona Aegyptiorũ, non reddituri eis illa bona, quæ furati eis fuerant, vt dicit Auguſt. in lib. 83. q. c. 53. Ergo ſimiliter hoc Papa facere poteſt. *Tomo 4.*

3 Præterea: Scribitur extra de furtis c. Si quis. Si quis per neceſſitatem famis, vel nuditatis furatus fuerit cibaria, veſtem, vel pecuniam, pœniteat per tres hebdumadas. Indulget ergo Papa, ꝙ res furtiuè ſublata non reſtituatur.

4 Præterea: Mitior debet eſſe lex diuina, quàm lex humana: ſed non taxatur pœna mortis pro furto ſemper in lege humana: ergo lex diuina nec pœnam damni taxare debet, ex quo mitior eſt.

IN CONTRARIVM eſt. Quia non furari, cum ſit præceptum diuinum, indiſpenſabile eſt.

RESOLVTIO.

In re ablata, in caſu neceſſitatis, & impoſſibili exiſtente reſtitutione, vel adminiſtratione, fidei defenſione, & bonorum confiſcatione, diſpenſatio cadi poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ res poteſt auferri ab aliquo quinq; modis, quantum ad præſens. Primò, per illius, cuius eſt, ignorantiam: & ſic propriè nominatur furtum, à furuo, vel à fuſco: eo, ꝙ noctis tpe accipitur, neſciente domino rei, vt dicit Iſidorus. Secundò, per violentiã, & ſic propriè vocatur rapina: ſicut tyranni, & mali Principes violentiam inferentes rapiunt aliena: de quibus dicit ſcriptura: Omnes Principes tui quaſi lupi rapientes prædam. Tertiò, per iniuſtitiam, & ſic vocatur latrocinium: tales. n. ſunt Rectores, qui condunt iniuſtas leges ad extorquendũ pecunias pauperũ. remota. n. iuſtitia, Regna, & Regimina non ſunt niſi quædam magna latrocinia, vt dicit Aug. 4. de Ciui. Dei. c. 4. Quartò, propter ſacræ rei ablatam reuerentiam, & ſic vocatur ſacrilegium. Nam ſecundum Iſidorũ, Sacrilegus dicitur, eo ꝙ legis, vel furatus rem ſacram. Quintò, per neglectam malitiam. Et ſic eſt retentio mercedis operariorum. qui. n. non reddit mercedem ſuis mercenarijs, planum eſt, ꝙ tenetur ad reſtitutionem. Omnia enim iſta nomine furti prohibentur. & ideo in oĩbus iſtis non cadit diſpenſatio, vt res his modis ſublata non reſtituatur, niſi in caſu neceſſitatis, & pro Reip. adminiſtratione, vel fidei defenſione, ſeu pro illorũ, à quibus accipitur, bonorum confiſcatione: & pro illorũ, qui accipiunt, indigentiæ releuatione, & impoſſibili redditione.

Furtum vnde dicatur. *Lib. 5. Etymolo. c. 26.* *Zacch. 22.* *Tomo 5.* *Sacrilegus vnde dicatur.*

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa eſt dominus omnium per tuitionem, & iuſtitiæ obſeruationem. Vnde non puto, ꝙ ipſe poſſit rem vnius concedere alteri, niſi fortè in caſibus ſupradictis. Sed nunquid ſi aliquis recipiat de bonis alicuius confiſcatis per Papam tenetur ad reſtitutionem? Puto, ꝙ ſi iuſtè confiſcata ſunt, non tenetur. tamẽ, quia dicit Aug. in lib. 83. quæſtionũ: Solus Deus nouit, vel certè longè excellentius, & ſincerius, atque certius, quàm homines noſcant, qua quiſq; pœna, vel præmio dignus ſit; puto, quod tutius ſit talia bona, quantumcunq; confiſcata, reſtituere, quàm tenere.

Pro hac difficultate cõſule Decre. Grego. De Hære. cap. Vergentis. Tomo 4. Quæſt. 53.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa eſt Vicarius Chriſti, & miniſter eius: non ꝙ mediante eo aliquis decipiatur, ſed potius ꝙ à deceptione liberetur. Dicit enim Aug. in lib. ſupradicto, q. 53. ꝙ Deus expoliauit Aegyptios, & decepit: non quidem per ſeipſum. quia ipſe per ſeipſum neminem decipit, cum ſit Pater, & Spiritus veritatis: dignis tamẽ digna diſtribuens. Nec per Angelum bonum, cui non conueniebat perſona fallaciæ. nec per talem hominẽ, qui cuſtodire, & obſeruare intendit illud, quod ſcriptũ eſt: Sit ſermo veſter eſt, eſt: non, non. Sed per talem Angelum; qui pro ſuæ voluntatis peruerſitate infimis naturæ gradibus ordinatus eſt ad vindictam malefactorum, & exercitium, atq; purgationem iuſtorum: aut per tales homines, qui nondum huius mundi cupiditatibus ſe exuerunt: Iudęi nãque, per quos Aegyptij expoliati ſunt, & decepti, non iam erant tales, quibus diceretur: Diligite inimicos veſtros: ſed tales, quibus dici oportebat: Dilige proximum tuum: & odio habebis inimicum tuum.

Matth. 5. *Matth. 5.*

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illa decretalis intelligitur in caſu neceſſitatis propriæ, vel alienæ, in quo, rem alienam accipere non committitur propriè furtum, licet videatur ſimile furto, vt dictum eſt: vel loquitur de furto paruarũ rerum, quæ non accipiantur animo inferendi magnũ nocumentum proximo: Talia enim, quæ minima ſunt, intellectus accipit, quaſi nihil. vt dicit Philoſophus 2. Phyſicorum.

Vel loquitur in caſu, in quo non eſt vrgẽs neceſſitas, ita S Thom. 2. 2 q. 66. art. 7. ad 1. argumentum. Tex. cõ. 56.

AD quartum eſt dicendum, ꝙ pro quolibet furto non infertur pœna mortis, niſi aggrauaretur ex aliqua circumſtantia, vel ex parte eius, quod furtiuè aufertur: vt ſi quis furabatur hominẽ, mortis pœna puniendus erat Exo. 21. Vel ex parte modi furandi: vt ſi quis furatur rem ſacram, vel rem communem, vel in loco communi: puta in balneo, vel in foro, vbi nulla eſt cuſtodia muri, vel familię. In talibus enim, pro cuſtodia Legislator dedit minas mortis.

QVAEST. LV. DE DISPENSATIONE OCTAVI PRAECEPTI.

Einde conſiderandum eſt, de diſpenſatione octaui præcepti. Circa quod quæruntur quatuor.
Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ falſum teſtimonium non ſit peccatum mortale.
Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd mendacium non ſit peccatum.
Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd liceat mẽtiri mendacio officioſo, vel iocoſo.
Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ in ferendo teſtimonium: non interueniat iuramentum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd falſum teſtimoniũ non ſit peccatum mortale.

S. Thom. 2. 2. q. 110. art. 4.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare, ꝙ falſum teſtimoniũ non ſit peccatum mortale. Quia mendacium, quod vni nocet, & alteri prodeſt, peccatum nõ eſſe videtur. Sed quandoque aliquis falſum teſtimonium perhibet, vt aliquem à morte liberet, & à falſa ſententia intentata ſibi per falſos teſtes, vel per iudicis peruerſitatem. Ergo tale teſtimonium falſum diſpenſabile eſt, ꝙ non ſit peccatum mortale.

2 Præterea: Aliquis fert teſtimonium de aliquo homine, ꝙ ſit caſtus, & caſtum eum credit: & tamen eſt adulter. falſum ergo teſtimonium profert, & nihilominus non peccat mortaliter ſecundum Aug. in Enchir. cap. 22. Tomo 3.

3 Præterea: Veritas, quæ eſt virtus moralis, requirit veritatem ſecundum omnes circumſtantias: ſed difficile eſt ſecundum oẽs circumſtantias conſiderare factum, de quo fertur teſtimoniũ. graue eſt ergo dicere, ꝙ oẽ falſum teſtimoniũ ſit mortale peccatum.

IN CONTRARIVM eſt, quia tranſgreſſio diuini præcepti peccatũ mortale eſt: Sed Papa nõ põt diſpenſare in diuinis præceptis. Ergo nõ põt diſpenſare, vt falſum teſtimonium non ſit peccatũ mortale.

RESOLVTIO.

Papa diſpenſare non poteſt, quin falſum teſtimonium ſit peccatum. Hoc enim vel contra fidei veritatem, vel contra iuſtitiam proximi, ſiue contra ſuammet iuſtitiam eſſe, neceſſe eſt.

E RESPONDEO, dicendum, ꝙ falſum teſtimonium ex hoc dicitur eſſe mortale peccatũ, quia eſt contra Dei iuſtitiam, & contra iuſtum iudicium. ſcribitur enim Rom. 1. ꝙ cum iuſtitiam Dei cognouiſſent non intelligentes ipſam, ſed potius contra eã agentes, digni ſunt morte. Iſtud autem contingit tripliciter. Primo, quãdo homo profert falſum teſtimonium contra iuſtitiam Dei in his, quæ ſunt fidei: & in his, quæ ſpectant ad ſacram Scripturam, ſicut multi faciunt, vt videantur ſapientes, contra quos ſcribitur Ioan. 13. Numquid Deus indiget noſtro mendacio, vt pro illo loquamini doloſ? Secundo, quando quis profert falſum teſtimonium contra iuſtitiã proximi, vt ex tali teſtimonio iuſtitia proximi perdatur, & occultetur. quod prohibet Spiritus ſanctus quando ait:
F Noli mentiri aduerſus proximum tuum. Tertio, quã quis profert falſum teſtimonium contra iuſtitiam ſuammet. Et hoc, vel ex nimia humilitate: cum in cõfeſſione dicit ſe feciſſe, quod non fecit. de quo dicit Aug. ꝙ ſicut ſummo opere cauendum eſt, ne homo taceat, quod homo fecit; ſic cauendum eſt, ne dicat, quod non fecit: vel ex aliqua vtilitate, cum homo mentitur alicui, volendo aliquid conſequi ab ipſo. Omnibus iſtis modis falſum teſtimonium eſt peccatum mortale. nec in hoc cadit diſpenſatio. Eccl. 6.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ ſi alicui fieret iniuſtitia, & falſo modo iudicaretur, poſſet quis
G ſine peccato ad releuandam iuſtitiam eius, falſum † teſtimonium dicere, quia licet diceret falſum, non tamen falsè, nec contra proximum, vt tolleret proximo iuſtitiam, immo vt ſeruaret ei. Tamen quia teſtis iuratus admittitur, vt dicat veritatem, puto ꝙ in tali caſu mentiri non deberet. quamuis enim mortaliter non peccaret, quia mendaciũ non diceret in nocumẽtum proximi, peccaret tñ quia periuriũ incurreret.

† relicta hac doctrina ſentias cũ aliis doctoribus, & præſertim cũ S. Tho. 2. 2 q. 110. art. 3.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſecundũ Aug. in Enchy. 22. c. Quatuor modis contingit hominẽ falli. Primo namq. magno malo quis fallitur: cum non credit illud, quod ad vitam ducit æternam. Secundo paruo malo aliquis fallitur, qui falſum pro vero ap-
H probando, aliquid patitur ab ipſo: puta, cũ quis bonũ hominem putat, qui malus eſt, & ab eo aliquid mali patitur. Tertio, nullo malo quis fallitur: quando aliquis malum hominem ita bonum credit, vt nil mali patiatur ab eo. non enim in tali cadit illa prophetica deteſtatio: Væ vobis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum. quia de ipſis rebus, quibus homines mali ſunt, non de ipſis hominibus intelligendũ eſt, ſecundũ ꝙ ibi dicit Auguſt. in Enchyr. cap. 19. Sed quarto, nonnullo etiam bono quis fallitur, quando ipſum hominem dicit bonum, quem putat eſſe caſtum, nec ſcit ipſum adulterum. Dato, ꝙ contrarium

Tomo 3.

Iſaiæ 5.

Tomo 2.

ſit.

ſit. Nō enim fallitur in doctrina rerum bonarum, & malarum, ſed in occultis humanorum morum. A

Ad tertium eſt dicendum, quòd non oportet teſtimonium ferentes omnes circumſtantias circumſpicere, ſed illas dumtaxat, quæ habent judicem de veritate informare, puta de loco, & tempore. Dicit.n. Hugo ſuper Iſa. quòd in teſte debet eſſe ſcientia veri, memoria facti, & intentio boni. Et tunc ſecundum Aug. in lib. de Ciui. Dei. vbi par eſt numerus teſtium pro rei abſolutione, & damnatione, reus abſoluendus eſt, & non condemnandus.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd mendacium non ſit peccatum mortale. B

S. Thomas ſuperiori articulo citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa diſpenſare poſſit, ꝙ mendacium non ſit peccatū mortale. Dicit enim Aug. de vera Relig. cap. 14. quòd peccatum eſt voluntarium: ſed mendacium conſiſtit in ratione, non in voluntate. Ergo non eſt peccatum. (Tome 1.)

2 Præterea: Lex humana iniuſta non eſt. ſed talis lex † concedit, vt contrahentes ſe poſſint decipere citra medietatem iuſti pretij. Si ergo licet fallere, licet mentiri. († In cauſa. 2. ſ penult. ff. de minoribus)

3 Præterea: Ambro. dicit, ꝙ non ſolum in verbis, ſed etiam in factis ſimulatis mendacium eſt: ſed non omne mendacium in factis ſimulatis eſt peccatum: quia aliquando ſimulatio bona eſt. Simulauit enim Dauid, ſe eſſe furioſum 1. Reg. 21. Non ergo omne mendacium eſt peccatum mortale. (Lib. 4. Epiſto 15.)

In Contrarium eſt, quia omne, quod non eſt à Deo, peccatum eſt. Sed Iſido. dicit in lib. de ſummo bono, quòd omne mendacium ſummo opere cauendum eſt. quia omne * mendacium non eſt à Deo. (Lib. 2. c. 30.) (* al. peccatū.)

RESOLVTIO.

Mendacium omne cum ſit iniuſtum, & peccatum, ſuper eo Papa diſpenſare non poteſt.

RESPONDEO dicendum, ꝙ ſecundum Auguſt. 15. de Trini. cap. 11. Verbum exterius ſonans in auribus auditoris ſignum quoddam mediū eſt verbi interius latentis, & ipſius rei exterius exiſtētis. Habet ergo verbum triplicem comparationem: vnam ad rem ſignificatam, aliam ad proferentem, & tertiam ad audientem. Nam ad rem ſignificatā hanc comparationem habet, vt rem, ſicut vere eſt, ſic vere ſignificare valeamus. ad proferentem vero habet hāc comparationem: vt affectum noſtrum, vel conceptū vere, ſicut eſt, alteri exprimamus. ad audientem ſic (Tome 3.)

A comparatur: vt eius mentem per ſigna ad veritatis cognitionem excitemus: Omnis autem mētiens, iſto triplici bono, & iſta triplici vtilitate, verbum ſuū priuare intendit: nam intendit ſignificare rem aliter, q̄ ſit, & exprimere contrarium eius, quod non ſentit, & ad falſum excitare animum eius, qui audit; ſed non poteſt verbū hominis carere rei vera ſignificatione, & loquentis vera expreſſione, & audientis vera informatione abſque peccato: cum Apoſtolus dicat: Loquimini veritatem vnuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra. Omne igitur mēdacium iniuſtum eſt, & peccatum: nec in hoc cadit diſpenſatio. (Eph. 4.)

Ad Argumenta.

B

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ mendacium eſt falſa vocis ſignificatio cum intentione fallendi. Intentio vero non eſt rationis tantum, neç voluntatis tantum, ſed rationis eſt, vt dirigentis: voluntatis vero, vt exequentis.

Ad ſecundum † eſt dicendum, quòd ſecundum legem humanam contrahentibus ſe mutuo permittitur decipere. quia per talem deceptionem, contractus non reſcinditur, quaſi factus contra legem, ſed non permittitur ſecundum legem diuinam, quia peccatum eſt. Multa enim permittit lex humana, quæ per diuinam legem prohibentur, vt ſupradictum eſt per Auguſt. 1. lib. de lib. arb. c. 5. († S Tho. 2. 2 q. 77. art. 1.) (Tome 1.)

Ad tertium eſt dicendum, quò omne menda-
C cium in factis, & verbis ſimulatis eſt peccatum, non tamen conuertitur, ꝙ omnis ſimulatio, &c. Eſt enim duplex ſimulatio. Vna cautelę, & prudentię, qua verū interdum prudenter celatur. Et iſta eſt licita, & ſine mendacio. Alia deceptionis, & fraudulentiæ, quia falſum intenditur, & iſta eſt illicita, cum mendacio. (Simulatio quænam ſit ſine peccato.)

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, ꝙ liceat mentiri officioſo, vel iocoſo mendacio.

D S. Thom. Quodlibeto 8. art. 14. Et 2. 2. q. 110. art. 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, ꝙ liceat mentiri mendacio officioſo, vel iocoſo. quia non vituperatur Abraham, qui vxorem ſuam Saram ſororem ſuam eſſe dixit † Gen. 20. ꝑpter euaſionē mortis. Nec Iehu, qui culturæ Dei ampliatione ſe velle colere Baal ſimulauit, & omnes cultores eius interfecit 4. Reg. 10. Nec obſtetrices, quæ officioſo mendacio paruulos Hebræorum ſeruauerunt Exodi 1. († Hoc etiā videre licet cap. 19.)

2 Præterea: Mendacium eſt falſa vocis ſignatio cū intētione decipiendi: ſed iocoſe mentiens non intēdit decipere. Licet ergo iocoſe mentiri.

2 Præterea: Maius malum eſt homicidiũ, quàm mendacium: ſed pro aliqua vtilitate, vel neceſſitate hominum homicidium licite poteſt fieri. Ergo multo magis mendacium. E

In Contrarium eſt quod ſcribitur Eccle. 7. Noli velle mentiri omne mendacium.

RESOLVTIO.

Papa ſuper mendacio, includente intentionem fallendi, diſpenſare non poteſt.

Tomo 3. cap. 26.

RESPONDEO, dicendum, quòd iſtã quæſtionem pertractat Aug. in Ench. cap. 28. vbi dicitur, aliquos ſenſiſſe ad hominis iuſti officium pertinere aliquando mentiri, maxime de rebus paruis, & de rebus ad Dei culturam pertinentibus. Mihi autẽ (vt ait) videtur peccatum eſſe omne mendaciũ. Sed multum intereſt (vt dicit) quo animo, & de quibus rebus quiſque mentiatur. quia non ſic peccat ille, qui mentitur animo conſulendi; ſicut ille, qui mentitur voluntate nocendi: vt qui viatorem mentiendo in diuerſum iter mittit, ſicut qui vitæ viam mendacio fallente deprauat. Nec, vt ait, mentiens iudicandus eſt, qui dicit falſum, quod putat eſſe verum. Talis enim, non fallit, ſed fallitur. F

Sciendum eſt ergo ſecundum intentionem Aug. ibidem, quòd quædam ſunt mala opera ex genere operis propter indebitam materiam: vt occidere hominem. Quædam vero propter indebitam circumſtantiam: vt celebrare Miſſam, ſumpto prãdio. Quædam vero propter indebitum finem: vt dare eleemoſinam propter vanam gloriam. Primum genus malorum poteſt aliquando ſine peccato fieri: quia materiæ indebitæ poteſt addi debita circumſtantia. vt homini poteſt addi maleficus. Secundũ genus malorũ poteſt fieri ſine peccato: quia circumſtantia mala poteſt remoueri. Sed tertium genus malorum quando importat actualem deordinationem, & prauã intentionem in finem: non poteſt ſine peccato fieri eo, quòd actuali intentioni, & deordinationi finis contraria ſimul ineſſe non poſſunt. Cum igitur mendacium includat in ſua diffinitione intentionem fallendi, numquam poteſt bene fieri, & numquam diſpenſandum eſt, quòd fiat. G

Ad Argumenta.

Mẽdacium dici noluit, tunc enim propinqui dicebantur cognatione fratres & ſorores, Natura, vt Iacob, & Eſau. Gente vt omnes iudæi.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Abraham non fuit mentitus ſecundum intentionem ſuã, large enim loquendo, Sara ſoror eius erat Erat enim ſoror loth filij Aram fratris Abrahæ, vt dicit glo. Gene. 20. Iehu vero ampliando cultum diuinum commendatus eſt de fine, quem intendebat: non de modo perueniendi ad finem. vnde commendatus eſt de vero, non de mendacio. Nec obſtetrices remuneratæ ſunt pro mendacio, ſed pro beneficio benignitatis.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ mendacium eſt peccatum propter intentionem fallendi, vel falſum aſſerendi: iocoſe vero mentiens quamuis non habeat intentionem decipiendi, habet tamen intentionem falſum aſſerendi.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quamuis homicidium maius peccatum ſit in genere, quàm mendacium; non tamen importat ſemper intentionem malam operantis: ſicut mendacium. vnde quantitatiue maius eſt: ſed qualitatiue non: nec pro aliqua vtilitate mentiendum eſt. Dicit enim Aug. 1. de doctrina Chriſtia. cap. 14. Quod nullus mentiens; in eo, ꝙ mentitur, ſeruat fidem. Nam hoc vult, vt cui mentitur, fidem ſibi adhibeat, quam tamen mentiendo ei non ſeruat. ſed omnis fidei violator iniquus eſt. Omnis enim iniquitas eſt inutilis. Ergo omne mendacium inutile eſt. Tomo 3.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd in ferendo teſtimonium non interueniat iuramentum.

Cap. Hortamur. 3. q. 9. & c. Nuper de teſtib. & l. iuſiurandi. C. de teſtib.

Vide omnino Felinũ ſ c. cõſtitutus de reſcriptis nu. 16.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare, ꝙ in ferendo teſtimonium non interueniat iuramentum. Quia quod eſt de ſe confirmatũ non indiget confirmari, ſed verum teſtimoniũ dicere eſt præceptum Dei per ſe confirmatum. Non ergo indiget alio confirmari.

Serm. de Sãctis. cap. 21. Tomo 10.

2 Præterea: Papa non debet inducere aliquem ad peccatũ. Sed dicit Auguſtinus, ꝙ ille, qui prouocat aliquem ad iuramentum; quamuis ille, qui iurat, ſi bene vtitur iuramento, non peccet, à malo tamen eſt illius, cuius infirmitate cogitur iurare.

3 Præterea: Quæ ſunt idem, vnum non confirmatur per aliud: ſed ſicut periurium, & falſum teſtimonium idem eſſe uidentur, ſic teſtimonium verum, & iuramentum verum idem ſunt.

In Contrarium eſt. Quia Iacob Gen. 31. teſtimonium, & promiſſionem Laban ſoceri ſui per iuramentum confirmatum habere voluit. H

RESOLVTIO.

Teſtimonium extra iudicium abſque iuramento firmandum eſt: in iudicio vero non item, propter controuerſiam tollendam.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ teſtimonium hominis vel inducitur in iudicio, vel extra iudicium: Si extra iudicium profertur, non eſt iuramento confirmandũ, ſed ſimpliciter proferẽdum. in ſimplici enim teſtimonio vitandũ eſt iuramentũ, ne incurratur periuriũ: Sed ſi teſtimoniũ in iudicio inducitur, conuenienter interponitur iuramentũ. Inducitur namq; teſtimonium in iudicio, ad tollendã controuerſiam inter hominem, & hominẽ. Sed ſecundò

Apoſto-

Apoſtolum ad Hebræ.6. Homines per maiores ſuos iurant, & omnis controuerſiæ eorum ad confirmationem [*veritatis*] finis eſt iuramentum. In omni ergo teſtimonio adducto in iudicio interuenire debet iuramentum, vt teſtes non admittantur in iudicio, niſi iurati.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ homines maximè timent peccata incurrere, quæ ſunt contra Deum tamquam grauiſſima. non autem ita abhorrent peccata, quæ ſunt contra proximum. Ideo ad maiorem certitudinem teſtimonij, requiritur teſtium iuramentum.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi inducens aliquem ad iuramentum ſit perſona priuata, & ſciat eũ A eſſe falſum iuraturum; peccat iuramentum requirẽs tali * pacto, vt vincat homicidã, vt dicit Ang. † Et ponitur 22.q.5. cap. Ille, qui. Sed ſi eſt perſona publica, ſi ſciat teſtem iuraturum falſum, dicunt aliqui, ꝙ non peccat iuramentum requirens. quia non eum ipſe cogit iurare, ſed lex. Quia tamen ex falſo teſtimonio iniuſta, & falſa ſententia ſubſequitur, & totum iudicium peruertitur; puto, quòd potius deberet ſuo officio cedere, quàm tale iuramentum requirere: niſi fortè propter ſcandalum vitandum.

* al. peccato, & vincit homicidam.

† Sermone xj d ſãctis. Tomo 10.

Ad tertium dicitur, quòd lex materialiter poſſet eſſe idem periurium, & falſum teſtimoniũ, eo, ꝙ omne periurium eſt falſum teſtimonium, & mendaciũ: aliter iurans non peccaret, vel deieraret, niſi mentiretur, & falſum diceret: non tamen omne falſum teſtimonium eſt periurium: quia non omne falſum teſtimonium, vel mendacium eſt iuramento firmatum.

QVAEST. LVI. DE DISPENSATIONE NONI PRAECEPTI.

Vlterivs conſiderandum eſt de diſpenſatione noni præcepti.
Circa quod quæruntur quatuor.
Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis Moſaicæ.
Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcẽtia rei alienæ, auctoritate legis Euangelicæ.
Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis humanæ.
Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ concupiſcẽtia rei alienæ non ſit peccatum mortale.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare; auctoritate legis Moſaicæ, in concupiſcentia rei alienæ.

S. Thom. 1.2.q.110. art.5.& 8.

Ad primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poteſt diſpenſare auctoritate legis Moſaicæ in concupiſcentia rei alienæ. Nam interior cõcupiſcentia nõ cohibetur, niſi per auxilium gratiæ Dei: ſed lex Moſaica non cõferebat gratiam ſcribitur enim ad Hebræ. 7. quòd nihil ad perfectum adduxit lex. Auctoritate ergo illius legis rei alienæ concupiſcentia non prohibetur.

2 Præterea: Lex noua perfectior eſt veteri lege: ſed B in hoc ponitur perfectior, quia cohibet animum, & manum: illa autem ſolum manum, ſed non animũ. Concupiſcentia ergo non prohibetur auctoritate illius legis.

3 Præterea: Illa lex, quæ non iudicat hominem, niſi per auditũ, & per facta exteriora non cohibet interiorem concupiſcentiam: ſed lex Moyſi ſolum iudicabat ſecundum auditum, & exteriora facta. Scribitur enim Ioan. 7. Nunquid lex noſtra iudicat hominem, niſi prius audiuerit ab ipſo, & cognouerit quid faciat?

C In Contrarivm eſt Apoſtolus Rom. 7. Ego concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Nõ concupiſces.

RESOLVTIO.

Lex Moſaica, quantum ad Legiſlatoris intentionẽ, in concupiſcentia rei alienę, animum, & manum cohibuit: ſed quantum ad pœna tranſgreſſorum taxationem, non item. id eſt, manum, non animum. Hinc Papa ſuper ea diſpenſare non poteſt.

D Respondeo, dicendum, quòd legem Moſaicam prohibuiſſe concupiſcentiam rei alienæ dupliciter poteſt intelligi. Primo, quantum ad Legiſlatoris intentionem, & expreſſionem. Secundo, quantum ad pœnæ tranſgreſſorum taxationem, & impoſitionem. Primo modo planum eſt, quòd lex Moſaica concupiſcẽtiam prohibuit. quod tripliciter patet. Primo, quia lex illa à Deo data fuit, ut patet Exodi 20. Sed Deus plus diligit munditiam cordis, quàm operis. Ergo Deus in lege non ſolum alienæ

rei actualem acceptionem, verum etiam inordinatā cogitationem accipiendi, & cōcupiſcendi, prohibuit. Tomo 9. Vnde dicit Auguſtinus in lib. de 10. Chordis, cap. 9. Tangas nonam chordam, & interficitur beſtia cupiditatis. Secundo, quia omnia præcepta illius legis tam affirmatiua, quàm negatiua inducebant hominem ad opera virtuoſa, & maxime ad dilectionem Dei, & proximi, quæ eſt forma omnium virtutum. Sed operatio virtuoſa magis conſiſtit in interiori cogitatione, quàm in exteriori operatione. non enim dicitur quis iuſtus ex hoc, ꝙ opera iuſta operatur: ſed ſi iuſtè, & animo iuſto inſudat. Tertio, quia illud præceptum: Non concupiſces domum, nec rem proximi tui; ita, vt nomine domus intelligatur prohibita concupiſcentia boni vtilis, & boni honorabilis, inter alia præcepta illius legis numeratur, & vult Aug. F Tomo 9. in lib. de. 10. Chordis, quòd nō furari, & non concupiſcere rem alienam, ſint duo præcepta legis. Sed ſecundo modo verum eſt, quòd lex Moyſi non prohibuit concupiſcentiam, nec cohibuit animum, ſed manum. quia pro peccato interioris concupiſcentiæ pœnam non taxauit, nec imponit: ſicut taxauit pœnam pro peccato exterioris operis, oculum pro oculo, dentem pro dente: quinque boues pro vno boue; quatuor oues pro vna. & ſic intelligitur, ꝙ lex Moyſi cohibebat manum, & non animum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd argumentum non arguit legem Moyſi concupiſcentiā G interiorem non prohibuiſſe: ſed bene arguit, gratiā ad concupiſcentiam vitandam non præſtitiſſe, dum ex hac lege illa lex dicebatur occaſionaliter occidere: quia concupiſcentiam prohibendo notificabat, & gratiam adiutricem ad vitandum non conferebat.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non dicitur Lex Euangelica perfectior veteri propter prohibitorum pluralitatem, quia ſic prohibebatur manus, & animus ibi, ſicut hic. ſed propter adiutricem charitatem, quæ hic confertur, & ibi non.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illud verbum intelligitur de iudicio exteriori, quantum ad pœnæ temporalis taxationem. ſecundum quem modum verum eſt, quòd lex illa non iudicabat aliquem per interiorem cogitationem, ſed per exteriorē operationē. H

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis Euangelicæ.

S. Thomas in præcedenti articulo citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in concupiſcentia rei alienæ poſſit diſpenſare, auctoritate legis euāgelicę. Quia ſcribitur Matth. 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. quod de interiori intētione, vel cogitatione E intelligitur eſſe prohibitum. Non eſt ergo prohibita concupiſcentia rei alienæ in Euangelio: ex quo nullus per eam eſt iudicandus.

2 Præterea: Super illo verbo 1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, dicit glo. quòd hic neſcitur, quis ſit dignus laude, vel vituperio: ſed in die iudicij laus erit bene agenti, vel cogitanti.

3 Præterea: Dicit Aug. in lib. de pœnitentiæ medicina, ꝙ nos in quemquam ſententiam inferre non poſſumus, niſi conuictum, vel ſponte confeſſum. Pro concupiſcentia ergo interiori non taxatur pœna in lege euangelica, ſicut nec in lege moſaica. Tom. 9. cap. 3.

IN CONTRARIVM eſt Aug. ſuper illo verbo Matth. 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. vbi ait, quòd Chriſtus legem perfecit, & impleuit. quia ſupra præceptum legis exterius opus prohibentis additionem fecit de prohibitione actus interioris peccati. Tomo 4.

RESOLVTIO.

Lex euangelica, pro cōcupiſcentia rei alienæ inordinata, pœnā taxat æternā: in lege autem Moyſi quantū ad actum interiorem non taxabatur: Hinc Papa ſuper ea diſpenſare non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ concupiſcentia prohibita in lege Euangelica in duobus differt à prohibitione concupiſcentiæ in lege veteri. Primo, quia hic confertur gratia iuuans ad vitandam G ipſam: ibi autem non. Secundo, quia hic taxatur pœna, ibi autem non taxabatur. quod patet de homicidio, pro quo taxauit Lex Moyſi pœnam talionis, vt occidens occideretur. Sed lex Chriſti Matth. 5. pro interiori ira, & rancore proximi taxat pœnam æternam dicens: Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, æterno ſcilicet. vt ſicut Chriſtus gloriā æternam promittit in lege euangelica obſeruantibus ipſum; ſic tranſgreſſoribus eius æternam pœnā taxat. Lex autem Moyſi bona ſolum temporalia promittebat obſeruatoribus eius. vnde ſolum pœna temporalem tranſgreſſoribus imponebat, ac per hoc cogitata, & peccata interiora non poterat punire, quæ humana, & temporali pœna puniri non poſſunt, niſi cū in iudicio fuerint nota ſecundum allegata, & probata. H Conuenienter autem lex Chriſti æternam pœnam taxat pro concupiſcentia inordinata rei alienę, propter ſex mala, quæ ex ipſa cupiditate, & ex inordinata cōcupiſcentia oriuntur. Primum eſt appetitus inſatiabilitas. Secundum eſt appetentis pœnalitas. Tertium eſt rerum appetitarum inutilitas: Quartum eſt iuſtitiæ peruerſitas. Quintum eſt, quia ex ipſa ſuffocatur charitas. Sextum eſt omnis iniquitas, (quia dicente 1. Tim. 6. Apoſtolo) eſt radix omnium malorum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ibi prohibetur iudiciū temerariū ſecundū Aug. De ſer. Dom. in mo. c. a 8 illa. n. facta, quę, dubiū eſt, quo animo fiāt, nō debemus temerarie iudicare, ſed ſemper Tomo 4. in meliorem partē interpretari: ſed de his, quę non

poſſunt

poſſunt bono animo fieri: ſicut ſunt ſtupra, & blaſphemiæ; nobis permittitur iudicare, & æternam pœnam eis indicere.

A d Secundum, & Tertium eſt dicendum, quòd Apoſtolus, & Aug. loquuntur de peccatis occultis, quę ſoli Chriſto iudicanda relinquuntur. quibus enſi æterna pœna per legem Euãgelicam taxatur: temporaliter tamē humano iudicio puniri nō poſſunt, niſi fuerint ſponte confeſſi, vel conuicti.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis humanæ.

S. Thom. 2. 2. q. 96. ar. 2. & 3.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienę, auctoritate legis humanę. quia ſecundum Philoſophum, intentio Legiſlatoris eſt inducere ad virtutem: ſed virtus principalius conſiſtit in interiori animo, quàm in exteriori opere. Ergo principaliter magis lex humana cohibet animum, quàm manum. (Ariſtot. 2. Eth. lib. 2. cap. 1.)

2 Præterea: Lex humana iuſta eſt: aliter ſecundū Aug. de lib. arbitr. cap. 5. Lex dicenda non eſſet. Sed iuſtitia eſt in voluntate interiori. dicit enim Iuriſconſultus: Iuſtitia eſt. ff. de iuſtitia & iure. Quòd iuſtitia eſt conſtans voluntas ius ſuum vnicuique tribuens. Magis ergo lege humana cohibetur animus, quàm manus. (Tomo 1.)

3 Præterea: Iuriſconſultus. l. 1. §. Ius gentium. ff. de iuſtitia, & iure. Ponit ꝙ lex ciuilis ex naturali & diuina lege compoſita eſt: ſed tam lex diuina, quàm naturalis cohibet animum, & manum, vt ſupradictum eſt.

In Contrarium eſt. quia Lator legis humanæ eſt homo. Sed ſcribitur 1. Reg. 16. Homo videt, quæ foris patent: Deus autem intuetur cor. Non ergo ſpectat ad humanam legem cohibere animum, ſed ſolum manum.

RESOLVTIO.

Lex humana in concupiſcentia rei alienę inordinata actum interiorem non punit, nec prohibet. Lex autem Moyſi, quamuis hunc actum non puniat, prohibet tamen.

Respondeo, dicendū, quòd lex humana in puniendo tranſgreſſores in tribus videtur differre à lege diuina.

Primo, quantum ad punitionem: quia lex diuina omnia mala vniuerſaliter punit, & docet eſſe punienda: ſed lex humana multa mala permittit, & multa impunita relinquit, quæ per legem diuinam puniuntur, vt dicit Auguſt. 1. de lib. arbit. cap. 5. (Tomo 1.)

Secundo, quantum ad modi puniendi explicationem: quia lex humana ſolum punit dicta, & facta, non autem cogitata: In cogitationibus enim homo ſubijcitur ſoli legi diuinæ. ſed in cogitationibus, vt prorumpunt in facta, vel dicta, homo ſubijcitur legi humanæ, vt ore duorum, vel trium teſtium poſſit cōuinci, & competenti ſeueritate coerceri.

Tertio, quantum ad pœnæ impoſitionē: quia lex humana imponit pœnam ſolum temporalem. Non enim plus poteſt eſſe duratura pœna legis, quàm ipſa lex. Planum eſt autem, ꝙ humana lex æterna non eſt: ſed ſolum in hac vita animali, & ſenſibili eſt duratura, ſicut dicit Auguſt. vbi ſupra. Diuina vero lex imponit pœnam æternam, ſicut ipſa æterna eſt. Humana ergo lex pro concupiſcentijs, & interioribus peccatis tranſgreſſores non punit, nec prohibet. Et in hoc differt humana lex à lege Moyſi: quia licet illa non taxet pœnam pro interioribus concupiſcentijs, ſaltem prohibet, quando dicit: Non concupiſces, quod non facit lex humana.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, quòd lex humana bene intendit ad virtutem inducere per cohibitionem pœnalem: non tamen per pœnas cogit, vel punit animum, ſed ſolum manum.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ licet iuſtitia ſit in voluntate ſubiectiuè: effectiuè tamen per pœnas non cohibet interiorem cogitationem, ſed exteriorē operationem.

Ad tertium eſt dicendum: quòd quamuis fundamentaliter lex humana ex naturali lege, & diuina ſit compoſita: eo quòd nulla lex iuſta poteſt eſſe, niſi ſupernaturali, & diuino iure fundetur: multa tamen addit, & multa ſubtrahit, vel relinquit, quæ per diuinam legem corriguntur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, ꝙ non ſit peccatum mortale.

Doctor citatus in præcedentibus articulis.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, quòd non ſit peccatum mortale. quia dicit Auguſt. 1. Retract. cap. xj. Quòd peccatū eſt appetere quod iuſtitia vetat: ſed iuſtitia Dei Exo. 20. vetat concupiſcere rem alienā. Ergo eſt peccatum mortale. (Tomo 1.)

2 Prætérea: In quocunque non eſt charitas, ibi eſt peccatum mortale. cum ipſa ſolum diuidat inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ ſecundum Auguſt. tract. 5. in Ioan. Sed ſcribitur 1. Ioan. 2. (Tomo 9.)

Quicun-

Quicunque diligit mundum, & illud, quod eſt in mundo, quod eſt concupiſcentia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, non eſt charitas patris in eo. Concupiſcentia ergo rei alienæ eſt peccatum mortale.

3 Præterea: Glo. Ponit Exo. 20. Quòd primum mandatum legis prohibet ſubreptionem. Secundũ, errorem. Tertium, ſeculi interficit amorem. Quartũ, impietatem. Quintum, crudelitatem. Sextum, fornicationem. Septimum, rapacitatem. Octauum, perimit falſitatem. Nonum, mundi cupiditatem. Decimum, adulterij cogitationem. Sed cupiditas eſt radix omnium malorum, vt dicit Apoſtolus 1. ad Tim. 6. Concupiſcentia ergo rei alienæ peccatũ mortale eſt.

In Contrarium eſt. quia concupiſcentia rerum viſibilium quandoque inſurgit in nobis ex neceſſitate, non ex voluntate. ſed non eſt peccatum, ſi voluntarium non eſt, vt Auguſt. De vera Religione c. 14. dicit. (Tomo 1.)

RESOLVTIO.

Concupiſcentia, vt eſt nobis innata, & vt rationabiliter ordinata poteſt eſſe peccatum veniale: ſed in nocumentum proximi deliberata, & in opere conſumata contra Dei præceptum, non niſi mortale eſſe pôt.

Respondeo, dicendum, quòd concupiſcẽtia rei alienæ, quantum ad præſens, quatuor modis poteſt accipi. Primo: vt eſt nobis innata. Secundo, vt rationabiliter ordinata. Tertio, vt eſt in nocumentum proximi deliberata. Et quarto, vt eſt opere conſummata.

† Primo modo concupiſcentia non eſt peccatum mortale, ſed ſolum veniale. nobis namque nolentibus, concupiſcit caro aduerſus ſpiritum. quia enim ſenſibilia, & delectabilia audita, vel viſa, aut imaginata ſemper ſe offerunt nobis ad cogitandum, & imaginandum de eis, q̃ caro ſubito inſurgit, vt talia delectabilia cogitata, & imaginata audita, ſeu viſa concupiſcat, nec expectato rationis iudicio, & deliberatione voluntatis: ideo talis concupiſcentia nõ poteſt eſſe peccatum mortale, ex quo voluntaria non eſt.

† Vide Conciliũ Tridẽ. ſeſſ. 5 in calce Decreti de peccato originali, ante primũ caput. Vide Aegidium Rom. 2. ſẽt. d. 30. q̃ 2. ar. 5. dub. 1. ad primum in fine. & vide ibidem Scholium.

Secundo concupiſcentia poteſt eſſe rationabiliter ordinata, vt ſiquis concupiſcat rem aliquam viſam, vtilem, vel delectabilem, ſeu honorabilem ſecundum Dei mandatum, & propter bonum, & virtuoſum finem, & iuſto titulo, non in nocumentum alterius: nõ eſt tunc peccatum mortale, ſed fortè veniale. quia eo ipſo, q̃ animus implicatur in cogitatione temporalium, retardatur à feruore ſpiritualium donorum.

Sed Tertio, & Quarto modo concupiſcentia, ſi ſit in detrimentum proximi deliberata, & ſi ſit opere cõtra Dei mandatum, & contra charitatem proximi conſummata; peccatum mortale eſt. Nam, vt dicit Iacob. 1. Peccatum, cum conſummatum fuerit, generat mortem. Conſummatum autem intelligitur eſſe peccatum non ſolum per operis executionem, verũ etiam per interioris conſenſus deliberationem.

Rationes autem in oppoſitum ſolutæ ſunt per diſtinctionem prædictam.

QVAEST. LVII. DE DISPENSATIONE DECIMI PRAECEPTI.

Deinde conſiderandum eſt de diſpenſatione decimi præcepti. Circa quod quæruntur quinque.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare auctoritate alicuius legis, ne carnalis concupiſcentia ſit peccatum mortale.

Secundo, Vtrum vnquam cum aliquo Sanctorum fuerit diſpenſatum, vt eſſet ſine peccato carnalis concupiſcentię.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̃ conſenſus in carnalem cõcupiſcentiã non ſit mortale peccatũ.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt moroſa delectatio in carnali concupiſcentia non ſit peccatum mortale.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare: vt carnalis concupiſcentia aliquibus remedijs ex toto vitetur.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT auctoritate alicuius legis diſpenſare, ne carnalis concupiſcentia ſit peccatum mortale.

Ad primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, q̃ Papa poſſit diſpenſare auctoritate * alicuius legis, ne carnalis concupiſcentia ſit peccatum mortale. Quia quod nulla lege prohibetur, diuina, vel humana, diſpenſabile eſt. ſed concupiſcentia non ponitur in genere prohibitorum alicuius legis. Nulla enim lex præcipit impoſſibile: concupiſcentiam autem in nobis

* al. ita. legis diuinæ, & humanæ.

nobis non inſurgere, impoſſibile eſt. Ergo hoc eſt diſpenſabile.

2 Præterea: Illud, cum quo naſcitur homo, & concipitur, non prohibetur aliqua lege: ſed homo cū concupiſcentia carnali naſcitur, & concipitur, iuxta illud Pſal. Ecce in concupiſcentia † conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea. Diſpenſabile ergo eſt qualibet lege, ne concupiſcentia ſit peccatum mortale.

Pſal. 50. † Vulgata editio habet ita: Ecce in iniquitatibus, &c.

3 Præterea: Quod fit contra prohibitionem legis, peccatum eſt mortale: ſed primus motus carnalis concupiſcentiæ non eſt peccatū. Ergo non prohibetur in lege diuina, ac per conſequens eſt diſpēſabile.

In Contrarium eſt, quia ſuper illo verbo ad Rom. 7. Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces: dicit glo. † Bona eſt lex, quæ dum concupiſcentiam prohibet, omnia mala prohibet.

† Scilicet ordinaria. Et refertur in c. Nam concupiſcētiā. extra de cōſue.

B

RESOLVTIO.

Concupiſcentia carnalis, quæ præter noſtram voluntatem in nobis inſurgit, in lege prohibenda nō eſt, ſed cohibenda: per conſenſum verò deliberata, eſt prohibenda: ſed in opere cōſummata eſt lege diuina, & humana punienda. Hinc ſuper ea diſpenſari nō poteſt.

Respondeo, dicendum, quòd concupiſcētia carnalis in nobis tripliciter poteſt accipi. Primo: vt eſt inchoata. Secundo: vt eſt per conſenſum rationis deliberata. Tertio: vt eſt per corpus exterius conſummata.

C

Primo modo: vt concupiſcentia carnis eſt in nobis inchoata: non eſt in lege prohibenda: quia talis concupiſcentia inſurgit in nobis ex ſurreptione, & inchoatur in nobis abſque noſtra voluntate. nec eſt in noſtra poteſtate, ꝙ inſurgat. vnde non poteſt lege aliqua prohiberi: quia lege prohibetur, quod per noſtram voluntatem poſſumus uitare. Eſt tamen talis concupiſcentia inchoata, vel initiata prohibenda, ne progreſſum faciat, & ne tantum inſurgat, ꝙ iudicium rationis peruertat. Secunda vero concupiſcentia, quæ eſt per conſenſum rationis deliberata, bene eſt lege prohibenda: quia lex datur ſemper habenti rationis vſum, & liberum cōſenſum. Vnde, ex quo per rationis conſenſum concupiſcentia, quæ inſurgit in nobis poteſt approbari, & non approbari, & ei conſentire; poteſt ſimiliter talis concupiſcentia lege prohiberi ne per rationem ſibi conſentiatur, & comprobetur. Secundum quem modum prohibetur, quādo dicitur: Non concupiſces vxorem proximi tui. Sed concupiſcentia opere exteriori conſummata, eſt lege punienda: quia tunc poteſt eſſe nota iudicio humano: quando per opus conſummata eſt, & completa. Ergo concupiſcentia carnalis in nobis inchoata eſt cohibēda: per cōſenſum verò deliberata eſt lege prohibēda: ſed opere conſummata eſt lege diuina, & humana punienda.

Quibus ſit danda lex.

D

Ad rationes ergo omnes in oppoſitum eſt dicendum, ꝙ ſicut in naturalibus quædam ſunt in genere directè, & completè: quædam vero indirectè, & per reductionē: ſic in moralibus, quædam ſunt in genere prohibitorum completè, & directè. ſecundum quē modum concupiſcentia carnalis per conſenſum deliberata, & opere cōſummata intelligitur eſſe prohibita, quando dicitur: Non concupiſces. Quædam verò incomplete, & quaſi inchoatiuè: ſecundum quem modum primi motus concupiſcentiæ intelliguntur eſſe prohibiti, cum dicitur: Non concupiſces. Non ꝙ tales motus propriè poſſint prohiberi: ſed magis cohiberi, ne ꝓgreſſum faciāt. Magis enim debet dici refrænatio primorū motuū cohibitio, q̄ prohibitio.

A

ARTICVLVS II.

VTRVM CVM ALIQVO Sancto vnquam diſpenſatum fuerit, vt eſſet ſine peccato carnalis concupiſcentiæ.

S. Thom. 1. p. q. 6. ar. 1. Et 2. ſenten. d. 23. qō. 1. art. 1. Aegid. Columnius Rom. 2. ſent. diſt. 23. q. 1. ar. 1. D. Bonau. d. 23. ar. 1. q. 1. Sco. d. 23. q. 1. Holkoth q. 2. ar. 5. Biel d. 23. q. 1. Tho. Arg. d. 23. q. 1. ar. 4. Ant. And. d. 23. q. 1. Dur. d. 23. q. 1. Bru. d. 23. q. 1. Capreol. d. 23. q. 1. Turrecrema. cap. Non ex quo. De conſecr. diſt. 4.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ cum aliquo Sanctorum diſpenſatum fuerit, vt eſſet ſine peccato carnalis concupiſcentiæ. In quocunque enim eſt Spiritus ſanctus, ibi peccatū concupiſcentiæ eſſe non poteſt. Sed de Ioāne Baptiſta ſcribitur Lucæ 1. Quia Spiritu ſancto replebitur adhuc in vtero matris ſuæ.

2 Præterea: Dicit Aug. 3. de lib. arb. cap. 18. Si laborioſum eſt, omnia commendare memoriæ, hoc breuiſſimum tene, quæcunque illa cauſa eſt voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti, ſine peccato ei ceditur: ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur. Si ergo per aliquem Sanctorum peccatum concupiſcentiæ vitari non potuit, non fuit in eo peccatum.

3 Præterea: In quocunque eſt peccatum, ibi eſt remorſus conſcientiæ: Sed ſcribitur Iob 27. In perſona eius. Iuſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram: Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.

In Contrarium eſt Aug. in lib. de perfectione iuſtitiæ.

Tomo 7. Ratiocin. 16.

RESOLVTIO.

Nullus Sanctorum abſque actuali peccato, ſaltē veniali, vixit, præter Chriſtum, & Matrē eius, qui nullo modo peccare potuerunt. Sancti enim per gratiam ſpecialem peccatum omne euadere poterant, libero arbitrio cooperāte: ſed propter diuinæ gratiæ conſeruationem, humanęq. ſuperbiæ repreſſionem, hoc eis conceſſum non fuit.

Respondeo, dicendum, ꝙ hanc dubitationē mouet Aug. in lib. de baptiſmo paruulorum

Tomo 2. Epiſt. 23.

Epiſt. 23. dicens: Aliud eſt quærere, an aliquis Sanctorum poſt peccatum primorum Parentum fuerit ſine peccato concupiſcentiæ: Aliud, an poſſit eſſe: Et aliud, an ſi poſſit eſſe, cur non eſt. Nam ad primum articulum: an fuerit: planum eſt, quòd non, præter Chriſtum, & Matrem eius: quia vox Sanctorum eſt
Pſal. 142. illa: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo: nõ enim iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens: Vox
Pſal. 31. ſimiliter Sanctorum eſt illa: Dixi: confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. quod patet: quia ſtatim ſubditur: Pro hac (puta iniuſtitia, vel remiſſione peccati) orabit ad te omnis Sanctus in tempore opportu-
1. Ioan. 1. no. Vox etiam Sanctorum eſt illa: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus. Vnde
Tomo 6. dicit ibi Aug. De ſancta virg. cap. 29. quòd illa centum quadraginta quatuor millia Sanctorum, qui cum mulieribus non fuerunt coinquinati, & quia ſine macula fuerunt ante thronum Dei; ſcriptum eſt de eis: In ore ipſorum non fuit inuentum mendacium: qui tamen ſi ſeipſos dixiſſent fuiſſe ſine peccato, mendacium in ore eorum fuiſſet. Ad ſecundũ vero articulum, ſi non fuerit, an poſſit eſſe; reſpondet, quòd poſſet per gratiam Dei, cooperante vero libero arbitrio. quia nec mandatum eius ſine eius gratia ſeruari po-
Pſal. 118. teſt. vnde cum Propheta dixiſſet: Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis, ſtatim adiunxit: Vtinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas. Per hoc dedit intelligere, non eſſe in poteſtate eius cuſtodire, vel obſeruare mandata Dei ſine directione gratiæ diuinæ. quia nemo optat obtinere quod eſt in ſua poteſtate facere. Sed ad tertium articulum, ſi poſſet eſſe, cur non eſt, nec fuit; Reſpondet, quòd hoc Deus permittit, vt non ſit propter repreſſionẽ humanæ ſuperbiæ, & propter conſeruationem diuinæ gratiæ. quia dicente Apoſtolo, virtus in infirmita-
2. Cor. 12. te perficitur. Preter † Chriſtũ ergo, & Matrẽ eius, carnalẽ concupiſcentiã nullus Sanctorũ euadere potuit.

† De hoc vide Aegid. Ro. 2 ſent. d. 23 q. 1. art. 1. & ibidem ſcholium.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Aug. in lib. de perfectione iuſtitiæ reſpondens primo articulo ſic ait: Quiſquis autem (dicit) poſt acceptam re-
Prope finẽ. Tomo 7. miſſionem peccatorum, ita quemquam hominum iuſtè vixiſſe in hac carne, vel viuere, vt nullum omnino habeat peccatum, contradicit Apoſtolo Ioanni,
1. Ioan. 1. qui ait: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Non enim ait: habuimus; ſed habemus. Quòd ſi hoc intelligitur eſſe dictum de peccato originali ex primis Parentibus contracto, cuius peccati deſiderijs
Ratiocin. 6. præcipit Apoſtolus, vt non obediamus, videat ſic dicẽs, quid agatur de Dominica oratione. vbi dicimus:
Matth. 6. Dimitte nobis debita noſtra: quod, niſi fallor, non eſſet opus dicere, ſi numquam vel in lapſu linguæ, vel oblectanda cogitatione, eiuſdem peccati deſiderijs aliquantulum conſentiremus: ſed tantummodo dicendum eſſet: Ne nos inferas in tentationem, ſed li-
Iac. 3. bera nos à malo. Nec Iacobus Apoſtolus diceret: In multis enim offendimus omnes. Quamuis ergo beatus Ioannes in vtero matris fuerit repletus Spiritu ſancto, per cuius repletionem conſecutus fuit peccati originalis remiſſionem: poſtmodum tamen ſine † peccato actuali ipſe, & alij Sancti non uixerunt: ita vt ſibi, & omnibus neceſſarium fuerit dicere: Dimitte nobis debita noſtra. excepto enim vno Mediatore Dei, & hominum: quiſquis vel fuiſſe, vel eſſe in hac vita aliquẽ hominẽ, vel aliquos homines putat, quibus nõ fuerit, vel nõ ſit neceſſaria remiſſio peccatorum actualiũ, non ſolum originalis; contrarius eſt diuinæ Scripturæ, vt Auguſtinus expreſſe ibi dicit.

† Hoc intelligit de peccato veniali. quia mortaliter Ioannes peccare non potuit, vt ait Aegid. Romã. d. 23. q. 1. art. 3. in corpore.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Auguſtinus ſoluit in Supradicto libro argumentum factũ. Quærendũ eſt (inquit) per quid efficitur homo cũ pecca-
Ratiocin. 9. to carnalis concupiſcentiæ, an per naturę neceſſitatẽ: an per arbitrij libertatem? ſi per naturæ neceſſitatẽ, culpa caret. ſi vero p arbitrij libertatẽ, quærendũ eſt à quo ipſam libertatẽ arbitrij accepit, & planum eſt quòd à Deo, à quo nullum poteſt eſſe malum, vel peccatum. Ad quod reſpondet, quòd per arbitrij libertatẽ factum eſt; vt eſſet homo cum peccato: quia iuncta voluntate vitio, in quod cecidit, carnit libertate: ita, vt iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſſitatem, vt homo neceſſario concupiſcat: nec ſibi imputatur, quòd per ſeipſum carnalem concupiſcentiam, ac alia peccata vincere non poteſt: ſed imputatur ſibi, quòd Liberatorẽ de tali neceſſitate cũ Propheta non inuocat dicendo: De neceſſitatibus meis
Pſal. 24. educ me domine. Non enim, vt idem Aug. dicit. 3 de
cap. 19. Tomo 1. lib. arb. Imputatur nobis, quòd vulnerata membra geſtamus, ſed quòd volentem ſanare contemnimus.

De perfect. Iuſt. Reſp. 17. AD tertium eſt dicendum, quòd Augu. in ſupradicto libro exponit illud verbum, qualiter Iob nõ reprehendit cor ſuum in omni vita eius dicẽs: quòd
Rom. 1. quia iuſtus ex fide viuit: ideo fides beati Iob eius vita erat. non ergo eum reprehendit cor eius in tota vita eius, puta in tota fide, ex quo per fidem ſemper reprehendebat peccatum, quod habitabat in membris eius: ſed pugnando ſemper contra præceptũ conuincitur ipſum habuiſſe peccatum. velle enim bonum agere, adiacebat ſibi per fidem: ſed perficere non poterat ſine gratia Chriſti, vt Apoſtolus dicit ad Ro. 7.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt conſenſus in carnalem concupiſcentiam non ſit peccatum mortale.

S. Thomas 1. 2. q. 73. art. 6. ad 2. argumen.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare, quòd cõſenſus in carnalem concupiſcentiã non ſit peccatum mortale. quia conſenſus in carnalem concupiſcentiam finitus eſt. ergo non poteſt aggrauare delectationem carnalem in infinitum. cum ergo prius

carnalis

carnalis concupiſcentia eſſet venialis ante conſenſum. poſtmodum conſenſus non poteſt facere mortalem. A

2 Præterea: Omne peccatum mortale eſt in lege diuina prohibitum. ſed conſentire in delectationē carnalem non inuenitur in lege diuina prohibitum. non enim prohibetur ſub illo præcepto: Non mœchaberis. nec ſub illo: Non concupiſces. Ergo non eſt peccatum mortale.

3 Præterea: Conſenſus Euæ in delectationem comeſtionis pomi ſine voluntate comedendi non fuiſſet damnabilis: quia non propter hoc fuiſſet eiecta de Paradiſo. Ergo nec conſenſus delectationis carnalis in inferiori parte rationis eſt damnabilis, nec mortalis.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam: iam mœchatus eſt in corde ſuo. B

RESOLVTIO.

Concupiſcentia carnalis, quæ ex ſuggeſtione aliqua, & ex incompleto conſenſu oritur, quamuis peccati initium ſit; non tamen eſt peccatum mortale, ſed ex completo conſenſu orta mortale eſt, ſuper quo diſpenſari non poteſt.

De ſermo. Domini in mon. c. 23. Tomo 4. RESPONDEO, dicendum, quòd hanc quæſtionem determinat Aug. in lib. de ſermone Domini, dicens, ꝙ cōcupiſcere poteſt tripliciter cōtingere.

C Primo, ex ſuggeſtione: Statim enim ex memoria, vel ex viſu, vel ex auditu aliquorum delectabiliū ſecundum tactum, vel guſtum ſuggeritur nobis aliqua concupiſcentia.

Secundo, ex delectatione aliquantulum conſentiēdo: quia poſtmodum in concupiſcentia illa ſuggeſta per viſum, vel per auditum, ſtatim homo incipit percuti, & ſcintillari aliqua delectatione, optando illam habere quodam incompleto conſenſu, nondum deliberatione præhabita, vtrum ſint à Deo prohibita: vel non.

Tertio, completo conſenſu, vel completa deliberatione. quia ſic conſentitur, & deliberatur talis concupiſcentia eſſe fienda. vt opportunitate data, quantūcunque à Deo prohibita, opere compleatur. Primis ergo duobus modis, ſecundum quòd dicit Auguſt. D concupiſcentia non eſt peccatum mortale; quamuis ſit initium peccati: Sed tertio modo eſt peccatum mortale. Vnde dicit Aug. notabiliter Chriſtum dixiſſe: Non omnis, qui concupierit mulierem, ſed qui viderit mulierem ad concupiſcendum. puta, hoc fine, & hoc animo deliberato, vt eam concupiſcat, qđ non eſt iam ſcintillari delectatione carnis: ſed deliberatè conſentire libidini, vt non refrænetur illicitus appetitus, ſed opportunitate data ſatietur. Tunc enim (vt ait) conſenſus concupiſcentiæ eſt peccatum mortale in corde, etſi non in opere hominibus notum, quando res concupita, cui conſentitur, & acceptatur eſt contra Deum, & contra prohibitionem eius.

Ad Argumenta.

S.Tho. 1.2. q.30 ar.4. AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ conſenſus completus quamuis in genere naturæ finitus ſit: in genere tamen morum infinitus eſt: quia mortalis: nec conſenſus talis eſt circumſtantia ſolum aggrauans: ſed eſt cauſa delectationem prohibitam complens: & directè ponit eam in genere prohibitorū.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ in lege prohibetur aliquid dupliciter: vel implicitè; vel explicitè. Sicut ergo per: Non occides, prohibetur explicitè homicidium operis: implicitè vero homicidium voluntatis: ſic explicitè per: Non concupiſces, prohibetur conſenſus operis: implicitè vero conſenſus voluntatis.

AD tertium dicunt aliqui: quòd conſenſus Euæ completus in delectatione comeſtionis pomi, non ſolum comeſtio fuiſſet damnabilis, quo ad pœnā æternam, ſed etiam quo ad pœnam temporalem eiectionis de Paradiſo, quod non puto eſſe verum. Non. n. Deus dixit: Quacumque hora volueritis comedere, ſed quacunque hora comederitis, morte moriemini. Gen. 2. Comeſtio enim illius pomi non erat mala, niſi quia prohibita: volitio tamen non fuit prohibita, ſed operatio: ideo volitio † quantumcunque completa, puto, ꝙ non fuiſſet damnabilis. Dicendum eſt ergo ad argumentum, ꝙ non eſt ſimile de delectabilibus ſenſus tactus, & guſtus: quia delectabilia tactus cum pertineant ad luxuriam, ideo ſunt prohibita, quia mala: ſed delectabilia guſtus non ſunt mala, niſi ſint prohibita.

† Conſule Theologos ſcholaſticos una cū Magiſtro lib. 2. ſent. d. 22.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt moroſa delectatio in carnali concupiſcentia non ſit peccatum mortale.

S.Thom. 1.2. q. 31. per totam quæſtionem.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpēſare, vt moroſa delectatio in carnali concupiſcentia non ſit mortale peccatum. Sicut enim naturalia, ſecundum Philoſophum, non poſſunt mutare ſpeciem, ſic nec moralia. ſed delectatio non moroſa poteſt fieri moroſa eadem numero. Cum ergo non moroſa ſit venialis: moroſa non erit mortalis.

2 Præterea: Delectatio moroſa eſt in ratione inferiori, quæ non poteſt à Deo auerti, vel in Deum conuerti: cum auerti, vel conuerti in Deum ſit ſolus rationis ſuperioris: Sed peccatum mortale numquàm eſt ſine auerſione à Deo. Ergo moroſa delectatio nō poteſt eſſe mortale peccatum.

3 Præterea: Moroſa delectatio in bono per nos operabili ſine conſenſu faciendi illud, ſi adſit facultas;

non

non eſt meritoria vitæ æternæ. Ergo moroſa delectatio in malo ſine conſenſu faciendi non eſt meritoria æternæ pœnæ. E

IN CONTRARIVM eſt Auguſt. qui dicit de ſerm. Dom. in monte. c. 28. Si diu peccatum cogitationis delectatione teneatur: etiã ſi voluntas perficiendi deſit, mortale eſt: & pro eo totus homo dãnabitur. Tomo 4.

RESOLVTIO.

Moroſa delectatio carnis ex cõſenſus deliberatione peccatum mortale eſt: ex temporis vero duratione abſque conſenſu, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd moroſa cõcupiſcentia, & complacentia inſurgens in carne, vel poteſt dici moroſa temporis duratione, vel conſenſus deliberatione. Primo modo non cauſat mortale peccatum. quia ſi duraret per vnam diem, & homo ſemper diſſentiret: vel complacentiam illã non acceptaret per rationis iudicium, non eſſet tunc mortale peccatum. Iſto modo Hierony. loquitur de mora inſurgentis carnalis concupiſcentiæ in Epiſtola ad Euſtachium, loquens de ſeipſo dicit: Memini me clamantem diem crebro cum nocte iunxiſſe, nec prius à pectoris ceſſaſſe verberibus, quàm rediret in me, increpante domino, tranquillitas. Sed ſecundo modo, quòd concupiſcentia ſit moroſa conſenſus deliberatione, ita q tandiu duret complacentia illá, donec ſibi conſentiatur plenè, & deliberatè per rationis iudicium, & voluntatis imperium: tunc pnto, q mortale peccatum fit quia plenè completũ eſt, quantum ad hominis deliberationem, & quantum ad diuinam reputationem, quæ velle terminatum, & deliberatum hominis pro facto reputat. F Epiſt. 22.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd delectatio moroſa, & nõ moroſa quàmuis materialiter eadem dici poſſit: formaliter tamen non eſt eadem. Verum eſt enim, q mora temporis in bono non mutat ſpeciem boni: tamen mora deliberãs mutat. quia deliberatio facit opus eſſe meritorium, quod ſine deliberatione factum, non eſſet meritorium. G

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ratio inferior quàmuis non habeat Deum pro obiecto, habet tamen Deum pro fine. Vnde poteſt hominẽ ab ipſo Deo auertere, & in eum conuertere tamquam in finem. H

AD tertium eſt dicendum, q non eſt ſimile de delectatione moroſa bona, & de delectatione moroſa mala. quia cum bonum conſiſtat ex integra cauſa ſecundum Diony. De di. Nom. c. 4. Plura requiruntur ad bonum, quàm ad malum.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt carnalis concupiſcentia aliquibus remedijs ex toto vitetur.

Totus hic articulus eſt multa eruditione refertus, & diligenter conſiderandus.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare, vt carnalis concupiſcentia aliquibus remedijs ex toto vitetur. Sicut enim frenum impoſitum equo tollit impetum eius: ſic occupatio hominis circa diuinas laudes, & eius orationes eſt quoddã frenum hominis, tollens malas concupiſcentias ab eo. Sic enim ſcribitur Iſa. 48. Laude mea infrenabo te, ne intereas. Ergo Dei laudatio eſt frenum retrahens hominem ab interitu carnalis concupiſcentiæ.

2 Præterea: Dicit Hiero. in Epiſtola ad Ruſticum monachum: Ama ſcripturarum ſtudia, & carnis vitia non amabis. Scripturarum ergo contemplatio eſt remedium contra concupiſcentias carnales. Epiſt. 4.

3 Præterea: Dicit Chriſoſt. ſuper Matthæum, q abſciſſio membri non ita comprimit tentationes, nec ſic tranquillitatem facit in animo, ſicut cogitationũ bonarum occupatio, dicente Apoſtolo ad Philip. 4. Quæcunque pudica, quæcunque caſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hoc cogitate. Bonæ ergo cogitationis occupatio eſt remedium auferens carnalem concupiſcentiam. Hom 63 in Matth.

4 Præterea: Dicit Hiero. ad Ruſticum monachũ: Semper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatum. quia multam malitiam docuit ocioſitas, vt ſcribitur Eccl. 33. Ocium etiam ſuperbia, & ſaturitas panis fuit iniquitas Sodomorum, vt ſcribitur Ezech. 16. Ocij ergo remotio eſt remedium tollens carnalem concupiſcentiam. Epiſt. 4.

5 Præterea: Super illo verbo Apoſtoli 1. ad Cor. 6. Fugite fornicationem, dicit glo. q de alijs vitijs poteſt expectari conflictus. ſed hanc fugite, ne appropinquetis: quia aliter vinci non poteſt. Mulierum ergo remotio eſt remedium vincens carnalem concupiſcentiam.

IN CONTRARIVM eſt Damaſ. lib. 4. cap. 17. Vbi ait, quòd impoſſibile eſt, hominem aliquem nequaquam carnaliter concupiſcere. quamuis enim mitigari poſſit, auferri tamen non poteſt. Et Sap. 8. ſcribitur, quòd aliter homo non poteſt eſſe continẽs, niſi Deus det.

RESOLVTIO.

Concupiſcentia carnalis aliquibus remedijs mitigari poteſt, ſed ſine Dei auxilio ſpeciali auferri non poteſt.

RE-

RESPONDEO, dicendum, ꝙ carnalis concupiſcentia tamquam hoſtis interius incluſus, & familiaris inimicus difficillimè vitatur: Ideo Sancti multa remedia conati ſunt inuenire ad reprimēdam ipſam: & præter remedia ſuperius adducta Hiero. Epiſt. 22. in Epiſtola ad Euſtachium ponit quatuor remedia. Primum eſt: Particulariter in cogitationibus operationum carnalium animum non figere: Quia cum particularia deſideria multum moueant, ſtatim caro inflammatur, & ſenſualitas tota incenditur, quæ incenſa trahit rationem, & voluntatem ad conſenſum ſicut ſphæra trahit ſphæram. Secundum eſt: Statim cum cogitationes carnalis concupiſcentiæ veniūt ad mentem: ipſas interficere. Vnde ait: Ille laudatur, & ille prædicatur beatus, qui ſtatim cum incœperit Pſal. 136. cogitare, interficit cogitatus, & allidit eos ad petram. 1. Cor. 10. Petra autem erat Chriſtus. Tertium eſt: praua collo-A quia, conſortia, & conuiuia mulierum fugere. Vnde dicit: Mulierum colloquia, officia, conſortia, ſalutationes, collocutiones tamquàm quaſdam catenas fugias voluptatum. Quartum eſt: Diſcurſus, & vagationes ex toto ſpernere. Vnde dicit: Caue ne domū exeas, Gen. 34. & velis videre filias regionis alienæ: ſicut fecit Dyna filia Iacob. quia quamuis fratres habeas Patriarchas, & Iſrael patre lęteris, ſicut Dyna lętabatur: egreſſa tamen corrupta eſt, & violata. Et ſubdit: Nolo te quærere Chriſtum, ſponſum per plateas, & angulos ciuitatis, ne fortè inueniant te vigiles, & percutiant te, & vulnerent, & tollant pallium tuum. Iſta tamen remedia, & alia ſuprapoſita intelligenda ſunt eſſe iuuātia, & ad mitigandam carnalem concupiſcentiam, nō autem ad omnino vitandam. quia vitari non poteſt ſine auxilio diuinæ gratiæ.

Et ſic patet ſolutiò rationum ſuprapoſitarum.

QVAEST. LVIII. DE DISPENSATIONE SACRAMENTI.

NVNC conſiderandum eſt, de diſpēſatione ſacramentorum. Circa quod quæruntur octo.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd aliquod ſacramentum de nouo inſtituatur.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, ꝙ effectus ſacramenti alicui conferatur ſine ſacramento.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum forma.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum materia.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum ritu.

Sexto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum numero.

Septimo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum iteratione.

Octauo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum ordinatione.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt aliquod Sacramentum de nouo inſtituatur.

Concil. Trid. ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere Can. 1. Et S. Thom. 3. par. q. 64. art. 2.

AD primum ſic proceditur: Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare, quòd aliquod ſacramentum de nouo inſtituatur: quia maioris poteſtatis eſt Papa, quàm aliquis Apoſtolorum, B præter Petrum. ſed Iacobus Apoſtolus inſtituit ſacramentum extremæ vnctionis, vt patet Iac. 5: Igitur multo fortius Papa ſucceſſor Petri poteſt ſacramentum aliquod de nouo inſtituere.

2. Præterea: Cauſa debet precedere effectū: ſed effectus ſacramenti cōfirmationis eſt datio Spiritus ſancti ad robur: & extremæ vnctionis participatio futuræ reſurrectionis. Ante ergo dationē viſibilē Spiritus ſancti, & reſurrectionem Chriſti prædicta ſacramenta non fuerunt inſtituta, ſed relicta fuerūt Apoſtolis inſtituenda, quorum caput fuit Petrus, cuius ſucceſſor eſt Papa.

C 3. Præterea: Hugo lib. 2. de ſacramentis par. 2. c. 15. Expreſſe dicit ſacramentū extremæ vnctionis ab Apoſtolis fuiſſe inſtitutum: & Beda dicit ſuper illo verbo Marci 6. Eijciebant Apoſtoli dęmonia: & vngebant oleo multos ægrotos, & ſanabantur. & hunc morem ſanctæ Eccleſiæ habent traditum eſſe ab ipſis Apoſtolis, vt ægroti vngantur oleo, Pontificali benedictione conſecrato.

4. Præterea: Inſtitutio ſacramentorum facta à Chriſto exprimitur in Euangelio. ſed de inſtitutione aliquorum ſacramentorum nulla fit mentio in Euangelio. Ergo illorum inſtitutores fuerunt Apoſtoli, D quorum caput fuit Petrus prædeceſſor Papæ.

IN CONTRARIVM eſt illud. quòd 1. ad Corin. 1. Paulus confutat errorem illorum, qui inſtitutionem ſacramentorum Petro, ſibi, & alijs Apoſtolis attribuebant dicens: Nunquid Petrus, vel Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Petri, & Pauli baptizati eſtis?

RESOLVTIO.

Solius Chriſti Sacramentum inſtituere munus eſt, à quo ſacramentorum virtus emanat.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſacramenta nouæ legis, quantum ad præſens, quattuor modis conſiderare poſſumus. Primo quantum ad eorum diffinitionem. Secundo quantum ad ſacramenti veteris legis comparationem. Tertio quantum ad eorum emanationem. Et quarto quantum ad ſacerdotij translationem. Ex quibus omnibus patere poteſt, ꝙ ſacramentorum inſtitutio non conuenit Papæ, nec alicui puro homini, ſed ſoli Chriſto. Eſt enim diffinitio ſacramenti, vt dicit Hugo 1. lib. parte. 9. cap. 2. corporale elementum ex ſimilitudine repræſentãs, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione ſpiritualem gratiam continens. ita ꝙ ex ipſa inſtitutione habet gratiam cauſare: quia efficit, quod ſignat. Et vt idem Hugo dicit: Repræſentatio indita eſt cuilibet ſacramento per Creatorem: inſtitutio vero facta eſt F per Chriſtum Saluatorem: ſed adminiſtratio fit per miniſtrum diſpẽſatorem. Sicut ergo per ſolum Chriſtum fit gratiæ collatio: quia veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt; ſic per ſolum Chriſtum facta eſt ſacramentorum inſtitutio. (Ioan. 1.) Secundo hoc patet per comparationem eorum ad ſacramenta veteris legis: Nõ enim minoris efficaciæ ſunt ſacramenta nouæ legis, quàm veteris, immo maioris. ſed de illis ſacramentis dicit Auguſtinus 6 de Ciui. Dei. cap. 11. (Tomo 5.) Quòd ſacramenta Iudæorum cur, vel quando inſtituta ſunt, auctoritate diuina factum eſt. Et poſtmodum à populo Dei, cui vitæ æternæ miſterium reuelatum eſt, tempore, quo oportuit, eadem auctoritate ſublata ſunt. Tertio iſtud declaratur per eorum emanationẽ: Nam illius eſt ſacramenta inſtituere, à quo virtus, & G efficacia ipſorum emanat. Sed Aug. Tract. in Ioa. c. 20. (Tomo 9.) exponens illud verbum Ioan. 19. Vnus militum lancea latus eius aperuit; dicit, ꝙ vigilanti verbo Euãgeliſta vſus eſt, vt non diceret: latus eius percuſſit, aut vulnerauit, ſed aperuit, vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde ſacramenta Eccleſiæ emanarunt: ſine quibus ad uitam, quæ verè eſt vita, non intratur. Sicut ergo à ſolo Chriſto virtus, & efficacia ſacramentorum emanauit: ſic ab ipſo Chriſto ſolum inſtitutio ſacramentorum facta eſt. Quarto iſtud patet per ſacerdotij tranſlationem. Nam, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. 8. Omnis ſacerdos, & omnis Pontifex ad offerendas hoſtias, & munera conſtituitur. Illius ergo eſt ſacramenta inſtituere, cuius eſt ſacerdotium transferre. quia tranſlato ſacerdotio, neceſſe eſt vt legis tranſlatio fiat. H Sed ſolus Chriſtus fuit tranſlator noui ſacerdotij, & nouæ legis. Ergo ſolus Chriſtus nouæ legis ſacramenta inſtituit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd nec Iacobus, nec aliquis Apoſtolorum aliquod ſacramentum inſtituit: ſed inſtitutum à Chriſto promulgauit.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ quamuis miſſio viſibilis Spiritus ſancti non fuerit facta ante Chriſti aſcenſionem, vel reſurrectionem; plena tamen miſſio Spiritus ſancti ante fuit facta Patribus veteris teſtamenti, vt dicit Auguſtinus 2. de Trinit. (Tomo 3. ca. 10. 11.) Et planum E eſt, ꝙ in ſacramento confirmationis, quamuis Spiritum ſanctus detur ad robur; non tamen datur viſibiliter, ſed inuiſibiliter.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ per Apoſtolos dicitur facta eſſe ſacramentorum inſtitutio, vel traditio: (B. Thomas 3. par. q. 64. art. 4.) quia per eos facta eſt eorum promulgatio, & adminiſtrationis executio: Quia enim ſacramenta aliqua non erant de neceſſitate ſalutis; ideo eorum expreſſionem, & adminiſtrationis executionem non curauerunt enarrare Euangeliſtæ: ſicut fecerunt de alijs. quamuis (vt communiter ponitur) de ſacramento confirmationis fiat mentio Matth. 19. Vbi Chriſtus pueris manus impoſuit. & de ſacramento extremæ vnctionis, Marci. 6.

Et per hoc patet reſponſio ad quartum.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd effectus ſacramenti detur alicui ſine ſacramento.

S. Thomas. 3. par. q. 64. art. 3. & lib. 4. ſent. diſt. 5. q. 1. art. 1. & q. 2. ar. 2. q. 2.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare, ꝙ effectus ſacramenti detur alicui ſine ſacramento: G Quia effectus ſacramenti eſt remiſſio peccatorum; Sed Papa per communicationem indulgentiæ poteſt peccata remittere. Ergo poteſt conferre effectum ſacramenti ſine ſacramento.

2 Præterea: Chriſtus poteſt effectum ſacramenti conferre ſine ſacramento: quia poteſtatem ſuam ſacramentis non alligauit. ſed (vt dicit Cyrillus Alexandrinus patriarcha) tantam Chriſtus poteſtatem contulit Petro, quantam ipſe habuit, nihil ſibi retinendo. poteſt ergo Papa conferre effectum ſacramenti ſine ſacramento.

3 Præterea: Eandem poteſtatem habet Papa, quã & Apoſtoli. ſed de Apoſtolis ſcribitur Act. 8. quòd H per impoſitionem manuum dabant Spiritum ſanctum. Eodem ergo modo poteſt Papa conferre effectum ſacramenti ſine ſacramento.

IN CONTRARIVM eſt. quia conferre effectum ſacramenti ſine ſacramento pertinet ad poteſtatem excellentiæ, quam Chriſtus ſolus ſibi retinuit; & nulli alteri conceſſit.

RESOLVTIO.

Virtus ſacramenti non niſi à Chriſto ſine ipſo ſacramento conferri poteſt. Hanc tamen facultatem Eccleſiæ Miniſtris conferre potuit, ſed non congruit.

RESPONDEO, dicendum, quòd planum eſt, Chriſtum poſſe dare gratiam alicui ſine ſacramento. Dedit enim gratiam Cornelio nondum baptizato. Vnde dicit Aug. contra Donat. cap. 21. in lib. de babtiſmo cap. Non dubito: & ponitur de conſe. di. 4. Merito Centurio, vel Cornelius nondum baptizatus Symoni baptizato anteponitur. nam iſte ante baptiſmum Spiritu ſancto repletus fuit: Ille autẽ poſt baptiſmum inflatus eſt immundo ſpiritu. Verumtamen, ſi iam Spiritu ſancto accepto, Cornelius baptizari noluiſſet * contemptu tanti ſacramenti, reus fieret. Hanc autem poteſtatem Chriſtus non conceſſit alicui homini puro, ſed ſolum ſibi retinuit. vnde Aug. in lib. de conſenſu Euangeliſtarum cap. 15. & ſuper Ioannem Tract. 5. ſoluens illam controuerſiam, qualiter Ioannes Baptiſta cognouit Chriſtũ, & ignorauit: nam antequam ipſum baptizaret, eum cognouit eſſe Dei filium, quando dixit: Ego à te debeo baptizari: & tu venis ad me, quando uenientibus ad ſe dicebat: Poſt me uenturus eſt, qui baptizabit vos Spiritu ſancto, & igne. Poſtmodum Ioan. 1. Sacerdotibus, & Leuitis quærentibus teſtimonium de ipſo dixit: Ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare, Ille mihi dixit: Hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Hanc igitur controuerſiam ſoluens Auguſtinus dixit: Quòd Ioannes antequam Chriſtum baptizaret, cognouit, & ignorauit: Nam cognouit, ꝙ baptizauit in Spiritu ſancto. ſed ignorauit poteſtatem ſacramentorum ſolum ſibi retenturum, vt non concederetur alicui puro homini poteſtas ſacramenta inſtituendi, & effectus ſacramenti ſine ipſis ſacramentis conferendi, ne ſeruus in ſeruum, & homo in hominem poneret ſuam ſpem. Potuit ergo hanc poteſtatem Chriſtus (vt videtur dicere Auguſtinus) cõferre miniſtris Eccleſiæ: ſed non congruit. Abſurdũ enim videtur dici, aliquid fieri non poſſe, cuius deeſt exemplum. Nam, vt ait in libro de ſpiritu, & anima: Nunquam eſſe factũ creditur, vt per foramen acus camelus tranſierit, & tamen ipſe hoc dixit, Deo eſſe poſſibile. Nec factum eſſe creditur: quòd aliquis nũquam fuerit ſine peccato, excepto vno mediatore Dei, & hominis: nõ tamen debemus negare fieri poſſe, vt homo ſine peccato eſſe potuerit: ſic non debemus negare Chriſtum hanc poteſtatem conferre potuiſſe, quamuis collata non ſit.

Tomo 7.

* al. contempti.

Tomo 4.

Tomo 9.

Tomo 3. cap 1.

A B C D

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ remiſſio peccatorum per communicationem indulgentiæ datur contritis, & confeſſis: vnde non datur remiſſio culpæ, niſi mediante ſacramento. Sed remiſſionem pœnæ debitæ illi culpæ, vel in toto, vel in parte confert Papa, mediante officio.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ tantam poteſtatem Chriſtus contulit Petro, quantam potuit miniſterialem, non principalem habere: Vt quicquid abſolueret, vel ligaret, mediante ſacramẽto, vel remitteret, mediante officio, vice * eius putetur eſſe ligatum, vel ſolutum.

* al. in cœlis credantur.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Apoſtoli dabant ſpiritum ſanctum, vel mediante ſacramento confirmationis: vel mediante oratione, & ſacræ ſcripturæ expoſitione, ſecundum quem modum dicit Apoſtolus Gal. 3. ſe dediſſe eis Spiritum ſanctum, & operatum fuiſſe in eis virtutes.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in ſacramentorũ forma.

S. Thomas. 3. par. q. 60. art. 7. & 8. Aluar. lib. 2. de Planctu Eccl. cap. xi.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare in ſacramentorum forma. Quia Græci non vtuntur forma baptiſmi, quæ vtuntur Latini. Ergo cum tam illi, quàm iſti credantur verum baptiſma conferre; videtur, quòd auctoritate humana in forma ſacramenti poſſit fieri diſpenſatio.

2 Prętereа: In extrema vnctione non inuenitur aliqua forma data ab ipſo Chriſto. Ergo auctoritate Papę talis forma eſt ordinata.

3 Præterea: In ſacramẽto pænitentiæ forma eius ponitur eſſe: Abſoluo te. Sed talis forma non inuenitur tradita à Chriſto: ergo auctoritate humana in tali forma diſpenſatum eſt.

SIN CONTRARIVM eſt. quia forma eſt de eſſentia rei: ſed Papa non poteſt diſpenſare circa eſſentialia ſacramentorum. Ergo nec in ſacramentorum forma.

RESOLVTIO.

Sacramentorum forma diſpenſationem non admittunt: ſed eis vti debet Eccleſia, quibus ipſe Chriſtus immediatè vſus eſt: vel Apoſtoli, qui eas ab ipſo acceperunt.

RESPONDEO, dicendum, Quorundam opinionem fuiſſe Eccleſiam poſſe mutare formam ſacramentorum, & inſtituere. quod potiſſime de forma ſacramenti pęnitentię auſi ſunt aſſerere, dicentes hanc formam: Abſoluo te, non eſſe conuenientem. quia tali forma debet Eccleſia vti in ſanatione infirmitatis ſpiritualis, ſicut Apoſtoli vtebantur in ſanatione infirmitatis corporalis: ſed Apoſtoli in ſanando ægrotos non dicebant: Sano, ſed ſanet te Deus. Ergo eodem modo miniſtri Eccleſiæ non debent dicere: Abſoluo te: ſed abſoluat te Deus. Vlterius dicunt, ꝙ temerarium eſt dicere: Abſoluo te: puta, oſtendo te abſolutum, cum ipſe ignoret, vtrum abſolutus ſit, vel non: ſicut ignorat Dei voluntatem, cuius gratia fit abſolutio, & peccatorum remiſſio. Addunt ſimiliter, ꝙ nullus poteſt dicere: Oſtendo te abſolutum, niſi forte eſſet ſibi reuelatum, ſicut Ioanni euangeliſtæ, & Beatæ Virgini. Sed hanc opinionem erroneam puto

E eſſe. Quia ſicut remiſſio peccatorum nõ fit, niſi Chriſti auctoritate, iuxta illud Apoſtoli 2. Cor. 2. Ego qđ donaui vobis, ſiquid donaui propter vos, in perſona Chriſti. Sic formam inſtituere in quolibet ſacramento ſolum ad Chriſtum pertinet, à quo ſacramenta inſtituta ſunt. Nec eſt ſimile de ſanatione corporali, & de remiſſione peccatorum: quia gratia ſanitatis inter dona gratis data computatur: vndè verbum dicentis: Sanet te Deus, non ſanabat, ſed ſanationem impetrabat. ſed verba ſacramentalia efficiunt, quòd ſignificant. Vnde verbum dicentis: Abſoluo te: veram abſolutionem efficit principaliter virtute Chriſti, & miniſterialiter virtute clauium conceſſarum miniſtris Eccleſiæ. Nec eſt temerarium dicere: Abſoluo te, cum ignoret, vel non ſit ſibi reuelatum, ꝙ ſit abſolutus. Sicut enim iudex abſque temeritate, F teſtibus auditis, poteſt pronunciare aliquem eſſe innocentem, quamuis ſecundum veritatem ignoret, an ſit innocens: ita non temerarie Sacerdos oſtendit aliquem eſſe abſolutum in foro pœnitentiæ, in quo creditur pœnitenti pro ſe, & contra ſe. Dico ergo, quod in formis ſacramentorum non cadit diſpenſatio, ſed illis debet vti Eccleſia, quibus ipſe Chriſtus immediate vſus eſt, vel Apoſtoli, qui ab ipſo acceperunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ multi dicunt perſonam baptizantem non eſſe de eſſentia formæ baptiſmi: ſed ſolum inuocationem Trinitatis: Et ideo Græci, & Latini verum baptiſma conferunt.

G AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ forma extremæ vnctionis tradita eſt ex verbis beati Iacobi, qui ſacramentũ extremæ vnctionis à Chriſto inſtitutum promulgauit: Vnde; quia in tali ſacramento expectatur aliquod corporale futurum: puta alleuiatio infirmitatis, dicente beato Iacobo: Alleuiabit eum Dominus; ideo Eccleſia vtitur pro forma, oratione deprecatiua; quia Iacobus dixit: Oratio fidei ſaluabit infirmum. In alijs vero ſacramentis, cum ſolus effectus ſpiritualis expectetur, ſtatim efficitur, quod ſignificatur, auctoritate Chriſti, & virtute clauium. Vnde vtitur ſemper verbo indicatiuo pro forma: vt Baptizo te: Abſoluo te: & Chriſmo te.

AD tertium eſt dicendum, quòd forma pœnitentiæ habetur ex verbis Chriſti, Matthæi 18. dicentis: Quodcumque ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum, & in cœlis. Per quod datur intelligere, quod perſona miniſtri exprimenda eſſet in abſolutione, ſicut in ſacramento baptiſmi, quando dicit Mat. vltimo: Euntes baptizate omnes gentes.

H

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in Sacramentorum materia.

S. Thomas 3. par. quæſt. 60. art. 5.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare in ſacramentorum materia. Quia materia pœnitẽtiæ eſt ſubditus: ſed Papa põt hunc ſubditũ facere nõ ſubditũ. ergo poteſt diſpẽſare in materia ſacramẽti.

F

2 Præterea: Materia Eucharistiæ eſt panis: ſed Græci cõficiunt in fermentato, nos vero in azimo. Cadit ergo diſpenſatio in mutatione materiæ ſacramenti.

3 Præterea: Perſonæ legitimæ contrahentes ſunt, materia ſacramenti matrimonij. ſed Papa poteſt facere perſonas illegitimas ad contrahendum legitimas, & econuerſo. Ergo Papa poteſt diſpenſare in materia ſacramenti.

IN CONTRARIVM eſt, quia materia ponitur in diffinitione ſacramenti. Ergo eſt de eſſentia eius: & per conſequens non cadit in ea diſpenſatio.

RESOLVTIO.

G *Materia aſſentialiter ad formam ſacramenti ordinata non admittit diſpenſationem. ſed materiæ diuerſificatio penes accidentia non mutantia materiæ ſpeciem diſpenſationem admittit.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut videmus in rebus naturalibus; ſic ſuo modo eſt in ſignis ſacramentalibus. In naturalibus autem ſic eſt; quòd in his, quæ differunt ſpeciæ, materia eſt diuerſa propter diuerſitatem formæ. membra enim leonis, & cerui differunt, quia animæ eorum differunt: vt dicit Commentator primo de anima. Sed in his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, forma non eſt diuerſa niſi propter diuerſitatem materiæ: ita ꝙ manet vnitas formæ ſpecificæ cum diuerſitate materiæ diuerſificatæ per diuerſa accidentia. ſic in ſignis ſa- H cramentalibus oleum, & aqua, & panis differunt ſacramentaliter, propter diuerſitatem formarum ſacramentorum. Sed unum, & idem ſacramentum poteſt habere materiam diuerſificatam per diuerſa accidentia: vt ꝙ ſit aqua dulcis, & amara non diuerſificat ſpeciem ſacramenti baptiſmi. & ꝙ ſit azimus panis, vel fermentatus non diuerſificat materiam ſacramẽti euchariſtiæ. In materia ergo ordinata, eſſentialiter ad formam ſacramenti non cadit diſpenſatio: ſed in diuerſificatione materiæ penes diuerſa accidentia non mutantia ipſius materiæ ſpeciem, vel entitatem, diſpenſari poteſt.

Auerr. 2. de anima com. 53. & 2. de anima com. 60.

Materia diuerſificata ꝑ accidentia non diuerſificat ſpeciẽ ſacramenti.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ habens

vſum

† Dominicus ſotus lib. 4. ſent. diſt. 14. q. 1. art. 2.

vſum liberi arbitrij pœnitens, & confeſſus, eſt materia † ſacramenti pœnitentiæ, nec Eccleſia in hoc diſpẽſare poſſet. Sed, quòd ſit ſubditus iſtius, vel illius, accidentale eſt ſacramento. & in hoc recipit diſpenſationem.

A d ſecundum eſt dicendum, quòd azimom, & fermeotatum non mutant ſobſtantiam panis: & per conſequens oon mutant eſſentialiter materiam ſacramenti.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ maſculus, & fœmina ſunt materia ſacramenti matrimonij, ꝙ tamen illegitime contrahant, vel legitime poteſt Eccleſia ſtatuere diuerſos gradus. Vode ſi matrimoniom ſit celebratum in aliquo gradu prohibito ab Eccleſia; ſi illa prohioo fuit latens, legitimom fuit matrimoniũ. & legitimi filij inde nati: quia legitime ſecundum iodicium Eccletiæ fuerunt copulati. ſed poſtmodum ſi prohibitio ad notitiam Eccleſiæ veniat, tale * matrimonium iudicat eſſe illegiomum, ſine diſpenſatione legitime facta.

* al. Sed matrimonium iudicat legitime factũ, ſimiliter diſpenſatione facta.

ARTICVLVS V.

UTRUM PAPA POSSIT *diſpenſare in ſacramentorum ritu.*

Concilium Trident. ſeſſio. 7. de ſacramentis in genere can. 13.

Ad quintum ſic procedimr. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in ſacramentorum ritu: Qnia magis eſt obſeruandus ritus in figurato, quàm in figura. Sed Exodi 12. præceptum fuit, ſpecialem ritum ſeruare in comeſtiooe agni paſchalis, qui figurabat ſacramentum euchariſtiæ. Ergo multo fortius determinatus ritus ſeruandus eſt in figurato. C

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare in rim eorom, quæ faciunt ad ſatisfactionem hominis. quę nõ niſi a Deo habentur. Sed ſcribitur Exodi 29. ꝙ per aſperſionem ſanguinis, & inunctionem olei conſecrabantur ſacerdotes, & ueſtes eorum. Et Leui. 16. ſcribitur, ꝙ ſacerdos per aſperſionem ſanguinis vituli expiabatur ſanctuarium ab immuodicijs filiorum Iſrael, & a peccatis eorum: quorum remotio cum magis ſit neceſſaria in adminiſtratione ſacramentorum nouę legis; videtur, quòd in tali ritu non cadat diſpenſatio. D

3 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare io præcepris Dei, vt ſupradictum eſt. Sed tam ſacramenta veteris legis, quàm ritos adminiſtrandi, Dei auctoritate ioſtituta ſunt, vt dicit Auguſtinus. Ergo multo magis in noua lege.

In Contrarium eſt, quia vt ſcribitur de Conſe. di. 1. cap. Iacobus. Iacobus frater Domini: & Baſilius cęſarienſis Epiſcopus addiderunt nobis Miſſæ celebratiooem. & Auguſt. 1. ad Cor. 11. Epiſtola 118. dicit: Quòd licet Chriſtus poſt cęnã corpus

Tome 2. cap. 6.

A ſuum dederit diſcipulis: quo tamen ritu, vel ordine poſtmodum ſumeretur, Apoſtolis reliquit docendum, & ordinandum.

RESOLVTIO.

Ijs, quæ ad ſacramentorũ ſubſtantiam faciunt, ſeruatis; ritus ipſorum diſpenſationem admittere poteſt.

Respondeo, dicendum, qoòd ſicut dicit Hugo 2. libro de ſacramen. par. 2. c. 5. omois Eccleſiaſtica adminiſtratio in tribos conſtat: ſcilicet in ordinibus diuerſorum Prælatorum: In adminiſtrationibos ſacramentorum, & in diuerſis præceptis ſubditorum. In omoibos iſtis Papa diſpenſare poteſt, ſi poteſt diuerſus gradus, & diuerſos ordines Prælatorum ordinare, & ordinatos tollere pro rerum diuerſitate, & temporum: ſecundum, quòd oidet Eccleſiæ vtilitati coouenire. Ergo poteſt diuerſum ritum in adminiſtratione ſacramentorum inſtituere, ſeruatis ſemper illis, quæ ad eſſentiam, vel ſubſtantiam ſacramentorum faciunt. In ſubditis vero poteſt dioerſa præcepta ponere, & poſita auferre, ſecũdum ſtatum, & conditionem ipſorum. B

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo † eſt dicẽdum, ꝙ ritus ille io ſumptione coporis Chriſti non eſt ſeruandus ſecundum litteram, ſed ſpiritualiter ſolum: Quia dicit † Aug. in lib. 83. quæſtionum: Somentes corpus Chriſti figuratum per agnum paſcalem debent eſſe accincti renibus propter caſtitatem: Baculum debent tenere in manibus, propter Spiritus ſancti firmitatem. Fortis enim eſt, vt mors dilectio: ſicut ſcribitur Cantico ult. Debent eſſe calciati pedes, propter ſancti euangelij veritatem, iuxta illud ad Ephe. 6. Calciao pedes in præparatione euangelij pacis. Debent eſſe ſtantes propter attentionis charitatẽ. Et feſtinanter comedere, propter cæleſtis patriæ gaudij auiditatem. C

† Ioannes Roffen. aduerſus Lutherum art. 16.

† Quæſt. 2. Tomo 4.

A d ſecundum dicitur, ꝙ ritus ille non faciebat ad remotionem peccatorum inficienoum animam; vel ad remotionem culpæ ſpiritualis, quæ potiſſime requiritur in ſumptione corporis Chriſti. ſed ſolum ad remotionẽ immundiciæ corporalis. Vnde ipſum ſanctuarium dicebatur expiari: quod tamen ſubiectum culpæ eſſe non poteſt. D

A d tertium dicitur, quòd ritus ille non poterat hominem ſeruieotem, vel adminiſtraotem illa ſacramenta perfectum facere ſecuodum conſcienoiam; quia ſolum erat in cibis, & potibus, & varijs baptiſmatibus, & inſtitijs carois, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. 9. Sed ritus adminiſtratioois, & ſumptioois ſacramẽtorum nouæ legis reqoirit munditiam, & perfectiooem conſcientiæ. Et ideo ſecundum augmentum Eccleſiæ, & deuotionem fidelium poteſt ritus talis augmentari, & ordinari.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in Sacramentorum numero.

Concil. Trident. ſeſſ. 7. de Sacramẽtis in genere can. 1. Et S. Thomas q. 65. ar. 1.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpenſare in Sacramẽtorum numero. Quia omnia ſacramenta ordinãtur ad Chriſtum: Sed totus Chriſtus continetur in ſacramẽto Euchariſtiæ. Poteſt ergo Papa diſpẽſare, ꝙ ſit vnum tm̃ ſacramentũ.

2 Præterea: Papa poteſt vnum ſacramentum multiplicare per plura: quia in ſacramento ordinis poteſt plures ordines inſtituere ſupra inſtitutos. Non enim fuerunt in primitiua Eccleſia, niſi duo ordines. poſtmodum Eccleſia ſibi alios inſtituit. Ergo poteſt eodem modo plura ſacramenta ad vnum reducere.

3 Præterea: In ſacramentis datur remiſſio peccatorum, ſed omnia peccata remittuntur in baptiſmo. Sufficit ergo ſolum ſacramentum baptiſmi eſſe.

4 Præterea: Matrimonium eſt ſacramentum datũ contra intemperantiam tactus. Poteſt ergo Papa diſpenſare, vt ordinetur aliud ſacramentum contra intemperantiam guſtus.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſacramenta omnia inſtituta ſunt à Chriſto. Non ergo auctoritate puri hominis poſſunt alia ſacramenta inſtitui.

RESOLVTIO.

Sacramenta alia ab homine puro inſtitui non poſſunt, nec diminui: ſacramentalia verò diſpenſationẽ admittunt.

RESPONDEO dicendum, ꝙ tria ſunt genera ſacramentorum, ut ponit Hugo 1. lib. de ſacramentis cap. 7. Quędam enim ſacramenta ſunt propriè dicta, quæ per ſe faciunt ad hominis ſaluationẽ, & ſine quibus ſalus hominis haberi non põt. Quædam vero ſunt, quæ faciunt ad hominis exercitationem, vt aqua aſperſionis, & ſuſceptio cineris, & ſimilia. ſine quibus quàmuis ſalus hominis haberi poſſit; occupata tamen in his humana mẽs aliquam ſanctificationem, & gratiam ampliorem per ea acquirere poteſt. Aliqua vero faciunt ad eorum, quæ ſunt vera ſacramenta deuotam præparationem, ſicut omnia ſacramentalia: vt conſecrano veſtium, altarium, & Eccleſiarum, ac Miniſtrorum. In numero ergo primorum ſacramentorũ Papa diſpenſare non poteſt, quia ab illo inſtituta ſunt, qui omnia poſuit in numero, pondere, & menſura. Sed in numero aliorum, quæ non ſunt propriè ſacramenta, ſed magis quædam ſacramentalia: Papa poteſt diſpenſare, multiplicando, vel diminuendo ſecundum quod videt Eccleſiæ vtilitati, & deuotioni fidelium expedire.

E *Ad Argumenta.*

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſacramentum Chriſti corporis eſt cibus grãdium (vt dicit Auguſtinus) & ideo requirit ſumendum ſanctificationem, & mundificationem factam per alia ſacramenta. Lib. 8. cõf. c. 10. Tomo 1.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Papa ſacramentum vnum non multiplicat in plura, nec ſacramentum ordinis eſt niſi vnum ſacramentum, non tamen eſt vnũ niſi vnitate ordinis, quod ipſum nomen importat: Vnde paucitas, vel plurificatio ordinum non facit in dicto ſacramento diuerſitatem; ſed finis, ad quem ordinatur, vtilitatem.

F AD tertium dicitur: Quòd quàmuis in baptiſmo peccata omnia remittantur: propter reiterationem tamen peccatorum actualium, cum ipſe baptiſmus non reiteretur: oportuit alia ſacramenta ordinari ad expiationem illorum peccatorum. Vnde pœnitentia dicitur ſecunda tabula poſt naufragium. Tabula ſecunda poſt naufragiũ.

AD quartum eſt dicendum, quòd incontinentia tactus non ſolum cauſat infectionem perſonæ, immo etiam cauſat infectionem naturæ: quia virtus generatiua, per quam fit humanæ naturæ propagatio, à bono prolis deordinatur: niſi per ſacramentũ matrimonij reguletur.

ARTICVLVS VII.

G *VTRVM PAPA POSSIT diſpẽſare in Sacramentorũ iteratione.*

S. Thomas par. 3. q. 63. art. 6.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare in ſacramentorum iteratione. Quia perfectius eſt ſacramẽtum Euchariſtiæ, quàm baptiſmi. Sed ſacramentum Euchariſtiæ reiteratur. Ergo ſimiliter poteſt reiterari ſacramentum baptiſmi.

2 Præterea: Iterato morbo, iterari debet medicina: ſed confirmatio datur contra infirmitatem, & debilitatem ſpiritualẽ. Reiterata ergo tali infirmitate poteſt reiterari confirmatio.

H

3 Præterea: Sacramentum, in quo nõ imprimitur character, reiterari poteſt. ſed in aliquibus ordinibus ſacramẽti ordinis non imprimitur character: cuius probatio eſt: quia conſtituti in minoribus poſſunt reuerti ad ſtatum laicalem. Sacramentum ergo ordinis reiterari poteſt.

IN CONTRARIVM eſt Apoſtolus ad Hebræos 6. vbi ait, ꝙ impoſſibile eſt eos, qui ſemel illuminati ſunt per baptiſmum; & iterum prolapſi ſunt * in peccatum, rurſus renouari ad pœnitentiã, vt iterum baptizentur. quia tales ſunt iterum crucifigentes ſibimet filium Dei. * al. per

RESOLVTIO.

In ſacramentorum iteratione, quæ iterabilia non ſunt, diſpenſari nullo modo poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd in rebus naturalibus, & corporalibus triplicem videmus poteſtatem. Vnam recipiendi: quæ à Philoſopho appellatur potentia materiæ, ſecundum quam ipſa materia eſt in potentia recipiendi omnes formas, & omnes perfectiones naturales. Secunda eſt reſiſtendi, ſicut ferrum, & omnia dura habent potentiam reſiſtendi, vt non faciliter recipiant peregrinas impreſſiones. Tertia eſt agendi: ſicut ignis habet potentiam calefaciendi. Iſti autem triplici potentiæ in corporalibus correſpondet triplex potentia in ſacramentis ſpiritualibus, quia in baptiſmo imprimitur potentia recipiendi. baptizatus enim poteſt omnes perfectiones ſpirituales, & ſacramentales recipere. In confirmatione vero imprimitur potentia reſiſtendi, vt non ibi faciliter recipiatur peregrina impreſſio cõtra nomen Chriſti. Sed in ſacramento ordinis imprimitur poteſtas agendi, & adminiſtrandi cætera alia Sacramenta. Cum ergo character, & poteſtas ſpiritualis in iſtis tribus ſacramentis à Chriſto imprimatur indelebiliter, à quo ſacramenta ſunt inſtituta. Sicut Papa non poteſt diſpenſare in characteris, & dictæ poteſtatis impreſſione, vel expulſione, quia ex quo imprimitur animæ, numquàm poteſt auferri per ſuſpenſionem, vel degradationem, quinimo in anima ſeparata remanet. dicit enim Auguſt. t. lib. de Symbolo, cap. 6. (Tomo 9.) Quòd ſi hæreticus correctus incipiat nouiter Chriſto militare: nullus tamen audet ei characterem baptiſmi mutare: ſic non poteſt diſpẽſare in dictorum ſacramentorum reiteratione.

Ad argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ licet ſacramentum Euchariſtiæ ſit perfectius in continẽtia, non tamen eſt perfectius in receptionis potẽtia, quia non imprimitur in eo character: ſicut in baptiſmo, & in ſacramentis ſupradictis.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ confirmatio datur contra ſpiritualem infirmitatem conſecutam ex originali peccato: quod quidem vnum fuit formaliter. Vnde ſicut ille nõ reiteratur, ſic non debet reiterari confirmatio.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſecundum communiorem opinionem in quolibet ordine imprimitur character: & quantumcũq; in minoribus ordinibus ordinati transferant ſe ad laicatum: ſemper tamẽ in eis remanet characteris impreſſio, quia ſi de laicatu ad clericatum reuertantur, non ſunt iterum in illis ordinibus ordinandi.

A

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in Sacramentorum ordinatione.

S. Thom. par. 3. q. 65. ar. 2.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare in ſacramentorum ordinatione. ſicut enim character vnius ordinis non dependet ab alio, quia poteſt quis fieri ſacerdos, B vel diaconus per ſaltum, non aſſumpto ordine ſubdiaconatus, vel alijs inferioribus ordinibus: ita vnum ſacramentum non videtur dependere ex alio, cum quodlibet ſacramentũ habeat ſuum effectum. Poteſt ergo Papa diſpenſare, vt non baptizatus recipiat alia ſacramenta.

2 Præterea: Cauſa eſt prior ſuo effectu, loco, tempore, & dignitate, vt dicit Philoſophus. Sed cauſa omnis ſacramentalis gratiæ eſt ipſe Chriſtus realiter in ſacramento Euchariſtiæ contentus. Ergo ſacramẽtum Euchariſtiæ tempore debet præcedere ſacramẽtum baptiſmi.

3 Præterea: Matrimonium eſt vnum ſacramentorũ ſed hoc fuit in primo ſtatu ante peccatum, alia vero ſacramenta poſt peccatum inſtituta ſunt. debet igi- C tur matrimonium præcedere omnia alia ſacramẽta.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſacramẽtum baptiſmi ponitur ianua, & oſtium omnium ſacramentorum.

RESOLVTIO.

Sacramentorum ordo varius eſſe poteſt, ſi ipſa variè conſiderentur: hoc eſt, quantum ad neceſſitatem, dignitatem, diuturnitatem, & adminiſtrandi poteſtatem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ordo in ſacramentis quatuor modis conſiderari poteſt. Primo quantum ad neceſſitatem. Secundo quantum ad dignitatem. D Tertio quantum ad temporis diuturnitatem. Quarto quantum ad adminiſtrandi poteſtatem.

Primo modo ſacramentum baptiſmi debet præcedere omnia alia: quamuis enim Deus poſſet ſine baptiſmo aliquem ſaluare: ſecundum ordinem tamẽ à Deo inſtitutum homo ſaluari non poteſt ſine baptiſmo, quia niſi homo renaſcatur ex aqua, & Spiritu ſancto non poteſt introire in regnum Dei, vt dicitur Ioan. 3.

Secundo modo ſacramentum Euchariſtiæ præcedit omnia alia ſacramẽta. quia dignius eſt omni alio, cum ibi contineatur Chriſtus, non ſolum per gratiæ efficaciam, ſicut in alijs; verum etiam per ſuam realem præſentiam.

Tertio modo matrimonium præcedit alia ſacramenta.

Lib. 2. de pec.orig. cõtra Pelag.& Celeſt. cap. 34.Tom.7. menta : quia in primo ſtatu ante peccatum ſecundũ Aug. fuiſſet honorabile connubium, & thorus immaculatus. Sed quarto modo ſacramentum ordinis prius eſt alijs ſacramentis. Vnde Gratianus prius determinauit de ſacramento ordinis, & de poteſtate
Gratiani inſtitutũ circa tractatũ de ſacramẽtis. miniſtrorum in prima parte decretorum : & de cauſis,& iudicijs ipſorum, quod fecit in ſecunda parte, quàm determinaret de ipſis ſacramentis, quod fecit in parte tertia.

Ad Argumenta.

E 1 AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ non eſt ſimile. quia characteres ordinum non præſupponũt ſe ad inuicem de neceſſitate, ſed de congruitate, ſecundum ordinationem Eccleſiæ. Vnde mandatum Eccleſiæ tranſgrederetur, ſi aliquis faceret ſe ordinari per ſaltum : ſed tam ſacramentum ordinis, quàm alia, de neceſſitate præſupponunt characterem baptiſmalem : Vnde ſi non baptizatus ordinaretur, eſſet iterum † reordinandus: Nihil enim poteſt recipere qui caret potentia recipiendi. † Cap. 1. & 3. extra de presbytero non baptizato.

A D ſecundum dicitur, ꝙ Chriſtus eſt cauſa efficiens omnis ſacramentalis gratiæ, & quãtum ad hoc verum eſt, ꝙ ſacramentum Euchariſtiæ præcedit omnia alia ſacramenta tempore, & dignitate : ſed formaliter ipſa gratia baptiſmalis præcedit perceptionẽ ſacramenti Euchariſtiæ. quia non aliter homo efficitur dignus dictum ſacramentum percipere, niſi fide informata charitate.

F A D tertium dicitur, ꝙ quamuis inſtitutio ſacramenti matrimonij tempore præceſſerit inſtitutionẽ omnium aliorum ſacramentorum ; tamen quia minus habet de ſpiritualitate,quàm alia : ideo non primo loco, ſed vltimo inter ſacramenta eſt numerandum, & ordinandum.

QVAEST. LIX. DE DISPENSATIONE ARTICVLORVM.

DEinde conſiderandum eſt, de diſpenſatione articulorum. Circa quod quæruntur quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in noui Symboli editione.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in articulorum additione.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in articulorum diminutione.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare in articulorum coactione.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in noui Symboli editione.

S.Thom.2. 2. q. 1.art.10. Et Aluar.de Planctu Eccleſiæ lib.2.cap.xj.

A D primum ergo ſic proceditur. Videtur enim,ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in noui Symboli editione. Dicit enim Aug. 1. lib. de Symbolo, cap. 1. Quòd Symbolum ad hoc fit, vt verba, quæ per diuinam Scripturam ſparſa ſunt ad vnum redacta tardorum hominum memoria non * laberetur, vt omnis homo poſſit diſcere, & tenere quod credit. Sed ſi Papa poſſet ſemper nouũ Symbolum condere, ex eorum multiplicatione memoria non iuuaretur, ſed potius confunderetur. Tomo 9. * al. laboraret.

G 2 Præterea: In Symbolo explicantur illa,quæ ſunt fidei: ſed quamdiu ſumus in iſta vita non poſſumus explicare, quæ ad fidem pertinent. Vnde dicit Auguſt.2.lib. de Symbolo cap.2. Quòd non debemus eſſe curioſi ad inueſtigãdum quod Apoſtoli minimè exprimere, & explicare potuerunt. Non eſt ergo nouum Symbolum condendum. Tomo 9.

3 Præterea : Quæ ponuntur in Symbolo non debent ratione probari. Sed Aug. dicit libro ſupradicto cap. 1. Quòd ſancti Symboli ſuſcepimus rationem exponendam. Ergo videtur,ꝙ nouum Symbolum condere ad Papam non ſpectet. Tomo 9.

H IN CONTRARIVM eſt. quia Symbolum eſt regula fidei,vt idẽ Auguſtinus dicit 1.lib.de Symbolo. Sed quotiens fidei regula ventilatur,ad Petrũ, & ſui nominis honoris auctoritatem referẽdum eſt, vt dicitur 24.q.1.c.Quotiens. Tomo 9.

RESOLVTIO.

Symbolum nouum condere ad Papam ſolum ſpectat.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ hanc quæſtionem determinat Aug.1.lib.de Symbolo:vbi vult,ꝙ omnis Symboli condendi, & ordinãdi in ſancta Dei Eccleſia terminatur auctoritas. Habet enim fides chriſtiana tria ſecundum eundem Auguſtinum. Primo, vniuerſalitatem. vnde dicitur catholica,quia non docetur in angulis,ſicut doctrina hæreticorũ,ſed publicè, & vniuerſaliter diffuſa eſt per vniuerſum orbẽ.

Secundo,

Secundo, vnitatē: quia vna fuit fides antiquorū, & modernorū, vt dicit Apoſtolus ad Eph. 4. Vnus domin⁹, vna fides, & vnum baptiſma. Tertiō, auctoritatem. Dicit enim Aug contra Epiſtolam fundamenti c. 5. Ego non crederem euangelio, ſi non crederem Eccleſiæ. Ex his tribus patere poteſt, quòd nouum Symbolum condere ſolum ad Papam ſpectat. Nam in Symbolo ponuntur illa, quæ vniuerſaliter pertinent ad chriſtianam fidem. Illi ergo incumbit auctoritas huiuſmodi Symbolum condere, qui eſt caput fidei chriſtianæ: & in quo tamquam in capite omnia membra Eccleſiæ vniuntur: & cuius auctoritate omnia, quæ ad fidem ſpectant, firmantur, & roborantur.

Tomo 6.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſemper Symbolum, quod de nouo conderetur, breuiter colligeret, quæ eſſent de ſalute credendi. & ideo ſemper memoria iuuaretur, & nō cōfunderetur. Nec oporteret omnes credētes omnia Symbola, & quę in prædictis Symbolis continerentur, actualiter in memoria retinere: ſed illa dumtaxat, quæ eſſent ad neceſſitatē ſalutis: Alia autem minores tenerentur credere in fide maiorum, ad quos pertinet fidem defenſare, & in ſymbolis ipſam explicare contra inſurgentes errores. Aliud eſt enim ſcire tantummodò, quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quę non niſi æterna eſt: & aliud eſt ſcire quemadmodum hoc ipſum, & pijs opituletur, & contra impios defendatur, vt dicit Auguſt. 14. de Trini. cap. 1.

Nicolaus Eymericus Directorio Inquiſitorū par. 1. q. 7. & 12.

Tomo 3.

AD ſecundum eſt dicendū, quòd Aug. nō loquitur de explicatione apertę viſionis, qui erit in patria: vbi illa, quæ nunc homo credit, aperte videbit: non autem loquitur de explicatione ænigmaticæ cognitionis viæ, in qua tamen niſi homo explicite credat, quæ ad ſalutem pertinent, ibi aperte non videbit, dicente Propheta: niſi credideritis non intelligetis.

Iſaię 6.

AD tertium dicitur, quòd Aug. loquitur de ratione demonſtratiua, ſed de ratione expoſitiua. Eſt enim triplex gradus cognoſcendi illa, quæ ſunt fidei. Vnus eſt, per ſolius voluntatis firmam adhæſionē. Secundus eſt, per ſacræ Scripturæ expoſitionem, declarationem, & contrariorum ſolutionem; vnius textus per alium, vel vnius articuli per alium. Tertius eſt, philoſophiæ, & ſcientiæ humanæ cum fidei admixtione. Primus gradus fuit, & eſt in omnibus fidelibus ſimpliciter credentibus: Secundus fuit in Doctoribus Eccleſiæ primitiuæ. Et tertius eſt in Doctoribus præſentis temporis.

Tomo 3.

A

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in articulorum additione.

S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 7. & 9. & opuſculo. 5. & 6. & Hoſtienſis in ſumma tit. de fide catholica Aluar. de Planctu Eccl. lib. 2. cap. xi.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare in articulorum additione. quia articuli ab aliquibus ponuntur duodecim ſecundum numerum 12. Apoſtolorum. ſed Papa non poteſt numerum Apoſtolorum multiplicare: Ergo neč numerum articulorum.

B

2. Præterea: Fides eſt de his, quæ in ſacra Scriptura continentur. ſed contra illa non eſt aliquid addendum, vel diminuendum, vt ſcribitur Deuter. 4. & Apoc. vlt.

3. Præterea: Omnes articuli, vel ſunt de Chriſti diuinitate, vel de eius humanitate. quia in hoc conſiſtit tota hominis beatitudo. iuxtà illud Io. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Sed articuli pertinentes ad Chriſti diuinitatem non ponuntur, niſi ſeptē.

C

Primus eſt de eſſentiæ vnitate: Credo in Deum. Secundus eſt de perſona patris: Patrem omnipotentē. Tertius eſt de perſona Filij: Et in Ieſum Chriſtum filium eius. Quartus eſt de perſona Spiritus ſancti: Et in Spiritum ſanctum Dominum. Quintus eſt de appropriato patris: Factorem cœli, & terræ. Sextus eſt de appropriato filij: Carnis reſurrectionem. Septimus eſt de appropriato Spiritus ſancti: Et vnam ſanctam, catholicam Eccleſiam. Et ſeptem ponuntur de vera Chriſti humanitate. Primus eſt eius conceptio. Secundus eſt eius incarnatio. Tertius eſt eius paſſio. Quartus eſt eius ad inferos deſcēſio. Quintus eſt eius reſurrectio. Sextus eſt eius in cœlum aſcēſio. Et Septimus eſt eius aduentus ad iudicium. Supra iſta ergo non eſt aliquid plus addendum.

D

IN CONTRARIVM eſt. quia creſcente fide, poteſt creſcere articulorum fidei numerus. ſed Greg. † dicit, quòd ſecundum incrementa temporum creuit * fides ſanctorum Patrum: & quanto viciniores fuerunt aduentui Saluatoris: tanto ſacramenta ſalutis plenius perceperunt.

† Hom. 16. ſuper Ezechielem.
* al. ſciētia.

RESOLVTIO.

Papa in Articulorum additione diſpenſare poteſt, quantum ad ipſorum Articulorum multiplicationem: quantum ad eorundem explicationem: & quantum ad eorum, quæ in articulis ponuntur, augmentationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd, Papam poſſe diſpenſare io articulorom additione, poteſt tripliciter inselligi. Primo, quaotum ad ipſorum articulorum mulaplicationem. Secundo, quantum ad eorum, quæ in articulis poountur, explicationem. Tertio!, quantum ad eorum, quæ ad articulos poſſoot reduci, aogmentatiooem. Omnibns iſtis modis Papa poteſt diſpenſare in articulorũ additione. quia ſicut poteſt oonnm Symbolom condere; ita poteſt notios articulos ſupra alios multiplicare. Secundo poteſt articulos in Symbolis poſitos per plures articulos explicare. Tertio, quia ferè omoia credibilia ad articulos in Symbolis poſitos poſſunt reduci; poteſt articulos prædictos per talem reductionem augmentare, vt ſub quolibet articulo ponantur plura credibilia, quàm poſita ſint.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendom, q eiuſdẽ aoctoritatis eſt Papa, & alij Epiſcopi, & Paſtores Eccleſiæ: cuiuſmodi fuerunt Petrus, & alij Apoſtoli. Vnde ſicut ipſi per aliquos articulos neceſſaria ad ſalutem in Symbolo collegerunt, & poſtmodum Patres in Nyceno Concilio propter errores inſurgentes ſupra illa, in alio Symbolo aliqua addiderunt: † ſic nunc propter eandem cauſam Eccleſia poſſet aliud Symbolum ordinare, vel per modom articulorum additioois, vel per modum explicationis, ſeu reductionis, ſicut dictum eſt.

† id eſt, expoſuerunt, vt mox declarat Auctor.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ad illa, quæ in ſacra Scriptura ponuntur, nõ debet fieri aliqoa additio erroris, vel falſitatis, vel diminutio veritatis: ſed addere veritatem, quam continet, explicare, & declarare, ſemper licuit Eccleſiæ, & ſemper licet.

AD tertium eſt dicendum, q quamuis in articulis oumeratis ſubſtaotialiter tota hominis ſalus cõſiſtat, & fundamentum fidei Chriſtianæ io illis ſubſtantialiter contineatur: multa tamen ad illa poſſunt redoci, contra quæ ſi aliqui errores inſurgerent, poſſet Eccleſia ſub prædictis articulis ponere, vel de eis nouos articulos condere.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in articulorũ diminutione.

Citati in præcedentibus articulis.

AD tertiom ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare in articulorum diminutione. quia eius eſt diminuere, cuios eſt addere. ſed Papa poteſt diſpenſare in articulorum additione, vt dictom eſt, ergo & in eorum dimioutione.

2 Præterea: Vtile eſt, quòd Papa diſpenſet io articulorum addiſione explicando, & declarando, vel no-

E uiter condendo quandoque propter inſurgentes hæreſes. ergo eodem modo vtile eſt, vt quandoq. diſpenſet, vt quæ ſunt fidei occultentor, & non explicentur, ne ſimplices in errorem labantur. Vnde Paulus Gal. 2. ſeorſum dicit ſe contuliſſe de his, quæ erant fidei, ne fortè in vacunm curreret, vel cucurriſſet.

3 Præterea: Chriſtus mandauit Matth. 18. ſcandalum puſillorom eſſe vitandum, ſed quãdoque aliqui infirmi in fide ſcandalizaotur de his, qoæ ponuntur in articulis: Vtile eſt ergo diſpenſare quandoque, vt talia in Symbolo non ponantur.

4 Præterea: Multi articuli ponootur in cancellaria Pariſienſi, in quibus planom eſt, q Papa poſſet diſpẽſare. Ergo eodem modo io articulis fidei.

IN CONTRARIVM eſt. quia in articulis F continetur ſubſtantialiter fundamentum fidei: Sed ſicut Papa noo poteſt dictum fundamẽtum tollere: ita non poteſt ipſum diminuere: quia Fundamentũ oemo poteſt ponere præter illud, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. 1. Cor 3.

RESOLVTIO.

Papa, quantum ad modum credendi, explicandiq. illa, quę creduntur, in Articulorum diminutione diſpenſare poteſt: ſed quantum ad credibilium ſubſtantiam, non item.

RESPONDEO, dicendum, q, Papam diminuere poſſe articulos fidei, dupliciter poteſt intelligi, Primo, quantum ad ſubſtantiam credibiliũ. G Secundo, quantum ad modum credendi, & explicandi illa. Primo modo non poteſt illa, quæ ſunt fidei, diminoere, nec deſtruere. Dicit enim Apoſtolus 2. Corin. 10. Gloriamur de poteſtate noſtra, quam nobis dedit dominus in ædificationem, non in deſtructiooem veſtram. Tota enim gloriatio Eccleſiaſticæ poteſtatis debet eſſe in ædificatione, & augmentatione fidei Chriſtianæ: nõ in deſtructione, vel dimmutione: quia io hoc oullum eſt poſſe. Non enim (vt ait Apoſtolus 2. Cor. 13.) poſſumus aliquid adoerſus veritatem, ſed pro veritate: Sed ſecundo modo, ſi in explicatione articulorum nunc facta aliqui errores inſurgerent, poſſet ad extirpationẽ illorum alium modum † credendi explicare, & ordinare.

† id eſt, quõ eſſet credendum id, circa quod erratur.

H *Ad argumenta.*

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q non eſt ſimile. Non enim præcipitur Papæ luceroam, & fidem Chriſti ſub modio ponere, & abſcondere. ſed bene mandatur ſibi, ipſam ſuper candelabrum exaltare. Extenditur ergo ejus poſſe ad fidei augmentationem, & exaltationem, non ad diminutionem, vel deſtinctionem. Matth. 5.

AD ſecundum dicitur, q Papa bene mandat, & diſpenſat, q illa, quæ ſunt fidei, non proponantur ſimplicibus diſputanda, exponenda, ſeu declaranda: ſed in hoc non conſiſtit fidei articulorum diminutio, vel deſtructio, ſed magis eorum iotegra obſeruatio.

AD tertium dicitur, qoòd fidei veritas, & iuſti-

tiæ

tiæ integritas, & vitæ ſanctitas propter ſcandalum puſillorum dimittenda non ſunt: Vnde & Apoſtolis dicentibus Chriſto: Scis, quia Phariſæi, audito verbo tuo, ſcandalizati ſunt; dictum eſt Matth. 15. Sinite eos, cæci ſunt, & duces cęcorum.

Ad quartum dicitur, ꝙ illi articuli pertinẽt ad diuerſas opiniones Magiſtrorum, nec proponuntur illa, quæ in illis articulis ponuntur omnibus fidelibus credenda, vel tenenda. Vnde Papa ſecundũ pleniorem informationem veritatis poſſet illos approbare, vel improbare, ſicut ſibi placeret.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in articulorum coactione.

S. Thomas 2.2.q.10.art.8. Canradus Brun. lib. 3. de hęret. cap. 5. Et Gondiſſaluus tract. de hæret. q. 25. Et Archidiaconus in cap. Quicunque, de hæret. lib. 6.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare in articulorum coactione. Quia articuli ſunt principia doctrinę fidei; ſicut † de quolibet dicitur eſſe vel non eſſe, & cetera ſimilia, ſunt principia in ſcientia humana. ſed aſſentire illis principijs inducti ſunt homines ab ipſa veritate coacti: vt dicit Philoſophus. Ergo multo fortius coguntur homines aſſentire articulis fidei: cum iſta ſint veriora illis.

1. Poſt. c. 26. 27. & 4. Metaph. text. c 28 c. 6.

4 Met. tex. com. 8.

2 Præterea: Articulus ſecundum Etymologiam nominis dicitur ab arctando: quia arctat ipſos credẽtes ad credendum. Non eſt ergo diſpenſabile, ꝙ articuli credentes non cogant.

Tomo 1. 3 Præterea: Dicit Aug. in de vera Religione, c. 31. ꝙ quamuis homines, cum inſtituunt legem, poſſint de ipſa iudicare; poſtquam tamen inſtituta eſt, neceſſarium eſt ſecundum ipſam viuere. Sic eodẽ modo antequam articuli explicentur in Symbolo; licet aliter ſentire. poſtmodum vero neceſſarium eſt ſic credere.

IN CONTRARIVM eſt Auguſt. tract. 26. in Ioan. cap. 6. Qui ſic dicit: Cetera quis poteſt nolẽs credere autem non niſi volens. Tomo 9.

RESOLVTIO.

Articuli neceſſitate finis conſecutionis cogunt omnes: neceſſitate obſeruationis non niſi baptizatos: neceſſitate vero coactionis neminem cogunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd articulum arctare, vel cogere aliquem tripliciter poteſt intelligi. Primo neceſſitate finis conſecutionis. Secũdo neceſſitate coactionis. Tertio neceſſitate obſeruationis. Primo modo articuli omnes cogunt, & omnes arctant tam credentes, quàm non credentes: quia ſicut ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, vt dicit Apo-

A ſtolus ad Hebræ. xj. Sic impoſſibile eſt, vt aliquis conſequatur finem fidei, puta Deum, ſine fide in articulis contenta. poſſet enim Deus ſaluare aliquem ſine ſacramentis Eccleſiæ: ſed non poſſet ipſum ſaluare ſine fide, vel per Eccleſiam ſibi prædicata, vel à Deo immediatè inſpirata. Non enim poſſet ſaluare aliquem non credentem ipſum eſſe Deum Saluatorem eius. quia dicit Apoſtolus Heb. xj. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & ſperantibus in ſe remunerator ſit. Secũdo vero modo nullos cogit: nec credentes, nec ipſos non credentes: quia nulli coguntur fidem recipere, & fidei articulis aſſentire neceſſitate coactionis, ſed ſola voluntate adhæſionis. Credere enim ſecundum Aug. eſt cum aſſenſu voluntatis iudicare. Sed tertio modo, cogit ſolum fidem re-

B cipientes. poſtquam enim homo in baptiſmo fidem chriſtianam recipit, & ibi diabolo, & pompis eius vniuerſaliter renunciat: ex tunc cogendus eſt per Eccleſiam dictam promiſſionem obſeruare, & fidẽ promiſſam non violare. Si enim leges humanæ, vt dicit Aug. cogunt, vt promiſſa hominum ad inuicem facta integraliter ſeruentur, multo magis cogendi ſunt homines, vt promiſſionem factam Deo non corrumpant. Neceſſitate ergo finis conſecutionis articuli cogunt omnes: neceſſitate vero coactionis cogũt nullos: ſed neceſſitate obſeruationis cogunt ſolum baptizatos.

Ad Argumenta.

C AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in aſſenſu principiorum ſcientiæ humanitus inuentæ eſt coactio propter euidentiam ſpeculationis. quia in eis intellectus euidenter concluſionem intuetur, & ſpeculatur: ſed in articulis non poteſt eſſe coactio propter euidentiam ſpeculationis, cum talia ſint ſupra intellectum. Eſt autem ibi coactio voluntatis adhæſionis. quia voluntas, quæ liberè credit, cogit, & captiuat intellectum: ſecundum quem modum dicit Apoſtolus 2. Corin. 10. Cogentes, & captiuantes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Vnde quamuis iſta ſint illis veriora: non tamen ſunt humanæ cognitioni euidentiora.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd articulus arctat arctitudine finis conſecutionis: quia aliter finis conſequi non poteſt ſine fide in articulis explicata: D (vt dictum eſt) ſed non arctat arctitudine agentis coactionis, cum ipſa voluntas liberè adhæreat his, quæ ſunt fidei.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illa coactio intelligitur quãtum ad obſeruationem articulorũ, reſpectu illorum, qui iam fidẽ liberè receperunt, qui poſtmodum per Eccleſiã coguntur fidem promiſſam integrã ſeruare.

QVAEST. LX. DE DISPENSATIONE LEGVM, ET CANONVM SANCTORVM.

VLTERIVS videndum eſt de diſpenſatione legum, & canonum Sanctorum. Circa quod quęruntur octo. E

Primo, Vtrum Papa poßit diſpenſare in lege naturę.

Secundo, Vtrum Papa poßit diſpenſare in lege Moſaica.

Tertio, Vtrum Papa poßit diſpenſare in lege Euangelica.

Quarto, Vtrum Papa poßit diſpenſare in omni lege humana.

Quinto, Vtrũ Papa poßit diſpẽſare in Epiſtolis Pauli.

Sexto, Vtrum Papa poßit diſpenſare in dictis Doctorum, qui approbati ſunt per Eccleſiam. F

Septimo, Vtrum Papa poßit diſpẽſare in canone prędeceſſorum Pontificum.

Octauo, Vtrum Papa poßit diſpenſare in Canone Conciliorum ſanctorum Patrum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in lege naturæ.

S. Tho. 1. 2. q. 94. art. 5.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare in lege naturæ. Dicit enim Iuriſconſultus: † Ius naturale eſt quod omnia animalia docuit; &, quod eſt commune omnibus, quæ ſunt in mari, & in terra: vt omnium cõmunis poſſeſſio, maris, & fœminæ coniunctio, quam nos matrimonium appellamus. planum eſt autem, quòd in omnibus illis Papa diſpenſat. Cadit ergo diſpenſatio in lege naturæ.

† l. 1. §. ius naturale. ff. de inſtit. & iur. & §. 1. inſtit. de iure nat. gẽt. & ciuili.

2 Præterea: Omne corruptibile, & mutabile eſt diſpenſabile: ſed lex naturæ corruptibilis eſt & mutabilis. Corrupta enim erat lex naturæ in illis, de quibus dicit Apoſtolus ad Rom, 1. Fœminæ eorum mutauerunt naturalem vſum in eum vſum, qui eſt contra naturam.

3 Præterea: Omne corrigibile eſt diſpenſabile: ſed lex naturæ eſt corrigibilis. Dicit enim glo. ſuper illo verbo Eccl. 17. Addidit eis diſciplinam, & legem vitæ. quod legem vitæ appellat, quam ad correctionẽ naturalis legis ſcriba voluit.

E IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur in principio decretorum: Ius naturale eſt, quod in lege, & in Euangelio continetur: ſed in hoc non cadit diſpenſatio. Non ergo poteſt Papa diſpenſare in lege naturæ.

RESOLVTIO.

Papa in lege naturę, quantum ad eius additionẽ, & ſubtractionem diſpenſare poteſt: ſed quantum ad eius vniuerſalem inclinationem, non item.

F RESPONDEO, dicendum, quòd in anima noſtra eſt duplex potentia: vna, qua verum cognoſcitur: alia, qua bonum appetitur. In potentia ergo intellectiua, qua verum cognoſcitur, impreſſa eſt quædam naturalis inclinatio ad cognitionem veri, aliter non inclinaremur ad addiſcendam cognitionẽ veritatis. Vnde dicit Aug. 10. de Trinit. cap. 1. quod niſi impreſſam haberemus omnium diſciplinarũ rationem; ad nullam earum tanto diſcendi ſtudio flagraremus. In potentia vero volitiua, qua bonum appetitur, impreſſa eſt naturalis inclinatio ad affectionem boni: quia ſecundum eundem Auguſt. 8. de Tri. c. 3. Niſi haberemus impreſſam affectionem boni: nec ipſum bonum proſequeremur, & malum fugeremus: G nec vnum bonum alteri præponeremus. Naturalis ergo inclinatio impreſſa intellectui practico, qua receptis ſpeciebus principiorum agibilium, naturaliter intellectus iudicat vnum eſſe proſequendum, & alterum fugiendum, lex naturę propriè appellatur, quę duo habet.

Tomo 3.

Primo, quia eſt aptitudinalis, non actualis. Secundo, quia eſt vniuerſalis, non particularis: quia vero eſt aptitudinalis, non reducitur ad actum niſi per noſtram operationem, & extrinſecam impulſionem. ſed quia eſt vniuerſalis, non poteſt ad actum reduci niſi per aliquorum additionem, & aliquorũ ſubtractio- H nem. vniuerſale enim non agit, niſi aliqua particulariter addantur. nam particularia indiuidua addunt ſuper ſpeciem conditiones indiuiduales: ſpecies verò addunt ſupra genus ſpecificas differentias. Vnde dicit Philoſophus 1. Metaph. quod non ſanatur homo, ſed iſte homo: nec calefacit caliditas, ſed iſta caliditas. Ipſorum enim particularium propriũ eſt agere, vel pati. nec ſufficit aliquorũ additio, niſi ſit aliquorum ſubtractio. Continentur enim ipſa particularia potentialiter in vniuerſali, quæ niſi actualiter ſubtrahantur, & explicentur, ſecundum illud vniuerſale nõ conuenit agere, nec pati. Quærit enim Porphyrius: Vnde habet vniuerſale, quod eſt genus, differentias?

Ariſt. 1. Metaph. i Prologo.

Porphyr. c. de Differentia.

Et

Et reſpondet, quòd poteſtate quidem habet omnes: actu vero nullam. In nullo ergo genere continetur potentia, ſed in materia formæ potentialiter includuntur: Vnde ſicut materia non eſt principiũ agendi, niſi ab ipſa abſtrahatur, vel ſubtrahatur forma: ſic vniuerſale nihil agit, vel patitur: niſi ab eo ſubtrahantur particulares differentiæ. ergo quia lex naturæ eſt aptitudinalis, & habitualis, vt reducatur ad actum, indiget noſtra operatione, & ad talem actum reduci non poteſt per noſtram operationem, niſi per aliquorum particularium additionem, & per aliquorum ſubtractionem, & explicationem, cum noſtra operatio non niſi particularium ſit. Vnde puto, quòd ſignanter † Iuriſconſultus dixit, ꝙ cum aliquid addimus, vel ſubtrahimus iuri diuino, † vel naturali, ius ciuile, & iura particularia efficimus, ſecundum quæ in cauſis ſingulis agitur, & iudicatur. Cum ergo quæritur an Papa poſſit diſpenſare in lege naturę: Puto eſſe dicendum, ꝙ in lege naturæ ſecundum eius inclinationem vniuerſalē Papa diſpenſare nō poteſt: quia illa vniuerſalis inclinatio, quam legē naturæ appellamus, à ſuperiori agente eſt cuilibet naturæ impreſſa: Sed in lege naturæ, quantum ad eius additionem, & quantum ad eius ſubtractionem Papa diſpenſare poteſt; quia ſuum eſt ſupra illam vniuerſalē inclinationem aliqua particularia addere, & aliqua ibi potentialiter contenta ſubtrahere, & explicare, per quorum ſubtractionem, vel additionem contingat ſecundum illam aptitudinalem, vel habitualem inclinationem actualiter agere, vel pati.

l. Ius ciuile. ff. de Iuſt. & iur.
† Videtur legendum. iuri communi, vt apud Vlpianum in prædicta l. ius ciuile.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Deus cuilibet rei impreſſit aliquam regulã, qua dirigitur in eius operatione. Sicut ergo ſunt tria genera operationum; ita tripliciter poteſt accipi lex naturę. Quædam enim operantur ſolo inſtinctu naturæ ſine cognitione, & electione: vt inſenſibilia. Quædam vero cum cognitione: ſed ſine electione, & diſcretione, vt irrationabilia: ſicut omnes araneæ eodem modo faciunt telam. Quædam vero cum cognitione, & diſcretione, vt rationabilia. Prima regula uocatur lex naturæ communiter, & large. Secunda vero magis proprie. Tertia maxime proprie. Quamuis ergo Papa non poſſit diſpenſare in lege naturæ communiter ſumpta: diſpenſat tamen in lege naturæ ſecundum, quòd reſtringitur ad humanam naturam agentem cum electione, & diſcretione.

Ad ſecundum, & tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dictum eſt, lex naturæ, cum ſit aptitudinalis, & habitualis, non reducitur ad actum, niſi per noſtram operationem: vnde ſicut per noſtram bonam operationem, & principaliter per diuinæ gratiæ motionem talis naturalis lex illuſtratur, & fulgoratur, vt actualiter tendat in bona, iuſta, vera, & recta, in quæ naturaliter inclinatur: ſic per noſtram prauam operationem, & diaboli illuſionem obumbratur, & obtenebratur, vt ſic remaneat proſtrata; quatenus in illa, ad quæ naturaliter inclinatur, actualiter tendere non ualeat: vt dicit Auguſt. 9. de Tri. cap. 6. Quod iudicium legis naturalis ſemper eſt veritatis: ac ſui iuris incorruptiſſimis regulis firmum eſt. Tomo 3.

Et dato, ꝙ corporalium imaginum phantaſmatum tegatur nubilo quodam, non inuoluitur. atque confunditur. Non igitur talis lex eſt per peccatũ corrupta: ſed bene eſt obnubilata, & obtenebrata: Ad cuius remotionem, & correctionem data fuit lex ſcripta: & vltimo ad perfectam eius curationem data fuit lex euangelica.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in lege Moſaica.

S. Thomas 1.2.q.100.art.8.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpenſare in lege Moſaica: quia lex illa iuſta, & ſancta fuit iuxta illud Rom. 7. Lex ſancta, & mandatum ſanctum, iuſtum. ſed iuſtitia perpetua eſt, & immortalis, vt ſcribitur Sapientiæ 7. nec in ea cadit diſpenſatio.

2 Præterea: Lex illa à Deo data fuit, iuxta illud Matth. 15. Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram: & loquitur de mandato legis datæ Iudæis. ſed nullus poteſt diſpenſare in lege, niſi ille, qui eſt conditor legis. Non pertinet ergo ad Papam diſpenſare in lege illa, cuius ipſe lator nō fuit.

3 Præterea: Lex illa continebat præcepta moralia. ſed in illis non cadit diſpenſatio, cum ſint neceſſaria omnibus volentibus conſequi ſalutem æternam: iuxta illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.

In Contrarium eſt: quia lex illa onerosa fuit. ſed Act. 15. Petrus, cuius ſucceſſor Papa eſt, dixit: Vt quid tentatis onus imponere ſuper ceruices Diſcipulorum, quod nec nos, nec Patres noſtri portare potuerunt?

RESOLVTIO.

In lege Moſaica diſpenſatum fuit, quantum ad repræſentationem figurati, illius legis explanationem, conſiliorum additionem, modumque obſeruationis.

Respondeo, dicendum, quòd ſicut ſcribitur ad Hebræ. 7. Tranſlato † ſacerdotio, neceſſe eſt, vt legis tranſlatio fiat. Planum eſt autem, ꝙ ſacerdotium Chriſti ſucceſſit ſacerdotio leuitico. ſicut ergo per Chriſti ſacerdotiũ eſt facta trãſlatio ſacerdotij Leuitici: ita per legem Euangelicam facta eſt tranſlatio legis Moſaicę. Eſt autem facta triplex diſpenſa-

† Refertur in cap. tranſlato. de cōſtit.

tio per ipſum Chriſtum in lege Moyſi. Vna, quantum ad præcepta cerimonialia, quia per ipſum fuerunt completa: cum ipſe fuerit finis, & terminus omnium illorum, dicente Apoſtolo 1. ad Cor. 10. Omnia in figura contingebant illis. ſcripta ſunt autem ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum deuenerunt. Alia, quantum ad moralia, quæ per ipſum fuerunt impleta, ipſo dicente Matth. 5. Non veni ſoluere legem, ſed adimplere. Tertia, quantum ad iudicialia, quæ per ipſum fuerunt mitigata. iuxta illud Matth. 5. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Oculum pro oculo, dentem pro dente: Ego autem dico vobis, nõ reſiſtere malo. Diſpenſatum eſt ergo in lege Moyſi quatuor modis. Primò, figuratum, quod figurabat præſentialiter exhibendo. Secundo uerum intellectum illius legis aperiendo. Tertio, F quædam perfectionis conſilia ſuperaddendo. Quarto modum obſeruationis, & impletionis tradendo.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Papa non diſpenſat in lege illa naturæ per iuſtitiæ amotionem: ſed magis per eius completionem, & perfectionem.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Papa non diſpenſat in lege Moyſi auctoritate propria, ſed magis auctoritate Chriſti in Euangelio ſibi data, & poſtmodum per Apoſtolos ſibi explicata.

Et per hoc patet reſponſio ad Tertium. quia in præceptis moralibus non eſt facta diſpenſatio per G eorum amotionem: ſed magis per eorum impletionem, & ratificationem.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in lege euangelica.

Turrecramata in ſumma de Eccleſia lib. 3. cap. 54. & in cap. Sicut ſancti. 15. diſt. & Melchſor canus lib. 3. de locis Theologicis cap. 5. Aluar. lib. 2. de Planctu Eccl. lib. 2. cap. 11.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit diſpenſare in lege Euangelica. Nã Chriſtus prohibuit Matt. 6. ſollicitudinem circa victum, & veſtitum, & circa alia temporalia: Papa autem talem ſollicitudinẽ non prohibet. Immo imperat in perſona Pauli Apoſtoli ad Theſſ. 3. Siquis non vult operari, non manducet.

2 Præterea: Matt. 7. Chriſtus prohibuit iudicium dicens: Nolite iudicare, & non iudicabimini. Sed Papa præcipit iudicium fieri in perſona Apoſtoli 1. Cor. 5. Nonne de ijs, qui intus ſunt, vos iudicatis? Nam eos, qui foris ſunt, Deus iudicabit.

E 3 Præterea: Mat. 5. Chriſtus mandauit malo non eſſe reſiſtendum, omni petenti eſſe tribuendum, & omne ſublatum non eſſe repetendum. Sed in omnibus iſtis diſpenſat Papa. Cadit ergo in lege euangelica diſpenſatio.

4 Præterea: Super illo verbo Matth. 10. Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus; dicit Greg. quòd Crucem Domini duobus modis baiulamus: Aut cum per abſtinentiam carnem maceramus: aut per compaſſionem, proximi neceſſitatem, noſtram putamus. Sed cùm non omnes teneantur ad iſta, videtur, quòd in lege Euangelica cadat diſpenſatio. 22 in euangel.

IN CONTRARIVM eſt. quia non cadit diſpenſatio in eo, quod eſt anathematizatum, & damnatum per Apoſtolos auctoritate Chriſti. ſed Apoſtolus Galat. 1. damnat, & anathematizat conuertentes Euangelium Chriſti in aliud Euangelium, cum non ſit aliud.

RESOLVTIO.

Lex Moſaica propter ſuam imperfectionem diſpenſationem accipit: lex natura propter inexplicationem: Lex humana propter negociorum occurrentium variationem: Lex autem Euangelica nullo modo diſpenſationem admittit.

RESPONDEO, dicendum, quòd lex aliqua tripliciter poteſt recipere diſpenſationem. Primo propter eius imperfectionem. Secundo propter eius inexplicationem. Tertio propter negociorum occurrentium variationem. Propter primum recipit diſpenſationem lex Moſaica, quia nihil ad profectum deduxit illa lex, ſicut dicit Apoſtolus ad Hebræ. 7. Propter ſecundũ recipit diſpenſationẽ lex naturæ: quæ cũ ſit vniuerſalis & habitualis, per additionem, & ſubtractionem fuit particulariter explicanda, vt ſupradictum eſt. Sed propter tertium recipit diſpenſationem lex humana, quæ cum ſit regula humanorum actuum: ex variatione ipſorum contingit talem legem, & talem regulam quandoque mutari, & variari. Nullo autem iſtorum modorum lex euangelica diſpenſationem recipit: non quidem propter imperfectionem, cum ipſa perfecerit & impleuerit legem imperfectam: quamuis enim Fauſtus dixerit Chriſtum non impleuiſſe illam legem, ſed ſoluiſſe, aliter (vt ait) Iudæi ſuſpicari non potuiſſent ipſum aliquid agere contra legem, ſi ipſam in nullo ſoluiſſet, cum tamen expreſſe dicerent Ioann. 9. Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Iſta tamen argumentatio friuola eſt: vt dicit Auguſt. contra Fauſtum. quia non negatur iudæis verum ſenſum legis non intelligentibus videri potuiſſe Chriſtum eſſe legis, & Prophetarũ deſtructorem, cum ipſi crederent ſecundum eorum ſuperſtitioſum intellectũ à miraculis, & alijs ſaluberrimis operationibus eſſe abſtinendũ die ſabbati. quòd erat directe contra intentionẽ legis. Nõ ſecundo propter eius inexplicationẽ, cũ Mat. 7. aperte explicetur illud

lib. 18. cap. 2 contra Fauſtum. Tomo 6.

lib. 18. c. 2. Tomo 6.

H (margin)

præce-

A præceptum legis naturæ. Omnia quæcumque vultis, vt faciāt vobis homines, & vos facite illis: In quo (vt ibi ſubditur) lex pendet, & Prophetæ. præſertim tamen ſecundum Aug. Qui proximum diligit, ſibi faciendo, quod vult ſibi fieri, conſequens eſt, vt ipſam pręcipue dilectionem diligat. Diligendo autem dilectionem, ſequitur, ꝙ diligat Deum: quia Deus dilectio eſt, & ſic in explicatione illius præcepti omnia alia mandata explicantur. Nec tertio propter eius variationem, vel mutationem, cum dicatur Matth. 24. Cælum, & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt.

Ad Argumenta.

B Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus prohibuit ſollicitudinem habentem in iſtis temporabilibus finalē intentionem, vel habentem diuini auxilij deſperationem, vel habentem præſumptuoſam cogitationem, ꝙ homo ex ſua ſollicitudine, & ſagacitate crederet poſſe quæcumque bona procurare, & mala vitare: Vel prohibuit ſolicitudinem temporis habētem ordinatam præoccupationem; vt ſiquis ſollicitudinem apponendam in futuro die, apponat in die præſenti, cum cuilibet diei ſufficiat ſua malitia, & præoccupatio. Non autem prohibuit ſollicitudinem habentem neceſſariorum prouiſionem.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ per illa verba non prohibetur iudicium iuſtitiæ, & æquitatis, quod perſona publica exercere tenetur. ſed prohibetur iudicium temerarium: vt illa, quę neſciuntur, quo intel C lectu fiāt: non interpretentur in malam partem. vel iudicium priuatæ perſonæ, cui non incumbit iudiciū ferre, auctoritate in adminiſtratione Reipublicæ non recepta.

Ad tertium eſt dicendum, quòd omnia illa verba, vt dicit Aug lib. 10. de ſermone Domini in mon. cap. 36. intelligenda ſunt in animi præparatione. vt ſic quilibet ſit paratus in animo: vt antequam charitatem erga Deum, & proximum amittat, quocumq; bono temporali, vel corporali ſit paratus carere: non Ioan. 18. autem ſemper in operis executione. cum ipſe Chriſtus percutienti eum in maxilla, non præbuerit ſibi alteram: ſed dixerit: Si male locutus ſum teſtimoniū perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis.

Ad quartum eſt dicendum, quòd in lege Euan- D gelica quędam præcipiuntur, vt præcepta: quædam vero ſuadentur, vt conſilia. In præceptis ergo non cadit diſpenſatio, niſi modo, quo dictum fuit ſuper. Sed conſilia diſpenſabilia ſunt: eo, quòd ſine eis ſalus hominis haberi poteſt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA IN OMNI lege humana diſpenſare poſſit.

S. Thomas, 1. 2. q. 97. art. 4.

AD quartū ſic proceditͬ. Videtur enim, ꝙ Papa ī omni lege humana diſpenſare nō poſſit. quia lex humana ex lege diuina, & naturali cōpoſita eſt, vt dicit Iuriſconſultus. ſed Papa non poteſt diſpē- L. 1. ſ. Ius gentium. ff. de iuſt. & iure.
B ſare in lege diuina, & naturali (vt ſupra dictum eſt) ergo nec in lege humana.

2 Pręterea: Lex humana regula eſt humanorum actuum. ſed Papa non poteſt diſpenſare, ꝙ homines regulandi ſint ſine regula: ergo in lege humana diſpenſare non poteſt.

3 Præterea: Lex humana iuſta eſt, aliter lex dicenda non eſt, ſecundum Aug. de lib. arb. lib. 1. cap. 5. Tomo. 1. ſed Papa non poteſt diſpenſare in iuſtitia: cum poſſe eius non ſit contra veritatem: ſed pro veritate, vt dicit Apoſtolus 2. Cor. vlt. Ergo nec in humana lege.

4 Pręterea: Papa non poteſt diſpenſare in eo, qđ eſt diuinitus pronunciatum. ſed humanæ leges ſunt per ora Principum diuinitus promulgatę. non cadit ergo in eis diſpenſatio aliqua.

C In Contrarivm eſt, quia quod Principi placet, vigorē legis habet (vt dicit Iuriſconſultus) † Sed ſupremus Princeps vice Dei in toto orbe eſt ipſe Papa. Omnes ergo humanæ leges ab eius voluntate emanant. † l. 1. ff. de conſt. prin.

RESOLVTIO.

Papa in omni lege humana diſpenſare poteſt propter Populi correctionem; propter quæſtionum, negociorumque ſolutionem: & propter Scripturæ ſacræ, fideique defenſionem.

Respondeo, dicendum, quòd poteſtas Papę tanquam capitis vniuerſalis Eccleſiæ ad tria D principaliter ordinatur. Primo, ad totius Populi chriſtiani correctionem, cum delinquit: & gubernationem, cum rectè agit. Eius namque eſt omnem poteſtatem inſtituere, cū bona eſt, & auferre, vel corrigere, cum bona non eſt, vt dicit Hugo lib. 2. de ſacramentis. Secundo, ad omnium quæſtionum, & negociorum ſolutionem, & determinationem. Vnde dicit Auguſtinus ſuper illo verbo. Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorū. quòd Chriſtus vnū ſolum † caput voluit eſſe in tota Eccleſia: ad quod diuerſa membra recurrerent, ſi forte abinuicem diſſentirent. Tertio ad fidei, & ſacræ Scripturæ apertā defenſionem. Vnde Petro, cuius ipſe ſucceſſor eſt, ſpecialiter dictum eſt à Chriſto Lucę 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Propter iſta

part. 2. c. 4.

† Extrauagans Vnā ſanctam. de maior. & obedien.

ergo tria tribus modis poteſt Papa in omni humana lege diſpenſare. Primo propter populi, cui lex datur, correctionem. Dicit enim Aug. lib. 1. de lib. arb. quòd ſi populus ſit bene moderatus, & grauis, communiſque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, merito tali lege honoratur: vt liceat ſibi magiſtratus creare, per quos Reſpublica adminiſtretur. Si vero idē populus poſtmodum paulatim deprauetur, vt corruptus rem priuatam Reipublicæ præferat, atque habeat venale ſuffragium, & ad flagitioſa, atque ſcelerata opera conuertatur, iuſtè tali lege priuatur, & alia lege flagellationis, & caſtigationis gubernatur. Secūdo propter quæſtionum, & negociorum ſolutionem. contingit enim humana negocia multipliciter variari, & propter diuerſitatem humanorum actuū diuerſas, quæſtiones inſurgere: ad quarum terminationem vtile eſt quandoque in lege diſpenſare. cum regula, quæ vni tempori expedit ad determinandum vnum negocium: illo variato alteri tempori non conueniat. Vnde dicit Auguſtinus libro ſupradicto, quòd lex humana quamquam iuſta ſit: commotari tamen per tempora iuſtè poteſt. Tertio propter fidei, & ſacræ Scripturæ defenſionem: Cum enim chriſtiana fides, & lex diuina in ſacra Scripturs explicata, humanæ legi ſubiecta non ſit: ſi in aliqua humana lege, vel conſuetudine inueniantur aliqua ſacræ Scripturę aduerſa, vel libertati eccleſiaſticæ, ſeu chriſtianæ fidei repugnantia, iuſtè poteſt Papa talem legem, vel talem conſuetudinem tollere, & in ea vniuerſaliter diſpenſare. Non enim, vt ait Gre. † Chriſtus dixit: Ego ſum conſuetudo: ſed ego ſum veritas. Et Auguſt. dicit ad Boniſacium † q quicumque legibus Imperatorum, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit magnum præmium.

Tomo 1. cap. 6.

† Auguſt. lib. 4. de baptiſmo contra Donatiſtas c. 5. & 6 habetur in c. ſi conſuetudinem. diſt. 8.

† Epiſtola 50. Tomo 2.

E F G

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd lex naturalis eſt quædam inclinatio humanæ naturę impreſſa, quæ cum ſit aptitudinalis vniuerſalis, non reducitur ad actum, niſi per aliquorum particulariū ſubtractionem, & explicationem, & per aliquorum additionem, ex quibus particularibus additis, & ſubtractis: vel explicatis cōponitur omnis humana lex. Vnde ſicut Papa poteſt diſpenſare in legis naturalis additione, ſubtractione. vel explicatione; ita poteſt diſpenſare in omni humana lege.

AD ſecundum eſt dicendum, q Papa non diſpēſat, vt regulandi ſint ſine regula: ſed diſpenſat, vt illi, qui regulantur aliqua regula, vel aliqua lege vno tempore. vel propter eorum prauitatem, ſeu propter alias cauſas ſupradictas, alio tempore regulentur alia regula, & alia lege.

AD tertium eſt dicendum, q iuſtitia eſt virtus importās reſpectum ad alterum: vt dicitur 5. Ethic. Vnde propter uariationem illorum, quorum reſpectum importat, variationem recipit, & per conſequens lex humana quamquam iuſta ſit, iuſtè tamen per tempora mutari poteſt, vt dicit Aug.

Ariſt. 5. Eth. cap. 1.

† Loco ſupracitato

AD quartum eſt dicendum, q eo modo leges humanæ per ora Principum ſunt diuinitus promulgatæ: quo modo, omne verum à quocumque dicatur à Spiritu ſancto eſt, vt dicit Ambro. Vnde ſicut Papa præeſt toti mundo auctoritate Dei, ita auctoritate Dei diſpenſat in omnibus.

In Epiſt. 1. ad Co. c. 12

H

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in Epiſtolis. D. Pauli.

Citati in articulo tertio huius quæſtionis.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, q Papa poſſit diſpēſare in Epiſto. Pauli. Dicit enim Richardus in lib. de contemplatione par. 1, cap. 81. quòd ſuſpecta debet haberi omnis ueritas, quam non confirmat Euangelica, vel Prophetica auctoritas. ſed de confirmatione Epiſtolarum Pauli, nec Prophetica, nec Euangelica auctoritas aliquid tractat. Cadit ergo in eis diſpenſatio.

2 Præterea: Petrus fuit maior Paulo, & omnibus Apoſtolis, poteſtate iuriſdictionis, ſed diſpenſare in doctrina alicuius, quid tenendum, & quid non tenēdum ſit, pertinet ad iuriſdictionis poteſtatem. Ergo in omnibus dictis, & factis Pauli, & aliorum Apoſtolorum Papa ſucceſſor Petri poteſt diſpenſare.

3 Præterea: Epiſtolæ Pauli recipiūtur auctoritate Chriſti. quia ipſe prætitulat ſe in omnibus Apoſtolū Ieſu Chriſti, præter ad Hebræ. quæ à multis non recipiebatur, ſolū quia tali titulo pretitulata non erat. Sed Manichæus ſic prætitulauit ſe, vt Dicit Auguſtinus contra Epiſtolam Fundamenti. Manichæus Apoſtolus Ieſu Chriſti prouidentia Dei Patris. hæc ſunt ſaluberrima verba de perenni, ac viuo fonte. Qua ratione ergo Eccleſia non credidit Epiſtolis illius: pari ratione poſſet non credere Epiſtolis iſtius.

Cap 5. Tomo 6.

4 Præterea: Augu. dicit contra Epiſtolam Fundamenti c. 5. Ego non crederem euangelio, niſi me catolicæ Eccleſiæ commoueret auctoritas. Si ergo maior eſt auctoritas Eccleſię, quàm euangelij, multo fortius eſt maior, quàm Epiſtolarum Pauli. ergo Papa, qui eſt caput Eccleſiæ, poteſt in eis Epiſt. diſpenſare.

5 Præterea: In epiſtolis Pauli continetur eius prędicatio. ſed in tali prædicatione auctoritate Petri, & aliorum Apoſtolorum diſpenſatum eſt, vt eſſet primus in prædicatione Populi gentilis, ſicut Petrus in prædicatione Populi iudaici, iuxta illud Gal. 2. Iacobus, & Cephas, & Ioannes, qui videbantur colūnæ eſſe, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis.

6 Præterea: Scribitur 16. dict. cap. Canones. Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, nec ſedes Apoſtolica recipit, nec ſancti Patres illis conſenſum præbuerunt. Si ergo Canones aliorum Apoſtolorum auctoritate Apoſtolica reiecti ſunt: Eodem modo auctoritate Papæ Epiſtolæ Pauli reijci poſſunt.

IN CONTRARIVM eſt: quia in Epiſtolis Pauli

Pauli principaliter tria continentur. Primo eius cõuerſatio. Secundo peccatorum condonatio. Tertio eius prædicatio. Sed omnia iſta tria non niſi Chriſti auctoritate roborata ſunt: Nam de eius conuerſatione, vel exhortatione ſcriptum eſt ad Roma. 15. Non audeo aliquid loqui eorũ, quæ per me nõ efficit Chriſtus. De peccatorũ vero cõdonatione ſcriptum eſt 2. Co. 2. Ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos, in perſona Chriſti donaui. Sed de eius prædicatione ſcriptum eſt. 2. Co. vltimo: An experimentũ quæritis eius, q in me loquitur Chriſtus. Sed planũ eſt, ꝙ Papa nõ põt diſpẽſare in illis, quę Chriſti auctoritate roborata, & confirmata ſunt. Non ergo in Epiſtolis Pauli.

2 Præterea: Si Papa in Epiſtolis Pauli diſpenſaret, non faceret hoc niſi de Prælatorum, & Doctorum Eccleſię diſputatione, & inquiſitione. Sed Aug. dicit (Epiſt. 19. Tomo 2.) in quadam Epiſtola ad Hieronymum, Magis credendum eſſe Apoſtolo Paulo in ſuis, & per ſuas litteras (Gal. 1.) iuranti: Quæ autem ſcribo vobis, ecce coram Deo, non mentior; quàm cuicumque doctiſſimo doctori de alienis litteris diſputanti.

RESOLVTIO.

Papa ſicut in Chriſti doctrina diſpenſare nõ poteſt: ita nec in Pauli doctrina, quam ipſe per reuelationem Chriſti accepit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ doctrina Epiſtolarum Pauli tria habet. Primo namque fuit à Chriſto immediatè reuelata. Sic enim ſcribitur ad Gal. 1. Notum vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum eſt à me: quia non eſt ſecundũ hominem: neque ego ab homine accepi illud: ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Secundo eius adminiſtratio fuit ſibi immediatè à Chriſto delegata. Sic enim ipſe ſcribit 2. Cor. 5. Pro Chriſto enim legatione fungimur, tamquam ex eo exhortante per nos. Ad Gal. 2. dicit: Illi, qui videbantur eſſe aliquid, & columnæ apud vos, nihil mihi contulerunt. Sicut enim Chriſtus non ita alligauit virtutem ſuam ſacramentis, ꝙ ſine eis non poſſet aliquos ſaluare: ita nõ ſic ſuppoſuit auctoritatem ſuam clauibus datis Petro, ꝙ ſine eis non poſſet aliquos ad euangelizandũ deſtinare. Tertio fuit à Petro, cuius Papa ſucceſſor eſt, immediate confirmata, & approbata. ſic enim ipſe ſcribit 2. ſua Canonica c. vltimo: In veritate, & in pace Domini noſtri Ieſu Chriſti ſalutẽ arbitramini, ſicut chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut in omnibus epiſtolis ſuis, loquens in eis, de quibus, & in quibus ſunt quędam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles deprauant: ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuã ipſorum damnationem. Propter iſta ergo tria, præſumptuoſum eſſe puto dicere, Papam in Epiſtolis Pauli poſſe diſpenſare, ſicut præſumptuoſum eſſet dicere, ꝙ poſſet diſpenſare in doctrina Chriſti, niſi accipiatur diſpenſatio pro aliquorum occultorum, vel dubiorum interpretatione, ſeu explicatione: quia Papæ eſt, occulta in ſacra Scriptura explicare, & dubia interpretari, modo, quo ipſe Apoſtolus dicit ad Eph. 3. Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in Gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias gratiæ Chriſti: & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd iſtam obiectionem ſoluit Aug. contra Epiſtolam fundamẽti c. 5. dicens, ꝙ nec de vocatione Mathiæ, qui ſucceſſit in loco traditoris Chriſti. in Euangelio habetur aliud: ſed ſolum in Actibus Apoſtolorum, cui libro neceſſe eſt nos credere, ſicut credimus euangelio: quia vtramque ſcripturam ſimiliter nobis catholica commẽdat auctoritas. In eodem etiam libro de vocatione, atque Apoſtolatu Pauli vigilantiſſimam * tenemus hiſtoriam. (Tomo 6. Act. 1. Act. 8. * al. ſortem)

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ Petrus fuit maior Paulo in poteſtate iuriſdictionis ab eo immediate ordinata: ſed non in poteſtate iuriſdictionis, immediate à Chriſto in Paulum, & in alios Apoſtolos deriuata, & delegata.

AD tertium eſt dicendum, quòd Apoſtolatum Manichæi non inuenimus eſſe factum per diuinam reuelationem, ſicut apoſtolatum Pauli. & ideo illum credimus eſſe mentitum ſcribentem ſe Apoſtolũ Ieſu Chriſti. Paulum autem credimus mentiri non potuiſſe. Dicit enim Auguſt. 20. de ciui. Dei cap. 1. Nullum exiſtimo eſſe mortalium, qui cum ea, quæ fides tenet, ſicut dicta ſunt, intellexerit: & à ſummo, ac vero Deo per animas ſanctas dictas eſſe crediderit: non cedat,* atque conſentiat. (Tomo 5. * al. credat)

AD quartum eſt dicendum, ꝙ Eccleſię auctoritas magna eſt: quia innititur reuelationi, & auctoritati diuinæ: nec aliter Euangelium credimus eſſe verum, niſi quia à Deo reuelatum, & per Chriſtum prædicatum. vnde dicit Aug. contra Epiſtolam fundamenti cap. 4. ꝙ præcipue quinque clariſſima vincula rationabiliter tenent hominem credentem in catholica Eccleſia. Primum eſt, reuelantis ſapientiæ veritas. Secundum eſt, populorum vnitas. Tertium eſt, Apoſtolorum auctoritas. Quartum eſt, ſummorum Pontificum à Petro vſque in præſentem diem ſucceſſorum continuitas. Quintum eſt, fidei vniuerſalitas. nulla enim fides catholica vocatur, & vniuerſalis, ſicut fides chriſtiana. (Tomo 6.)

AD quintum eſt dicendum, quòd illud verbum non intelligitur quantum ad prędicandi iuriſdictionem, ꝙ Petri auctoritate Paulus predicaret. Nam tribus annis prædicauit antequam videret Petrum, vt ipſe dicit Gal. 1. ſed intelligitur, quantum ad ſubditorum diuiſionem, vt Petrus, qui præpollebat miraculis, prædicaret Iudæis: & Paulus Philoſophis gentilibus, eo quòd iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt, vt dicitur 1. Cor. 1.

AD ſextum eſt dicendum, ꝙ illud verbũ, Canones Apoſtolorum non eſſe recipiendos, intelligitur de illis, qui ab hæreticis, & pſeudo Apoſtolis ſub nomine verorum Apoſtolorum compoſiti erant: non autem de illis, qui à veris Apoſtolis editi ſunt.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA DISPENſare poſsit in dictis Doctorum, qui per Eccleſiam approbati ſunt.

Turrecrem. in cap. Sicut ſancti. 15. diſt. & Albertinus tract. de agnoſ. aſſert. q. 30. nu. 47.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa in dictis Doctorum, qui per Eccleſiã approbati ſunt, diſpenſare non poſſit: quia in illis, quæ ſunt per Eccleſiam confirmata, non cadit diſpenſatio: ſed opuſcula Beatorum Auguſt. Grego. Ambro. & Hiero. & multorum aliorum Doctorum approbata ſunt per Eccleſiam, ſicut patet 15. diſt. cap. Sancta Romana. Ergo in eis non cadit diſpenſatio.

Cap. 1. de reliq. & venerat Sanct. lib. 6.

2 Præterea: Scribitur extra de Reliq. & vene. Sanctorum: quòd feſta illorum quatuor Doctorum ſupra poſitorum eodem honore venerentur, ſicut feſtá Apoſtolorum. Ergo eodem modo eorum dicta tenenda ſunt, ſicut dicta Apoſtolorum. Ergo nõ ſunt diſpenſabilia.

3 Præterea: Inferiores non poſſunt diſpenſare ſuper dicta maiorum. Sed Hiero. dicit in lib. de 12. lectoribus: quòd Aug. Epiſcopus volauit ſuper cacumina montium quaſi aquila, & ea, quæ in montium radicibus ſiunt, non conſiderans, multa cœlorum ſpacia, terrarumque ſitus, & aquarum circulũ claro ſermone pronunciauit: aſcendens in fructuoſum lignum, maiora, & ſuperiora poma carpere feſtinauit: proximos autem ramos nobis paruulis reliquit.

IN CONTRARIVM eſt. quia eius eſt diſpenſare, cuius eſt approbare. Sed Eccleſiæ auctoritate Doctorum dicta ſunt approbata. Ergo eius auctoritate poſſunt eſſe diſpenſata.

RESOLVTIO.

Doctorum Scriptura ſacra dicta diſpẽſabilia ſunt, diuina lectione, ratione inconcuſſa, & Eccleſia determinatione.

Tomo 3.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſt. in Prologo 3. lib. de Trin. tribus modis in dictis eius, & aliorum doctorum exponentium ſacram Scripturam diſpenſatio, correctio, & emendatio eſt diligenda. Primo diuina lectione. Secundo inconcuſſa ratione. Tertio Eccleſiæ determinatione. Cum enim ſit maior ſacræ Scripturę auctoritas, quàm ſit omnis humani ingenij perſpicacitas: vt idẽ Auguſt. ait. Quando dicta aliquorum doctorum inueniuntur ſacræ Scripturæ auctoritate roborata, & aliquorum non: merito illa præponuntur iſtis. quia ſuſpecta debet haberi omnis veritas, quam non confirmat ſacræ Scripturæ auctoritas, vt Ricardus de E contempl. cap. 81. dicit. Et Auguſt. in quadam Epiſtola † ad Hieronymum, hunc honorem, & hunc timorem dicit eſſe deferendum canonicæ ſcripturæ, vt nullum eorum, qui ſacram Scripturam compoſuerunt, vel ſcripſerunt, ſcribendo erraſſe, credẽdum ſit. Sed ſi aliquid in ea inueniatur, quod veritati videatur eſſe contrarium, nihil aliud putandum eſt, quàm mendoſum eſſe codicem, vel non eſſe aſſecutum interpretem quod dictum eſt: vel nos minimè intellexiſſe ambigamus. Alios autem ſcriptores, & expoſitores (vt ait) ita debemus legere, vt quantacumque auctoritate, vel ſanctitate polleant, non ideo putemus verum eſſe, quia ipſi ita ſenſerunt: ſed quia mihi per alios Auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quòd à vero non receſſerint, perſuadere potuerunt.

Epiſtol. 19. Et refertur in cap. Ego ſolis. d. 9.

F De ſecundo vero modo diſpenſandi per incõcuſſam rationem ſic loquitur Auguſtinus in Prologo 3. lib. de Trin. In omnibus litteris meis non ſolũ pium lectorem, ſed & liberum correctorem deſidero. Veruntamen ſicut lectorem meũ nolo ſic eſſe mihi deditum: vt amplius amet me, quàm catholicam fidem: ſic meum correctorem nolo ſibi ſic eſſe deditum, vt amplius amet ſe, & ſuam rationem, quàm catholicam veritatem, & poſtea ſubditur illud, quod ponitur 9. diſt. Noli meis litteris, quaſi canonicis ſcripturis inſeruire: ſed in illis canonicis quæcumq. nõ credebas, cum inueneris, incunctanter crede. In iſtis autem meis quod certum habebas, niſi certum intellexeris: noli firmè tenere.

Tomo 3.

Sed de tertio modo diſpenſandi loquitur Auguſt. G in lib. de vera Relig. cap. 10. Vbi ait: quòd falſa ſemper ſunt reſpuenda in omnibus Scriptoribus, vel expoſitoribus; vera ſemper tenenda, & catholicæ Eccleſiæ tribuenda: dubia tamdiu credenda, quamdiu aliud non præcipiat catholicæ Eccleſiæ auctoritas. Diſpẽſabilia ergo ſunt dicta Doctorum ſacrę Scripturæ diuina lectione, inconcuſſa ratione, & Eccleſiæ determinatione.

Tomo 1.

Ad argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in illis, quæ ſunt approbata per Eccleſiam, non cadit diſpenſatio auctoritate priuatæ perſonę: vnde nullus propria opinione debet Doctorum dicta impugnare, ſed H cum omni reuerentia exponere, & recitare: auctoritate tamen Papæ, qui eſt caput Eccleſiæ, poteſt in omnibus expoſitoribus ſacræ Scripturæ diſpenſatio fieri, quid tenendum ſit de expoſitionibus eorum, & quid non.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd illi Doctores eodem honore ſunt honorandi: ſicut Apoſtoli in his, quæ eodem ſpiritu ſcripſerunt, & in his, quæ ab Apoſtolorum dictis non diſcordauerunt. Sed ſi quãdoque inuenta ſunt, vel nunc inuenirentur in eorum libris aliqua difformia à dictis Apoſtolorũ in catholicæ fidei veritate, in talibus nec eorum dicta eſſent tenenda, nec quantum ad hoc, eodem honore honoranda.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ propter volatum Augu-

In Prolo. 3. de Trinit. Tomo 3. Auguſtini ſuper alios Doctores non plus firmitatis, & auctoritatis debemus tribuere ſuis, & aliorum doctorum dictis, quàm ipſemet tribuat: vnde cum ipſe ſolum Scriptoribus canonicæ Scripturę tribuat infallibilem auctoritatem: omnibus autem alijs, non niſi propter eius ſacræ Scripturæ firmitatem, & Eccleſiæ approbationem, vel inconcuſſam rationem: ideo alia firmitas, vel auctoritas ſibi tribuenda nō eſt.

ARTICVLVS VII.

VTRVM PAPA IN CAnone prædeceſſorum ſummorum Pontificum diſpenſare poſſit.

S. Thom. quodlibeto 4. art. 13. Et Turrecremata in cap. Sicut ſancti. 15. diſt.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in Canone prædeceſſorum ſummorū Pontificum diſpenſare non poteſt. Quia in illis Papa non poteſt diſpenſare, quorum tranſgreſſores punit. Sed ſcribitur 20. diſtin. c. Si decreta, Auctoritate Papæ Nicolai. Si decreta Romanorum Pontificum non habetis; de negligentia, atque incuria eſtis arguendi. Si vero habetis, & non obſeruatis, de temeritate eſtis corripiendi, & increpandi.

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare in blaſphemantibus Spiritum ſanctum. Sed ſcribitur 25. q. 1. cap. Violatores. Quòd violatores ſacrorum canonum Spiritum Sanctum blaſphemant. Non cadit ergo in talibus diſpenſatio.

3 Præterea: Papa non poteſt diſpēſare in eo, quod ipſe profitetur ſe per omnia ſeruare. Sed ſcribitur cauſa, & quæſtione ſupradicta cap. Satagendum, ꝙ profitetur Pelagius Papa Tomum ſui prædeceſſoris ſe per omnia ſeruare: & anathemati ſuppoſuit non obſeruantem.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Iſido. & ponitur 29. diſtin. cap. Sciendum. Quòd ex cauſa, tempore, loco, & perſona regulæ canonum intelliguntur ſeruandæ.

RESOLVTIO.

Summorum Pontificum canones diſpenſationē admittunt, quātum ad eorum mutationem, temporumq. diuerſitatem: quantum ad eorum explicationem, atq; additionem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ canones ſummorum Pontificum tribus modis diſpenſationem recipiunt.

Primo, quātum ad eorum mutationem. quia pro locorum, temporum, & negociorum diuerſitate per Papam mutari poſſunt. Sic enim ſcribitur 29. diſt. cap. Neceſſe. Neceſſe eſt, vt iuxta diuerſitatem loco-

A rum, & hominum, & temporum, quibus diuerſæ ſcripturæ factæ ſunt, diuerſas cauſas, & argumenta originem habeant.

Secundo, quantum ad eorum additionem, vel multiplicationem. Sic enim ſcribitur 25. q. 1. c. Ideo. §. His ita reſpondetur, ꝙ ſicut Chriſtus docebat tāquam poteſtatem habens, & tamquam dominus legis, addens moralibus ea, quæ deerant ad perfectionem: vmbras vero figuralium in lucem ſpiritualis intelligentiæ commutans, ſic ſedis Apoſtolicæ Pontifices canonibus à ſe, vel ab alijs ſua auctoritate conditis, reuerentiam exhibent: nonnumquam tamen aliter diffiniendo, vel decernendo, ſeu aliter agendo, ſe decretorum dominos, & conditores oſtendunt.

Tertio, quantum ad eorum interpretationem, &
B explicationem. Sicut enim ſcribitur cauſa, & quæſtione ſupradicta: Sacri ſiquidem canones ita aliquid cōſtituunt, vt ſuæ interpretationis auctoritatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruent. quia illi ſoli canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ lex ſeruāda eſt, quamdiu per legis conditorem non fit alia innouatio, vel alia interpretatio. quāuis enim antequā lex ponatur, vnicuiq; liceret aliter ſentire: poſtquàm tamen poſita eſt, ſecundum illam eſt agendum, & nō aliter ſentiendum, vt dicit Aug. de vera Relig. c. 31. Tomo 1.
Papa ergo per illa verba non imponit neceſſitatē ſibi,
C quia ſic ipſe canonibus auctoritatem præſtat, vt ſeipſum non ſubijciat † eis, ſed imponit neceſſitatē ſuis ſubditis: qui canones ab eo editos, vel per eū approbatos tenentur habere, & reuerenter obſeruare. † S. Thom. 1. 2 q6. 96. art. 5.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Eccleſia eſt congregata glutino amoris Spiritus ſancti. Dicit enim Chryſoſtomus in libello de laudibus Pauli Hom. 1. ꝙ non bitumine, & pice, ſed Spiritu ſancto tabulæ Eccleſiæ ſunt perunctæ. Vnde articulus fidei ponitur: Turrecrem. in ſum. de Eccl. lib. 1. cap. 20.
Credere in vnam ſanctam catholicam, & Apoſtolicā Eccleſiam: reſiſtere ergo auſu temerario canonibus ſummorum Pontificum, eſt Spiritum ſanctum blaſphemare. non tamen Papa propter hoc neceſſitatem ſibi imponit: quia ita ipſe auctoritate Spiritus ſancti canonibus firmitatem impartitur, quòd non eis alligatur.

D AD tertium eſt dicendum, ꝙ tomus dicitur charta inuoluta, in qua ſcribuntur ea, quæ ad fidem pertinent. talem ergo tomū ſui prædeceſſoris Papa profitetur, ſe per omnia ſeruare: quia ſi in talibus, quæ ad fidem pertinent, Papa diſpenſaret; non monſtraret ſe eſſe fidei conſtructorem: ſed deſtructorem. Sic enim ſcribit Gregor. 25. q6. 1. Felici Epiſcopo:
Si illa deſtruerem, quæ Anteceſſores noſtri ſtatuerunt; non conſtructor:
ſed euerſor eſſe iuſtitiæ
comprobarer.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA IN CAnone Conciliorum Sanctorum Patrũ diſpenſare poſsit.

Pleniſsimè Turrecremata in cap. Sicut ſancti. 15. diſt.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in Canone Conciliorum Sanctorum Patrũ diſpenſare unn poſſit: qnia Papa nnn poteſt diſpenſare in illis, quorum auctoritate priuatus eſt. Sed ſcribitur 25. q. 1. c. Contra. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huiuſmodi quidem Sedis *ideſt Apoſtolicę* poteſt auctoritas..

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare in ſtatu communi totius Eccleſiæ. Sed ſcribitur cauſa, & quæſtinne ſupradicta, cap. Ideo. Si prn ſtatu omnium Eccleſiarũ neceſſe eſt impigrn vigilare affectu, oportet primam ſedem ſtatuta Cõciliorum præ omnibus ſeruare.

3 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare in illis, quorum ignorãtia excludit hominem à communione altaris: ſed Greg. † dicit, & ponitur cauſa, & quæſtinne ſupradicta c. Hac conſona. Hac conſona ſanctis Patribus diffinitione ſancimus, vt qui ſacris nbedire canonibus neſcit: nec ſacris miniſtrare altaribus, nec communionem capere ſit dignus.

† Epiſto. 7. ſeu cap. 46. lib. 2. ad Ioannem Epiſcopum.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 29. diſt. cap. Regulæ, auctoritate Greg pro varietate rerum, locorum, & temporum regulæ ſanctorum Patrum temperantur.

RESOLVTIO.

Conciliorum Decreta quantum ad ſtatus fidelium ordinationem diſpenſabilia ſunt: ſed quantum ad fidei catholicę ſpectantia, non item.

RESPONDEO, dicendnm, quòd ſolutio iſtius quæſtionis ponitur 25. q. 1. cap. Sunt quidam. Vbi Vrbanus Papa ſic ait: Sunt quidam dicentes, Romano Pontifici ſemper licuiſſe nouas condere leges, quòd nos non ſolum non negamus, ſed valde affirmamus. Sciendum tamen eſt (vt ibi ſubditur) quòd inde nouas leges condere poteſt, vnde Euangeliſtæ aliquid nequaquam dixerũt. vbi verò aperte Dominus, vel eius Apoſtoli, & ſancti Patres eos ſequentes ſententialiter aliquid diffiuierunt: ibi nou nouam legẽ Romanus Pontifex dare: ſed potius quod prædicatum eſt vſque ad animam, & ſanguinem confirmare

E debet. Et cauſa ibi ſubditur: Quia, ſi quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ, deſtruere niteretur: non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur. Vnde cum quatuor Concilia, ſicut quatuor Euangelia per Eccleſiam comprobata ſint, vt patet 15. diſtinctione, cap. Sicut. Puto, quod in illis non cadit diſpẽſatio, potiſſimè, quia in illis ſancti Patres ſententiauerunt de quatuor ſpecialiter, quæ ad fidei integritatem ſpectant. Primo, de veritate articulorum. Secundo, de veritate ſacramentorum. Tertio, de extirpatione errorum. Et quarto, de obſeruatinne præceptorum. Determinata ergo in Concilijs poſſunt ſe habere in duplici genere: quia, vel pertinent ad fidei catholicæ explicationem: vel ad ſtatus fidelium, pro illo tempore currentis ordinationem, & diſpenſationem. In primis non cadit diſpenſatio: ſed in ſecun-

Concilia 4. ſicut 4. Euãgelia.

F dis ſic.

Ad argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illud decretum intelligitur de neceſſitate. Et ſic verum eſt, ꝙ Papa priuatur poteſtate diſpenſandi in his, quę ad fidei integritatem ſpectant. In talibus enim non ſe extendit eius poſſe: quia non poteſt contra veritatẽ, ſed pro veritate. Vel intelligitur de humilitate, quia ſicut Chriſtus ſacramenta, quæ Eccleſiæ mandauit, ſic ſeruanda primum ſuſcepit, vt ea in ſeipſo ſanctificaret: ſic Papa obſeruare debet, quæ decernendo alijs mandat: non neceſſitate † nbſequendi, ſed auctoritate, & humilitate impartiendi.

† S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5.

G AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut ſcribitur in Canonica Iacobi cap. 4. In omnibus ſtatutis, & humanis actibus ſubintelligitur ſemper diuina voluntas, vt dicamus ſemper: Si dominus voluerit: & ſi domino placuerit, ſic faciemus. Eodem modo, in ſtatutis, & Concilijs Patrũ ſemper intelligitur, ſalua auctoritate, & voluntate Sedis Apoſtolicæ. Vnde in nõnullis capitulis Conciliorum cum aliud obſeruãdum decernitur, ſtatim ſubinfertur, niſi auctoritas Romanæ Eccleſiæ aliter imperauerit, vel ſalua tamen in omnibus Apoſtolica auctoritate.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ dictum Greg. intelligitur vel de ignorantia iuris: quæ non excuſat illos, qui canones ſcire tenentur, à culpa, vel à pœna: vel intelligitur de ignorantia contẽ

H ptus. tales enim ſcientes canones cõtemnendo tamen, ſcire ſe diſſimulantes, digni ſunt pœna, quæ ibi ponitur.

QVAEST. LXI. DE DISPENSATIONE PER EXEMPTIONEM.

NVNC cõſiderandum eſt de his, quę annectuntur diſpenſationi, quæ ſunt Quindecim.
Primo diſpenſat quandoque Papa per exemptionem.
Secundo per abſolutionem.
Tertio per ligationem.
Quarto per prædicationem.
Quinto per confeſſionem.
Sexto per Priuilegiorum largitionem.
Septimo per interpretationem, vel declarationem.
Octauo per beneficiorum collationem.
Nono per officij adminiſtrationem.
Decimo per translationem.
Vndecimo per ordinationem.
Duodecimo per prouiſionem.
Tertiodecimo per conceſſionem.
Quartodecimo per commiſſionem.
Quintodecimo per conſeruationem.

Circa primum quæruntur ſex.

PRIMO, *Vtrum Papa poſſit in Eccleſia exemptionem facere.*
Secundo, Vtrum Papa poſſit aliquos à ſeipſo eximere in ſpiritualibus.
Tertio, Vtrum Papa poſſit aliquos à ſeipſo eximere in temporalibus.
Quarto, Vtrum Papa debeat in Eccleſia exemptionẽ facere, vel magis eam tollere.
Quinto, Vtrum Papa debeat aliqua collegia eximere à iuriſdictione Epiſcoporum.
Sexto, Vtrum Papa debeat aliquos Religioſos eximere à iuriſdictione omnium Prælatorum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT exemptionem facere in Eccleſia.

Iacobatius in tract. de Conc. lib. 7. ar. 5. circa mediũ verſ. Ad idem. pag. 474. Panormitanus, & alij in c. Cum inſtantia de cenſibus.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit exemptionem facere in Eccleſia. Papa enim non poteſt immutare curſum naturalem rei: ſed naturale eſt, ſecundum Philoſophum, quòd agente appropinquante paſſo diſpoſito, vnum agat, & reliquum pa- (Ariſt. 9. Metaph. tex. c. 10.)

A tiatur. naturale eſt ergo, ꝙ Diœceſano exiſtente in debita diſtantia ad præcipiendum, & ſubditis ad obediendum, ꝙ ille præcipiat, & illi obediant. Talem ergo naturæ curſum Papa immutare non poteſt.

2 Præterea: Papa debet in ſua actione Deum imitari. ſed Aug. 7. de Ciui. Dei. cap. 30. Dicit, quòd Deus ſic adminiſtrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipſa proprios exercere, & agere motus, ſinat. (Tomo 5.)

3 Præterea: Papa non poteſt facere, ꝙ res propria virtute, & propria operatione priuetur, ſicut Deus non facit, ꝙ res ab eo creatæ fruſtrentur propria virtute, & propria operatione. Sic enim ſcribitur Sap. 14. Tua (Pater) omnia gubernat prouidẽtia, & potẽs
B es, vt ſine remo, vel naui quis adeat mare; ſed vt non eſſent ſuperuacua opera ſapientiæ tuæ, exiguo ligno credunt homines animas ſuas ſaluare. Papa ergo nõ poterit eximere ſubditos ab obedientia ſuorum Prælatorum: quia ſic priuarentur eorum virtute & operatione.

IN CONTRARIVM eſt: quia Moyſes in veteri lege geſſit figuram ſummi Pontificis. ſed de eo ſcribitur Exodi 18. Quia minora ſenioribus Iſrael committebat: maiora vero ſuo iudicio reſeruabat. ſic Papa maiora collegia, & maiores perſonas de Eccleſia ſuæ viſitationi, & correctioni immediatè reſeruare poteſt.
C

RESOLVTIO.

Papa cum ſit Dei Vicarius, & totius Eccleſiæ caput, exemptionem in Eccleſia facere poteſt. Eccleſia enim aſſimilatur Hierarchię cœleſti, in qua ſupremi ſunt exempti: cum illuminationes, mediantibus alijs, non recipiant, ſed per ſe ipſos.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ in exemptione tria poſſumus conſiderare. Primo, ipſum Papam eximentem. Secundo perſonas exemptas. Ter-
D tio, ipſam exemptionem. Ex quorum quolibet patere poteſt, quòd Papa in Eccleſia poteſt exemptionẽ facere, quam vult. Eſt enim ipſe Papa Dei filij Vicarius. Sicut ergo quod Deus facit mediantibus creaturis, tamquam mediantibus ſecundis cauſis, totũ poteſt facere immediatè per ſeipſum: ita Papa ſaltem quantum ad poteſtatem iuriſdictionis, ſicut omnes fideles regit, mediantibus miniſtris Eccleſię; ita poteſt omnes immediatè per ſeipſum regere. & ſi hoc non facit, non eſt ex defectu virtutis, & potentiæ (cum miniſtri non regant niſi ex virtute eius) ſed magis hoc eſt ex communicatione eius bonitatis, & clementiæ. Secundo hoc patet ex parte ipſorum exemptorum.

ſic

ſic enim debet eſſe (ſicut Dionyſius dicit) in Eccleſiaſtica hierarchia, ſicut eſt in hierarchia cœleſti: ſed in cœleſti hierarchia ſic eſt, quòd Angeli de ſuprema hierarchia exempti ſunt: quia non recipiunt diuinas illuminationes, mediantibus alijs, ſed immediatè per ſeipſos, & per eos ad omnes inferiores deriuantur. Sic in Eccleſiaſtica hierarchia aliqui debent eſſe exempti, immediatè recipientes illuminationem, & correctionem à Summo Pontifice, & per eos ad alios inferiores prædicta ſunt deriuanda. Tertio, iſtud patet ex parte ipſius exemptionis. Cum enim Papa ſit caput totius Eccleſiæ, non debet ipſe priuari operatione hierarchica, quæ eſt viſitatio, & correctio, vt ipſe aliquos immediatè ſupponat ſuæ correctioni, & ſuæ viſitationi. Et hoc propriè ſonat exemptio, ſubtrahi à correctione, & viſitatione inferiorum Prælatorum, & ſupponi immediatè correctioni, & viſitationi ſummi Pontificis.

Cap. 1.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ agente appropinquante paſſo diſpoſito, vnum agit, & reliquum patitur, niſi paſſum ſubtrahatur agenti inferiori per actionem ſuperioris agentis: & maximè quando nullũ paſſum determinatur agenti inferiori, niſi per ſuperioris prouidentiam. Planum eſt autẽ, quòd omnibus inferioribus Prælatis de Eccleſia, ſubditi diuiduntur, & determinantur per poteſtatem iuriſdictionis Papæ. Vnde, ſicut ad eum ſpectat ſubditorum aſſignatio, vel determinatio: ita ad eũ pertinet eorum ſubtractio, vel exemptio.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ motus poteſt ineſſe rei dupliciter. Vel ex ſuæ proprietate naturæ: vel ex ſuperioris agentis poteſtate. Deus ergo omnes res ſinit agere, & exercere proprios motus conuenientes eis, ex eorum naturæ proprietate: ſed in motibus conuenientibus eis, ex ſuperiorum agentiũ poteſtate, in eorum arbitrio relinquit proprios motus ponere, & ſubtrahere. Cum igitur habere tot, vel tales ſubditos, non cõueniat alicui Prælato de Eccleſia, niſi ex poteſtate clauium conceſſarum Petro: cuius Papa ſucceſſor exiſtit, in eius poteſtate eſt ſubditos ipſis Prælatis aſſignare, & eos ab eorũ poteſtate eximere.

Et per hoc patet ſolutio ad Tertium.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT eximere aliquos à ſeipſo in ſpiritualibus.

Faciunt tradita per Doctores in ſuperiori articulo citatos, & per gloſ. in cap. Cum venerabilis, in verbo: cauſa de cenſibus. Et Aluar. lib. 1. de Planctu Eccleſ. cap. 68.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit eximere aliquos à ſeipſo in ſpiritualibus: Quia, quod eſt immediatè à Deo conceſſum, à Papa non poteſt tolli: ſed poteſtas ſpiritualis immediatè eſt à Chriſto omnibus Epiſcopis, & Sacerdotibus conceſſa. In tali

E ergo poteſtate ſunt exempti, vt non ſubijciantur alicui niſi Chriſto.

2 Præterea: Papa non poteſt iniuriam facere alijs, ſicut non poteſt facere iniuſtitiam. Ita enim ſcribitur 25. q. 2. c. De eccleſiaſticis. Sicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſijs ſua iura ſeruamus. Sed iniuſtitia eſſet, quòd quilibet immediatè non exequeretur poteſtatem à Chriſto receptam, quod contingit fieri per exemptionem.

3 Præterea: Apoſtoli fuerunt exempti in poteſtate ſpirituali à Petro. ſicut patet de Paulo, & alijs Apoſtolis. Nam Paulus prædicauit, & baptizauit ante, quã videret Petrum. Ergo eodem modo Epiſcopi, qui locum Apoſtolorum tenent in Eccleſia, ſunt exempti à Papa.

F IN CONTRARIVM eſt. quia omnis poteſtas ſpiritualis includitur in poteſtate clauium, quæ non niſi Petro eſt conceſſa: vt patet Matth. 16. In tali ergo poteſtate nullus poteſt eſſe exẽptus à Papa.

RESOLVTIO.

Papa ſicut negare non poteſt, ſe poteſtatem clauiũ non habere; ita Eccleſię membra à ſe ipſo in ſpiritualibus eximere non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ poteſtas ſpiritualis eſt illa, qua peccata remittuntur, quorum remiſſio ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſecundum ordinem à Chriſto inſtitutum; tribus modis in Eccleſia fit. G Primo, mediante capitis Eccleſiæ officio, per indulgentiarum, & ſuffragiorum communicationem. Secundo mediante ſacramento, per eius adminiſtrationem, & diſpenſationem. Tertio mediante miniſtro, per eius doctrinæ illuminationem. Planum eſt autem, quòd iſta tria exerceri non poſſunt in Eccleſia, niſi auctoritate Papæ. Nam poteſtate clauiũ fit indulgentiarum, & ſuffragiorum communicatio. Fit ſacramentorum adminiſtratio: & fit ſacræ Scripturæ prædicatio, & illuminatio. Sicut ergo Papa nõ poſſet negare ſe non habere poteſtatem clauium ſuper iſtis tribus, ex quo Papa eſt ſucceſſor Petri: ita non poſſet aliqua membra de Eccleſia eximere † à ſeipſo in poteſtate ſpirituali, quæ in iſtis tribus conſiſtit.

† Confert glo. in Clemen. 2. de relig. dom. verbo Sedis Apoſtolicę.

H

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ poteſtas ordinis eſt immediatè à Chriſto conceſſa, & in ea omnes exempti ſunt, poſtquam eam recipiunt, ut non poſſit ab eis auferri: ſed nec in eius receptione, nec in eius executione, aliquis poteſt eſſe exemptus, cum non niſi poteſtate clauium fiat eius receptio, & eius executio.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd executio poteſtatis ſpiritualis non cõceditur alicui ad vtilitatem eius, ſed ad vtilitatem ſubditorum, ſuper quibus executio recipitur. Vnde nulla iniuria fit ei, nec iniuſtitia, ſi per exemptionem talis executio ſibi ſubtrahatur.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſto præſente
cum Apoſtolis, Petrus non debebat exercere iuriſdi-
ctionem ſuam: Principali namque agente præſente,
legati iuriſdictio ceſſat. Vnde in his, in quibus Apo-
ſtoli fuerunt immediatè edocti à Chriſto, & in his,
quæ fuerunt immediatè à Chriſto Apoſtolis cómiſ-
ſa, non erat neceſſarium Petri iuriſdictionem requi-
rere. Sed iam Chriſto abſente, & amplius non com-
municante vita animali cum Apoſtolis, nullus vnquã
fuit exemptus à poteſtate Petri in ſpiritualibus: nec
aliquis eſſe poteſt exẽptus à poteſtate Papæ, qui eius
ſucceſſor eſt, ſecundum ordinem à Chriſto inſtitutũ.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT aliquos eximere à ſeipſo in tẽporalibus.

Præter citatos in præcedentibus articulis faciunt tra-
dita per gloſ. vlt. in cap. Paſtoralis, extra de donatione.

AD tertium ſic proceditur. Vi-
detur enim, ꝙ Papa poſſit ali-
quos eximere à ſeipſu in tempo-
ralibus. quia conſuetudo ſeruan-
da eſt, & longo tempore appro-
bata pro lege tenenda eſt, vt dicit
Iuriſconſultus. l. diuturna cõſue
tudo. ff. de legib. Sed ab antiqua conſuetudine fuit
obſeruatum in Eccleſia Gallicana, ꝙ Prælati Franciæ
non recognoſcunt temporalia à Papa: ſed à Rege, &
ipſe ſimiliter Rex à nullo temporalia recognoſcit. Er-
go tam laici, quàm clerici poſſunt eſſe exempti à Pa-
pa in temporalibus.

2 Præterea: Papa eximit multos à ſe in tempora-
lium adminiſtratione. Ergo multos poteſt eximere à
ſe in temporalium iuriſdictione, vt vniuerſaliter ſint
exempti ab eo in temporalium adminiſtratione, &
iuriſdictione.

3 Præterea: Quilibet poteſt cedere iuri ſuo. Non
obſtante, ergo quòd Papa eſt dominus omnium, po-
teſt cedere tali dominio, vt ſint aliqui exempti ab eo
in dominio temporalium.

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa non po
teſt facere, quòd membrum ſit membrum, & ꝙ non
habeat caput. Ergo non poteſt facere, ꝙ omnes fide-
les tam laici, quàm clerici ſint membra Eccleſiæ: &
tamen non recognoſcunt eum vnum caput tempo-
ralium, & ſpiritualium.

RESOLVTIO.

Papa ſicut ſe ipſum negare non poteſt, ita neminem à ſuo Dominio temporali eximere poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut Apoſto-
lus 2. ad Timot. 2. dicit: Deus fidelis eſt, & ſeip
ſum negare non poteſt. Negaret autem ſeipſum, ſi
eximeret aliquos à ſuo dominio temporali, vel ſpiri-
tuali, quia tunc negaret ſe eſſe Dominum omnium tã
A * temporalium, quàm ſpiritualium. Cum igitur Pa- *al. corporalium.
pa verus Vicarius Dei ſit: ſi aliquos eximeret à ſeip-
ſo in iuriſdictione temporalium, vel ſpiritualium ne
garet, quòd non eſſet verus Dei Vicarius: & talis ne
gatio in errorem Manichæorum ipſum induceret, po
nentium ab alio principio ſpiritualia, & ab alio tem-
poralia eſſe producta. Vnde non eſt dubium, quòd ſi
pro tali veritate teſtificãda Papa pateretur, verus Chri
ſti martyr eſſet cenſendus. Non enim, vt ait Auguſt. In Pſal. 140.
Herodes dicebat Ioanni: Nega Chriſtum: ſed ſolũ
ꝙ liceret ſibi habere vxorem fratris ſui: & quia hoc
negauit, paſſus eſt, & martyr effectus eſt. Sic Papa
conſtanter negare debet aliquem laicum, vel clericũ
Regem, vel Imperatorem exẽptum eſſe ab eo in iu-
riſdictione temporalium, vel ſpiritualium: quia con
B trarium confitendo, confiteretur Deum, cuius ipſe
Vicarius exiſtit, non eſſe vniuerſorum dominum, &
in ditione eius cuncta non eſſe poſita. Nec eſt dicen
dum, ꝙ iſta profeſſio ſit fienda propter temporalium
ipſorum cupiditatem: ſed propter teſtificandam ip-
ſius Dei, & Vicarij Ieſu Chriſti vniuerſalem pote-
ſtatem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ conſue
tudo veritati, & rationi contraria quanto diuturnior,
tanto pernicioſior, & periculoſior: nec cõſuetudo: ſed
abuſio dicenda eſt. Non enim dixit Chriſtus, vt dicit
Greg. † Ego ſum conſuetudo, ſed ego ſum veritas. †Aug. lib. 4. d baptiſmo contra Donatiſtas, c. 5. & 6. & refertur Diſt. 8. c. Si conſuetudine.
C Et beatus Cyprian. † dicit, ꝙ conſuetudo quantum-
cumque vetuſta, & quantumcumque vulgata veritati
eſt omnino poſtponenda. Si vero potentia regalis, vel
imperialis allegatur: videant (vt dicit Aug.) quid fa-
ctum ſit de Nabuchodonoſor, * quando a regno de-
poſitus eſt, & inter beſtias connumeratus eſt, donec
recognoſceret Deum cœli eſſe dominũ vniuerſorũ. † ad Quintum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimi *al. quomodo.
le: quia ſpiritualium, & temporalium adminiſtratio Dan. 4.
atteſtatur Dei, & Papæ ſui Vicarij dignitatem. Sicut
enim Deus temporalium adminiſtrationem exercet
mediãtibus creaturis: iudicem autem omnium, & do-
minum omniũ ſe eſſe fatetur: ſic Papa Vicarius eius
aliquos eximit à ſeipſo, à temporaliũ adminiſtratio-
ne, ſed nullos poteſt eximere à iuriſdictione: quia exẽ
D ptio à iuriſdictione negaret Dei poteſtatem: ſed exem
ptio ab adminiſtratione teſtatur Dei (cuius ipſe Vi-
carius exiſtit) excellentiam, & dignitatem.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quilibet poteſt ce-
dere iuri ſuo, quod ſibi conceditur in fauorem ſuũ,
& in propriam vtilitatem: ſed non poteſt cedere iu-
ri, quod ſibi conceditur in fauorem alterius: puta in
vtilitatem Reip. & in concedentis teſtificandam po-
teſtatem. Dominium ergo ſpiritualium, & tempora-
lium non eſt conceſſum Papæ in ſuum proprium fa-
uorem, vel commodum: ſed in totius Eccleſiæ vtili-
tatem, & ipſius Chriſti concedentis teſtificandam po
teſtatem. Vnde tali iuri, & tali dominio cedere nõ po
teſt exiſtens Papa: nec per conſequens aliquos in tẽ-
poralibus, & ſpiritualibus à ſuo dominio eximere.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POTIVS debeat in Eccleſia exemptionem ponere, quàm tollere.

De Ortho. fid. lib. 1. cap. 1.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa potius debeat in Eccleſia exemptionẽ tollere, quàm ponere. quia in primitiua Eccleſia non erat exẽptio. Ergo nec nunc eſſe debet. Dicit enim Damaſc. quòd omnia, quæ tradita ſunt nobis per Apoſtolos, & antiquos Patres, obſeruare, & tenere debemus, nihil vltra hæc inquirentes.

2 Præterea: Papa non debet ſtatum, & ordinem Eccleſiaſticũ peruertere, cum Apoſtolus dicat 1. Corin. 14. Omnia honeſte, & ſecundum ordinẽ fiant in nobis. Cum ergo honeſtas ſit honoris ſtatus, & per exemptionem tollatur honoris reuerentia ſubditorũ ad Prælatos, & ordo Prælatorum ad ſubditos; videtur, quòd per exemptionem totus ordo Eccleſiaſticus peruertatur.

3 Præterea: Papa non debet in Eccleſia ponere turpitudinem, ſed pulchritudinem, cum ipſa ſit pulchra vt Luna, electa vt Sol: vt ſcribitur Cant. 6. Pulchritudo autem Eccleſiæ conſiſtit in ordinatione partium in toto, vt membra ordine quodam correſpondeant capiti. ita quòd Summus Pontifex eſt ſupremum caput: alij vero Prælati ſunt medij inter eum, & inferiores ſubditos; vt mediantibus eis ipſi ſupremo capiti ſubijciantur: ſed per exemptionem, talis pulchritudo tollitur, & turpitudo inducitur. Dicit enim Auguſt. 3. Confeſſ. cap. 8. quòd turpis eſt pars, quæ ſuo non congruit vniuerſo.

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa de ſpecialibus membris Eccleſiæ ſpecialem curã debet habere, ſicut capiti ſpecialior cura eſt de oculis, quàm de alijs membris. Sed ſpecialior cura habetur per actionem immediatam, quàm per mediatam: vnde & oculi immediatè ſituantur in capite. Expedit ergo quòd Papa in Eccleſia aliquam exemptionẽ faciat.

RESOLVTIO.

Papa in Eccleſia exemptionẽ potius ponere, quàm tollere debet. exemptio enim huiuſmodi non niſi ordinem, & bonum parere poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. & ponitur 23. q. 4. cap. Diſplicet. Eccleſia per incremẽta temporum maiori via eſt poteſtate in correctione delinquentium, & in promotione, & quiete bonorum via eſt maiori libertate. Fuit namque in primitiua Eccleſia Prælatorum paupertas: quia in fame, ſiti, frigore, & nuditate eorum ſubditos viſitabant. Sic enim dicit Apoſtolus 2. Corin. 12. ſcribens: Quid enim minus habuiſtis præ cæteris Eccleſijs, niſi, quòd ego ipſe non grauaui vos: & ecce tertio paratus ſum venire ad vos: & nõ ero vobis grauis. quia non quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Nunc antẽ propter opulentiam diuitiarum, Prælati in eorum viſitatione non ſolum ſubditos grauant, ſed etiam expoliant: † accedentes cum turba equorum, & famulorum, per quorum viſitationem quod infirmum eſt non conſolidatur, quod ægrotum non ſanatur: quod confractum eſt non alligatur: quod abiectum eſt nõ reducitur: & quod perditum eſt non requiritur. vt magis (quod dolendum eſt) debeat dici diſſipatio, quàm viſitatio. propter quod expedit, vt Romana Eccleſia, quæ omnium mater eſt, in Eccleſia aliquam exemptionem ponat, eximendo aliquas perſonas, & aliqua collegia, vel aliquas Religiones à viſitatione Epiſcoporum, & ſubijciendo immediatè correctioni, & viſitationi ſuæ. Vnde in perſona Summi Pontificis vicarij Ieſu Chriſti ſcribitur Ezec. 34. Ecce ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem meum: nec paſcant amplius Paſtores ſemetipſos, & liberabo gregem meum de ore eorũ, & non erit eis vltra in eſcã. quia hæc dicit dominus Deus. Ecce ego ipſe requiram oues meas, & viſitabo eas ſicut viſitat paſtor gregem ſuum.

† Hæc de malis Prælatis ſũt accipienda. Et quaren' agit de viſitatione. Vide Conc. Tri. ſeſſ. 24. de refor. c. 3.

Secundo in primitiua Eccleſia fuit ſubditorũ paucitas, vt non ſolum vnus Prælatus vnam ciuitatem; immo prouinciam, & plures videre poterat: ſicut patet de Paulo, qui nunc in Græciam, nunc in Hiſpaniam, † nunc in Italiam ad viſitandum pergebat. ſed nũc ſic eſt Dei populus multiplicatus, vt vix ſufficiant plures Prælati mediam partem ſuorũ ſubditorum corrigere, & inſtruere. Sic enim dicendum eſt nunc cuilibet Epiſcopo volenti habere magnam iuriſdictionem, & nolenti aliquos eſſe exemptos à iuriſdictione ſua, quod dixit Iethro Moyſi. Exo. 18. Stulto labore conſumeris tu, & populus iſte, qui tecũ eſt, & vltra vires tuas eſt negocium, ſolus illud non poteris ſuſtinere.

† An B. Paulus profectus fuerit ĩ Hiſpaniã, vide plenè p̃ Loaiſam Vaſæum ĩ annalibus Hiſpaniæ ſub anno 67.

Et per hoc patet reſponſio ad primum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ordo eccleſiaſticus non peruertitur per exemptionem, immo quod inordinatum eſt ad ordinem reducitur. Nã in corpore naturali non eſſet ordo, ſi omnia membra æqualiter diſtarent à capite. ſic in corpore myſtico ordo non ſeruaretur, ſi omnia membra æqualiter diſtarent à ſummo Pontifice, qui eſt ſupremum caput in Eccleſia.

AD tertium eſt dicendum, verum eſſe, Prælatos eſſe medios inter ſummum Pontificem, & inferiores ſubditos: non tamen debent eſſe medij reſpectu omnium ſubditorum: ſed aliqua membra immediatè debent inhærere Summo Pontifici, ſicut oculi immediatè inhærent capiti, non mediante alio capite, nec mediante aliquo alio membro: & cętera.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA DEBEAT eximere aliqua Collegia à iuriſdictione Epiſcoporum.

Circa monaſteriorum viſitationem vide quod nouiſſimè ſtatuit Concilium Trident. ſeſſ. 25. tit. de Regularibus & Monialibus cap. 8.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non debeat eximere aliqua Collegia à iuriſdictione Epiſcoporum. Papa enim non debet præbere alicui materiam ſuperbiendi, & ocio vacandi: ſed exemptio videtur præſtare materiam Collegijs Monachorum ſuperbiendi, & ocio vacandi. Cum enim non indigeant mendicare, ex quo ſtudio non intendunt: vacāt ocio: & ex abundantia diuitiarum propter exemptionem contra eorum Epiſcopos ſuperbiunt. Sic enim ſcribitur Ezechielis 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia, & ocium.

2 Præterea: Hieronymus † dicit: Ama ſtudium, & carnis vitia non amabis. Qui ergo non ſunt dediti ſtudio, non debent eſſe exempti. quia ſic datur eis occaſio potius vitia amandi, quàm à vitijs retrahendi.

[† Ad Ruſticum Monachū Epiſtola 4.]

3 Præterea: Scribitur 93. diſt. cap. Nulla. Nulla ratione clerici, aut ſacerdotes habendi ſunt, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina, & prouidentia gubernantur. quia tales acephalos, & ſine capite conſuetudo priſca nuncupauit: ſed Papa non debet velle aliqua ſua membra eſſe ſine capite. Ergo non debet aliqua collegia, vel monaſteria à iuriſdictione Epiſcoporum eximere.

IN CONTRARIVM eſt: quia, quod eſt vtile, & proficuum in Eccleſia, Papa tenetur facere: ſed multi ſunt Paſtores in Eccleſia, qui non paſcunt greges, ſed potius ſeipſos: De quibus ſcribitur Ezechie. 34. Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos. A iuriſdictione ergo talium cōgruum eſt aliqua membra de Eccleſia eximi.

RESOLVTIO.

Collegiorum aliquorum exemptio à Iuriſdictione Epiſcoporum non niſi gubernationem tutiorem, melioremq. afferre poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ordinatio ſubditorum ſub Prælato facta eſt in commodum ipſorum ſubditorum, & eorum vtilitatem, potiſſimè quantum ad tria.

Primo, quantum ad delinquentium correctionē.

Secundo, quantum ad bonorum promotionem, & eorum quietam contemplationem.

A Tertio, quantum ad Collegiorum, ſeu Monaſteriorum, vel Eccleſiarum tutiorem gubernationem, quæ quidem tria contingit quandoque impediri per immediatam iuriſdictionem ipſorum Epiſcoporum. Et ideo per Papam, cui cura debet eſſe de omnibus, cōgruum eſt aliqua Collegia, & aliquas perſonas eximi: vt in his, quæ dicta ſunt, quietius, & ſecurius poſſint promoueri. Nec in hoc debent Epiſcopi grauari, vel perturbari, ſi ſine eorum culpa perſonæ aliquæ, vel Collegia ſubtrahātur à iuriſdictione ipſorū: quia cum ſubditi non ſupponantur eis in eorum cōmodum, nullum præiudicium præſtatur eis: immo magnum beneficium, cum tales ſubditi ab eorum iuriſdictione ſubtrahuntur. Illis autē præſtatur præiudicium, qui non quærunt quæ Ieſu Chriſti, ſed quę [Philip. 2.]
B ſua. ſicut enim dicit Greg. 22. Moral. cap. 16. ſuper illo verbo Num. cap. xj. Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet? pia (inquit) mens Paſtorum non propriam gloriam, ſed auctoris quærit, ab omnibus vult iuuari quod facit: nam fidelis prædicator optat, ſi fieri valeat, vt veritatem, quam ſolus loqui nō ſufficit, ora cunctorum ſonent.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſi Monachi non ſint dediti ſtudio: ſunt tamen dediti orationibus, & diuinorum contemplationibus, quorum orationibus multum iuuatur Eccleſia, quæ filios ſuos
C monet 1. Timot. 2. fieri pro omnibus orationes, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ multa ſunt alia retrahentia à vitijs carnis præter ſtudium, & potiſſimè exercitium orationis, & diuinæ contemplationis: quia aliter non poteſt homo eſſe continēs, niſi Deus det: [Sap. 8.] quibus quietius poſſunt vacare Monachi per exemptionem, ſi ſunt exempti, quàm ſi ſupponātur ſub ſtrepitu viſitationis Epiſcoporum.

AD tertium eſt dicendum, quòd illud decretum loquitur de celricis vagabundis, & proteruis. quod patet per illud, quod ſequitur. additur enim: Summum donum muneris à Deo conſequuntur, qui ſuis Doctoribus, qui rectè Epiſcopi intelliguntur, libenter
D obediunt. Nec tamen Monachi, vel alij, qui eximūtur, ſunt ſine capite: quia ſupponuntur ſub correctione, & viſitatione Abbatum, & ſuorum Prælatorum intrinſecorum: & omnes finaliter ſub vniuerſali capite Eccleſiæ.

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA DEBEAT eximere Religioſos à iuriſdictione omnium Prælatorum.

Exemptorũ cauſæ qualiter, & per quos tractandæ, vide Concilium Triden. ſeſſ. 7. de reformat. cap. 14. & ſeſſ. 24. de reformat. cap. xj.

AD ſextum ſic procedimr. Videtur enim, quòd Papa non debeat Religioſos eximere à iuriſdictione omnium Prælatorum: quia Papa non debet facere in Eccleſia quod eſt materia multorũ malorum: ſed multa mala prouenerũt in Eccleſia, ratione exemptionis in ordine Templariorum, Monachorum, & Canonicorum. Non eſt ergo conueniens, aliquos Religioſos eximi à iuriſdictione omnium Prælatorum.

2 Præterea: Si aliqui Religioſi ponantur exempti à iuriſdictione omniũ Prælatorum; Ergo erunt exẽpti à legato Papæ. quod videtur inconueniens, cum Papa non poſſit aliquos eximere à ſeipſo.

† Hoc habet Innoc. IIII. in c. 1. de priuileg. lib. 6. cuius cõſtitutionẽ innouat Con cil. Trident. ſeſ. 7. de reforma. c. 14.

3 Præterea: Innocẽtius† dicit, quòd exempti quãtacumque gaudeant libertate: tamen ratione delicti, ſiue contractus, aut ratione rei, de qua contra ipſos agitur; ritè poſſunt coram locorum Ordinarijs conueniri. Cum igitur quaſi omnia poſſint ad iſta tria reduci, videtur ꝙ in nullo talis exemptio valeat.

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa ſubditos indomitos debet viſitationi, & correctioni Prælatorum committere: quietos verò, & pacificos debet ſuæ correctioni reſeruare. Sic enim ſcribitur Zachariæ 10. in perſona cuiuslibet Epiſcopi. Super hircos viſitabo, quia dominus (*puta Papa*) viſitabit gregem ſuum.

RESOLVTIO.

Religioſi diuinorum lectioni, Populorum exhortationi, doctrina Magiſtrorum ſtudentes, congruè ab omnium Prælatorum iuriſdictione ſunt exempti.

RESPONDEO, dicendum, quòd tres actus in Eccleſia ſunt maximè neceſſarij, vt multũ vtiles Reipublicæ.

Primus eſt ſtudium, & lectio diuinorũ, propter ignorantiæ remotionem, quæ multum eſt periculoſa, iuxta illud Ambroſij: Grauiſſimè, & periculoſiſſimè peccas, ſi ignoras. multa enim mala ſequuntur

E ex ipſa ignorantia.

Secundus eſt exhortatio populorũ, propter vitiorum manifeſtationem. Sic enim dicit Propheta: Annuncia populo meo ſcelera eorũ, & domui Iacob peccata eorum. Cum enim non vitetur malum niſi cognoſcatur; magna vtilitas inſurgit in populo fideliũ, ſi vitia, & peccata eis manifeſtentur. † Iſa. 58.

† Intellige, ſeruato debito ordine, & debitis circũſtantiis.

Tertius eſt doctrina Magiſtrorum propter ſacræ Scripturæ expoſitionem. Tanta eſt enim profunditas ſacræ Scripturæ, vt à principio mundi vſque ad finem ſemper ſit neceſſaria in Eccleſia eius expoſitio. Vnde Auguſt. ſuper illo verbo: Quærite faciem eius ſemper: dicit; quod in ſacra Scriptura ſemper Deus quæritur, & ſemper inuenitur. Nam F quæritur, vt inueniatur dulcius: & inuenitur, vt quæratur auidius. De iſtis vero tribus actibus loquitur Apoſtolus 1. Timo. 4. dicens: Eſto exemplum fidelium in verbo, & in conuerſatione, & charitate, & dũ venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Vt ergo aliqui ĩ Eccleſia iſtis tribus actibus quietius poſſint vacare pro vtilitate populi Chriſtiani, cõgruum eſt, vt aliqui Religioſi; & potiſſimè Religioſi paupertatis, à iuriſdictione omnium Prælatorum ſint exempti: qui ſpecialiter debent vacare lectioni diuinorũ: exhortationi Populorum, & doctrinæ Magiſtrorũ.

Tomo 3. lib. 11. de Trin. cap. 2.

Ad Argumenta.

G AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ mala poſſunt prouenire in ordinibus ſine exemptione, ſicut cum exemptione. Non enim exemptio eſt cauſa malorum, niſi quantum ad illos, qui, exemptione, & libertate abutuntur. ſicut enim aliqui Religioſi abutuntur libertate, & alijs donis receptis à Deo, & ſunt cęteris peiores; ita aliqui vtuntur in bonum, & ſunt cęteris meliores. Vnde dicit Aug. in Epiſtola ad plebem Hypponenſem, ꝙ ſicut Eccleſia contriſtatur de ſuis purgamentis: ita debet lętari, & gaudere de ſuis ornamentis. Tomo 2.

AD ſecundum ergo eſt dicendum, ꝙ aliqui dicunt, Legato quantumcũque à latere Sedis Apoſtolicæ miſſo exemptos non teneri obedire: puto tamen H ꝙ ſi in ſua legatione expreſſio fiat de exemptis, & nõ exemptis, quòd omnes tenentur ſibi parere, cum à Sede Apoſtolica (vt ſupradictum eſt) nullus intelligatur exemptus.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non de quolibet delicto, vel de quolibet contractu, vel de quacũque re, de qua contra Religioſum agitur, nec in quocũq; loco poſſunt Religioſi exempti coram locorum ordinarijs conueniri, niſi eſſent adeo grauia, & enormia, de quibus non corrigerentur, vel non poſſent corrigi per Prælatos ipſorum.

QVAEST. LXII. DE DISPENSATIONE PER ABSOLVTIONEM.

DEINDE *conſiderandum eſt de de Papę abſolutione. Circa quod quęruntur Sex.*

Primo, Vtrum Papa poſſit abſoluere vſurarium abſque eo, ꝙ vſuram reſtituat.

Secundo, Vtrum Papa poſſit abſoluere ſeruum vſurarij, quòd non teneatur ad reſtitutionem, & abſq; eo, ꝙ ſibi faciat relaxationem.

Tertio, Vtrum Papa poſſit abſoluere non ritè abſolutū per ratihabitionem.

Quarto, Vtrum Papa poſſit abſoluere habentem rem alienam poſt annos pręſcriptionis, abſque eo, quòd ipſam reſtituat.

Quinto, Vtrum Papa poſſit abſoluere ſimoniacū, abſq; eo ꝙ ſimoniam reddat.

Sexto, Vtrum Papa poſſit abſoluere ludentem ad taxillos, abſque eo, ꝙ reſtituat lucrum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT abſoluere vſurarium abſque eo, quòd vſuram reſtituat.

S. Thom. 2. 2. q. 78. ar. 3. Et quolib. 3. art. 19.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit abſoluere vſurariū; abſq; eo, ꝙ vſuram reſtituat. Papa enim non poteſt contra ius naturale:
Ariſt. 1. lib. Polit. c. 7. ſed vſura ſecūdum Philoſophū, eſt lucrum contra naturam. Non poteſt ergo abſolui vſurarius, abſque eo, ꝙ vſura reſtituatur.

2 Præterea: Papa non poteſt abſoluere furem, niſi reſtituatur furtū. ſed nomine furti prohibetur vſura, vt patet per glo. Exo. 22.

Epiſt. 54. Tom. 2. 3 Præterea: Secundum Aug. in Epiſtola ad Macedonium. Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit non redditur, non agitur pænitentia, ſed fingitur; ſi autem veraciter agitur: non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: Sed vſura eſt res aliena. Ergo numquàm remittitur peccatū, niſi reſtituatur.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matthæi 16. Quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Si ergo Papa abſoluat vſurarium, abſque eo, ꝙ vſuram reſtituat, abſolutus erit.

A *RESOLVTIO.*

Papa quamuis vſuras relaxare poſſit: non tamen debet, ne multa abſurda, aut ſcandala oriantur.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ad quæſtionem communiter ſic reſpondetur: quòd vſuræ vel ſunt acceptæ, vel ſumptæ de rebus, & de bonis clericorum, vel Eccleſiarum: & tunc abſolutè dicitur, ꝙ Papa poteſt tales vſuras relaxare, vel donare vſurario, & ſic abſoluere ipſum abſque eo, ꝙ eas reſtituat illis, à quibus accepit. Vel acceptæ ſunt vſuræ de bo-
B nis laicorum, quæ immediatè ſubſunt iuriſdictioni Eccleſiæ, & tūc ſimiliter poteſt. Si vero acceptæ ſunt de bonis laicorū, qui immediatè ſubſunt iuriſdictioni ſęcularium Principum: tunc dicitur, ꝙ in caſibus illis, in quibus Papa poteſt exercere iuriſdictionem temporalem: ſimiliter poteſt talem relaxationem facere, ſicut Principes ſęculares poſſent de bonis ſubditorum ſuorum. Si vero nullus talis caſus interueniat, & Papa conſideret talem relaxationem eſſe vtilem Eccleſiæ: debet requirere huiuſmodi Principes, ſicut eos requireret pro defenſione, & adiutorio Eccleſiæ. quod ſi renuāt: ſua auctoritate poteſt prædictas vſuras relaxare, & vſurarios abſoluere, abſque eo, quòd
C ipſas vſuras reſtituant.

Sed iſta reſponſio quamuis verum dicat de relaxatione: puto tamen, ꝙ Papa talem relaxationem facere non poteſt. quia non debet propter quatuor incōuenientia, quæ ſequuntur, ſi Papa talem relaxationem vſurarum faciat.

Primum eſt: quia ſcandalum in populo Dei committitur. Dicit enim Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonium; Illud fidentiſſimè dico: eum, qui pro homine ad hoc interuenit, ne malè ablata reſtituat, & ad reſtituendum non compellit, ſi compellere poteſt: ſocium ſe eſſe fraudis, & criminis exemplum
D præbet. Epiſt. 54. Tomo 2.

Secundum eſt, quia certum non tenetur. In dubijs namque abſolutionis conſcientiæ ſemper tenendum eſt certum, & dimittendum incertum. Fieri enim poteſt (vt dicit Auguſtinus) vt tu ſcias, quòd ego neſcio; & propterea putem pro aliquo interueniēdum eſſe, vt ſui ſceleris pœna relaxetur. Verum ſæpe accidit, vt nos fallat, vel negando ſe abſtuliſſe, vel affirmando ſe vnde reſtituat non habere. Sępe ſimiliter & uos fallimini putando, & nos non agere, vt reddat, vel ipſum habere vnde reddat. Tamen veraciter hoc dicis eſſe tenendum, vt cum de reo ſententia non vna ſit noſtra de aliena re; neutri tamen Epiſt. 54. Tomo 2.

cõplacere debemus, quod res nõ reddatur aliena. Nã de homine, vt homines dinerſa ſentimus: ſed in ipſa iuſtitia ſimul ſumus. Tertium eſt, quia commodũ de peccato reportatur Sic enim ait Auguſt. Apud cor meum, cui teſtis eſt Deus, non audeo dicere, nec ſentire, vel diſcernere interueniendum eſſe pro aliquo, vt quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſſideat. Si autem vſurario relaxetur vſura: quod ſcelere abſtulit, ſceleris impunitate poſſidet. Quartum eſt: Quia iniuſtum in proximum committitur. Verum namque eſt, quòd Papa poteſt pro vtilitate Reipub. & Eccleſiæ ſuos ſubditos grauare. ſed ſicut vtilitas communis impenditur per eum: ita & grauitas communiter per ipſum ſuis ſubditis eſt inferenda. Si autem non reſtituantur vſuræ illis perſonis, à quibus ſunt extortæ per vſurarios: non inferuntur grauamina communiter: ſed quibuſdam ſingulariter. Vnde peccatur contra iuſtitiam diſtributiuam. Poteſt ergo Papa talem relaxationem facere: ſed puto, quòd non debet, propter iſta mala, quæ ſequuntur: quæ per odinẽ adducit Auguſtinus in Epiſtola ad Macedonium.

Epiſt. 54. Tomo. 2.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Papa non facit contra ius naturale: quia non iudicat vſuram eſſe reddendam. ſed vtilitate Reipublicæ accipit ab vno, quod ſibi debebatur, & relaxat alteri illud, quod alteri tenebatur.

Ad ſecundum eſt dicendum ſimiliter, ꝗ Papa non abſoluit furem, iudicando, quòd res furtiue ſublata non ſit reſtituenda: ſed bene poſſet pro vtilitate Eccleſiæ rem furtiue ſublatam ab illo recipere, cui ſublata eſt, & illi donari, qui ipſam reſtituere tenetur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd peccatum non remittitur alicui abſque reſtitutione, vel abſque relaxatione per illum, qui de iure poteſt illam relaxationem facere.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT abſoluere ſeruum vſurarij abſque eo, ꝗ teneatur ad reſtitutionem, & abſq; eo, quòd ſibi faciat relaxationẽ.

S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝗ Papa poſſit abſoluere ſeruum vſurarij, abſque eo ꝗ teneatur ad reſtitutionem, & abſque eo, quod ſibi faciat relaxationem. Quia ſecundum iura † non debet ſequi incommodum illum, quem non ſequitur commodum. ſed ſeruus vſurarij de vſura non ſentit commodum acquiſitio-

† cap. qui ſentit de regul. iur lib. 6. & l. ſecundum naturam. ff. de Regu. iuris.

E nis: Ergo non debet ſentire damnum reſtitutionis.

2 Præterea: Si ſeruiens vſurario tenetur ad reſtitutionem, vel indiget relaxatione: tunc quicumque vſurariam pecuniam portat, vel numerat, vel debitum ſcribit; tenetur, quòd nidetur eſſe periculoſum, & abſurdum.

3 Præterea: Magis videtur eſſe cauſſa damni vel furti, qui conſulit alteri furtum, vel damnum eſſe faciendum, quàm ſeruus vſurarij: ſed dans conſilium, † damnum, vel furtum eſſe faciendum non tenetur, (vt videtur) cum raptor non teneatur ſequi eius conſilium.

† cap. nullus conſi io de regul. iuris lib. 6. & l. conſil. ff. de regu. iur.

In Contrarium eſt: quia qui ſeruit furi in furto, tenetur ad reſtitutionem. Ergo qui ſeruit vſurario in vſuris, tenetur ad reſtitutionem, cum no-
F mine furti prohibeatur vſura.

RESOLVTIO.

Vſurarij ſeruus, ſi rapina ad eum peruenit: vel cauſa, aut concauſa rapinæ fuit, contractus ſuo nomine vel Domini faciendo vſuras exigendo, ad reſtitutionem tenetur, ſi relaxatione donatus non ſit. Si autem aliter vſurario ſeruiat, non tenetur.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut patet 14. q. 6 c. Si res, auctoritate Auguſtini †: Quando res aliena, quæ reddi poteſt, non redditur, non agitur pœnitentia, ſed ſimulatur. Omnis ergo, qui conſcientiam habet rei alienæ, tenetur ad reſtitutionem: vel indiget relaxatione: aliter abſoluendns non eſt.
G Iſtnd autem contingit triplici caſu. quia aut quis tenetur ratione ſolius delicti, eo quòd cauſa, vel concauſa fuit rapinę: ſed de re rapta nihil ad eum peruenit. Aut ratione ſolius rei: quia res rapta ad eum peruenit: ſed cauſa rapinæ non fuit. Aut ratione vtriuſque: quia & cauſa rapinæ fuit aliquo modo, & res ad eũ peruenit. Si ergo ſeruus vſurarij continetur in iſto tertio caſu, planum eſt, quòd tenetur. Si vero continetur in ſecundo, ſimiliter certum eſt, eum teneri. Sed ſi in primo caſu: quia ſolum cauſa eſt, & concauſa fuit vſurę: tunc puto ſimiliter eum teneri, ſi fecit contractus vſurarios nomine ſuo, vel Domini: aut quòd vſuras exigat. Iſto namque modo concauſa eſt vſurę: ſed ſi in alijs conditionibus ſeruiat vſurario, quæ non ſint concauſæ uſuræ, puto, quòd
H non tenetur.

† Id habet S. Auguſtin. Epiſt. 54. ad Macedoniũ. Tomo 2.

Ad argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝗ illa regula iuris intelligitur in his, quæ ſunt bonæ fidei, & non malæ. Nam qui incendit domum, nullum ſentit commodum acquiſitionis: debet tamen ſentire incommodum reſtitutionis.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non quicumque ſeruit vſurario in vſuris tenetur, Sed qui ſeruit in vſuris faciendis: puta contractus vſurarios faciendo, vel exigendo.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſecundum regulam iuris triplex eſt conſilium. Quoddã non fraudulen-

dulentum. Quoddam fraudulentum inefficax tamẽ, quod datur alicui alias idem facturo. Quoddam fraudulentum efficax, quod datur alicui aliàs non facturo. In primo caſu, qui dat conſiliũ, non eſt cauſa damni, licet poſſet eſſe occaſio. In ſecundo ſimiliter non eſt cauſa damni: quia damnum non eſt ſecutum ex conſilio ſuo. Sed in tertio eſt cauſa damni: quia damnum ſubſecutum eſt. Vnde in primo, & in ſecundo caſu non oritur obligatio ad reſtitutionem: ſed in tertio ſic.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT non ritè abſolutum abſoluere per ratihabitionem.

Videto notata per gloſſam, & Doctores in c. Cum nos. De his, quæ fiunt à Prælat. ſine conſen. Capituli.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſet nõ ritè abſolutũ abſoluere per ratihabitionem. Scribitur enim extra de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu Capituli. cap. Cũ nos. Certum eſt, de rigore iuris, conceſſionem illam non tenere: quam, reclamãte Capitulo, per prædeceſſorem tuum conſtat factam fuiſſe; niſi eam ratam poſtmodum habuiſſent. Ergo ſi aliquis eſt abſolutus in caſu, in quo abſolui non potuit: ſi poſtmodum Papa ratam habeat, tenebit abſolutio.

2 Præterea: Ita eſt in ligatione, ſicut eſt in abſolutione. ſed ſiquis ratum habeat homicidium per aliũ factum, ligatus eſt culpa, & pœna homicidij. Ergo ſi Papa ratam habeat abſolutionem: abſolutus erit.

3 Præterea: Siquis abſolutus eſt in caſu, in quo nõ potuit abſolui, in tali abſolutione non eſt defectus niſi propter Superioris prohibitionẽ. Ergo per Superioris ratihabitionem tenebit abſolutio.

IN CONTRARIVM eſt, ꝙ tunc Papa poſſet effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre. quod ſupra negatum eſt.

RESOLVTIO.

Papa non ritè abſolutum per ſolam ratihabitionẽ abſque ſacramenti applicatione abſoluere non poteſt. Id enim Chriſtus nulli puro homini conceſſit.

RESPONDEO, dicendum, quòd iſta quæſtio pro tanto eſt dubia, quia tam ſecundum iura diuina, quàm ſecundum humana, ratihabitio retrotrahitur, † & mandato comparatur. Vnde qui conſentit in homicidium, eo ignorante, factum, homicida apud Deum habetur. Si ergo aliquis ſacerdos abſoluat aliquem in caſu prohibito ſibi à Papa: ſi poſtmodum petat ipſius Papę ratihabitionem; videtur, quòd ratihabitio obtenta ſufficiat, vt illa prima abſolutio perfecta ſit.

† Cap. Ratihabitionẽ. de reg. iur. lib. 6. & l. hoc iure. §. deiecit, & l. ſemp qui. §. 1. ff. de regul. iur.

Sciendum eſt ergo, ꝙ ratihabitio nõ habet locum

A in abſolutione ſacramẽtali, ad quam requirũtur tria. Primo, poteſtas ordinis, ex ipſius ordine ſuſceptione. Secũdo, ordinis executio, ex ſuperioris iuriſdictione. Tertio, ſacramenti adminiſtratio: ex ipſius verbi cum elemento applicatione, quia applicatur verbum ad elementum, & fit ſacramentum ſecundum Auguſt. tract. 80. In Ioan. Tomo 9. In caſu ergo propoſito ſi ſacerdos aliquem abſoluit in caſu prohibito ſibi per Papam: in tali abſolutione deficit, ex parte ſacerdotis, ordinis executio. Si vero poſtmodum ex parte Papæ interueniat ratihabitio, ex parte eius deficit ſacramenti applicatio: & planum eſt, quòd quodcumque iſtorum trium deficiat, abſolutio non eſt ſacramentalis. Si enim Papa ex ſola ratihabitione abſque ſacramenti applicatione poſſet aliquem abſoluere: poſſet effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre. B quod Chriſtus nulli puro homini conceſſit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile: quia alienatio, vel conceſſio rei, cum ſit de iure poſitiuo; dependet ex ſola voluntate habentis poteſtatẽ alienandi. Vnde ſi dependet ex voluntate plurium; ſi vnius voluntas præcedit; ſufficit ratihabitio ſubſequentium continuata cum voluntate prioris.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile eodẽ modo: quia homo poteſt ſeipſum ligare praua voluntate per diuini mandati tranſgreſſionẽ. Nã quamuis explicitè per: Non occides, prohibeatur factum; C implicitè tamen prohibetur voluntas. Vnde ſi quis ratum habeat homicidium, eo ignorante, factũ, ligatus eſt culpa, & pęna homicidij: quia tranſgreſſor eſt diuini mandati: ſed non poteſt homo ſeipſum abſoluere, niſi per diuinæ gratiæ infuſionem, & ſacramentaliter per ſacramenti receptionem.

AD tertium eſt dicendum, quòd quamuis in abſolutione non fuerit defectus, niſi Superioris prohibitio: ex parte tamen Superioris non ſufficit ratihabitio, niſi fiat ſacramenti applicatio, cum non poſſit effectum ſacramenti ſine ſacramento conferre.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT abſoluere habentem rem alienam poſt annos præſcriptionis, abſque eo, quòd ipſam reſtituat.

D

Hoſtien. in ſumma tit. de præſcrip. rerum immobiliũ. §. quæ exigantur.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit abſoluere habentem rem alienam poſt annos præſcriptionis, abſq; eo, ꝙ ipſam reſtituat. Dicit enim Auguſtinus ad Macedonium: Epiſt. 54. Tomo 2. Certè alienum non eſt, quòd iure poſſidetur. quia qđ iure habetur, iure poſſidetur,

& quod iuſtè benè: & quod benè alienum iam non eſt. ſed res præſcripta iure poſſidetur. Non eſt ergo reſtituenda.

2 Præterea 16. q. 4. ſcribitur, quòd repeti non poſſunt quæ 30. annis quiete poſſidentur. ſed quod repeti non poteſt, homo nõ tenetur reſtituere. Ergo.

3 Præterea: Quod poſſidetur auctoritate illius, qui eſt Dominus rei, iuſtè poſſidetur: Sed ſcribitur

† l. bene à Zenone. vbi gloſſ. & doctores C. de quadrien. præſcript.

C. † de preſcri. ꝙ Princeps Romanus omnium dominium habet quo ad proprietatem. cum ergo res præſcripta auctoritate Principis teneatur: videtur, quòd res præſcripta non ſit reſtituenda.

4 Præterea: Res non eſt reſtituenda niſi illi, cui competit repetitio, & actio in foro iudiciali. ſed ſcribitur extra de Præſcrip. cap. Ad aures noſtras. Fraternitati tuæ innoteſcat, ꝙ de iure melior eſt conditio poſſidentis: quia quadragenalis præſcriptio omnem prorſus actionem excludit.

5 Præterea: In re illa, quam homo iuſtè amittit, non competit ei repetitio: & homo retinens illam, iuſtè retinet. ſed ſi homo per totum tempus præſcriptionis ſit negligens in repetendo rem ſuam, iuſtè elapſo tempore præſcriptionis, priuatur repetitione, vt amplius non ſit ſua, ſed tranſeat in dominium alterius. res ergo legitime preſcripta non eſt reſtituenda.

In Contrarium eſt. quia omnis retentio rei alienæ prohibetur nomine furti. ſed præceptum de furto Exo. 20. cum ſit negatiuũ, obligat ſemper, & ad ſemper. Ergo nulla tẽporis antiquitas, quacumq; præſcriptione talẽ prohibitionẽ poteſt tollere.

RESOLVTIO.

Nulla abſque bona fide preſcriptio tenet. Qui enim poſſidet rem, quam alienam eſſe, vel iniuſto titulo acquiſitam, non ignorat; Dei lege ipſam homo reſtituere tenetur.

Respondeo, dicendum, ꝙ aliqui ſimpliciter dicunt propter rationes ſuperius aſſignatas, rem legitimè præſcriptam, & bona fide retentam vſque ad tempus preſcriptionis non eſſe reſtituendã, ſi infra tempus præſcriptionis homo non habuit cõſcientiam de mala fide: puta, ꝙ eſſet res aliena, & iniuſto titulo acquiſita. Si vero poſt tempus preſcriptionis innoteſcat ſibi de mala fide, ꝙ res fuerit aliena, & H iniuſto titulo acquiſita; dicunt, ꝙ non debet ſibi inde formare conſcientiam, vt teneatur ipſam reſtituere, quia res illa iam facta eſt ſua, & iam tranſiuit in dominium eius, elapſo tempore præſcriptionis, auctoritate Principis legem præſcriptionis facientis. Sed opinio contraria mihi probabilior videtur, ponens, ꝙ omni tempore audiendus eſt homo ſuper repetitionem rei ſuę. Mouent autem me ad hoc ſpecialiter tria. Primo auctoritas diuina. Nam præceptum de non furari, ſub quo, vt dictũ eſt, continetur omnis acceptio, & retẽtio rei alienæ, cũ ſit negatiuũ obligat ad ſemp ratione qua negatiuũ: & pro ſemper ratione qua præceptũ. Vnde cũ tale præceptũ ſit de iure naturæ, & de iure diuino, nulla lege humana poteſt tolli. Planum eſt autem, quòd præſcriptio lege humana

E poſita eſt, quæ licet pro ſtatu Reipu. ſit iuſta, & ſeruanda: in nullo tamen poteſt præiudicare legi naturali, vel diuinæ. Secundo auctoritas Auguſtini Ep. 54.
ad Macedonium, vbi loquens de reſtitutione rei Tom. 2.
alienæ ſic dicit: Si diuerſa de homine, vt homines ſentimus: in iuſtitia tamen ſimul ſumus: quatenus ſi de re aliena diuerſorum diuerſa ſit ſententia, nulli tamen placeat, vt res non reſtituatur aliena, nec in hoc noſtras ſuſpiciones, quibus credibilibus rerum ſignis mouemur, cognitiones certas æſtimare debemus, cum credibilia nonnulla ſint falſa, ſicut incredibilia nonnulla vera. Tertio auctoritas Eccleſiæ: Sic enim ſcribitur extra de præſcrip. c. finali. Quoniam omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt: ideo ſyno- Ro. 14.
dali iudicio diffinimus, vt nulla valeat abſque bona fi
F de præſcriptio, tam canonica, quàm ciuilis: cùm generaliter ſit omni conſtitutioni, atque conſuetudini derogãdum, quæ abſque peccato mortali non poteſt obſeruari. Vnde oportet, quòd qui præſcribit, in nulla temporis parte habeat conſcientiam rei alienę.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd illud, quod poſſidetur iure diuino, vel naturali, iuſtè poſſidetur, & benè. Sed quod poſſidetur iure poſitiuo, nõ ſemper iuſtè poſſidetur. Multa namque (vt di
cit Auguſtinus) lex ciuilis concedit, & multa punien 1. de lib. arbi.
da impunita relinquit, quæ per diuinam legem corri c. 5. Tom. 1.
guntur. neque enim (vt ait) quia non omnia facit quæ facienda ſunt ideo quæ facit improbanda ſunt.
G Planum eſt enim, ꝙ Auguſtinus legem inculpatam dicit, quæ concedit, vt hominem volentem me occidere poſſim occidere: & tamen ſecundum legem diuinam hanc humanam legem ſeruantes ipſe inculpatos non habet, ſic lex, quæ concedit præſcriptionem, iuſta eſt ſecundum præſentem ſtatum: ſecundum tamen legem diuinam ſeruantes legem præſcriptionis inculpati eſſe nequeunt. Et ideo quocumque tempore homo habet conſcientiam, ꝙ res fuerit aliena, vel iniuſto titulo acquiſita: puto, quòd ſecundum legem Dei homo tenetur ipſam reſtituere.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ in bonis eccleſiaſticis Papa habet plenum dominium: Vnde abſque omni ſtatu præſcriptionis poteſt ordinare, quòd ille, qui eſt adminiſtrator in tali Eccleſia, tanto tempore non habeat amplius adminiſtrationem: vel, quòd alius in adminiſtratione illa non poſſit habere aliquam iuriſdictionem.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Principes non ſunt Domini rerum ſubditorum, niſi ſint eorum ſerui. ſed ſunt tutores: propter quorum tuitionem dantur eis redditus, & ſtipendia, vltra quæ ſi accipiunt à ſubditis, tenentur ad reſtitutionem, ſicut alij. pro vtilitate autem Reipublicæ poſſunt bona ſubditorum quandoque accipere, & in communem, non in propriam vtilitatem conuertere. In nullo tamen caſu poteſt condere legem, quæ præiudicet legi diuinæ, vel naturali.

Ad quartum eſt dicendum, quòd illa decretalis loquitur de preſcriptione rei eccleſiaſticæ: & ſi loquatur de præſcriptione rei ſæcularis, intelligendum

eſt

eſt, quando poſſidetur bona fide: vt quòd in nullo tempore homo habeat conſcientiam, quòd res fuerit aliena, & iniuſto titulo acquiſita.

A D quintum eſt dicendum, quòd dato, ꝙ negligentia poſſet eſſe iuſta cauſa ammiſſionis rei: non tamen poteſt eſſe iuſta cauſa, quòd iuſtè poſſideatur ab alio: ex quo cõſtat ſibi, quòd aliena eſt, & iniuſto titulo ſibi acquiſita: quamuis negligentia in repetendo rem infra tempus præſcriptionis poſſit eſſe ſine peccato, puta propter ignorantiã, vel propter abſentiam, vel propter pueritiã, aut propter habentis potẽtiam.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT abſoluere Simoniacum abſque eo, quòd ſimoniam reddat.

S. Thomas 2. 2. q. 100. art. 6.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit abſoluere Simoniacum, abſque eo, quòd ſimoniã reddat. Contingit enim quandoque, ꝙ vnum totum Collegium ſimul cum Prælato recipit pecuniam pro aliquo beneficio eccleſiaſtico ſimoniacè collato. Talis autem pecunia non debet reddi Eccleſiæ, in cuius iniuriam datum fuit Eccleſiaſticum beneficiũ: quia tunc illi reportarent commodum de peccato, quod commiſerũt. nec dicta pecunia poteſt fieri eleemoſyna, vel in pios vſus conuerti: quia non poteſt fieri eleemoſyna de pecunia ſimoniacè acquiſita. vt ſcribitur 1. q. 1. c. Non eſt putanda. Poteſt ergo abſolui Simoniacus abſque eo, quòd ipſam reſtituat.

2 Præterea: Nullus poteſt cogi reddere rem illi, à quo recepta eſt, ſi ei non conueniat iuſta repetitio. ſed dans pecuniam pro re ſpirituali: non poteſt eam repetere. quia ex quo eam turpiter dedit: iuſtè ſeipſum priuat eiꝰ rei petitione. Poteſt ergo abſolui Simoniacus abſq; eo, ꝙ pecunia ſimoniaca reſtituatur.

3 Præterea: De turpi lucro non debet fieri promotio Eccleſiæ. Sed ſi pecunia daretur Eccleſiæ, cuius beneficium ſimoniacè eſt acquiſitum: promoueretur Eccleſia de turpi lucro. Non eſt ergo reſtituenda.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſcribitur 1. q. 1. cap. Quos conſtiterit. Quod damnatio ſimoniæ dantem, & accipientem pariter inuoluit. Neuter ergo dans, vel accipiens ſimoniam, poteſt abſolui, niſi reddatur.

RESOLVTIO.

Simoniacus, abſolui non poteſt, niſi quod ſimoniacè acceptum eſt, reddatur.

† S. Thomas 2. 2 q. 100. art. 1.

RESPONDEO, dicendum, quòd quamuis ſimonia effectiue ſit ſtudioſa † voluntas emendi,

A vel vendendi aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum: obiectiue tamen fit iniuria Domino ſacramentorum, & ipſorum ſpiritualium: quia illa venduntur, quæ ipſe gratis danda eſſe mandauit. Iuxta illud Mathe. 10. Gratis accepiſtis, gratis date. Vnde pecunia ſimoniacè accepta cõtra voluntatem Domini, nullo modo retineri poteſt: Verum quia Papa ipſius Chriſti, qui eſt Dominus ſacramentorum, & ipſorum ſpiritualium vicarius eſt, & diſpenſator bonorum eccleſiaſticorum, ea ratione, qua bona eccleſiaſtica poteſt recipere, & pro vtilitate Eccleſiæ, vel pro cauſa rationabili conferre quibus vult, eadem ratione pecuniã ſimoniacè datam, vel receptam (quàmuis reddenda ſit Eccleſiæ, in cuius iniuriam data eſt, vel recepta) poteſt pro vtilitate Eccleſiæ, vel pro alia cauſa rationabili dare cui placet: non tamen debet B dare illi, qui ſimoniam commiſit. quia ſicut diuina iuſtitia neſcit patrocinium dare criminibus, vt dicit Chriſoſtomus, ſic Papa: qui eſt executor diuinę iuſtitiæ, non debet commodum, vel patrocinium dare peccatis. quod fieret, ſi ſimoniacus obſolueretur, & pecunia ſimoniacè recepta non redderetur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo ſic communiter dicitur, ꝙ pecunia, vel poſſeſſio vel fructus ſimoniacè accepti debẽt reſtitui Eccleſiæ, in cuius iniuriam data ſunt: nõ obſtante, quòd Prçlatus, vel aliquis de collegio illius Eccleſiæ fuerit in culpa. quia eorum peccatum non debet alijs nocere, ita tamen, quòd quan- C tum fieri poteſt illi, qui peccauerunt, inde commodum non conſequantur. Si vero Prælatus, & totum collegium ſunt in culpa: debet pauperibus, & alteri eccleſiæ erogari. Nam verum eſt, quòd eleemoſyna non poteſt fieri de pecunia ſimoniace accepta per dantem, vel recipientem. ſed per, Papam, vel ſuperiorem auctoritatem habentem ſuper bona Eccleſiæ eleemoſina fieri poteſt.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd dans ſimoniam non poteſt ipſam repetere: quia eo ipſo, quòd turpiter dedit, ſeipſum priuat repetitione. Recipiens tamen, vel mediator iuſtè retinere non poteſt, cum recepta ſit contra voluntatem Domini illius rei, quã ipſe vendendam expoſuit. Et ideo de mandato ſuperioris habentis poteſtatem ſuper ipſa bona Eccleſiæ D eſt diſtribuenda ſecundum voluntatem eius.

A D tertium eſt dicendum, quòd ſimonia eſt turpe lucrum ratione dantis, vel recipientis, qui vendunt, vel qui emunt quod gratis eſt tribuendum ſecundum præceptum Domini. ex parte tamen Eccleſiæ, cui reddenda eſt propter iniuriam ſibi factã, non eſt turpe lucrum: quia ſponſa eſt illius, qui malis, & turpibus in bonum, & in pulchritudinem vtitur.

AR-

ARTICVLVS VI.

VTRVM PAPA POSSIT abſoluere ludentem ad aleas, abſque eo, quòd lucrum reſtituat.

S. Thom. 2. 2. q. 32. ar. 7. Et 4. ſent. d. 15. q. 3. ar. 4. Domi. Sot. lib. 4. de iuſt. & iur. q. 5. ar. 2. Armilla Tit. Ludus. §. 5. 6. & c. Couar. pleniſſimè in Regula, peccatum. De Reg. iur. lib. 6. 2. parte reelectionis. §. 4.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa poſſit abſoluere ludentē ad aleas, abſq; eo, quòd lucrum reſtituat, quia Papa non ligatur iure aliquo poſitiuo. ſed ludus alearum interdictus eſt iure poſitiuo. Ergo nō ligatur, quin cum tali diſpenſare poſſit.

2 Præterea. Magis eſt illicitus quęſtus meretricius, quàm aleæ lucrum. ſed illud, quod acquiritur per meretricium, poteſt licitè retineri. Ergo multo magis quod acquiritur per aleæ luſum.

3 Præterea: Quod accipitur à voluntario, non cēſetur furtum, vel alienum, & per conſequens non reſtituendum. ſed tale lucrum accipitur à voluntario. quia ludentes pari voluntate conueniunt quandoque ad ludum. Non eſt ergo tale lucrum reſtituendum. G

IN CONTRARIVM eſt. quia quod iure prohibetur, iuſtè nō poſſidetur: Sed † aleæ luſus in iure prohibetur ſicut patet. C. de Epiſ. & cler. § inter dicimus, & C. de relig. & ſumpt. fune. in conſtitutione græca, quæ ſic incipit: Alearum ludus. Quod ergo ſic contra ius acquiritur, iniuſtè retinetur.

† Id habetur ī authētico de ſan. Epiſc §. interdicimus al 2 & ponitur ī authētica interdicimus. C. d epiſ. & cler.

RESOLVTIO.

Ludus alearum inhoneſtus, & prohibitus eſt. Hinc lucrum huiuſmodi reſtituendum eſſe, dicas licet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut dicit Iſidorus. & ponitur 1. diſt. cap. Ius naturale. De iure E naturali eſt, omnium communis poſſeſſio. de iure vero poſitiuo, vel gentium eſt ſedium occupatio, & rerum acquiſitio. Vnde acquiſitio rerum, & modus acquirendi ex iure humano determinatur. qui, quantum ad præſens, triplex eſt. Nam quidam eſt honeſtus, & de iure conceſſus, vt fiat per aliquem iuſtum venditionis, vel donationis titulum. Quidam inhoneſtus, ſed permiſſus à iure propter maius malum vitandum, vt per meretricium, quod permittitur in lege humana propter vitandum adulterium. Alius inhoneſtus, & à iure prohibitus, vt per aleæ ludum. In primo caſu licet acquirere, & retinere, nec datur repetitio. In ſecūdo caſu non licet ſic acquirere, quia permiſſio eſt de malo, ſed licet retinere, nec competit F repetitio. In tertio vero caſu nec licet acquirere, nec retinere, ſed competit repetitio. quia ergo ludus alearum eſt inhoneſtus, & prohibitus: qui ſic lucratur, non iuſtè acquirit, nec poteſt retinere: immo cō petit repetitio infra 40. annos, vt dicit præmiſſa conſtitutio græca. C. de reli. & ſumptu. fune. l. Alearum ludus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Papa nō ligatur iure poſitiuo, inquantum contradicit iuri naturali, vel diuino. Sed prout ius naturale, vel diuinū iure poſitiuo iuuatur, & fauetur: tanto magis ipſe iure poſitiuo ligatur: quanto magis eſt iuris naturalis, & diuini fautor, & obſeruator. Vnde dicit Auguſtinus, & ponitur 9. diſt. cap. Imperatores. Quòd quicunque legibus Imperatorum, quæ pro fidei voluntate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ quamuis quæſtus meretricius ſit magis inhoneſtus, non tamē magis, immo minus eſt humana lege prohibitus.

AD tertium eſt dicendum, quòd quando ludentes pari voluntate conueniunt ad ludum, neuter poteſt lucrum retinere: ſed eſt pauperibus erogandum. Si vero vnus trahitur ab alio (quia tunc præſumitur fraus) illi reſtituendum eſt, qui tractus fuit ad ludum.

QVAEST. LXIII. DE DISPENSATIONE PER LIGATIONEM.

VLTERIVS videndum eſt de Papę ligatione. Circa quod quęruntur quatuor.

Primo, Vtrum preceptum Papę magis liget, quàm ligamen legis naturę.

Secundo, Vtrum pręceptum Papę magis liget, quàm H *ligamen conſcientię erroneę.*

Tertio, Vtrum pręceptum Papę magis liget, quàm ligamen conſcientię rectę.

Quarto, Vtrum pręceptum Papę liget vniuerſaliter in omnibus.

ARTICVLVS I.

VTRVM PRAECEPTVM Papa magis liget, quàm ligamen legis naturæ.

S. Thomas 1.2. q.94. art.5.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ præceptum Papæ minus liget, quàm præceptũ legis naturę. Quia min⁹ ligat mutabile, & fallibile, quàm ligamen immutabile, & in fallibile. ſed ligamen legis naturæ eſt infallibile, & immutabile: præceptum vero Papæ eſt fallibile, & mutabile. Ergo minus ligat.

2 Præterea: Ligamen impreſſum à Deo magis ligat, quàm ligamen impreſſum ab homine: Sed pręceptum legis naturæ eſt ligamen impreſſum à Deo (vt dicit Auguſtinus in de vera Reli. [Tomo 1.] præceptum vero Papæ eſt ligamen impreſſum ab homine. Magis ergo ligat ligamen legis naturæ, quàm præceptum Papæ.

3 Præterea: Ligamen illud. quo ligant præcepta diuina, & humana, magis ligat, quàm illud ligamen, quo ligant præcepta humana tantum. Sed ligamine legis naturæ præcepta diuina, & humana ligant: pręcepta vero Papæ ſolum ligant humanæ leges. Magis ergo ligat ligamẽ legis naturæ, quàm pręceptũ Papę.

IN CONTRARIVM eſt. quia ligamen legis naturæ per peccatum corrumpitur, ſicut dicit glo. Roma. 1. præceptum vero Papæ numquam tollitur: Nautcula enim Petri licet fluctuet: numquam tamen demergitur.

RESOLVTIO.

Papa ligamen magis ligat, quàm legis naturæ. Illud enim potentialiter, & actualiter, reſpectu agibiliũ, & ſpeculabilium, vniuerſaliter, et particulariter ligat: Hoc autem potentialiter, reſpectu agibilium, & vniuerſaliter tantum ligat.

RESPONDEO, dicendũ, quàm lex naturæ tripliciter põt cõſiderari. Primo formaliter, & quiditatiue, & ſic formaliter eſt quidã habitus determinans, & inclinas humanũ intellectũ, ne faciliter poſſit deuiare, vel errare. Omne enim indeterminatũ indiget aliquo determinãte: potẽtia autẽ intellectiua indeterminata eſt: ideo indiget aliquo habitu inclinãte, & determinãte ipſam ad actũ eius. Secũdo materialiter, & ſubiectiue. Et ſic talis habitus imprimitur intellectui practico, & eſt in intellectu practico tamquã in ſubiecto. Eſt enim vnus intellect⁹ practicus, & ſpeculatiuus: ſed differũt ratione finis. quia finis intellectus ſpeculatiui eſt veritas: practici vero opus, vt dicit Philoſophus. [Ariſt 2. Metaph. text. com. 3.] Vnde ſicut intellectui ſpeculatiuo inſerta eſt notio principiorum ſpeculatiuorum, ſicut. Omne totum eſt maius ſua parte: ſic intellectui practi-

A co inſerta eſt notio principiorum operatiuorum: vt, Nemini faciendum eſſe illud, quod homo nollet ſibi fieri, & iſta notio propriè lex naturæ appellatur. Tertio, poteſt conſiderari finaliter, & obiectiue: & ſic eſt reſpectu vniuerſalium principiorum agendorum, nõ particularium. Vnde proprie lex naturæ eſt habitus cognitiuus, quãtum ad ſuam rationem formalem, & naturaliter intellectui practico impreſſus, quantum ad ſuam rationem materialem. & eſt reſpectu principiorum agendorum vniuerſalium, & non particularium, quantum ad ſuam rationem obiectalem. Quia ergo formaliter eſt habitus, eſt potentialium, non actualium. quia vero materialiter eſt in intellectu practico, eſt operabilium, non ſpeculabilium. ſed quia obiectum eius eſt vniuerſale: nõ eſt reſpectu particu-

B larium, ſed vniuerſalium ſolum. Ergo magis ligat præceptum Pape, quàm ligamen legis naturæ. quia præceptum Papæ ligat potentialiter, & actualiter: ligamen vero legis naturæ potentialiter ſolum. Similiter præceptum Papæ ligat reſpectu agibilium, & ſpeculabilium: ligamen vero legis naturæ reſpectu agibilium ſolum. Eodem modo præceptum Papæ ligat vniuerſaliter, & particulariter. ligamen vero legis naturæ vniuerſiliter tantum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ pręceptũ Papæ perſonaliter, & inſtrumentaliter mutabile eſt, & fallibile. ſed auctotitatiue, & principaliter immutabile eſt, & infallibile. quia auctoritas diuina, cui innititur,

C immutabilis, & infallibilis eſt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ præceptum Papę impreſſum eſt ſimiliter à Deo: puta à Chriſto, qui dixit Petro: Quodcumq; ligaueris ſuper terram, ligatũ erit, & in cœlis: & tanto impreſſio iſta eſt in fallibilior impreſſione legis naturę, inquantum impreſſio legis naturę, quę eſt habitualis, [Math 16.] per actualem exercitationem poteſt deprauari in malum, & reformari in bonum. ſed iſta impreſſio nuſquam vniuerſaliter deprauari poteſt, ſicut numquam vniuerſaliter fides Eccleſiæ poteſt deficere.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ligamine legis naturæ ligant præcepta diuina: & humana virtualiter habitualiter, & vniuerſaliter. Sed particulariter, &

D actualiter talis ligatio explicata fuit in lege Moyſi per diuerſa præcepta: poſtmodum in lege noua per ſuperadditas perfectiones, & particulares declarationes. Planum eſt enim, ꝙ vtriuſque legis Papa eſt interpres, & declarator, tamquã Vicarius Chriſti.

ARTICVLVS II.

VTRVM PRAECEPTVM Papæ magis liget, quàm ligamen conſcientiæ erroneæ.

S. Thomas 1. 2. q. 19. art. 5. Et 2. ſent. d. 39. q. 3. art. 3. Aegid. Columna Rom. 2. ſent. d. 39. q. 3. art. 3. Et alij Doctores in eadem Diſt. Syluest. in ſumma, Verbo. conſcientia. Et Armilla Tit. conſcientia.

AD ſecundum ſic proceditur. Videmr enim, ꝙ præcepmm Papæ non magis liget, quàm ligamen conſcientię erroneæ. Quia conſcientia erronea ligat ad malum. Tenemr enim homo ſequi conſcientiam erroneam dictantem bonum eſſe, quod malum eſt. Dicit enim gloſa ſuper illo verbo Roma. 14. Omne, quod non eſt ex fide, peccamm eſt: Et ſi bonum eſt, quod fit tamen, ſi fit contra conſcientiam, malum eſt. Tenetur autem quilibet vitare malum, & per conſequens quilibet tenetur ſequi conſcientiam erroneam. ſed præceptum Papæ non ligat ad malum. Magis ergo ligat ligamen conſcientiæ erroneæ, quàm præceptum Papæ.

2 Præterea: Scribitur Galath. 5. Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, ꝙ debitor eſt vniuerſæ legis implendæ. ſed impletio legalium poſt aduentum Chriſti non ligabat ex præcepto diuino, ligabat ergo ſolum ex conſcientia. & quia illud malum erat, quia ſeruare legalia poſt aduentum Chriſti, malum erat. Ligat ergo conſcientia erronea ad malum, ad quod non ligat præceptum Papæ.

3 Præterea: Agens contra conſcientiam ſemper peccat, ſiue bonum, ſiue malum faciat. Ergo homo ſemper tenetur ſequi ligamen conſcientiæ. Sed præceptum Papę nõ tenetur homo ſemper ſequi. ſi enim pręcipiat contra legem Dei: non eſt ſibi obediẽdum. magis ergo ligat conſcientia erronea, quàm præceptum Papæ.

† cap. 2. de conſtit. lib. 6. l. fin. ff. de iuriſd. om. iud. & l. 1. & 2. C. quádo prouo. non eſt neceſſ. c. 1. de ſenten. & re iudic. & ibi gloſ. & cap. ſi dili genti. de foro compet.

IN CONTRARIVM eſt, quia falſa † ſententia iudicis non ligat. quod dupliciter contingit. Primo ſi ſententia feratur à non proprio iudice, ſed alieno. Secundo, ſi manifeſtum errorem contineat. Vtroque enim modo non ligat. ſed conſcientia erronea eſt falſus iudex, & manifeſtum errorem continet: maxime ſi dictat faciendum eſſe contrarium legi naturæ, vel diuinæ. Minus ergo ligat, quàm pręceptum Papę.

RESOLVTIO.

Papę pręceptum magis ligat, quam ligamen conſcientia erroneæ, quę, dum durat, ligat tam ad malum, quàm ad bonum: ſed ad pręceptum Superioris deponi debet. Illud enim magis virtualiter, & vniuerſaliter: Hoc verò magis extenſiue ligat.

E RESPONDEO, dicendum, quòd † conſcientia erronea eſt erroneum iudicium de agendis. Agibilia autem quantum ad præſens in triplici genere ſunt. Quædam enim ſunt, ad quorum obſeruationem, vel uitationem tenemur ex lege diuina, vt quæ continentur in pręceptis affirmatiuis, vel negatiuis. Quædam vero ſunt, ad quorum impletionem non tenemur, ſed inducimur, vt quæ continentur in conſilijs, & admonitionibus. Quædã vero ſunt, ad quorũ impletionem non tenemur nec inducimur, vt opera indifferentia, & actiones naturales, ſicut leuare feſtucam, vel non leuare: comedere, vel non comedere. De primis ergo eſt dubium an teneamur ſequi cõſcientiam erroneam: quia de conſilijs, & operibus indifferentibus non videtur eſſe dubium. Planum eſt enim,

† Conſcientiæ explicationem vide in Aegidio Roma. 2. ſent. pag. 14. col. 2. litera d.

F ꝙ ſi quis credat ſe ligari, & teneri ad intrandum religionem, peccat ſi non intrat. Si quis ſimiliter credat ſe teneri leuare feſtucam: niſi leuet, peccat. ſed de pręceptis diuinæ legis eſt dubium. quia de eis eſt diuina obligatio in contrarium. Vnde dicunt aliqui, quòd ſi quis credat ſecundum conſcientiam ſe teneri ad fornicandum, vel ad furtum committendum. non tenetur tale ligamen conſcientiæ ſequi. quia non tenetur homo facere illud, vel ſequi conſcientiam in eo, qd eſt legi diuinæ contrarium. Vnde dicunt, ꝙ conſcientia erronea non ligat in malis, & ad ſequendum illa, quæ ſunt diuina lege prohibita. Verum quia (vt Auguſtinus videtur dicere) Facere contra conſcientiam, ſiue bonum, ſiue malum fiat; ſemper eſt peccatum. Ideo puto, ꝙ conſcientia erronea in malum obli

G gat ad ſequendum, non ſimpliciter, & per ſe: ſed ſecundum quid, & per accidens. inquantum creditur recta, quamdiu manet erronea. Concurrit enim ſuper eundem actum duplex vinculum contrarium. Vnum legis naturæ, quod eſt vinculum ligans ſimpliciter, & per ſe. puta non eſſe furandum, nec fornicandum.

Aliud uinculum errantis conſcientiæ, quo creditur licere fornicari, & furari, quod quidem vinculum ligat ſecundum quid, & per accidens, inquantum conſcientia creditur recta. Vnde quicquid facit homo, durante tali conſcientia erronea, peccat. Nam ſi fornicatur, facit contra ligamen diuini præcepti. ſi vero non fornicatur facit contra ligamen conſcientiæ. Sed quomodo pecat vtroque mo-

H do, ex quo perplexus eſt, & quaſi ad impoſſibile obligatus? Vniuerſaliter enim ſecundum Auguſtinum, † illud, cui reſiſti non poteſt, peccatum non eſt: talis autem non videtur poſſe reſiſtere, quin alterum iſtorum incurrat. Ad quod dicitur, quòd ſimpliciter nõ eſt perplexus, quia poteſt, & debet conſcientiam erroneam deponere ad præceptum Papæ, vel Superioris. Et in hoc ſoluitur propoſita queſtio. quia magis ligat præceptum Papæ, quàm ligamen conſcientię erroneæ. Verum enim eſt, quòd ſecundum quid, & vt nunc magis ligat ligamen conſcientię erroneę, quàm præceptum Papę extenſiuè. eo, ꝙ conſcientia erronea durante erronea: ligat ad malum, & ad bonum. Ad bonum quidem ex obligatione præcepti diuini. Ad malum vero, ex obligatione erroneæ conſcientiæ, quę putatur recta; pręceptum vero Papæ

† lib. 3. de lib. arb cap. 18. Tom. 1.

nun-

numquàm ligat niſi ad bonum. quia ad malum præceptum Papæ non eſſet tenendum. immo omnino ſpernendum; ſed virtualiter, & vniuerſaliter magis ligat præceptum Papæ: quia homo ſemper, & vniuerſaliter in omnibus tenetur erroneam cõſcientiam dimittere ad præceptum ſui Superioris: & eius determinationi ſtare, ac eius perplexitatem in ſua determinatione relinquere.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes in oppoſitum factas.

ARTICVLVS III.

VTRVM PRAECEPTVM Papæ magis liget, quàm ligamen rectæ conſcientiæ.

Doctores citati in præcedentibus articulis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quod præceptum Papæ magis liget, quàm ligamẽ rectæ conſciẽtiæ. quia ſemper ligat magis mandatum Superioris, quàm inferioris. ſed Papa eſt ſuper animas omnium hominum, iuxta illud Roma. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Ergo Papa eſt ſuper cõſcientias omnium. Præceptum ergo eius magis ligat, quàm præceptum conſcientiæ propriæ.

C

2 Præterea: Magis ligatur quis eo, à quo ſe nõ poteſt abſoluere, quàm eo, à quo poteſt ſe abſoluere: Sed à præcepto Papæ homo non poteſt ſe abſoluere: poteſt autem ſe abſoluere à ligamine conſcientiæ. Ergo magis ligat præceptum Papæ, quàm ligamen conſcientiæ propriæ.

3 Præterea: Magis ligat quod certum eſt eſſe bonum, quàm quod non eſt certum: ſed certum eſt, quod præceptum Prælati eſt bonum. Scribitur enim Prouerb. 16. Diuinatio eſt in labijs Regis: in iudicio non errabit os eius. Fortius ergo eſt ligamen præcepti Prælati, quàm ligamen conſcientiæ.

IN CONTRARIVM eſt. quia vinculũ, quod abſoluit à præcepto Dei, tollit vinculum præcepti Papæ: ſed dictamen conſcientiæ abſoluit à præcepto D Dei. Si enim alicui mulieri dictat conſcientia, iſtum eſſe virum ſuum, qui tamen in rei veritate non eſt ſuus vir, & cognoſcatur ab eo: nec peccat, nec tranſgreditur præceptum Dei. quod tamen tranſgrederetur, niſi eſſet dictamen conſcientiæ. Multo magis ergo ligamen conſcientiæ abſoluit à præcepto Papæ.

RESOLVTIO.

Papæ præceptum magis ligat intenſiuè: Conſcientia verò recta extenſiuè. Hæc enim in omnibus ligat: Illud verò non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd ligare magis, poteſt intelligi dupliciter: vel extenſiuè: vel

A intenſiuè. Si ergo accipitur conſcientia recta, quæ recta eſſe creditur, extenſiuè in pluribus ligat ligamen conſcientiæ ſic rectæ, quàm præceptum Papæ. Cuius ratio eſt, quia cum ſit duplex iudicium: diuinum, & humanum; Deus in ſuo iudicio magis penſat affectum, quàm effectum, cum ipſe intueatur cor: homo vero magis effectum, quàm affectum, cum videat quæ foris parent, vt ſcribitur 1. Regum 16. Vnde ſi quis contra conſcientiam facit aliquod bonũ, quod non bono affectu facit: quamuis non faciat contra legem, ſecundum humanum iudicium: facit tamen contra diuinum iudicium, & meretur pœnã. E contrario ſi quis faciat aliquod malũ humana lege prohibitum, quod ſecundum ſuam conſcientiam credatur bonum: quia facit bono affectu, quamuis faciat con-

B tra legem ſecundum humanum iudicium: non tamẽ facit contra diuinum iudiciũ, nec in tali iudicio meretur pœnam. Conſcientia ergo recta, quæ recta eſſe creditur, in omnibus ligat. præceptum vero Papæ non ligat in omnibus. quia in malis, & in his, quæ ſunt contra Deum non ligat. Intenſiuè tamẽ fortius ligat præceptum Papæ, quàm ligamen conſcientiæ. quia ligat in foro exterioris iudicij: in quo non ligat ligamen conſcientię: cum ſolius cogitationis ſecundum iudicium humanum nemo mereatur pœnam: & ligat in foro interioris conſcientiæ: eo, quod homo conſcientiam ſuam rectam ad præceptum Papæ debet conformare. erroneam vero conſcientiã ad præceptum Papæ debet deponere.

C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod Papa eſt ſuper hominis conſcientiam in foro exterioris iudicij: In foro vero interioris conſciẽtiæ homo ſubijcitur ſoli Deo, qui ſecundum intentionem eius operi ſuo finem imponit. vnde in pluribus ligatur homo interiori conſcientia, quàm præcepto Papæ; eo, quòd quicquid agit homo contra conſcientiã, credens contra Deum agere, eius iudicio punitur: Sed nõ quicquid homo agit contra Papam, vel tranſgreſſor mãdati Papæ in omnibus eſt puniendus.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd à vinculo conſcientiæ non poteſt aliquis ſe abſoluere, ſicut nec à pręcepto Papæ. Nam ſi ligamen conſcientiæ eſt re-

D ctum, tenetur illud ſequi, & ſic ab eo ſe non abſoluit. ſi vero eſt erroneum, tenetur illud deponere: non ſuo iudicio, ſed iudicio Superioris.

AD tertium eſt dicendum, quod argumentum arguit efficacius vinculum eſſe præceptum Papæ, quàm ligamen conſcientiæ: Et quod in vinculo conſcientiæ tenetur ſtare præcepto Papæ, an ſit rectum, vel erroneum. Sed quamdiu creditur eſſe rectum, in pluribus ligat, quàm præceptum Papæ.

ARTI-

ARTICVLVS IIII.

UTRUM PAPAE PRAECEPtum liget vniuerſaliter in omnibus.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ præceptum Papæ liget vniuerſaliter in omnibus, quia, qui obligatur ad maius, obligatur ad minus. Sed illa, quæ ſunt de regula Chriſtianæ fidei, in quibus homo obligatur Papæ F obedire, maiora ſunt, quàm illa, quæ ſunt indifferētia. Ergo in iſtis præceptum Papæ ligat.

2 Pręterea: Præceptum Dei ligat in omnibus: ſed præceptum Papæ ligat virtute Dei. Iuxta illud Lucæ 10. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ergo præceptum Papæ ligat in omnibus ſimiliter.

3 Præterea: Bernardus dicit: Salutare credas quicquid Prælatus iniunxerit. quodcumque ergo mandatum Vicarius Chriſti tradiderit, exequēdum eſt: vbi contraria diuinæ legis non præcipiat. G

In de diſpē ſat. & pcep. IN CONTRARIVM eſt. Dicit enim Bernardus: Non plus exigas à me, niſi illa, quæ promiſi; ſed homo in Religionę Chriſtiana non promittit omnia indifferentia ſeruare. Non ergo in omnibus præceptum Papæ ligat.

RESOLVTIO.

Papæ præceptum in ijs, quæ ſunt de ſalutis neceſſitate, ſi ſint explicita, virtute diuini præcepti: ſi ſint implicita, virtute clauium ligat. In ijs verò, quæ tantum ſunt congrua, vel indifferentia, non item, niſi fortè ratione contemptus.

E RESPONDEO, dicendum, quòd in Religione Chriſtiana, cuius Papa monarchiam tenet, Aliqua præcipiuntur, quæ ſunt de ſalutis neceſſitate. Aliqua vero ſuadentur, quæ ſunt de congruitate. Aliqua vero aguntur, quæ ſunt indifferentia. In primis, quantum ad illa, quæ ſunt explicita, præceptū Papæ ligat virtute diuini pręcepti. Quantum verò ad illa, quæ ſunt implicita: ligat præceptum Papæ ex virtute clauium. Quia ſuum eſt determinare, & declarare, quæ ſunt illa, quæ quilibet profitetur obſeruare in Religione Chriſtiana. In ſecundis verò, & tertijs, præceptum Papæ nō ligat. Quia nec ligat præceptum Dei, niſi fortè ratione contemptus. Vel niſi illa, quæ creduntur eſſe indifferentia, Papa mandaret intelligenda, eſſe ſeruanda in profeſſione Chriſtianæ Religionis. Dicit enim gloſſa ſuper illo verbo Matth. 23. Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæcunque ergo dixerint vobis, ſeruare, & facite; ꝙ præcepta Prælatorum retinenda ſunt in his, quæ pertinent ad Cathedram: vel in his, quæ reducuntur ad Cathedram.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, ꝙ illa, quæ in Chriſtiana Religione continentur tamquam præcepta, maiora ſunt neceſſitate, quàm conſilia, vel indifferentia: non tamen ſunt maiora congruitate. Vnde præceptum Papæ in illis ligat ex neceſſitate. in iſtis autem non niſi quadam congruitate.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ præceptum Papæ virtute præcepti Dei ligat. Et ideo illa, quæ à Deo non præcipiuntur, ſed ſuadentur, vel indifferentia habentur; præceptū Papæ ſimiliter ligare nō debet.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ illud verbum Bernardi intelligendum eſt de humilitate, & congruitate: non autem de neceſſitate.

QVAES. LXIIII. DE DISPENSATIONE PER PRAEDICATIONEM.

DEINDE videndum eſt de diſpenſatione prædicationis. Circa quod quæruntur ſex. H

Primo, Vtrum diſpenſatio prædicationis in Papa ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis.

Secundo, Vtrum ſine auctoritate Papę conueniat Epiſcopis prædicare.

Tertio, Vtrum Papa poſſit Religioſos ad officiū prædicationis aſſumere.

Quarto, Vtrum Papa Religioſis petentibus, & procurantibus debeat officium prædicationis conferre.

Quinto; Vtrum ſola auctoritate Papæ, ſine requiſitione Epiſcoporum, & Presbyterorum, Religioſi poſſint prædicare.

Sexto, Vtrum Magiſtris in Theologia ex officio conueniat prędicare, ſicut Epiſcopis.

ARTICVLVS I.

VTRVM DISPENSATIO prædicationis in Papa ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis.

Præter cap. cum ex iniuncto de hęret. vide cap. ſicut in vno. eod. tit. & cap. Quicumque. §. inhibemus. de hęr. lib. 6. Concilium Tridenti. ſeſſio. 5. de refor. cap. 2. §. Siqui vero. & ſeq. & ſeſſione 24. de refor. cap. 4. & Franciſcum Pegnam lib. 2. commet. in Directorium inquiſitorum commentario. 8. vbi plene de materia huius articuli.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quod diſpenſatio prædicationis in Papa nõ ſit alicuius poteſtatis ordinis, vel iuriſdictionis. Quia in prædicatione requiritur doctrina: Iuxta illud Eccle. 5. Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo tuo; ſin autẽ, ſit manus tua ſuper os tuum. Sed multi laici ſunt literati magis, quàm clerici. Ergo nulla alia poteſtas requiritur ad prædicandum, niſi doctrinæ veritas.

2 Præterea: Ad prædicandum requiritur miſſio: Iuxta illud Roman. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? ſed aliqui interius diuinitus inſpirati à Deo mittuntur ad prædicandum, ſicut beatus Gregorius refert in dialogo de beato Benedicto, qui homines montis Caſſini ſua prædicatione ad fidem adduxit: & de quodam Equitio, cui Angelus in ſomnis apparuit, & eum ad prædicandum miſit. Ergo ſine poteſtate ordinis, vel iuriſdictionis inſpirati à Deo poſſunt prædicare. (lib 1. dial. c. 8. & cap. 4.)

3 Præterea: Scribitur Eccle. 17. quod Deus vnicuiq; mandauit de proximo, vt eripiat eum ab omni iniquo. Ex ſolo ergo præcepto diuino quilibet tenetur proximo ſuo prædicare, & ipſum inſtruere abſque aliqua alia poteſtate recepta à Papa, ordinis, vel iuriſdictionis.

IN CONTRARIVM eſt. quod ſcribitur extra de hęreticis cap. Cum ex iniuncto.

RESOLVTIO.

Diſpẽſatio prędicationis ad iuriſdictionis poteſtatẽ ſpectat: non autem ordinis. Papa enim non ordinatus prædicare põt, & officiũ prędicationis diſpenſare.

RESPONDEO, dicendum, quòd à Chriſto capite deriuata eſt in membra eius gratia, affectum inflammans, & peccata remittens, & veritas intellectum illuſtrans, & vitam æternæ vitæ oſtendens. de quibus duobus ſcribitur Ioannis 1. Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Primum iſtorum communicatur in Populo chriſtiano per ſacramentorum adminiſtrationem: Nam gratia ſacramentalis per ſacramenta nouæ legis confertur. Vnde dicuntur eſſe vaſa gratiæ, ſicut dicit Hugo 1. libro de ſacramentis. (par. 9. c. 4.) Secundum vero per ſacræ Scripturæ prædicationem: Gratiæ ergo Sacramentalis collatio, quæ reſpicit corpus Chriſti verum, vel myſticum; pertinet ad poteſtatem ordinis. quia ſacramentum Euchariſtiæ continens corpus Chriſti verum, ad quod omnia ſacramenta ordinantur; non niſi Sacerdos, & habens poteſtatẽ ordinis poteſt * conferre. (* al. conſecrare.) ſed ſacræ Scripturæ prædicatio, cum reſpiciat corpus Chriſti myſticum, pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis. Vnde prędicatio in Papa eſt poteſtatis iuriſdictionis, nõ ordinis. quia non ordinatus electus in Papam poſſet prędicare, & officium prædicationis diſpenſare: non tamen poſſet facere illa, quæ ad poteſtatem ordinis ſpectarent, niſi ordinaretur.

Ad argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd laicis quantumcumque polleant doctrina, interdicitur prædicare. Vnde ſcribitur extra de hæret. cap. Cum ex iniuncto, quòd cum ordo Doctorum ſit præcipuus in Eccleſia, non debet ſibi quiſquam indifferenter prædicationis officium vſurpare. Nam ſecundum Apoſtolum: Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? (Rom. 10.) & veritas ipſa præcipit Apoſtolis: Rogate Dominũ meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. (Luc 10.) Laicis ergo quantumcumque literatis, quia officium prædicationis eis non eſt commiſſum, prædicare non licet.

AD ſecundum reſpondetur extra de hæreti. cap. cum ex iniuncto. vbi dicitur, quòd ſi quis argumentatiue reſpondeat, quòd multi inuiſibiliter mittuntur à Deo, & ſi non viſibiliter mittantur ab homine, cum inuiſibilis miſſio ſit dignior, quàm viſibilis, & diuina longe melior, quàm humana; ideo iſtis conuenit prædicare: Talibus rationabiliter poteſt reſponderi, quòd cum interior illa miſſio ſit occulta, non ſufficit alicui tantum aſſerere, quòd ipſe ſit miſſus à Deo, cum hoc quilibet hæreticus * aſſeruerit. (* al. aſſeueret.) Nam Manichæus ſcripſit, ſe Apoſtolum Ieſum Chriſti miſſum à Deo. ſed oportet, quòd aſtruat illam inuiſibilem miſſionem per operationẽ miraculi, vel ſacræ Scripturę teſtimoniũ. ſicut Moyſi miſſo in Ægiptum ad filios Iſrael; datum eſt ſignum, vt conuerteret virgam in colubrum: (Exo. 4.) & Ioannes baptiſta ſuę miſſionis ſpeciale teſtimonium ſumpſit de Scriptura dicens: Ego vox clamantis in deſerto, ſicut dixit Iſaias Propheta. (Ioan. 1.)

AD tertium eſt dicendum, quòd monitione, & correctione fraterna cuilibet mandatum eſt de proximo, vt eripiat eum ab omni iniquo. ſed (ſicut dicit Auguſtinus in libro de nouo cantico) (Tomo 9.) Chriſtus per ſcripturas ſanctas prædicatur: non in angulis, non occulte: ſed palam, & publice. In ſole enim poſuit tabernaculum ſuum. (Pſal. 18.) quia in manifeſto collocauit Eccleſiam ſuam: &, vt ſubdit, ſi veritate fulcitur prædicatio tua: publica ſit doctrina tua. Vnde extra de hæretic. cap. Cum ex iniuncto, ſcribitur, quòd quidam laici merito ſunt arguendi, qui occulta conuenticula celebrant, & officium prædicationis ſibi vſurpant. Deus enim, lux vera, intantum odit opera tenebrarum, vt Apoſtolos per vniuerſum mũdum prædicaturos Euangelium omni

creaturæ miſſurus eis præcepit, Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.

ARTICVLVS II.

VTR. SINE AVCTORITATE Papæ conueniat Epiſcopis prædicare.

Concilium Chartaginen. 4. cap. 20. concilium Rhemen. cap. 14. Concilium Arelaten, cap. 10. concilium Lateranen. ſub Innocentio. 3. cap. 10. concilium Maguntiacum cap. 25. concilium Tridentinum ſeſſio. 24. de refor. cap. 4. cap. Epiſcopus nullam. 88. diſt. cap. inter cætera. de offic. ordinar.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſine auctoritate Papę Epiſcopis conueniat prædicare. quia non poteſt prædicare, niſi mittatur, dicente Apoſtolo Roman. 10. Quomodo prędicabunt, niſi mittantur? ſed omnes Epiſcopi in perſona Apoſtolorum miſſi ſunt à Chriſto ad prædicandum: Iuxta illud Matth. vltimo: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Non ergo indigent mitti à Papa.

2 Præterea: Archidiaconis, & Presbyteris conuenit ex officio ipſorum prædicare, vt ſcribitur 25. di. c. Perlectus. Multo ergo fortius ex officio conuenit prędicare Epiſcopis.

3 Præterea: Super illo verbo Matthæ. 16. cap. Tibi dabo claues regni cœlorum dicit gloſa, ꝙ poteſtatem ſoluendi, & ligandi, & ſcientiam diſcernendi claues regni cœlorum Chriſtus appellauit. Sed ambæ iſtę claues includuntur in officio Epiſcopali: Ergo Epiſcopis conuenit ex officio prædicare, abſque aliqua alia auctoritate.

IN CONTRARIVM eſt. quia prædicare eſt actus iuriſdictionis. Sed poteſtas iuriſdictionis deriuata eſt in Epiſcopis ab ipſo Papa. ergo abſque Papæ auctoritate prædicare non poſſunt.

RESOLVTIO.

Epiſcopis quamuis ex officio ſibi cõmiſſo prædicare conueniat; tamen quantum ad officij executionem, ſine Papæ auctoritatę non item.

RESPONDEO, dicendũ, quàm prędicare ex officio poteſt intelligi, quantum ad præſens, dupliciter. Primo, quantum ad ipſius officij commiſſionem. Secundo, quantum ad ipſius officij executionem. Primo modo prædicare poſſe conuenit omnibus, quibus animarum cura committitur. Vnde eo ipſo, ꝙ Epiſcopi, Archidiaconi, & Presbyteri ad curã animarum aſſumuntur, ex officio conuenit eis prædicare. quia in officio eis commiſſo auctoritas docendi, & inſtruendi animas eis cõmiſſas, includitur. Et dico auctoritas docendi. quia in poteſtate ordinis, qua

E quis efficitur Epiſcopus, vel Presbyter, recipitur poteſtas ligandi, & ſoluendi, quæ eſt vna clauis: ſcientiam vero, vt nominat habitum acquiſitum, vel infuſum, non recipit: niſi quantum ad auctoritatem. Poteſt enim ex tunc ſciẽtiam adminiſtrare. Non enim cum Papa facit aliquem Epiſcopum, vel Presbyterum, dat ſibi ſcientiam ligandi, dando ei poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Sed dando ſibi primam poteſtatem, qua poſſit ligare, & ſoluere: dat ſibi poteſtatem, & auctoritatem actum ſcientiæ exercendi. Ex officio ergo cõuenit Epiſcopis, & Presbyteris prędicare: Epiſcopo in ſua dioeceſi, & Presbytero in ſua Parochia. Cum enim poteſtas ligandi, & ſoluendi, & poteſtas prædicandi ſit quędam poteſtas ſpiritualis, quæ ſemper datur cum aliqua conſecratione; ideo Epiſcopus in cõ-

F ſecratione Epiſcopali, & Sacerdos in conſecratione ſacerdotali vtramque poteſtatem recipit. Vnde, quantum ad officij commiſſionem, vel receptionem Epiſcopis, & Presbyteris conuenit prædicare ex officio: Sed quantum ad officij executionem: quia hoc requirit iuriſdictionẽ ſuper determinatam dioeceſim, & ſuper determinatam Parochiam, ſicut dioeceſes, & Parochias determinare ſpectat immediate ad Papã: ſic executio prædicationis, & ſacramentorum adminiſtrationis ex officio recepto non conuenit Epiſcopo, vel Presbytero ſine auctoritate Papæ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut

G Apoſtoli miſſi ſunt ad prædicandum non niſi præſuppoſita auctoritate Petri: cui iam dictum erat ſingulariter: Tibi dabo claues regni cœlorum. Sic Epi- Math. 16.
ſcopi admittuntur, & aſſumuntur in partem ſollicitudinis, non niſi præſuppoſita auctoritate Papæ, qui ſicut dat eis auctoritatem exequendi officium receptũ ſuper tanta, vel tali materia, ſi benè vtantur: ita culpa exigente, ſi commiſſo officio abutuntur, poteſt eos dicta executione priuare.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Archidiaconis, & Presbyteris conuenit ex officio prædicare, & multo fortius Epiſcopis, poſtquam cura animarum eis committitur. Sed ſicut per Papam fit eis talis Prouincię, vel talis dioeceſis, ſiue Parochiæ cõmiſſio: ita per eum poteſt fieri illarum ſubtractio. Vnde ex offi-

H cio executionis non conuenit eis prædicatio, vel ſacramentorum adminiſtratio ſine auctoritate Papæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Epiſcopus, vel Presbyter recipit utramque clauem, quantum ad auctoritatem exercendi actum. ſed quantum ad executionem, cum hoc requirat debitam materiam ſubditorum, non conuenit eis vti clauibus, niſi Auctoritate Apoſtolica.

ARTI.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT Religioſos ad officium prædicationis aſſumere.

Concilium Lateranen. ſub Innocentio 3. cap. 10. & extrauagans Benedicti 11. Incip. Inter cunctas. tit. de priuilegijs, inter communes, & pleniſſimè S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 1.

AD tertium ſi proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit Religioſos ad officium prædicationis aſſumere. quia Papa non B poteſt contra ſtatuta Patrum aliquid condere, vel mutare, vt ſcribitur 25. q. 1. cap. Cõtra. Sed ſtatutum Patrum eſt, vt præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare, ſiue Monachus, ſiue Laicus ille ſit, vt dicitur. 16. q. 1. c. Adijcimus.

2 Præterea: Scribitur extra 25. q. 1. cap. Sunt quidam. Si quod docuerunt Apoſtoli, & Prophetæ deſtruere (quod abſit) niteretur Romanus Pontifex, nõ ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur. ſed ordinatio eſt Apoſtoli 2. Corin. x. vt nullus glorietur in alienis laboribus, & in alienis plebibus. Si ergo Papa hanc gloriam dat Religioſis, vt poſſint prędicare in Diœceſi Epiſcopi, & in Parochia Sacerdotis, conuincitur errare.

C

3 Præterea: Priuilegium indultum ſemper intelligitur ſine præiudicio alterius eſſe cõceſſum. ſed hoc non poteſt intelligi eſſe factum ſine præiudicio Epiſcoporum, & Sacerdotum, q̃ alij mittant falcem in meſſem eorum. Ergo hoc Papa facere non poteſt.

IN CONTRARIVM eſt. Quia, quod poteſt facere Epiſcopus in ſua diœceſi, poteſt facere Papa in toto orbe. Sed Epiſcopus poteſt, & debet in ſua dioeceſi eligere perſonas idoneas ad prędicationis officium, vt ſcribitur extra de offi. iur. ord. cap. Inter cetera. Ergo multo fortius hoc Papa facere poteſt. vt præter ordinarios, aliquos viros idoneos aſſumat ad prædicationis officium, qui vice ſua ſacram Scripturam prædicent Populo chriſtiano in vniuerſo orbe.

D

RESOLVTIO.

Ad officium prædicandi Religioſos aßumi poſſe à Papa dicas licet. Hi enim Apoſtolorum figuram præſeferunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui hæretici poteſtatem Eccleſiaſtici miniſterij in vitæ ſanctitate poſuerunt. Vt qui ſanctitate carerent, ordinis quoque poteſtatẽ amitterent: & qui ſanctitate fulgerent, ordinis poteſtate potiebantur. quorum errorẽ profeſſio quorundã Monachorũ cũ fuerit ſecuta, intantum de eorum ſanctitate præſumebant, vt miniſtrorum Eccleſiæ officia proprio arbitrio vſurparent:

A abſoluendo, & prædicando abſque Papæ, vel Epiſcopi, vel alicuius ſuperioris auctoritate. contra quorum pręſumptionẽ ſcribitur 16. q. 1. cap. Peruenit ad nos. Vnde valde miramur, q̃ quidam Monachi, & Abbates in Parochia veſtra contra ſanctorũ Patrum decreta, Epiſcopalia iura, & officia ſibi vſurpantes vendicant abſque proprij Epiſcopi licentia, vel Apoſtolicæ ſedis auctoritate. Mandamus itaque dilectioni tuæ, vt eos conuenias, & ne talia deinceps præſumant, omnino prohibeas. Aliqui vero nimis incaute ab iſto errore recedere volentes in contrarium errorem prolapſi ſunt aſſerentes Monachos, & Religioſos quantumcumque idoneos, & priuilegio Papali, vel Epiſcopali fulcitos nullo modo poſſe prædicare, & alia officia Eccleſiaſtici miniſterij exercere. quorum B dogmata damnantur 16 q. 1. vbi ſic dicitur: Sunt nõnulli nulo dogmate fulti * audaciſſimo zelo magis amaritudinis inflammanti, quàm dilectionis aſſerentes Monachos (quia mundo mortui ſunt, & Deo viuunt) ſacerdotalis officij potentia indignos. ſed omnino in errorẽ labuntur, quia neque beatus Benedictus Monachorum pręceptor iſtius rei aliquo modo fecit interdictũ Vnde præcipimus, vt ab huiuſmodi auſibus reprimãtur in poſterũ: quia quanto quis excelſior, tanto in illis erit potentior. Sed mater Eccleſia veritatis doctrix, & virtutis magiſtra mediam viam determinat eſſe tenendã, vt cũ auctoritate ſedis Apoſtolicæ Religioſi, & alij viri idonei ad officium prædicationis poſſint aſſumi, qui ſint coadiutores Epiſcoporum, & presbyterorum in prædicationis *, & ſacramentorum adminiſtratione in Populo chriſtiano. C Vnde ſcribitur. 16. q. 1. c. Moderamine, ex auctoritate huius decreti, q̃ Apoſtolico moderamine, & pietatis officio à nobis conſtitutum eſt, Sacerdotibus Monachis Apoſtolorum figuram tenentibus liceat prędicare, baptizare, communionem dare, pœnitentiam ponere, atque peccata ſoluere.

* al. audaciſſimo quidẽ.

* al. prædicatione.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd illud Decretum intelligitur, Papam nõ poſſe mutare de iure diuino ſtatuta Patrum, quantum ad illa, quæ decreuerunt de iure diuino. Sicut de articulis fidei, de præceptis diuinis, vel ſacramentis Eccleſię. Sed quantum ad illa, quæ determinauerunt de iure poſitiuo, relicta D ſunt ſuper diſpenſatione Papę, vt poſſit ea mutare, vel diſpenſare ſecundum, quòd opportunitates temporum, vel negotiorum occurrunt.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd Papa aſſumendo Religioſos ad prædicationis officium, non facit contra Apoſtolum, vt q̃ ipſi glorientur in alienis plebibus, vel in alienis laboribus. quia quantum ad talem actum plebes ſunt eis appropriatę, & habent in eis iuriſdictionem in prędicationis officio, ſicut Presbyteri, vel Epiſcopi, non quidem ordinariam, ſed ex commiſſione, & diſpenſatione Apoſtolicæ ſedis. Nec valet, quòd tunc poſſent procurationes ab eis recipere, ſicut Epiſcopi recipiunt. quia hoc non eſt eis conceſſum: prędicare autẽ eſt eis conceſſum. Si autem Papa concederet; poſſet recipere vnum, ſicut reliquum.

AD tertium eſt dicendum, quòd nullum præiu-

dicium ſit Epiſcopis, vel Preſbyteris. quia talis iuriſdictio prædicationis adminiſtrationis ſacramentorum non eſt eis conceſſa in fauorem proprium: ſed in fauorem ipſorum ſubditorum. Ideo in vtilitatem eorum poteſt Papa eis coadiutores dare, & ab eis ſubtrahere, & alijs imponere ſine iniuria ipſorum.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA RELIGIOSIS petentibus, & procurantibus debeat prædicationis officiũ conferre.

.Videantur citati in articulis præcedentibus.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa Religioſis petentibus, & procurantibus non debeat predicationis officiũ conferre. Ordo namque predicationis, & docendi eſt precipui honoris, & dignitatis in Eccleſia. Sed ſcribitur ad Hebre. v. Nemo aſſumat ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. procuranti ergo officium predicationis eſt negandum, non offerendum.

2 Pręterea: Eccleſiaſticum officium procurare, eſt magnæ ambitionis. Sic enim ſcribitur 8. q. 1. c. Sciendum. Cum locus ſuperior Imperatur; ille, qui ad percipienda hæc obedit, obedientię ſibi virtutem euacuat, ſi ad hæc ex proprio anhelat.

3 Præterea: Gregorius dicit in Paſto. & ponitur 8. q. 1. c. In ſcripturis. Locus regiminis ſicut deſiderantibus eſt denegandus: ita fugientibus eſt offerendus: Sed prædicare ad locum regiminis pertinet. Eſt enim ars artium regimen, & inſtructio animarum, vt dicit Gregorius. Ergo petenti prædicationis officium Papa non debet conferre.

IN CONTRARIVM eſt. quia Iſaias ſponte ſe obtulit ad pręedicationis officium, dicens Iſa. 6. Ecce ego, mitto me.

RESOLVTIO.

Papa in Eccleſia vniuerſa abſque Epiſcoporum, vel Preſbyterorũ requiſitione Religioſos ad prædicãdi munus poteſt aſſumere: ſicut Epiſcopi in ſua Diœceſi.

RESPONDEO, dicendũ, quòd pręedicationis officiũ prædicare, vel recuſare, poteſt procedere ex duplici radice bona: & ex dublici radice mala. Si namque procuretur ex charitate, & auditorum vtilitate, meritorium eſt, & laudabile. Si vero recuſetur ex humilitate, proprium imperfectum conſiderando, ſimiliter eſt laudabile. Exemplum primi Iſai. 6. Ecce ego mitto me. Exemplum ſecundi Hiere. 1. Ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Eodem modo ex duplici radice mala. Quia ſi procuræetur ex ambitioſitate, & turpis lucri gratia, eſt vituperabile. Si vero recuſetur ex quietis ſuauitate, & * corporis pigritia, ſimi-

* al. corporis.

E liter eſt damnabile. De primis dicit Petrus prima canonica ſua cap. 5. Paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei: non turpis lucri gratia, neque vt dominantes in cleris. De ſecundis dicit Iſa. 56. Canes muti nõ valentes, (& non uolentes) latrare, vt dicit alia littera.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd in pręedicatione non ſolum eſt honor, ſed labor. vtrumque tamen poteſt appeti ſine peccato. vt labor appetatur propter proximi vtilitatem, & honor propter Dei laudem: vt ipſe Deus laudetur in creatura ſua.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ obedientia eſt ſemper conſeruatiua virtutum, dummodo ſibi annectatur humilitas. Si tamen quis obedit ex proprij ho-
F noris ambitioſitate, non conſiderata proximi charitate, & ſacræ Doctrinę manifeſtationis veritate, priuatur virtute obedientię ratione ſuperbiæ, quæ eſt annexa ambitioſitati: quę omnes virtutes deuorat: ſicut vera humilitas omnes virtutes conſeruat, & iſta eſt intentio Grego. in illo decreto.

AD tertium eſt dicendum, quòd Greg. loquitur ibi de loco regiminis prælationis, non prædicationis. quæ quidem pręlatio quamuis quandoque vtiliter ſuſcipiatur: ſemper tamen indecenter appetitur, & procuratur.

ARTICVLVS V.

VTRVM RELIGIOSI SOLA
G *auctoritate Papæ ſine requiſitione Epiſcoporũ, et Preſbyterorũ prædicare poſſint.*

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. cap. 10. Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. de refor. cap. 4. & S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 1.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſola auctoritate Papæ Religioſi ſine requiſitione Epiſcoporum, & Preſbyterorũ predicare non poſſint. quia Epiſcopi maiorem auctoritatem habent prædicãdi, quàm Religioſi.
H ſed Epiſcopi extra dioeceſim ſuam nõ poſſunt pręedicare ſine requiſitione Epiſcopi illius dioeceſis. Ergo nec Religioſi poſſunt prædicare ſine requiſitione Epiſcoporum, vel Preſbyterorum.

2 Præterea: Nullus poteſt prædicare niſi mittatur. Sed non legimus, miſſos niſi duodecim Apoſtolos, quorũ perſonas reprę̨ſentant Epiſcopi. & 72. diſcipulos, quorũ perſonas repreſentant Præsbyteri Parochiales. vbi dicit glo. Lucæ 10. Ergo ſine requiſitione iſtorum nullus poteſt pręedicare.

3 Præterea: Nullus habet auctoritatem ædificare ſuper fundamento alterius, niſi auctoritate illius, cuius eſt fundamentum: Ita enim dicit Apoſtolus Roman. 15. Sic autem prædicaui hoc Euangeliũ non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum

funda-

fundamentum ædificarem. Ergo ſine requiſitione Epiſcoporum, & præsbyterorum Religioſi non debent prædicare.

IN CONTRARIVM eſt. quia prædicare eſt poteſtatis iuriſdictionis. ſed aliqui religioſi ſunt exẽpti à iuriſdictione Epiſcoporum, vt ſupra determinatum eſt. ergo ſine requiſitione ipſorum poſſunt prædicare.

RESOLVTIO.

Papa in Eccleſia vniuerſa abſque Epiſcoporum, vel Presbyterorũ requiſitione Religioſos ad prędicãdi munus poteſt aſſumere: ſicut Epiſcopi in ſua Diœceſi.

B RESPONDEO, dicendum, ꝙ non minoris auctoritatis eſt Papa in tota Eccleſia, quàm quilibet Epiſcopus in ſua propria diocęſi: immo maioris, cum in propria diocęſi Epiſcopus iuriſdictionem nõ exerceat, niſi auctoritate Papæ. Sed quilibet Epiſcopus in propria dioeceſi poteſt, & debet Religioſos, & alios idoneos viros ad ſanctæ prędicationis officium aſſumere: qui uicem ipſorum plebes Chriſti eis commiſſas ædificent verbo, & exemplo: abſque omni requiſitione Presbyterorũ, in quorum parochijs prędicant, quibus Epiſcopi tenentur neceſſaria miniſtrare, ſi indigent, tamquam cooperatoribus, & coadiutoribus ipſorũ: Sicut ſcribitur extra de offic. iu. ord. cap. Inter cætera. Ergo ſimiliter Papa poteſt, & debet in tota Eccleſia aliquos Religioſos, & idoneos viros ad ſanctæ prædicationis officiũ ordinare: cum pabulum verbi Dei permaxime noſcatur eſſe neceſſariũ in Populo chriſtiano, qui in qualibet dioeceſi, & in qualibet parochia poſſint, & debeant verbum Dei prędicare, & in eorũ locis, in quibus habitant, abſq; omni requiſitione Epiſcoporum, vel Presbyterorum poſſint predicare, & alia ſpiritualia per ſedem Apoſtolicam eis commiſſa adminiſtrare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Epiſcopi habent maiorem poteſtatem prædicandi, quàm religioſi: quia ipſi prædicant poteſtate ordinaria: Religioſi vero auctoritate Apoſtolica eis commiſſa. Et quantum ad hoc bene poſſunt extenſiue in pluribus locis prędicare, quàm Epiſcopi: quia auctoritas Papæ, ex qua religioſi prædicant, ad plura loca ſe extendit, quàm auctoritas Epiſcoporum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ miſſi poſſunt alios mittere, ſicut Paulus miſit Timòtheum, & Titum: & Petrus miſit Proſdocimum, & Marcum. Sic Epiſcopi miſſi poſſunt alios mittere ad Parochias ad prædicandum præter ipſos presbyteros, & ſine requiſitione ipſorum: cum ipſi presbyteri in proprijs parochijs nihil poſſint agere, non baptizare, nec miſſas celebrare ſine proprij Epiſcopi licentia, vt ſcribitur 15. q. 1. cap. Cunctis fidelibus. Eodem modo Papa poteſt aliquos mittere in tota Eccleſia ad prædicandum, prędter Epiſcopos, & Sacerdotes, & ſine eorum requiſitione.

1. Theſſ. 3.
2. Tim 4.

A AD tertium eſt dicendum, quòd Paulus potuiſſet prædicare, vbi Chriſtus nominatus erat: ſi fuiſſet neceſſarium, & ſic ædificaſſet ſuper alienum fundamentum: quia prædicaſſet conuerſis per alium: non tamen hoc erat expediens: quia (vt glo. dicit) Paulus ſciebat pſeudo Apoſtolos ſub nomine Chriſti falſa docere. quod poſtea corrigere maximi erat laboris. ideo ſolicitus erat præuenire, & veritatem integre tradere, vbi nondum nunciatus erat Chriſtus.

ARTICVLVS VI.

VTRVM MAGISTRIS IN Theologia ex officio conueniat prædicare, ſicut Epiſcopis.

B AD ſextũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Magiſtris in Theologia ex officio non conueniat prædicare ſicut Epiſcopis. quia Epiſcopis conuenit ex officio prędicare ex eo, quod cura animarum eſt eis commiſſa. ſed Magiſtris in Theologia non eſt commiſſa cura animarum. Ergo ex officio nõ conuenit eis prædicare, ſicut Epiſcopis.

2 Præterea: Poſterius non datur ſine priori: ſed poteſtas ſcientiæ, & diſcernendi præſupponit poteſtatem ligandi, & ſoluendi. Cum ergo Magiſtri in C theologia non poſſint ſoluere, & ligare, non poterũt ex officio prædicare, ſicut Epiſcopi.

3 Præterea: Officium Epiſcopale indecenter appetitur ſecundum Gregorium. Officium vero magiſtràle, ſecundum aliquos decenter appetitur, & procuratur. Non ergo Magiſtro ex officio conuenit prædicare, ſicut Epiſcopo. 8. q. 5 c. In ſcripturis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Magiſtri in theologia auctoritate Papę poſſunt prędicare vbique. Epiſcopi vero ſolum in propria diœceſi. Magis ergo ex officio conuenit prædicare Magiſtris in Theologia, quàm Epiſcopis.

RESOLVTIO.

D *Epiſcopis ex officio Epiſcopali prædicare contingit: Magiſtris verò ex munere magiſtrali prædicandi officium conuenire, dicas licet.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Epiſcopis cõuenit prędicare ex officio Epiſcopali: Magiſtris vero ex officio magiſtrali. Sicut ergo differunt officiũ Magiſtrale, & Epiſcopale; ſic differẽter conuenit prædicare ex officio Epiſcopis, & Magiſtris. Planũ eſt autem, quòd quicumque recipit cathedram Epiſcopalem, recipit eminentiam potentię, quam prius non habebat: & per hanc potentiam recipit auctoritatem communicandi ſcientiam, quam prius habebat. Qui autẽ recipit cathedrã magiſtralẽ, non recipit eminentiã ſcientiæ; quã prius non habebat. Non enim qui licẽtiat aliquẽ ad Magiſteriũ, dat ſibi ſcientiã, quã pri-

non habebat) ſed recipit auctoritatem docendi, & communicandi ſcientiam prius acquiſitam. Sicut enim poteſt eſſe iuriſperitus, & tamen caret poteſtate, & auctoritate iudicandi: & econuerſo aliquis poteſt habere auctoritatem iudicandi: & tamen caret ſcientia iuris. Sic aliquis poteſt habere ſcientiam ſacræ Theologiæ: & tamen caret auctoritate docendi, & communicandi ſcientiam: & aliquis poteſt habere auctoritatem communicandi, & docendi, & tamen caret ſcientia. Sicut Epiſcopus eo ipſo, q̃ Epiſcopus

E habet auctoritatem in ſua Diœceſi docendi, & prædicandi: ſi tamen caret ſcientia, non poteſt nec docere, nec prædicare. Aliter ergo ex officio conuenit prædicare Epiſcopis, & aliter Magiſtris in Theologia. Quia Epiſcopis conuenit prædicare ex officio propter poteſtatem receptã in cathedra Epiſcopali; ſed Magiſtris conuenit ex officio prædicare per auctoritatem receptam in cathedra magiſtrali.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes in contrarium.

QVAEST. LXV. DE DISPENSATIONE PER CONFESSIONEM.

NVNC videndum eſt de diſpenſatione confeſſionis. Circa quod quæruntur Sex.

F *Primo, Vtrum Papa poſſit facere, q̃ quilibet Chriſtianus non confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti.*

Secundo, Vtrum auctoritate Papæ Religioſi poßint in qualibet Parochia, ſicut proprij Sacerdotes confeſſiones audire.

Tertio, Vtrum Papa poſſit facere, q̃ peccata ſemel confeſſa homo teneatur iterum confiteri.

Quarto, Vtrum Papa poſſit facere: q̃ confeſſio eorūdem peccatorum habeat efficaciam vltra ſemel.

G *Quinto, Vtrum Papa poſſit facere, q̃ quis differat confeſſionem vſque ad Quadrageſimam ſine peccato.*

Sexto, Vtrum ex præcepto Papæ Sacerdos Parochialis teneatur credere ſoli verbo ſuo ſubdito dicenti ſe eſſe confeſſum Religioſo habenti auctoritatẽ abſoluendi.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT facere, quòd quilibet Chriſtianus non confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti.

H

Præter Doctores in cap. Omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſ. vide extrauag. Ioann. 22. incip. Vas electionis. tit. de hæret. inter coẽs. S. Thom. in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 8. ar. 4. & Sotũ lib. 4. ſent. d. 18. q. 4. ar. 2.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit facere, quòd quilibet Chriſtianus non confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti. Quia ſcribitur extra de pæn. & remiſſ. Omnis vtriuſque ſexus, ſaltem ſemel cõfiteatur in anno fideliter proprio Sacerdoti. Stante ergo illa decretali in ſuo vigore, Papa non poteſt facere, q̃ confeſſio peccatorum cuiuslibet Parochiani non fiat ſemel in anno proprio Sacerdoti.

2 Præterea: Papa non poteſt contra ius naturale. quia nullus poteſt eſſe iuris diſpenſator, niſi illius ſit ordinator: Ius autem naturale ordinatum eſt à Deo non à Papa, ſed de iure naturali eſt ſubijci filium ſpiritualem Patri ſpirituali, ſicut filium carnalem patri carnali, vt dicit Apoſtolus ad Hebr. 12. Vnde ſicut Papa nõ poteſt ſubtrahere filios Iudęorum, vt inuitis parentibus, faciat baptizari: ita non poteſt ſubtrahere filios ſpirituales ab ipſis Sacerdotibus.

3 Præterea: Ordo Eccleſiaſticæ hierarchiæ imitatur ordinem cœleſtis hierarchiæ, quem Papa tollere non poteſt. Sed ſicut Papæ ſubiiciuntur Archiepiſcopi. ſic Epiſcopi Archiepiſcopis, & Sacerdotes Epiſcopis. Sed Archiepiſcopi non poſſunt ſe intromittere de his, quæ ſpectant ad Epiſcopos, vt dicitur 9. q. 3. cap. Nullus. Ergo nec Papa de Epiſcopis: nec Epiſcopi de ſacerdotibus.

IN CONTRARIVM eſt. quia Epiſcopus poteſt in qualibet Parochia ordinare præter proprios Sacerdotes aliquos idoneos viros in confeſſionibus audiendis: & pœnitentijs iniungendis, vt dicitur extra de offi. iu. ordi. c. Inter cętera. Ergo multo fortius hoc poteſt facere Papa in tota Eccleſia.

RESOLVTIO.

Papa, cum in vniuerſa Eccleſia ſit vniuerſalis Sacerdos, facere poteſt, vt quilibet Chriſtianus ſemel in anno proprio Sacerdoti non confiteatur.

RESPONDEO, dicendum, quòd diſtinguendũ eſt primo de proprio. Nam quandoque proprium accipitur, vt diuiditur contra alienum: quandoque vero accipitur, vt diuiditur contra commune. Primo modo, vt proprium diuiditur contra alienũ, accipitur Ioan. 10. Vbi dicitur: Oues proprium Paſtorem ſequuntur: alienum autem fugiunt, quia nõ nouerunt vocem alienorum. Secundo vero modo, vt proprium diuiditur contra commune, accipitur

primo

Ariſt.1.Topic. cap. 3. & Porph.c. 5 in Prædicabilibus.

A primo Topicorum, vbi dicitur: Proprium eſt,quod conuenit vni ſoli, & quod indicat,quid eſt eſſe rei,& conuerſim prædicatur de re. Primo modo ergo accipiendo proprium, vt diuiditur contra alienũ,ſtante illa decretali: Omnis vtriuſque ſexus. Papa nõ poteſt facere, quòd aliquis non confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti ſine eius licentia. vbi dicitur: Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua peccata confiteri, licentiam prius poſtulet,& obtineat à proprio Sacerdote, cum alienus eum nõ poſſit ſoluere, vel ligare. Sed ſecundo modo, ſtante illa decretali in ſuo vigore,poteſt: Quia ſicut Epiſcopus eſt Sacerdos communis in tota diœceſi,& ſi quis confitetur ſibi: confitetur proprio Sacerdoti,vt propriũ diuiditur contra alienum, non contra commune: Sic B Papa in toto orbe eſt Sacerdos communis, & cũ quis confitetur Papæ,vel alteri de ſuo mandato,confitetur proprio Sacerdoti: Cum nec curatus ſit proprius Sacerdos, niſi de mandato ſuo. nullus enim Sacerdos nec ſecularis, nec Religioſus habet aliquam iuriſdictionem ſuper aliquos, niſi de iure poſitiuo Papæ, quia poteſtas iuriſdictionis non fuit deriuata à Chriſto in Apoſtolos, niſi mediante Petro. Nec in Epiſcopos, & Presbyteros debet deriuari, niſi mediante Papa. Secus autem eſt de poteſtate ordinis. Vnde ſicut ridiculum eſſet dicere, ꝙ Petrus non potuiſſet ſoluere,nec ligare ſubditos cuiuslibet Apoſtoli, vel alius de mandato ſuo: & Apoſtoli ſubditos illorum 72. Diſcipulorum. ſic ridiculum eſt dicere, ꝙ Papa non poſſit, vel alij de mandato ſuo, ſoluere,& ligare ſubditos cuiuslibet Epiſcopi, & cuiuslibet Presbyteri. C Et ſic abſoluti non tenentur proprio Epiſcopo, vel proprio Sacerdoti confiteri.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illi, qui confitentur habentibus auctoritatem Papæ, confitẽtur proprijs Sacerdotibus, vt proprium diuiditur contra alienum. Illa autem decretalis intelligitur, ꝙ quis confiteatur proprio ſacerdoti: vt proprium diuiditur contra commune: ita quòd Sacerdos Parochialis eſt proprius Sacerdos: & Religioſus,vel alius, qui fungitur auctoritate Papæ, vel Epiſcopi eſt proprius Sacerdos, non tamen eodem modo, ſed Sacerdos Parochialis eſt proprius Sacerdos, vt proprium D diuiditur contra commune, quia non poteſt audire confeſſionem niſi in Parochia ſua ſolum. Religioſus vero eſt proprius Sacerdos, vt proprium diuiditur contra alienum, quia eo ipſo, ꝙ habet licentiam ſuperioris, non eſt alienus: ſed quia in qualibet Parochia poteſt audire confeſſionem, eſt Sacerdos communis.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd Papa non ſubtrahit filios à patre ſpirituali, ſed ſicut Epiſcopo,qui eſt pater in tota diœceſi, dantur coadiutores Presbyteri particulariter in qualibet Parochia. Vnde in ordinando eos, dicit: Quanto fragiliores ſumus, tanto his magis omnibus indigemus: ſic Religioſi in tota diœceſi dãtur ſibi coadiutores ad gubernationem,& inſtructionem filiorum Eccleſiæ.

A AD tertium eſt dicendum, quòd non eſt ſimile: quia poteſtas Sacerdotis naturaliter iure diuino ſubditur poteſtati Epiſcopi, cum ſit imperfecta reſpectu eius. ſed Epiſcopus ſubditur Archiepiſcopo ſolũ ex ordinatione Eccleſiæ. Ideo in quibus Eccleſia ſtatuit Epiſcopum Archiepiſcopo ſubijci, in illis tantum eſt ſubiectus, Papa autem in omnes Chriſtianos immediatam iuriſdictionem habet. Ideo præbere poteſtaſtatem ſacramenta adminiſtrandi paucis, vel multis: ſemel,vel pluries,pertinet ſolum ad poteſtatem iuriſdictionis Papæ vniuerſaliter in tota Eccleſia.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT B *facere, vt Religioſi in qualibet Parochia audiant confeſſiones,ſicut proprij Sacerdotes.*

Extrauagans Ioannis 22. incip. Vas electionis.titu.de hæret. inter communes S. Thom.lib.4.ſent. diſtin.17. & Domin. Sotus in lib.4.d.18.q.4. art.3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit facere, vt Religioſi in qualibet Parochia audiant confeſſiones, ſicut proprij Sacerdotes. In Eccleſia namque vitãda ſunt mala, & occaſiones malorum: iuxta C illud Apoſtoli 2. Cor. 11. Quod autem facio, & faciam, vt amputem occaſionem eorum, qui volũt occaſionem. Sed ſi Religioſi tamquam proprij Sacerdotes audirent cõfeſſiones in qualibet Parochia,poſſent multi dicere ſe eſſe confeſſos, & ſic inconfeſſi ad ſacramenta accedere: ex quo non poſſent arctari per proprium Sacerdotem. Nullo ergo modo eſt occaſio danda talis: vt ſub prætextu confeſſionis Religioſis factæ latenter, inconfeſſi ad ſacramenta homines accedant.

2 Pręterea: Solũ Sacerdotes Parochiales poſſunt Sacramentum Euchariſtiæ adminiſtrare eorum Parochianis. Sed aliter ipſi non poſſunt ſcire dignos, & indignos perceptione dicti Sacramenti,niſi per eorũ D confeſſionem. Ergo neceſſarium eſt,eos arctari, vt confiteantur proprijs Sacerdotibus, & non alijs.

3 Præterea: Cum Papa committit aliquos ſub cura Epiſcopi, & Epiſcopus aliquos ſub cura Sacerdotis: ex tunc exonerat ſe à cura illorum, vt ex tũc ſint ſub cuſtodia ipſorum, & non ſub cuſtodia ſua,quatenus Sacerdoti imputetur ſubditorum lapſus. Iuxta Illud 3. Reg. 20. Cuſtodi virum iſtum, qui ſi lapſus fuerit,erit anima tua pro anima eius. Aliter Papa, & Epiſcopus in magno periculo eſſent, tollentes ſupra ſe onus importabile. Poſtquam ergo cura Parochianorum commiſſa eſt Sacerdoti, non habent amplius ſe Epiſcopus, vel Papa intromittere de eis, vt alij Religioſi præficiantur eis in Sacerdotes.

IN CONTRARIVM eſt. quia,cui non repugnat eſſe, nõ repugnat poſſe fieri, & poſſe eſſe. Sed

hoc

hoc ponitur eſſe factum per Papam, ꝙ Religioſi in qualibet Parochia tamquam proprij Sacerdotes confeſſiones audiant. Poteſt ergo iſtud Papa facere.

RESOLVTIO.

Papę auctoritate Religioſi omnes in qualibet Parochia, ſicut proprij Sacerdotes, confeſſiones audire poſſunt, vt rationibus, & experientia patet.

RESPONDEO, dicendum, quòd Religioſos in qualibet Parochia confeſſiones audire tamquã proprios Sacerdotes, dupliciter poteſt intelligi. Primo poteſtate ordinaria. Secundo poteſtate diſpenſatoria. Primo modo ſunt proprij Sacerdotes Presbyteri Parochiales per Epiſcopos ordinati. Secũdo modo ſunt proprij Sacerdotes in qualibet Parochia Religioſi per Papam priuilegiati. planum eſt enim, quòd Apollo erat presbyter Corinthiorũ, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 3. Ego plantaui, Apollo rigauit: & tamen Paulus in Eccleſia Corinthiorum iuriſdictionẽ exercebat. Iuxta illud, quod ipſe dicit 1. Cor. 4. In virga veniam ad vos, aut in charitate: & illum publicũ fornicarium Sathanæ per excommunicationem tra- 1. Cor. 5. didit, & frequenter Timotheum, & alios ad ipſorũ Corinthiorum inſtructionem deſtinauit. Eſt autem non ſolum poſſibile, immo multum neceſſariũ, Religioſos, & alios viros idoneos in qualibet Parochia, tamquàm coadiutores Epiſcoporum in prædicationibus faciendis, & confeſſionibus audiendis præter ipſos presbyteros Parochiales ordinare. Et illa decretalis ponitur inter cætera ſpecialiter propter tria. Primo, propter ipſorum Sacerdotum ruditatem. Qui enim vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam ſicut Tomo 4. dicit Auguſt. de vera, & falſa pænitẽtia, cap. 10 Debet quęrere Sacerdotem, qui ſciat ligare, & ſoluere; ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur à Deo, qui miſericorditer monet, vt cęcus cęco ducatum nõ Matth. 15. præſtet, ne ambo in foueam cadant. Planum eſt autem, quòd magna inſcitia, & magna ignorantia in Sacerdotibus Dei toleratur, vt dicit Voluſianus in Epiſt. 2. quadam Epiſtola ad Aug. Multũ ergo detraheretur Tom. 2. ſacrę Scripturæ, & ſaluti animarum, ſi Chriſti fideles ruditati Sacerdotum relinquerentur. Secundo, propter confitentium pluralitatem. Sicut enim Apoſtoli videntes, ꝙ meſſis multa erat, & operarij pauci, rogauerunt dominũ meſſis, vt mitteret operarios in meſſem ſuam, Lucæ 10. ita nunc faciendum eſt per Papam, & Epiſcopos de Religioſis, & alijs idoneis viris. Tertio, propter Sacerdotum familiaritatem. Nam familiaritas Sacerdotum circa aliquos quandoque parit erubeſcentiam. quandoque vero circa aliquos parit contemptum, & paruipendentiam. quandoq; autem circa aliquos, cum ipſi homines ſint, parit rancorem, & maliuolentiam. Ex quibus omnibus Chriſti fideles retrahi poſſunt, ne eis confiteãtur. Vnde prouide per Paſtorem Eccleſię huic periculo prouidetur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ nulla oc- E caſio mali datur. quia ſi homo confiteretur proprio Sacerdoti: poſſet eum decipere, vt minora confiteretur, & maiora taceret. Dato tamen, quòd daretur aliqua occaſio mali: multa tamen bona ex hoc ſequuntur (vt dictum eſt) & multis alijs maioribus periculis obuiatur.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Sacerdos poteſt ſcire dignos, & indignos perceptione Sacramenti Euchariſtiæ per ſententiam Superioris. Eo enim ipſo, ꝙ ipſe ſcit, Religioſos, quibus ſui Parochiani dicunt ſe eſſe confeſſos, poſſe ſoluere, & ligare auctoritate ſuperioris Papæ, vel Epiſcopi, debet ſtare ſententiæ ipſorum: quia magis homo debet ſtare ſententiæ ſui Superioris, quàm ſuæ.

AD tertium eſt dicẽdum, quòd falſum eſt, quòd F Papa exoneret ſe à cura diœceſis, quando committit eam Epiſcopo, & Epiſcopus curam Parochiæ, quando committit eam Sacerdoti. immo facta commiſſione, adhuc maior cura eſt Papæ de diœceſi, Epiſcopo, & de Parochia, quàm illis, quibus cõmiſſio facta eſt. Poſtquam enim Apoſtolus per Eccleſiam ordinauerat Epiſcopos, & Presbyteros: adhuc dicebat 2. ad Cor. xj. Præter illa, quæ extrinſecus ſunt inſtantia mea, quotidiana ſolicitudo omnium Eccleſiarũ.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT facere, vt peccata ſemel confeſſa homo G teneatur iterum confiteri.

Citati in præcedentibus articulis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit facere, vt peccata ſemel confeſſa homo teneatur iterum confiteri. Quia Papa non poteſt tollere ordinem inſtitutum à Chriſto. ſed Chriſtus inſtituit duos ordines ad cõfeſſionem peccatorum audiendam, Epiſcopos, & Preſbyteros. Si ergo quis auctoritate Papæ confiteatur Religioſis: tenebitur illa eadem peccata Epiſcopo, vel Presbytero iterum confiteri.

H 2 Præterea: Cum Papa concedit Chriſti fidelibus, vt poſſint confiteri Religioſis, non eximit eos à cura ſuorum Presbyterorum, cum ab eis Eccleſiæ Sacramenta teneãtur recipere: ſed eorum Presbyteris tenentur confiteri ſaltem ſemel in anno. Ergo qui confitentur Religioſis, illa eadem peccata tenentur iterũ confiteri proprijs Sacerdotibus.

3 Præterea: Sacramentum ſemper cõſequitur ſuũ effectum, ſi fiat ſuper debita materia, & in forma Eccleſiæ, niſi fictio ſit ex parte recipientis. ſed cũ quis confitetur bis ſuum peccatum Religioſo, & proprio Sacerdoti, eſt ibi debita materia: puta, ipſe confitens: & vterque abſoluit in forma Eccleſiæ. Ergo ſemper confeſſio habet ſuum effectum.

IN CONTRARIVM eſt. quia Sacramentum

tum pœnitentiæ, ſicut cætera alia ſacramenta, habet efficaciam in cauſando ex virtute Dei. Non poteſt ergo per Papam immutari.

RESOLVTIO.

Papa facere non poteſt, vt quis peccata ſemel confeſſa iterum confiteri teneatur.

RESPONDEO, dicendum, quòd Papa nõ poteſt facere, vt peccata ſemel confeſſa quis teneatur ex præcepto iterum confiteri. quod dupliciter probatur.

Primo ex parte ipſius ſacramenti. Nam confeſſio peccatorum eſt quid ſacramentale ſubiacens immediatè diuino mandato, non humano. Vnde ſicut Papa non poſſet diſpenſare, quòd homo peccator non teneretur confiteri; ita non põt diſpenſare, ꝙ confeſſio eiuſdem peccati reiteretur. Nam einſdem auctoritatis eſt aliquem actum relaxare, & illum actũ poſſe reiterare. Qua enim ratione prima confeſſio non haberet ſuum effectum: pari ratione nec ſecunda cõfeſſio haberet. Nec valet inſtantia quorundam dicentium, quòd prima confeſſio habet effectum primũ, & directum: puta abſolutionem peccatorũ, & remiſſionem pœnæ æternæ, vel commutationem temporalem. Secunda vero habet effectum ſecundarium, & indirectum, vt augmentationem gratiæ, & reconciliationem Eccleſiæ. Talis autem inſtantia nulla eſt. quia non negatur, quin per reiterationem confeſſionis, vel per confeſſionem publicam poſſit fieri remiſſio venialium, & augmentatio gratiæ in feruore charitatis. Sed confeſſio pœnitentialis, vel ſacramentalis completè facta ſemel habet ſuum effectum primarium, & ſecundarium.

Secundo hoc patet ex parte confitentium. Nullus namque poteſt compelli, vel cogi per Papam ad illud, quod eſt cõſilij, & ſupererogationis, vel perfectionis. Sed ſolum ad illud, quod eſt præcepti, ſine quo homo non poteſt conſequi ſalutem. quia ſi ſupra illud caderet coactio, vel præceptum, eſſet abſolutè neceſſarium. Sed confiteri vltra ſemel idem peccatum non eſt præcepti: ſed conſilij. Ergo Papa non poteſt aliquem ad hoc compellere. Nec valet inſtantia quorũdam dicentium, ꝙ licet conſilium non cadat ſub præcepto cogente directè: indirectè tamẽ cadit, vt ſi quis volũtariè eligat promoueri ad ſacros ordines, tenetur ipſo facto ex præcepto Eccleſiæ ſeruare continentiã. Sic ſi aliquis eligat confiteri voluntariè Religioſis, ipſo facto ex ſtatuto, & præcepto Eccleſiæ tenetur iterũ confiteri proprio Sacerdoti, illo ſcilicet præcepto: Omnis vtriuſque ſexus. Talis inſtantia ſimiliter nulla eſt. quia ſumere ordines & ad continentiam ſe obligare, totum eſt liberę volũtatis. Quicunque enim aſſumit ordines † de Eccleſia Latinorum voluntariè in perſona occidentalis Eccleſiæ emittit votum caſtitatis. Nõ enim quicumque aſſumit ordines ex ipſa ordinis aſſumptione tenetur ad continentiam, quia tunc ſic teneretur Eccleſia Græcorum, ſicut Latinorum: quod eſt contra decretum. Vnde Papa non cogit aſſumentem ordinem ad vouendum continentiam, ſed poſtquàm ſponte aſſumpſit ordinem, quem liberè aſſumendo, liberè emittit continentiæ votũ: cogit ipſum ad obſeruationem voti. quia vouere voluntatis eſt, ſed obſeruare eſt neceſſitatis. Sic voluntariè quilibet poteſt confiteri, vel Religioſo, vel proprio Sacerdoti. & ſicut cuilibet confitendo implet præceptum Eccleſiæ, cum vterque ſit proprius Sacerdos. ſic per Papã non poteſt cogi, quòd vltra ſemel idem peccatũ confiteatur.

† S. Thom. 2. 2. qõ. 88. art. 11.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illi duo ordines à Chriſto inſtituti audiunt cõfeſſionem poteſtate ordinaria: ſed alij poſſunt inſtitui, vt confeſſionem audiant poteſtate diſpenſatoria de licentia Papæ, vel Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum. Poſſet ſimiliter Papa, qui poteſtatis plenitudinẽ in tota Eccleſia habet, tertium ordinem Confeſſorum inſtituere, qui auctoritate ordinaria confeſſiones audirent. ſicut in Eccleſia primitiua fuerunt duo ſoli † ordines ſacri: puta Presbyterorum, & Diaconorum: & tamen poſtea Eccleſia alios ſibi ordines inſtituit, vt Magiſter ſententiarum dicit. 4. ſent. diſt. 24.

† Intellige hoc, ſano modo. i. iſti duo fuerũt reputati ſacri, vt ait gloſſ. in c. à multis. de æta & qual. verbo. Solos. ordo. n. ſubdiaconorũ ſemper fuit ſacer. Vide S. Thom. in qõnibus ad dita ad 3. par. qõ. 37. art. 3.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa non eximit fideles à cura Presbyterorum propriorum. ſed ſi confitentur Religioſis: ſi nolunt proprijs Sacerdotibus confiteri: tenentur eis alia Sacramenta adminiſtrare, cum ipſi iam impleuerint illud præceptum: Omnis vtriuſque ſexus teneatur proprio Sacerdoti confiteri. Eo ipſo, ꝙ per Papam Religioſi, proprij Sacerdotes omnium fidelium ſunt ordinati.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſemper confeſſio poteſt habere ſuum effectum. quia ſemper homo poteſt habere aliquod peccatum mortale, vel veniale, quod nondum confeſſum eſt. Vel de iam confeſſis ſemper maiorem contritionem, & propter erubeſcentiam, completiorem abſolutionem.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT facere, vt confeſſio eorundem peccatorũ habeat efficaciam vltra ſemel.

Hoſtien. in ſumma. tit. de pœnitentijs & remiſſ. nu. 55. & 56. Et Silueſt. in verbo: Confeſſio. 1. q. 3.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit facere, vt confeſſio eorundem peccatorum habeat efficaciã vltra ſemel. quia plus poteſt Papa, mediante Sacramento, quàm mediante officio. ſed mediante officio, poteſt remittere tertiam, vel quartam partem peccatorum, alijs retentis, vt per communicationem Indulgentiæ. Ergo ſic poteſt, mediante Sacramento.

2 Præterea: Actus includens multas deformitates

poteſt

poteſt tolli ab eo vna, remanente alia, ſed peccatum includit triplicem deformitatem. Vnam à bono incommutabili auerſionem. Aliam, conſcientiæ corroſionem. Et tertiam, in bono commutabili inordinatam delectationem. Poterit ergo per vnam confeſſionem tolli vna deformitas, & per aliam alia.

3 Præterea: Sacramentum pœnitentiæ poteſt reiterari, cum ibi non imprimatur character: ſed non reiteratur reſpectu aliorum, & aliorum peccatorũ. quia ſic reiteratur baptiſmus, reſpectu alterius, & alterius hominis. Reiteratur ergo reſpectu eiuſdem peccati, & ſic confeſſio eorundem peccatorum habebit efficaciam vltra ſemel.

In Contrarium eſt. quia quod eſt plenè ſolutum in terra, & in cœlo non eſt amplius ſoluendum. ſed per confeſſionem Sacramentalē ſemel F factam ſoluitur homo in cœlo, & in terra ex virtute clauium. Secũda ergo ſolutio nihil inuenit ſoluendũ.

RESOLVTIO.

Confeſſio eorundem peccatorum completa, & ſacramentalis ſemel tantum præceptoriè facienda eſt: vltra enim ſemel eſt meritoria, & ſalutaris: ſed non niſi conſultoriè: incompleta, & conditionalis, præceptoriè vltra, quàm ſemel.

Respondeo, dicendum, quòd de confeſſione tripliciter poſſumus loqui. Primo, de confeſſione completa, & ſacramentali. Secundo, de confeſſione incompleta, & conditionali. Tertio, de cõfeſſione meritoria, & ſalutari. Confeſſio ergo eorun- G dem peccatorum cõpleta, & ſacramentalis præceptoriè eſt fienda ſolum ſemel. nec Papa poteſt diſpenſare in plus, nec in minus. quia qui non poteſt relaxare actum, vel non poteſt ſuper actus relaxationem, non poteſt ſuper actus reiterationem, vel multiplicationem. Sed Papa non poteſt ſuper actus confeſſionis relaxationem. quia tunc poſſet effectum ſacramenti conferre, ſine ſacramento. Ergo non poteſt ſuper actus ſacramentalis cõfeſſionis reiterationem, vel multiplicationem. Confeſſio vero incompleta, & conditionalis eorundem peccatorum coactiuè fienda eſt plus, quàm ſemel. Poteſt enim, quantũ ad præſens, in quinque caſibus confeſſio eſſe incompleta. Primo, ſi quis dubitat peccata illa ſe fuiſſe cõfeſſum. Secũdo, ſi H peccata cõfeſſa diuiſit diuerſis Sacerdotibus. Tertio, ſi pœnitentiam iniunctam non fecit, nec impleuit. Quarto, ſi non fuit confeſſus proprio Sacerdoti, ſed alieno. Quinto ſi talia peccata cõfiteri præſumat, ſibi ſubtractis poteſtate Superioris. ſi enim in omnibus iſtis inueniatur, confeſſionem fuiſſe incompletam, cogendus eſt pœnitens ad reiterationem cõfeſſionis eorundem peccatorum. Sed confeſſio meritoria, & ſalutaris conſultoriè hortanda eſt, vt fiat quotiẽs fieri poteſt. quia quanto plus homo cõfitetur turpitudinem criminis, tanto magis veniam peccatorum conſequitur, vt ſcribitur in tractatu de pœnit. 3. diſt. † Ita, quòd confeſſio completa ſacramentalis eorundem peccatorum præceptoriè fienda eſt ſolum ſemel in anno. Incompleta verò conditionalis præceptoriè fienda eſt E vltra, quàm ſemel. Sed meritoria ſalutaris conſultoriè fienda eſt, quotiens fieri poteſt.

† c. 2. c. pœnitẽtia & c. Si Apoſtol⁹.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd non eſt verum. Plus enim poteſt Papa, mediante officio, quàm mediante Sacramento. quia mediante Sacramento, tantum poteſt, quantam poteſtatem Deus contulit Sacramento. Vnde tantum poteſt, quantum vnus alius Sacerdos. ſed mediante officio, tantum poteſt, quantã poteſtatem Deus contulit officio. Nec tamen eſt verum, quòd per communicationem indulgentiæ remittat tertiam partem peccatorum, cum indulgentia non communicetur niſi contritis, & confeſſis: ſed remittitur tertia, vel quarta pars de iniũcta pœnitentia pro peccatis, quorum abſolutio iam facta eſt.

Ad ſecundum eſt dicẽdum, quòd peccatum importat multas deformitates materialiter: ſed formaliter ſolum vnam importat, puta auerſionem à bono incõmutabili: qua remota per confeſſionem, & contritionem; remouentur omnes aliæ, inquantum habent rationem culpæ.

Ad tertium dicitur, quòd pœnitentia reiteratur, quotiens contingit peccatum reiterari. Quia quotiẽs homo peccat quocunque peccato, poteſt * cõfiteri, & per confeſſionem, abſolutionem conſequi. ſic autem non reiteratur baptiſmus, quia voluntariè peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis in baptiſmo, iam nõ relinquitur pro peccatis hoſtia, vt dicit Apoſtol. ad Hebræ. 10.

* al. pœnitere.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT facere, vt quis differat ſine peccato confeſſionem vſque ad Quadrageſimã.

Præter S. Thom. & alios Theologos lib. 4. ſent. diſt. 17. Vide Felinum in c. 1. nu. 36. extra de conat. & Turrecr. in tract. de Poteſt. Papę. q. 36. Et Silueſt. in uerbo: Confeſſio 2. q̃ō. 6.

Ad quintũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit facere, vt quis differat confeſſionem vſque ad Quadrageſimam ſine peccato. Quia eſt magis ſubueniẽdum morbo ſpirituali, quàm morbo corporali. Sed aliquis ſubiectus morbo corporali periculo ſe cõmittit, niſi ſtatim remedium medicinæ quærat: & non ſtatim quærendo ex negligentia, peccat. Multo ergo magis peccat, qui differt remedium adhibere contra ſpiritualem morbum peccati.

2 Præterea: Contemnens Sacramentum pœnitentiæ non eſt verè pœnitens: ſed habens Sacerdotem paratum, ſi ſtatim non confitetur, contemnit Sacramentum pœnitentiæ. Differendo ergo confeſſionem, ſemper eſt in peccato.

3 Præte-

3 Præterea: Maius bonum eſt ſtatim confiteri, quàm differre: ſed negligere maius bonum, habita opportunitate operandi illud, eſt mortale peccatũ. Differre ergo confeſſionem, ſine peccato non poteſt eſſe.

4 Præterea: Bona facta in mortali peccato ſunt mortua. ſi quis ergo committit aliquod peccatũ mortale, ſtatim poſt paſcha differendo confeſſionẽ vſque ad quadrageſimam, omnia bona facta in medio tempore erunt mortua.

In Contrarium eſt, Quia quicunque ſeruat præceptum Eccleſiæ, non peccat. ſed Eccleſia ſtatuit ſemel in anno propria peccata eſſe confitẽda. ſicut patet extra. Omnis vtriuſque ſexus. † Ergo differendo confeſſionem vſque ad tempus ab Eccleſia inſtitutum, non eſt peccatum.

† In Decretal. titul. de pœnit. & remiſ.

Resolutio.

Confeſſio peccatorum ſi quàm primum fiat, tutius eſt, & magis laudabile eſt: ſi autem differatur, ad tempus ab Eccleſia inſtitutum, peccatum non eſt.

Respondeo, dicendum. Quoſdam dixiſſe, ꝙ tenetur homo confiteri, quam cito opportunitas confitendi ſe offert, ita ꝙ ſi amplius differat peccat: ſed iſtud eſt contra rationem præcepti affirmatiui, quod licet obliget ſemper, non tamen ad ſemper: ſed ſecũdum determinatum locum, & tempus. Tempus autem implendi præceptum de confeſſione videtur eſſe quando imminet aliquis caſus, in quo neceſſe eſt homini, ꝙ ſit confeſſus. puta ſi imminet ſibi mortis articulus, vel neceſſitas accipiendi Euchariſtiam, aut ſacrum ordinem, ad quæ oportet hominẽ per confeſſionem purgatum præparari. Vnde ſi aliquid iſtorum immineat, & aliquis confiteri prætermittat: peccat, dũmodo debita opportunitas adſit. Et quia ex præcepto omnes fideles tenentur ſemel in anno in feſto paſchatis præcipuè, ſacram communionem accipere; ideo Eccleſia ordinauit, vt ſemel in anno, quando imminet tempus accipiendi Euchariſtiã, omnes fideles confiteantur.

Ad quæſtionem ergo puto eſſe dicendum, ꝙ laudabile eſt, & magis tutum, vt peccator quàm citius poteſt commodè, peccatum ſuum cõfiteatur: quia in Sacramento pęnitentiæ gratia confertur, quæ hominem reddit magis firmum ad reſiſtendum peccato, & in periculis ſuperuenientibus reddit ipſum magis ſecurum. Differendo tamen confeſſionem vſque ad tempus ab Eccleſia inſtitutum, puto licitum eſſe, nec peccat (per ſe loquendo) ſic differendo.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile. quia morbus corporalis niſi per remedium medicinæ extinguatur, ſemper inualeſcit in peius, niſi fortè virtute naturæ fuerit extinctus. morbus autem peccati extinguitur per contritionem, & cõfeſſionem habendo in voto, & in propoſito obſeruandi tempus ab Eccleſia inſtitutum.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ habens Sacerdotem paratum, ſi non ſtatim confitetur, non ex hoc contemnit Sacramentum pœnitentiæ. Tunc enim cõtemneret, quando nec confiteretur, nec haberet propoſitum confitendi, tempore ab Eccleſia ordinato. quia ſi ſic contemneret, planum eſt, ꝙ peccaret.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ non ſemper negligens maius bonum peccat, etiam opportunitate exiſtente implendi illud, niſi ſit maius bonum tale, quod teneatur implere ex præcepto. Maius enim eſt bonum intrare Religionem, † quàm matrimonium contrahere: & tamen non peccat quis illud omittendo, opportunitate etiam exiſtente.

Ad quartum eſt dicendum, ꝙ bona facta in medio tempore non ſunt mortua. ex quo enim homo de peccato mortali commiſſo contritus eſt, & habet propoſitum confitendi tempore àb Eccleſia ordinato, nec amplius proponit recidiuare, iã † abſolutus eſt à peccato. Et ſi caſus mortis adueniret, in quo Sacerdotis copiam habere non poſſet, puto ꝙ nõ perderetur, ex quo ex contemptu non omiſiſſet.

† Conc. Tri. ſeſſ. 24. de Sacrament. matr. cano. 10. cap. vnico. 32 qõ. 1. & c. commiſſum de ſponſal.

† In foro Dei.

Articulus VI.

Utrum ex praecepto Papæ Sacerdos Parochialis teneatur credere ſolo verbo ſuo ſubdito dicẽti, ſe eſſe confeſſum Religioſo habẽti auctoritatem abſoluẽdi.

Doctores in cap. Omnis vtriuſque ſexus de pœniten. & remiſs. Armill. Tit. Confeſſio. §. 36.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex præcepto Papæ Sacerdos Parochialis non teneatur credere ſolo verbo ſuo ſubdito dicenti ſe eſſe Religioſo confeſſum habenti auctoritatem abſoluendi. Quia frequenter in confeſſione aliqui conteruntur, qui prius contriti nõ fuerunt. Sed Sacerdos debet ſuum ſubditum, quantum poteſt, ad bonum inducere. Ergo omnino debet ab eo expetere, vt ſibi confiteatur.

2 Præterea: Rectori dicitur Prouer. 27. Diligenter cognoſce vultum pecoris tui: ſed nullo modo melius poteſt, quàm per confeſſionem cognoſcere. ergo omnino debet ab eis exigere, vt ſibi confiteatur.

3 Præterea: Illud, quod datur alicui, amplius non eſt in poteſtate dantis. Poſtquàm ergo Parochia commiſſa eſt Sacerdoti, non remanet amplius in poteſtate Papæ, vel Epiſcopi. Semper ergo poteſt requirere, ꝙ eius ſubditi ſibi confiteantur.

In Contrarium eſt. quia ſi ſibi confiteretur, poſſet dicere, quòd vellet, & teneretur ei credere. Ergo dicenti ſibi eſſe confeſſum Religioſo habenti auctoritatem credere tenetur.

RESOLVTIO. E

Quamuis in foro iudiciali homini contra ſe, non pro ſe credatur: in foro tamen pœnitentia pro ſe, & contra ſe credi debet: modo impedimentum ad forum iudiciale pertinens non adſit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ in foro iudiciali creditur homini contra ſe, ſed non pro ſe: in foro autem pœnitentiæ creditur homini pro ſe, & contra ſe. ſi ergo aliquis petat à ſuo Sacerdote ſacramentum Euchariſtiæ, dicendo ſe eſſe confeſſum Religioſo, vel habenti auctoritatem; ſi ſcit in eo eſſe impedimentum ad perceptionem Euchariſtiæ pertinens ad forum iudiciale, puta ꝙ ſcit, vel credit eum eſſe excómunicatum, non tenetur ſibi credere, niſi de abſolutione ſibi conſtet. Si vero ſcit in eo eſſe impedimentum pertinẽs ad forum pœnitentiæ, puta peccatum: tenetur ſibi credere, & iniuſtè agit ſecum, ſi denegat ſibi Euchariſtiã. Ex quo perhibet ſe eſſe confeſſum, & abſolutum ab eo, qui abſoluere potuit, vel auctoritate Apoſtolica, vel Epiſcopi.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ illud bonum, quod homines in confeſſione conſequuntur, iam illud conſecutus eſt qui confeſſum ſe dicit, ſi verum dicit: ſi autem falſum dicit, pari ratione poterat falſum dicere confitendo ſibi. Nec poteſt alicuius hominis auctoritate quis compelli ad confitendum peccatum, quod alteri confeſſus eſt, qui abſoluere potuit.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Rector Eccleſiæ vultum ſui pecoris diligenter debet agnoſcere, conſi- F derando exterius vitam eius: ſed per modum confeſſionis non poteſt aliter ſcrutari niſi, ꝙ credat illa, quæ ab eo dicuntur ſibi.

AD tertium eſt dicendum, quòd Parochia non datur Sacerdoti in ſuum commodum, ſed in cómodum ſubditorum. & ideo in commodum illorum poſſunt alij Sacerdotes ordinari ad eorum inſtructionem, & abſolutionem per Superiorem Paſtorem, qui de omnibus curam habet.

QVAEST. LXVI. DE DISPENSATIONE PER LARGITIONEM PRIVILEGIORVM.

DEINDE conſiderandum eſt de largitione Priuilegiorum. Circa quod quæruntur Quatuor. G

Primo, Vtrum Priuilegium à Papa indultũ Iſidorus bene diffiniat.

Secundo, Vtrum Papa lege Priuilegiorum in Eccleſia vti debeat.

Tertio, Vtrum ſolus Papa Priuilegiũ concedere poſſit.

Quarto, Vtrum Papa Priuilegium per eius Succeſſorem poſſit reuocari.

ARTICVLVS I.

VTRVM ISIDORVS BENE diffiniat Priuilegium. H

Vide Gloſſam, & Doctores in c. Priuilegia. diſt. 3. & Hoſtien. in ſum. tit. de Priuileg. §. 1. & Abb. Felinum, ac Decium in Rub. de reſcrip. & Decium conſ. 147.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Priuilegium Iſidorus Etym. lib. 5. cap. 19. Male diffiniat. Sic enim diffinit Priuilegium Iſidorus, & ponitur 3. diſt. c. Priuilegia. Priuilegia ſunt leges priuatorum, quaſi priuatæ leges. nam priuilegium inde dictum eſt, quòd in priuato feratur. In priuilegio enim quandoque non ponitur niſi ius commune. Malè ergo dicitur, ꝙ priuilegia ſunt quaſi priuatæ leges.

2 Præterea: Nihil diffinitur per ſuum oppoſitum: ſed lex dicit aliquid poſitiuum, priuatio vero importat negationem. Eſt enim negatio in ſubiecto, vt Philoſophus dicit. Malè ergo ponitur, ꝙ priuilegia ſunt quaſi leges priuatorum.

3 Præterea: Doctrina Eccleſiaſtica dicitur catholica, quia eſt vniuerſalis. eo, ꝙ non in angulis, vel in priuato, ſed vniuerſaliter eſt prædicanda, & docenda, vt Auguſtinus dicit in lib. de nouo cantico, cap. 5. Cum igitur priuilegia vt in pluribus, dentur de his, quæ pertinent ad Eccleſiaſticam diſciplinam, malè dicitur quòd priuilegium inde dictum eſt, quòd in priuato feratur. Tomo 9.

IN CONTRARIVM eſt auctoritas Eccleſiæ, quæ hanc diffinitionem approbat.

RESOLVTIO.

Priuilegij diffinitio ab Iſidoro data bona eſt. non enim quid ſuperfluum continet, neque diminutum.

RESPONDEO, dicendum, † quòd priuilegium poteſt tripliciter conſiderari. Primo ex parte eius, cui conceditur. Secundo ex parte cómunis iuris, quod relaxatur. Tertio ex parte ordinis iudiciarij, qui in eius conceſſione non obſeruatur. quantum ergo ad illos, quibus priuilegia conceduntur, dicuntur priuatæ

† Turrec. in c. Priuilegia d. 3. vbi refert, & ſequitur ad verbũ hãc Auguſt. diſt. ipſũ allegãs.

A privatæ leges. qnia ſemper priuilegia conceduntur aliquibus ſingulariter. quamuis enim diſtinguatur eſſe priuilegium generale, quod datur Eccleſiæ, vel Collegio, ſiue vni Congregationi, & priuilegiū ſingulare quod datur vni priuatæ perſonę; ſemper tamen illa, quæ priuilegiantur, dicuntur eſſe quædam priuata, & quædam ſingularia reſpectu totius communitatis. quia vt dicit Hierony. † Priuilegia ſingulorum non poſſunt legē facere communem. Quantum vero ad eius commune per, quod ipſum priuilegium relaxatur, priuilegia dicuntur quaſi priuatæ leges. Non enim eſt priuilegium niſi aliquid indulgeat ſpeciale. Vnde aliqui dicunt, priuilegium eſſe priuatum, ſiue ſingulare ius contra commune indultum. cui conſonum eſt illud, quod ſcribitur 25.q.1. † cum priuilegia aliquibus conceduntur, ſi præter generalem legē nulli aliquid ſpeciale indulgeretur, priuilegium non diceretur. Nam priuilegia ideo dicuntur quaſi priuata legia, eo quod priuatā legem in ſingulis generent. quod anctoritate Gregorij confirmatur dicentis: Si hoc neque cōſuetudine, vel lege generali, neque priuilegio vendicas, reſtat te vſurpare quod feciſti. Sed quantum ad iuris ordinem, qui in conceſſione priuilegiorum non ſeruatur, dicitur priuilegium inde dictum eſſe, quòd in priuato feratur. Non enim priuilegia dātur niſi ab illis, qui ſunt ſupra legem vniuerſaliter, vel particulariter, quos nō oportet in concedendo priuilegia ordinem iudiciorum obſeruare. vt ſedentes pro tribunali, vel in loco publico eorum ſententia robur habeat. ſicut contingit de iudicibus; qui ſecundum legem communem tenentur iudicare: & de illis, quæ ſecundum ordinem iudiciarium tranſeunt. Vnde talis diffinitio bona eſt. quia non continet ſuperfluum, neque diminutum.

† In expoſitione lonç.

†C. Ideo. in ſ. Gratiani incipe. his ita reſpondetur.

B C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſemper in priuilegio aliquid ſpeciale indulgetur, vel in re, vel in modo. Dato enim, quòd in Priuilegio nihil exprimatur niſi ius commune, fauor tamen confertur ſpecialis per priuilegium. quia magis conſueuit timeri quod ſpecialiter conceditur, quàm quod generaliter indulgetur. per bullas namque Papales plus terrentur homines, licet ius commune contineant; quàm per iura communia. & multi faciliter poſſunt dicta priuilegia ſcire, qui communia iura ignorant. D

AD ſecundum eſt dicendum, quòd priuatum ibi accipitur, pro ſingulari. Eſt enim ſenſus, quòd priuilegia ſunt leges priuatorum. qnia ſunt ſingularium ſuppoſitorum reſpectu totius communitatis, vel reſpectu iuris communis, quod non appropriatur iſti magis, quàm illi.

AD tertium eſt dicendum, quòd priuilegium non dicitur dari in priuato ex parte recipientis. cum poſtquam datum eſt, mandetur omnibus publicandum, & infallibiliter obſeruandum. ſed dicitur fieri in priuato ex parte dantis, qui non tenetur in dando priuilegium ordinem iudiciarium ſeruare, cum ſit ſupra legem.

ARTICVLVS II.

VTR. PAPA IN ECCLESIA vti debeat lege priuilegiorum.

Gratianus in ſ. Si ergo & ſ. Ius ita. & ibi gloſſa Archidi. & Turrecremata 25.q.1.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa in Eccleſia lege priuilegiorū vti non debeat. Quia Papa non debet vti in Eccleſia quod ædificat ciuitatē Babiloniam. ſed magis quod ædificat ciuitatē Hieroſolymam. Iſti autem duo amores, priuatus, & communis ædificāt duas ciuitates (vt dicit Auguſtinus lib. 14. de ciuit. Dei cap. 28. Nam amor priuatus ædificat ciuitatem diaboli Babyloniam. amor vero communis ædificat ciuitatem Dei Hieruſalem, cæleſtem. Cum ergo priuilegium ſit priuata lex, vt dictum eſt, videtur, quòd Papa tali lege priuata in Eccleſia vti non debeat. Tomo 5.

2 Præterea: Omne, quod derogat iuſtitiæ, non eſt in Eccleſia vtendum. ſed priuilegium derogat iuſtitiæ, ſcilicet legi communi, quæ iuſta eſt. aliter non eſſet dicenda lex, vt dicit Aug. lib 1. de lib. arb. c. 5. Non eſt ergo in Eccleſia priuilegium indulgendum. Tomo I.

3 Præterea: Diſpenſatio includens diſſipationem interdicitur Papæ. Sic enim ſcribit Bern. ad Eugenium: Quid inquis? prohibes me diſpenſare? non. ſed diſſipare, nam non ſum tam rudis, vt ignorem poſitos nos eſſe diſpenſatores: ſed in ædificationem: non in deſtructionē, iuxta illud Apoſtoli: Hic quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Cum ergo in priuilegio ſemper aliquid diſpenſetur contra ius commune, videtur, quòd talis diſpenſatio ſit diſſipatio. lib. 3. de conſideratione. 1. Cor. 10.

IN CONTRARIVM eſt illud, qnod ſcribitur 25. q. 1. † Valet ſancta Romana Eccleſia quoſlibet ſuis priuilegijs munire, & extra ſpecialia decreta, quędam ſpeciali beneficio indulgere. †C. Ideo in ſ. magiſtri incipiente ſi ergo.

RESOLVTIO.

Papa Priuilegiorum lege vti in Eccleſia poteſt, propter actuum humanorum variationem, communis iuris rememorationem, & cauſſæ innouationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd neceſſitas vtendi lege Priuilegiorum in Eccleſia, triplex, quantum ad præſens, eſſe videtur. Prima eſt actuum humanorum variatio. Secunda eſt communis iuris rememoratio. Tertia eſt cauſæ innouatio. Contingit enim actus humanos multipliciter variari. propter quorum variationem in bonum, vel in malum, neceſſarium eſt quibuſdam, priuilegia indulgere: & à quibuſdam ſubtrahere pro-

pter caſus contingentes, qui per legem communem determinari non potuerunt, ſicut Augu. ponit exemplũ 1. de lib. arb. c. 6. de populo, qui ſi ſit moderatus, & grauis, communisque vtilitatis diligentiſſimus cuſtos, recte tali priuilegio inueſtitur, liceat ſibi magiſtratus creare per quos Reſp. adminiſtretur. ſi vero poſtmodum paulatim incipiat deprauari, rem priuatã Reipub. preferẽdo: rectè tali priuilegio priuatur. & quamuis (vt ibi Auguſtinus dicit) lex humana cõtraria videatur cõtinere, vt vna aliquando honorẽ tribuat aliquibus: aliquãdo vero aliquibus auferat: vtraq; tamen iuſta eſt. Temporalis tamen eſt cenſenda, quia eo ipſo, ꝙ temporalis eſt, iuſtè per tempora mutari poteſt. Secunda cauſa eſt, ex communis iuris rememoratione. Si enim lex naturalis in primordio creationis homini à Deo impreſſa, ex praua operatione in quibuſdam inueniatur ſic obtenebrata, & ſic F obſcurata, vt contra dictamen legis naturæ multa operentur. multo fortius lex poſitiua poteſt ex obliuione ſic aboleri in ſubditis, vt tamquam ignorata non obſeruetur. ideo neceſſarium eſt ſemper per priuilegia particulariter explicari, & ad memoriam hominum etiam illa, quæ communia ſunt, particulariter reuocari. Tertia eſt ex cauſæ innouatione. nam innouata cauſa, innouatur effectus. cauſa autem præſtandi priuilegium eſt. Quandoq; chriſtianæ religionis ampliatio. Quandoque vero inſolentium, & malorum, vel volentium nocere obuiatio. Quandoque autem recepti beneficij recompenſatio. Vnde talibus cauſis innouatis, neceſſarium eſt priuilegia innouare. Vnde ſcribitur 25. q. 1. c. Ideo, quòd priuilegia quę ob Religionis, G vel neceſſitatis, vel exhibiti obſequij gratia conceduntur, neminem releuando ita diuitem faciant, & multorum detrimenta non circumſpiciendo in paupertatis miſeriam nonnullos deijciant.

Ad argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ amor ille priuatus, damnatur, qui eſt ſemper recuruus ad ſeipſum. vt ſi quã bona propter Deum, vel propter proximum operatur, ſemper intendat ſuum propriũ commodum, & propriam excellentiam. talis amor priuatus merito ædificat ciuitatem diaboli. quia diabolus pœnitet, & pœnitentiam agit de malo: Iuxta illud Sap. 1. c. Dicentes intra ſe pœnitentiã agentes. nõ H quidẽ propter Dei diſplicentiã, ſed ꝓpter ſuã perditã excellentiam. Amor ergo priuatus, quo bonum proprium ſemper intenditur, ædificat ciuitatem Babilonicam. Sed amor, quo bonum cuiuſcumque proximi ſingulariter appetitur, ędificat ciuitatem Dei. Nam præcepto Dei iubemur habere priuatum amorem magis ad parentes domeſticos, quàm ad extraneos ſecundum ordinem charitatis.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd ſicut ſcribitur. 25. q. 1. † Cum aliqua priuilegia ab Apoſtolico aliquibus conceduntur, & ſi contra generalem legem aliquid ſonare videantur, non tamen contra ipſam concedere intelliguntur, cum ipſius legis auctoritate priuilegia ſingulorum penes matrem omnium E E cleſiarum reſeruentur.

† In c. ideo in §. Gratiani ſubſequẽtem in verſ. cum ergo.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Bern. intelligit diſpenſationem eſſe diſſipationem, quando ſit non cõſiderata rationis ęquitate, & Reipub. vtilitate. Vnde ſubdit ibi ſtatim: vbi neceſſitas vrget, excuſabilis diſpenſatio eſt. vbi vtilitas prouocat, diſpenſatio laudabilis eſt. vtilitas (dico) communis, non propria. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis eſt diſſipatio.

ARTICVLVS III.

VTRVM SOLVS PAPA poſſit priuilegia concedere.

Hoſtienſis in ſum. tit. de priuileg. §. quis poſſit priuilegium concedere. & notata per Canoniſtas in cap. cum olim. 2. de priuileg. & Felinus in cap. 1. de conſti.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolus Papa poſſit priuilegia concedere. quia Epiſcopus poteſt priuilegium dare in ſua Dioeceſi. ſicut patet. 16. q. 2. cap. Viſis. Non ergo pertinet ſolum ad Papam priuilegium dare.

2 Pręterea: Dare priuilegium ſpectat ad illum, qui eſt ſupra ius. ſed dicit Iuriſconſultus, quòd Imperator non eſt ſubiectus legi. Poteſt ergo imperator priuilegium dare.

3 Præterea: Papa non poteſt aliquos eximere. Ergo non poteſt priuilegia concedere. Quòd autem Papa non poſſit aliquos eximere, patet per Bern. ad Eugenium ſic dicentem lib. 3. Non eſt paruipendendum quod & Deum habet auctorem, & de cœlo ducit originem. quapropter ſi dicat Epiſcopus: nolo eſſe ſub Archiepiſcopo. & Abbas: nolo obedire Epiſcopo. hoc de cęlo non eſt, niſi tu forte Angelorum quempiam dicentem audiſti: nolo ſub Archangelis eſſe, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem, ſubeſſe cuiquam niſi Deo.

IN CONTRARIVM eſt. quia ille poteſt priuilegia dare, qui poteſt omnia iura confirmare, condere, & relaxare. talis autem eſt Papa, ergo &c.

RESOLVTIO.

Papa ſolus Priuilegia concedere poteſt cum omni ligatione, cauſaque diſcuſſione, cum omni ſpiritualium, ac temporalium, & Clericorum, Laicorumque incluſione.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ poteſtas Papæ in conferẽdo priuilegia tripliciter differt, quantum ad pręſens ſpectat, à poteſtate aliorum.

Primo in vniuerſalitate. quia priuilegia ſua omnes ligant, vel ſoluunt. ſuum autem priuilegium nullius poteſtate puri hominis ſoluitur, vel ligatur.

Secundo

A Secundo in auctoritate. quia ipſe poteſt ſua, & aliorum priuilegia confirmare:& de cauſa conceſſionis, vel ſubtractionis priuilegiorum omnium poteſt cognoſcere,& diſcutere,atque ſentẽtiare. Eius autem priuilegia nullius ſententiæ ſubiacent. Tertio,in dignitate. quia ipſe poteſt concedere priuilegia in ſpiritualibus, & temporalibus,clericis,& laicis. aliorũ autem priuilegia, ſaltem laicorum Principum non cõceduntur niſi de temporalibus,& laicalibus perſonis. Solus ergo Papa poteſt concedere priuilegia cum omni ligatione, & cum omni cauſæ diſcuſſione, & cum omni ſpiritualium, & temporalium,& clericorum,& laicorum incluſione.

Ad Argumenta.

B Ad Primum ergo dicitur, quòd Epiſcopus poteſt dare priuilegium in ſua dioeceſi cum conſenſu tamen capituli: † hoc ipſum tamen non habet niſi iure,& auctoritate Papæ.

† c. paſtoralis de iur. patron,

A d ſecundum dicitur, quòd Imperator † poteſt concedere priuilegium in temporalibus propter adminiſtrationem temporalium ſibi conceſſam. Quicumque etiã Rex,ſeu Princeps, vel communitas poteſt conſtitutionem aliquam facere quando, & in quibus poteſt, in illis indulgentiam, & priuilegium dare. immo maioritas, vel dignitas,& temporis prioritas priuilegium dant. Quandoque diuturna cõſuetudo priuatam legem inducit, niſi probetur abuſus. ſed hoc eſt loqui particulariter de priuilegio: non vniuerſaliter,vt ſupradictum eſt.

† l. digna vox,& notata ibi per Doctores C. de legib.

C A d tertium dicitur, quòd verba iſta Bern. intelligenda ſunt, veritatem habuiſſe ſuo tempore,quando Epiſcopi attenti erant in rigida correctione,& bonorum ſuorum ſubditorum conſeruatione. Vnde malum erat tunc ab eorum viſitatione ſubditos ſubtrahere. quia ſubditi fiebant diſſoluti, & bona communia diſtrahebantur. Vnde dicit ſupradicto lib. non eſt bona arbor faciens fructus tales inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, ſimultates, ſcandala, odia, & (quod magis dolendum eſt) intra Eccleſias inimicitias,graueſque diſcordias. nunc autem regnãte cupiditate ex viſitatione Prçlatorum illa omnia mala ſequuntur, quæ Bern. narrat contigiſſe, ſi tunc fuiſſent viſitatione priuati. Dicit enim Greg. in paſtor. Illud verbum Apoſtoli, qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat: illo tempore fuiſſe bonũ, quo quiſque ad Epiſcopatum perueniens ſecurus erat palmam martyrij obtinere. Vnde ſi verba Apoſtoli ſuo tempore intelligẽda ſunt; multo fortius verba Bernardi.

D par. I. cap. 8. 1. Tim. 3.

ARTICVLVS IIII.

VTR. PRIVILEGIVM PAPAE per Succeſſorem poſſit reuocari.

ſ. Verum, & ibi gloſſa in verbo. deſtruantur. 63. diſt. & cap. non debet de conſ. & aff. & cap. alma de ſentent. excomm. lib. 6. & ibi gloſſa, & Doctores, & Turrecre. in cap. ſunt quidam. 25. q. 1.

Ad quartũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ priuilegiũ Papæ per Succeſſorẽ non poſſit reuocari. ſcribitur enim 25. q. 2. Priuilegia Eccleſiarum, & Monaſteriorũ ſanctorum Patrũ auctoritate inſtituta: nulla poſſunt auctoritate cõuelli. c. Priuilegia & 2.

2 Præterea: Grego. ſcribit Auguſtino Anglorum Epiſcopo: Si ea deſtruerẽ, quæ antecesſores noſtri ſtatuerunt; non conſtructor, ſed euerſor eſſe iuſtitiæ cõprobarer. ſed Papa non debet comprobari deſtructor canonum, ne notetur de hæreſi. Non poteſt ergo reuocare priuilegia ſuorum prædeceſſorum. 25. q. 1. cap. ſi ea.

3 Præterea: Idem Greg. ſcribens Dominico Carthagẽſi *Epiſcopo Eccleſiaſticis priuilegijs, quòd veſtra Fraternitas ſcribit, hoc, poſtpoſita dubitatione, teneat, quòd ſicut noſtra defendimus, ita ſingulis quibuſque Eccleſijs ſua iura ſeruamus. * al. Carthaginenſi. 25. q. 1. cap. De Eccle.

In Contrarivm eſt, quòd ſcribitur 25. q. 2. Sancta Romana Eccleſia ſua auctoritate congregata valet diſtinguere,& diſiuncta congregare: rationis tamen æquitate conſiderata. Vnde vel pietatis, vel neceſſitatis intuitu ſemel à ſe conceſſa valet, vel in totum, vel in partem commutare. cap. Poſteaquam.

RESOLVTIO.

Priuilegium perſonale propter abuſum tollendum, vel falſo modo impetratum, vel Reipublicę, aut Principi noxiũ à Papa reuocari debet. Generale vero propter delinquentium correctionem, vel propter in melius commutationem, vel propter neceſſitatis ſubleuationem, reuocandum eſt.

Respondeo, dicendum, quòd priuilegium, vel eſt perſonale, vel eſt generale. vtrumque autẽ per Papam indultum in toto, vel in parte per Succeſſorem poteſt reuocari. Nam ſi ſit priuilegium ſpeciale, ſeu perſonale, poteſt reuocari propter abuſum. quia priuilegiũ omnino meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, vt ſcribitur 11. q. 3. Secundo ſi ſubreptitie, & falſo modo, vel falſis precibus fuit impetratum. Nam mendax precator impetratis carere debet,& quibus ſcripta diriguntur ſunt puniendi, ſi precum mendacia vetnerint argui. vt ſcribitur 25. q. 2. cap. Dicenti. Tertio ſi Reipub. vel Principi nocumentum præſtet. quia nec damnoſa Fiſco, nec iuri contraria poſtulari oportet. quia ſic ſcribitur 25. q. 2. cap. Priuilegium.

Si vero ſit priuilegium generale, reuocari poteſt, vel propter delinquentium correctionem; vt ſi ciues occidant ſuum Epiſcopum, priuilegio Epiſcopalis di- c Nec damnoſa.

gnitatis perpetuo debent carere. Vel propter in melius commutationem. ſicut res Eccleſiaſticę, quæ alienari non poſſunt, ex ſpeciali priuilegio poſſunt in melius commutari. Epiſcopales ſimiliter ſedes, vel hoſtilitatis, vel paupertatis neceſſitate quandoque mutatur, & in vnum rediguntur: vel propter pietatis, & neceſſitatis ſubuëtionem, vt quæ ex priuilegio Religioſis, vel domibus Religioſorum cõceduntur. Iam eorum neceſſitate releuata, ſi poſtmodum cognoſcãtur eſſe in detrimentum Cathedralis, vel Parochialis Eccleſiæ, poſſunt ſubtrahi, cum bonum cõmune ſit pręferendum cuilibet bono priuato.

Ad Argumenta.

Ad Primvm dicitur, quòd priuilegia E Eccleſiarum & Monaſteriorum cunctis temporibus inconcuſſa debẽt permanere, ne videlicet præter eius auctoritatem, à quo data ſunt contra ipſam, liceat ire alicui. vnde cum per Papam dentur, per Papam reuocari poſſunt.

Ad ſecundum dicitur, quòd cum priuilegia cõcedantur, vel propter pauperum ſubuentionem, vel propter ſeruientium Eccleſiæ remunerationem, vel propter Reipublicæ promotionem, non euertitur iuſtitia, ſed conſtruitur, quantumcumque videatur talis conceſſio iuri communi obuiare. cum in Legiſlatoris intentione auctoritas in talibus ſemper intelligatur.

Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

QVAEST. LXVII. DE DISPENSATIONE PER INTERPRETATIONEM.

VLTERIVS videndum eſt de interpretatione Eccleſiæ. Circa quod quęruntur Quinque.

Primo, Vtrum ſolus Papa poſſit priuilegium Apoſtolicum interpretari.

Secundo, Vtrum ſolus Papa poſſit interpretari ſacrã Scripturam.

Tertio, Vtrum ad Papã ſpectet interpretari ius ciuile.

Quarto, Vtrum Papa poſſit interpretari ius naturæ.

Quinto, Vtrum Papa ſemper dubia in meliorem partem teneatur interpretari.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVS PAPA poſſit priuilegium interpretari.

Innocentius, Abb. & Doctores in cap. Cum veniſſent de iudicijs.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſolus Papa poſſit priuilegium interpretari. Scribitur enim 2. Eſdrę 8. Quòd Scribæ, Leuitæ, & Sacerdotes erant interpretantes legem in populo: ſed locum Scribarũ nunc tenent Doctores, & Magiſtri. Ergo eorum magis eſt interpretatio, quàm Papæ.

2 Præterea: Qui poteſt maius, poteſt minus, ſed Magiſtri poſſunt ſacram Scripturam interpretari. ſicut patet 20. diſ. c. Decretales. Ergo multo magis poſ- F ſunt interpretari priuilegia Apoſtolica.

3 Præterea: Grego. dicit 14. Mora. ꝙ praui dicta bonorum conſueuerunt malè interpretari: ſed cùm Papa ſit homo poteſt deprauari, ſicut alij. Ergo non eſt credendum ſemper ſuæ interpretationi.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur 25. q. 1. Ipſi namque ſoli canones valent interpretari, qui ius condendi eos habent.

RESOLVTIO.

Priuilegiorum interpretatio à Pontifice facta co- G *git iudices ad eam ſeruandam: Magiſtrorum verò, & Doctorum, non item.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut notat Hugo 25. q. 1. Magiſtri, & Doctores valent Canones, & Apoſtolica priuilegia interpretari: ſed interpretationes eorum nõ coguntur iudices obſeruare in foro iudiciario, ſecus autem de interpretatione † Romani Pontificis: cuius interpretationem iudices compelluntur obſeruare, & Magiſtri cogũtur in ſcholis docere, & prædicare.

† Card. in Clemẽ. 1. de conceſſio. ꝑben. & Decius in l. 1 ambiguis. ff. de reg. iuris.

H

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd Magiſtri poſſunt interpretari canones per modum diſputationis perquirendo ſanum intellectũ ipſorum, ſaluis verbis eorũ, ſine additione, vel diminutione: ſed interpretatio Papæ eſt per modum determinationis: eo, quòd ſua determinatio ligat omnes ad tenendam ipſam: non autem ligat interpretatio Magiſtrorum. Similiter interpretatio Papæ poteſt eſſe cum additione, & diminutione ſenſus, vel ſententiæ interpreta-

tio

tio vero Magiſtrorum ad hoc ſe non extendit.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd illa comparatio intelligitur ibi de Magiſtris reſpectu Pręlatorũ. quia in interpretationibus, & expoſitionibus ſcripturarum Magiſtri, & Doctores pręferuntur eis: maximè illi, quorum dicta approbata ſunt per Eccleſiam, ſed in quæſtionibus diffiniendis, & determinandis ipſi Prælati præferuntur Doctoribus.

Ad tertium eſt dicendum, quòd malè interpretari, poteſt eſſe dupliciter. Vno modo ex parte interpretantis, vt ſi fiat ex liuore, vel ex rancore in nocumentum alterius, non conſiderata rationis æquitate. & ſic prauè Papa interpretatur Priuilegia, peccat quidem, ſed eius interpretatio ſeruanda eſt: quia ſententia Paſtoris iuſta, vel iniuſta ſemper ligat ſaltem ſecundum præſentem iuſtitiam. Alio modo poteſt dici praua ex parte eius, quod interpretatur: & tunc, ſi illa interpretatio eſſet contra fidem, vel contineret manifeſtam falſitatem, non eſſet tunc illi interpretationi credendum. non enim poteſt Papa contra veritatem, ſed pro veritate, vt dicit Apoſtolus 2. Corinth. 13.

ARTICVLVS II.

VTRVM SOLVS PAPA poſſit ſacram Scripturam interpretari.

Innocent. in c. Super eo. de bigam. Abb. in cap. Licet, de ferijs. Et Felin. in cap. Quę in Eccleſiarum, de conſt. & in c. 2. & fin. de maior. & obedient.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum Papa poſſit ſacram Scripturam interpretari. Interpretatio namq; ſermonum eſt, donum Spiritus ſancti. Iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 12. Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ; alij interpretatio ſermonum. Sed tale donum quandoque alij magis, quàm Papa habere poſſunt. Ergo non ſpectat ſolum ad Papam ſacram Scripturam interpretari.

2 Præterea: In ſacra Scriptura continetur doctrina prophetica. ſed ſcribitur 2. Pet. 1. quòd omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Nõ eſt ergo voluntatis humanæ ſacram Scripturã interpretari. Vnde dixit Ioſeph Gen. 40. Numquid non Dei eſt iſta interpretatio? vnde Dan. 2. ſcribitur: Mihi non in ſapientia, quæ ſit in me plus, quàm in cunctis viuentibus ſacramentum hoc reuelatum eſt, ſed vt interpretatio rei manifeſtè fieret.

3 Præterea: In cauſa fidei, Papa eſt æqualis conditionis cum alijs. quia poteſt, ſi à fide deuiat, cõuinci, & iudicari, ſicut alij. ſed ſacra Scriptura eſt de his, quæ ſunt fidei. Cuilibet ergo licitum eſt ſacram Scripturam ſibi interpretari.

A In Contrarium eſt, quod ſcribitur 24. qõ. 1. c. Quotiens fidei ratio ventilatur, arbitror non niſi ad Petrum, puta ad ſui nominis, vel honoris auctoritatem, referre debere, vel vti nunc retulit veſtra dilectio.

RESOLVTIO.

Ad Papam loco Chriſti principaliter Scripturę ſacra interpretatio ſpectat.

Respondeo, dicendum, quòd eius eſt interpretari, cuius eſt condere. † Chriſti autem ſacram Scripturam condere: quia de ipſo eſt tota Scriptura ſubiectiuè, & fundamentaliter. Vnde dicit Auguſt. 13. de Trini. cap. 19. Quòd ſcientia noſtra Chriſtus eſt. ſapientia quoque noſtra idem Chriſtus eſt: quia ipſe nobis fidem de rebus temporalibus inſerit, ipſe de ſempiternis exhibet veritatem. Ad eum ergo pertinet auctoritatiuè ſacram Scripturam interpretari. propter quod Lucæ 24. ſcribitur: Incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Planum eſt autem, quòd Chriſti Vicarius in tota Eccleſia eſt Papa, unde loco Chriſti ad eum principaliter pertinet ſacram Scripturam exponere. In cuius ſignum, iam eius paſſione appropinquante, pro Petro, cuius ſucceſſor eſt Papa, rogauit, vt non deficeret fides ſua, ſicut ſcribitur Lucę 22.

† cap. Inter alia de ſent. excõ. vt l. finali. C. de legibus.

B

Ad Argumenta.

C

Ad Primum dicitur, quòd planum eſt in Eccleſia multos eſſe, & fuiſſe dono Spiritus ſancti repletos ſuper expoſitione, & interpretatione ſacrę Scripturæ: quia tamen Angelus Sathanæ poteſt ſe transfigurare in Angelum lucis. ideo quid tenendum, & quid non tenendum ſit de illis interpretationibus, nõ niſi auctoritate Summi Pontificis terminari poteſt; Vnde qualiter interpretatio ſententialiter ſit tenenda in ſacra Scriptura, ſolum ad Papam ſpectat. 2. Cor. xj.

Ad ſecundum dicitur, quòd ibi interpretatio accipitur pro reuelatione ſacræ Scripturæ eo, quòd prophetica doctrina, & vniuerſaliter ſacra Scriptura non eſt humana voluntate inuenta, ſed à Deo inſpirata. vnde ſubditur ibi, quòd non voluntate humana allata eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines. Iſto ergo modo non ſpectat ad Papam ſacram Scripturam interpretari; ſicut nõ ſpectat ad ipſum ſacram Scripturam inſpirare. ſolus enim Chriſtus eſt ſubiectum in ſacra Scriptura, vt ſpirator, & reuelator ipſius. Papa autem ſicut Vicarius Scripturam ab eo inſpiratam, & interpretatam tenetur pijs opitulari, & contra impios defenſare; ac de expoſitionibus, & interpretationibus aliorum ſententialiter determinare, quid tenendum ſit, & quid non tenendum.

2. Pet. 1.

D

Scripturę ſacræ ſubiectum.

Ad tertium dicitur, quòd in cauſa fidei Papa eſt æqualis conditionis cum alijs, quantum ad illa, quæ credẽda ſunt. ſed, vt dicit Aug. 14. de Trin. c. 1. Aliud eſt ſcire tantummodo, quid homo credere debeat pp

Tomo 3.

adipiſcendam vitam beatam, quæ non niſi æterna eſt, E
& aliud eſt ſcire, quemadmodum hoc ipſum & pijs opituletur, & contra impios defendatur. In hoc enim qualiter ſacra Scriptura pijs opituletur, & contra impios defendatur, non eſt æqualis conditionis cum alijs. quia ad ipſum ſpectat ſacram Scripturam interpretari, & aliorum interpretationem approbare, vel improbare. Vnde extra de hæreti. interdicitur laicis, in ſacra Scriptura diſputare, vel docere.

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PAPAM ſpectet interpretari ius ciuile.

F

Gloſſa in cap. poſſeſſor, & ibi Ancha. de regul. iur. & gloſſa in cap. 2. de arbitr. lib. 6. Abb. in cap. Eccleſia. & Imola, ac Felinus in cap. 1. nu. 29. de conſtitutionibus.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd ad Papam nõ ſpectet interpretari ius ciuile. Quia ius ciuile iudicat in foro exterioris iudicij ſecundum faciem. Papa autem cum ſit Vicarius Chriſti, & omnis Chriſti actio debeat eſſe eius inſtructio, debet iudicare ſecundum interiorem conſcientiam. Vnde ſibi, & alijs Paſtoribus Eccleſiæ dicitur Ioan. 6. Nolite iudicare ſecũdum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicare.

G

2 Præterea: Ius ciuile præcipit miniſtrum obedire iudici & iudicem legi. ſed ſi talem interpretationem exequitur Papa, condemnat quandoque innocentem pro nocente, cum ſecundum legis iudicium poſſit interdum innocens pro nocente conuinci, quod eſt contra diuinam legem.

3 Præterea: Papa non debet facere alicui iniuriã, ſed iniuriam facit Imperatori, ſi interpretatur ius ab eo conditum.

IN CONTRARIVM eſt. Quia, ad quem pertinet iudicare Legiſlatorem, ad eum pertinet interpretari legem latam per eum. Sed ad Papam pertinet iudicare Imperatorem, ſi delinquit. Ergo ad ipſum pertinet interpretari legem latam per ipſum.

RESOLVTIO.

Ad Papam iuris ciuilis interpretatio ſpectat propter eius correctionem, obligationem, confirmationẽ, declarationem, & ſuppletionem.

RESPONDEO, dicendum. Quòd quadruplex interpretatio legis ciuilis pertinet ad Papam. Prima eſt quantum ad eius correctionem. multa.n. permittit, & multa impunita relinquit lex ciuilis, quæ per diuinam legem, cuius Papa miniſter eſt, corriguntur, vt dicit Aug. 1. de lib. arb. cap. 5. Secunda eſt, quantum ad eius obligationem. ad Papam nãq; ſpectat interpretari quas controuerſias, & quæ Eccleſiaſtica negotia vult ligari, vel ſolum legibus Imperatorum, & quæ non. Vnde 10. d. cap. Lege. Scribitur, ꝙ legibus Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis controuerſijs vtendum eſt. Tertia eſt, quantum ad eius confirmationem. non enim poteſt eſſe magis exempta lex, quàm Legiſlator. vnde ſi examinatio, & confirmatio Imperatoris ſpectat ad Papam, oportet ꝙ imperialium legum confirmatio, vel reprobatio ſimiliter ad ipſum ſpectet. Quarta, quantũ ad eius declarationem, & ſuppletionẽ. ſicut enim omnis ſciẽtia humanitus inuenta eſt imperfecta, & quædã vmbra reſpectu diuinæ ſcientię, ſic Papa, qui eſt armariũ ſacræ Scripturæ, debet Imperiales leges declarare, & ſupplere per notitiam, & ſufficientiam diuinæ ſcientiæ, cuius miniſter eſt.

Tomo 1.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd Chriſti actio debet eſſe Papæ, & cuiuslibet Chriſtiani inſtructio ad cogitandum, quòd ipſe ſit Deus iudex iuſtiſſimus. quia actio, qua Chriſtus iudicat ex auditu interiori, noſtra inſtructio eſt ad cognoſcẽdum, quòd ipſe nec falli poteſt nec fallere. non tamen talis eius actio debet eſſe noſtra inſtructio ad agẽdum, vt ſimiliter nos debeamus iudicare ſecundum interiorem conſcientiam, cum poſſimus falli, & fallere.

AD ſecundũ dicitur, quòd miniſter tenetur obedire iudici, & iudex legi ſecundum veritatem: diſtinguitur tamen duplex veritas. vna eſt rei factæ, & altera eſt rei faciendæ. Contra primum tenetur obedire ſubditus Prælato præcipienti, & iudex legi, ſed non contra ſecũdam. Vnde in caſu, quo præcipitur, quòd innocens occidatur probatus nocens, dicitur, quòd quàmuis in hoc obediatur cõtra veritatem rei factæ, non tamen obeditur contra veritatem rei faciendæ, eo, ꝙ in foro iudicij, vbi inquiſita eſt veritas, ſic inuẽtum eſt.

AD tertiũ dicitur, ꝙ nulli facit iniuriam, qui vtitur iure proprio. Eo ipſo ergo, quòd Papa eſt ſupra Imperatorem & ipſe eſt miniſter eius: oportet, quòd lex eius ſit miniſtra legis eius. Vnde ſi vtať iure ſuo, in hac parte non facit iniuriam ſibi.

ARTICVLVS IIII.

H

VTRVM PAPA POSSIT interpretari ius naturæ.

Ioan. de Selua in tract. de iure iurando, par. 4. qõ. 5. & Decius, Felinus, & Doctores in cap. Quæ in Eccleſiarum, de conſtitutionibus.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa nõ poſſit interpretari ius naturæ. quia nullus debet eſſe interpres legis, quã ipſe non ponit. Sed Papa non ponit legem naturæ. Ergo non debet eam interpretari.

2 Præterea: Illud, quod eſt omnibus notum, non indiget interpretatione. ſed lex naturæ eſt omnibus nota,

nota, ſicut dicit Glo. ſuper illo verbo Roma. 1. Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerū: Ergo non indiget interpretatione.

3 Præterea: Quod eſt omnibus commune, non datur auctoritas ſuper eum magis vni, quàm alteri. Sed ius naturale eſt commune omni nationi, vt dicit Iſidorus. † Ergo non datur auctoritas interpretandi ipſum magis Papæ, quàm alteri.

† Lib. 5. Etymologiarū, & habetur in c. ius naturale diſt. 1.

In Contrarium eſt. Quia ius naturale eſt, quod in lege, & Euāgelio cōtinetur, vt ponitur 1. diſt. cap. Humanum genus: Sed ad Papam pertinet interpretari legem, & Euangelia, vt ſupra dictum eſt. Ergo ad ipſum pertinet naturale ius interpretari.

Resolvtio.

Papa propter legis naturę multiplicem variationē poteſt eam interpretari.

Respondeo, dicendum, quòd illud conuenit interpretari, quod contingit variari. Eſt autem actio humanæ naturæ poſt peccatum quadrupliciter variata, vt dicit Auguſt. in lib. 83. quæſtionum. q. 66. Nam in prima actione ante legem ſcriptam lex naturæ in homine (vt dicit) fuit ſine pugna. quia ſine cognitione diſtincta peccatorum: Concupiſcentiā (inquit Apoſt. Roma. 7.) neſciebam, niſi lex diceret: Non concupiſces. In ſecunda vero actione ſub lege ſcripta lex naturæ fuit cum pugna, tamen ſine victoria. quia occaſione accepta peccatum per mandatum legis operatum eſt omnem concupiſcētiam. Notificabat enim lex peccata, quibus lex naturæ impugnabatur, non conferendo tamen gratiam adiutricē. Vnde dicebatur eſſe pugna ſine victoria. In tertia autem actione ſub lege gratiæ lex naturæ eſt in pugna, tamen cum victoria, eo ꝙ per ſacramenta, quæ ſunt vaſa gratiæ, confertur victoria per gratiam adiutricē. Sed in quarta actione, vt in patria, lex naturæ non habebit pugnam, ſed pacem ſempiternam. Sicut ergo lex naturæ eſt multipliciter variata: ſic per Eccleſiaſticam diſciplinam, cuius Papa eſt miniſter, eſt multipliciter interpretata.

Tomo 4.

Ad Argumenta.

D Ad Primum ergo eſt dicēdum, quòd ſicut in regimine exteriori eſt duplex lex neceſſaria. vna naturalis certificans de agendis in vniuerſali. Alia poſitiua, deſcendens ad cauſas ſpeciales: ſic in regimine interiori animę ponitur duplex lex. Vna naturalis, quæ certificat de regulis operādorum vniuerſalibus. Alia, quæ certificat de caſibus operandorum particularibus, quæ appellatur conſcientia. Vtriuſque autē legis Papa interpres eſt: & vtraque ſubijcitur iudicio ſuo. quia legem naturæ quàmuis nō ponat in vniuerſali, pertinet tamen ad ipſum ponere in particulari, particulares caſus ex ipſa eliciendo, & ſpecialiter explicando. Similiter conſcientia quàmuis ipſe non ponat eā ſimpliciter: ponit eam tñ ſecundū quid. quia iudicio ſuo quis debet ſtare, ſi ſit recta, vel nō recta.

A Ad ſecundum eſt dicendum, quòd lex naturę eſt omnibus nota vniuerſaliter: ſed talis notitia modicū vtilis eſt: quia cum actio ſit ſuppoſitorum particularium: ſermones vniuerſales in materia morali modicum proficiunt ad agendum, vt dicit Philoſophus 2. Ethicorum.

2. Meta c. 1.

1. Eth. cap. 3. & 7.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ius naturale quandoque accipitur ſine cognitione, ſine electione, & ſine particulari actione, vel expreſſione. Quandoq; vero cum cognitione, ſine electione. Quandoque autē cum electione ſine tamen particulari expreſſione. Primo modo conuenit omnibus rebus. Secundo omnibus animalibus. Tertio omnibus hominibus. Quarto hominibus ſic viuentibus, & ſic agentibus ſecundum talia, vel talia præcepta: & iſto modo ſic B Papæ cōuenit ſupra ius naturale auctoritatem interpretandi habere quod non conuenit alijs.

ARTICVLVS V.

Utr. Papa teneatur dubia ſemper in meliorem partem interpretari.

B. Thom. Caietanus 2. 2. q. 60. art. 4. & Canoniſtę in cap. Abbatem de verb. ſignifi. & Doctores in l. ſemper in dubijs. ff. de regul. iur.

C Ad quintū ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa nō teneatur dubia ſemper in meliorem partem interpretari. Quia magis eſt ſequendū iudicium interioris conſcientiæ, quàm exterioris iudicij; cum illud liget ex lege naturæ, iſtud autem ex lege poſitiua. Si ergo conſcientia dictat alicui dubia interpretanda eſſe in malam partem, eſt tale iudicium ſequendum.

2 Præterea: Super illo verbo Apoſtoli 1. ad Cor. 10. Tentatio vos non apprehendat niſi humana; dicit Auguſtinus, ꝙ tentationem accipit Apoſtolus pro dubitatione; vt ſit ſenſus: ꝙ dubitatio de homine debet nos apprehendere: ſed non de Deo: quia ſicut dubitare de Deo perniciosum eſt: ſic dubitare de homine ſaluberrimum eſt.

Q. vet. & no. teſt. qō. 99. To. 4.

D 3 Præterea: Dubitare de fide periculoſum eſt. Si quis ergo eſt ſuſpectus, aliquem eſſe dubium in fide: tutius eſt tale dubium in peiorē partē interpretari.

In Contrarium eſt, quod dicit gloſſa Rom. 14. Qui non manducat: manducantem non iudicet. Ambigua (inquit) debemus ſemper in meliorem partem vertere.

Resolvtio.

Papa in meliorem ſemper partem dubia interpretari debet, quatuor de cauſis, vt infra patebit.

Respondeo, dicendum, quòd in interpretatione dubiorum fertur iudicium. Eſt ergo

magis

magis tutum iudicium dubiorum vertere in meliorē partem ſemper: propter quatuor. Primo, propter ipſum iudicatum. quia ſine ſufficienti cauſa nulli eſt facienda iniuria. Vbi ergo non apparent manifeſta iudicia de malitia alicuius: iniuria fit ſibi, ſi malum eſſe iudicetur, ex quo ſine legitima cauſa illud, quod dubium eſt, in malum interpretatur. Secundo, propter ipſum iudicantem. quia habens bonam opinionem de aliquo malo homine licet fallatur, non tamē mentitur, quia contingentia particularia ſcire nō tenetur. nec inficitur in affectu. quia de quolibet præſumendum eſt bonum: niſi euidenter appareat contrarium. Tertio, propter ipſum iudiciū. Nam aliud eſt iudicare de re: aliud eſt iudicare de homine: quia malè iudicare de re, eſt malum iudicantis. Sed malū iudicare de homine eſt malum ipſius iudicati, cum ex hoc condemnatur ſine cauſa. Quarto, propter remedium, vt à iudicio diſtinguitur. Differt enim remedium à iudicio, quia in remedium apponendo, in dubijs ſemper eſt ſupponēdum, & interpretandū, quod eſt deterius. Sed in iudicando dubia, eſt ſemper interpretandum, & ſupponendū quod eſt melius.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd in foro interioris conſcientiæ agitur cauſa inter Deum, & hominem: ideo ſemper tale iudicium eſt ſequendum, ſiue ſit rectum, ſiue non rectum, dummodo rectum eſſe credatur. quia Deus magis reſpicit illud, quod interius in homine geritur, quàm, qđ exterius agitur. Sed in foro exterioris iudicij agitur cauſa inter hominem, & hominem. Ideo iniuria fit proxi- E mo, ſi illud, quod dubium eſt, ſine legitima cauſa in malum interpretatur.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Auguſtinus ibi loquitur de dubitatione finalis termini. De homine namque ſemper eſt dubitandum, vt ſpes finalis in eo non ponatur. Econtrario diffidētia finalis eſt de Deo pernicioſa, ſi ipſe Deus non præfigatur finis, propter quem omnia alia intendantur. Vult ergo dicere Auguſt. ꝙ tentatio humana (vt ait Apoſtolus) nos debet apprehendere, vt dubitatio de homine, ne in eo ſpes noſtra ponatur tamquam in fine, ſemper nos apprehendat, ſed non diuina. F Gloſſa tamen cōmunis aliter exponit, ꝙ humana tētatio eſt aliter ſapere, quàm res ſe habeat: vt cum ex aliquibus indicijs homo de bonitate alicuius incipit dubitare. Tunc autem non eſſet humana, quando iam ex illis leuibus ſignis temerariè certum indicium daret. Si enim non eſt in nobis perfectio Angeli: non tamen debet in nobis eſſe præſumptio diaboli.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Iacobus in canonica ſua, c. 2. Tu fidem habes, & ego opera: G oſtende mihi fidem tuā ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam. Ex quo dicto clarè oſtenditur, ꝙ per opera oſtenditur fides, & infidelitas alicuius. Vnde ſi manifeſta indicia apparent, ꝙ quis ſit dubius in fide, eſt ſtatim manifeſtandus, vt corrigatur: non vt confundatur. Iuxta illud Iacobi vltimo capitulo: Si quis autem ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet quoniā qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

QVAEST. LXVIII. DE DISPENSATIONE PER BENEFICIORVM COLLATIONEM.

DEINDE conſiderandum eſt de beneficiorum collatione. Circa quod quæruntur Quatuor. H

Primo, Vtrum ſolus Papa in pluralitate beneficiorum poſſit diſpenſare. I

Secūdo, Vtrum ſine auctoritate Papæ Epiſcopus poſſit plura beneficia vni conferre.

Tertio, Vtrum, mortuo Papa, Collegium Cardinalium poſſit Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare.

Quarto, Vtrum cum diſpenſatione Papæ licitum ſit plura beneficia retinere.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare in pluralitate beneficiorū.

Vide gloſſam, Innocentium, Abbatem, & Doctores in cap. de multa, de præben. & Hoſtien. in ſumma, titu. de præbend. §. fin. & titu. de diſpenſation. §. quis poſſit diſpenſare.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit diſpēſare in pluralitate beneficiorum. Papa enim non poteſt diſpenſare in eo, quod eſt ſimpliciter malum, & iniuſtum. Eſt autem ſimpliciter malum, quo tollitur finis, ad quem res ordinata eſt. Finis autem, ad quem ordinatur, gratia benefi-

neficiorum eſt, vt diuerſi miniſtri in diuerſis officijs ſeruiant Eccleſiæ. qui tollitur, ſi plura beneficia vni conferantur.

2 Præterea: Papa non poteſt diſpenſare contra ius naturale: Sed pluralitas beneficiorum eſt contra ius naturale, quia eſt contra iuſtitiam diſtributiuã, quæ in proportione arithmetica conſiſtit. vt patet per Philoſophũ 5. Eth. Vt vnicuique detur non ſecundum æqualem quãtitatem, ſed ſecundum proportionem: vt pro maiori ſeruitio maius beneficium, & pro minori minus conferatur. Talis autem iuſtitia tollitur, ſi plura beneficia conferantur vni.

Ariſt. 5. Eth. cap. 3.

3 Præterea: Miniſter non poteſt contra voluntatẽ Domini rem ſuam diſpenſare. ſed Papa eſt miniſter rerũ Eccleſiaſticarum. Iuxta illud, quod ſcribitur 10. q. 2. c. Precarie. Sic tractare res Eccleſiæ ſe arbitretur, vt alienarum rerum diſpenſatorem, nõ propriarum largitorem. Sed hoc eſt contra voluntatem Domini, quòd plura beneficia vni conferantur. Dicitur enim diſpenſatio, quaſi diuerſorum penſatio.

4 Præterea: Si quis habet plura beneficia, cogitur ſubeſſe pluribus Dominis, & eadem hora pluribus obedire Prælatis, & à pluribus iudicari, & ab vno ordinari, altero inuito. hoc autem habet annexam impoſſibilitatem, quia impoſſibile eſt, duobus Dominis ſeruire, ut ſcribitur Matth. 6.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de conceſſ. præben. in cap. Propoſuit. Dicit enim Papa: Secũdum plenitudinem poteſtatis de iure poſſumus, & ſupra ius poſſumus diſpenſare.

Resolutio.

Papa in beneficiorum pluralitate diſpenſare poteſt Eccleſię vtilitate, & iuſtitia æquitate ſeruata.

Respondeo, dicendum, ꝙ in collatione beneficiorũ aliquid eſt de iure diuino, & naturali: & aliquid eſt de iure poſitiuo. De iure nãque naturali, & diuino eſt, vt beneficium detur propter adminiſtrationem officij. Sic enim mandatum eſt Num. 18. Filijs autem Leui dedi decimas Iſrael in poſſeſſionẽ pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis, vt nihil aliud poſſideant, decimarum oblatione contenti. Et Apoſtolus 1. Corin. 9. dicit: Sic Chriſtus ordinauit, vt qui Euangelium annunciant, de euangelio viuant. Iuxta illud Lucæ 10. Dignus eſt operarius mercede ſua. De iure vero poſitiuo eſt paucitas, vel pluralitas beneficiorum. Non enim poſſunt talia cadere ſub vna regula. quia conſiderata quandoque Eccleſię neceſſitate, vel perſonæ dignitate, plura beneficia conferenda ſunt vni, quàm alteri. Cum igitur Papa non ſolum poſſit illa, quę ſunt iuris poſitiui, verum etiam ſupra ipſum ius poteſt diſpenſare vt ſupra allegatum eſt. Ideo dicendum eſt, ꝙ ſicut de iure poſitiuo communi, cuius Papa eſt conditor, facta eſt talis reſtrictio, vt nulli liceat plura beneficia habere. ſed quicumque recipit aliquod beneficium curã habens animarum annexam, ſi prius tale beneficium habebat, eſt eo ipſo iure priuatus. ſicut ſcribitur extra de præben. & dig. c. De multa. Sic Papa, qui eſt ſupra ius, poteſt talem reſtitutionem relaxare. & in pluralitate beneficiorum vniuerſaliter diſpenſare, conſiderata tamen Eccleſię vtilitate, & iuſtitiæ ęquitate. Aliter, vt dicit Bern. magis dicenda eſt diſſipatio, quàm diſpenſatio. In de conſid. lib. 3.

Ad argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ non eſt ibi priuatio finis. poteſt enim beneficiatus adminiſtrare officium vel per ſe, vel per alium, auctoritate ſuperioris. Non enim Paulus adminiſtrabat officium perſonaliter in Eccleſia Philippenſium, ſed per ſuos miniſtros: & tamen reſidens ipſe pręſentialiter apud Eccleſiam Theſſalonicam beneficium procurationis à Philippenſibus recepit, ut ipſe teſtatur Philip. 4.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Papa non poteſt diſpenſare ſupra ius naturale communiter ſumptum: ſed bene poteſt diſpenſare in iure naturali, quantum ad illa, quæ ex iure naturali eliciuntur, & explicantur. Nec tollitur iuſtitia diſtributiua in collatione beneficiorum, dummodo iuſta cauſa fiat. quia ſi vnum beneficium detur vni, & plura dentur alteri pro eodem ſeruitio, poſſunt alia negotia occurrere, in quibus conſiderata Eccleſiæ *utilitate, vel perſonę dignitate, unus meretur plura recipere, quàm alius.

* al. neceſſitate.

Ad tertium dicitur, Verum eſſe, ꝙ Papa eſt rerũ Eccleſiaſticarum diſpenſator. In diſpenſatione tamen non ſolum requiritur fidelitas, ſed etiam prudentia: quæ cum ſit recta ratio agibilium, fideliter diſpenſat Papa Eccleſiaſtica beneficia conferendo plura vni, quàm alteri, conſiderata pro loco, & tempore Eccleſię vtilitate, vel perſonarum dignitate.

Ad quartum eſt dicendum, quòd Hugo ſic ſoluit argumentum iſtud 21. q. 1. dicens; ꝙ clericus poteſt habere plura beneficia in pluribus Eccleſijs tamquam laicus, non ſicut clericus. Nam Eccleſiaſticum beneficium laico poteſt in ſtipendium aſſignari, vel ad tempus, vel vſque ad mortem. ſed clericus eſſe nõ poteſt niſi vnius Eccleſiæ, in qua poteſt habere vocẽ, & à Prælato illius poteſt ordinari, & iudicari. Dicendum eſt tamen, ꝙ ille, cum quo diſpenſatum eſt de pluribus beneficijs per Papam, non eſt perplexus, vel ad impoſſibile conſtrictus. quia talem perplexitatem ſuperior tollit, vt ipſe eligat cui voluerit obedire, & à quo voluerit ordinari. Vnde ſicut Papa in pluribus Eccleſijs iuriſdictionem ſibi confert; ita & plurium Prelatorum eum ſubditum facit.

ARTICVLVS II.

VTR. EPISCOPVS ABSQVE Papæ auctoritate plura beneficia poßit vni conferre.

Vide doctores in cap. de multa. & Abbatem in cap. extirpandæ §. qui vero. nu. 36. & 37. & gloſſam. in cap. Sanctorum. 70. Diſt. & in cap. non poteſt. de præbend. lib. 6.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q ſine auctoritate Papæ Epiſcopus poſſit plura beneficia vni conferre. ſcribitur enim 70. diſt. cap. Sanctorum, q cum diſpẽſatione Epiſcopi vnus diuerſis poteſt præeſſe Eccleſijs.

2 Præterea: Epiſcopus in ſua dioeceſi habet iuriſdictionem: ſed confere beneficia, poteſtatis iuriſdictionis eſt. Ergo collata Epiſcopo poteſtate iuriſdictionis, intelligitur eſſe collata poteſtas conferendi beneficia.

3 Præterea: Cauſa diſpenſationis in pluralitate beneficiorũ videtur eſſe perſonarum dignitas: vt quanto aliqui ſunt in ſanctitate, & ſcientia digniores; tanto ſunt pluribus beneficijs promouendi, & honorandi. ſed tales perſonæ poſſunt eſſe in qualibet dioeceſi. Ergo cum talibus poteſt Epiſcopus diſpenſare.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de præbend. & dig. cap. De multa prouidentia.

RESOLVTIO.

Epiſcopus in pluralitate beneficiorum diſpenſare non poteſt, niſi propter Eccleſiarum tenuitatẽ, et Clericorum raritatem: & vna ſi ab altera pendeat: ſi Eccleſia dignitati, vel præbendæ ſit annexa: vel vnam habeat titulatam, alteram vero commendatam.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicũt, Epiſcopum poſſe diſpenſare cum aliquo, in pluralitate beneficiorum in eodem Epiſcopatu; ſed non in diuerſis: quia non poteſt eum facere ſubditum in dioeceſi, in qua iuriſdictionem non habet. Vnde talis eſſet perplexus; quia ex quo diſpenſaret cum eo, vt plura beneficia poſſet recipere in diuerſis Epiſcopatibus, cum omnibus illis teneretur obedire, obligaret eum ad impoſſibile. quam impoſſibilitatem, vel perplexitatem ſolus Papa tollere poteſt. Sed hoc nulla ratione fulcitur. quia vniuerſaliter interdicitur extra. cap. ſupra dicto. De multa. vt nullus plura beneficia tenere valeat abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ. vnde exceptis caſibus, qui in iure exprimuntur, puto, q Epiſcopus in pluralitate beneficiorum non poteſt diſpenſare,

Ponuntur autẽ quinque caſus in iure, vt patet 21. q. 1. & extra de elect. cap. Dudum. in quibus permittitur diſpenſatio in pluribus beneficijs. Primus eſt propter Eccleſiarum tenuitatem, vt quando neutra

E per ſe ſufficit ad ſuſtentandum miniſtrum, poteſt ambabus præfici. Secundus eſt, ſi vna pendet ex altera. Tertius eſt, propter raritatem clericorum. Quartus eſt, ſi Eccleſia annexa eſt prebendæ, vel dignitati. Tunc enim in maiori Eccleſia poteſt reſidere, & in parochia idoneum miniſtrũ tenere. Quintus eſt, ſi vnã habet titulatam, & aliam commendatam.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illud decretum loquitur de beneficijs ſimplicibus nõ habentibus curam animarum, in quibus conceditur Epiſcopo diſpenſare. Vel loquitur de pluribus benefi-

F cijs, in quorũ vno ſit præbẽdatus, & in alio titulatus.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd collatio beneficiorum eſt poteſtatis iuriſdictionis deriuata à Papa in ipſos Epiſcopos, & ideo quanta iuriſdictio in iure à Papa exprimitur, tanta eis conuenit, & non plus.

AD tertium eſt dicendum, q extra de præben. & dig. c. De multa. ſoluitur iſtud argumentum: vbi ſic dicitur: Nullus plures dignitates, vel perſonas habere præſumat. circa ſublimes tamen, & litteratas perſonas, quæ maioribus ſunt beneficijs honorandæ, cum ratio poſtulauerit, per Sedem apoſtolicam poterit diſpenſari.

ARTICVLVS III.

G

VTRVM, MORTVO PAPA, Collegium Cardinalium poßit Eccleſiaſtica beneficia diſpẽſare.

Ioan. de ſelua in tract. de benefi. par. 2. q. 5. & gloſſa, & Doctores in cap. Vbi periculum in §. ijdem quoque de elect. & in cap. 1. de ſchiſmat. lib. 6. & in clemen. ne Romani de electione.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd mortuo Papa, Collegium Cardinaliũ poſſit Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare. quia

H maioris poteſtatis eſt collegium Cardinalium, quàm capitulum Eccleſiæ cathedralis. ſed capitulum poteſt, mortuo Epiſcopo, diſpenſare eccleſiaſtica beneficia. Ergo multo fortius poterit Collegium Cardinalium, mortuo Papa.

2 Præterea: Beneficia conferre, eſt poteſtatis iuriſdictionis: ſed collegium, mortuo Papa, poteſt quicquid iuriſdictionis eſt. quia poteſt excommunicare, & compeſcere rebelles Eccleſiæ. Ergo poteſt ſimiliter Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare.

3 Præterea: Capitulum Metropolitanæ Eccleſiæ poteſt, mortuo Archiepiſcopo, electos ſuffraganeos confirmare, & eorum confirmationem committere. Ergo multo magis poteſt Collegium Cardinalium

de

de Prælatis, quorum confirmatio ad Sedem Apoſtolicam ſpectat.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de elect. cap. Vbi maius, §. ijdem quoque, lib. 6. Scribitur enim ibi, ꝙ Cardinales, mortuo Papa, prouiſioni ſucceſſoris, ſic attentius vacent, quatenus ſe nequaquàm de alio negotio intromittant.

RESOLVTIO.

Cardinalium Collegio, mortuo Papa, Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare, interdicitur.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſcribitur extra, ne ſe. va. aliquid. Innoc. lib. 6. Collatio beneficiorum, vel ſimul pertinet ad Capitulum, & Epiſcopum: vel ad Epiſcopum ſolum cum conſilio, vel aſſenſu Capituli: vel ad aliquem de Eccleſia, puta Archidiaconum, vel alium cum requiſitione Epiſcopi. Si primo modo, communiter ſpectat ad Capitulum, & Epiſcopum, tunc mortuo Epiſcopo, vel à beneficiorum collatione per Papam ſuſpenſo, poteſt capitulum vacantes præbendas conferre, dato ꝙ Epiſcopus in collatione illarum aliquid intereſſe habeat, vt Prælatus, ſicut ibi dicitur. Si vero ſecūdo modo, collatio beneficiorum ſolum ad Epiſcopum ſpectat cum conſilio, vel aſſenſu ſui Capituli: tunc, mortuo Epiſcopo, vel ſuſpenſo, Capitulum non poteſt de collatione talium præbendarum ſe intromittere. Sed ſi tertio modo collatio prębendarum pertinet ad aliquem de Eccleſia cum conſilio Epiſcopi: tunc ſublato Epiſcopo de medio per mortem, vel per remotam diſtantiam non eſt propter hoc collatio beneficij vacantis differenda: quia in petendo, vel expectando eius conſiliū, poſſet vacanti beneficio periculum imminere: quia ergo iure permittitur collatio bėneficiorum Capitulo cathedralis Eccleſiæ modo, quo dictum eſt: collegio verò Cardinalium interdicitur, ſicut patet extra de elect. vbi maius periculum: Ergo † concludendū eſt, ꝙ collegium Cardinalium, mortuo Papa, non poteſt Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare.

† Cap. Illa, & ibi gloſſa & Docto. extra, ne Sede vacante.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd non ſemper: Quod poteſt maius, poteſt minus, niſi vnum per ſe ordinetur ad aliud. Poteſt enim homo generare hominem, & non canem. Collegium nāque Cardinalium non habet per ſe ordinem ad alia Collegia Eccleſiarum cathedralium: quia alia Collegia tenentur regulari iure ſcripto, & poſito per Papam: Sed illud Collegium eſt aſſiſtens illi, qui eſt iuris lator, & poſitor: Vnde habet alia Collegia regulare, & non ab eis regulari.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd iuriſdictionis poteſtas tamquàm in fonte reſidet in Papa, & ab eo tribuitur, & reſtringitur in alijs. Collegio ergo, quando immineret periculū defendendi terras Eccleſiæ, conceditur poteſtas excommunicandi, & compeſcendi rebelles: ſed poteſtas Eccleſiaſtica beneficia diſpenſandi interdicitur.

A Ad tertium dicitur, ꝙ Eccleſia tamquàm mater omnium fidelium per ſua ſtatuta ſemper nititur animarum periculis obuiare. Quia ergo per Metropolitanorum mortem poſſunt ſuffraganeæ Eccleſiæ detrimentum ſuſtinere, vt Chriſti greges diu carerēt Paſtoribus: ideo prouide ſtatutum eſt, vt Metropolitana capitula poſſint canonicè electos confirmare, & eorum conſecrationem committere. Vt autem Cardinales, Sede Apoſtolica vacante, electioni Apoſtolicę attentius inſiſtant, omnia alia negotia eis interdicuntur.

ARTICVLVS IIII.

B *VTRVM CVM DISPENſatione Papæ ſit licitum plura beneficia retinere.*

Textus, & ibi Hoſtienſis Panormit. & alij in cap. Quæris, extra de ætat. & qualit. & Conc. Trid.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ cum diſpenſatione Papę nō ſit licitum plura beneficia retinere: quia quod eſt turpis lucri, non poteſt licitè teneri: ſed tenere plura beneficia eſt turpis lucri, vt dicitur 21. q. 1. cap. Clericus. Ergo licitè non tenentur.

C 2 Præterea: Bigamia habet annexam irregularitatem, ſed habens plura beneficia eſt bigamus: quia habet plures ſponſas. Ergo non poteſt ſine peccato ipſa retinere.

3 Præterea: Beneficium iuſtè non retinetur niſi per officium: ſed homo non poteſt in pluribus Eccleſijs officium exercere. Ergo non poteſt plura beneficia iuſtè retinere.

In Contrarium eſt, quia vbi eſſet periculum animarum, Eccleſia non diſpenſaret. Diſpenſat autem in pluritate beneficiorum: Abſque periculo ergo animæ poſſunt retineri.

RESOLVTIO.

Plura beneficia retinere quàmuis in caſu licitum D *ſit cum diſpenſatione: non tamen expedit.*

Respondeo, dicendum, quòd aliqua ſunt ſimpliciter bona. Aliqua vero ſimpliciter mala. Aliqua vero media. Pluralitas enim beneficiorum non poteſt contineri cum ſimpliciter malis, vel cum ſimpliciter bonis. Nam ſi eſſet de ſimpliciter bonis, nulla poſſet fieri de ipſis prohibitio. non enim poteſt prohiberi, quòd quis non habeat Fidem, Spem, & Charitatem: quæ ſunt ſimpliciter bona. Prohibetur autem pluralitas beneficiorum habentium curam, ſicut patet extra de præben. cap. De multa. Non poteſt ergo contineri inter ſimpliciter bona. Nec poteſt contineri inter ſimpliciter mala: quia tunc nulla poſſet fieri in ea diſpenſatio, vel relaxatio. Non enim

ſunt

ſunt diſpenſabilia, furtum, adulterium, & ſacrilegiũ, & talia, quæ ſunt ſimpliciter mala. Continetur ergo cũ bonis medijs, quæ in caſu aliquo poſſunt eſſe bona, vel mala ſecũdum diuerſas circumſtantias occurrentes. Puto ergo, † quòd tenere plura beneficia cum Papæ diſpenſatione licitum eſt, dummodo ex parte diſpenſantis, & diſpenſationem recipientis ſit vrgẽns neceſſitas, vel communis Eccleſiæ vtilitas. Si verò ex parte dantis ſit priuata carnalitas, & ex parte recipientis auaritiæ cupiditas, illicitum eſt tenere; quia tunc, vt Bernard. De conſid. lib. 3. dicit: magis dicenda eſt crudelis diſſipatio, quàm diſpenſatio. Verum quia ſecundum Apoſtolum 1 Corin. 6. Multa licent, quæ non expediunt. ideo quàmuis in caſu licitum eſſe poſſit plura beneficia retinere cum diſpenſatione, non tamen expedit. Contrahitur enim in Eccleſiaſtico beneficio ſpirituale vinculum reſpectu Eccleſiæ, cui homo tenetur quando indiget prouidere, & reſpectu Prælati, cui in mandatis tenetur obedire. In pluralitate autem beneficiorum tale vinculum ſpirituale quodammodo diſſoluit, quantum ad Eccleſiæ indigentiam: quia non poteſt vtrique Eccleſię deſeruire ſimul indigenti. ſicut ſi ſimul inſtet electio fienda in vtraque. & quantum ad Prælati obedientiã: quia non poteſt ſimul vtrique diuerſa mandãti obedire. Aliud vinculum incurritur in Eccleſiaſtico beneficio, quãtum ad beneficium temporale, quod recipitur. quod quidem datur ad miniſtrorum ſuſtentationem, & pauperum ſubuentionem. Planum eſt autẽ, quòd ex pluralitate beneficiorum fit miniſtrorum diminutio: quia de beneficio duorum, & quãdoque decem, vnus ſolus ſuſtentatur. Fit ſimiliter pauperum defraudatio: quia in Eccleſia, in qua prębendatus non facit reſidentiam, non ſubuenitur pauperibus. Vnde propter multa pericula, quæ pluralitas beneficiorum habet annexa, & propter ſcandalũ,

† Pet de Ancha. in repetitione, c. 1. de cõſtituit. & Abb. in c. de multa, num. 20. de præben.

E quod in Eccleſia ex hoc ſeminatur; puto, quòd quantumcũque in aliquò caſu ſit licitum, nullo tamen modò eſt expediens.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd tunc eſt turpis lucri pluralitas beneficiorum, quando ex cupiditate ſuſcipitur, & priuata carnalitate impẽditur. In caſibus tamẽ illis, in quibus licet plures Eccleſias habere, puto quòd licet habere plures præbendas ſimplices, vel plura beneficia in pluribus Eccleſijs abſque
F nota turpis lucri: quia in omnibus illis caſibus rationabiliter exprimitur cauſa, quare pluralitas beneficiorum eſt permiſſa.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſponſus præbendatus, niſi vnius Eccleſiæ tantum de iure communi. Si verò in alia Eccleſia habeat beneficium, datur ſibi magis in ſtipendium, ſicut daretur laico. Vnde Vrbanus Papa dicit 70. diſt. cap. Sanctorum. Quòd licet Epiſcopo diſponere, vt vnus diuerſis Eccleſijs præeſſe poſſit: canonicus tamen præbendarius eſſe non poſſit, niſi vnius, in qua conſcriptus eſt. Ex
G diſpenſatione tamen Papæ poteſt conſcribi in pluribus: & ſubditus plurium Prælatorum fieri. per quem tollitur bigamia, & irregularitas.

AD tertium eſt dicendum, quòd illud, quod per miniſtros facimus, per noſipſos facere dicimus. Vnde ex quo in aliquo caſu per Papam diſpenſatur cum aliquo de pluralitate beneficiorum, intelligitur eſſe diſpenſatum. vt, vbi per ſe nõ poteſt exercere officium, exerceat per idoneum ſuum miniſtrum: & per hoc differt ſpirituale coniugium à corporali. quia in ſpirituali per alium debitum homo poteſt reddere, quod non poteſt coniugio corporali.

QVEST. LXIX. DE DISPENSATIONE PER OFFICII ADMINISTRATIONEM.

INSVPER conſiderandum eſt de officij adminiſtratione. Circa quod quęruntur Septem.

Primo, Vtrum ex præcepto Papæ quilibet beneficiatus teneatur dicere horas canonicas.

Secundo, Vtrum ex præcepto Papæ beneficiatus toties horas omnes teneatur dicere, quot beneficia habet.

Tertio, Vtrum ex præcepto Papæ beneficiatus teneatur dicere horas ſecundum conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ, vel illius Eccleſiæ, in qua beneficiatus eſt.

Quarto, Vtrum ex pręcepto Papæ exiſtens in ſacris
H *teneatur horas canonicas dicere.*

Quinto, Vtrum ex pręcepto Papę exiſtens in ſtudio ſit excuſatus à debito dicendi horas.

Sexto, Vtrum ex pręcepto Papę omnis religioſus teneatur dicere horas.

Septimo, Vtrum ex pręcepto Papę omittenti horas iniungendum ſit, quòd dicat eaſdem horas, quas dimiſit.

ARTI-

ARTICVLVS I.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ quilibet beneficiatus teneatur dicere horas canonicas.

Cap. Quod à te. & cap. diuerſis fallacijs de cler. coniu. & cap. fin. 92. diſt. & ibi gloſſ. & Doct. & Sanct. Anto. part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 1. & gloſſa in cap. Clericus 19. diſt. & Hoſt. & Doctores. in cap. 1. de celebrat. miſſarum.

AD primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex pręcepto Papæ quilibet beneficiatus non teneatur dicere horas canonicas. quia Eccleſia non debet diſſimulare illud, quod vergit in periculum animarum, ſed Eccleſia diſſimulat non corrigendo transgreſſores, & non dicentes horas canonicas. Non eſt ergo dicendum, ꝙ omnes beneficiati ex præcepto Papæ teneantur dicere horas canonicas.

2 Præterea: Conſuetudo tenet vim legis: ſed non eſt conſuetudo, vt omnes beneficiati teneantur ad horas canonicas. quia multi laici ſunt beneficiati, qui horas canonicas dicere non tenentur.

3 Præterea: Parcendum eſt multitudini, vt poteſt colligi 2. Reg. cap. 18. Vbi dicitur, ꝙ Ioab retinuit popnlum, ne perſequeretur Iſrael uolēs parcere multitudini. ſed multi benaficiati numquam dicunt canonicas horas, non ſolum minores: Immo Pręlati, & maiores. vt patet extra de cele. miſ. cap. dolentes. Parcendum eſt ergo tantę multitudini.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de celebr. miſs. c. ſupradicto. vbi Papa dicit: In virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipimus, vt diuinum officium, nocturnū, pariterq; diurnū, quantum Deus eis dederit, ſtudioſę pariter celebrēt, & deuote.

RESOLVTIO.

Quilibet beneficiatus ex præcepto Papæ horas Canonicas recitare debet. Nam eas recitare contemnens mortaliter peccat, & excommunicari poteſt, admonitione præmiſſa, & neglecta.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut præcipit Apoſtolus 1. Corin. 7. Vir vxori debitum tenetur reddere, & vxor viro. Planum eſt autem, quòd inter clericum beneficiatum, & inter Eccleſiam, in qua conſcriptus eſt, & beneficiatus, eſt quoddam ſpirituale matrimonium contractum. quia miniſter eſt Chriſti, & Chriſti officium gerit, qui deſponſauit, & copulauit ſibi Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, vt dicit Apoſtolus ad Ephe. 5. Vnde ſicut ab Eccleſia exigit debitum beneficium, ſic Eccleſię tenetur reddere debitum officium. Nam ſecundū Hierony. beneficia propter officia data ſunt. Si ergo ſine excuſatione rationabili clericus beneficiatus nō dicit debitum officium, ſed ſcienter dicere negligit, vel contemnit; puto, ꝙ peccat damnabiliter intantū

A ꝙ poſt admonitionem canonicam pro tali culpa excommunicari poteſt. Iuxta illud, quod ponit canon 91. diſt. cap. Clericus. vbi dicitur, ꝙ clericus, qui ſine corporis inęqualitate vigilijs deeſt: ſtipendijs priuatus excommunicetur. Planum eſt autem, ꝙ ſine culpa mortali quis non meretur excōmunicari, & infra ſubditur: Clerici, qui ad opus ſanctum adeſſe contempſerint, ſecundum arbitrium Epiſcopi Eccleſiaſticam ſuſcipiant diſciplinam.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum; ꝙ Eccleſia non debet ſuſtinere quod vergit in commune periculum animarum, ſi illud in iudicium deducatur: B alioquin Eccleſia multa per patientiam tolerat, quæ ſi deducta eſſent in iudicio, exigente iuſtitia, non toleraret. ſicut patet extra de præben. & dign. cap. Cum iam dudum.

AD ſecundum dicitur, quòd conſuetudo non rationabilis, abuſio dicenda eſt. nec tamen Eccleſia omnes abuſiones de Eccleſia poteſt tollere propter difficultatē correptionis. Vnde extra de præben. c. cum nō ignotes, in antiqua compilatione ita ſolet contineri. Mirabile gerimus, & indignum, quòd tu in Eccleſia tua vis introducere conſuetudinem Eccleſię gallicanæ, quæ cum vnum ad plura beneficia recipiat, contra ſacrorum canonum inſtituta, non approbatur à nobis: licet non poſſit præ multitudine delinquentium emendari.

C AD tertium dicitur, quòd multitudini eſt parcēdum pœnitenti, ſed non in delicto permanenti. Immo ſicut bonum, quanto communius, tanto diuinius; ſic peccatum quanto communius, tanto eſt magis periculoſum, & magis corrigendum.

ARTICVLVS II.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ beneficiatus totiens horas canonicas dicere teneatur, quot beneficia habet.

S. Tho. quolib. 1. art. 13. Ioan. de ligna. in tract. de hor. can. q. 9. Albertus de Ferarijs in lib. de horis Canonicis D nu. 30. & Nauarr. tract. de horis can. c. 22. nu. 52.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex præcepto Papæ beneficiatus totiens horas canonicas dicere teneatur, quot beneficia habet. quia ſicut ſe habet vnum beneficium ad vnum officium, ſic multa beneficia ad multa officia. Ergo ſicut ex vno beneficio tenetur dicere vnum officium: ſic ex multis beneficijs tenetur multiplicare officia.

2 Præterea: Beneficiatus tenetur perſoluere officium in illa Eccleſia, in qua recipit beneficium: ſed recipit in pluribus Eccleſijs. Ergo in pluribus tenetur horas canonicas perſoluere.

3 Præterea: Secundum Gregorium Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum. Ex multiplicatione ergo beneficiorum multiplicantur rationes diuinorum obſequiorum.

In Contrarium eſt. quia præceptum non eſt niſi de poſſibili. ſed ſi quis habens decem beneficia, teneretur decies horas canonicas dicere, eſſet quædam obligatio impoſſibilis. Non poteſt ergo cadere præceptum ſuper hoc.

RESOLVTIO.

Plura beneficia habens, niſi ſtatutum Eccleſia requirat, vt per ſe deſeruiat, non tenetur per ſe plura officia recitare.

F Respondeo, dicendum, quòd ſicut ſcribitur auctoritate Aug. 11. di. Catholica Eccleſia per orbem diffuſa tribus modis probatur exiſtere. Nam quicquid in ea tenetur, aut eſt ſcripturarum auctoritas, aut traditio vniuerſalis, aut certe propria, & particularis inſtructio. Scripturarum ergo auctoritate tota Eccleſia conſtringitur: vniuerſali vero maiorũ traditione ſimiliter tota obligantur. Sed priuatis conſtitutionibus, & proprijs informationibus, una quęque Eccleſiarũ pro locorũ varietate, prout cuique viſum eſt, ſubſiſtit, & regitur ita, quòd Eccleſia partim regitur traditionibus diuinis, partim traditionibus generalibus, & partim traditionibus ſpecialibus. Ad traditiones ergo diuinas ex præcepto omnes, & vbique tenentur. Similiter ad traditiones generales, ſed G ad traditiones ſpeciales, non omnes, nec vbique tenentur. Quòd ergo beneficiatus dicat officium diuinum, traditio eſt vniuerſalis Eccleſiæ. Vnde ex præcepto, omnis habens beneficium tenetur dicere officiũ. Sed ꝙ dicat officium illius Eccleſiæ, vel iſtius, eſt ex traditione particulari talis Eccleſię. Sicut ergo ſe habet eius traditio, ſic tenetur. Vnde ſi traditio Eccleſię habet, quòd per ſe ſeruiat, per ſe tenetur: ſi vero per vicarium, per vicarium tenetur. Ideo puto, ꝙ habens plura beneficia, niſi conſuetudo, vel ſtatutum Eccleſiaſticum requirat, vt per ſe deſeruiat, non tenetur per ſe plura officia dicere.

Ad Argumenta.

H Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd ſimiliter ſe habent plura beneficia ad plura officia, quantũ ad proportionem. ſed non quantum ad obligationẽ. quia officium dicere obligatur quis ex traditione vniuerſali. plura vero ex traditione particulari. Vnde ſecundum traditionem illius particularis Eccleſiæ tenetur, & non aliter.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd beneficiatus tenetur perſoluere officium, vbi recipit beneficium per ſe, vel per alium. Vnde vbi tenetur deſeruire per ſe, tenetur per ſe: vbi per alium, tenetur per alium.

Ad tertium dicitur, quòd cum augentur dona: rationes etiam creſcunt donorum intenſiue. quia cũ maiori promptitudine, & maiori conatu tenentur diuina obſequia exercere, quod ſequens dictum Greg. manifeſtat, cum ait: Tanto ergo humilior, atque ad E ſeruiendũ Deo promptior quiſque debet eſſe ex munere, quãto ſe obligatiorẽ ſe eſſe proſpicit in reddenda ratione: & extẽſiue non quidẽ in multiplicatione horarũ. ſed in eleemoſynis, & in alijs operib⁹ pietatis.

ARTICVLVS III.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ beneficiatus teneatur dicere horas ſecundum conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ.

F Vide cap. de his: & ibi gloſſ. Archid. & Vide Panor. & doct. in c. 1. de celeb. miſſ. & Ioan. de lign. gloſſ. & dd. in cle. 1. & 2. de celebr. miſſ. vide S. Thom. quolib. 1. ar. 13. S. Anton. 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 5.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex præcepto Papæ beneficiatus teneatur dicere horas ſecundum conſuetudinem vniuerſalis Eccleſię. quia conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, eſt conſuetudo Eccleſiæ Romanæ. ſed ſcribitur 11. di. cap. Quis neſciat, quòd à conſuetudine Romanæ Eccleſiæ membris diſſentire non licet. Tali ergo conſuetudini beneficiatus quilibet tenetur ſe conformare. Tomo 1. cap. 8.

2 Præterea: Secundum Auguſt. 3. confeſſ. Turpis G eſt pars ſuo non congruens vniuerſo. Sed quælibet Eccleſia particularis eſt pars reſpectu Romanæ Eccleſiæ. Quilibet ergo Clericus in dicendis horis tenetur ſe Romanę Eccleſiæ conformare.

3 Præterea: Si ſecundum conſuetudinem Eccleſię, in qua Clericus eſt præbendatus, tenetur horas canonicas dicere, cum impoſſibile ſit aliquem præbendari in multis Eccleſijs, tenetur dicere horas ſecundum conſuetudinem omnium illarum Eccleſiarum. quod ſupra negatum eſt.

In Contrarivm † eſt. quia canonicus tenetur obſeruare ſtatuta, & conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ. Ergo ſimiliter tenetur dicere horas ſecundum, conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ. † Vide c. de his diſt. 12. & Nauarrum in tractat. de horis canonic. cap. 19.

H RESOLVTIO.

Clericus beneficiatus alicuius Eccleſia, ſecundũ illius conſuetudinem horas canonicas recitare debet, ſi ſit præſens. Si vero abſens, dignioris Eccleſia: ſi ambæ æqualis ſint dignitatis: debet illis, in quibus verſatur, ſe conformare. † Vide extrauag. Pij 5. incipiens. quod à nobis editum ab ipſo. anno Pontificat. ſui 3. 6. idus Iul. & Nauarr. in tract. de horis cano. c. 11. nu. 14. cum ſeq.

Respondeo, † dicendum, quòd ſicut ſcribitur auctoritate Gre. 29. di. c. Regulæ. Regulę ſanctorum Patrum pro tẽpore, loco, perſona, & pro negotio, inſtante Eccleſiæ neceſſitate, traditæ ſunt. Planum eſt autem, quòd dicere tales horas, vel tale officium eſt traditio iſtius particularis Eccleſiæ, non vniuerſalis. Puto ergo, quòd Clerici beneficiati illius Eccleſiæ in caſu illo, in quo tenentur perſona-

perſonaliter Eccleſiam ſuã officiare; tenentur officiũ illius Eccleſiæ dicere. Vnde tenentur, quando ſunt præſentes, legitimo impedimento ceſſante: aliàs nõ tenentur. Sed poſſunt ſibi eligere dicere officium ſecundum conſuetudinẽ alicuius Eccleſiæ, in qua præbendati ſunt. Si verò quæratur de electione officij, cuius Eccleſiæ officium dicere eligere teneatur, rationabiliter videtur, ꝙ debeat eligere dicere officium illius Eccleſiæ, in qua maiorem gradum habet. puta ſi in vna ſit Decanus, & in alia ſimplex Canonicus, debet eligere dicere officium Eccleſiæ, in qua eſt Decanus. quòd ſi in vtraque Eccleſia fuerit ſimplex Canonicus, debet eligere dicere officium dignioris Eccleſiæ, quàmuis fortè in minori Eccleſia habeat pinguiorem præbendam. quia temporalia nullius momenti ſunt ſpiritualibus comparata. Sed ſi ambæ Eccleſiæ ſint æqualis dignitatis, poteſt ſibi eligere officium, quodcunque voluerit, ſi fuerit ab vtraque abſens. ſi autem fuerit in aliqua earum præſens, debet ſe cõformare illis, cum quibus conuerſatur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, ꝙ in traditionibus generalibus à conſuetudine Romanæ Eccleſiæ membris diſſentire non licet. ſed in traditionibus particularibus regula ſeruanda eſt ſecundum cõſuetudinem loci, & temporis.

AD ſecundum dicitur, quòd pars debet ſe cõformare ſuo vniuerſo, in his, quæ ſunt vniuerſalia. ſed in his, quæ ſunt ſpecialia iſtius Eccleſiæ, vel illius, tenetur ſe conformare illi Eccleſiæ, in qua reſidẽtiam facit. Sicut enim conſuetudo vniuerſalis facit ius vniuerſale: ſic conſuetudo localis inducit ius in loco, in quo conſuetudo ſeruatur.

AD tertiũ patet ſolutio. quia non tenetur horas dicere ſecundum conſuetudinem omnium Eccleſiarum, in quibus eſt præbendatus: ſed illius, quæ eſt maioris dignitatis: vel illius, in qua maiorem dignitatem habet.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ exiſtens in ſacris teneatur dicere horas canonicas.

S. Thom. Quolib. 6. & ſuper 4. diſt. 15. vide cap. 1. & c. dolentes, & ibi gloſſ. Abb. & Doct. extra de celeb. Miſſa. & Cardin. Zabarel. in clem. 1. de celebr. Miſſ. Armilla Tit. Horæ cano. §. 3. 6. & xj.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ex præcepto Papæ exiſtens in ſacris nõ teneatur dicere horas canonicas, quia officium nõ dicitur niſi propter receptum beneficium, ſicut dicit Hierony. ſed contingit quandoque exiſtentes in ſacris non habere beneficia. Ergo non tenentur.

A 2 Præterea: Præceptum de dicendis horis, extra de præben. ſolum extenditur, vt communiter in Eccleſiã dicantur horæ canonicæ. Si ergo exiſtentes in ſacris non habent intitulatas Eccleſias, non tenẽtur tale præceptum ſeruare.

3 Præterea: Qui non tenentur dicere horas ſecundum conſuetudinem alicuius Eccleſiæ, nullas horas tenentur dicere. Sed conſtituti in ſacris, ſi non ſint intitulati in aliqua Eccleſia, non tenẽtur dicere horas ſecundum cõſuetudinem alicuius Eccleſiæ. Ergo nullas horas tenentur dicere.

IN CONTRARIVM eſt Innocen. extra de celebr. Miſſarum.

RESOLVTIO.

Exiſtens in ſacris à ſacris horis recitandis abſolui non poteſt.

B RESPONDEO, dicendum, ꝙ duplex eſt beneficium: ſpirituale, & temporale. Primum datur in ſacramentorum diſpenſationem. Secundum datur in vitæ præſentis ſuſtentationem: & ſatis maius eſt primum, quàm ſecundum: & eſt primum cauſa ſecundi, dicente Apoſt. 1. ad Cor. 9. Si vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi veſtra carnalia metamus? per primum homo obligatur Deo, à quo ipſum beneficium ſpirituale ſuſcipitur: per ſecundum verò obligatur Eccleſiæ, propter cuius obſequium tẽporale beneficium ſibi impenditur. Conſtituti ergo C in ſacris, quantũcunque non ſint conſcripti in aliqua particulari Eccleſia, non ſunt abſoluti à debito dicendi horas. quia ſemper poſt receptum à Deo ſpirituale beneficium, ius eſt eis acquiſitum percipiendi temporale beneficium. vnde ſemper tenentur dicere diuinum officium. Abſoluuntur autem à debito dicẽdi horas in iſta, vel in iſta Eccleſia, ex quo non ſunt in aliqua particulari Eccleſia conſcripti, vel beneficiati.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo patet ſolutio. quia tenetur dicere officium propter receptũ ſpirituale beneficium: & ſimiliter propter receptum beneficium temporale. quia ſi Epiſcopus aliquẽ ſine certo titulo in Presbyterum, vel Diaconum ordinat, de quo neceſſa- D ria vitæ percipere valeat, tamdiu tenetur ei neceſſaria miniſtrare, donec in alia Eccleſia conuenientia ſtipẽdia militiæ clericalis aſſignet, ſicut patet extra de præben. cap. Epiſcopus.

AD ſecundum dicitur, ꝙ in ſacris conſtitutus nõ conſcriptus in aliqua Eccleſia ſolutus eſt à debito dicẽdi horas cõiter cum alijs clericis iſtius Eccleſiæ, vel illius: ſed non eſt abſolutus à debito dicendi diuinũ officium propter receptum ſpirituale beneficium.

AD tertium dicitur, ꝙ tenetur dicere horas ſecũdum conſuetudinem Eccleſiæ cathedralis, de cuius Epiſcopi licẽtia eſt ordinatus, qui neceſſaria tenetur ſibi miniſtrare, donec ſibi de conuenienti beneficio prouideat, niſi ad titulum patrimonij ſui fuiſſet promotus, & ordinatus.

ARTICVLVS V.

E

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ Beneficiatus exiſtens in ſtudio ſit excuſatus à debito dicendi horas.

Vide S. Thom. Quodlib. 5. ar. 28. Maior. ſuper 4. diſt. 12. Inno. Ioan. Andr. Abb. antiq. Panor. & Doct. in c. 1. de celebr. Miſſ. gloſſ. in c Licet. 2. q. 1. Gerardũ in tract. de aſſiduit. cano. quæſt. 6. & Nauarrum in tract. de horis cano. cap. 3. & cap. 11. Armil. Tit. Horæ can. §. 2. 3.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex præcepto Papę Beneficiatus exiſtẽs in ſtudio ſit excuſatus à debito dicẽdi horas. quia extra de præben. & dignit. cap. Licet. Præcipitur, vt ſtudenti permanenti in ſtudio Eccleſiaſtici prouentus tribuantur, præter quotidianas diſtributiones, quæ tantum reſidentibus conferuntur. Sicut ergo abſoluitur ſtudens à corporali reſidentia Eccleſiæ; ita abſoluitur à debito dicendi horas. F

2 Præterea: Infirmi excuſantur ab horis. Ergo ſimiliter ſtudentes.

3 Præterea: Minus bonum dimittendum eſt propter maius bonum: ſed ſtudium eſt magis bonum, cum ſit magis vtile, quàm dicere horas. Ergo illud eſt dimittendum propter iſtud.

IN CONTRARIVM eſt, quia dicere horas eſt præceptum: ſtudere vero non eſt præceptum. Ergo propter ſtudium homo non abſoluitur à dicendis horis. G

RESOLVTIO.

Beneficiatus à debito perſoluendi diuinas laudes propter ſtudium abſolui non poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd Beneficiatus in aliqua Eccleſia ad duo obligatur. Primo, ad diuinæ laudis perſolutionem. quia omnibus clericis diuino ſeruitio aſcriptis Eccleſia determinat ſeptem horas ad Dei laudem perſoluendas. Iuxta illud Pſal. 108. Septies in die laudem dixi tibi. Quæ canonicę dicuntur: quia regulariter certis horis ſunt dicendę, ſicut patet extra de celeb. Miſs. Et ad Eccleſiæ ſubuẽtionem. vt Eccleſia, in qua beneficium recipit temporale, adminiſtret ſpirituale. Aliter non eſt rationabilis cauſa recipiendi temporale, niſi ſpirituale adminiſtretur, ſicut dicit glo. ſuper illo verbo Philipp. 4. Quando profectus ſum ad Macedoniam, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli. Beneficiatus ergo exiſtens in ſtudio, quantũcunque diſpenſetur cum eo ad tempus ne præſentialiter teneatur in Eccleſia reſidere, ad eius ſubuentionem propter maius emolumentum, quod ex ipſo ſperatur de fructu ſcientiæ, quam acquirit: nunquã tñ abſoluitur à debito perſoluẽdi diuinas laudes, immo magis tali debito aſtringitur, pro quãto cum eo magis gratioſè agitur, vt tẽporale beneficium recipiat, & doctrinæ ſtudium impendat.

E

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ non diſpenſatur cum ſtudente, vt nõ teneatur dicere horas in loco, vbi ſtudet: ſed ſolum, vt non teneatur ad tempus intereſſe cum alijs ad dicendum horas ſolemniter in Eccleſia, vbi præbendatus eſt.

AD ſecundum dicitur, quòd dicere horas eſt præceptum affirmatiuum. vnde licet obliget ſemper, non tamen ad ſemper: ſed exiſtente opportunitate, & debita valetudine, propter quod infirmi excuſantur à debito dicendi horas, & participes ſunt horarum, quæ in Eccleſia dicuntur ex vinculo charitatis, quæ bona validorum membrorum cõmunicat infirmis, & illis, qui valetudine carent.

F AD tertium dicitur, quòd ſtudium non eſt maius bonum, quàm dicere horas, niſi fortè quãdo immineret vel nimia prouiſio, vel diſputatio contra hæreticos: ne tamen ſtudium impediatur propter horas dicendas, Inno.† ponit, ꝙ occupati in negocijs publicis, ſicut Prælati, & vacantes ſtudio excuſantur ne ſingulis horis teneantur ſingulas horas dicere, ſed manè poſſunt dicere horas, quæ currũt vſque ad veſperas: & deinde veſperas cum completorio, & vltimo in ſero, vel in aliqua hora noctis, Matutinum.

† Vide Innoc. Ioann. Andr. & alios in c. 1. de cel. Miſſ. quos citat Nauar. cap. 3 nu. 56.

ARTICVLVS VI.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ Religioſi teneantur dicere horas canonicas.

G

Vide Palud. ſuper 4. diſt. 15. q. 5. B. Anton. 3. par. tit. 14. c. 4. §. 1. Imo. & alij in c. 1. de celeb. Miſſ. Turrecre. in §. 1. diſt. 91. & Nauar. in tract. de horis cano. c. 7. & c. 20. Armill. Tit. Horæ can. §. 4.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ex præcepto Papæ Religioſi non teneantur dicere horas canonicas. Quia Religioſis non eſt cõmiſſa de communi iure cura animarum, nec eis ſunt collata Eccleſiaſtica beneficia. Ergo officia non tenetur dicere.

H 2 Præterea: Religioſi non tenentur niſi ad illa, ad quæ ſe ex voto obligauerunt: ſed dicere horas non continetur ſub aliquo trium votorum. Ergo ad dicẽdum horas Religioſi non tenentur.

3 Præterea: Religioſi conſtituti ſunt ſub obedientia Si ergo hora, qua tenentur horas dicere, præcipiatur eis aliquid à Prælato eorum, excuſantur à debito dicendi horas.

IN CONTRARIVM eſt. quia dicere horas includitur in diuino cultu: ſed Religioſi potiſſimè ſunt diuino cultui mancipati. Ergo ipſi maximè tenentur ad horas dicendas.

RESOLVTIO.

Religioſi propter beneficium ſpontaneæ volũtate receptum, in voluntaria paupertate de bonis voluntariè

collatis

collatis vinctes à diuinis laudibus abſolui nō poſſunt : ſicut Beneficiati propter beneficium poteſtate ordinaria receptum. A

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui dicūt Religioſos non obligari ad horas dicendas, inquantum Religioſi ſunt. quia puri laici poſſunt eſſe Religioſi. ſed ſi ſiur clerici, & promoti in ſacris, & habēt bona Eccleſiaſtica, teuentur horas dicere, ſicut clerici beneficiati. nou ratione, qua Religioſi, ſed ratione beneficij, quod percipiunt. Sed abſoluere Religioſos à debito dicendi horas, eſt detrahere perfectioni ſtatus ipſorum. Planum eſt enim, quòd per Religionis ingreſſum Religioſi ipſo facto mancipati ſunt diuinis obſequiis. vnde totus ſtatus ipſorū debet eſſe occupatus in diuinis laudibus. Teneri tamē ex præcepto dicere diuinum officium propter receptum beneficium, poteſt intelligi dupliciter. B

Primo propter receptū beneficium, ordinaria poteſtate, & ſic tenentur horas dicere clerici beneficiati.

Secundo propter receptum beneficium ſpontanea voluntate: & ſic Religioſi tenentur dicere officium. quia viuunt in voluntaria paupertate de bonis voluntariè collatis eis à populo Chriſtiano. Laici † vero Religioſi ſimiliter aliquid loco horarum tenentur dicere tot Pater noſter, vel aliquid tale, ſecundum conſtitutiones ipſorum Religioſorum. quæ cum ſint per Eccleſiam confirmatæ, loquendo de Religionibus approbatis, ex præcepto tenentur ipſi dicere, ſicut alij.

† Vide Silueſtr in verbo. hora q. 2.§.6. allegās ad hoc propoſitum Auguſtinū Triumphū in 5.1.d.91.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd multis Religioſis commiſſa eſt cura animarū ex ſpeciali priuilegio, quàmuis non poteſtate ordinaria. Ex qua cōmiſſione committitur eis poteſtas recipiendi à populo Chriſtiano temporalia beneficia propter officia, quæ eis tenentur adminiſtrare in prædicationibus, vel cōfeſſionibus, in quorum officiorum adminiſtratione includitur dicere horas, & diuinum officium. Monachis autem, & alijs Religioſis, quibus cura animarū non eſt commiſſa, ex ſpeciali priuilegio conuenit horas dicere ex regula, & conſtitutionibus ipſorum, quæ eo modo, quo ſunt per Papā confirmatæ: ex præcepto obligantur ad illa.

AD ſecundum dicitur, quòd dicere horas, continetur ſub voto obedientiæ, & in voto voluntariæ paupertatis, quam ſicut profiteutur obſeruare, ſic profitentur dicere diuinum officium pro receptis à Deo, & populo Chriſtiano beneficijs. D

AD tertium eſt dicendum, ꝙ religioſus ſubditus non tenetur parere Prælato in his, quæ ſunt contra cultum Dei, & contra regulam. Vnde ſi poteſt adimplere obedientiam cum perſolutione debiti dicēdi horas, tenetur obedire: aliàs parere non tenetur.

ARTICVLVS VII.

VTRVM EX PRAECEPTO Papæ omittenti horas ſit iniungendū, vt dicat eaſdem horas, quas dimiſit.

S.Tho. Quodl.3.ar.29.Palud.ſuper 4. diſt. 15.B. Anton.3. par.tit.13.c.4.§.5. Silueſt. in verbo: Hora.q.3. Armilla tit. Horæ can.§.14.& Nauar.ſ tract. de hor.can.c.10

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ex præcepto Papæ omittendi horas non ſit iniungendum, ꝙ dicat eaſdem horas, quas dimiſit. quia pœnitentiæ ſunt arbitrariæ. Ergo pro peccato omiſſionis horarū quæcunque pœna ſecundum arbitrium Sacerdotis poteſt imponi.

2 Præterea: Quicunque tenetur ſoluere aliquod debitum, prætereūte tempore ſolutionis, efficitur impotens ſoluere illud. Si ergo quis dimiſit dicere Matutinum, vel primā; iam efficitur impotens ſoluere, cum illud tempus ſit præteritum.

3 Præterea: In tempore determinato dicitur determinatum officium. Si ergo quis ex præcepto teneretur dicere illud idem officium, quod dimiſit, tunc in tempore Paſchali diceret officium Dominicæ Paſſionis. quod videretur inconueniens.

C IN CONTRARIVM eſt. Quia dicere officium eſt quoddam debitum, ſed homo non abſoluitur à debito, niſi reſtituatur debitū. Iuxta illud Aug. non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.

Tomo 2. Epiſt.54.

RESOLVTIO.

Eadem horæ ſunt repetendæ, quæ ex negligentia, vel cauſa irrationabili, fuerunt omiſſæ.

RESPONDEO, dicendum, aliquos Doctores ſic huic quæſtioni ſatisfacere. † Dicunt enim, ꝙ in omni officio illud eſt cōe, quod pertinet ad laudem Dei, & ad ſuffragium fidelium: ſed diſtinguitur vnū officium ab alio ſecundū diuerſitatem temporum, & locorum. & hoc multum rōnabiliter eſt inſtitutū, vt diuerſimode Deus laudetur ſecundū congruentiam temporū, & locorum, & perſonarū. Vnde ſicut in diuinis officijs exoluendis obſeruāda eſt cōitas loci, ita ſimiliter obſeruanda eſt congruitas tpis. quæ quidem obſeruari non poſſet ſi oporteret iniungere omittēti, ꝙ diceret horas, quas omiſit. quia fortè in cōpletorio diceret: Iam lucis orto ſidere. & in tpe Paſchali diceret officiū Dñicæ Paſſionis, quod eſſet abſurdū. Ideo dicunt non eſſe iniungendū ei, qui dimiſit diuinū officiū, ꝙ repetat eaſdem horas, ſed aliquid ad laudem diuinā pertinens, puta ꝙ dicat ſeptē Pſalmos, vel vnū Pſalterium, vel aliquid amplius ſecūdum quantitatē delicti. Sed cum diſtinguatur duplex oratio. Vna cōmunis, quæ dicitur in perſona Eccleſiæ ſecundū determinata verba ab Eccleſia vniuerſali, vel particulari inſtituta; Alia ſecreta, quæ fit à perſona priuata,

† Doctor recitat opinionē S. Tho. Quol.3. ar. 29. ad verbum.

Doctoris opinio, quæ ſuperiori aduerſatur.

quam cuilibet licitum eſt exprimere ſecundũ illa verba, quæ vult. Planum eſt autem ꝙ perſolutio horarum non continetur ſub oratione ſecreta, ſed ſub oratione communi, quæ fit in perſona Eccleſiæ ſecundũ determinata verba ab ipſa Eccleſia vniuerſali, vel particulari inſtituta. Ideo puto, ꝙ ſicut quilibet tenetur ex præcepto horas canonicas dicere: ſic tenetur ex præcepto illas horas dicere: & ſecundum illa verba, ſicut Eccleſia ordinauit. Vnde ſi aliquis omiſit dicere horas ex negligentia, vel ex occupatione irrationabili: credo iniũgendum eſſe ei, ꝙ illas eaſdem repetat, quando ei poſſibilitas adeſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd pœnitentię ſunt arbitrariæ in aliorum peccatorum remiſſione: ſed nõ in debitorum ſolutione. A debito enim numquàm aliquis abſoluitur, niſi perſoluatur. Et ſi poſſibilitas adeſt; illud, quod eſt ſubtractum, eſt reſtituendum.

E AD ſecundũ dicitur, quòd horæ præteritæ non repetuntur propter illius temporis recuperationem: ſed propter diuinæ offenſæ ſatisfactionem, & negligẽtiæ punitionem. Deus enim omni tempore adeſt, cũ apud eum non ſit trãſmutatio, nec viciſſitudinis obũbratio. Vnde ſi in completorio dicatur ab omittente horas: Iam lucis orto ſidere; quàmuis non ſit ibi tẽporis conuenientia pro illo tempore, quo dicitur: eſt tamen ibi conuenientia temporis in perſolutione debiti pro illo tempore, quo dici debuit. Iacob. 1.

F AD tertium dicitur, quòd repetitio horarum quas quis dimiſit, non debet fieri in loco publico, & tempore, quo omittens tenetur ſimul cum alijs diuino officio intereſſe. ſic enim eſſet bene inconueniens, & ſcandalum tempore Paſchali dicere officium Dominicæ Paſſionis: ſed talis repetitio fienda eſt in ſecreto, & tempore, quo omittens non eſt cum alijs in dicendis horis occupatus, ſecundum quem modum nullum eſt inconueniens officium vnius diei repetere in alio.

QVAEST. LXX. DE DISPENSATIONE PER TRANSLATIONEM.

DEINDE conſiderandum eſt de translatione. Circa quod quęruntur Quinque.

Primo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt matrimonium nondum carnaliter cõſummatũ diſſoluatur per translationem ad ſtatum Religionis.

Secundo, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt Religioſus ab obſeruatione regulę abſoluatur per translationẽ eius ad prelationis ſtatum.

Tertio, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt Epiſcopus à voto ſolemniter emiſſo abſoluatur per translationẽ eius ad Religionis ſtatum.

Quarto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt Religioſus abſoluatur à voto per tranſlationem eius ad ſæcularem Eccleſiam.

Quinto, Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt Religioſus profeſſus in arctiori regula abſoluatur à voto per translationem eius ad regulam laxiorem.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT diſpẽſare, vt matrimoniũ diſſoluatur per translationem ad ſtatũ Religionis.

Gloſſ. Innocen. Panor. & alij, in cap. ex publico, de conuerſ. coniug.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſsit diſpenſare, vt matrimonium diſſoluatur per trãſlationem ad ſtatum Religionis. quia per Religionis ingreſſum

G matrimonium non diſſoluitur, niſi propter continentiæ votum. Sed votum cõtinentiæ fuit inter Mariam, & Ioſeph, & tamen inter eos fuit verum matrimonium numquàm diſſolutum, vt dicit Aug. lib. 23. contra Fauſtum. c. 7. Non poteſt ergo matrimonium diſſolui per introitum Religionis. Tomo 6.

2 Præterea: In Religione emittitur votum ſolemne continentiæ: ſed in manu Epiſcopi, vel publicæ perſonæ ſponſus, vel ſponſa poſt contractum matrimonium poteſt ſolemniter vouere continentiam, & tamen matrimonium non diſſoluitur.

3 Præterea: Si ſponſa poſt contractum matrimonium emittit continentiæ votum in manu Epiſcopi: non tenetur intrare Religionem, ſi vult in ſęculo continentiam ſeruare: nec tenetur matrimonium conſummare: ex quo emiſit continentię votum, & tamen

H verum matrimonium eſt.

IN CONTRARIVM eſt. Quia ſi ſponſa maneret in ſęculo, ſponſo Religionem ingreſſo permittitur ſibi nubere ſi vult: quod tamen non permitteretur, niſi ſolutum eſſet matrimonium.

RESOLVTIO.

Matrimonium nondum conſummatum per copulã carnalem diſſolui poteſt, per ingreſſum Religionis: conſummatũ verò non item. Hoc enim in poſſeſſionem ponit hominem, non illud.

RESPONDEO, † dicẽdum, quòd ex diuina inſtitutione, & ex iuridica ratione Eccleſia tenet matrimonium nondum conſummatum per copulam carnalem poſſe diſſolui per introitum Religionis.

† Conciliũ Trident. ſeſſio 24. de ſacramen. matrim. can. 6.

& c. verum cap.cum his & vxorato de conuerſ. coniu.

nis. Initium namque ſignorum, quod fecit Chriſtus in nuptijs mutans aquam in vinum, Ioannem Euangeliſtam volentem nubere, poſt contractum matrimonium per verba de præſenti vocauit ad Apoſtolatum, vt veteribus imutaris noua omnia, quæ à Chriſto inſtituuntur, apparerent, ut dicit Hierony. in prologo ſuper Euangelium beati Ioannis. Inducitur ſimiliter Eccleſia ad hoc tenẽdum iuridica ratione. Nam verum eſt, ꝙ in ſponſalibus fit quædam promiſſio, & in voto per introitum Religionis quædam promiſſio fit. ſed eſt quædam promiſſio nuda, & ſimplex ſine rei traditione, vt promiſſio, qua tibi promitto dare equum. quæ non mutat ſtatum rei, quia non transfert dominium. Impedit enim, ne detur alteri: ſed non impedit donationem, ſi data fuerit. Quædam vero eſt promiſſio inueſtita rei traditione. vt qua promitto tibi dare equum, & ſtatim do. quę mutat ſtatũ rei, eo ꝙ transfert dominium. quia ſecundum leges

B

ſl. Traditionibus C. de pact. ſ. per traditionẽ inſt. de rerũ diuiſ.

† traditionibus, & vſurpationibus rerum dominia transferuntur. Talis autem promiſſio impedit ne res promiſſa detur alteri, & dirimit donationem, ſi data fuerit. Quia ergo ille, qui contrahit per verba de præſenti, dat ſe mulieri nuda promiſſione. ſed non ponit eam in poſſeſſionem ſui ante copulam carnalem. Ponit autem in poſſeſſionẽ ſui per ingreſſum Religionis, & per profeſſionem, ipſam Religionem: per quã profeſſionem transfertur perſona in poteſtatem Pręlati: Ideo conuenienter diſpenſatum eſt per Eccleſiã, vt per ſolum Religionis ingreſſum matrimonium nõ conſummatum per copulam carnalẽ diſſoluatur.

C

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd Maria, & Ioſeph pari conſenſu continentiã vouerunt. Ideo ſemper inter eos fuit verum matrimonium. Dicit enim Auguſtin. in lib. de conſenſu Euangeliorum Exemplo Mariæ, & Ioſeph, magnifice inſinuatur fidelibus coniugatis etiam ſeruata, pari conſenſu, continentia, poſſe permanere, vocarique verum matrimonium, non permixto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.

lib. 2. cap. 1. Tomo 4.

Ad ſecundum dicitur, quòd votum continentię factum in manu Epiſcopi, vel alterius publicæ perſonæ: puto quòd non ſit ſolemne, nec dirimit matrimonium, etiam ſi tale votum præcedat matrimoniũ, non dirimit ſi contractum fuerit: & multo minus non dirimit ipſum, ſi matrimonium ſequitur. Duobus namque modis puto votum poſſe ſolemnizari. Primo per religionis profeſſionẽ tacitam, vel expreſſam, qua transfertur perſona vouentis in poteſtatem Prælati, vel miniſtri Eccleſiæ particularis, & obligatur ad cultum perpetuum religionis. Secundo per ſacram ordinationem, qua transfertur perſona ordinata in poteſtatem Pręlati vel miniſtri Eccleſiæ vniuerſalis, & obligatur ad perpetuum miniſterium altaris.

D

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſponſam teneri poſt votum ad Religionis ingreſſum poteſt intelligi dupliciter. Primo tentione abſoluta, & ſic puto, ꝙ non tenetur. quia ſi ſponſus ſuus conſenuit in continentiam, poteſt in ſæculo continere. Secundo tentio-

A

ne conditionali, & ſic puto, quòd tenetur. quia ſi ſponſus vult omnino matrimonium conſummare per copulam carnalem; cum, ipſa non poſſit conſummare ſine peccato mortali, ex quo votum fecit. cogetur autem conſummare per Eccleſiam, niſi religionem intrauerit.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, vt Religioſus ab obſeruantia regulæ abſoluatur per translationẽ eius ad ſtatum prælationis.

B

S. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 8. gloſſ. Turrecramata, & Doctores in cap. de monachis. 16. q. 1. & in cap. ſtatutum 18. q. 2. & gloſſ. Inno. Abb. & Doctores in cap. quod Dei timorem: & in cap. cum ad monaſterium. extra de ſtatu monachorum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit diſpẽſare, vt Religioſus ab obſeruatione regulæ abſoluatur per trãſlationem eius ad ſtatum pręlationis. quia Monachi poſſunt præfici Plebani, & Presbyteri, & in alijs Eccleſiaſticis beneficijs ſicut ſcribitur 16. q.

C

1. c. Si monachus. ſed tales tenentur ad obſeruantias regulares, vt patet extra de ſta. mo. c. ꝙ Dei timorem.

2 Præterea 16. q. 1. cap. De monachis ſcribitur: De Monachis, qui diu morantes in monaſterijs, ſi poſtea ad clericatus ordinẽ peruenerint, ſtatuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere. Tenentur ergo ad obſeruantiam regularem.

3 Præterea: Illa, quæ pertinent ad obſeruantiam regularẽ, ſunt perfectionis. cum ſint ſuper erogationis, & conſilij. Ergo religioſi cum ad ſtatum prælationis, & per conſequens perfectionis aſſumuntur, non debent illa deſerere, ſed fortius ipſa tenere.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur 18. q. 1. c. Statutum: Statutũ eſt, & à ſynodo confirmatũ, vt Monachus, quem canonica electio à iugo regulæ

D

monaſticæ profeſſionis abſoluit, & ſacra ordinatio de Monacho Epiſcopum facit, velut legitimus hæres paternam ſibi hæreditatem iure vendicandi poteſtatem habeat.

RESOLVTIO.

Religioſi ad Prælaturam aſſumpti, votum paupertatis, & continentię, & obedientiam Papæ, vel ſuo Metropolitano ſeruare debent: annexa vero Regulæ, vt ieiunia, ſilentium, & id genus alia, non niſi quantũ valetudo permittit: habitum autem Religionis dimittere non poſſunt.

Respondeo, dicendum, quòd iure ſcripto Papa cum Religioſis ad ſtatum prælationis tranſlatis

ſtatis

ſtatis non diſpenſat in omnibus, quæ ad obſeruantiam regularem pertinent, ſed in aliquibus.

Ad cuius euidentiam eſt ſciendum, ꝙ in obſeruantia regulari aliqua ſunt communia, & eſſentialia. aliqua ſunt annexa, & ſpecialia. & aliqua ſunt indicia perſonalia. Communia namque ſunt, & eſſentialia, tria vota. quia votum continentię, & paupertatis communia ſunt Religioſis, & Epiſcopis. Votum vero obedientiæ eſt ſimiliter aliquo modo commune. quia licet religioſus factus Epiſcopus abſoluatur ab obedientia prælatorum ſuæ Religionis, quibus ipſe factus eſt ſuperior; non tamen ſoluitur ab obedientia ſimpliciter. tenetur enim obedire Papæ, & ſuo Metropolitano. Quæ vero in obſeruantia regulari ſunt annexa, & ſpecialia: ſicut vigiliæ, ieiunia, & ſilentium, & huiuſmodi; Religioſi aſſumpti ad prelationem nõ tenentur obſeruare, niſi quantum valitudo ipſorum permittit. Ipſi enim ſemper debent eſſe parati ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ eſt in nobis, fide, vt ſcribibitur 2. Petr. 3. Vnde debent ſe præſeruare in illa valitudine mentis, & corporis, per quam poſſint prelationis officium eis iniunctum ad aliorum utilitatem diligenter adminiſtrare. Scribitur enim de conſecr. di. 5. c. Non mediocriter, quòd rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel ieiunium charitati, aut uigilias præfert ſenſus integritati, vt propter indiſcretam pſalmorum, vel officiorũ decantationem amentiæ, aut triſtitiæ notam incurrat. quia de rapina Deo holocauſtum offert, qui ciborum nimia egeſtate, vel ſomni, aut manducandi penuria immoderate corpus ſuum affligit. Sed illa, quæ ſunt indicia, vel ſigna perſonalia: vt potę quæ monſtrant Religioſos in prælaturam aſſumptos fuiſſe talis, vel talis Religionis, tenentur ſecum ferre. Vnde † Religioſi omnes in prælaturam aſſumpti habitum ſuæ Religionis tenentur portare. Iuxta illud, quod ſcribitur extra de vita, & honeſt. cle. c. Clerici. Pontifices in publico, & in Eccleſia ſemper * indumẽ tis lineis omnes vtantur, niſi Monachi fuerint, quos oportet * habere habitum Monachalem.

† Vide glo. Abb. & doctores in c. penultimo extra de vita & hone. cler.
* al. ſuper.
* al. ferre.

Ad argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd ſecus eſt de Religioſis, qui pręficiuntur Eccleſię ſæculari, quia tales ſubijciuntur Epiſcopo, ſi Eccleſia ad iuriſdictionem Epiſcopi pertinet, & tenentur ſi plures H ſunt ad obſeruantiã regularem, ſic vt prius in Monaſterio tenebantur. vt patet extra de ſtat. mo. c. Quòd Dei timorem. Si vero ſocium non habet: tenetur ſe, cum quibus viuit, conformare. quia Epiſcopus, cui ſubijcitur, factus eſt eius Abbas. Sed ſi Eccleſia pertinet ad iuriſdictionem monaſterij Abbatis: tenetur omnia Monachus ſeruare, quæ prius in Monaſterio ſeruabat.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd illud decretum loquitur de his, quæ ſunt communia, & eſſentialia Religioſis, & Prælatis, à quibus non debent diſcedere Religioſi, cum ad prælationis ſtatum aſſumuntur. Immo fortius in illis ſe firmare. Vel loquitur de illis, qui transferuntur ad Eccleſias ſæculares,

E vt ibi miniſtrẽt ſacramenta populo chriſtiano: quod eſt officium Clericorum. tales autem ſi commode poſſunt, & ſine ſcandalo: tenentur regulares obſeruantias tenere, vel omnes, vel magis eſſentiales.

Et per hoc patet reſponſio ad tertium.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd Epiſcopus abſoluatur à voto ſolemniter emiſſo, propter eius translationẽ ad ſtatũ Religionis.

Sanctus Thomas 2. 2. q. 185. art. 4. gloſſ. & Panorm.
F in cap. ad ſuplicationem: & in cap. niſi cum ſeque. extra de renunc. & in cap. licet de regul. & in cap. quod Dei timorem cum ſeq. de ſtatu Monachorum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare, ꝙ Epiſcopus abſoluatur à voto ſolemniter emiſſo: propter eius tranſlationẽ ad Religionis ſtatum. Quia in Epiſcopali conſecratione emittitur votum ſolemne de cura habẽda ipſorum ſubditorum. Perpetuo ergo tenetur tale votum ſeruare.

2 Præterea: In Epiſcopatu imprimitur character, vel perfectio characteris. ſed talis perfectio eſt indelebilis. Ergo numquam poteſt Epiſcopatum deſerere.

G 3 Præterea: Si poſſet diſpenſari cum Epiſcopo, vt ad Religionem tranſeat, eſſet hoc propter defectum corporis, & ſenectutis. Sed hoc non fit. Scribit enim Alexander Papa cuidam Epiſcopo defectum ſenectutis allegãti, extra de renun. cap. litteras. Monemus te, vt ſuper hoc diebus iſtis nulla te facias in opportunitate moleſtum. quia indecens omnino probatur prius ſoluere militiæ cingulum, quàm cadat aduerſitas pręliorum.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur extra de renunc. cap. niſi cum pridem. Pro graui quoque ſcandalo euitando, cum aliter ſedari non poteſt, licet Epiſcopo petere ceſſionem, ne plus temporalem honorem, quàm ęternam videatur affectare ſalutem.

R E S O L V T I O.

Epiſcopus votum Epiſcopatus dimittere nõ poteſt, cum eius munus ſit ſuorum ſubditorum ſaluti prouidere: niſi adſit legitimum impedimentum, propter quod ſtudium ſuæ ſalutis prętermittere non debet.

RESPONDEO, dicendum, quòd Epiſcopus in ſua conſecratione ſuſcipit curam ipſorum ſubditorum, vt ex tunc teneatur ex voto prouidere eorum ſaluti. Quantum ad eorum in fide chriſtiana inſtructionem. Quantum ad temporalis ſubſidij, ſi neceſſe eſt, prouiſionem. Quantum ad morum informationem: Et quantum ad delinquentium correctionem. quæ quidem quattuor per ordinem enumerat

Glo.

Glo. Ioan. 21. ſuper illo verbo: Paſce oues meas, dicẽs: A Paſcere oues, eſt credentes in Chriſto, ne à fide deficiant, confortare: terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere. exempla virtutis cum verbo prædicationis impendere: aduerſarijs reſiſtere, & errantes ſubditos corrigere. Niſi ergo occurrant caſus, quibus Epiſcopus ad hæc exercenda impotens efficiatur: nõ licet ſibi retropiſcere. Ponuntur autem ſex caſus, quibus ceſſio licitè eſt petenda, & eius renunciatio eſt admittenda.

Primus eſt conſcientia criminis, per quam executio officij impeditur. puta ſi eſſet homicida, vel ſimoniacus. Secundus eſt debilitas corporis ex ſenectute, vel infirmitate proueniens. Tertius eſt defectus ſcientiæ. Quartus eſt malitia plebis. Quintus eſt graue ſcandalum, quod ſedari non poſſit. Sextus eſt irregu- B laritas perſonæ. Nam propter nullum impedimentũ debet homo prætermittere ſtudium ſuæ ſalutis.

Ad Argumenta.

AD PRIMUM ergo dicitur, quòd in voto ſolemni non diſpenſatur, niſi per Papã. Vnde nec Epiſcopus ad religionem ſe transferre poteſt ſine Papę licentia pp caſus ſuperius nominatos. Iuxta illud, qđ ſcribitur extra de renun. c. Niſi pridẽ. §. monemus. De licẽtia noſtra cedas. alioquin cedendi licentiam auctoritate Apoſtolica tibi ſcias eſſe penitus interdictam. Quantum ſi pennas habeas, quibus ſatagas in ſolitudinem aduolare. ita tamen attritæ ſunt nexibus pręceptorum: vt non liberum habeas abſque noſtra per- C miſſione uolatum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ perfectio characteris ſemper manet in Epiſcopo, nec illa poteſt vnquam priuari. ſed executio poteſt impediri propter aliqua impedimenta ſuperuenientia, quibus ceſſantibus poteſt iterato ad Epiſcopatum promoueri ſine noua cõſecratione. dummodo pér culpam propriam non ſit ab Epiſcopatu depoſitus, & in monaſterium detruſus. Talis enim numquam poteſt ad Pontificatũ reſurgere, ſicut ſcribitur 7. q. 1. c. Hoc nequaquã.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non pro quacumque infirmitate ceſſio eſt petenda, & licentia prębenda: & maxime quando cum infirmitate, vel ſenectute permanet antiqua populi deuotio, & ſuæ ſanctitatis feruor. Vnde ſcribitur extra de renun. c. litteras. tutius eſt hoc tempore ſi cõmiſſa tibi Eccleſia ſub vm- D bra tui nominis gubernetur; quàm ſi alteri nouæ, incognitæque perſonæ committatur. maxime quia in te vigor deuotionis, & fidei, corpore ſeneſcente, non deficit. ſed vergente deorſum conditiõne corporea, feruor ſpiritus in ſublimiora conſcendit.

ARTICULUS IIII.

UTRUM PAPA POSSIT diſpenſare, quòd Religioſus abſoluatur à voto per eius tranſlationem ad Eccleſiam ſæcularem.

Vide gloſſam Panor. & alios in c. Quod Dei timorẽ. de ſtatu monacho. & Turrecrem. in cap. Sic uiue. 16. q. 1.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpenſare, ꝙ Religioſus abſoluatur à voto per eius tranſlationẽ ad Eccleſiam ſæcularem. Scribitur enim 2. ad Tim. 2. quòd Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſęcularibus. Non poteſt ergo fieri, vt Religioſus in militia Chriſtiana aſcriptus transferat ſe ad ſæcularem Eccleſiam.

2 Præterea: In voto ſolemni non poteſt quis diſpenſare niſi Papa. Sed Religioſus per profeſſionem ſolemne votum emittit. Ergo de iure ſcripto non intelligitur poſſe diſpenſari cum eo, niſi de ſpeciali priuilegio.

3 Præterea: Si religioſus tranſit ad ſęcularem Eccleſiam: oportet eum tenere conſuetudinem illius Eccleſiæ. iuxta illud, quod ſcribitur auctoritate Aug. 1?. di. cap. Illa. Ad quãcumque forte Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalum. ſed hoc eſſet contra ſtatuta regulæ.

IN CONTRARIUM eſt, quod ſcribitur 16. q. 1. cap. Sic viue. auctoritate Hierony. Sic viue in monaſterio, vt clericus eſſe merearis.

RESOLUTIO.

Religioſus à voto abſolui poteſt per tranſlationem ad Eccleſiam ſæcularem.

RESPONDEO, dicendum, quòd de hoc fuerunt multi modi dicendi. Quidam enim dixerunt, ꝙ olim poterat fieri, vt Monachus in ſæculari Eccleſia præficeretur ex diſpenſatione: ſed poſtmodum exigente vtilitate Eccleſię, conceſſum fuit, vt ſi- D ne diſpenſatione fieri poſſit. Aliqui vero dixerunt, quòd numquam potuit fieri: nec poteſt ſine diſpenſatione, niſi Eccleſia eſſet ſub iuriſdictione Monaſterij, in qua poſſint plures Monachi commorari, ad hoc, quòd poſſint regularem obſeruantiam tenere. Sed communiter prima opinio nunc tenetur.

Ad cuius intellectum eſt ſciendum, quòd ſæcularis Eccleſia vel eſt abſolute ſub Epiſcopo, vel abſolute ſub Abbate, & iuriſdictione Monaſterij: vel ſimul ſub vtroque. Si ergo vniuerſaliter eſt ſub Epiſcopo; poteſt per Epiſcopum præfici Monachus; conſentiente Abbate, & extunc Epiſcopus efficitur Abbas eius. Si vero ſit abſolute ſub Abbate, pleno iure; ſufficit ſola auctoritas Abbatis, vt præficiatur illi Eccleſiæ. Si vero ſimul ſit ſub vtroque, ſicut ab utroque præfi-

prẹficitur; ita vtrique tenetur reſpōdere in iure ſuo, vt,in ſpiritualibus Epiſcopo, & tēporalibus Abbati.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, quòd implicatio ſęcularis Eccleſiæ non eſt implicatio negociorū ſęculariū, cū ibi teneatur prædicare,& Sacramenta adminiſtrare: qui ſunt propriè actus militiæ Chriſtianæ,

AD ſecundum dicitur, ꝙ ſicut dicit Hugutio, Alia ſunt,ad quæ Monachus tenetur ex voto: alia,ad quæ tenetur propter votum. Nam ex voto tenetur non habere proprium, retinere habitum, conſeruare continentiam, obedire Abbati. Sed propter votū, & ex conſequenti tenetur ad ſilentium, ad vigilias,ieiunia,& orationes, & ad alia,quæ in regula continētur, in quibus poteſt fieri diſpenſatio pro vtilitate populi Chriſtiani.

AD tertium dicitur, ꝙ conſuetudinem Eccleſiæ tenetur ſeruare quantum ad officium. quia tenetur officiare Eccleſiam ſecundum conſuetudinē eius, maximè ſi Eccleſia ſubijcitur de iure cathedrali Eccleſię. Alias verò obſeruantias vitæ monaſticæ tenetur ſeruare: quas commodè ſeruare poteſt ſine ſcandalo. Eſus tamen carnium omnino ſibi interdicitur per canonem,ſicut patet de conſec.diſt.5.cap.Carnem.Niſi in caſu infirmitatis.

ARTICVLVS V.

VTRVM PAPA POSSIT diſpenſare,vt Religioſus abſoluatur à Regula per tranſlationem eius ad laxiorem Regulam.

Vide gloſſ. Abb.& Doctores in cap.Licet.de regul.iur. Ioan.And.& Ioan.Mona.in cap. Cum ſingula de præb.& Abbat.Panorm.in conſ.96.nu.3.vol.1.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit diſpēſare, vt Religioſus abſoluatur à Regula per translationem eius ad laxiorem regulam. Scribitur enim Lucæ 9.Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciēs retro,aptus eſt regno Dei. Sed talis retroſpicit transferendo ſe ad laxiorem regulam.Non diſpenſatur ergo conuenienter cum tali,

2 Præterea: Scribitur extra de regula. & tranſ. ad Religionem c. Licet. Nulli denegetur licentia, qui eā cum humilitate,ac puritate duxerit poſtulandam, vt non fictè, ſed verè ad frugē melioris vitæ valeat trāſmigrare, non obſtante proterua & indiſcreta contradictione Prælati. Diſpenſatur ergo in tranſitu ad arctiorem regulam, ſed non econuerſo.

Epiſt.68. 3 Præterea: Scribit Bernardus in quadam Epiſtola quibuſdam Monachis conquerentibus, ꝙ ipſorum Monachum receperat: Si quis de noſtris ad vos maioris perfectionis gratia arctioris vitæ deſiderio conuolauerit, nō ſolum non curamus, ſi ei in tali ſtudio conſulitis; ſed multum precamur, vt hoc faciatis, nec offenſos nos conqueremur, ſed valde in hoc eſſe adiutos,fatebimur.

IN CONTRARIVM eſt. quia ad impoſſibile nemo tenetur. Sed quandoque abiecti, & fugitiui Monachi non poſſunt impetrare recōciliationem ſecundum formam decre. extra de regul. cap. vlt. Nec poſſunt arctiorem inuenire regulam. Licet ergo eis ad laxiorem tranſire.

RESOLVTIO.

Religioſus, petita licentia,& non obſtante contradictione Prælati, ad arctiorem Regulam tranſire poteſt: ad parem tranſire poteſt, petita licentia, & obtenta: ad laxiorem verò ſine diſpenſatione non licet, niſi in duobus caſibus.

RESPONDEO, dicēdum, quòd cum quis vult tranſire de regulari obſeruantia ad regularem, tribus modis poteſt intelligi. Primo, vt tranſeat ad arctiorem. Secundo ad parem. Et tertio ad laxiorē. In primo caſu de communi iure licitum eſt,petita licentia,non obſtante contradictione proterua Prælati, niſi eſſet Abbas, vel Prælatus alicuius Religionis,qui immediatè ſubijceretur dominio Papę,ſine cuius ſpeciali licentia petita,& obtenta etiam ad arctiorē regulam ſibi * transferre non licet. In ſecundo vero caſu cum licentia petita, & obtēta licet. Sed in tertio abſque diſpenſatione non licet,niſi in duobus caſibus. Primus eſt, quando tranſiens ad arctiorem regulam proteſtatur, ꝙ velit eſſe in probatione, an regulam illam poſſit ſeruare. Secundus eſt propter defectū obſeruationis illius arctioris regulæ. tunc enim non ſolum ad laxiorem regulam liceret ſibi trāſire: verum, ſi nulli Religioſi inuenirentur, cum ſęcularibus poſſet commorari, honeſtè,& regulariter cum eis cōuerſando, cum per talem defectum monaſterium poſſet conuerti in Eccleſiam ſęcularem, ſicut patet extra de Religioſis domibus.

* al. trāſire.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, quòd retro non reſpicit qui ſuæ ſalutis procurādæ curam habet. Vnde ſi quis ſuæ ſalutis impedimentum in arctiori regula inueniret: poſſet ſe ad laxiorem regulam transferre, illo tamen impedimento ceſſante: Puto, Monaſterio ad ordinem regularē reducto, tenetur illuc reuerti: niſi per Papam cum eo fuerit diſpenſatum. Nam Epiſcopus, ſi impedimentū alienæ ſalutis procurandæ interueniat, vel periculum animæ exercēdi officium ſuboriatur ex aliqua cauſa, poteſt retroſpicere,& ad religionem tranſire laxiorem: ceſſante tamen illo impedimento, iterato poteſt ad Epiſcopatum aſſumi.

AD ſecundum vero,& tertium eſt dicendum, ꝙ illæ auctoritates loquuntur de communi iure,quo Papa non eſt aſtrictus, quin poſſit cum aliquo diſpenſare, vt ad laxiorem regulam transferatur, caſu rationabili ſuperueniente.

QVAEST. LXXI. DE DISPENSATIONE PER ORDINATIONEM.

VLTERIVS conſiderandum eſt de ordinatione. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum ſolum ad Papam ſpectet ordinatio ſtudiorum.

Secundo, Vtrum ſolum ad Papam ſpectet ordinatio officiorum.

Tertio, Vtrum ſolum ad Papam ſpectet ordinatio Religionum.

Quarto, Vtrum ſolum ad Papam ſpectet ordinatio pralationum.

ARTICVLVS I.

VTRVM ORDINATIO STVDIORVM ſpectet ſolum ad Papam.

Vide cap. 1. cap. Quia nonnullis, & c. Super ſpecula, & nota ibi per gloſſ. & Doctores ext. de Magiſtris.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum ſpectat ad Papam ordinatio ſtudiorum. Studium namque primo fuit ordinatum in Aegypto. Ibi namque Gens Sacerdotũ primo vacare viſa eſt ad inuentionẽ ſcientiarum, vt Philoſophus dicit 1. Meta. Non ergo ſolum ſpectat ad Papam ſtudia ordinare.

Ariſt 2 Met. cap. 1. ſub finem.

2 Præterea: Ad Papam non ſpectat ordinare illud, in quo committitur ſimonia: ſed non poteſt ordinari ſtudium per Papam, niſi Eccleſiaſticum beneficiũ promittatur legẽtibus. Ergo cõmittitur ibi ſimonia.

3 Præterea: Illa, quæ proponuntur populo Chriſtiano ſolum credibilia, non debent tradi ſub ſtudio ſcientiæ, ex quo ſcientia de eis acquiri non põt: ſed quæ continentur in ſacra Theologia proponũtur populo credibilia, non ſcibilia. Ergo non debent ordinari Magiſtri Theologi, qui ipſam doceant.

IN CONTRARIVM † eſt. quod ſcribitur extra de Magiſt. vbi mandatur, quòd in qualibet cathedrali Eccleſia Magiſter vnus ordinetur Theologus, qui Sacerdotes, & alios in ſacra pagina doceat. & in c. Super Specula, ſtrictè præcipitur, vt à Prælatis Eccleſiarum, & capitulis aliqui dociles ad Theologiæ perfectionis ſtudium deſtinentur.

† Vide Concil. Trident. ſeſſ. 5. de reform. c. 5. & ſeſſ. 23. de refor. c. 18.

RESOLVTIO.

Studiorum ordinatio ad Papam ſpectat, propter errorum vitationem, eorundem curationem, iudiciorum terminationem, & populorum dominationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd fides Chriſtiana, cuius Papa eſt caput, & director multis modis iuuatur, & promouetur per ordinationem ſtudiorum. Primo quidem in errorum vitatione. Non enim poſſunt errores vitari, & reprobari niſi cognoſcantur. Vnde ex defectu ſcientiæ prouenit error colendi multos Deos: vt non cognoſcentes, quis eſſet omnium artifex: aut ignem, aut aerem, aut gyrum Stellarum, aut Aquam, aut Solem, aut Lunam rectores orbis terrarum Deos eſſe putauerunt, ut ſcribitur Sap. 13. Secundo, in vitiorum curatione. ſicut enim vitioſi non curantur, niſi per virtuoſos: ſic ſtulti, quorum eſt infinitus numerus, non curantur niſi per ſapientes. Vnde ſcribitur Sap. 6. quòd multitudo ſapientiũ ſanitas orbis terrarũ eſt: & Rex ſapiens populi ſtabilimentum eſt. Tertio, in iudiciorũ terminatione. Non enim aliter iuſtè iudicia terminari poſſunt, niſi per ſapientum diſcuſſionem. Vnde Salomoni dictum eſt 3. Regum 3. Quia poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum iudicium; ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens. Quarto, in regnorum, & populorum dominatione. Non enim poſſunt, qui preſunt, iuſtè dominari, & imperare ſubditis, niſi intellectu vigeant, & ſcientia. Vnde ſcribitur Sapien. 8. Per ſapientiam habeo claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores, & iuuenes. Diſponam per ipſum populos, & nationes mihi erunt ſubiectę. Propter iſta ergo prouidè de ordinatione ſtudiorum decretalis facta eſt in Concilio Lateranẽſi, † & poſtmodum per Innoc. III. confirmata, quàmuis malè ſeruetur: Modicum enim eſt vtile bonos canones condere, & eos per negligentiam non ſeruare.

† De qua in c. 1. & c. qa nonnullis, ext. de Magiſtris.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illa ordinatio ſtudiorum in Aegypto fuit primo circa mathematicas ſcientias. quę, vt dicit Auguſt. 2. de doct. Chriſt. vtiles ſunt ad ſacram Theologiam intelligendam. & quàmuis illi ſacram Scripturam ignorarent: ipſam tamen figurabant propter duo.

Tom. 3. cap. 18.

Primo, propter ſcientiarum illarum inuentores, qui Sacerdotes fuerunt, ſtipendia à communitate recipientes, & liberi à cenſu iudiciali exiſtentes. Vnde ſuper illo verbo Geneſ. 47. Subiecitque Pharaoni Ioſeph omnem terram Aegypti, præter terram

Sacer-

Sacerdotũ, quæ à Rege tradita fuerat eis. dicit gloſſa, ꝙ hoc ſignificabat terram Eccleſiæ, in qua veri ſunt Sacerdotes, liberam eſſe à cenſu iudiciali, quæ verbo diuino indeſinenter paſcitur, nec dãnum panis ſpiritualis ſuſtinebat. Ex quo habetur, ꝙ poſſeſſiones Eccleſiæ, poſtquàm à Regibus Deo ſunt mancipatæ, diſtrahi non debẽt, & in nullius bonis ſunt cõputandæ. Secundo, propter modum tradendi. quia tradiderunt ſciẽtiam per quaſdam ſimilitudines, & figuras, quod eſt proprium Theologiæ. Vnde Philoſophus in Meta. dicit illos theologizaſſe, eo quòd metaphoricè, & figuratiuè locuti ſunt.

Ariſt. 3. Metaph. tex. c. 15.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi alicui committitur ſpiritualis poteſtas, ex officio obligatur ad docẽdum. Si verò de redditibus Eccleſiaſticis ſua ſtipẽdia percipiat: ſimiliter non debet aliquid de ſua doctrina recipere. vtroque enim modo ſi ex pacto aliquid recipitur pro vſu ſpiritualis poteſtatis, cum ex debito ſuſcepti beneficij debeat doctrinam impendere, non intelligeretur tunc ſua opera locare, ſed potius vſum ſpiritualis gratiæ vendere, quod ſine nota ſimoniæ eſſe non poteſt. Ille vero, qui habet ſcientiam, & non ſuſcipit officium, vel beneficium, ex quo obligetur ad docendum; licitè poteſt pretium ſuæ doctrinæ recipere: non quaſi ſcientiam vendens, ſed ſicut ſua opera locans. Vnde dicit Aug. in epiſtola ad Macedonium, quòd non ideo debet iudex vendere iuſtum iudicium, nec teſtis verum teſtimonium: quia vendit aduocatus iuſtum patrocinium, & iuriſperitus iuſtum conſilium. quia illi ad vtrãque partem ad examen exhibentur: Iſti vero ex vna parte conſiſtunt.

F

Epiſt. 54. Tomo 2.

A D tertium eſt dicendum, quòd quæ in ſacra Scriptura continentur, per humanam rationem inueſtigabilia non proponuntur inferioribus de Eccleſia, tamquàm per humanam rationem inueſtigata: ſed potius, vt credibilia, & à Deo reuelata. Per ſuperiores tamen, per ſtudium, & exercitium ſcientiæ credibilia explicantur, & declarantur: Scibilia vero docentur, & probantur.

G

ARTICVLVS II.

UTR. SOLUM AD PAPAM ſpectet ordinatio officiorum.

Vide cap. 1. diſt. 22. & c. Perlectis 25. diſt. & cap. Cum olim, & ibi gloſſa, & Doctores extra. de conſuetudine.

H

A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſolum ad Papam ſpectet ordinatio officiorũ: quia terrena poteſtas multa officia habet: ſed talia non ordinat Papa. Ergo non ſolum ſpectat ad eum ordinatio officiorum.

2 Præterea: Ordinare officia, ſpectat ad quẽ pertinet conferre beneficia. Sed beneficia temporalia ſpectat conferre ad Imperatorem, vel Regem: ergo & ad eos ſpectat ſimiliter ordinatio officiorum.

3 Præterea: Ille non eſt ordinator officiorum, contra cuius ordinationem diſtribuũtur officia. Sed 89. diſt. cap. Singula. Præcipitur, vt vni perſonæ duo officia non committantur, cum tamen multa officia cõmittantur vni.

E

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur 25. diſt. cap. Perlectis.

R E S O L V T I O.

Officiorum Eccleſiaſticorum ordinatio ad Papam ſolum ſpectat, qui Chriſti Vicarius, eiuſdemque ordinationum executor eſt.

R E S P O N D E O, dicendum, ꝙ ſicut Hugo 2. lib. de Sacramẽtis dicit, ꝙ Eccleſia corpus Chriſti eſt, viuificata vno ſpiritu, & vna fide. Sicut ergo (dicente Apoſtolo) in corpore humano ſingula quæque membra propria, & diſcreta officia habent, & vnumquodque non ſibi ſoli agit, quod ſolum agit. ſic in corpore Eccleſiæ dona officiorum diſtributa ſunt, & tamen vnuſquiſque non ſibi ſoli habet illud, quod ſolus habet. Iſtorum autem officiorum principalis diſtributor eſt ipſe Chriſtus, dicente Apoſtolo ad Ephe. 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundũ menſuram donationis Chriſti, qui dedit quoſdã quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios autem Paſtores, & Doctores in ædificationem corporis Chriſti. Executor autem ordinationum iſtorum officiorum eſt ipſe Papa, qui vice Chriſti aliquos ordinat loco Apoſtolorũ, per quos Chriſti doctrina ſit teſtificanda: aliquos loco Prophetarum, per quos ſit exponenda: aliquos loco Euangeliſtarum, per quos ſit ſcribenda, & declarãda: aliquos loco Doctorum, per quos ſit prædicãda: & aliquos loco Paſtorũ, per quos ſit executioni mandanda. Hunc ordinem officiorum Eccleſiæ Regina Sabba venit à finibus terræ videre. De qua dicitur 3. Regum 10. ꝙ videns domum (puta Eccleſiam) quã Salomon Chriſtum figurans ædificauerat, vt cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordinem miniſtrantium, veſteſque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebant in domo domini, non habebat vltra ſpiritum, ſed dixit: Beati viri tui, & beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam.

1. Cor. 12.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M eſt dicẽdum, quòd quæcunque officia ordinat terrena poteſtas, poteſt ordinare ſpiritualis poteſtas, ſed non econuerſo. Similiter ſpiritualis poteſtas poteſt officia terrenæ poteſtatis corrigere, & remouere: officia verò ſpiritualis poteſtatis per terrenam, nec corrigi, nec amoueri poſſunt.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicit Hugo ſecundo libro de Sacramentis. Omnia beneficia, quæ confert terrena poteſtas: poteſt conferre ſpiritualis. Habet enim terrena poteſtas ſub ſe Duces, & Comites, Præfectus, & Magiſtratus, qui omnes à prima poteſtate ſpirituali auctoritatẽ ſumunt, à qua ipſa prima terrena poteſtas deriuatur.

A D tertium eſt dicendum, quòd regulariter duo officia

officia non debent committi, niſi vni de communi iure. Papa tamen, qui eſt iuris conditor, huic legi nō tenetur. quia poteſt plura vni cōmittere, vel propter perſonæ, cui committuntur idoneitatem: vel propter officialium paucitatem, ſeu propter Eccleſiæ neceſſitatem.

ARTICVLVS III.

VTRVM SOLVM AD Papam ſpectet ordinatio Religionum.

Vide cap. fin. extra de Religioſ. domib. & c. 1. de Relig. domib. lib. 6. & extrauagantem Ioan. 22. incip. Sancta Romana de religioſ. dom. & in his locis gloſſ. Abb. Ioan. And. Gemin. & alios.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ nō ſolum ad Papam ſpectet ordinatio Religionum. Incepit. n. Papatus poſt Petrum. Sed ante Petrum fuerunt multi Religioſi. Scribitur enim Actuū 2. Quòd erant in Hieruſalem Iudæi viri Religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt. Non ergo ſpectat ſolum ad Papā Religiones ordinare.

2 Præterea: Religio ponitur eſſe quædam virtus moralis: Sed ordinare virtutes morales ſpectat ad Politicum, & ad Philoſophum moralem. Non ergo ſpectat ad Papam.

3 Præterea: Religio nominatur ab ordinatione illius, à quo Religio fundatur. Sicut Religio beati Benedicti, Religio Beati Auguſtini, Sancti Franciſci, Sancti Dominici. Non nominatur autem aliqua Religio à Papa. Ergo non ſolum ad ipſum ſpectat Religionū ordinatio.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de Religio. domi. capitulo: Ne nimia Religionū diuerſitas.

RESOLVTIO.

Solius Papæ eſt Religiones ordinare, & ordinatas approbare. Ipſe enim ſolus vniuerſalem Eccleſiæ promotionem conſiderare debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ in Religione tria conſiderantur. Primo, ex parte Eccleſiæ, promotio. nam quælibet Religio ordinari debet principaliter ad cultum Dei, & ad promotionem Eccleſiæ. Secundo ex parte Religionem intrantium: conſideratur charitatis perfectio. quia quælibet Religio eſt quædam via tendendi in perfectionem charitatis. Tertio ex parte diuini cultus, ad quem Religio inſtituitur, conſideratur debita ordinatio. Opponitur enim Religio ſuperſtitioni, quia ſuperſtitio non eſt aliud, niſi Religio ſupra modum ſeruata. quia cultū diuinum ſuperſtitioſus vult impendere, cui non de-

A bet, vel modo, quo non debet, vt dicit Glo. ſuper illo verbo Coloſſenſ. 2. Habent quidem rationem ſapientiæ in ſuperſtitione. Propter iſta ergo tria ſolius Papæ eſt Religiones ordinare, & ordinatas approbare. quia ſolus ipſe habet conſiderare vniuerſalē Eccleſiæ promotionem. Semper enim artifex ſupremum finem conſiderans habet omnes inferiores ad illum finem dirigere, & ordinare; vt dicit Philoſophus 1. Ethic. Et cum ipſe ſupremum perfectionis gradum in Eccleſia teneat: ipſe ſolus habet alijs vias ad perfectionem tenendi oſtendere. Similiter ſolus ipſe habet illa, quæ ad diuinum cultum pertinent vniuerſaliter ordinare.

Ad Argumenta.

B AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ communiter omnes, qui Deum colunt, poſſunt Religioſi appellari. Vnde quia ſoli Iudæi ad cultum vnius Dei dediti erant; Religioſi nominati ſunt. propriè tamē Religioſi dicuntur, qui totam vitam eorum diuino cultui dedicant, & à mundanis negotijs ſe abſtrahentes per profeſſionem, & habitus proteſtationem, vel diuinæ contemplationi, vel animarum inſtructioni, vel alicui fructuoſo operi ad eorum perfectionis exercitationem, & Eccleſiæ promotionem inſiſtunt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſt. 5. cap. de vera Relig. Quocunque modo ſe habeat Philoſophorum iactantia loquentium de virtutibus; illud tamen intelligere facile ad Religionem Chriſtianam ab eis non eſſe quærendam, quia ipſi C eadem ſacra ſuſcipiunt cum populis nationum, & de ſuorum deorum natura, ac ſummo bono diuerſas, cōtrariaſque ſententias in ſcholis ſuis teſte eadem multitudine perſonabant, ꝙ ſi hoc vnum tantum vitium Chriſtiana Religio in eis ſanatum videret: ineffabili laude prædicandam eſſe eorum doctrinam, neminem negare, oportet. Tomo ..

AD tertium eſt dicendum, quòd tota Religio Chriſtiana à Papa nominatur. quia nominatur à Chriſto, cuius Vicarius ipſe exiſtit. Religiones aliæ particulares quàmuis ab eorum fundatoribus ſpecialibus nominentur: Religiones tamen dici non debent, niſi quatenus ſunt per ordinationem Eccleſiæ approbatæ, & confirmatæ. ſecundum enim Ambro. ſuperſtitio, & non Religio eſt, quando traditioni hu- D manæ nomen Religionis applicatur. Vnde qui cultum Deo exhibet contra modum diuina auctoritate ab Eccleſia inſtitutum, magis ſuperſtitioſus, quàm Religioſus eſt dicendus.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM SOLVM AD PApam ſpectet ordinatio prælationum.

Vide gloſſ. Atchidia. Præpoſitum, & Turrecremã in c. Cleros 25. diſt. & in c. 1. 22. diſt.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum ad Papam ſpectet ordinatio Prælationum. quia antequam eſſet Papatus, fuit pręlatio. Semper enim Angeli Angelis: dæmones dæmonibus; homines hominibus præfuerunt, & præerunt vſque ad finem mundi; vt dicit Gloſſa 1. Cor. 15.

2 Præterea: Apud Gentiles, qui non ſubijciuntur Papæ, fuerũt prælationes. quia quos nos dicimus Epiſcopos, & Atchiepiſcopos: ipſi dicunt flamines; & archiflamines. Non ergo ſolum ad Papam ſpectat ordinatio Prælatorum.

3 Præterea: Prælati dicuntur, quia præſunt. Sed multi præſunt in dominio ſęculari. Ergo non ſolum ad Papam ſpectat omnes Prælationes ordinare.

4 Præterea: Prælationem quis conſequitur per electionem. Magis ergo Prælationes debent ordinari per Electores, quàm per Papam.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 21. diſtinct. cap. Cleros. Vbi dicitur, quòd Summus Pontifex Sacerdotes, & Leuitas efficit. ipſe omnes ordines Eccleſiaſticos diſponit. ipſe, quid vnuſquiſque facere debeat, in Eccleſia oſtendit, præcipit, & mandat.

RESOLVTIO.

Solius Papę munus eſt omnes Pręlationes, & omnia Dominia ordinare. ipſe enim Vicarius Chriſti eſt, à quo omnis Prælatio de iure ordinatur.

RESPONDEO, dicẽdum, quòd ſicut dicit Philoſophus 12. Metaph. Entia nolunt malè diſponi. ideo ſicut in quolibet genere eſt dare vnum primũ, à quo alia regulantur, ſic in toto vniuerſo oportet dare vnum Principem, in quem omnes principatus reducuntur. In toto autem humano genere ſupremum gradum tenet ipſe Chriſtus per humanita- (Ariſtot. 12. Metaphyſ. tex. cõ. 52.)

E tem aſſumptam, & in toto vniuerſo ipſe Deus. Vndè; ſicut omnis poteſtas ordinatur à Deo, quia omnis prælatio à Deo eſt, & quæ à Deo ſunt ordinata ſunt, ſiue ſit in Angelis, ſiue ſit in dæmonibus. ſic in toto humano genere prælatio de iure ordinari non poteſt niſi à Chriſto. Vicarius autem Chriſti in tota præſenti vita eſt ipſe Papa, ad quem de iure ſpectat omnes Prælationes, & omnia dominia in toto humano genere ordinare vice Chriſti, quantum ad multos caſus.

Primo, quantum ad eorum translationem.

Secundo, quantum ad eorum depoſitionem.

F Tertio, quantum ad ipſorum renunciationem.

Quarto, quantum ad eorum confirmationem.

Quinto, quantum ad exemptionem.

Sexto, quantum ad depoſitorum reſtitutionem.

Septimo, quantum ad nouorum conſtructionẽ. Poteſt enim Epiſcopatũ ordinare, vbi prius non erat, & reuocare vbi prius erat.

Octauo, quantum ad duorum in vnum vnionẽ. quia poteſt plures in vnum vnire, & vnum per plures diuidere.

Nono, quantum ad dignitatum non vacantium

G collationem.

Decimo, quantum ad Imperatorum, & Regũ omnium, & Principum inſtitutionem, & deſtitutionẽ.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ quàmuis prælationes fuerint ante, quàm eſſet Papa, in ſe nõ tamen fuerũt ante illum, cuius auctoritate Papa fungitur. qui ſicut ex merito ſuæ paſſionis meruit ſuper omnes Angelos exaltari; ſic meruit omnes Angelos, & homines ſuo imperio ſubiugare.

H AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ apud Gentiles ſunt prælationes, quas licet non recognoſcant à Papa de facto: recognoſcere tamen tenentur de iure, illo ſcilicet iure, quo omnes tenentur ſubijci Chriſto.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ quamuis in ſęculari dominio multi præſint; eorum tamen inſtitutio, & deſtitutio, iuſta cauſa ſuperueniente, non niſi ad Papam ſpectat.

AD quartum eſt dicendum, ꝙ ſicut electores ſecundum ordinem à Papa inſtitutum Prælatos eligunt: ſic Prælatos confirmare, vel deponere non niſi ad Papæ ordinationem ſpectat.

QVAEST. LXXII. DE DISPENSATIONE PER PROVISIONEM.

NVNC videndum eſt de prouiſione. Circa quod quęruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Papa peccet prouidendo de beneficio Eccleſiaſtico bono, dimiſſo meliori.

Secundo, Vtrum Papa peccet prouidendo compatriotis, & domeſtico magis, quàm extraneo.

Tertio, Vtrum Papa peccet non prouidendo Theologis Magiſtris religioſis, vnde decenter poſſint viuere.

Quarto, Vtrum ſi Religioſo per Papam ſufficienter eſt prouiſum, eleemoſinam receptam iuſtè poſſit retinere.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA PECCET, prouidendo bono, dimiſſo meliori.

Vide Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reforma. cap. 18. Couaruuiam in regula, peccatum, de regul. iur. lib. 6. par. 2. ſect. 5. 7. & Sotum lib. 3. de iuſt. & iure. q. 6. art. 2.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa peccet prouidendo bono, dimiſſo meliori. Scribitur enim extra de præben. Graue nimis, & abſurdū eſt, φ quidam Eccleſiarum Prælati, cū poſſint viros idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere, aſſumunt indignos, quibus nec morum honeſtas, nec litterarum ſcientia ſuffragatur.

2 Præterea: Præferre vnum bonum pluribus, eſt peccatum: ſed melior tenet duos gradus bonitatis; puta boni, & melioris: bonum verò vnum ſolum. peccatum eſt ergo prouidere bono, dimiſſo meliori.

3 Præterea: Papa non tenetur de Eccleſiaſtico beneficio prouidere alicui niſi ratione ſcientiæ, vel ſanctitatis, vel iuſtitiæ æquitatis. Si ergo Papa præfert bonum illi, qui eſt melior aliquo iſtorum trium, vt videtur, ſemper eſt peccatum.

IN CONTRARIVM eſt. quia qui eſt ſufficiens, vt eligatur ad officium: ſufficiens eſt, vt prouideatur ſibi de beneficio: Sed ſufficit eligere bonū ad officiū, ſicut patet extra de elect. dimiſſo meliori. Sine peccato ergo per Papam prouidetur bono, dimiſſo meliori.

A

RESOLVTIO.

Prouiſio boni, dimiſſo meliori, ſine peccato eſſe non poteſt, ſi in prouiſione cauſa principalis eſt Eccleſia prouiſio: ſi autem cauſa principalis ſit Perſonę prouiſio; & cauſa annexa eſt Eccleſia prouiſio, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd cum Papa prouidet de Eccleſiaſtico beneficio alicui, vel intendit prouidere perſonæ, vel Eccleſiæ. Si igitur in prouiſione principalis cauſa eſt prouidere Eccleſiæ, & prouiſio perſonæ eſt cauſa annexa; puto, φ ſuppoſita æquali facilitate, peccatū eſt prouidere bono, dimiſſo
B meliori. cum enim iura dicant, φ ſufficit prouidere bono, & idoneo, ſubintelligitur, nulla comparatione facta ad meliorem: ſed comparatione facta, & æquali facilitate ſuppoſita, ex deliberatione prouidere bono, dimiſſo meliori, ſine corruptione appetitus eſſe non poteſt. Si verò in prouiſione principalis intentio eſt prouidere perſonæ, & prouiſio Eccleſiæ eſt cauſa annexa; puto, φ ſine peccato poteſt prouidere bono, meliori dimiſſo. Nam ſupererogationis, & conſilij eſt Eccleſiæ prouidere de meliori. præcepti vero eſt prouidere de bono, & idoneo. Si ergo Papa vult prouidere perſonæ principaliter: aut quia ipſe, vel ſui Eccle-
C ſiæ ſeruierunt, aut propter ſupplenda eius indigentiam, ex quo non tranſgreditur præceptum de prouidendo Eccleſiæ, licitè (vt puto) fieri poteſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, φ in illa decretali nō fit cōparatio de bono ad meliorem, nec de prouiſione perſonæ, & Eccleſiæ: ſed de bono ad indignum reſpectu Eccleſiæ ſolum; quod patet per illud, quod ſequitur. Volentes ergo huic morbo mederi præcipimus, vt prætermiſſis indignis, idoneos aſſumant, qui Deo, & Eccleſijs velint, & valeant impen-
D dere famulatum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut dicit Aug. ad Macedonium: Illum dicimus bonū, cuius bona præualent: & illum optimum, qui minimū peccat. Poteſt autem eſſe, φ aliquis pauciores gradus bonitatis habeat, quàm alius extenſiuè: ex cauſa tamen rationabili intenſiuè, vnus gradus bonitatis eius præferendus eſt pluribus alterius. Epiſt. 54. Tomo 2.

AD tertium eſt dicendum, φ cum eſt principalis intentio prouidere Eccleſiæ, non eſt ſine corruptione appetitus prouidere bono, dimiſſo meliori, quantum ad illa tria ſuperius dicta, cum in eis principaliter cōſiſtat promotio Eccleſiæ.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA PECCET, prouidendo Compatriotæ, & domeſtico magis, quàm extraneo.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa peccet prouidendo Compatriotæ, & domeſtico magis, quàm extraneo: quia bona communia ſunt cōmuniter diſpenſanda: ſed bona Eccleſiæ ſunt bona communia, vt ſcribitur auctoritate Ambro. 23. q. 8. cap. Conuenior.

2 Præterea: In prouiſione ſpiritualis beneficij cauſa ſpiritualis debet conſiderari: ſed patria, vel familiaritas eſt cauſa carnalis, non ſpiritualis.

3 Præterea: Scandalum multorum Papa debet maximè vitare: Sed multi ſcandalizantur, cum Compatriotis, & familiaribus Papæ, vel Prælati magis prouidetur, quàm alijs. Eſt ergo hoc maximè vitandum.

IN CONTRARIVM eſt Apoſt. 1. Tim. 5. Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit: & eſt infideli deterior. Et Aug. (Tomo 3,) dicit 1. de doct. Chriſtiana cap. 28. cum omnibus hominibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus quaſi quadam ſorte ubi iunguntur.

RESOLVTIO.

Temporale familiariori, & interiori eſt conferendū: ſpirituale verò ſufficientiori, & digniori: cauſa licita, & honeſta præmiſſa, locoq. conſiderato.

RESPONDEO, dicendum, quòd in prouiſione Eccleſiaſtici beneficij, vel poteſt attendi beneficium, quod confertur, vel intentio conferentis, vel locus, in quo confertur. Si conſideretur beneficium, quod confertur, cum ſit ſpirituale, nō debet dari niſi pro officio: quanto ergo quis eſt ſufficientior, & dignior in officij adminiſtratione, tanto citius meretur beneficij prouiſionem. ita ꝙ ſecus eſt de prouiſionē beneficij temporalis, & ſpiritualis. quia temporale quanto familiariori, proximiori, & intimiori: tanto citius ex ordine naturæ, & charitatis eſt prouidendū, vt loquuntur auctoritates Apoſt. & Aug. ſuperius adductæ. Spirituale vero beneficium non quanto proximiori, vel propinquiori, ſed quanto ſufficiētiori, & digniori, tanto citius eſt conferendum. Si vero conſideretur intentio prouidentis, aut prouidet Compatriotæ, & domeſtico ex aliqua cauſa debita magis, q̄ extraneo, vt puta propter eius maiorem pauperiatē, vel propter receptum honeſtum obſequium: puto, ꝙ non peccat. Si verò faciat hoc ex cauſa illicita, & indebita, vt præcisè propter Patriæ affectionē, vel conſanguinitatem, vel propter cumulandas eius diuitias, peccato non caret talis prouiſio. Conſiderandus eſt ſimiliter locus, in quo prouiſio fit. quia in tali loco

(Vide Conc. Trid. ſuperiori articulo citatum.)

E poteſt prouideri de beneficio alicui extraneo, vbi in adminiſtratione officij propter ignorantiam linguæ, & inconſuetudinem Patriæ non eſſet idoneus deſeruire domeſticus, & econuerſo in tali loco poſſet prouideri propinquo, & Compatriotæ in quo prouidere extraneo infructuoſum, & damnoſum eſſet Eccleſiæ.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes in oppoſitum.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA PECCET, Magiſtris, & Theologis non prouidendo, vnde decēter poſsint viuere. F

Vide notata per Doctores in ſ. & cap. Quia nonnullis. de Magiſt. & Conc. Trid. ſeſſ. 5. de reformat. cap. 1. & Horat. Lutium tract. de priuilegijs ſcholariū, priuilegio 83.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non peccet, Magiſtris, & Religioſis non prouidendo, vnde decenter poſſint viuere. Quia Papa nō debet præbere Magiſtris cauſam diſtrahēdi animum à ſtudio, & à contemplatione veritatis, ad quam principaliter ſunt ordinati. Sed prouiſio beneficiorū eſt cauſa diſtractionis animorum à ſtudio. (G) Vnde Plato peregrinatus eſt extra Græciam: & Socrates, & multi Philoſophi tēporalia dimiſerunt, ut quietius poſſent contemplationi vacare.

2 Præterea: Religioſi ſunt aſtricti voto paupertatis, à quo non abſoluuntur per Magiſterium. Non eſt ergo eis cōferendum aliquod beneficium, ex quo tale votum relaxetur.

3 Præterea: Beneficium Eccleſiaſticum non poteſt dari niſi propter officium. Sed Magiſtri Religioſi nō poſſunt officia adminiſtrare in Eccleſia, vt ſint Canonici, vel Archidiaconi. Non poteſt ergo eis de beneficio prouideri.

IN CONTRARIVM eſt. quia extra de Magiſtris, cap. Quia nonnullis. Scribitur, ꝙ ad inſtructionem Sacerdotum, (H) & aliorum Theologi Magiſtri inſtitui debent, qui nihil exigāt pro doctrina, ſed eis de Eccleſiaſticis prouentibus prouideatur. Planū eſt autem, ꝙ Magiſtri Religioſi docent Sacerdotes, & alios volentes doceri ſicut alij. Peccatum eſt ergo, prouiſionē per canonem Magiſtris taxatam eis ſubtrahere.

RESOLVTIO.

Magiſtris Theologis piè, ac ſanctum prouidendum eſt, vnde viuere decenter poſſint.

RESPONDEO, dicendū, ꝙ ſicut ſcribitur 24. q. 1. c. A recta. Sācta mater Eccleſia à tramite Apoſtolicæ traditionis numquam receſſiſſe probatur. fuit

autem

autem Apoſtolica traditio, vt ſcribitur Act. 2. vt dè A
prouentibus communibus à Chriſti fidelibus oblatis prouideretur vnicuique, ſicut vnicuique opus erat. Cum tali ergo moderamine Eccleſiaſtica beneficia, & prouentus Eccleſiaſtici ſunt diſpenſandi, vt neminem ita releuando diuitem faciant, quod multorum detrimẽta, non circumſpiciendo in paupertatis miſeriã nonnullos deijciant illud Apoſtoli 2. Cor. 8. ad memoriam reuocantes: non enim volumus, vt alijs ſit remiſſio, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate in præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiã ſuppleat. Vnde puto, quòd piè, & ſanctè ageretur, quando illa decretalis, extra de Magiſt. cũ omnibus, qui ad Magiſterium aſſumuntur Theologię, tam ſęcularibus, quàm Religioſis obſeruaretur. Nec dubito, quod ex inde magnum profectum Chriſti fideles cõſequerentur, ex quo eis daretur cauſa, vnde ſemper ſe ſtudio præoccuparent.

Ad Argumenta. B

Ad Primum ergo eſt dicendum, quod bona temporalia ſunt quædam inſtrumẽta virtutis. Virtus autem conſiſtit in medio. vnde tam abundantia temporalium, quàm eorum inopia actum virtuoſum ſpeculationis, & ſtudij impedit. Propter quod ſicut Religioſi, qui ad magnas prælationes aſſumuntur, diſtrahuntur à ſtudio ſcientiæ, ſicut experimentaliter videmus: ſic Magiſtri Religioſi, quibus nihil prouidetur, ex carentia neceſſariorum coguntur ſe à ſtudio diſtrahere, quia non potentibus viuere melius eſt neceſſaria vitæ procurare, quàm philoſophari.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod propter prouiſionem aliquorum prouẽtuum neceſſariorum ad vitam Religioſi Magiſtri non abſoluerentur à voto paupertatis, maximè cum ipſi non ſolum eorum neceſſitati, verum etiam aliorum vtilitati per eorum doctrinam teneantur intendere, cui intendere nõ poſſunt ſine Scriptoribus, & chartis, & alijs, quę faciũt ad traditionem ſcientiæ. Dicit enim Voluſianus in Epi-
Ep. 2. To. 2 ſtola ad Aug. Parum eſt nobis ſic à te inſtrui, vt tibi ſit liberando ſatis. ingenium quippe, & eloquium tuũ tam excellens, tamq. luculentum prodeſſe debet etiã cęteris.

Ad tertium eſt dicendum, quòd non eſſet neceſſarium, vt Religioſus Magiſter, cui aſſignarentur aliqui prouentus Eccleſiaſtici, efficeretur Canonicus, vel D
*al. ſi Archidiaconus, ſeu etiam Epiſcopus, * ſed ſeruaretur forma illius decretalis extra de Magiſt. vbi ſic dicitur: Aſſignetur autem cuilibet Magiſtrorum à capitulo prouentus vnius præbendæ, & pro Theologo à Metropolitano tantumdem: non quod propter hoc canonicus efficiatur, ſed tam diu redditus ipſos percipiat, quàmdiu perſtiterit in docendo. & ſi vna Eccleſia non poſſet ſic prouidere, poſſet tota diœceſis in hoc grauari pro vtilitate fidei.

ARTICVLVS IIII.

VTR. RELIGIOSVS, CVI PER Papam eſt ſufficiẽter prouiſum, receptã eleemoſinam iuſte retinere poſsit.

Felinus in cap. Cum dilecta, de reſcript. num. 18. Philippus Francus, & alij, in cap. 2. ne clerici, vel Monachi, lib. 6. Horatius Lutius tract. de priuileg. ſcholarium priuileg. 87.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſi per Papam Religioſo ſufficienter eſt prouiſum, receptam eleemoſinam retinere iuſtè non poſſit. quia eleemoſina datur ad ſubleuandã indigentiam recipientis. Ille ergo, qui non indiget, tenetur ad reſtitutionem.

2 Præterea: Clericus acquirens beneficium ex peccato ſimulationis tenetur illud reddere: quia nõ intrat per oſtium. Ergo ſimiliter recipiens eleemoſinã ſub prætextu paupertatis tenetur ad reſtitutionem.

3 Præterea: Defraudare pauperẽ eſt peccatũ æquipollens homicidio. Iuxta illud Eccl. 34. Panis egentium vita hominis eſt. qui defraudat illum, homo eſt ſanguinis. Non ergo poteſt licitè retineri.

In Contrarium eſt. quia quod datur pro benedictione, iuſtè retinetur: ſed eleemoſina pro benedictione datur, ſicut patet per Apoſtolum 2. C
Corinth. 9.

RESOLVTIO.

Religioſo ſi ſufficienter prouiſum fuerit ſecundum vnam circunſtantiam, & non ſecundum aliam, ab eo eleemoſina retineri poteſt: ſi autem ſecundum omnem ſtatus, & perſonę conditionem, ipſa eleemoſina pauperibus dari poteſt.

RESPONDEO, dicẽdum, quòd ſicut patet per Philoſophum 2. Ethic. Medium in virtute nõ accipitur ſecundum æqualem diſtantiã ab extremis, ſed ſecundum debitam proportionẽ circũſtantiæ, quam facit recta ratio. vnde non oportet, quod mediũ virtutis ſit inter ſuperfluum, & diminutum. Poteſt. n. eſſe, quod aliquis moderatus cibus, qui vni eſt ſufficiens, alteri ſit ſuperfluus, vel diminutus. Si ergo alicui Religioſo, vel alteri ſufficienter eſt prouiſum ſecũdum vnam circumſtantiam, & non ſecundum aliam, poſſet eleemoſinam receptam iuſtè retinere. Sed ſi ſecundum omnem conditionem ſtatus, & perſonæ ſufficienter prouiſum eſt ſibi, puto quod eleemoſinam receptam nõ poteſt in proprios vſus conuertere, ſed tenetur pauperibus elargiri. Dicit enim Hierony. ſuper illo verbo Mat. 17. Staterem illum ſumẽs da illis pro mercede, vt non ſcandalizemus eos. Si quis obijcere voluerit: Et quõ Iudas in loculis portabat pecuniã? quare de illa pecunia tributum non eſt ſolutũ? Rñdebimus. quia rem pauperum in vſus ſuos cõuertere dominus nefas putauit, nobiſq. idem tribuit exemplum.

Ariſt. 2. Eth. cap. 6. & 7.

In Math. lib. 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ in aliquo põt ſuppleri indigentia vnius, io quo non poteſt ſuppleri indigentia alterius. Vnde ex quo liberaliter eleemoſina tributa eſt, ex neceſſitate iuſtè retinetur, ex cupiditate vero damnabiliter.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd acquirens beneficium per ſimulationem bonitatis non tenetur il-
E lud reddere: tenetur tamen pęnitere de ſimulatione, per quam iniuſtè acquiſiuit decipiens conferentem, non tamen fuit error perſonæ, ſed qualitatis. Sic recipiens eleemoſinam ſub prætextu paupertatis tenetur de cupiditatę pęnitere, non tamẽ tenetur ipſam reſtituere, ſed panperibus elargiri.

AD tertium eſt dicendum, quòd non ſolum de eleemoſina recepta, ſed de propria ſubſtantia, dũmodo ſuperfluum retineatur, defraudatur pauper. Vnde neutrum poteſt retineri ſine peccato.

QVAEST. LXXIII. DE DISPENSATIONE PER CONCESSIONEM.

DEINDE *conſiderandum eſt de cõceſſione. Circa quod quęruntur Quinque.*

Primo, Vtrum Papa ſine peccato poſſit cõcedere in caſu fieri vſuras.

Secundo, Vtrum Papa ſine peccato poſſit concedere fieri vſuras cum infidelibus, & publicis hoſtibus Eccleſię.

Tertio, Vtrum Papa ſine peccato poſſit alicui concedere decimas laicorum.

Quarto, Vtrum Papa poſſit ſine peccato Regi Frãcię, vel alteri Principi, concedere decimas clericorum.

Quinto, Vtrum Papa poſſit decimas Eccleſiarũ ſibi ipſi concedere in proprium vſum.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA POSSIT ſine peccato concedere, fieri vſuras.

S. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. Sotus lib. 6. de iuſt. & iure. q. 1. art. 1. Iaſon in l. 1. C. de ſum. trinit. & fide catho. vbi cõmuniter Legiſtæ.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſine peccato poſſit concedere, fieri vſuras. Scribitur enim extra de vſu. cap. Salubriter, quòd licet marito retinere fructus rerum obligatarum ſibi pro dote à ſocero, & in ſortem non cõputare, & ibidem. C. Conqueſtus, habetur, quòd licet domino feudi res feudales in pignus accipere, nec tenetur fructus computare in ſortem.

2 Præterea: iuſtè exigitur ab homine illud, ad qđ voluntariè ſe obligat. Cum ergo debitor voluntariè obliget ſe ad vſuram, iuſtè exigitur ſine peccato.

3 Præterea: Licet in cauſa neceſſitatis furari. Ergo multo magis licet i cã neceſſitatis ad vſurã mutuare.

4 Præterea: Vſura eſt quicquid vltra ſortem recipitur, ſicut ſcribitur 14. qõ. 3. quicquid ſorti accidit vſura eſt. Sed ſcribitur extra de vſuris, cap. In ciuitate tua, ꝙ ſi quis emit merces tempore, quo non niſi quinque libras valent, & promittit ſe illis, à quibus illas merces accipit, ſex libras ſtatuto termino ſoluturum, non facit contractum vſurarium, quàmuis peccatum incurrat. Diſpenſat ergo in caſu Papa, quòd vſura fiat.

IN CONTRARIVM eſt. quia Papa non poteſt diſpenſare in eo, quod eſt diuina lege prohibitum.
F Sed ſcribitur Ezechie. 18. Qui ad vſuram non commodauerit, vita viuet, & non morietur.

RESOLVTIO.

Nullus vſurarius contractus diſpenſationem admittere poteſt: Vſura enim ex parte rei, quæ datur: & ex parte vſus continet iniquitatem.

RESPONDEO, dicendum, quòd in vſura duo poſſumus * intelligere. Primo, ipſam ſuperabundãtiam, quæ requiritur vltra datum. Quicquid enim * ſupra datum exigitur vſura eſt, vt dicitur 14. *al. Commendare. *al. vltra.
G q. 3. cap. Putant. Secundo cauſam, pro qua talis ſuperabundantia datur. Nam datur pro vſu pecuniæ mutuatæ, cum vſura ſecundum etymologiam nominis dicatur quaſi vſus æris. Vtroque autẽ modo vſura continet iniquitatem, vt in ipſa nullo modo poſſit fieri ſine peccato diſpenſatio. Primo namque continet iniquitatem ex parte rei, quæ datur, quia iniquũ eſt, vt ad quem nullo modo pertinet rei periculũ, ad ipſum pertineat lucrum. Secũdo ex parte vſus, pro quo datur, continet iniquitatem: quia iniquum eſt, vt pro vſu rei meæ exigatur à me pretium. Planum Vſura vnde dicatur.
H eſt autem, quòd vtrumq. concurrit in contractu vſurario. Nam vſura conſiſtit propriè circa mutuum. In mutuo verò plenè transfertur dominium rei, quo ad proprietatem, & vſum. Dicitur enim mutuum eo, quòd de meo fit tuum. quia ergo transfertur dominium quo ad rei proprietatem, totum periculũ pertinet ad debitorem. Ad ipſum ergo debet perti- Mutuũ vnde dicatur.

A nere emolumentum, quia vero transfertur dominium quo ad vſum, ergo pro vſu rei ſuę non debet ab eo exigi pretium. omnis ergo cõtractus vſurarius eſt peccatum, nec poteſt in eo fieri diſpenſatio.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd in illo caſu non eſt contractus vſurarius, quamuis ſit aliquid ſimile contractui vſurario, quia non accipitur ſuperabundantia pro vſu pecuniæ, ſed pro alia cauſa rationabili. Nam maritus accipit fructus rerum pro dote ſibi obligatarum, Ideo non tenetur computare in ſortem propter onera matrimonij, quæ ſuſtinet, Similiter Dominus feudi accipit fructus rerum feudalium ſibi obligatarum, nec tenetur in ſortem computare, propter debita ſeruitia feudi, quæ in eo tempore non percipit. B

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd non omne, ad quod quis voluntarie ſe obligat, iuſtè ab eo exigitur, niſi obligatio ſit legitima. obligatio vero, qua debitor indigens ſe obligat creditori ad ſoluendas vſuras, quamquis ſit legitima ex parte debitoris, non tamen eſt legitima ex parte creditoris, cum ſit prohibita, & contra naturam rei.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſicut in caſu neceſſitatis licet mihi accipere rem alienã per actum, qui non eſt furtum, ſed eſt ſimilis furto; ſic puto, ꝙ in caſu neceſſitatis poſſem pecuniam mutare, vt pro ſuperabundantia daretur mihi panis, ſi aliter habere non poſſem. nec tamen proprie dicenda eſſet vſura, C quamuis eſſet vſuræ ſimilis, quia illud, quod per ſuperabundantiam acciperem, nõ eſſet alienum, ſed mihi debitum in caſu neceſſitatis.

Ad quartum eſt dicendum, ꝙ decretalis illa intelligit non eſſe contractum vſurarium, ſi illud, quod ſuperabundanter accipitur, referatur ad ipſius rei venditionem. Sed ſi referatur ad pretij ſoluendi expectationem, vt de pecunia ſoluenda tempore futuro, quo emptorem expectat pretium, recipiat, manifeſte vſura committitur.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA SINE peccato vſuras fieri cum infidelibus concedere poſſit. D

Præter citatos in articulo præcedenti vide Marquardum tract. de Iudæis, & alijs infidelibus.

A D ſecundũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa ſine peccato poſſit cõcedere vſuras fieri cũ infidelibus, & publicis hoſtibus Eccleſiæ Scribitur enĩ 14. q. 4. auctoritate Ambro. c. Ab illo. ꝙ ibi eſt ius vſuræ, vbi eſt ius belli. quia cui iure inferuntur arma, illis legitime auferuntur vſuræ. Sed contra infideles, & hoſtes publicos homo habet iuſtũ bellum. Ergo iuſtè ab eis auferuntur vſuræ,

A 2 Præterea: Papa poteſt concedere, vt ab hoſtibus, & rebellibus Eccleſiæ rapiantur bona temporalia. ſed ſcribitur auctoritate Aug. 14. q. 4. c. Quid dicã. Non minus crudelis eſt, qui pauperem trucidat fœnore, quàm qui diuiti aliqua rapit. & ibidem ſubditur auctoritate Ambro. Rapinam facit qui vſuram accipit. cap. Siquis.

3 Præterea: Maius peccatum eſt occidere, quàm ad vſuram accõmodare. Sed licet occidere publicos hoſtes. Ergo licet ab eis vſuras exigere.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de vſu cap. Super eo vero. Cum vſurarum crimen vtriuſque teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc aliquam diſpenſationem poſſe fieri, non videmus.

RESOLVTIO.

B *Vſura cum infidelibus, aut Eccleſia hoſtibus per diſpenſationem admitti non debet. eſt enim contra naturam: & non niſi per familiaritatem, quę cum hoſtibus prohibetur, fieri poteſt.*

Respondeo, dicendum, ꝙ quæſtio eſt dubia propter illud capitulum Ambro. quod ponitur 14. q. 4. c. Ab illo. quod quidem aliqui ad litteram dicunt eſſe intelligendum, puta, ꝙ licitum ſit laicis, quibus licitum eſt bellare. & arma portare ex præcepto ſuperioris, ab hoſtibus vſuras exigere. non tamẽ ex cupiditate, ſed zelo charitatis, vt ſic macerentur vſuris, qui non poſſunt domari armis, quatenus deſiſtant hoſtes, & perſecutores eſſe. Vnde nec exigendæ C vſuræ ſunt ab eis, niſi quamdiu hoſtes ſunt. Probant autem iſtud, quia ex quo indicitur cõtra eos iuſtum bellum auctoritate Papæ, vel Imperatoris; iuſtè poſſumus eos occidere, & omnia bona eorum eis auferre, & noſtra facere iure belli ſicut ſcribitur 23. q. 2 c. Dominus noſter. Nec refert ſi vel manifeſte, vel occulte per inſidias hoſtes deuincantur. quia nihil ad iuſtitiã intereſt, ſiue aperte, ſiue ex inſidijs aliquis pugnet. iuſtè enim, vt dicit Aug. in bello inſidijs homo vti poteſt. (Qõ. x. ſuper Ioſue.) A ſimili ergo (vt dicunt) iuſtè ab hoſtibus poſſunt exigi vſuræ, & quæcumque alia grauamina eis inferri. Sed iſtud communiter non tenetur, quia in vſura numquam inuenitur facta eſſe diſpenſatio in aliquo caſu, & ſatis conuenienter; quia tale peccatum non ſolum eſt culpa propter nocumentum, quod in- D fert, verum etiam quia eſt contra naturam rei, ſicut dictum eſt ſupra. (Ariſt. 1. Polit. cap. 7.) Similiter occiſio, & rapina, & alia grauamina, quæ inferuntur hoſtibus auctoritate Superioris, inferuntur eis inuitis non per contractionẽ amicitiæ; Contractus autem vſurarius fit voluntarie. Vnde ſicut numquam licitum eſt cum hoſtibus familiariter conuerſari, & contractus cum eis facere; immo pœna capitali ſecundum leges debet puniri qui hoſtem recipit; ſic non eſt licitum cum eis contractus vſurarios facere. Vnde puto, quòd non cadit diſpenſatio, quòd cum hoſtibus, vel infidelibus Papa concedat fieri vſuras.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ ad di-

ꝙa Ambroſij tripliciter reſpondetur. Primo, ꝙ ipſe appellat vſuram quamcumque grauem extorſionē, quæ poſſit fieri in nimia penſione domorum, vel in locatione prędiorum, quibus grauaminibus infideles, & hæretici per fideles grauati quandoque conuertuntur. Secundo, ꝙ illud capitulum non fuit Ambroſij, ſed falſo modo dictis eius eſt inſertum. Tertio, ꝙ Ambroſius non loquitur ibi aſſertiue, ſed recitatiue. Recitat enim ibi permiſſionem factam iudæis, quibus fuit permiſſum cum illis poſſe fœnerari ad euitationem maioris mali, contra quos iuſtum bellum habere poterant.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ quamuis vſura dicatur eſſe rapina interpretatiue. quia iuſtè retineri non poteſt, ſicut nec rapina. non tamen eſt vere rapina, quia non aufertur, inuito Domino, ſicut rapina.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ quamuis occidere maius peccatum ſit in genere, quàm fœnerari, eo ꝙ occidere importat nocumentum in perſona propria; vſura vero in rebus, quibus perſona ſuſtentatur, ita ꝙ ratione effectus maius peccatum eſt. ſed formaliter in ſe maius peccatum eſt vſura, cum importet deformitatem in natura rei. Vnde ſic importat ſecum ſemper ſuam malitiam, quòd numquam poteſt bene fieri.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT ſine peccato concedere alicui decimas Laicorum.

Syluester in ſummma verbo: Decima. q. 8. Abbas, & Felinus in cap. cauſam. de præſcript. & gloſſa, & Doctores in cap. quamuis. de decimis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine peccato alicui nō poſſit concedere decimas laicorum. Quia laici ſunt ſub poteſtate Regum, & Principum ſæcularium. Eis ergo inuitis Papa non poteſt concedere. Quia tunc eſſet furtum, in quo Papa diſpenſare non poteſt.

2 Præterea: Diuturna conſuetudo obtinet vim legis. sed in aliquibus regnis raro, vel numquam fuit conſuetudo, ꝙ Papa concederet decimam laicorum alicui. Iam ergo pręſcritio facta eſt, vt talis conceſſio de iure fieri non poſſit.

3 Præterea: Hugo dicit 2. libro de ſacramentis, ꝙ bona temporalia ſi qua ſunt à Regibus, & laicis cōceſſa Eccleſiæ, numquam ſic elongantur à dominio terrenæ poteſtatis, ꝙ ſi ratio poſtulauerit, pro eis non debeatur eis patrocinium, & obſequium. par. 2. c. 7.

I N C O N T R A R I V M eſt. quia qui poteſt maius, poteſt minus. ſed Papa poteſt compellere omnes laicos Reges, & Principes, & eorum ſubditos ad ſeruiendum Eccleſiæ in caſu neceſſitatis. pro vtilitate ergo Eccleſię poteſt decimas eorum concedere cui vult.

E

R E S O L V T I O.

Papa omnium Laicorum decimas cui vult, dare poteſt: modo rationabilis adſit cauſa: & pro Eccleſia vtilitate præſertim.

R E S P O N D E O, dicendum, ꝙ ius naturale omnia facit communia in neceſſitate. vbi enim appropriatio rerum non ſtat cum conſeruatione naturæ; in tali caſu, quod eſt proprium, fit commune. Ius vero diuinum facit omnia communia ex charitate, pro reuerentia diuini cultus. ſcribitur enim 1. Eſdræ. 3. ꝙ pro ædificatione templi Domini ſinguli dederunt pecunias latomis, & cæmentarijs, cibū quoq. potum,

F & oleum. Et 2. Eſdræ. 4. ſcribitur, ꝙ dederunt pecuniam lapidarijs, & fabris, & potum, & pabula cum gaudio: ac vnuſquiſque cum vna manu tenebat gladium, & cum alia faciebat opus. Sed ius ciuile facit omnia communia pro vtilitate Reip. Vnde ſcribitur 1. Macha. 8. de Romanis, ꝙ omnes obediebant vni, & non erat inuidia, neque zelus inter eos ad Remp. promouendam. Ius ergo naturale propria facit communia in neceſſitate. Ius vero diuinum ex charitate, & ius ciuile ex Reip. vtilitate. Planū eſt autem, quòd Papa eſt omnis iuris interpres, & ordinator tamquā architector in tota Eccleſiaſtica Ierarchia vice Chriſti: Vnde quolibet iure poteſt, cū ſubeſt cauſa rationabilis, decimas omnium Laicorum, non ſolum ſubditorum, verum etiam Regum, & Principum, & do-

G minorum recipere, & concedere pro Eccleſiæ vtilitate, ac eos (ſi noluerint dare) compellere.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd conueniens eſt, vt Papa, cum ſubeſt cauſa ad recipiendum decimas laicorum, & Reges, & Principes primo requirat, quatenus ab eorum ſubditis tales decimas exigāt pro vtilitate Eccleſiæ, quod ſi vrgente neceſſitate facere, contemnerent, iuſtè vtruſque poſſet ſua auctoritatę compellere, & pro tali contumacia bonos honorare, & proteruos deponere.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ ius Papæ numquam præſcribitur. quàmuis ergo non ſit conſuetu-

H do dictas decimas à Laicis petere, quia nec ſunt petendæ, niſi imminente Eccleſiæ neceſſitate, ius tamē petendi in caſu ſemper reſidet penes Eccleſiam.

A D tertium eſt dicendum, quòd Hugo vult patrocinium, & obſequium impendendum eſſe dantibus temporalia Eccleſiæ, non in dominij recognitione, ſed in eorum ſubuentionem, & gratiarum actionē. & ſicut gratis ſunt recipiēdæ, ita gratis ſunt erogandę.

ARTICVLVS. IIII.

VTRVM PAPA POSSIT ſine peccato concedere Regi Fracię, vel alteri Principi decimas Clericorum.

Pręter citatos ſuperiori articulo vide S. Thomam 2. 2.q.87.art.3.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa ſine peccato non poſſit Regi Franciæ, vel alteri Principi cōcedere decimas clericorum. quia numquam minores recipiunt decimas à maioribus. B Vnde Abrahā minor Melchiſedech comprobatur. quia ſibi dedit decimas, vt probat Apo.ad Heb.7.ſed Clerici,& Sacerdotes ſunt maiores Regibus,& Principibus, vt ſcribitur 96. di. cap. Quis dubitet.

2 Præterea: Scribitur Nume.18. quòd filijs Leui conceſſæ ſunt decimæ. ſed loco illorū ſuccedunt clerici. Cōuenit ergo eis decimas recipere, & non dare.

3 Præterea: Decimæ non ſunt conceſſæ, niſi pro miniſtrorum ſuſtentatione,& ſacrificiorum oblatione. ſed pro nulla iſtarū cauſarum Regibus,& Principibus conceduntur Eccleſiæ.

IN CONTRARIVM eſt Eccleſiæ conſuetudo, quę quaſi ſemper decimas Eccleſiarum cōfert Regi Franciæ,& multis alijs Principibus.

RESOLVTIO.

Papa Clericorum decimas Regibus,& Principibus pro Eccleſia vtilitate concedere poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ in conceſſione decimarum tria poſſunt conſiderari. Primo cauſa, quare conceduntur. Secundo auctoritas concedendi. Tertio res, quæ conceditur. Triplici autem cauſa inuenimus in lege Moyſi decimas fuiſſe conceſſas. Primo propter miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationē, & iſto modo preceptæ ſunt decimæ Nume. 18. Secūdo, propter ſacrificiorum oblationem. Tertio propter pauperum, & hoſpitum receptionem, & iſto modo D decimę præceptę ſunt Deuter.14. Vnde ex hoc venit forte ordinatio Eccleſiæ, vt de ſtipēdijs Eccleſiæ tres debeant fieri portiones, ſicut patet 12.q. 2. cap. Mos eſt. Vna pro miniſtris Eccleſiæ ſuſtentandis. Alia pro Eccleſijs reparandis. Tertia pro pauperibus, & peregrinis recipiendis. Auctoritas vero concedendi decimas Eccleſiarum non reſidet niſi in Papa. quia ius accipiēdi decimas ſpirituale quid eſt. Conſequitur enim debitum, quo Miniſtri Eccleſiæ ſeminantes ſpiritualia poſſunt temporalia recipere, ſecundum dictum Apo.1.Cor.9. Vnde ſicut ius recipiendi decimas pertinet ſolum ad clericos, & ad habentes curam animarum: ſic ius concedendi decimas non habet niſi ille, qui eſt clericorum, & Eccleſiarum A Paſtor,& Rector. Sed res, quę nomine decimarū dantur, cū ſint corporales, poſſunt cedere in vſum quorumcumque Clericorum, & Laicorum. Poteſt ergo Papa decimas Eccleſiarum concedere Regibus, & Principibus. ſed non niſi pro vtilitate Eccleſiæ ſecundum aliquem trium modorum ſuprapoſitorum. nec ius petendi decimas vniuerſaliter pōt eis concedere. ſicut nō poteſt facere, quòd auctoritas Pontificalis ſubijciatur poteſtati regali.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ laicis nō conceduntur decimę in recognitionem alicuius perfectionis, vel dominij recipiendi ab eis, ſecundum B quem modum ſemper minor dat decimas maiori: ſed conceduntur eis res temporales in adminiſtrando pro vtilitate Eccleſiæ.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Clericis cōuenit ius petendi decimas. ſed cauſa, pro qua conceduntur, & res, quæ conceduntur, poſſunt competere Clericis,& laicis.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſine peccato Papa non poteſt concedere Regi Francię, vel alicui Principi decimas Eccleſiarum, vt conuertant in proprios vſus: ſed ſolum pro euidenti vtilitate Eccleſiæ. Vnde nō debet Papa faciliter ſemper petitionibus Regum annuere, cum ſint quandoque magis abuſiones, quā petitiones. Non enim eſt nouum, quòd Papa, & alij Prælati Eccleſiæ ſint iniuſtis petitionibus Regum, C & Principum propulſati, & frequenter iniurijs, & contumelijs quaſſati. Dicit enim Bernardus de quodam Rege Franciæ, nomine Ludouicus, qui ex eius grauibus cōtumelijs, & iniurijs Pariſienſis Epiſcopi innocentia fuit pulſata, ſed non quaſſata. quia Dominus ſuppoſuit manū ſuam, & Senonēſis ſui Metropolitani conſtantiam conatus eſt concutere, vt Metropolitano (quod abſit) abiecto, facile, prout vellet, craſſaretur in ſuffraganeos, qui merito (vti dicit) erat alter Herodes, non iam Chriſtum in cunabulis habens ſuſpectum: ſed in Eccleſiis inuidebat exaltatum. Epiſt.49.

ARTICVLVS V.

VTR. PAPA SIBI IPSI D Eccleſiarum decimas in proprium vſum concedere poſſit.

S. Thomas 2. 2. q.87. art.4. & Canoniſtæ in cap. nouum genus extra de decimis.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit decimas Eccleſiarū ſibi ipſi concedere in proprium vſum. Scribitur enim extra de deci. c. Nouū. Nouū genus exactionis eſt, vt Clerici à Clericis decimas exigant, cum nuſquam in lege Domini hoc legamus. Papa autē eſt ſummus Clericorū.

Non

Non debet ergo Clericorum decimas recipere.

2 Præterea : Papa habet certos redditus de terris Eccleſiæ, in quibus habent immediatam adminiſtrationem. Non debet ergo Ecleſiarum decimas in vſum proprium conuertere.

3 Præterea: Res cómunes nullus debet ſibi appropriare. ſed res Eccleſiæ communes ſunt, vt ſcribitur 12.q.1. c. Res. Non debet ergo Papa eas in proprios vſus conuertere.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Num.18.vbi dicitur,quòd Leuitę ſummo Sacerdoti ſoluebant decimam decimæ ex mandato Domini. ergo eadem ratione de decima Eccleſiarum ſoluéda eſt decima Papæ,qui eſt ſummus Sacerdos.

RESOLVTIO.

F *Papa Eccleſiarum decimas ſibi ipſi concedere poteſt, & in ſuum vſum conuertere, indigentia exiſtente.*

83.queſtionum.q.36. Tomo 4. RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. Venenum charitatis eſt cupiditas. quę quanto magis augetur,tanto magis charitas extinguitur. Vnde Saluator humani generis videns, quòd præſentis ſæculi amatores diuitias pernitioſe appetebant, pauper eſſe voluit. Tanto ergo Papa magis tenetur venenum cupiditatis, exemplariter in tota Eccleſia exterminare: quanto magis ipſe præ cæteris alijs tenetur Chriſti veſtigia imitari. de quo dicit Hierony. Matt. 14. quòd de pecunia ſibi à Chriſti fidelibus oblata noluit tributa ſoluere. quia nefas putauit res pauperum in proprios vſus conuertere. Eſt enim Papa tamquam

In Matt. cap.17.

G

E quoddam ſpeculum ante oculos omnium fidelium ſuprapoſitum: in quo (quod abſit) ſi aliquod ſignū cupiditatis auaritiæ denotetur: fiunt cupidi cupidiores, & bonorum Eccleſiaſticorum inuaſores, ac decimarum, & bonorum Eccleſię petitores. Poteſt ergo Papa decimas Eccleſiarum recipere, & in proprios vſus conuertere, quando indiget. aliter, vt puto non debet vti tali poteſtate, vt dicat, ſimul cum Apo.1. Cor.9. Nolumus vti hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculū demus Euangelio Chriſti.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illa decre. intelligitur. vt clerici de dotibus Eccleſię decimas Eccleſiæ alteri non perſoluant. ſed de alijs ſuis bonis patrimonialibus, & prædijs ſoluere compellūtur. Immo de illis ſibi ipſe Clericus tenetur decimas ſoluere. vel intelligitur de decimis perſonalibus, à quibus Clerici ſunt exempti. — Intellectus cap. nouum genus extra de decimis.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd illi redditus quandoque Papæ non ſufficiunt. Vnde ad prouidendum ſibi, & familię, ac alijs conditionibus ad eius dignitatem ſpectantibus, poteſt licite tales decimas recipere. pro pauperū vero ſubuentione, & Eccleſiæ promotione dubium non eſt, quin Papa poſſit vltra, quā decimas ab Eccleſia exigere, cum ipſe ſit omnium rerum Eccleſiarum Dominus.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut ſe habet perſona priuata ad perſonam publicam, ſic bona propria ad bona communia. Vnde ſicut Papa eſt perſona publica, ſic bona Eccleſiæ, quæ communia ſunt, ſibi efficiuntur propria.

QVAEST. LXXIIII. DE DISPENSATIONE PER COMMISSIONEM.

VLterius conſiderandum eſt de commiſſione. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Papa poſſit committere totum officium Papale ſimplici clerico, vel laico.

Secundo, Vtrum Papa poſſit committere totum officium Epiſcopale ſimplici Sacerdoti.

Tertio, Vtrum Papa poſſit committere totum officium clericale ſimplici laico.

Quarto, Vtrum Papa poſſit committere ſimoniam.

ARTICVLVS I.

H *VTRVM PAPA POSSIT committere totum officium Papale ſimplici clerico, vel laico.*

Quæ ſint Romano Pontifici reſeruata, tradit Hoſtienſis in ſumma tit. de offic. legati. & Turrecremata in cap. Huic ſoli. 17. diſt.

AD primū ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Papa non poſſit totum officium Papale committere ſimplici Clerico, vel laico. Quia quicquid eſt ſingulariter vni commiſſum, non poteſt comitti pluribus. Sed officium Papale ſingulariter fuit commiſſum Petro in perſona om-

na omnium ſummorum Pontificum Matt. 16. Tibi dabo claues. Non poteſt ergo pluribus committi.

2 Præterea: Quod eſt immediate à Chriſto non poteſt ab homine alteri committi. Sed officium Papale immediate fuit à Chriſto Petro collatum. Ergo non poteſt per Papam alteri committi.

3 Præterea: Papa figuratus eſt per Moyſen, ſicut ſupra dictũ fuit. Sed Exodi 18. Scribitur, ꝙ illi, quibus Moyſes officium ſuum commiſit, grauia, & maiora negotia ad ipſum Moyſen ſemper referebant, faciliora tantummodo iudicantes. Negocium ergò fi dei, quod eſt magis graue, & arduum negocium, quod in Eccleſia eſſe poſſit, Papa non poſſet committere, ſed ſemper eſſet ad ipſum referendum.

In Contrarium eſt. quia officium Papale, inquantum Papa eſt, ſolum iuriſdictionem importat. ſed omnis poteſtas iuriſdictionis, poteſt committi.

RESOLVTIO.

Papa totum officium Papale, vt importat commiſſam iuris dictionem, poteſt alteri committere; ſed illud non per electionem, concedi poteſt; nec per immediatam adminiſtrationem exerceri valet.

Respondeo, dicendum, quòd officium Papale tria importare videtur. Primo canonicam electionem. Papa enim, vt Papa eſt, non poteſt eſſe niſi per electionem. Inquantum vero eſt Sacerdos, vel Epiſcopus, poteſt eſſe per conſecrationem. Secundo vero immediatam adminiſtrationem. ſolus enim Papa, vt Papa eſt, loco Chriſti in toto orbe habet omnium temporalium, & ſpiritualium immediatam adminiſtrationem. Tertio commiſſam iuriſdictionem. quia iuriſdictionem, quam habet per electionem, vel per immediatam adminiſtrationem poteſt alteri committere. Primis ergo duobus modis officium Papale Papa non poteſt committere alicui. non enim poteſt committere, ꝙ aliquis officiũ Papale habeat per electionem, ipſo exiſtente Papa, & non renunciante Papatui. Nec poteſt committere, ꝙ aliquis habeat officium Papale per immediatam adminiſtrationem, ſicut ipſe habet. Sed tertio modo per commiſſam iuriſdictionẽ, puto, quòd quicquid iuriſdictionis eſt in Papa, ipſe poteſt committere. Nã ſi Papa haberet Archidiaconum, cui committeret poteſtatem theſauros, & redditus Eccleſiæ recipiendi, & diſpenſandi, ſicut Syxtus commiſit beato Laurentio: & ſi haberet Cancellariũ, cui committeret beneficia Eccleſiaſtica, & præbendas omnes Eccleſiæ conferendi, & diſtribuendi: Et haberet Auditorem, cui committeret poteſtatem, quæſtiones omnes decidendi, & determinandi; planum eſt, ꝙ totum officium Papale, vt importat commiſſam iuriſdictionem, eſſet alteri commiſſum.

Ad Argumenta.

Ad Primum eſt dicendum, quòd officium Papale ſingulariter vni committitur quantum ad ca-A nonicam electionem, quia non poteſt eſſe niſi vnus Papa canonice electus. Sed per commiſſam delegationem plures poſſunt delegari, qui auctoritate Papali fungantur. Si enim aliquis Cardinalis ad aliquam Prouinciam per Papam generaliter deſtinetur, puto eum in illa, omnia poſſe, quæ ex iuriſdictione proueniunt, ſi ex delegatione ſint ſibi commiſſa. Vnde poterit Clericos ſuſpendere, deponere, inſtituere, & degradare: beneficia conferre, ac omnia facere, quę ipſe Papa facere poſſet.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ officium Papale eſt immediate à Chriſto per immediatam adminiſtrationem. ſed per delegatã iuriſdictionem poteſt eſſe in alijs. Poſſet enim Papa per ſuum Vicarium generale Concilium conuocare, & per eundem Vicariũ B illi Concilio intereſſe: & tamẽ quicquid ageretur ibi ratum, & firmum eſſet, ac ſi Papa perſonaliter intereſſet. In multis namque Concilijs illa, quæ præcipue ad fidem ſpectant fuerunt determinata, & Papa præſentialiter non interfuit, & tamen † illa firma, & inconcuſſa tenet Eccleſia.

† Accedente tamen Papæ conformat. videãtur Turrecremata, & Blaũ paulo inferius citati.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ nec negocia ardua, & grauia Papa determinat † niſi per aliorum conſilium, quod ſic facere tenetur. Dicit enim gloſ. ſuper illo uerbo Exo. 18. Audito Moyſes, qđ dixerat Ietro cognatus eius fecit omnia, quæ ille ſuggeſſerat, ꝙ nõ dixit: Moyſes, mihi loquitur Deꝰ facie ad faciẽ, & quicquid agere debemus, ipſe mihi determinat. quomodo ergo ab homine conſilium accipiam. Sed fecit quæcumque ille ſugeſſit. Ex quo datur intelligi, quòd C ſicut Moyſes Deo familiaris, & ſapientiſſimus non erubuit à minori, & gentili doceri; ſic forma data eſt Papæ, & alijs Doctoribus, ne à quibuſlibet erubeſcãt erudiri. Vnde puto, quòd negocia fidei Papa poteſt committere: minora quidem aliquibus Doctoribus, & Magiſtris: maiora vero generali cõſilio examinanda, & determinanda, † ſi ipſe perſonaliter intereſſe non poſſet.

† De hoc dubio vide Philippum Frãcum Geminianum, & alios in cap. ſuper eo. de hæret. lib. 6.

† Videantur omnino Turrecremata in ſumma de Eccleſia lib. 3. c. 34. & Blaſius Nauarrus lib. 2 de ſacro Eccleſię Principatu c. 18. & 19. vbi probãt generalia concilia egere Papæ cõfirmatione. adde Melchiorem canum lib. 5. cap. 5. De locis theologicis.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA POSSIT committere totum officium Epiſcopale ſimplici Sacerdoti.

D Turrecramata, gloſſa, & alij in c. Peruenit. 95. d. & Doctores Theologi lib. 4. ſent. diſt. 7.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa poſſit committere totum officium Epiſcopale ſimplici Sacerdoti. Quia maius eſt officium Papale, quàm Epiſcopale. Sed officium Papale poteſt eſſe in non Papa per commiſſionem, vt ſupra dictum eſt. Ergo ſimiliter officium Epiſcopale poteſt committi illi, qui non eſt Epiſcopus.

2 Præterea: Supra ordinem Presbyterorum non eſt aliquis ordo. quia cum non ſint niſi ſeptem ordines

nes,& ordo presbyterorum ſeptimus ponatur, ſupra ipſum non eſt aliquis alius. Si ergo Epiſcopus nullū ordinem addit ſupra Sacerdotem, totum officium Epiſcopale poterit committi ſimplici Sacerdoti.

3 Præterea: Confirmare pertinet Principaliter ad Epiſcopale officium, ſicut patet de conſe. di. 4. c. Presbyteris. Sed cum confirmatio importet perfectionē reſpicientem corpus Chriſti myſticum, reſpectu cuius Papa habet plenam iuriſdictionem, poterit per Papam ſimplici Sacerdoti confirmatio committi.

4 Præterea: Ad Epiſcopum Principaliter pertinet Præsbyteros ordinare, & alios ordines conferre. ſed iſtud (vt videtur) ſimplici Sacerdoti poteſt committi. quia cùm Sacerdos habeat omnes ordines, poterit omnes ordines conferre, cum vnuſquiſque poſſit perfectionem, quam habet, alteri conferre.

F In Contrarium eſt, quod dicit Hugo 2. lib. de Sacramentis, vbi ait, quòd auctoritas poteſtatis ne ab omnibus paſſim vendicata, inferiores erga ſupra ſe poſitos inſolenter redderēt, & ſoluto obedientiæ vinculo, ſcandalum generarent; ordinauit Dominus, vt aliqua ſummis Sacerdotibus Epiſcopis committerentur, quæ inferioribus nullatenus conuenirent.

RESOLVTIO.

Epiſcopale officiū ſimplici Sacerdoti committi non poteſt, quantum ad perfectionem reſpicientem corpus Chriſti myſticum: nec quantum ad perfectionem reſpicientem corpus Chriſti verum. Vtraque enim ſub poteſtate ordinis Epiſcopalis continetur: Et vtraque per conſecrationem Epiſcopalem confertur.

G Respondeo, dicendum, quòd Hugo notat 95. di. cap. Peruenit, ꝙ Papa poteſt committere ſimplici Sacerdoti, ꝙ chriſma conficiat, quòd omnes ordines conferat præter Epiſcopatum, quem non habet: niſi diceretur, quòd vltra Sacerdotium Epiſcopatus non eſſet ordo. quia ſi ſic dicatur, poſſet Papa committere Sacerdoti, quòd Epiſcopatum cōferret ſicut Sacerdotium. Poteſt ſimiliter (vt dicit) committere Diacono, ꝙ conferat ordinem Subdiaconatus, & omnes minores ordines: & (vt ſit ad vnum dicere) ex commiſſione Papæ quicumque habet aliquem ordinem, poteſt illum alteri conferre. Poteſt ſimiliter per Papam committi ſimplici Sacerdoti altarium, & Virginum conſecratio. quia in his tribus videtur conſiſtere tomm officium Epiſcopale, puta in ordinum collatione, confirmatione, & in Virginum conſecratione: ex dictis eius videtur poſſe concludi, ꝙ totum officiū Epiſcopale per Papam poſſit cōmitti ſimplici Sacerdoti. Sed iſta determinatio repugnat dictis eius in præcedenti di. vbi dicit, quòd illa, quę proueniunt ex conſecratione, non poſſunt cōmitti per delegationem. Vnde non poſſet Papa committere, ꝙ non Sacerdos ordinaret Sacerdotes. quia poteſtas Sacerdotalis per conſecrationem confertur. Sed illa, quæ perueniunt ex ſola iuriſdictione, per delegationem committi poſſunt. Vnde ex commiſſione Papę non Sacerdos poſſet Sacerdotem deponere, & degradare. Cum ergo officium Epiſcopale per conſecrationem conferatur, ſequitur ex dictis eius, ꝙ per Papam non poſſit committi ſimplici Sacerdoti. Dicunt ergo alij, ꝙ officium Epiſcopale, quantum ad perfectionem reſpicientem corpus Chriſti myſticum, poteſt committi ſimplici Sacerdoti. quia reſpectu illius Papa habet plenitudinem poteſtatis, & poteſt committere Sacerdoti, ꝙ cōfirmet. Sed quantum ad perfectionem reſpicientem corpus Chriſti verum, Epiſcopale officium non poteſt committi Sacerdoti ſimplici. Vnde nō poteſt Papa committere, vt dicūt, ſimplici Sacerdoti, ꝙ Sacerdotes ordinet. quia Sacerdotium reſpicit corpus Chriſti verum, reſpectu cuius non eſt maior poteſtas Papæ, vel Epiſcopi, quàm ſimplicis Sacerdotis. Sed nec iſtud videtur quietare

F intellectum. Quia non eſt quæſtio de his, quę aguntur per poteſtatem: ſed eſt quæſtio de ipſa poteſtate reſpectu agentium. Planum eſt autem, quòd poteſtas Epiſcopalis eſt poteſtas ordinis, & datur per conſecrationem, ſicut poteſtas ſacerdotalis. & quamuis nō ſit alia poteſtas ordinis à Sacerdotio, quantum ad diſtinctionem, & characteris numerationem; eſt tamen alia poteſtas quantum ad perfectionem, quæ quidem perfectio per conſecrationem confertur. Et quia in poteſtate ordinis Papa non eſt maior alijs, ex quo ſub poteſtate ordinis continetur diſtinctè characteris Sacerdotalis impreſſio, & dicti characteris perfectio; nō video, quòd officium Epiſcopale poſſit committi ſimplici Sacerdoti. nec quantum ad perfectionem reſpicientem corpus Chriſti myſticum: nec

G quantum ad perfectionem reſpiciētem corpus Chriſti verum. quia vtraque perfectio continetur ſub poteſtate ordinis Epiſcopalis, & vtraque per conſecrationem Epiſcopalem confertur.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd officium Papale eſt maius, quàm Epiſcopale, quantum ad iuriſdictionem, non autem quantum ad conſecrationem. Si enim diaconus fiat Papa, iuriſdictionē habebit maiorem, quàm quicumq; Epiſcopus. numquam tamen Epiſcopale officium poterit exercere niſi in Epiſcopum conſecretur,

H Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ officium Epiſcopale, quantum ad characteris impreſſionem, non importat aliam poteſtatem diſtinctam à Sacerdotio: ſed quantum ad characteris perfectionem aliam poteſtatem dicit, & alium ordinem. poteſt enim in aliquo eſſe poteſtas, ſed imperfecta. in puero namque eſt poteſtas generandi: ſed ſic eſt imperfecta, vt quāuis ſufficiat ſibi ad cabi ſumptionem, non tamen ſibi ſufficit ad generationem, vt poſſit ſibi ſimile generare. Per quamcumque ergo commiſſionem, poſſet Papa perficere poteſtatem in Sacerdote. quia poſſet eum conſecrare in Epiſcopom: ſed ipſo exiſtente ſimplici Sacerdote, non video, ꝙ ſibi poſſint committi quæ ad perfectum Sacerdotem ſpectant, puta ad Epiſcopum. Sequeretur enim, quòd abſque omni conſecratione per ſolam Papæ commiſſionem eſſet factus Epiſcopus, & Sacerdos magnus. quāuis enim Epiſco-

patus

patus non ſit ordo diſtinctus à presbytero, quãtum ad corpus Chriſti verum. quantum tamen ad corpus myſticum eſt per ſe ordo alius ab ordine presbyterorum. A

AD tertium eſt dicẽdum, quòd ſi ſimplici Sacerdoti põt committi, vt confirmet; non video, quòd ſibi non poſſet committi, quòd ordines conferat. cum vtraque perfectio ad poteſtatem ordinis Epiſcopalis pertineat: ipſa tamẽ inſtitutio Apoſtolorum nunquam habuit, vt manus impoſitio conueniret niſi Epiſcopis. Vnde dicit glo. Act. 8. ſuper illo verbo: Imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum; quòd Philippus, qui erat vnus de ſeptem diaconibus Samariæ, euãgelizabat Chriſtũ, ad quam miſſi fuerũt Petrus, & Ioanes, potuiſſet manus imponere, vt illi acciperent Spiritũ ſanctum, ſi fuiſſet Epiſcopus. Sed quia non erat; Apoſtolorum aduentus fuit neceſſarius. B

AD quartum eſt dicendum, quòd vnuſquiſque poteſt perfectionem, quam habet, in alterum trãsfundere, ſi illam perfectionẽ habet modo perfecto. Simplex autem Sacerdos non habet poteſtatem modo perfecto. quia tunc non eſſet neceſſarium, vt perficeretur per conſecrationem Epiſcopalem.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT committere officium clericale ſimplici Laico.

AD tertiũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ officium clericale Papa non poſſet committere ſimplici laico. Dicit enim Hugo 2. lib. de ſacramentis part 2. cap. 4. ꝙ duæ ſunt poteſtates Clericorum, & Laicorum: ſpiritualis, & corporalis, & quamuis poteſtas ſpiritualis poſſit facere illa, quæ poteſt corporalis, non tamen econuerſo. Officiũ ergo Clericale, cum ſit ſpirituale, non poterit committi puro laico.

2 Præterea: Idem Hugo eodem libro cap. 3. dicit ꝙ duo ſunt parietes Eccleſię: Vnus ſtans à dextris, puta Clerici, qui ſortem nominant, eo quòd ſorte electi ſunt, iuxta illud ad Ephe. 1. Sorte vocati ſumus ſecũdum propoſitum eius, qui omnia operatur. Alius à ſiniſtris, vt laici, qui idem ſonant, quòd populi. ſed dextrum, & ſiniſtrum diuerſa officia habent.

3 Præterea: Officium Clericale pertinet ad poteſtatem clauium. Sed poteſtas clauium non conuenit Laicis. ergo.

IN CONTRARIVM eſt. quia qui põt gaudere priuilegio clericali, officium clericale poteſt ei committi. Sed ſcribitur extra de cler. cõiu. † quòd clerici, qui cum vnicis, & Virginibus contraxerint: ſi tonſuram, & veſtem deferant clericales: nec criminaliter, nec ciuiliter ad iudicium ſęculare trahi poſſunt, nec pecunialiter condemnari: Sed eos in præmiſſis volumus gaudere priuilegio clericali.

† cap. 1. de Cleric. coniug. lib. 6.

RESOLVTIO.

Laico ſimplici poteſtas iuriſdictionis. vt excommunicare, idque genus alia, poteſt à Papa committi. Poteſtas ordinis non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd ad officium clericale, vel poteſt pertinere poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis. Poteſtas ordinis, quia per conſecrationem confertur, non poteſt Laico committi. Vnde non puto verum dicere illos, qui dicunt, quòd Laico poteſt committi, vt conſecret Virgines, ſi tamen talis conſecratio poſſet fieri ſine Miſſa. quamuis enim cõſecratio Virginum non ſit ſacramentum, vel non ſit ordo; ad poteſtatem tñ ordinis pertinet, cũ ibi ſignificetur deſponſatio Eccleſiæ cum Chriſto. Vnde ſi conſecratio altarium, & benedictio veſtium, & vaſorum, quæ ſunt quædam ſacramentalia ad perfectam poteſtatem ordinis pertinent, puta ad Epiſcopũ: multo fortius ad talem poteſtatem pertinet conſecratio Virginum. Poteſtas vero iuriſdictionis Laico poteſt committi, dummodo ad hoc idoneitatem habeat, & ꝙ ſit litteratus, Vnde ex commiſſione Papæ, puto ꝙ Laicus poteſt excommunicare: beneficia Eccleſiaſtica conferre, & omnia facere, quæ ex iuriſdictione proueniunt.

Sacramentalia.

Laicus quomodo poſſit excommunicare,

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Laico non committitur poteſtas ſpiritualis, vt importat poteſtatem ordinis, quæ reſpicit corpus Chriſti verum: ſed ſolum poteſtas iuriſdictionis, quæ reſpicit corpus Chriſti myſticum. Vnde talis poteſtas poteſt conuenire Clericis, & Laicis ſicut, in tali corpore ſimul conueniunt Clerici, & Laici. C

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Clericus idẽ eſt, quod ſors. quia ſorte vocati ſunt. Dupliciter tamẽ aliqui poſſunt vocari per Eccleſiam. Primo, electione ordinaria, & ſic ad officium Clericale vocantur ſoli Clerici ordinem habentes. quia in quolibet ordine imprimitur aliqua poteſtas, per quam diſtinguitur ſic electus ab alijs. Alio modo, electione diſpenſatoria, & ſic Laici poſſunt vocari, vt iuriſdictionẽ clericalem habeant, & eorum priuilegio gaudeant. Non eſt enim bonum canones ſummorum Pontificum inculpare. ſub prætextu tamen illius decre. extra de cler. coniu. multa mala committuntur, quæ non puniuntur. quæ † vt puto, non fuit facta niſi in fauorẽ Clericorum coniugatorum exiſtentium in ſtudijs: In quo; vt liberius poſſint vacare, vt non moleſtarentur per ſæculare iudicium, priuilegio Clericorum Eccleſia eos gaudere voluit, præſertim cum ex eis multi poſtmodum ad ordinẽ Eccleſiaſticum ſe transferãt. D

Clericus q̃d

† Intellect⁹ de Cler. cõiug. lib. 6.

AD tertium eſt dicendum, quòd communiter diſtinguitur clauis ordinis, & iuriſdictionis. Officiũ ergo clericale, vt importat clauem poteſtatis iuriſdictionis poteſt Laico committi. non autem, vt importat clauem poteſtatis ordinis.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PAPA POSSIT *committere ſimoniam.*

S.Thom.2.2.q.110.art.1.ad vlt.argumentum. Abbas in cap. Extirpandæ.§. quia verò. de præben. Archidiaconus in cap. 1. diſt. 12. Felin.in cap. ex parte, el 1.de offic.deleg. Et Syluester in ſumma verbo: Simonia. q6. 4. Vide hunc Doctorem queſt.5.art.3.in corpore.Et Aluar. lib.2.cap.4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit committere ſimoniam: quia ſimonia eſt voluntas vendendi, vel emẽdi aliquod ſpirituale per receptionem alicuius boni temporalis. Sed Papa non poteſt aliud emere, vel vendere cum omnia ſpiritualia, & temporalia ſint ſua.

2 Præterea: Simonia eſt iure poſitiuo prohibita.
Sed Papa non ligatur aliquo iure poſitiuo. Ergo ſi- G
moniam committere non poteſt.

3 Præterea: Si Papa poſſet committere ſimoniam; vel hoc eſſet cum clericis, vel cum laicis: ſed cum neutris, vt videtur. Non cum clericis, quia clericorum bona ſua ſunt, quantum ad vſum pro ſua neceſſitate. nec cum laicis, quia eorum bona iuſtè poteſt accipere pro Eccleſiæ vtilitate.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa eſt ſucceſſor Petri. ſed Petrus ne incurreret ſimoniam, primo damnationis ſententiam contra ipſam protulit. Act. 8.

RESOLVTIO.

Papa ſimoniam à iure naturę, vel diuino prohibitã cõmittere poteſt: ſed à iure poſitiuo prohibitam, non item. Papa enim eſt ſupra omne ius poſitiuum: immo ipſius iuris conditor, & interpres.

RESPONDEO, dicẽdum, quòd ſimonia eſt cõtra ius diuinum, & contra ius naturale. repugnat enim venditio ſpiritualium naturæ rei propter

E tria. Primo, quia ex parte dantis bona ſpiritualia habent liberam condonationem. Dicuntur enim ſpiritualia dona gratuita, quia gratis dantur. Si ergo pretio vendantur: iam non dantur gratis, vnde ſequitor illud inconueniens ad quod deducit Apoſtolus, Rom. xi.
ꝙ ſi gratia daretur ex meritis, gratia non eſſet gratia. Sic, ſi ſpirituale beneficium daretur pretio, gratũ non eſſet gratum. Secundo, ex parte adminiſtrantis dona ſpiritualia habent dominij priuationẽ. miniſtri enim Eccleſiæ donorum ſpiritualium dominio ſunt priuati. nõ enim ſunt ipſorum Domini, ſed diſpenſatores. Vnde ſi accipiunt pretium de eis, accipiunt lucrum
F de re, quæ non eſt ſua. ſicut vſurarius qui accipit lucrum de pecunia, cuius dominium eſt vſus, & in alterum translatum. Tertio ex parte ſui habent iniquã æſtimationem. ꝙ enim ſpirituale re temporali emi poſſit, vel vẽdi, iniqua æſtimatio eſt. vnde dictum eſt Simoni per Petrum: Pecunia tua tecum ſit in perdi-
tione: quia extimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Act. 8.
Magis enim eſt æquiuoca comparatio inter ſpirituale, & temporale, quàm inter aurum, & plumbum. Eſt ergo ſimonia contra ius naturale, quia repugnat naturæ rei. Quòd verò ſit contra ius poſitiuum, planũ
G eſt: quàmuis ergo Papa non poſſit ligari, vel vitiari peccato ſimoniæ, vt eſt prohibita iure poſitiuo, cum ipſe ſit talis iuris conditor, & interpres poteſt tamen ligari, vel vitiari vitio ſimoniæ, vt eſt contra ius naturale, vel diuinum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ bona Eccleſiæ ſunt Papæ, ſicut diſpenſatoris, non autem ſicut domini, vel poſſeſſoris. Vnde ſi pro ſpiritualibus recipit temporalia bona, dupliciter peccat. Primo,
H quia recipit lucrum de rebus, quarum non habet dominationem, ſed ſolum adminiſtrationem. Secũdo, quia non recipit illa bona propter licitum vſum, ſed propter abuſum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ quamuis Papa non ligetur iure poſitiuo, ligatur tamen iure diuino, & naturali, in quo nec ſecum, nec cum alijs Papa diſpenſare poteſt.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ cum vtriſq; Papa poteſt ſimoniam committere, ſi hac intẽtione tribuas ſpiritualia, vt temporalia recipiat.

QVAE.

QVAEST. LXXV. DE DISPENSATIONE PER CONSERVATIONEM.

DEINDE *videndum eſt de conſeruatione. Circa quod quæruntur Quatuor.*

Primo, Vtrum ſolum ad Papam ſpectet omnes in ſuo iure conſeruare.

Secundo, Vtrum ſolum ad Papã ſpectet Religioſis, & pauperibus Conſeruatores dare.

Tertio, Vtrum Conſeruatores dati per Papam poſſint eſſe alij, quàm Eccleſiarum Prælati.

Quarto, Vtrum Conſeruatores dati per Papam non habeant iuriſdictionẽ niſi ſuper manifeſtis iniurijs.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVM AD Papam ſpectet oẽs in ſuo iure conſeruare.

De materia huius quæſtionis, vide textum in cap. 1. & vlt. de officio, & poteſtat. iud. deleg. lib. 6. & ibi latiſſimè gloſſam, & Doctores Canoniſtas: Et Syluest. in ſumma verbo: Conſeruator.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum ad Papam ſpectet omnes in ſuo iure conſeruare. Ille enim eſt iuris conſeruator, qui eſt iuris defenſor. Sed defendere vnũquemque in ſuo iure magis ſpectat ad Imperatorem, & ad Reges, q̃ ad Papam. Iuxta illud Prouer. 20. Rex, qui ſedet in ſolio ſuo, diſſipat omne malum intuitu ſuo.

2 Præterea: Iuſtitiam conſeruare pertinet ad iudices, quibus dicitur Sap. 1. Diligite iuſtitiam, qui iudicatis terram. Non ergo ſpectat ſolum ad Papam.

3 Præterea: Idem eſt rei conditor, & conſeruator ſecundum Damaſcenum 2. de fid. Orth. c. 29 Sed Iuriſconſultus dicit, q̃ omne ius, aut conſenſus populi fecit, ſicut ius ciuile: aut neceſſitas conſtituit, ſicut ius gentium, aut conſuetudo firmauit, ſicut ius naturale.

IN CONTRARIVM eſt, quia Papa dicitur ſponſus Eccleſiæ: ſed iſta deſponſatio conſiſtit principaliter in tribus. Primo, in fidei firmitate. Secũdo, in iuſtitiæ æquitate. Et tertio, in miſericordiæ pietate. Iuxta illud Oſeæ 2. Sponſabo te mihi in fide iuſtitia, & miſericordia.

RESOLVTIO.

Papa ſolus minus eſt, oẽs in ſuo iure conſeruare. eſt enim in Terra Vicarius Dei, in quo ſolo eſt perſonarum acceptionis carentia, in quo ſolo eſt permanentia, virtutis efficacia, & iuris omnis notitia.

A RESPONDEO, dicendum, q̃ ad conſeruationẽ iuſtitiæ quatuor principaliter requiruntur. Primũ, acceptionis perſonarũ carentia. faciliter enim in iudicio delinquitur, ſi in cauſa reſpicitur homo, & non Deus. Secundum eſt fixio, & permanentia, vt nõ circumferatur homo omni vento doctrinæ. Tertium eſt virtutis efficacia. nullus nãque debet quærere fieri iudex, niſi valeat virtute irrumpere iniquitates, vt ſcribitur Eccle. 7. Quartum eſt iuris notitia: quia vnuſquiſque bene iudicat de his, quæ nouit, & eorum eſt bonus index. Vt dicitur 1. Ethic. Iſta aũt quatuor eſſentialiter, & ſupereminenter non reperiuntur niſi in Deo, in quo eſt. Primo perſonarũ acceptionis carentia. Iuxta illud 1. Petri 1. Patrem inuocate eum, qui ſine perſonarũ acceptione iudicat ſecundũ opus vniuſcuiuſq;. Secundo; fixio, & permanentia: quia omnis intelligentiæ fixio, & permanentia eſt per bonitatem puram, quæ eſt prima cauſa, vt dicitur 9. propoſitione de cauſis. Tertio, virtutis efficacia, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, vt ſcribitur Sap. 8. Quarto, omnis iuris notitia. ipſe. n. nouit decipientem, & eum, qui decipitur. quia omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius, vt dicitur ad Hebræ. 4. Vicarius autem Dei in terra eſt ipſe Papa. Vnde propter iſta quatuor ſolum ad eum pertinet vnumquemq; in ſuo iure conſeruare. Ariſtot. 1. Eth. c. 3. B C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Imperator, vel Reges ſunt conſeruatores iuris miniſterialiter: ſed principaliter, & auctoritatiuè ſolum eſt ipſe Papa, ad cuius mandatum ipſi tenentur parere, & auxilium impendere. Sicut enim ad præceptum Dei omnis creatura armabitur contra inſenſatos Sap. 5. Sic omnis homo tenetur parere Papæ, ad repellendã iniuriam pro conſeruatione iuſtitiæ.

D AD ſecundum eſt dicendum, quòd iudices ſunt defenſores iuris, quantum ad executionem, non quãtum ad legis iuriſdictionẽ. Vnde Papa quidẽ propriè iuriſconditor, ipſe debet eſſe iuriſcõſeruator: quia (vt dictũ eſt per Damaſ.) idẽ eſt rei factor, & cõſeruator.

AD tertium eſt dicendum, q̃ ſicut dicit Auguſt. Omne verum eſt ab illo, qui dicit: Ego ſum veritas. Ioan. 14. Sic omnis iuſtitia eſt ab illo, qui dicit: Ego iuſtitias iudicabo. Pſal. 74. Sicut ergo homines poſſunt eſſe cooperatores Dei, in veritatis cognitione: ſic poſſunt eſſe cooperatores Dei, in iuris inuentione: vnus tamẽ fons, à quo omnes riuuli iuris deriuantur: puta ius diuinum, cuius Papa eſt interpres, & Conſeruator.

ARTICVLVS II.

VTR. SOLVM AD PAPAM ſpectet Religioſis, & pauperibus Conſeruatores dare.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſolum ad Papam ſpectet Religioſis, & pauperibus Conſeruatores dare. Religioſi enim ſunt in ſtatu perfectionis, ſed perfectis non conuenit, iniurias illatas ſubterfugere: immo potius patienter ſuſtinere, ſicut dicit glo. ſuper illo verbo 1. Cor. 13. Charitas omnia ſuffert. Non F ergo indigent Conſeruatoribus ad repellendas eorũ iniurias.

2 Præterea: Religioſis dicitur Roma. 12. Non voſmetipſos defendentes, ſed date locum iræ. Scriptum eſt enim: mihi vindictam, & ego retribuam ſolum. ergo diuinam vindictam non humanam debent Religioſi expectare.

3 Præterea 1. Cor. 6. dicit Apoſtolus: Iam quidem omnino delictum eſt in vobis, eo, ꝙ iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Propter repellẽdas ergo iniurias manifeſtas Religioſis non debent Conſeruatores dari.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur extra de offi. & po. iu. dele. † Statuimus, vt Conſeruatores, quos plerumque concedimus, à manifeſtis iniurijs, & violentijs defendere poſſint, quos eis committimus defendendos. G

† In 6. cap. Statuimus.

RESOLVTIO.

Conſeruatores Religioſis, & Pauperibus ab Eccleſia, cui de ſuis filiis maxima eſt cura, iure quidẽ optimo dandi ſunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. in Epiſt. ad plebem Hipponenſem: Nullus homo ſufficiat enarrare, vel comprehendere diaboli captiones, & circumuentiones, ac maliuolas ſuſpiciones, quas ipſe ſuadere tentat per ſua membra, H prout per prauos homines de ſanctis viris, & bonis Religioſis. Conatur enim primo eorum ſanctitatem diffamare, vt quem non poteſt deuorare ſeductũ ad nequitiam, famam ipſius inquinare conetur: vt ſic (ſi fieri poteſt) opprobrijs hominum, & malarum linguarum detractione deficiat: & ſic in fauces eius ruat. Secundo conatur eorum poteſtatem Pharaoni ſubiugare, ſicut fecit de filijs Iſrael, quos ſub poteſtate Pharaonis ſubiugauit. Vnde vox prauorum hominum perſequentium ſanctos viros eſt illa Exo. 1. Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt: venite, ſapienter opprimamus eum. Tertio conatur impedire eorum doctrinæ veritatem: quæ eſt conſolatio, & armatura ſanctorum virorum, in qua frequẽter maliuoli conantur ſanctos viros impedire, ne ex

Epiſt. 137. Tomo 2.

E ipſa ſpeculatione ſcientiæ conſolationem recipiant. Vnde ſuper illo verbo 1. Regum 13. Cauerant enim Philiſtim, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Dicit gloſſa, hoc eſſe exponendum de prohibitione ſtudij litterarum, quod quidem ſtudium quãdoq; hæretici à ſanctis viris conati ſunt ſubtrahere. Sicut fecit † Iulianus apoſtata, vt Eccleſiaſtica teſtatᷣ hiſtoria. Quarto conatur eorum vtilem ſocietatem cum Chriſtiano populo diſperdere, ne ex hoc poſſint in Eccleſia Chriſti aliquem fructum facere. Iuxta illud, quod ſcribitur Heſter 13. Volunt nos inimici noſtri perdere, & tuam hæreditatem delere. De iſtis quatuor per ordinem loquitur Propheta in Pſalmo, quando dicit: Ecce enim inimici tui ſonuerunt: quãtum ad Sanctorum diffamationem. Et qui oderunt F te, extulerunt caput, quantum ad eorum ſubiugationem. Super populum tuum malignauerunt conſiliũ, & cogitauerunt aduerſus ſanctos tuos, quantum ad eorum ſtudij, & doctrinæ doloſam ſubtractionem. Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente, & nõ memoretur nomen Iſrael vltra, quantum ad eorum, ne in populo Chriſtiano fructum faciant, diſperſionem. Conuenit ergo, vt ſancta mater Eccleſia, cui de ſuis filijs maxima cura eſt, ne praui homines mẽbra diaboli, Religioſos, & alios Chriſti pauperes perſequantur, & in operibus fructuoſis impediant eos, protegere, & ad eorum protectionem Conſeruatores dare.

† Nicephorus lib. 10. Eccleſ. hiſtoriæ, cap. 51. & Theodoricus lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 7.

Pſal. 82.

Ad Argumenta.

G Ad Primvm ergò eſt dicendum, quòd non cõuenit Religioſis, & alijs perfectis viris iniurias ſemper portare in operatione, ſed ſolum in animi præparatione. Nullus enim Religioſus ad perfectionẽ Pauli attingere poteſt, qui raptus fuit ad tertiũ cœlum, & tamen aduerſus iniurioſos Romanum ciuem ſe eſſe teſtatus eſt, & armatos in ſuo comitatu ad eius defenſionem venire permiſit.

1. Cor. 12. Act. 23.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Religioſi non debẽt ſe defendere propria vltione, & liuoroſa vindicatione. Sed iuſtitiæ obſeruatione, & ſuperioris defenſione licitũ eſt Religioſis eis illatas iniurias repellere.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Apoſt. loquitur de iudicio litigioſo, in quo litigare non poteſt eſſe ſine ſcandalo audiẽtium. vnde prohibetur Religioſis, H & alijs Eccleſiaſticis viris. Sed ex hoc magis concluditur, eos Conſeruatoribus indigere.

ARTICVLVS III.

VTRVM CONSERVATORES dati per Papam poſſint eſſe alij, quàm Eccleſiarum Prælati.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Conſeruatores dati per Papam poſſint eſſe alij, quàm Eccleſiarum Prælati. Conſeruatores enim debent habere virtutem cogentẽ. ſed hanc magis

magis habent ſæculares Principes, quibus licitum eſt A arma deferre, quàm Eccleſiarum Prælati, & Eccleſiaſticæ perſonæ.

2 Præterea: Contingit quandoque Eccleſiaſticas perſonas ad inuicem ſe mutuo indigere in cōſeruatione. Ergo vnus Prǣlatus, vel Abbas poterit dari in conſeruatorem alteri.

3 Prǣterea: Quandoque Canonicus datur in conſeruatorem iuris, & Priuilegij alicuius Prælati, qui habet iuriſdictionem ſuper eum, & ſic vnus poterit exercere iuriſdictionem ſuper alterum.

† cap. 2. de offi. iud delegat. lib 6. adde c. vult. eod. tit.

In Contrarium eſt, quod Alexander 4. ordinauit in quadam decre. † vbi dicit, ꝙ nullus Conſeruator exiſtat niſi Epiſcopus, vel Abbas, vel Canonici cathedralium Eccleſiarum, maxime ſi dignitatem, & perſonatum habent in illis. B

RESOLVTIO.

Conſeruatores dati per Papam non niſi Eccleſiarū Prǣlati eſſe debent. Eos enim ad Papam immediatam ſubiectionem habere neceſſe eſt, iuris executionem, & ordinariam iuriſdictionem.

Respondeo, dicendum, ꝙ ad Conſeruatores datos per Papam tria requiruntur de congruo. Primo, vt ad iuriſconditorem puta ad Papam, habeāt immediatam ſubiectionem. ſic enim ordinata eſt Eccleſiaſtica hierarchia, vt cuncta à ſummo deueniant ad inferiores per media. Vnde dicit Aug. 1. de Doctr. christiana: Homo nolens diſcere, vel defendi ab homine, ſed immediatè à Deo, vel ab Angelo incurrit. C primo Dei tentationem. quia tentare Deū, eſt, cum adeſt auxilium humanum quærere diuinum, vel angelicum. Secundo incurrit humanǣ naturæ abiectionem. poſſet enim Deus homines per Angelos conſeruare, & inſtruere. ſed abiecta eſſet (vt ait) humana conditio, nec eſſet verum, quod Apoſtolus dicit 1. Cor. 3. Templum Dei ſanctum eſt, quod vos eſtis. ex quo de humano templo Deus defenſionem, & reſpōſionem non daret hominibus. Tertio incurrit charitatis priuationem. quia tunc (vt dicit) charitas, quæ ſibi inuicem homines modo vnitatis aſtringit: non haberet aditum refundendorum, & quaſi miſcendorum ſibimet animorum, ſi homines per homines nihil agerent. Secundo requiritur iuris executio. quāuis enim Papa ſit omnis iuris poſitiui conditor. non D tamen decet, vt ſit omnis iuris executor. ſed aliqua iura exequuntur, mediantibus Laicis, aliqua vero mediantibus Clericis, ſecundum diuerſitatem ſtatus, & conditionis perſonarū. Tertio requiritur ordinaria iuriſdictio. conuenit enim, vt iuris alterius Conſeruator iuriſdictionem ordinariam actu exerceat. quia experientia facit artem: inexperientia vero caſum. Iſta autem tria habent Eccleſiarum Prælati, & aliæ perſonǣ eccleſiaſticæ dignitatem habentes. Quia primo habent ad Papam immediatam ſubiectionem. Secundo iuris executionem. Et tertio ordinariam executionem. poſſet tamen Papa quoſcumque ordinare conſeruatores ſui iuris.

In prologo Tomo 3.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ quandoque Cōſeruatores dantur contra raptores, & prædones, & ad hoc maiorem idoneitatem habent Principes ſǣculares, quàm clerici. Quandoque vero dantur contra eos, qui Priuilegia à Sede Apoſtolica indulta infringunt, & generaliter vt illos defendant ab omnibus iniurijs, & offenſis. & ad hoc maiorē idoneitatem habent Clerici, quàm Laici: vel eſt dicendum, ꝙ cum Clerici ponuntur Conſeruatores; ſi per ſeipſos non poſſent eis commiſſos à manifeſtis iniurijs defendere, brachium ſæculare ſuper hoc poſſent inuocare, & eos per ſententiam excommunicationis compellere ad præbendum auxilium. Vnde ſcribitur extra de offi. ord. cap. 1. Cum opus fuerit, publicum cōuocent auxilium non ad præiudicandum, ſed potius ad ea, quæ Deo ſunt placita perſequendum.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut ſcribitur in illa decretali Alexandri, diuerſi ſibi mutuo nō poſſunt eſſe Conſeruatores ſatis conuenienter. Quia ſecundum Philoſophum amantibus, & odientibus non eadem apparent. peruertitur enim quandoque iuſtitia ex mutuo amore, vel fauore, ſicut ex mutuo odio, vel rancore.

Ad tertium eſt dicendum, quòd in illa decretali extitit ordinatum, vt nulla perſona ſǣcularis, vel Eccleſiaſtica Conſeruatorem habeat, qui exiſtat ſub ſua iuriſdictione, vel ſub ſuo dominio, & diſtrictu Eccleſiaſtico, vel temporali.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CONSERVATORES dati per Papam, habeāt iuriſdictionem aliam, quàm ſuper manifeſtis iniurijs.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Conſeruatores dati per Papam habeant iuriſdictionem aliam, quàm ſuper manifeſtis iniurijs. quia iniuria notoria quandoque negatur per malefactorem. Conſeruatores ergo de hoc non poſſent cognoſcere, ſi iudicialem indaginē ſubterfugit iuriſdictio ipſorum, vt decretalis ponit.

2 Præterea: Quādoque ille, qui iniuriam irrogat, & maleficium committit, confitetur ſe feciſſe. ſed dicit non eſſe notorium. Conſeruatores ergo non poſſent agere contra eum, ex quo non poſſunt cognoſcere de cauſa.

3 Præterea: Quandoque maleficium eſt notoriū, ſed malefactor dicit hoc feciſſe vtendo iure ſuo, & in defenſionem ſui iuris. In tali ergo notorio Conſeruatores non poterunt procedere.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de off. iud. de leg. † ad illa, quæ iudicialem indaginē exigunt ſuā non poſſunt extendere iuriſdictionē.

† c. ſtatuim lib. 7.

RESOLVTIO.

Conſeruatores dati per Papam non niſi in notorijs iniurijs iuriſdictionem habent.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Damaſc. 1. libro: Cauſa eſt, ad cuius eſſe ſequitur aliud. Cuicunque ergo per Papam committitur aliqua cauſa, de iure intelliguntur ſibi eſſe cómiſſa omnia alia, quæ ſequuntur ad diſcuſſionem, & executionem illius cauſæ. Planum eſt autem, ꝙ Conſeruatores nó poſſunt aliquos punire de manifeſtis iniurijs, niſi
F illos citarent, & citatos, ſi contumaces eſſent, eos condemnarent in expenſis: & dato, ꝙ maleficium eſſet notorium alijs, ſed non ipſis Conſeruatoribus, neceſſarium eſſet, ꝙ ſuper hoc requirerét probationes, & compellerent ſuper hoc teſtes ad eorum informationem, quibus partes intereſſe debent. Similiter qualiter excommunicare poſſent ſine cauſę cognitione, cum fieri non poſſit excommunicatio ſine contumacia, & culpa rationabili; & contumaciæ probatio
† Intellect⁹ c. Statum⁹. de offic. de leg. lib. 6.
requirat indaginem, & cognitionem cauſæ, & ordiné iudiciarium, aliter iniuſtè fertur. Intelligitur † ergo textus illius decre. ꝙ Conſeruatores non habeant iu-
E dicialem indaginem, vel cognitionem cauſarum, niſi in notorijs, & manifeſtis iniurijs, à quibus tenétur defendere, quos Papa eis committit. In illis tamen ordinem iudiciarium ſeruare debent, & plenam iuriſdictionem habent.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicendum, ꝙ cum iniuria notoria negatur, Conſeruatores poſſunt eum cogere, aliàs inutile eſſet eorum officium.

F AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi malefactor nó confitetur maleficium eſſe notorium, & confitetur ſe feciſſe euidentia facti, notorium eſt per confeſſionem ſuam. Multis enim modis aliquid dicitur eſſe notorium. Primo malefactoris confeſſione. Secundo teſtium probatione. Tertio rei euidentia, quando nulla poſſunt tergiuerſatione cęlari.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ nulli facit iniuriá, qui vtitur iure ſuo. vnde ſi maleficium committens dicit ſe fuiſſe vſum iure ſuo, & offert ſe probaturũ, Conſeruatores vtriuſque probationes admittent. Quia aliter non poſſent explere iuriſdictionem eis commiſſam.

Finis Secundæ Conſiderationis de Poteſtate Papæ per comparationem ad actum.

SVMMAE AVGVSTINI TRIVMPHI ANCONITANI

PARS TERTIA

De Poteſtate Papæ, vt comparatur ad ſtatum, quem per talem potentiam homo conſequitur.

POST hæc conſiderandum eſt de ſtatus primitate, vel perfectione, quam homo ex poteſtate Eccleſiaſtica conſequitur: & quia omnis ſtatus perfectio à Chriſti capite ſumpſit originem; Ideo quadruplex conſideratio de ſtatus perfectione occurrit. Primo, qualiter in Chriſto fuit exemplariter demonſtrata. Secundo, vt fuit in eius Apoſtolos deriuata. Tertio, vt fuit in primitiua Eccleſia obſeruata. Quarto, vt nunc in Chriſti fidelibus eſt repræſentata.

Qualiter autem omnis ſtatus perfectio in Chriſto eſt exemplariter demonſtrata, conſideranda ſunt octo. Primo, de Chriſti ſtatus primitate. Secundo, de eius charitate. Tertio, de eius paupertate. Quarto, de eius proprietate. Quinto, de eius vitæ communitate. Sexto, de eius carnalitate. Septimo, de eius obedientia. Octauo, de eius continentia.

QVAEST. LXXVI. DE STATVS PERFECTIONE.

CIRCA primum quæruntur Quatuor. A

Primo, Vtrum omnis ſtatus perfectio à Chriſto ſit effectiuè inchoata.

Secundo, Vtrum ſtatus perfectio inchoata à Chriſto præferenda ſit perfectioni Patrũ veteris teſtamenti.

Tertio, Vtrum omnis ſtatus perfectio in Chriſto ſit demonſtrata exemplo.

Quarto, Vtrum omnis ſtatus perfectio in Chriſto ſit demonſtrata verbo, & doctrina. B

ARTICVLVS I.

VTRVM OMNIS STATVS perfectio à Chriſto ſit effectiuè inchoata.

AD PRIMVM ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ omnis ſtatus perfectio à Chriſto non ſit effectiuè inchoata. Sacramẽtum enim matrimonij ponit hominẽ in aliquo ſtatu, cum ibi ſit perpetua obligatio viri, & vxoris iuxta illud 1. Corin. 7. Vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed vxor. Sed matrimonium fuit ante aduentum Chriſti. Non ergo omnis ſtatus perfectio à Chriſto eſt effectiuè inchoata.

2 Præterea: Status Prælatorum eſt perfectus, ſed multi fuerunt Prælati ante aduentum Chriſti, ſicut Moyſes & Aaron, & alij Principes Sacerdotum.

3 Præ-

3 Præterea: Perfectio ſtatus habetur per dona gratiarum, iuxta illud Iaco. 1. Omne datum optimum, & omne doou̅m perfectum, deſurſum eſt. Sed multa gratiarum dona ante Chriſti aduentum fuerunt humano generi collata.

E IN CONTRARIVM eſt Apoſtolus Colloſ. 1. Vt exhibeamus omnem homioem perfectum in Chriſto Ieſu. ſuper quo verbo dicit gloſſa, ꝙ omnis perfectio ſtatus eſt à Chriſto Ieſu, non à lege.

RESOLVTIO.

Perfectio cuiuslibet ſtatus effectiuè fuit inchoata à Chriſto, qui omnem ſtatum rectificauit, aut ſpecificauit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ non intendimus hic loqui de ſtatu ſecundum etymologiam nominis, nec ſecundum, ꝙ ex diuerſis ætatibus eſt narratus: nec prout ex humana conditione, vel terrena poteſtate per proſpera, & aduerſa interdũ variatur, ſed magis ſecundum, ꝙ ex poteſtate Eccleſiaſtica, vel ex aliquo Sacramento in vita ſpirituali homo conſtituitur, & ad cultum Dei ordinatur. Perfectũ namq. propriè dicitur illud, quod poteſt attingere propriæ virtuti, & proprio fini, vt dicitur 7. Phyſicorum. Finem autem noſtræ beatitudinis non attingimus niſi per Chriſtum. Iuxta illud ad Hebræ. 10. Habentes itaque fratres fiduciam in introitum Sanctorum in ſanguine Chriſti. Poſſumus ergo dicere, quòd in vita ſpirituali aliquis acquirit ſtatum cum perpetua obligatione: & iſte eſt ſtatus coniugatorum. Aliquis vero acquirit ſtatum cum diuini cultus adminiſtratione, & iſte eſt ſtatus clericorum. Aliquis aũt ſtatum acquirit cũ operum perfectione & ſupererogatione, & iſte eſt ſtatus Religioſorum. Sed aliquis acquirit ſtatum cum animarum perpetua inſtructione, & iſte eſt ſtatus Prælatorum. Statum ergo coniugatorum Chriſtus rectificauit, Matth. 5 Quando dixit: dictũ eſt: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij. Ego autem dico vobis, ꝙ omnis, qui dimiſerit vxorem ſuam, facit eam mœchari. Statũ vero clericorum cõpleuit Chriſtus, & terminauit Matth. 5. quando ait: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus, quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum. Super quo verbo dicit gloſſa, ꝙ diſcipulos ſuos Chriſtus oſtẽdit eſſe perfectiores Magiſtris veteris legis; quia illorum iuſtitia erat figurata: iſtorum vero erat completa, & terminata. Illorum ſimiliter iuſtitia erat ſolum in verbo, & in exhortatione: Iſtorum autem debebat eſſe in verbo, & in opere. Statum autem Religioſorum Chriſtus ſpecificauit Matth. 19. Vbi adoleſcenti quærenti quid ſibi deeſſet in vita ſpirituali, reſpondit: Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Sed ſtatum Prælatorum charitatis trina confeſſione Chriſtus firmauit. Vnde ſuper illo verbo Ioan. vltimo: Simon Ioannis amas me? paſce oues meas. dicit gloſſa, ꝙ trinæ negationi trina confeſſio redditur, ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori. & ideo tertio interrogat, & tertio iniungit ſibi ouium curam, oſtendens per hoc quantum ipſe appretiatur Prælationem ouium. quoniam hoc eſt maximè eius amoris ſignum. Omnis ergo ſtatus perfectio, & rectificatio à Chriſto eſt effectiuè inchoata.

Ariſt. 7. Phyſic. tex. com. 38.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ matrimonium ſecundum quod habet ſpiritualem perfectionem annexam, conſequitur ex eo, ꝙ eſt Sacramẽtum Eccleſiæ. tale autem Sacramentum completũ eſt in Chriſti incarnatione: quia tũc Chriſtus humanitatem ſibi copulando nuptiæ celebratæ ſunt inter eũ & Eccleſiam, vt dicit Aug. in libro de Symbolo Vnde non ſolum ſtatum matrimonij Chriſtus perfecit

F rectificandò, verum etiam ſacramentaliter implendo.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſtatus Prælatorum præcedentium Chriſti aduẽtum magis fuit firmatus timore, quàm amore. quod patet de principibus Sacerdotum in Chriſti aduentu, qui ſibijpſis conſulebant, ne Romani venirent, & tollerent locum eorum, & gentem. Sed ſtatus Prælatorum, quos Chriſtus inſtituit, firmauit amore, non timore. vnde dicit Auguſt. cap. vlt. Ioannis: Sic ſit amoris officium paſcere Dominicum gregem; ſicut fuit timoris indicium negare Paſtorem. Tract. 123. in Ioan. in cap. vlti. Tomo 9.

AD tertium eſt dicendum, quòd donis gratiarũ perfectio ſtatus acquiritur formaliter, effectiuè tamẽ in fide Chriſti ante eius aduentum, & poſt eius aduẽtum dona gratiarum ab ipſo deriuata ſunt. quia ſicut

G Lex per Moyſen data eſt, ſic gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Ioannis 1.

ARTICVLVS II.

VTR. STATVS PERFECTIO inchoata à Chriſto ſit præferenda perfectioni Patrum veteris teſtamenti.

H AD ſecundũ ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſtatus perfectio inchoata à Chriſto non ſit præferẽda perfectioni Patrum veteris teſtamenti. Scribitur enim Gen. 6. Noe vir iuſtus, atque perfectus fuit in generationibus ſuis, cum Deo ambulauit, ſequens veſtigia eius, vt dicit gloſſa. Sed in hoc conſiſtit perfectio inchoata à Chriſto, in ſequendo veſtigia eius, iuxta illud 1. Petri 2. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplũ, vt ſequamini veſtigia eius.

2 Præterea: Scriptum eſt Gen. 17. de Abraam: Ambula coram me, & eſto perfectus, vt non timore, ſed amore ſeruias mihi, vt gloſa exponit: ſed perfectio inchoata à Chriſto præciſè in amore conſiſtit. Non ergo iſta perfectio præferenda eſt illi.

3 Præterea: Scribitur 4. Regum 20. in perſona Ezechiæ obſecro Domine memento q̃ſo quomodo

do ambulauerim coram te in veritate, & in corde A perfecto, & quod placitum eſt coram te fecerim.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur de ſtatu illorum ad Hebræ. 9. Munera, & hoſtiæ offeruntur, quę non poſſunt iuxta conſcientiam perfectū facere ſeruientem. Et de ſtatus perfectione inchoata per Chriſtum ſcribitur ad Hebræ. 12. Acceſſiſtis ad montem Sion, ad ciuitatem Dei viuentis Hieruſalē, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cęlis, & iudicem omnium Dominum, & ſpiritum iuſtorum perfectorum.

RESOLVTIO.

Perfectio ſtatus à Chriſto inchoata perfectioni Patrum veteris teſtamenti eſt pręferenda, quantum B ad ſtatum, ſicut amor timori, & figuratum figura præferuntur. Sed ſi vtriuſque ſtatus Perſonarum perfectio conſideretur; ſe habent vt excedentia, & exceſſa.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſi comparatur perfectio ſtatus poſt aduentum Chriſti ad perfectionem ſtatus præcedentium eius aduentum, planum eſt, quòd iſta perfectio pręferenda eſt illi. Cuius
Tomo 1. rationem Aug. aſſignat in libro de moribus Eccleſiæ cap. 28. vbi ait, ꝙ in duobus teſtamentis, vetere, & nouo nobis Deus diſciplinæ regulam dedit; vt timore, & amore ſibi ſeruiatur. quia timore perficitur coertio. amore vero perficitur inſtructio. Quamquam tamen (vt ait) vtrumque in vtroque ſit præceptum; præualet tamen in veteri lege timor: in noua vero C præualet amor, quem libertatem, & timorem ſerui-
Rom. 8. tutem Apoſtolus nominat, quando dicit: Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timore, ſed ſpiritum libertatis filiorum, in quo clamamus: Abba pater. Quanto ergo amor præfertur timori, tantum perfectio iſtius ſtatus pręfertur illi. Eſt autem alia ratio, quare perfectio iſtius ſtatus illi præferēda eſt, quam Apoſtolus aſſignat 1. Cor. 10. quia illis contingebāt omnia in figura. nos autem reſpectu illorum, reuelata facie gloriam Domini contemplamur. Sed ſi comparetur perfectio perſonæ iſtius ſtatus ad perfectionem perſonæ ſtatus illius, habent ſe tunc, ſicut excedentia, & exceſſa. quia quædam perſonæ iſtius ſtatus in perfectione præferendæ ſunt illis. & quædam illius ſtatus in perfectione præferendæ ſunt iſtis. D

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, ꝙ Noe fuit uir iuſtus, & perfectus ſecundum conditionem illius ſtatus. Vnde dicit gloſa ibi notabiliter eſſe dictum: in generationibus ſuis, quaſi non cōſummatæ, & impletæ iuſtitiæ, ſed ſecundum generationem ſuam.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd perfectio Abraæ præferenda eſt perfectioni iſtius ſtatus, nō ratione ſtatus, ſed ratione charitatis, quæ eſt vinculum
Tomo 6. perfectionis. Dicit enim Auguſt. De bono coniugali c. 21. quòd ſicut non fuit impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt; & in Ioanne, qui paſſus non eſt; ſic non fuit impar meritum in ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias: & in Abraam, qui filios genera- A uit. verum namque eſt, quòd melior eſt caſtitas cælibum, quàm caſtitas nuptiarum: Sed Abraam vnam habebat in vſu: ambas vero in habitu.

Ad tertium eſt dicendum, quod illa perfectio Ezechię non erat ex ſui ſtatus operatione, ſed ex pœnitentiæ impetratione, quod ſequens littera manifeſtat. Dicitur enim ſibi: Audiui orationem tuam, & vidi lacrimam tuam, & ecce ſanaui te, die tertio aſcendens in templum Domini, & addam diebus tuis quindecim annos, puta ad pœnitendum.

ARTICVLVS III.

VTRVM OMNIS STATVS perfectio exemplo demonſtrata fuerit in Chriſto.

Faciunt tradita per beatum Thomam par. 3. q. 40.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, qd omnis ſtatus perfectio in Chriſto non fuit demonſtrata exemplo. Non enim pertinet ad perfectionem cum peccatoribus cōuerſari: ſed magis eos reprehendere, & ad eos indignationem habere. In perſona enim perfectorum dicit
Pſal. 100. Propheta: Detrahentem ſecreto proximo ſuo hunc perſequebar, ſuperbo oculo, & inſatiabili corde cum C hoc non edebam. Sed Chriſtus cum peccatoribus manducabat, & bibebat Lucæ 15. de quo plerumque Phariſæi ſcandalizati ſunt Matth. 9. Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter? Non ergo omnis ſtatus perfectio in Chriſto exemplo Chriſti eſt demonſtrata.

2 Præterea: Perfectionē quis debet exemplo monſtrare non ſolum in ſe, ſed in illis, quorum curam habet. Sed Chriſtus non monſtrauit perfectionem Diſcipulorum, quorum curam habebat. Dicitur enim Matth. 9. quod diſcipuli Ioannis dixerunt Chriſto: Quare nos, & Phariſæi ieiunamus frequenter: Diſcipuli autem tui non ieiunant? Non ergo monſtratum eſt in Chriſto exemplum omnis ſtatus perfectionis.

3 Præterea: Maximum exemplum perfectionis D eſt patientiæ opus, iuxta illud Iacobi 1. Patiētia enim opus perfectū habet. Sed Chriſtus nullam patientiā cum Principibus Sacerdotū ſeruauit. quinimmo frequenter eis mala imprecabatur Matthęi 23. Væ vobis Scribę, & Phariſęi hypocritæ. Non ergo in eo fuit omnis perfectionis ſtatus exemplum monſtratum.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur Ioann. 13. Exemplū enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

RESOLVTIO.

Perfectio omnis ſtatus exemplo fuit à Chriſto demonſtrata. tota enim uita eius morum diſciplina fuit.

RESPONDEO, dicendum, quòd duæ ſunt partes pfectæ iuſtitię. Vna eſt declinare à malis, quæ

ſunt

ſunt prohibita per mandata, & diſſuaſa per conſilia. Alia eſt facere bona, quæ ſunt præcepta per mādata, & perſuaſa per conſilia, iuxta illud pſal. 30. Declina à malo, & fac bonum. Vtramque autem perfectionis partem Chriſtus in carne aſſumpta exemplo demonſtrauit. fugit enim, & contempſit omnia, quę ex amore male inflammante homines pernitioſe appetunt. Suſcepit autem, & ſuſtinuit omnia, quæ ex timore male humiliante homines damnabiliter accuſant. &

Tomo 1. iſta eſt deductio Augu. in libro de vera Religione c. 16. vbi dicit, quòd quia ſatellites voluptatum diuitias populi pernicioſe appetebant, Chriſtus pauper

* al. diuitiis. eſſe voluit. honoribus, & * imperijs inhiabant, rex fieri noluit. carnales filios magnum bonum putabant. carnale coniugium, prolemque contempſit, & hoc quantum ad bona, quæ ipſe vitauit. Contumelias ſu-

F

perbiſſime homines horrebant: omne genus contumeliarum ipſe ſuſtinuit. Dolores corporis execrabantur: Flagellatus eſt, atque cruciatus. Mori metuebant, atque ignominioſiſſimum mortis genus Crucem putabant. Ipſe autem crucifixus eſt, & hoc quantum ad mala, quæ ipſe ſuſtinuit. Tota itaque vita Chriſti in terris per hominem, quem ſuſcipere dignatus eſt, nobis exemplariter morum diſciplina fuit. nec aliquod peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur quę ille contempſit, & fugiuntur quæ ipſe ſuſtinuit, ſicut ibi concludit Auguſt.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, quòd ſicut Gregorius dicit Hom. 34. in Euan. Vera iuſtitia com-

G

paſſionē habet, falſa vero dedignationem, quamuis, & iuſti ſoleāt rectè peccatoribus indignari: Sed aliud eſt, quod agitur typo ſuperbiæ: & aliud, quod zelo diſciplinæ. Chriſtus autem venerat tamquam medicus languores animarum, & corporum curaturus. medicus autem, qui non fuerit cum infirmis infirmatus curare neſcit, ſicut dicit glo. ſuper illo verbo ad Hebræ. 4. Non habemus Pontificem, qui non poſſit cōpati infirmitatibus noſtris. Vnde in hoc maxima eius perfectio eſt oſtenſa, quòd quia cum peccatoribus eſt conuerſatus, peccatores iuſtificauit.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Cryſoſt. ſuper Matthæ. c. 9. Ioannes, & ſui diſcipuli ieiunabant. quia abſtinentia meritum auget, quibus nulla eſt potentia naturę. ſed Chriſtus, qui peccata pote-

H

rat condonare, cur Diſcipulos eius ad ieiunandum cogeret, quos abſtinentibus poterat facere, iuſtiores, & fortiores?

Ad tertium eſt dicendum, quòd patientia eſt habenda importando iniurias nobis perſonaliter illatas: ſed offenſas commiſſas in Deum, vel in proximū ſtatim zelo iuſtitię vindicare debemus, nec vſq; ad auditum ſuſtinere. Vnde dicit Grego. & ponitur 23. q. 4. cap. Inter querelas. quòd peccata, quæ in Deum, vel in proximum committuntur à nobis, punienda ſunt. Illa vero, quibus in nobis delinquitur, patienter toleranda, vel potius ſunt diſſimulanda. Principes autem Sacerdotum tranſgreſſores diuinæ iuſtitiæ erant. Vnde iuſtè Chriſtus imprecabatur eis mala, fecit enim hoc Elias, qui ad vindicandam

E

diuinam iniuriam per ignem de cælo impetratum, duos quinquagenarios interfecit, vt ſcribitur 4. Regum 1. capite.

ARTICVLVS IIII.

VTR. OMNIS STATUS perfectio in Chriſto fuerit demonſtrata verbo, & doctrina.

S. Thomas par. 3. q. 42. per totam quæſtionem.

AD quartū ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ omnis ſtatus perfectio in Chriſto non ſit demonſtrata verbo, & doctrina. Nam perfectionis opus eſt ſacrificiū Deo offerre, cum hoc pertineat ad cultum latriæ. ſed ipſe ſacrificium docuit non eſſe acceptandum, iuxta illud Matthæi 9. Euntes autem diſcite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

2 Præterea: Mandatum differt à conſilio, Chriſtus autem docuit ſolum obſeruari mandata. iuxta illud Matth. vltimo: Euntes docete omnes gentes, docentes eos ſeruare omnia, quæcumque mandaui vobis. Cum ergo ſtatus perfectio conſiſtat in ſupererogatione conſiliorum, videtur, quòd Chriſtus ſtatus perfectionem non docuit verbo.

3 Præterea: Perfectio conſiſtit in vita ſolitaria, & contemplatiua. quia ſedendo, & quieſcendo fit anima ſciens, & prudens, vt dicitur 7. Phyſicorum. ſed Chriſtus non elegit ſolitariam vitam ad docendum, ſed publicam hominum conuerſationem. Non ergo verbo eſt omnis ſtatus perfectio in Chriſto demonſtrata.

Ari 7. Phyſ. t. com. 20.

In Contrarium † eſt. quia Chriſtus incœpit facere, & docere. Act. 1. ſed omnis ſtatus perfectio in Chriſto fuit demōſtrata in opere exemplariter, vt ſupra dictum eſt. Ergo ſimiliter doctrina vocaliter, & verbaliter.

† cap. Enit, qui ſemina. 5. porro de verb. ſign. lib. 6.

RESOLVTIO.

Perfectio omnis ſtatus in Chriſto, verbo, & doctrina fuit demonſtrata, cum ipſe docuerit cupiditatis, & auaritię, carnalis concupiſcentiæ. & ſuperbię deteſtationem, & remotionem. in quibus principaliter ſtatus perfectio conſiſtit.

Respondeo, dicendum, quòd ſtatus perfectio conſiſtit Principaliter in tribus. Primo in remotione cupiditatis auaritię, quātum ad votum paupertatis. Secundo in remotione carnalis concupiſcentię, quantum ad uotum caſtitatis. Tertio, in remotione elationis ſuperbiæ, quantum ad votum obedientiæ, & humilitatis. Iſta autem tria Chriſtus verbo docuit. & in eis perfectionem, & fœlicitatis viam eſſe oſtendit Matth. 5. In primordio enim ſuę prędicationis ſtatim paupertatem præ cæteris commendauit

A dauit dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. & quòd in paupertate ſummam perfectionem eſſe monſtraret, ſuo Præcurſori nunciauit Matth. 11. Euntes renunciate Ioanni, quæ vidiſtis, & audiſtis. ſurdi audiunt. mortui reſurgunt. pauperes euangelizantur. ſuper quo verbo dicit gloſſa, quòd pauperes euangelizare non minus eſt præmiſſis; puta mortuos ſuſcitare, vel cæcos illuminare. Caſtitatem vero verbo commendauit Matthæi 19. vbi cum diſcipuli dixiſſent ſibi: Si ita eſt cauſa homini cum vxore: non expedit nubere; Reſpondit: non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. ac ſi diceret (vt Hieronymus exponit) vnuſquiſque conſideret vires ſuas, vtrum poſſit virginalia, & pudicitiæ implere præcepta. Nam per ſe caſtitas blanda eſt, & quemlibet ad ſe alliciens. ſed conſiderãdæ ſunt B vires. Quæ poteſt capere capiat. quæ vox Domini eſt hortantis milites ſuos, & ad * præmiũ pudicitiæ cõcitãtis. quaſi dicat: Qui poteſt pugnare pugnet, & ſuperet, ac triumphet. Sed obedientiam, & propriæ voluntatis abnegationem verbo docuit Lucę. 14. quando dixit: Qui non baiulat Crucem ſuam, & ſequitur me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. quod exponens Chryſo. dicit, quòd arduum quippe eſt Crucem Domini tollere. negare quod ſis, cum velis eſſe quod nõ ſis. Vnde iſta tria, in quibus conſiſtit ſtatus, perfectio non ſunt ab homine inuenta, ſed Chriſti doctrina commendata, & ſuo verbo prædicata.

In Matt. c. 19.

* al. ad pugnam.

A *Ad Argumenta.*

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd ſicut dicit gloſſa Matt. 9. Chriſtus non deſpexit ſacrificiũ, ſed quia Phariſæi ſacrificia ſine miſericordia faciebant in templo coram populo, vt iuſti apparerent, & non exercebant miſericordię opera in quibus probatur eſſe vera iuſtitia ideo Chriſtus ſignanter dixit: Miſericordiam volo, & non ſacrificium, ſubaudi ſine miſericordia.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Chriſtus perfectionis opera non præcepit, ſed ſuaſit. Sic Apoſtolus præcepit, vt in docendo, mandata præciperent, & opera ſuperogationis ſuaderent. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 7. dicit: De Virginibus præceptum Domini non habeo; B conſilium autem do.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus non elegit vitam contemplatiuam ſolitariam, ſecũdum quã aliquis occupatur circa actus deſeruientes ſuæ quieti, & ſuæ dulcedini tantum. ſed elegit vitam, ſecundum quam aliquis prædicando, & docendo contemplata tradit alijs ad eorum inſtructionem, & ſalutem. Talis enim vita, quamuis ſit aliquo modo actiua, pręeminet tamen ſimplici contemplationi. quia præſupponit abundantiam contemplationis, & dilectionis, & per conſequens maioris perfectionis, & cætera.

QVAEST. LXXVII. DE CHRISTI CHARITATE.

DEINDE *videndum eſt de Chriſti charitate. Circa qđ quærũtur tria. Primo, Vtrum Chriſtus ſolum in charitate poſuerit perfectionis ſtatũ. Secundo, Vtrum perfectum modum diligẽdi Chriſtus poſuerit ſub pręcepto, vel ſub perfectionis conſilio. Tertio, Vtrum ad perfectum modum diligendi Chriſti aliquis perfectionis ſtatus poſſit attingere.*

ARTICVLVS I.

VTRVM CHRISTVS SOLVM in charitate poſuerit perfectionis ſtatũ.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus non ſolum in charitate poſuerit perfectionis ſtatum. quia ſcribitur ſuper illud Lucę 14. Qui nõ renunciat omnibus, quę poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus; dicit gloſſa Bedę, ꝙ differentia eſt inter relinquere omnia, & renunciare. quia cũctorum fidelium eſt renũciare omnibus, puta ſic tenere quæ mundi ſunt, vt tamen, per ea nõ teneantur. Sed relinquere omnia, hoc eſt, curas mundi omnino poſtponere, paucorum, & perfectorum eſt. In abdicatione ergo temporalium conſiſtit ſtatus perfectionis, non in charitate.

2 Præterea: Perfecta charitas eſt in eo, qui non timet. quia, vt dicit Ioannes in canonica ſua, perfecta charitas foras mittit timorem. Sed multi in ſtatu cõiugatorum exiſtentes nõn timent, & habent perfectã D charitatem, & tamen non ſunt in perfectionis ſtatu. Non ergo ſola charitas facit ad ſtatum perfectionis.

1. Ioan. 4.

3 Pręterea: Illud magis facit ad ſtatum perfectionis, quod magis facit ad beatitudinem. Sed cognitio, vel viſio, quæ eſt Domini intellectus, magis facit ad beatitudinẽ, quàm charitas, quę eſt perfectio voluntatis iuxtá illud Matt. 5. Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. ſuper quo verbo dicit Augu. ꝙ viſio & contemplatio veritatis eſt tota merces fidei.

In Pſal. 90. Tomo 8.

IN CONTRARIVM eſt. quia maximæ perfectionis opus eſt martyrium, & abdicatio temporalium. ſed iſta non perficiunt hominem ſine charitate 1. Cor. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meũ ita, vt ardeã, charitate autẽ non habeã, nichil mihi prodeſt.

RESO-

nec in præcepto, nec in couſilin ſibi proponitur, vt ad ipſum mediante modo diligendi viæ perueniatur. Eſt enim diligendus Deus ex toto corde per intentionẽ: Ex tota mẽte, per cognitionem. Ex tota anima per affectionem. Et ex omnibus viribus per executiunem. Talis autem modus diligendi tripliciter ſecundum perfectionem poteſt variari. Primo vt homo ſic ex toto corde, mente, anima, & fortitudine Deum diligat, vt nihil ſibi deſit ad diuinam dilectionem, quod actu, vel habitu iu Deum non referat, tamquam in finem. Et iſte modus perfectus diligẽdi datur bumini in præcepto. ita quod nihil bomn acceptet, quod ſit diuinæ dilectioni contrarium. Secundo, ſic ex tuto corde, mente, anima, & fortitudine Deum diligat, vt etiam abijciat à ſe illa, quibus licite vti poſſet, quatenus liberius Deo vacet, & dilectionis feruorem in ſe ipſo augmentet. Et talis perfectus modus diligendi proponitur humiui in conſilio. Tertio, vt ſic ex tuto corde, mente, & anima, & fortitudine homo Deum diligat, vt quicquid eſt in omuibus prædictis, totum actualiter conuertatur in Deum. Et talis modus diligendi, cum ſit conprehenſorum, & nun viatorum, nõ proponitur bomini ſub præcepto, vel in conſilio per attinctinnem, ſed ſolum per imitatinnem modo, quo dicebat Apoſtolus Phili. 3. nũ quod iam acceperim, aut quod iam perfectus ſim: ſed ſeqoor ſi quo modu comprehendam iu quu, & comprehẽſus ſum à Chriſtu Ieſu: vt ſolum iu ea claritate Chriſtum videam, in qua apparuit mihi in via, quando me comprehendit, vt gloſa exponit.

Deus quomodo diligendus.

B

Ad Argumenta.

C

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod in diligendu Deum (ſicut dictnm eſt) eſt multiplex gradus perfectiunis. poteſt enim eſſe vnus gradus, vt ſic Deus diligatur, quatenus omnia referantur in ipſum actualiter, vel habitualiter, & nihil acceptetur, quod ſit eius dilectinni cõtrarium. Alius gradns eſt, vt abijciantur omnia illa, quæ poſſunt hominem impedire à Dei dilectionis feruore. Et vterque modus diligendi prnpouitur homini in via, ſed vnus in conſilio, & alter in præcepto.

AD ſecundum eſt dicendum, quod teneri ad dilectionem inimicorum, poteſt intelligi dupliciter. Primo ten tiune communi, qua quis diligens proximos, inimicos à tali dilectione non excludat. Et talis modus diligendi inimicos eſt de neceſſitate præcepti. Secundo tentione ſpeciali, qua actualiter meus hominis feratur in dilectionem inimici præter neceſſitatis caſum. Et talis modus diligendi pertinet ad perfectiunem conſilij. Dico autem præter uecceſſitatis caſum: quia iu caſu neceſſitatis homu iu ſpeciali actualiter tenetur inimicum diligere, benefaciendo ſibi ex neceſſitate præcepti, puta ſi fame moreretur, vel iu aliquo alio uecceſſitatis articulo.

D

AD tertium eſt dicendum, quòd anima viuificatur à Deo ſpiritualiter per gratiæ infuſionem, & viuificat corpus vita uaturali per eius informationem. Quantum ergo ad primam vitam uou tenetur homo animam pro fratribus ponere. non enim tenetur

A

homo peccandu vitam animæ, & ſe contemnere, vt proximum ſaluet, Sed quantum ad ſecundam vitam tenetur homo pro fratribus animam ponere: quia plus tenetur diligere ſalutem auimæ proximi, quàm corporalem vitam ſuam, etiam ex præcepro, in uecceſſitatis articulo. Puta ſi quis videret aliquem ab infidelibus ſeduci, teneretur ſe mortis periculu exponere, vt eum à ſeductioue liberaret, ſed extra caſum neceſſitatis pro ſalute proximi animam ponere pertinet ad perfectiuuem cunſilij.

ARTICVLVS III.

VTRVM AD PERFECTVM modum diligendi Chriſti aliquis perfectionis ſtatus poſſit attingere.

B

S. Thomas 2. 2. q. 24. art. 8.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quod ad perfectum modum diligendi Cbriſti aliquis perfectiunis ſtams poſſit attiugere. quia ſtatus perfectionis vltimatus diligendi conſiſtit in hoc, vt anima pro amicis ponatur, ſicut ſcribitur Ioan. 15. Sed multi talem modum diligendi per effectum habuerunt, vt Apoſtoli, & Martyres.

C

2 Præterea: Deus nũ poteſt amplius diligi, quàm ex toto corde. ſed multi ſancti viri ſic Deum diliguut corde plenn, & perfecto.

3 Præterea: Non eſt perfectior modus diligendi Deum, quàm ipſum Deum comprehendere. Sed Apoſtolns per dilectinnem Deum conprehendere nitebamr, iuxta illud Philip. 3. Sequor autem, ſi quomodo comprehendam.

IN CONTRARIVM eſt. quia Chriſtus fuit ſimul viator, & comprehenſor. Sed modus diligendi viatorum numquam poteſt attingere ad modum diligendi comprehenſorum. Ergu ad modum perfectum diligendi Chriſti uullus perfectionis ſtatus poteſt aatiugere.

D

RESOLVTIO.

Chriſti perfectum modum diligendi Deum nemo in hac vita attingere poteſt. ſingularis enim modus ille perfectorum Viatorum fuit.

RESPONDEO, dicendum, quòd triplex eſt perfectus modns diligendi Denm. Vnus eſt diuinorum. Alius eſt beatnrum. Tertius eſt viatorum. Cum enim Deus ſit infinitum bonũ, perfectè diligitur, qñ infinita virtute, & infinita charitate amatur. & quia in nulla creatura eſt virtus infinita, vel charitas infinita: Deo talis perfectus modus diligendi eſt prupriꝰ perſonis diuinis ſolũ, vt vna quęq; perſona tantũ diligat ſe, quantum diligibilis eſt. propter

Dei dilectio diuin.s cõueniens tũtum.

E quod dicit Auguſt. 15. de Trin. cap. 17. Spiritus ſanctus non eſt Patris ſolius: nec Filij ſolius: ſed eſt amborum. ideo communem, qua ſe ad inuicem diligũt, nobis inſinuant charitatem. Modus autem perfectus diligendi beatorum conſiſtit in actuali fruitione diuinitatis, vt totum cor ipſorum actualiter feratur in Deum per intentionem. & mens eorum actualiter ipſum cognoſcat per intuitiuam viſionem. Tota eorum anima diuina dilectione actualiter repleatur per affectionem, & omnes vires eorum in Deum actualiter conuertantur per actualem executionem, vt ratio omnium exteriorum actuum non ſit aliud, quàm Dei dilectio. Sed modus perfectus diligendi viatorum con-

F ſiſtit in abiectione illorum, quæ poſſunt hominem à feruore diuinæ dilectionis impedire, eo modo, quo dicebat Apoſtolus: Quæ retro ſunt, obliuiſcatur, ad ea verò, quæ priora ſunt, ſeipſum extendẽs, currat ad deſtinatum brauium ſupernæ vocationis. Iſte autem triplex modus perfectus diligendi fuit in Chriſto diuinorum, comprehenſorum, & viatorum. Et ad nullum iſtorum modorũ aliquis perfectionis ſtatus poteſt attingere. Non ad modum perfectum diuinorũ: quia nullus poteſt eſſe Deus, ſicut ipſe fuit. Non ad modum perfectum comprehenſorum: quia nullus poteſt eſſe viator ſimul, & comprehenſor, ſicut ipſe fuit. Nec ad modum perfectum viatorũ, quem ipſe

G habuit: quia nulli poteſt dari gratia capitis, & nõ ad menſuram, ſicut ſibi data eſt, vt ſimul ſit caput, & ſingularis homo, ſicut ipſe fuit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, quòd hoc ipſum Martyres, & Apoſtoli non habuerunt ex ſe, ꝙ animam ponerent pro ſalute proximorum, ſed per gratiam Chriſti capitis: de cuius plenitudine omnes receperunt gratiam pro gratia, vt dicitur Ioan. 1. Vnde Auguſtinus exponẽs illud verbum: Protexiſti me domine à conuentu malignantium, dicit in Pſal. 63.

H iam ipſum caput noſtrum intueamur. Nam multi Martyres paſſi ſunt talia, ſed nihil ſic elucet quomodo caput noſtrum, ibi melius intuemur quod illi experti ſunt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ multi diligunt Deũ ex toto corde: per dilectionem tamen deriuatam à Chriſto capite. Vnde in Chriſto fuit modus diligendi perfectus, quia charitatem in tota ſua excellentia habuit: non ſecundum aliquam determinatam menſuram. Sed quilibet alius ex toto corde poteſt diligere Deum ſecundum modum perfectum quantum ad aliquem terminum præfixũ ſibi à Chriſto, Iuxta illud ad Epheſios 4. Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ comprehendere Deum per dilectionem poteſt intelligi dupliciter. Vno modo per ipſius comprehenſi incluſionem, vel terminationem. Et ſic Deus incomprehenſibilis eſt omni creaturæ. Secundo, per ipſius viſionis conſecutionem, & ſic poteſt conuenire creaturæ. Secundũ quem modum dicebat Apoſtolus: Sequor autem ſi quomodo comprehendam, exponendo, ſicut expoſitum eſt ſupra.

Franciſcus Pegña Lectori.

CVM Superioribus annis in Nicolai Eymerici Directorium Inquiſitorum ſcriberem commentarios lib. 2. commentario 31. ſuper quæſt. 15. de hæreſibus Beguardorum, & Beguinorum, dixi à Michaele de Cæſena tractum fuiſſe cum alijs in errorem Fraticellorum Auguſtinum de Ancona aſſerentem in libro de Poteſtate Papæ quæſt. 78. & 79. Chriſtum, & Apoſtolos nihil habuiſſe. Quam infamiæ notam tanto viro fuiſſe falsò inuſtam omnino comperi, cum loca eiuſdẽ

G *Auguſtini diligentius, & attentius perlegerem multis poſt diebus. id autem aſſerui ſecutus quoddam additamentum, quod præfixum eſt extrauaganti Ioannis 22. incipienti: Cum inter nonnullos, tit. de verborũ ſignification. in aliquot voluminibus iuris canonici in breuiori forma cum gloſſis recenter impreſſis Eam additionẽ ab homine inuido, & in Auguſtinum Triumphum malè affecto, eo forſan quòd ipſe Pontificiam auctoritatem egregiè tueatur, appoſitam eſſe, multum fit mihi veriſimile: Hunc enim Doctorem à Fraticellorum errore procul abfuiſſe, exploratum nunc habeo: cum in his ipſis quæſtionibus nuſquam à veritate di-*

H *ſcedat, ſed ea tradat (licet ſatis obſcure quandoque loquatur, quod fortaſſis cauſam præbuit, vt malè de ipſo quis opinaretur) quę cũ diuinis eloquijs, ſanctorũ Patrum dictis, & ſummorum Pontificum diffinitionibus vbiq. conſentiant: quemadmodum facilè intelligere poteris qui paulo diligentius Auguſtini doctrinam hic poſitam conſiderabit. Hoc te obiter admonuiſſe volui, benignè Lector, ne vel noſtro, vel aliorũ dicto, hac in re fallaris, & Auctorem hunc aliter, quàm virum pium, & Catholicum, & omnium conſenſu eruditiſſimum putes. Vale. Romæ in Bibliotheca noſtra Kalend, Aprilis. An. 1582.*

QVAEST. LXXVIII. DE CHRISTI PAVPERTATE.

VLTERIVS conſiderandū eſt de Chriſti paupertate. Circa quod quęruntur Quatuor.
A
Primo, Vtrum Chriſtus elegerit ſtatum paupertatis.

Secundo, Vtrum paupertas fecerit in Chriſto perfectionis ſtatum.

Tertio, Vtrum Chriſtus ſic pauper fuerit, quòd aliquando mendicaret.

Quarto, Vtrum Chriſtus ſic fuerit pauper, ꝙ manibus laborauerit.

ARTICVLVS I.

VTR. CHRISTVS DEBVERIT aſſumere ſtatum paupertatis.

B. Hieronymus Epiſt. 22. ad Euſtachium de cuſtodia virginitatis. S. Thom. 3. par. quæſt. 40. art. 3. & lib. 4. contra Gentiles cap. 55. ad 12. rationem. E: Ioannes à Capiſtrano in tract. de Poteſtate Papæ, & Concilij, ſiue Eccleſiæ author. 2. primæ. 2. part. princ. in argumento 6.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus non debuerit aſſumere ſtatū paupertatis. Scribitur enim Eccl. 7. Vtilior eſt ſapiētia cum diuitijs; & magis prodeſt: quia ſicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Sed Chriſtus fuit ſapientia Dei patris 1. Cor. 1. Prædicamus Chriſtum Dei virtutē, & Dei ſapientiam. Magis ergo debuit eligere ſtatum diuitiarum, quàm paupertatis.

2 Præterea: Quod eſt materia delinquendi, Chriſtus nō debuit aſſumere. Sed ſcribitur Eccleſiaſt. 27. Quòd propter inopiam multi deliquerunt. Ergo talem ſtatum Chriſtus non debuit aſſumere.

3 Præterea: Statum, in quo homo conſtituitur in periculo animæ, Chriſtus aſſumere non debuit. Sed in ſtatu paupertatis conſtituitur homo in periculo animæ: quia paupertas hominem ad furtum inducit, ſicut abundantia diuitiarum inducit hominē ad Dei contemptum. vnde Salomon à Deo inſpiratus neutrum petiit Prouer. 30. Mendicitatem, & diuitias ne dederis mihi, ſed tribue tantum victui meo neceſſaria.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſtatum illum Chriſtus debuit aſſumere, quem primo verbo beatificauit, & eius conſilio firmauit. Sed ſtatum paupertatis primo beatificauit Matth. 5. Beati pauperes ſpiritu. Et conſilio firmauit. Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

RESOLVTIO.

Statum paupertatis Chriſtus aſſumere debuit. non enim ſimulatam paupertatem damnandam: nec coactam, non laudandam aſſumpſit: ſed voluntariam, quę annexam habet temporalium voluntariam abiectionem, cordis humiliationem, & cœleſtium contemplationem.

B RESPONDEO, dicendum, ꝙ Chryſ. ſuper Matthæ. triplicem diſtinguit paupertatem. Vna eſt ſimulatoria: Alia coacta, & neceſſaria. Tertia ſpiritualis, & voluntaria. Illi autem ſunt pauperes ſimulatoriè, qui & ſi expoliant ſe bonis temporalibus, non tamen expoliant ſe ſuperbia, & arrogantia: ſed magis ſunt ſuperbi contemnendo temporalia, quàm diuites in ſęculo diuitias poſſidendo, vt dicit Auguſt. in regula. Secunda verò paupertas coacta, & neceſſaria, quamuis in Scriptura non damnetur, non tamen laudatur, quòd ſit meritò, vel pręmio digna. Quia ſicut nullum inuolūtarium poteſt eſſe peccatum, & dignū damnatione: ſic nullum inuoluntarium poteſt eſſe
C meritorium, & dignum pręmiatione. Sed tertia paupertas ſpiritualis, & voluntaria per Chriſtum eſt beatificata, & laudata, & meritò. Quia habet annexam temporalium voluntariam abiectionē, cordis humiliationem, & cœleſtium contemplationem. Hanc autem paupertatem † Chriſtus aſſumpſit, dicente Apoſtolo 2. Cor. 8. Scitis enim gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt in mundo, cum eſſet diues in ſua maieſtate (ſicut gloſſa exponit,) vt illius inopia vos diuites eſſetis. Et in hoc conſilium do, vt ad imitationem illius pauperibus detis. quia plus eſt vtile facienti, quàm cui
D fit, vt gloſſa dicit.

† Cap. exiit q ſeminat. § porrò. de uerb. ſigni. lib 6. extrauagā. Quia quorūdam. de verbo. ſignifi. c. Gloria. 12 q 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicēdum, quòd illud verbum Salomonis verificatur ſecundum regulā poſitam à Philoſopho in Topicis: Maximum bonum cōiunctum minimo bonorum eſt eligibilibus, quàm per ſe poſitum. Vnde ſi ſapientia, quæ numeratur inter maxima, bona eſt per ſe eligibilis, eligibilior eſt cū diuitijs, quæ numerantur inter minima bona. Cum ergo paupertas, quæ eſt de perfectione euangelica excedat omnes diuitias, eligibilior erit ſapientia cū

Ariſt. 3. Topic c. 3.

pauperrate tali, quam cum diuitijs, quæ ſunt minima bona.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod illud intelligitur de paupertate inuoluntaria, quæ habet de neceſſitate deſiderium diuitiarum adiunctum. ideo ſtatim ſubditur, quod qui quærit locupletari, auertit oculũ ſuũ (ſubaudi interiorem) à timore Dei, (vt gloſſa exponit.) tales enim pauperes coactiuè, nõ voluntaria electione, quàmuis ſint crucifixi mundo per temporaliũ carentiam. ipſi tamen mundo crucifixi nõ ſunt per affectatam opulentiam.

Ad tertium eſt dicendum, quod ſtatus paupertatis non eſt periculoſus illis, qui voluntariè aſſumunt carentiam temporalium. tales enim dummodo habeant alimenta, & quibus tegãtur, contenti ſunt, ſecundum doctrinam Apoſtoli. Illis autem eſt periculoſus paupertatis ſtatus, qui cum egeſtate rerum temporalium cupiunt ſaturari cum quadam inſatiabili auiditate diuitias appetendo. tales enim cupientes diuites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria inutilia, vt dicit Apoſtolus 1. Tim. 6. Quod videtur ſignificare voluiſſe Salomon, quando dixit: Ne fortè ſaturatus alliciar ad negandum, & dicam: Quis eſt dominus?

F

ARTICVLVS II.

VTR. PAVPERTAS FECERIT in Chriſto perfectionis ſtatum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd paupertas fecerit in Chriſto perfectionis ſtatũ. Quia quod fecit ad perfectionẽ ſtatus Diſcipulorũ; hoc fecit ad perfectionem Chriſti, à quo eorum perfectio deriuata eſt: Sed relinquere omnia, & dare pauperibus fecit ad perfectionem ſtatus Diſcipulorum: Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vẽde omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ergo paupertas ſimiliter fecit ad perfectionem ſtatus Chriſti.

2 Præterea: Chriſtus perfectionem poſuit in vita cõtemplatiua Lucæ 10. Optimam partem elegit Maria, quæ non auferetur ab ea. Sed Chriſtus maximæ contemplationis fuit. Ergo paupertas, quæ vitæ contemplatiuæ deſeruit, faciebat ad eius perfectionis ſtatum.

3 Præterea: Electio non eſt niſi de perfectiori: Eſt enim electio duobus præexiſtentibus vnũ præ altero eligere, vt Damaſc. lib. 2. c. 21. dicit. Sed Chriſtus elegit pauperes magis, quàm diuites, iuxta illud Iac. 2. Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites autem in fide? Ergo paupertas fecit ad perfectionis eius ſtatum.

In Contrarium eſt. quia quod non diminuit de perfectionis ſtatu in Abraam, qui fuit purus viator, non poterat diminuere de perfectionis ſtatu, vel augere in Chriſto, qui fuit viator, & comprehenſor. Sed abundantia diuitiarum non diminuit de perfectionis ſtatu in Abraam, qui exiſtens in opulentia diuitiarum perfectus fuit, iuxta illud Geneſ. 17. Ambula coram me, & eſto perfectus. Ergo &c.

E

RESOLVTIO.

Chriſti paupertas fecit in ipſo ad perfectionem ſtatus, quantum ad noſtræ imitationis exemplum: non quantum ad ſuæ perfectionis augmentum.

RESPONDEO; dicẽdum, quòd paupertatem feciſſe ad perfectionis ſtatum in Chriſto dupliciter poteſt intelligi. Primo, quod feciſſet ad ſuæ perfectionis augmentum. Secundo, quod faceret ad noſtræ imitationis exemplum. Primo † modo non poterat facere ad Chriſti perfectionis augmentum. Perfectũ enim eſt, quod attingit terminum. Chriſti autẽ perfectio, ſiue loquamur de perfectione gratiæ vnionis; ſiue loquamur de perfectione gratię diuinę fruitionis, ab inſtanti conceptionis in Chriſto fuit in termino. Vnde non potuit augmẽtari per aliquid aliud, quod faceret ad perfectionis ſtatum. F † S. Thom. 3 par. q. 9. art. 1. & 2. & q. 34. ar. 4. & Melchior Canus lib. 12 de locis Theol. c. 14.

Sed ſecundo modo fecit ad perfectionẽ, quantum ad noſtræ imitationis exemplum. Dicit enim Aug. in libro de cathechizandis rudibus, lib. 2. c. 22. Quòd terrena omnia bona contempſit homo factus dominus Ieſus, vt contemnenda nobis monſtraret, & omnia terrena mala ſuſtinuit: quæ ſuſtinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in iſtis infelicitas timeretur. Nam natus eſt de matre: quæ quàmuis à viro intacta permanſerit, tamen fabro deſponſata erat, in quo omnem typum carnalis nobilitatis extinxit. Natus eſt in Bethlehem ciuitate: quæ inter omnes ciuitates Iudeæ erat exigua, ex quo noluit quemquàm de terrenæ ciuitatis ſublimitate gloriari. Pauper factus eſt, cuius ſunt omnia. ne quiſquam cum in eum crederet, de terrenis diuitijs auderet extolli. Noluit Rex ab hominibus fieri: quia humilitatis oſtendebat viam. EſuriJt qui omnes paſcit: Sitiuit, per quem omnis potus cauſatur. Ab itinere fatigatus eſt, qui ſeipſum nobis viam fecit in cœlum. Crucifixus eſt qui cruciatus noſtros ſuſtinuit: mortuus eſt, qui mortuos ſuſcitauit. Tomo 4. G Notanda.

Ad Argumenta.

H

Ad Primum ergo eſt dicẽdum, quod paupertas faciebat ad perfectionem Diſcipulorum, eo quod diuitiæ habent hominem impedire à conſecutione beatitudinis, & aliorum bonorum ſpiritualium propter tria. Primo, propter nimiam ſolicitudinem, & attentionem. Secundo, propter inſatiabilem affectionem. cum enim augetur cupiditas, diminuitur charitas ſecundum Auguſt. lib. 83. q. 36. Tertio, propter mentis elationem. Chriſtus autem, ſicut non poterat eſſe peccati capax, ita prædicta non poterant in eo facere ad perfectionis, vel imperfectionis ſtatum. Tomo 4.

Ad ſecundum eſt dicendum, quod ſicut Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit diuinæ fruitionis contemplator, & comprehenſor; ita fuit in contemplationis ſtatu perfectus, vt in ſe non indigeret aliquo

retra-

retractiuo, vel adminiculo aliquo inductiuo ad ſuæ contemplationis perfectionem.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus pauperes elegit, vt nemo ex ſua paupertate ſe contemneret. ſecurior eſt enim pauper in cella, quàm diues in purpura, vt dicit Hiero. Pauperes ergo Chriſtus elegit, diuites non reprobando, vt nec in diuitijs putaretur eſſe felicitas, nec in paupertate timeretur infelicitas, ſicut dictum eſt per Aug. neutrum tamen fecit propter ſui ſtatus perfectionis augmentum, ſed propter noſtræ imitationis exemplum.

ARTICVLVS III.

VTRVM CHRISTVS SIC pauper fuerit, quòd mendicauerit.

Chriſtum Dominum mendicaſſe docent S. Aug. ſuper pſal. 39. & pſal. 146. S. Hieronymus ſuper pſal. 39. & 108. S. Baſilius in quæſtionibus compendiu explicatis. q. 262. S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 5. & ibidem Caietanus. Alexander de Ales parte. 4. q. 31. memb. 1. art. 1. Turrecr. in c. Expedit 12. q. 1. alijq; complures. Et eum Oſtiatim mendicaſſe tradit S. Bernar. in ſerm. quodã ſuper illud Lucæ c. 2. & cũ factus eſſet annorũ duodecim, quẽ referũt & ſequuntur S. Bonauent. in opuſculo de Chriſti paupertate q. 2. & in Apologia paupe. reſponſ. 3. par. 1. art. 1. Alexander de Ales parte 4. quæſt. 31. memb. 2. art. 2. S. Lauren. Iuſtinia. tit. de pauper. c. 4. Didacus Stella in 2. c. Lucæ, & alij ibidẽ per eum citati. Et quòd Chriſtus Oſtiatim mendicauerit, intelligi poteſt ſicut luculenter declarat Triumphus ipſe infra q. 99. art. 3. in corpore articuli.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus non ſic pauper fuerit, quòd mendicauerit †oſtiatim Quod enim fuit in lege prohibitum Chriſtus facere non debebat, cum ipſe non venerit legem ſoluere, ſed adimplere Matth. 5. Sed Deut. 15. ſcribitur: Omnino indigẽs, & mendicus non erit inter vos.

† Quamuis hic habeatur aduerbiũ, Oſtiatim, non tamen illud reperit Auctor, nec cõcludit in progreſſu diſputationis.

2 Præterea: Mendicans excluditur, vt non ſit ſemen Chriſti iuſti, iuxta illud Pſalmi 36. Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem. Chriſtus ergo, cuius ſemẽ panem non petit, mendicare non debuit.

3 Præterea: Quòd ſacra Scriptura imprecatur in vindictam iniuſtorũ, Chriſtus non debuit facere. ſed mendicare, ſacra Scriptura imprecatur in vindictam malorum, iuxta illud Pſal. 108. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent, & eijciantur de habitationibus ſuis.

4 Præterea: Quod habet verecundiam annexam, aliquid turpitudinis videtur habere: quia verecundia non eſt niſi de turpi, vt Philoſophus dicit. Sed mendicare habet verecundiam annexam. Ergo tale quid Chriſtum facere non decebat.

† Ariſto. 2. Rhet. cap. poſt hæc.

In Contrarivm eſt: quia, qui nullum habet hoſpitium, neceſſarium eſt, vt ſibi hoſpitium mendicando acquirat. ſed Chriſtus nullum hoſpitiũ habuit, vt patet Matth. 8. Vulpes foueas habent, &

A volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.

RESOLVTIO.

Chriſtus mendicus dici poterat. Nam à Zachæo inuitatus non fuit: ab ipſo tamen victum poſtulauit.

Respondeo, dicendum, ꝙ Chryſoſt. dicit ſuper illo verbo Ioan. 20. Multa fecit Ieſus in cõſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc. Multa Ieſus fecit, quæ non ſolum Ioanneſ, immo nec alij Euangeliſtæ omnia dixerunt. Sed illa tradiderunt, quæ erant ſufficientia attrahere audientes ad fidem; quàmuis ergo in Euangelio expreſſe non habeatur, quòd Chriſtus mendicauerit ſub vocabulo mendicantis, habetur tamen expreſsè,

B ꝙ victum petebat. Lucæ 19. vbi ſcribitur, ꝙ ſuſpiciens Ieſus dixit: Zachæe feſtinãs deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere. ſuper quo verbo dicit gloſſa, quòd, & ſi Chriſtus non vocem inuitantis audierat, vidit tamen affectum. Planum eſt autem, quòd victum petere ante inuitationem non eſt aliud, quàm mendicare: gloſſę tamen Sanctorũ in diuerſis locis libri Pſalmorum expreſsè dicunt, ꝙ Chriſtus non ſolum pauper fuit, ſed mendicus. nã ſuper illo verbo: Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei; gloſſa exponit in perſona Chriſti ſic loquentis: De me hoc dico, quia mẽ dicus ſum ſecundum, quòd homo. Nam mendicus erat; quia ab alio petebat: pauper vero, quia ſibi nõ ſufficiebat. Et ſuper illud: Ego verò egenus, & pau- Pſal. 39.

C per ſum, Deus adiuua me: gloſſa exponit in perſona Chriſti dicentis: Ego ſum egenus, petens, & pauper inſufficiens mihi: quia mundanas copias non habebat & intus vbi diues erat, ambibat, deſiderabat, & accipiebat. Et ſuper illud: Perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare, gloſſa exponit de Chriſto, vt ſit ſenſus: Perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, puta Chriſtum. Nam perſequi pauperes, ſola ſæuitia eſt: Alij verò pro diuitijs, & honoribus interdum perſecutiones huiuſmodi patiuntur. Pſal. 69. Pſal. 108.

Ad Argumenta.

A d Primvm ergo eſt dicendum, quòd non

D prohibetur ibi, quòd aliquis non ſit in ſtatu mendicitatis, & paupertatis, cum id eodem capitulo ſtatim ſubdatur: Pauperes in terra ſua numquàm deerunt: ſed prohibetur ne ita ab alijs homo derelinquatur, vt in talem ſtatum inducatur, in quo eum oporteat ex neceſſitate mendicare. Vnde non prohibetur mendicitas, ſed præcipitur miſericordia.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ gloſſa exponit illud verbum de pane ſpirituali, vt ſit ſenſus: Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panẽ ſpiritualẽ. eo enim ipſo, ꝙ iuſtus eſt, verbum Dei, & ſpiritualem cibum ſemper habet præſentem. Si verò de pane naturali intelligitur, ſenſus eſt, ꝙ iuſti non quærunt talem panem, quaſi à Deo derelicti: cum eis dicatur ad Hebr. vltimo: Sint mores veſtri ſine

auaritia contenti pręſentibus. ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ nullum eſt inconueniens, vt illud, quod alicui in pœnam infligitur, alteri in iuſtitiam vertatur. multi namque propter peccata, quæ committunt, rebus temporalibus ſpoliantur, & tamē temporalibus ſpoliari propter Chriſtum ad perfectionem iuſtitiæ pertinet; mendicitas ergo in pœnam malefactoribus à Deo indicitur, & tamen voluntariè aſſumpta à Chriſto in noſtrum exemplum ad perfectionem iuſtitiæ pertinebat.

A D quartum eſt dicendum, quòd erubeſcentia, & verecundia ſemper eſt de turpi, vt pulchro opponitur. Eſt autem duplex pulchritudo. Vna ſpiritualis, quæ conſiſtit in debita ordinatione, & affluentia bonorum ſpiritualium. Vnde omne, quod procedit ex defectu ſpiritualis boni, turpitudinem habet annexam. Alia eſt pulchritudo corporalis exterior, quæ conſiſtit in debita ordinatione corporis ex affluentia rerum temporalium. Et quod procedit ex defectu talis pulchritudinis turpitudinem habet coniunctā. Vnde ſicut quælibet pulchritudo deſideratur, ita quælibet turpitudo habet verecundiam, & erubeſcentiam annexam. veruntamen turpitudo interior ſpiritualis boni eſt vituperanda: Sed turpitudo exterior boni temporalis, vel corporalis propter Chriſtum voluntariè aſſumpta eſt laudanda. Quantumcunque ergo mendicitas verecundiam habeat annexam, voluntariè tamen aſſumpta per Chriſtum in noſtrum exemplum, laudanda eſt, & prædicanda.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CHRISTVS SIC fuerit pauper, quòd manibus laborauerit.

B. Baſilius ſuper 3. & 22. cap. Lucæ. Hilarius canone 34. Iuſtinus Martyr in dialogo cum Triphone. Beda ſuper 6. c. Marci. Turrecrem. in c. Expedit. 12. q. 1 Caietanus 3. par. q. 39. art. 8.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus ſic pauper fuerit, ꝙ manibus laborauerit. Maioris enim perfectionis fuit Chriſtus, quàm Paulus. ſed perfectionis fuit in Paulo laborare manibus, cum tamen licitè poſſet de ſtipendijs Eccleſiæ viuere: iuxta illud Theſ. vltimo: Nocte, & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus: non quaſi non habuerimus poteſtatem: ſed vt nos metipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.

2 Prçterea: Chriſtus aſſumpſit carnem ex ſemine Abrahæ deſcendentem, * quam nuſquam Angelos apprehendit ad ſemen Abrahæ ad Hebræ. 2. Sed primo homini in perſona omnium dictum eſt Gen. 3. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.

* al. quia

3 Prçterea: Pręceptum legis naturæ Chriſtus tenebatur obſeruare. Sed præceptum legis naturæ

E videtur eſſe manibus laborare: Si enim caderet ſub cōſilio ſolū, Apoſtolus nō dixiſſet 1. ad Theſſ. 4. Operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.

I N C O N T R A R I V M eſt. quia ſuper illo verbo: Mulieres multæ miniſtrabant Ieſu de facultatibus ſuis; dicit Hiero. ꝙ conſuetudinis Iudaicæ fuit, vt mulieres de ſubſtantia ſua victum, atque veſtitum Præceptoribus, vel Prædicatoribus miniſtrarent. Vnde Domino de ſua ſubſtantia miniſtrabant, vt meteret earum carnalia: cuius illæ ſpiritualia metebant.

In 28. cap. Matthæi.

RESOLVTIO.

Chriſtus manibus ſuis non laborabat, in exemplum aliorum, qui verbo prædicationis debebant inſiſtere. Id enim eum non decebat, præſertim poſt pręcidationis officium ab eo incæptum.

F

R E S P O N D E O, dicendum, quòd Dei filius humanam naturam aſſumpſit, vt vitæ exemplo, & verbo doctrinæ homines ad cœleſtia prouocaret. Vnde Lucæ 4. ſcribitur, ꝙ cum turbæ eum vellent detinere, ne diſcederet ab eis, dixit eis: Quia & alijs ciuitatibus oportet me Euangelizare Regnum Dei, quoniā ideo miſſus ſum. Super quo verbo dicit gloſſa, quòd poterat Chriſtus in eodem loco manendo omnes attrahere ad ſe: hoc tamen non fecit præbēs nobis exemplum, vt perambulādo requiramus pereuntes, ſicut Paſtor ouem perditam: & Medicus accedit ad infirmum. vna enim anima recuperata, poterit aliquis mille delicta abolere. Sic autem Euange-
G lizare Regnum Dei Chriſtus tenebatur vſque ad exitum mortis ſuæ, per ſeipſum: & per alios vſque ad finem mundi. Vnde ſuper illo verbo Ioannis xj. Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt: dicit gloſſa, quòd opera Patris, quæ Chriſtus ſua eſſe monſtrauit, erant infirma ſaluare, debilia roborare, homines illuminare: quæ Chriſtum oportebat operari, donec vita hæc conſiſtit. Ad iſta autem opera exequenda laborando manibus Chriſtus non poterat iuuari: ſed magis impediri: quia artes mechanicæ habent intellectum à ſua operatione diſtrahere. Et quàmuis hoc in Chriſto non habuiſſet locum, eo quod ſimul ipſe erat viator, & comprehēſor, & non poterat ex aliquo in ſua contemplatione retardari: in exemplum tamen aliorum, qui verbo prę-
H dicationis debebant inſiſtere, non decuit eum manibus laborare, ad cibum, vel veſtitum quęrendum, maximè poſt incœptum ab eo prædicationis officium. Vnde ſuper illo verbo Ioann. 4. Quando diſcipulis dicentibus: Numquid aliquis attulit ei manducare? Reſpondit: Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me, vt perficiam opus eius; dicit gloſſa: Conſiderandum eſt, quòd cibos ab alijs oblatos Dominus ſuſcipere ſolebat: non quòd alieno miniſterio indigeret, qui dat eſcā omni carni: ſed vt deferentes, meritum conſequerētur, ſimulque formam tradens non erubeſcere paupertatem, neq; graue putare ab alijs nutriri. proprium enim, & neceſſarium eſt Doctoribus alios habere procuratores ciborum, vt ipſi de nullo curantes, verbi miniſtrationem procurarent ſolicitè.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, ꝙ perfectionis opus eſt attiogere finẽ. ſicut ergo dinerſimode finis poteſt attingi; ita dinerſimode poteſt variari perfectionis ſtatus: finis ergo, ad qnem Chriſtus venit, erat hnmani generis ſalus: quia melius poterat procurare prædicationis verbo, quàm laboris manualis exemplo. Paulns autem hunc eundem fioem in caſu, in quo fecit, magis procurauit manibus laborando, quàm ſumptus ab alijs recipiendo.

AD ſecundum eſt dicendnm, qnòd ibi labot accipitur communiter pro omni pœna peccati. Secundnm quem modum dicit Iob cap. 5. Quòd homo ad laborem naſcitur. Christus ergo non ſolnm labores, ſed pœnas, immo vltimam pœoarum ſnſcepit: quia aſſumpſit mortalitatem: & quamuis non laborem manuum tamquàm non cõuenientem fini, ad quem

A venerat: alios tamen labores ſnſcepit. Vnde ſuper illo verbo Ioan. 4. Ieſus autem fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem; dicit Chryſo. Quod ſedebat non in throno, aut in pnluinari: ſed ſimpliciter, vt contiogebat, ſoper terram. Nam ſeſſio propter labotem facta eſt: & propter æſtum, reſtrigerans corpus, ſedebat apud footem.

AD tertium eſt dicendum, quod laborare manibus eſt præcepiſi naturæ in caſu naturali, & ſpirituali. Naturali quidem, vt ſi homo non haberet aliunde neceſſaria vitæ, teneretur ſibi victum per ſuum laborem procurare. In caſu vero ſpirituali tripliciter. Primo propter furta non committenda. Secundo pro-

B pter aliena non concupiſcends. Tertio propter otia vitanda. Primo modo laborem manuum præcepit Apoſtolus ad Eph. 4. Secũdo 1. Theſſal. 4. Et tertio 2. Theſſal. vltimo.

QVAEST. LXXIX. DE CHRISTI PROPRIETATE.

DEINDE *videndum eſt de Chriſti proprietate. Circa quod quęruntur Quatuor.*

Primo, Vtrum Chriſtus habuerit aliquod proprium.

Secundo, Vtrum Chriſtus aliquid habuerit in communi.

Tertio, Vtrum Chriſtus res ſibi oblatas poſſet conuertere in proprium vſum.

Quarto, Vtrum rerum ſibi conceßarum habuerit dominium, & non vſum tantum.

ARTICVLVS I.

VTR. CHRISTVS HABVERIT aliquid proprium.

S. Antoninus 4. par. Summæ tit. 12. c. 4. §. 2. Et 3. par. Hiſt. Tit. 21. c. 5. §. 1. Turrecremata in c. Exemplũ: & in cap. Expedit. 12. q. 1. Caietanus ſuper Ioannem cap. 4. Et Melchior Canus lib. 6. de locis Theologicis, cap. 8. Ambroſius Beltramus in tractatu De voto paupertatis.

AD primnm ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtns habuerit aliquid proprium. Super illo enim verbo Lucæ 2. Reuerſi ſnnt in Galilæam ciuitatem ſuã Nazareth; dicit gloſſa, quòd in Nazareth erat propriũ habitaculũ Chriſti, Mariæ, & Ioſeph: habere aũt propriã domũ, eſt habere aliquid propriũ.

2 Præterea: Sicut Chriſtus in hæreditate paterna ſuccedebat Patri: iuxta illud Luc. 2. Neſcitis, ꝙ in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe, ſic in hæreditate materna ſuccedebat Matri: ſed mater aliquid proprium habebat, cum ex ſtirpe regali orta eſſet,

C Ergo ſimiliter Chriſtus.

3 Præterea: Antequam Chriſtus inciperet prædicare, non poterat de eleemoſynis viuere. quia ex quo ſpiritualia non ſeminabat, non poterat de iure carnalia metere. Aote ergo triginta annos Chriſtus aliquid proprium habuit. Quia ante tale tempus prædicare non incœpit.

IN CONTRARIVM eſt. Quia Chriſtus incœpit facere quod docuit. ſed Matth. 10. Mãdauit non eſſe poſſidendum aliquod proprium, non aurum, nou argentum, non pecuniam io zonis.

RESOLVTIO.

Chriſtus non habuit proprium, quod opponitur charitati fraternæ, & eſt auarorum: nec quod opponitur vitæ communitati, quod eſt laicorum.

D RESPONDEO, dicendnm, ꝙ proprium poteſt, quantum ad præſens, dupliciter accipi. Primo, vt opponitur fraternæ charitati. Secundo, vt opponit᷑ vitæ cõmunitati. Primo nãq; modo, habere aliquod propriũ eſt auarorũ. Secundo modo habere aliquod propriũ eſt laicorũ. Primo namq; modo accipit Aug. propriũ Lucæ 16. ſuper illo verbo: Homo quidã erat diues, qui induebatur purpura, & biſſo dicẽs, ꝙ diues illè non eſt damnatus, ꝙ rapuerit aliena: ſed quia ſua propria Lazaro pauperi nõ erogauit. Secũdo modo accipitur proprium Act. 4. vbi dr̃, ꝙ nec quiſquã eorũ, quæ poſſidebat, propriũ aliquid ſuũ eſſe dicebat, ſed erãt illis omnia cõia. Neutro aũt modo Chriſtus habuit aliquod propriũ. quia paupertatẽ elegit in eo ingreſſu

De ver. Apoſtoli ſer. 31. Tomo 10.

† Vide Doctores ſup. in princ. citatos. & in ſpecie Turrecrem. allegatorem Auguſtinū noſtrum in c. exemplum. & in c. expedit 12. q. 1.

turales, & artificiales. Si ergo † quęritur: an Chriſtus habuit aliquid in cōmuni in diuitijs naturalibus, vt in poſſeſſionibus, domibus & armentis, planum eſt ꝙ non. Dicit enim Hierony. Matth. 17. ſuper illo verbo: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primo aſcenderit, tolle, & ſtaterem in ore eius inuentum da eis pro me, & te. hoc verbum ſimpliciter intellectum ædificat auditorem, dum audis Dominum tantæ fuiſſe paupertatis, vt vnde tributa pro ſe, & Apoſtolo redderet, non habuerit. Et idem Hierony. dicit Matth. 21. ſuper illo verbo: Relictis omnibus, abijt foras; Hic intelligendum eſt, ꝙ Dominus tantæ fuit paupertatis, & ita nulli adulatus eſt, vt in vrbe maxima nullum hoſpitem, nullam inueniret manſionem. Congruum autem fuit, Chriſtum, qui propter nos pauper factus eſt, etiam tales diuitias naturales in communi cum ſuis Diſcipulis maxime, nō habere: eo ꝙ poſſeſſiones tales maximam ſolicitudinem mentis requirunt. vt nedum Eccleſiaſtici viri diuino cultui vacantes, immo Laici vitam ſæcularem agentes ad executionem ipſarum vix ſufficiunt. Sed ſi quæratur, an Chriſtus aliquid habuerit in communi in diuitijs artificialibus, & in his, quæ poſſunt nūmiſmate menſurari. Planum eſt, ꝙ ſic. dicit enim gloſſa Ioan. 13. ꝙ Chriſtus, cui Angeli miniſtrabant loculos, habuit ſumptus pauperum, condeſcendens † neceſſitati infirmorum. Qualiter enim Diſcipuli abijſſent in ciuitatem, vt cibos emerent, niſi pecuniam habuiſſent, vt ſcribitur Ioan. 4. Vbi dicit Auguſt. ꝙ ierunt diſcipuli emere cibos, & emerunt, & Chriſto obtulerunt dicentes: Rabi manduca.

† Eiſdē verbis vtuntur B. Auguſti. lib. de opere Monachorum & ſuper Pſal. 103 concione 3. verſic. producēs fænum iumētis. S. Thomas opuſculo 19. incip. Ecce inimici tui ſonuerunt c. Nicolaus 4. in cap. Exiit. §. porro d verbo. ſign. lib. 6. & Ioann. 22. in Extrauagan. quia quorūdam §. Adhuc idem. de verbo. ſignif. & qualiter talis mod° loquendi accipi debeat, explicat Caietanus 2. 2. q. 118. ar. 7. & Turrecremata in c. exemplum. 12. q. 1. q. 2.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicēdum, ꝙ gloſſa illa intelligenda eſt, Chriſtum non repleuiſſe loculos, quos habebat, ex poſſeſſionibus, vel domorum penſionibus, ſeu ex alijs naturalibus diuitijs: ſed magis ex his, quæ à ſanctis mulieribus, & alijs Chriſti fidelibus ſibi adminiſtrabantur. Ex quo non infringitur terminatio ſuperius facta, ſed magis confirmatur.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ mulieres non erant ſemper in comitatu Chriſti prouidentes ſibi in victu, & veſtitu. Vnde neceſſarium erat aliquid in communi ſeruare ad prouidendum eorum neceſſitatis, ſicut patuit quando iuit in ciuitatem Samariæ, vbi neceſſarium fuit Diſcipulos mittere ad emendum cibos.

A D tertium eſt dicendum, quòd qui mendicat petēdo ab alijs, ita poteſt petere pecuniam, ſicut alia neceſſaria. Eſt enim ipſe denarius fideiuſſor pro omnibus neceſſarijs habendis, vt Philoſophus dicit. Vnde pecunia in loculis ſeruata poterat eſſe mendicando acquiſita, & volnotarie à Chriſti fidelibus oblata: ex quo habita non erat de vineis, vel agris, ſeu de alijs redditibus.

Matth. 26.

A D quartū eſt dicendum, ꝙ Chriſtus non ſolum perſonam perfectorum, verum etiam infirmorum † aſſumpſit. in quorum perſona dicebat: Triſtis eſt anima mea uſque ad mortē. Vnde, quia præuidit infirmos futuros, & iſta tēporalia quęſituros, eorum perſonarū ſuſcipiēs loculos habere voluit. nō tamē ex poſſeſſionibus, & naturalibus diuitis repletos, ſed à Chriſti fidelibus replendos. in hoc ſolicitudinem temporalium remouens, & eorum infirmitati condeſcendens.

† Præter loca proximè ſupra citata vide B. Petrū Chryſologū in Homel. ſuper 9. c. Matth. ſermo. 150. Zabarell. in clem. Exiui. §. proinde, de verb. ſig. & qualiter hæc verba ſint accipienda docet ut Doctores ſupra citati.

A D quintum eſt dicendum, quòd Aug. ſoluit argumentum Iob 13. dicens, quòd tunc, quando Chriſtus loculos habuit primū Eccleſiaſticæ pecuniæ forma eſt inſtituta, vt intelligeremus quod præcepit nō eſſe cogitandum de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruetur à Sanctis, ſed ne Deo propter iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia deſeratur.

ARTICVLVS III.

VTRVM CHRISTVS RES ſibi oblatas poſſet conuertere in proprium vſum.

Vide Doctores ſupra citatos: & pręſertim M. Ambroſium Ven. tractatu prædicto.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus res ſibi oblatas in proprium vſum nō poſſet conuertere. Dicit enim Hieronymus Matth. 17. Si quis obijcere voluerit, quomodo Chriſtus tributum ſoluere non poterat, cū Iudas in loculis pecuniam portaret. Reſpōdebimus, quòd res pauperum in vſus ſuos conuertere nefas putauit, nobiſq. idem tribuit exemplum.

2. Præterea: Ioan. 13. dicit Chryſ. quòd Chriſtus, qui non peram, non virgam, non aurum, non argentum iubet deferre, loculos ipſe ferebat ad inopū miniſterium? Non ergo in proprium vſum conuertere poterat.

3. Præterea: Quod non licet facere Epiſcopo propter perfectionis ſtatum; multo fortius non licebat Chriſto. Sed ſcribitur 12. q. 1. cap. Nulli. Non licet Epiſcopo res Eccleſiarum in proprios vſus conuertere. Ergo multo magis non licebat Chriſto.

I N C O N T R A R I V M eſt. ſcribitur enim Ioan. 4. ꝙ Diſcipuli abierant in ciuitatē, vt cibos emerent. pecuniam ergo à Chriſti fidelibus oblatam in proprium vſum, & ſui, & ſuorum Diſcipulorū conuertebat.

R E S O L V T I O.

Chriſtus, vt ordinem charitatis ſeruaret, res ſibi oblatas in ſuum vſum, ac Diſcipulorum conuertebat: deinde alia Pauperibus erogabat.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd ordo charitatis requirit, vt rerum communium diſpenſatores hoc ordine diſpenſent. vt primo ſibi, & ſuis ſeruientibus in neceſſarijs prouideat, & poſtmodum pauperibus, & vſibus fidelium ſubminiſtrent. Vnde ſcribitur

ſcribitur 12. q. 1. cap. Nulli. §. Si ergo, ꝙ licet res Eccleſiæ omnibus debeant eſſe communes; primum tamen ſibi, ſubaudi Prælatus, & ſuæ Eccleſiæ deſeruiẽtibus, neceſſaria ſubminiſtret: & reliqua, quæ ſuperſunt, fidelium vſibus diſpenſet. Hunc autem ordinẽ Chriſtus de rebus ſibi à fidelibus oblatis ſeruabat: quia primo de eis ſibi, & ſuis Diſcipulis in neceſſarijs prouidebat, deinde alia pauperibus erogabat.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus iam probauerat ſe non teneri ad tributum ſoluẽdum: cum ipſe eſſet Rex, & filius Regis æterni. ſolũ ergo propter ſcandalum paſſiuum vitandum tributum ſoluit. nefas ergo putauit illud, quod debebatur pauperibus, conuertere in vſum, ad quem ipſe non tenebatur. Sic etiam in hoc datur exemplum Prælatis Eccleſiæ, vt res diſtribuendas pauperibus nõ conuertant in alios vſus, in proprios, vel ſingularis vtilitatis: ad quos illæ res ordinatæ non ſunt. non enim res, quas à fidelibus Chriſtus recipiebat, ordinauerat ad tributi ſolutionem conuertendas, ſed ad pauperũ ſuſtentationem.

AD ſecundum eſt dicendum, quod loculos habebat Chriſtus propter ſumptus pauperum: & ipſe, & Apoſtoli eius pauperes erant. Vnde ſibi, & ſuorum neceſſitatibus, & poſt modũ alijs indigentibus erãt oblata diſtribuenda.

AD tertium eſt dicendum, quòd illud decretum intelligitur, ne Epiſcopi res mobiles, vel immobiles accipiant de ſubiectis eorum Plebibus, & alijs pijs locis aſſumant in proprium vſum, & in propriam vtilitatem maioris Eccleſiæ: ne ex hoc maiores enormiter locupletentur, & minores ex tali facto pauperes inueniantur.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CHRISTVS RERVM ſibi conceſſarum habuerit dominiũ, vel vſum tantum.

Cap. Habebat. 12. q. 1. & ibi gloſſa Archidiacon. & Turrecrem. Ioann. 22. in extrauag. cum inter. §. vlt. & in extrauaganti. Quia quorundam. §. Et ſi quæratur. titu. de verb. ſignifi. B. Auguſtinus ſuper Pſal. 103. verſ. producẽs fœnum. Adde M. Ambr. Ven. tract. ſupra citato in 1. art.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus rerum ſibi conceſſarum habuerit dominium, non vſum tãtum. Chriſtus enim habebat pecuniam in communi, quia loculos portabat Iudas, vt ſcribitur Ioan 13. Sed in pecunia transfertur dominiũ rei cum vſu, aliàs vſura † non eſſet peccatum: ſi in pecunia vſus poſſet haberi, retento dominio eius. Ergo Chriſtus habuit dominium rerum ſibi à fidelibus conceſſarum, non vſum ſolum.

† S.Thom. 2. 2. q. 78 ar. 1.

E 2 Præterea: In rebus conſumptibilibus dominium non poteſt ſeparari ab vſu. In talibus enim nec vſus iuris, nec vſus facti ſeparatur à rei proprietate. In pane enim, vino, & carnibus, ac omnibus conſumptibilibus, qui habent vſum facti, & iuris, habent dominium. Sed Chriſtus non niſi res conſumptibiles habebat ſibi à fidelibus oblatas. Ergo habẽdo vſum, habebat dominium.

3 Præterea: Concedere vſum rei non eſt concedere actum vtendi, ſed ius vtendi. qui enim concedit equum alicui, non concedit ſibi actum equitãdi: ſed quod actum illum in equo valeat exercere, & ſic concedit ius vtendi. quod quidem ius, vel dominium in rebus conſumptibilibus non ſeparatur ab vſu. Habendo ergo Chriſtus in rebus ſibi oblatis vſum, habebat ius, & dominium.

F 4 Præterea: Prælati Eccleſiarum non habent dominium, & proprietatem in rebus Eccleſiæ, vt omnes canones † clamãt. Vnde nec eas poſſunt alienare nec de eis teſtamentum condere. dominium ergo tẽporalium rerum ſi aliquis debet habere non niſi Papa, qui eſt Vicarius Chriſti, Chriſtus ergo principaliter habuit dominium bonorum Eccleſiæ præſentium & futurorum, non ſolum vſum.

† Cap. 2. extra de donatio. c. Eps. c. ſcripim⁹. 12. q. 1. glo. Innoc. & Abb. in c. Cũ ſuper, extra de cauſ. pol. & propriet.

5 Præterea: Religioſi * pauperes non habent aliquod proprium, nec habent aliquas poſſeſſiones in communi: & tamen comedunt, & bibunt de eleemoſynis eis oblatis à Chriſti fidelibus. Si ergo in talibus non habent aliquod proprium dominium, niſi vſum ſolum, apud quem reſidet dominium prædictorũ? non niſi apud Papam, qui eſt Vicarius Chriſti. Chriſtus ergo non ſolum vſum, immo dominium habuit in rebus ſibi conceſſis.

G

* al. paupertatis.

IN CONTRARIVM eſt. quia habere dominium rei eſt habere poſſeſſionem rei: ſed Chriſtus prohibuit Matthæi 10. Non eſſe poſſidendum aurum, non argentum, non pecuniam in zonis. Ergo Chriſtus rerum ſibi cõceſſarum ſolum vſum habuit, non dominium.

RESOLVTIO.

Chriſtus rerum ſibi conceſſarum habuit vſum, & dominium vſus, itemque effectiuè principaliter dominium diſpenſandi. talium verò adminiſtratiuè inſtrumẽtaliter dominium apud illos reſidebat, à quibus ſibi talia neceſſaria adminiſtrabantur.

H

RESPONDEO, dicendum, ꝙ poſſumus diſtinguere, quantum ad præſens, triplex † dominium: vt dicamus, quòd eſt dominium vſus rei: eſt dominium rei: & dominium diſpenſandi, vel adminiſtrandi rem. Dominium igitur vſus rei in rebus conſumptibilibus, quarum vſus eſt ipſarum conſumptio, non ſeparatur ab vſu eius. In rebus vero ſtabilibus, quarum vſus non eſt earum conſumptio, dominium poteſt ſeparari ab vſu. Sed dominium diſpenſandi, & diſtribuẽdi rem, poteſt ſeparari ab vtriſque. Nam qui habet dominium adminiſtrandi, vel diſpẽſandi res aliquas, eo modo diſpenſat, quo natura rei diſpenſabilis, vel adminiſtrabilis requirit. Quando ergo

† S.Tho. 2. 2. q. 78 art. 1. cap. Cum conſtat, & ibi gl. & Doctores, extra de pigu. Ioannes in extrauagã. Ad conditorẽ. §. quod autẽ. de verbo. ſignific. Turrecrem. 10 c. Exemplum 12. q. 1. in q. 6. §.

ergo diſpenſat, vel adminiſtrat res conſumptibiles, A quarum vſus eſt earum conſumptio adminiſtrando: vel diſpenſando vſum, adminiſtrat dominiũ vſus illis, cum quibus diſpenſat, vel adminiſtrat, retento ſibi dominio ſemper diſpẽſandi, vel adminiſtrãdi. Sed quando adminiſtrat, vel diſpenſat res ſtabiles, quarũ vſus non eſt earum conſumptio, poteſt adminiſtrare, vel diſpenſare cũ aliquibus concedendo dominium, & vſum: & poteſt ſic diſpenſare, vt concedat vſum illarum rerum, retento ſibi dominio ipſarum ſimul cum dominio diſpenſandi, vel adminiſtrandi. Dominium ergo diſpenſandi omnes res creatas effectiue principaliter reſedit, & reſidet apud Chriſtũ † tam conſumptibiles, quàm ſtabiles. Vnde illud verbum B Pſal. 49. Non accipiam de domo tua vitulos, gloſſa exponit in perſona Chriſti ſic dicentis: Non accipiã de domo tua. quia non ſunt tua, ſed mea. cur ergo quæram à te, quod meum eſt, qui creaui? Nam mea ſunt, quæ non poſſides, vt indomita. quia meæ ſunt omnes feræ ſiluarum, & domita, quæ in nutris, & poſſides. quia mea ſunt iumenta in montibus, & boues, & hoc quantum ad res ſtabiles. Quantum vero ad res conſumptibiles ſubdit: Si eſuriero, non dicã tibi. quaſi dicat: nõ dicã tibi, vt paſcas me. q. ſi aliqua datis ad paſcendũ, forſan me eſurire putatis. qd eſt inſania. Non ergo quæras, quid mihi des, quia ſine labore habeo quod volo. Meus eſt enim orbis terræ, & C plenitudo eius. loco autem Chriſti in terra diſpenſator eſt Papa. Vnde puto, ꝙ dominium diſpenſandi omnes res tam ſtabiles, quàm conſumptibiles apud Papam reſidet effectiue principaliter vice Chriſti. Adminiſtratiue vero inſtrumentaliter dominium talium reſidet apud Chriſti fideles, qui ſimiliter eo ordine adminiſtrant Eccleſiaſticis viris Religioſis, vel Clericis res temporales pro ſeminatione ſpiritualiũ, quo ipſæ res ſunt aptæ natæ adminiſtrari. Quia res ſtabiles quandoque adminiſtrãt concedendo vſum, retinendo dominium. Res vero cõſumptibiles, quarum vſus eſt earum conſumptio, ſic adminiſtrant vt D concedendo vſum, concedant dominium vſus retento ſemper dominio adminiſtrandi. Chriſtus ergo rerũ ſibi conceſſarum habuit vſum, & † dominiũ vſus ſimul cum dominio diſpenſandi effectiue principaliter, adminiſtratiue tamen inſtrumentaliter dominium talium apud illos reſidebat, à quibus ſibi talia neceſſaria adminiſtrabantur.

† Cap. Tua nobis extra de decim. Ioannes Faber in l. 1. C. de ſumma Trinit. Ioannes à Capiſtrano in tract. de auctoritate Papæ par. 2. par. 2. prin. ad 6. argumen.

† Per dominium vſus, intelligit Auctor dominium verum, & reale rerum vſu cõſumptibilium, quas habuit Chriſtus, quarũ

Ad Argumenta.

A d P r i m v m ergo eſt dicendũ, ꝙ quicumque adminiſtrat, vel diſpenſat pecuniam alicui, retento ſibi dominio diſpenſandi, vel adminiſtrandi, non committit vſuram. quia cõcedit ſibi vſum, & dominium vſus. Dominium enim diſpenſandi, vel adminiſtrandi non eſt ſuper rem conceſſam, ſi res conſumptibilis eſt, & ſi eſt res, cum qua ſimul ſit transferibile dominium cum vſu ex natura rei. ſed eſt ſuper res alias, à quibus illæ res conceſſæ conſumptibiles, vel transferibiles originem ſumpſerunt quantum ad adminiſtrãtes, vel eſt ſuper poteſtatem concedendi, vel recipiendi quantum ad ſummos Pontifices diſpenſantes.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ quicumque diſpenſat, vel adminiſtrat rem conſumptibilem, concedendo vſum, concedit dominium vſus, quia natura rei ſic requirit.

A d tertium eodem modo, ꝙ concedendo ius vtẽdi in re conſumptibili concedit dominium vſus. Secus autem eſt in re ſtabili, cuius vſus non eſt conſumptio eius: In hoc enim, dominium poteſt ſeparari ab vſu, & natura rei.

A d quartũ eſt dicendũ, ꝙ Hugutio. notat 12. q. 1. cap. Expedit, duplicem modum dicendi de dominio rerum Eccleſiarum. Vnus eſt, ꝙ dominium taliũ rerum eſt ipſius Eccleſiæ, puta ipſius loci ſacrati cõcluſi in parietibus Eccleſiæ, qui in nullius bonis eſt: Nam res ſacræ, & Religioſæ in nullis bonis ſunt. Alius modus dicendi eſt, ꝙ dominium talium rerũ ſit ipſius Chriſti. eo ꝙ talia bona deputata ſunt Clericis, & pauperibus ad vſum eorum. In quorum perſona dicitur fieri Chriſto, quod eis fit, & hoc verum puto effectiue principaliter. Adminiſtratiue tamen miniſterialiter apud illos reſidet, à quibus Clericis, & pauperibus adminiſtrantur. Sicut enim in Prælatis Eccleſiæ reſidet ius petendi vſum neceſſariorum quantũ ad dominium iuris, & quantum ad dominium facti, iuxta illud Mar. 6. Præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum. ſuper quo verbo dicit Augu. De conſenſu Euang. c. 30. ꝙ poteſtas recipiendi neceſſaria nomine virgæ ſignificata eſt. ſic apud Laicos ſemper reſidet dominium adminiſtrandi. quia ſicut licet eis temporalia poſſidere quantum ad dominiũ, & proprietatem. vnde poſſunt ipſa alienare, & de eis teſtamentum condere, ſic tali iure, & tali dominio retento, tenentur Clericis neceſſaria miniſtrare in rebus ſtabilibus, vel conſumptibilibus cum conditione ipſarum rerum.

A d quintum eſt dicendum, ꝙ res conſumptibiles, quibus vtuntur Religioſi ad vſum neceſſitatis eorum, non ſunt eorum quantum ad dominium diſpẽſandi, vel adminiſtrandi. tale enim dominium eſt illorum, à quibus eis diſpenſantur, vel adminiſtrantur.

rerũ dominium tum ad differentiam dominii rerum ſtabilium, tum etiam quia ſit inſeparabile omnino à rebus ipſis vſu conſumptibilibus, & cũ eiſdẽ vſu etiã cõſummat, vt docet Papa I extrauagã ti, Ad conditorem: & in extrauagãti Quia quorundam, de verb. ſignifi. ideo vocat, non dominiũ rei, ſed dominium vſus, vt præter Auctorẽ hic docet Turrecrem. in cap. Exemplum num. 10. 12. q. 1. Ex quibus apparet, Auctorem iuxta põtificias declarationes, de quib⁹ in extrauagan. cum Inter, et, Quia quorũdam, de verb ſignifi. nõ ſolum ſenſiſſe, Chriſtũ rerum oblatarum habuiſſe vſum ſed etiã expſſe docuiſſe, habuiſſe ſimul earũ vſum, & dominiũ etiã verũ, quod appellat dominiũ vſus.

QVAEST. LXXX. DE CHRISTI VITAE COMMVNITATE.

E *NVNC conſiderandum eſt de vita Chriſti communitate. Circa quod quæruntur Tria.*
Primo, Vtrum modus viuendi Chriſti ſeruando aliquid in cõi diminuerit de eius perfectionis ſtatu.
Secundo, Vtrum modus viuendi Chriſti communis in conuerſatione derogauerit eius perfectionis ſtatui.
Tertio, Vtrum modus viuendi Chriſti communis in victu, & veſtitu ſtatui perfectionis eius conueniret.

ARTICVLVS I.

VTRVM MODVS VIVENDI Chriſti, ſeruando aliquid in communi, diminuerit de eius perfectionis ſtatu. F

Vide Doctores citatos ſupra in quęſt. 78. ar. 5.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, q modus viuendi Chriſti ſeruãdo aliquid in communi, dimionerit de eius perfectionis ſtato. quia quod impedit hominẽ in iuſtitia ſeruãda, diminuit de perfectionis eius ſtatu. Sed ſcribitur Deuter. 16. Non accipies perſonam, nec munera. quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. G Non ergo erat decens, vt Chriſtus in communi pecuniam ſeruaret.

2 Præterea: Pecunia in cõmuni ſeruata, per Chriſtum erat petendo acquiſita. ſed ſcribitur Act. 20. Memento verbi Domini Ieſu. Beatius eſt enim magis dare, quàm accipere. Maioris ergo perfectionis fuiſſet in Chriſto de ſuo dare, quàm ab alijs accipiendo conſeruare.

3 Pręterea: Eſſe diuitem, diminuit de perfectionis ſtatu. quia difficile eſt diuitem regnum cælorum intrare, vt ſcribitur Matthęi. 19. Sed plus facit hominem diuitem pecunia, & diuitiæ artificialẽs, quàm H naturales. Non erat ergo perfectionis ſtatuş pecuniã in commuoi ſeruare.

IN CONTRARIVM eſt. quia ille, qui alijs oſtendit perfectionis ſtatum, non poteſt à perfectione deuiare. ſed Chriſtus alijs oſtendit perfectionis ſtatum Matth. 19. Si vis perfectus eſſe. Ergo non poterat à perfectione deuiare.

RESOLVTIO.

Chriſti perfectio, ex eius viuendi modo, nec augeri, nec diminui poterat, quatenus erat Deus. nec quatenus Eccleſiæ caput. ſuſcepit enim perfectorum, & imperfectorum perſonam.

RESPONDEO, dicendum, q vel loquimur de perfectione ſtatus Chriſti inquãtum erat Deus, vel vt erat caput Eccleſiæ. Primo modo, † nihil poterat eſſe in Chriſto, quod eius perfectionis ſtatum augeret, vel diminueret. cum ipſe eſſet ab inſtanti conceptionis in termino, & verus comprehenſor. Illud autem poteſt augeri, & minui in perfectione, quod diſtat à fine, & à termino perfectionis. Sed † ſecundo modo, cum Chriſtus eſſet caput Eccleſiæ, Iuxta illud ad Ephæ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiã, quę eſt corpus eius. Sicut capitis eſt ſingulis membris ſuam perfectionem tribuere ſecundum capacitatem ipſorum: ſic modus viuendi Chriſti talis eſſe debuit, vt conueniret ſtatui perfectorum, & infirmorum. In perſona igitur perfectorum mandauit Matt. 10. non eſſe poſſidendum aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis. Sed in perſona infirmorũ loculos recommendauit Iudæ Ioannis 12. ſuper quo verbo dicit Chryſoſt. Quod qui non perã, non virgã iubet deferre, loculos ferebat ad inopum miniſteriũ, perſonarum infirmorum ſuſcipiens. multa enim (vt ait) Chriſtus agebat diſpenſans ad noſtram doctri- G nam: † perfectior ergo fuit modus viuendi in Chriſto, nihil in communi ſeruare, quàm ſeruare. Non quidem reſpectu ſui, ſed reſpectu ſuorum membrorum, quorum perſonam ipſe tamquam caput ſuſcipiebat propter tria, quæ Chryſoſtomus ponit Matt. 10. Primo, propter remouendam à prædicatoribus veritatis omnem malam ſuſpicionem, quia ſi Apoſtoli habuiſſent pecuniam, vel aliqua ſeruaſſent, non videbantur cauſa ſalutis hominum, ſed cauſa lucri prædicare. Secundo, propter remouendam ab eis omnem ſolicitam temporalium attentionem, vt remoti ab omni temporalium ſolicitudine vocationẽ H omnem tribuerent verbo Dei. Tertio, vt in Deo ponerent omnem eorum prouiſionem contẽti de præſentibus, & de futuris euentibus ſperantes in illo, qui dixit ad Hebræ. 13, Non te deſerã, neque derelinquã.

† Vide S. Thomã 3. par. q. 9. art. 1. & 2. & Melchiorẽ canum. lib. 11. de locis Theolog. c. 14.

† c. Exiit q ſeminat. ſ. nec his q. quam. in c. exiit. de verb. ſignifi.

† Qualiter hæc verba ſint intelligenda vide omnino Auctorem infra. q. 105. art. 1 & q. 106. art. 1. & 2. B. Thomã 2. 2. q. 178. art. 1. & ibi Caietanũ, & eundem Thomam opuſ. 19. Turrecrematã in cap. expedit 12. q. 1. & gloſſam in extrauag. Cum inter, verbo Declaram'. de verb. ſignifi.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd pecunia duplici intentione poteſt ſeruari. Vno modo ad poſſeſ-

poſſeſſiones augendas, & congregandas, & talis receptio munerum oculos cordis excęcat, & à iuſtitia declinare facit, eo q́ ex cupiditate procedit. Talibus enim dicitur Iſa. 5. Væ, qui coniungitis domum ad domum: & agrum agro copulatis, vſque ad terminum loci. Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. Alio modo poteſt ſeruari ad neceſſitatem victus. Et talis munerum acceptio cupiditatem non habet annexam, neque excęcat oculos ſapiẽtum, neque mutat verba iuſtitiæ. in perſona quorum dicitur 1. Timo. vltimo: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contẽnti ſimus.

A (A) Ad ſecundum eſt dicendum, q́ quamuis dare ſecundum ſe ſit laudabilius, quàm accipere, eo quòd actus liberalitatis magis eſt in dando, quàm in recipiendo, non obſtante q́ liberalis det, & recipiat; Ratione tamen alicuius adiuncti, perfectius, & beatius B eſt quandoque recipere, quàm dare: Si namque in paupere nihil conſideretur, niſi receptio eleemoſinę tãtum, beatior, & perfectior eſt diues, qui dat eleemoſinas, quàm pauper, qui recipit. Sed talis poteſt eſſe cauſa recipiendi, q́ magis meretur recipiens, quàm dans: vtpote ſi ſe in tali ſtatu conſtituat voluntariè, in quo non coactus, ſed voluntariè pauper effectus ſit propter Chriſtum: beatius eſt ſic recipere, quàm dare. vnde dicit glo. ſuper dicto verbo. Non illis, qui relictis omnibus ſecuti ſunt dominum, diuites eleemoſinarios præponit: ſed illos maximè glorificat, qui cunctis, quæ poſſident, in ſemetipſis renunciantes, nihilominus laborant operando manibus, vt habeant, vnde tribuant neceſſitatem patienti.

C Ad tertium eſt dicendum, q́ ſeruare pecuniam ex poſſeſſionibus, & redditibus congregatam facit hominem diuitem ſolicita attentione, ſuperba elatione, & ſpiritualium ſuffocatione. Vnde adoleſcẽs, Matth. 19. cui dictum eſt: Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: abijt triſtis. erat enim multas poſſeſſiones habens: ſed ſeruare pecuniam ad neceſſariorum ſuſtentationem, & ſui, & pauperum prouiſionem, nõ facit hominem diuitem habere annexam auaritiæ cupiditatem, ſed perfectionis charitatem.

ARTICVLVS II.

VTRVM MODVS VIVENDI Chriſti cõmunis in conuerſatione, derogauerit eius perfectionis ſtatui.

D Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd modus viuendi Chriſti, communis in conuerſatione, derogauerit eius perfectionis ſtatui. Quod enim erat cauſa blaſphemandi Deum, diminuebat de perfectionis ſtatu in Chriſto: ſed cõuerſatio eius cum hominibus erat cauſa blaſphemandi Deum Ioan. 10. De bono opere non lapidamus te: ſed de blaſphemia: & quia tu homo cum ſis, facis teipſum Deum.

A 2 Præterea: Illud diminuebat de perfectionis ſtatu in Chriſto, quo diminuebat de fide eius diuinitatis: ſed non eſt proprium Dei conuerſari cum hominibus, Iuxta illud Daniel 2. Sermo enim, quem tu quæris Rex, grauis eſt: nec reperietur quiſquã, qui indicet illum, exceptis Dijs, quorum non eſt cum hominibus conuerſatio: ergo conuerſatio Chriſti cum hominibus diminuebat de fide diuinitatis eius, & per conſequens de eius perfectione.

3 Præterea: In ſolitudine, non in conuerſatione Eccleſia paſcitur à Chriſto, Iuxta illud Apoc. 12. Mulier fugit in ſolitudinem, vbi habet locum paratum à Deo: vt ibi paſcat illam diebus 1260. Magis ergo in ſolitudine, quàm in conuerſatione conſiſtebat Chriſti ſtatus perfectio.

B In contrarium eſt, quod ſcribitur Matth. 17. Conuerſantibus autem eis in Galilæa, & Baruch 3. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

RESOLVTIO.

Chriſti communis conuerſatio peccatoribus ſalutẽ afferebat, eiusq. perfectionis ſtatui non derogabat.

Respondeo, dicẽdum, † quòd Chriſtus venit in hunc mundum ad Sanctorum contemplationem Ioan. 10. Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant. ſuper quo verbo dicit Aug. quòd Chriſtus venit vt Sancti vitam habeant, ingredientes per fidem, quæ per dilectionem operatur: & C abundantius habeant, egredientes: quando veri fideles moriuntur: acquirunt enim tunc vitam abundantius: vbi numquàm deinde moriantur. Et ad peccatorum * conuerſationem 1. Timot. 1. Venit enim Chriſtus in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum: Ideo vitæ contemplatiuæ, qua viuunt Sancti: & vitæ actiuæ, qua communiter viuunt homines, exempla Chriſtus mõſtrare debuit. Quod ſic fecit: quia quãdoque monſtrauit exempla vitæ contemplatiuæ, eligens quandoque ſolitudinẽ ad orandum, ad quieſcendum, ad humanum fauorẽ vitandum. Nam de oratione dicitur Lucæ 6. Factum eſt in illis diebus: exijt in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei. De quietatione verò dicitur Marci 6. Venite ſeorſum in deſertum locum, & D requieſcite puſillum. Sed de fauoris mũdi remotione ſcribitur Matth. 5. Videns Ieſus turbas, aſcendit in montem; ſuper quo verbo dicit Chryſoſt. quòd non in ciuitate, non in foro, ſed in ſolitudine ſedebat erudiens nos: per hoc nihil ad oſtentationem facere: ſed potius à tumultibus diſcedere, cum de neceſſarijs diſputare oporter. Exempla verò vitæ actiuę monſtrauit Matth 9. Quando factum eſt, diſcumbente eo in domo, ecce multi Publicani, & peccatores venientes diſcumbebant cum eo, & diſcipulis eius. Quod verbum exponens Hieronymus dicit: Videat Publicanum à peccatis ad meliora conuerſum, locũ inueniſſe pœnitentiæ: & ex hoc, ipſi ſalutẽ non deſperent.

† Vide Turrecrem. in c. Expedit 12. q. 1.

Tract. 45. in Ioan. Tomo 9.

* al. conuerſionem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ cõuerſando cum hominibus non dabat Chriſtus cauſam blaſphemandi Deum: quia (vt glo. ibi dicit) quamuis ſacramentum nati hominis intelligentiam diuinæ natiuitatis impediret: tamen quia diuina natiuitas omne opus ſub miniſterio aſſumpti hominis exequebatur: ideo faciens opera Dei Patris in aſſumpta humanitate operibus demõſtrabat, quid de eius diuinitate eſſet credendum: propter quod dicebat: Si non facio opera Patris mei, nolite credere. Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere: operibus tamen credite.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſic dicit Damaſ. lib. 3. c. 19. Chriſtus, quæ erant hominis, ſupra hominem operabatur. quamuis ergo conuerſando cum hominibus monſtraret ſolum humanitatem, agendo tamen ſupra humanitatem, quæ hominis erat, monſtrabat diuinitatem. Vnde in conuerſando cum hominibus non diminuebatur fides de eius diuinitate, ſed potius augmentabatur.

AD tertium eſt dicẽdum, ꝙ (ſic ibi dicit gloſſa) toto tempore, quo ſubſiſtit præſens Eccleſia, prędicatione Chriſti tribus annis, & dimidio, facta paſcitur, & nutritur. Prædicatio autem Chriſti non eſt facta in priuato, ſed in publica conuerſatione: Iuxta illud Io. 18. Ego palam locutus ſum mundo, & in occulto locutus ſum nihil.

ARTICVLVS III.

VTRVM MODVS VIVENDI Chriſti communis in victu, & veſtitu ſtatui perfectionis eius conueniret.

Vide Gloſſ. Arch. Turrecrem. & Doctores in c. Exemplum. cap. Habebat, & cap. Expedit 12. q. 1.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd modus viuendi Chriſti, communis in victu, & H veſtitu, ſtatui perfectionis eius non cõueniret. Quod enim fuit perfectionis in Ioanne baptiſta, perfectionis erat in Chriſto: ſed modus viuendi Ioannis in cibo, & potu non erat communis cum alijs, ex quo Iudæi inducti ſunt (vt Chryſoſt. dicit) nolle habere Chriſtum in Doctorẽ, ſed magis Ioannem: non ſolum propter generis nobilitatem: quia Chriſtus Filius fabri; Ioannes vero Filius Pontificis: immo propter vitæ ſanctitatem, quia eſca Ioannis erant locuſtæ, & mel ſilueſtre.

2 Præterea: Vti ſuperfluitate veſtimentorum nõ erat perfectionis in Chriſto, maxime cum mandaſſet Lucæ 3. Qui habet duas tunicas det vnam non habenti. & in perfectione Ioannis dicitur, quòd ha- E bebat veſtimentum de pilis camelorum: ſed Chriſtus plura veſtimenta habuit. quod patet Io. 19. quia omnes milites habuerunt tunicam vnam, excepta tunica, quæ vni ſorte aduenit.

3 Præterea: Illud opus perfectionis debuit Chriſtus oſtendere, per quod eius poteſtas monſtrabatur in expulſione dæmonum: Sed ſcribitur Matth. 17. Hoc genus dæmonum non eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium. Ieiunium ergo maxime faciebat ad Chriſti perfectionis ſtatum.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 11. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini: Publicanorum, & peccatorum amicus.

F

RESOLVTIO.

Vita communis Chriſti eius perfectioni non derogabat propter aliorum vtilitatem.

RESPONDEO, dicendũ, † ꝙ ſtatus perfectionis conſiſtit in attinctione finis. Sicut ergo vnus & idem finis poteſt attingi diuerſis vijs: ſic humani generis ſalutem, propter quam Dei filius carnem aſſumpſit, alia via per ſe, & alia per ſuum Præcurſorẽ Ioannem procurauit: Vnde dicit Chryſoſt. Matth. 11. Per cõtrariam viam venimus, ego, & tu, Ioannes: & idem fecimus: ſicut ſi venatores per duas contrarias vias aliquod animal inſequantur, vt in alteram incidat. Quare autem contraria via inceſſit Chriſtus, G à via Ioannis, Chryſoſt. aſſignat quattuor rationes. Prima propter iudæorum inexcuſationem. Erant autem Iudæi proni calumniare vtramque vitam: ſolitariam, & communem: Ideo vtramque per ſe, & per Ioannem voluit aſſumere ad eorum confutationem. Secunda propter ſolitariam conuerſationem. ſicut enim perfectionis erat in Ioanne, viuente vita ſolitaria, abſtinentiam ſeruare; ſic perfectionis fuit in Chriſto viuente in communi conuerſatione hominum, ſe modo communi ipſorum conformare. Tertia propter miraculorum choruſcationem: Chriſto namque teſtimonium perhibebat miraculorum coruſcatio. Ioanni vero ſolum auſteritas vitæ. Quarta propter Iudæorum admirationem: ſicut enim in Ioanne Iudæi admirabantur vitæ auſteritatem, & tantam parcitatem: ſic in Chriſto admirabantur aliam perfectionem: puta ſapientiam. Scribitur enim Lucæ 2. quòd ſtupebant omnes ſuper doctrina, & reſponſis eius.

† Vide S. Tho. 2. 2. q. 188. art. 1. & Turrecr. in cap. Expedit. 12. q. 1.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd perfectio Chriſti, & Ioannis erat in attinctione finis (vt dictum eſt) qui quidem finis poterat attingi per vitam communem Chriſti: & per auſteritatem, quam faciebat Ioannes. Vnde ſuper illo verbo Matt. 11. Iuſtificata eſt ſapientia à Filijs ſuis. Dicit Auguſt. quòd ſancti Apoſtoli intellexerunt regnum Dei non eſſe in eſca, & potu, ſed in æquanimitate tolerandi: quos nec copia ſubleuat, nec deprimit egeſtas Vnde dicebat

Philip. 4. dicebat Paulus: Scio abundare, & penuriam pati. Chriſtus ergo, qui eſt ſapientia Dei patris, iuſtificatus eſt à ſuis filijs: puta ab Apoſtolis, qui erant eius filij per adoptionem.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Chryſoſtomus: Conſuetudo Paleſtinę patriæ erat, vt duos pannos obnectentes ſubtexerēt: vnde per hoc, quod Euangeliſta dixit: Erat tunica incōſutilis: & deſuper contexta per totum; occultè Euangeliſta inſinuat vilitatem veſtimentorum Chriſti, non pluralitatē: quia plures panni erant ſubtexti, & coniuncti ad inuicem, A ad indumentum vnum perficiendum.

A d tertium eſt dicēdum, quòd Chriſtus dęmones expellebat potentia diuinitatis: cuius auxilium, quàmuis ieiunio, magis tamē oratione impetratur. Dicit enim Chryſoſtomus Matth. 17. Quòd nihil eſt homine decenter orante potentius: vnde, ſi tibi eſt infirmum corpus ad continuè ieiunandum, non ſit tibi tamen infirmum ad orandum. Et ſi ieiunarę non potes: potes tamen non laſciuire: non eſt hoc paruum, nec multum à ieiunio diſtans.

QVAEST. LXXXI. DE CHRISTI CARNALITATE.

VLTERIVS *conſiderandū eſt de Chriſti carnalitate. Circa quod quæruntur Quatuor.*

Primo, Vtrū Chriſtus ſeruādo carnalitatem Parentum fuerit in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatē conſanguineorum ſteterit in ſtatu perfectionis.

Tertio, Vtrum Chriſtus ſeruandò carnalitatem amicorum receſſerit à perfectionis ſtatu.

Quarto, Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatem Benefactorum tenuerit ſtatum perfectionis.

ARTICVLVS I.

VTR. CHRISTVS SERVANDO carnalitatem Parentum fuerit in perfectionis ſtatu.

Ad hanc quæſtionem faciunt quę docet S. Thomas 3. par. q. 40. de Chriſti conuerſatione.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus ſeruando carnalitatem Parentum non fuerit in perfectionis ſtatu. Omne enim peccatum impedit ſtatum perfectionis: ſed parētes eius quandam vanam gloriá habebant de Chriſto. Dicit enim
Homil. 45. & ſup Io. 2. Homil. 20. Chryſoſt. ſuper illo verbo Matt. 12. Ecce mater eius, & fratres ſtabant foris quærentes loqui ei; Manifeſtū eſt, ꝙ ſolum † vana gloria hoc faciebant, cupientes ab hominibus laudari, ex carnalitate, & propinquitate, quam habebant ad Chriſtum.

† Huius dicti maiorē difficultatē explicatā, vide ſup 2. lib ſent. Aegidij recenter impreſſum 1. parte, pagina 225. col 1. & 2. in ſcholio.

2 Præterea: Quod Chriſtus docuit in alijs pertinere ad ſtatum perfectionis, in ſe debuit ſeruare. Sed Matth. 10. loquens de ſtatu perfectionis dicit: Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum: & filiam B aduerſus matrem ſuam: & inimici hominis domeſtici eius: carnalitas ergo Parentum impedit perfectionis ſtatum.

3 Præterea: In commendationem perfectionis ſtatus beati Ioannis Baptiſtæ dicit Hieronymus in Epiſtola ad Ruſticum Monachum: Ioannes Baptiſta ſanctam matrem habuit, Pontificiſq. filius erat: & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur: vt in domo parentum cum periculo viueret caſtitans: carnalitas igitur parentum non ſtat cū perfectionis ſtatu.

In Contrarium eſt. quia præceptum Chriſti non repugnat eius conſilio: ſed carnalitas parentum eſt præceptum: non ergo repugnat perfectio C nis ſtatui, de quo eſt conſilium.

RESOLVTIO.

Parentum carnalitas, à Chriſto ſeruata, quę ſub præcepto cadit, ſtatui Chriſti perfecto non derogauit.

RESPONDEO, dicendum, quòd Chriſtus plenè impleuit illud præceptum: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Exo. c. 20. Nam quòd patrem honorauerit, patet Ioan. 8. Cum enim Iudæi dicerēt ipſum dęmonium habere; Reſpondit: ego dęmoniū non habeo: ſed honorifico patrem meum. Quòd verò matrem honorauerit, in quatuor præcipuè fuit D manifeſtum. Primo in eius adoleſcentia. Nam ſuper illo verbo Lucæ 2. Deſcendit cum illis, & erat ſubditus eis; Dicit gloſſa, ꝙ in ſuſtinendo labores, & ſudores corporeos, quos Maria, & Ioſeph continuè frequentabant, neceſſaria vitæ ſibi quærentes, Chriſtus ſubiectionem, & reuerentiam plenariam eis exhibebat. Secunda in aliorum præſentia. Dicit enim Auguſtinus in libro de Symbolo ſuper illo verbo Ioá. 2. Vinum non habent: quòd tentauit illa fęmina in primo miraculo poſſe ſe iubere filio, tamquàm mater, & tamquàm domina: quæ tamen prius ſe nominauerat ancillam. Ait enim, vinum non habent: fac igi-

tur, vt aquæ in vinum conuertantur. Ille autem, vt E oſtenderet, quòd in hoc non tenebatur ei obedire: quia ſuperabat humanæ naturæ facultatem, quã ab ea acceperat, dixit: Nondum venit hora mea: in qua conditio humanæ naturæ oſtenditur, quæ fuit hora paſſionis. Ne tamen in præſentia aliorum Matrem confunderet, & præceptum eius contemnere videretur; ad mandatũ matris dicentis miniſtris: Quodcumque dixerit vobis facite; & aqua in vinum conuerſę ſunt. Tertio in abſentia: Nam Ioann. vltimo: Pendens in Cruce, & relicturus matrem præſentia corporali ſecundum Chryſoſt. nullius alterius (cum multæ aliæ mulieres aſtarent) meminit, niſi matris: docens nos per hoc, ſuo exemplo, ꝙ à pijs filijs parentibus cura eſt impendenda: ita vt illud lignũ, vbi fixa erant membra morientis, factum fuerit cathedra F Magiſtri docentis. Quarto in funerali diligentia. Cõſueuerunt enim deuoti filij, vt Hieronymus dicit, Funeralia honorabilia matri exhibere. qđ nullo modo eſt credendũ Dei filium in requie ſuę matris prętermiſiſſe, quinimmo ſibi totus feſtinus occurrit.

Ad Argumenta.

Solutio difficultatis ꝑpulchra. AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd illa inanis gloria non eſt referenda ad Chriſti matrem: ſed ad fratres eius, quos non oportet, nedum à peccato inanis gloriæ: immo nec à peccato infidelitatis excuſare, cum ſcriptum ſit Ioã. 7. quòd nec fratres eius credebant in eum. Quare ergo virgo quærebat ſibi loqui, & non expectabat finem prædicationis; Re- G ſpondit Chryſo. quòd hoc fuit propter aliorum importunam petitionem: vel propter Iudæorum ſuſpicionem. Suſpecta enim fuit, ne inſidiæ ei ponerẽtur à Iudæis: & ita ſubito volebat eum ab eis reuocare: vel propter eius ardentem dilectionem. non enim ipſa poterat ad horam eius præſentia priuari.

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ ſicut dicit Chryſoſt. Matth. 10. Si amor parentum Dei amori comparetur, & non poſſit vtrumque ſaluari: odium, vel ſeparatio Parentum eſt pietas in Deum. In illis ergo obediendum eſt Parentibus, quæ non nocent pietati. ſi autẽ contra Deum aliquid expetierint, nõ oportet eis aſſentire: immo ex toto eos relinquere.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus tamquã in termino poſitus non poterat à perfectionis ſtatu H cadere, pulſione alicuius peccati. Ioannes autem Baptiſta, ſicut peccator poterat: ideo neceſſarium erat ſibi dimittere illa, quæ poterant eum à perfectionis Hom. 6. ſtatu reuocare. Vnde dicit Gregor. ſuper illo verbo Ioan. xj. Quid exiſtis in deſertum videre? arundinẽ vento agitatam? Arundinem quippe mox, vt aura contingit, in partem flectit: per quam carnalis animus deſignatur, qui mox, vt fauore, vel detractione tangit in partem aliquam, declinatur. arundo ergo vento agitata Ioannes non fuit: quem in deſerto poſitum à ſtatu ſuę perfectionis nulla rerum varietas inflectebar.

ARTICVLVS II.

VTRVM CHRISTVS CARnalitatem conſanguineorum carnalitatem ſeruando fuerit in ſtatu perfectionis.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus ſeruãdo carnalitatem conſanguineorum, nõ ſteterit in ſtatu perfectionis: quia in perfectionem ſtatus Petri dictum eſt Matth. 16. Beatus es Simon Bar iona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi: ergo quod reuelatur, affectio carnis, & ſanguinis nõ facit perfectionis ſtatũ.

2 Præterea: Ex naturalibus homo non meretur, nec demeretur, nec ponitur in perfectionis ſtatu: Iuxta illud Matth. 5. Si diligitis eos, qui nos diligunt, quam mercedem habetis? non ergo ex carnalitate cõſanguineorũ Chriſtus ſtabat in perfectionis ſtatu.

3 Pręterea: Illud non facit perfectionis ſtatum, cui ſacra Scriptura imprecatur malum: ſed habentibus carnalitatem ad conſanguineos imprecatur malum ſacra Scriptura Micheæ 3. Væ vobis, qui ædificatis Sion in ſanguinibus.

IN CONTRARIVM eſt. quia qui vocat ad perfectionis ſtatum: in ſtatu perfectionis ſubſiſtit: ſed Chriſtus carnales conſanguineos vocauit ad perfectionis ſtatum: puta ad Apoſtolatum: Ergo.

RESOLVTIO.

Conſanguineorum carnalitas ſeruata à Chriſto, eorum vitia non approbante, ſed eorum obliquitatẽ rectificante, & conuitia tolerante, eorumdemq. virtutes magnificè exaltante, ſtatui Chriſti perfecto non derogauit.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Chryſ. Chriſtus in conſanguineis carnalibus quandoque eorum conuitia humiliter tolerauit: quãdoque vero eorum virtutes magnificè exaltauit, quãdoque eorum obliquitates rectificauit: ſed nũquàm eorum vitia approbauit. Eorum namque cõuitia humiliter tolerauit Ioã. 7. ſuper illo verbo: Nemo quippe in occulto aliquid facit, & quærit ipſe in palam eſſe. Dicit Chryſ. ꝙ conſanguinei Chriſti de formidine, & de amore inanis gloriæ eum notabant: nam per hoc, ꝙ dicebant: Nemo in occulto aliquid facit, notabant eum de formidine incuſantes, & ſuſpicãtes ſimul: quòd quæ fiebant ab eo, non verè eſſent facta. Per hoc vero, qđ dicunt: Et quærit ipſe in palam eſſe: amorem inanis gloriæ in eo notãt: vnde meritò ſubditur: ꝙ neque fratres eius credebant in eum. Conſanguineum enim Chriſtum habere poterant, ſed credere in eũ, ipſa propinquitate, & carnalitate faſtidierunt, vt Chryſ. dicit. Virtutes eorũ magnificè exaltauit Matth. 4. Vbi relictis omnibus, Iacobus, & Ioãnes ſecuti ſunt Chriſtum, vt dicit Chryſoſt. ꝙ quia

Homil 47. in Ioã. c. 7.

Homil. 9. in Matth.

ipſi

ipſi reliquerunt affectionem carnalem: quæ intelligitur per rete, ſubſtantiam mundialem, quæ intelligitur per nauem, & paternitatem ſocialem, quæ intelligitur per patrem: ideo meruerunt ſic magnificari, & exaltari à Chriſto: quia venientes ad ipſum iſta tria debent relinquere. Eorum obliquitatem rectificauit Matth. 20. vbi petentibus fratribus eius, ſedere à dextris, & à ſiniſtris Chriſti, Reſpondit: Neſcitis, quid petatis: Ac ſi diceret: ego vocaui vos de ſiniſtra ad partem dextram: & vos, veſtro conſilio, & veſtra petitione, curritis ad ſiniſtram. Sed nonquàm eorum vitia approbauit, & per hoc magnificè inſinuat Prælatis Eccleſiæ, vt ſic in eorum cõſanguineis diligant naturam à Deo plantatam: vt minimè eorũ vitia ſuſtineant.

Notandũ.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendũ, quòd ante illam confeſſionẽ Petrus, & alij diſcipuli fuerunt in perfectionis ſtatu: & tamen non cognouerunt eum eſſe Dei filium: ſed ſolum eſſe Chriſtum: puta vnctum, vel eſſe Dei filium adoptiuum, modo, quo cognouerat Nathanael. Rabbi tu es filius Dei: ſed illa cognitio, qua Petrus, & alij Apoſtoli cognouerunt tunc Chriſtum eſſe Dei filium: non ſolum tranſcẽdebat carnis, & ſanguinis affectionem: immo omnẽ humani ſtatus perfectionem. ſolum enim hoc ſcibile erat Patris reuelatione.

Ioan. 1.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ naturalis affectio Chriſti erga conſanguineos veſtita erat charitate, & verbi incarnati diuinitate: ideo non poterat diſtrahere eum à perfectionis ſtatu.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ illis imprecabatur malum per ſacram Scripturam, qui ædificant in ſanguinibus: qui habẽt oculum in præmotione, & exaltatione ipſorum ſolum ad eorum carnalem affectionem: non autem principaliter ad Eccleſiaſticorum officiorum dignam executionẽ, vel adminiſtrationẽ.

ARTICVLVS III.

VTR. CHRISTUS AMICORUM carnalitatem ſeruando receſſerit à ſtatu perfectionis.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus ſeruando carnalitatem amicorum receſſerit à perfectionis ſtatu. Scribitur enim Matth. 8. quòd volenti ſepelire Patrem ſuum, vt ſequeretur eum, dixit: Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Ioan. verò xj. dixit: Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, vt à ſomno excitem eum. Ex amicitia ergo ad mortuum acceſſit: à quo præcepit diſcedere illum, qui volebat ſtatum perfectionis acquirere.

2 Præterea: Oſtendere ſigna carnalitatis ad amicos nõ ſunt ſigna perfectorum. nam in perſona perfectorum dicit Auguſt. 4. de Trinit. cap 20. Quòd cum aliquod æternum mente capimus, iam non conuerſamur in hoc mundo: ſed Chriſtus de amico ſuo Lazaro lachrymatus eſt Ioan. xj. quod videntes Iudæi dixerunt: Ecce quomodo amabat eum: Ergo non erat perfectionis ſignum.

3 Præterea: Amicitia fundata ſuper vtili, vel delectabili non pertinet ad perfectionis ſtatum: ſed amicitia Chriſti videbatur fundari ſuper vtili, vel delectabili. Nam ſcribitur Ioan. 12. quòd poſt ſuſcitationẽ Lazari venit Ieſus Bethaniam, & ibi fecerunt ſibi cœnam, & Martha miniſtrabat: Non ergo talis amicitia pertinebat ad perfectionis ſtatum.

In contrarium eſt. quia non eſt maior perfectio, quàm animam pro amicis ponere. ſed Chriſtus animam ſuam pro amicis ſuis poſuit: Ergo amicitia, vel carnalitas amicorum non traxit Chriſtũ extra perfectionis ſtatum.

RESOLVTIO.

Amicorum carnalitas à Chriſto ſeruata eius perfecto ſtatui non derogauit, ſed nobis, vtilem informationem præbuit.

RESPONDEO, dicẽdum, ꝙ ſecundum Damaſc. 3. lib. cap. 18. Chriſtum confitemur Deũ perfectum, & hominem perfectum. Suſcepit enim verbũ diuinum animam, & carnem: quia totius hominis naturam in perſonæ diuinæ vnitate coaptauit: & vnicuique naturæ diuinæ, & humanæ permiſſum eſt agere, quòd ſuum erat: ex potentia tamen diuinitatis quandoque actus humanitatis ſuſpendebatur: quandoque verò ſibiipſi relinquebatur. Vnde dicit Auguſt. De ue. Relig. cap. 16. Quòd quãdo voluit, eſuriit: & quando voluit ſic, vel ſic affici erga amicos, vel non affici, in eius poteſtate erat. Quicquid tamẽ Dei filius per hominem, quem ſuſcepit, dignatus eſt operari: nobis diſciplina morum fuit, & ad noſtram informationem, non ad ſuam perfectionem demonſtrauit.

Tomo 1.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ totum erat ad Chriſti gloriam: & mortuum relinquere, & ad mortuum accedere, modo, quo dicit Apoſtolus 1. Corin. 10. Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Ad amicum ergo mortuum ſuſcitandum acceſſit: quia per hoc Deus glorificabatur. Vnde dixit Marthæ Ioã. xj. Nonne dixi tibi, quoniam ſi credideris, videbis gloriã Dei: ſed à mortuo præcepit diſcedere: vel quia mortuus ille infidelis erat. & ideo per infideles erat ſepeliendus, vt dicit Aug. vel quia per alios funeralia illius poterant expleri: & ille non impediri, vel retardari ad ſequendum Chriſtum, in quo ſequebatur ſuæ perfectionis ſtatum, vt dicit Chryſoſt.

Lib. 4. de Trini. c. 3. Tomo 3.

Homil. 28. in Matth.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Chriſtus lacrymatus eſt in ſuſcitatione Lazari amici ſui propter tria. Primo, ad monſtrandam veram humanitatem.

pietatem, non enim aliquod ſignum reſurrectionis adhuc monſtrauerat: vnde ad hoc videbatur iuiſſe, vt lacrymaturus: non vt reſuſcitaturus. Secundo, ad oſtendendam veram pietatem: quia enim fons pietatis erat: ideo flebat pro parte humanitatis: quem reſuſcitare poterat per potentiam diuinitatis. Tertio, ad firmandam in nobis fraternam charitatem. non enim recedit homo à perfectionis ſtatu: ſi proſpera, & aduerſa ſuorum charorũ, & amicorum, ſua putat: immo magis in perfecta charitate firmatur: modo, quo dicit Apoſtolus ad Rom. 12. Gaudere cũ gaudentibus, & flere cum flentibus, idipſum inuicẽ ſentientes.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſic dicit Chryſoſtomus: Chriſtus apud Lazarum, & ſorores eius habitabat, vt ibi maneret corporaliter, vbi ſpiritualiter repauſabat. Nam ſanctorum virorũ eſt, vt ait, q non gaudeant, vbi epulæ largæ ſunt: ſed vbi ſanctitas floret. non ergo cauſa principalis amicitiæ Chriſti cum Lazaro & ſororibus eius erat cœna, vel corporalis refectio: ſed magis eorum ſanctitas, & ſpiritualis deuotio.

F

ARTICVLVS IIII.

VTR. CHRISTVS SERVANdo carnalitatem Benefactorum tenuerit perfectionis ſtatum.

G

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, q Chriſtus ſeruãdo carnalitatem Benefactorum non tenuerit perfectionis ſtatũ: quia conſentire blanditiis rogantium, pro retributione beneficiorũ eſt dimittere perfectionis ſtatũ: ſed Chriſtus conſenſit Lucæ 7. Iudæis rogantibus eum pro Centurione: qui dixerunt: Diligit enim gentẽ noſtram, & Synagogam ipſe ædificauit nobis.

2 Præterea: Lucæ 22. ſuper illo verbo: Qui poteſtatem habẽt ſuper eos benefici vocãtur: dicit gloſſa, q blandi ſermones offeruntur à ſubditis illis, à quibus beneficia recipiuntur: ſed hoc repugnat ſtatui perfectionis: ergo carnalitas beneficiorum impediebat Chriſtum in perfectionis ſtatu.

H

3 Præterea: Quod Chriſtus imprecatus eſt in pœnam, non facit ad perfectionis ſtatum: ſed Chriſtus Phariſæos longas orationes facientes ad benefactrices viduas æterno iudicio condemnauit: Matth. 23. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius iudicium accipietis.

IN CONTRARIVM eſt, quia Eliſeus Propheta in ſtatu perfectionis erat: & tamen mulieri, apud quam hoſpitabatur, dixit 4. Reg. 4. Ecce ſedule in omnibus miniſtraſti nobis: quid ergo vis, vt faciam tibi? Numquid ergo habes negocium, & vis vt loquar Regi, vel Principi militiæ pro te?

E

RESOLVTIO. *Benefactorum carnalitas à Chriſto ſeruata eius perfectionis ſtatum non impediebat: quia ipſi merita inde conſequebantur.*

RESPONDEO, dicẽdum, quòd in Benefactoribus tria poſſumus conſiderare. Primò ipſorũ meritum, quod principaliter intenditur. Secundò beneficium, quod recipitur. Tertiò modum, per quem acquiritur. Planum eſt autem, q meritum ipſorum debet eſſe principaliter intentum, vt quis diligat recipere beneficia à Benefactoribus propter meritum, quod inde conſequuntur. Vnde Chryſoſt. dicit Ioan. 4. ſuper illo verbo: Numquid aliquis attulit ei manducare? cibos ab alijs oblatos dominus ſuſcipere ſolebat: non quòd alieno miniſterio indigeret, qui dat eſcam omni carni: ſed vt deferentes meritũ conſequerentur. In beneficio verò, quod recipitur, attendenda eſt gratiarum actio: vt illi primo referatur gratia, per quem propoſitum beneficia largiendi inſpiratur: & illis, per quos inſtrumentaliter beneficia diſpenſantur. Vnde ſcribitur Eſa. 51. Gratiarum actio inueniatur in te: & vox laudis ſemper ſit in ore tuo. Vnde non ſunt inculpandæ affectiones, & conuerſationes pauperum cum diuitibus: nec reputandæ adulationes: ſed magis quædam inductiones ad præſtanda beneficia pauperibus, ſicut debent: & quædã gratiarum actione, congaudendo de eorum bonis operibus. Dicit enim Apoſtolus 1. Timoth. vltimo: Diuitibus huius ſeculi præcipe, non ſublimè ſapere: neque ſperare in incerto diuitiarum: ſed facilè tribuere, atque communicare, & theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum: vt apprehendãt vitã æternam: quæ fugitiua eſt ab eis: niſi hoc faciant, vt gloſſa dicit. Et ſignãter dicit præcipe: quia de ſuperfluo, & ſuperabundanti beneficia pauperibus dare, eſt præcepti. De neceſſario verò, eſt perfectionis, & conſilij. Vnde dicit gloſſa ſuper illo verbo 2. Cor. 8. Et conſilium in hoc do, ſubaudi, vt pauperibus detis: quia hoc vtile eſt plus facienti, quàm illi, cui fit. Modus verò acquirendi, ſi fiat cauſa Religionis, & honeſtatis, pertinet ad ſanctitatis perfectionem: ſi verò cauſa auaritiæ, & cupiditatis, pertinet ad ſuperſtitionem, & peruerſitatem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, q Iudæi (vt ait Chryſoſt. dicit) pro modicis ſumptibus ad opus Synagogæ datis, gratiam pro Centurione poſtulabãt à Chriſto. In modo ſimiliter petendi doloſitatem prætendebant: quia nolebant propter inuidiam fidẽ Centurionis detegere: vnde non permiſerunt ipſum ad Chriſtum venire: ne magnus aliquis eſſe putaretur, cui preces porrigebantur. Ideò Chriſtus non reſpexit Iudæorum rogamina: nec adſumptus ad opus Synagogæ datos: ſed ad fidem Centurionis in cunctis mortalibus manifeſtandam. Fidei ergo eius cõſenſit: & per ſuam virtutem ſeipſum præſentialiter exhibuit. al. Euſebius.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd blandos ſermones offerri Benefactoribus poteſt intelligi, tripliciter fieri. Primo, propter eorum deceptionem. Secūdo, propter eorum peccatorum commendationem. Tertio, propter alicuius beuolentiæ captationem: vel alicuius temporalis beneficij conſecutionem: ſeu periculi vitationem. Primo modo puto, quòd ſit peccatum mortale, blandos ſermones offerre: quia talibus iudicium æternum promittitur: iuxta illud 2. Petri 2. Fictis verbis de vobis negociabuntur: quibus iudicium iam olim non ceſſat, & perditio eorū non dormitat. Secundo modo ſimiliter puto, q ſit mortale: quia ſic laudatur peccator in deſiderijs animæ
Pſal. 9.
ſuæ: & iniquus benedicitur: Sed tertio modo Aug.
Tomo 10. ſerm. 4. de Sanctis. Dicit eſſe peccatum veniale. Sic enim ait in ſermone de igne Purgatorij: Si amplius quis fuerit blandītus, quàm expedit ſi cuicunque maiori perſonæ, aut ex voluntate, aut ex neceſſitate adulari voluerit: ad minuta peccata pertinere non eſt dubium.

A D tertium eſt dicendū, quòd Phariſæis Chriſtus imprecatus eſt penam propter tria, vt Chryſoſtomus dicit. Hom. 43. in Math. Primo, quia iniqui erant, & cupidi. Secundo, quia eorum auaritiam Religionis colore depingebant: & quaſi arma Dei diabolo præſtabāt: dum iniquitas amabatur, quæ pietas æſtimabatur. Tertio, quia prædam faciebant in perſonis, quæ de facili decipiuntur, puta in mulieribus viduis: quæ eo ipſo, quòd viduæ de facili decipiuntur: non habentes virorum conſilium. De facili ſimiliter bonis ſuis expoliantur: non habentes virorum dominium.

QVAEST. LXXXII. DE CHRISTI OBEDIENTIA.

D E I N D E conſiderandum eſt de Chriſti obedientia. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum in Chriſto fuerit obedientia.

Secundo, Vtrum Chriſtus fuerit obediens homini, vel ſoli Deo.

Tertio, Vtrum obedientia in Chriſto fecerit perfectionis ſtatum.

Quarto, Vtrum obedientia Chriſti fuerit voto præmiſſa.

ARTICVLVS I.

VTRVM IN CHRISTO fuerit obedientia.

Pro materia huius quæſtionis vide S. Thomam, & ibid. Caietanum. 3. par. q. 20.

A D primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, q in Chriſto nō fuerit obedientia. Quia obedientia importat quendam famulatum: ſed in Chriſto non fuit famulatus: dicit enim Apoſtolus ad Hebræ. 3. quòd Moyſes fuit fidelis in tota domo Dei, ſicut famulus: Chriſtus autem nō ſicut famulus, ſed ſicut verus filius.

2 Præterea: Vbi eſt obedientia, ibi eſt ſubiectio: ſed in Chriſto non eſt ſubiectio ad patrē, donec fuerint ſibi omnia ſubiecta: iuxta illud Apoſtoli 1. Corin. 15. Cum autem ſubiecta fuerint ſibi omnia, tunc & ipſe Filius ſubiectus erit illi, qui omnia ſibi ſubiecit: planum eſt autem, q nondum videmus oīa ſibi ſubiecta, vt dicit Apoſtolus ad Hebr. 2.

3 Præterea: Obedientia importat ſeruitute: ſed Damaſcen. lib. 3. cap. 21. Negat in Chriſto fuiſſe ſeruitutem. Ergo in eo non fuit obedientia.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur Philip. 2. Humiliauit ſemetipſum pro nobis factus obediens.

R E S O L V T I O.

Obedientia fuit in Chriſto propter primi peccati vitationem, ſacrificij acceptationem, & propter humanæ naturæ ſeruandam conditionem.

R E S P O N D E O, dicēdum, q neceſſarium eſt ponere in Chriſto fuiſſe obedientiā propter tria. Primo propter primi peccati vitationem, & ſatisfactionem. Peccatum enim, quo totum humanum genus eſt damnatum, fuit primi Adæ carnalis inobedientia: ergo virtus, quâ tale peccatum vitatur, & ſatisfit pro ipſo, debet eſſe ſecundi Adæ ſpiritualis obedientia. Hanc rationem Apoſtolus aſſignat ad Rom. 5. dicens: Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituuntur multi. Secundo propter ſacrificij acceptationem. Chriſtus enim vna oblatione conſummauit in ſempiternū ſanctificatos: quia ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata, vt ſcribitur ad Hebr. 9. Sed talis oblatio non fuit Deo grata, & accepta ſine obedientia. Iuxta illud 1. Reg. 15. Nunquid vult dominus holocauſta, aut victimas: & nō potius, vt obediatur voci eius? melior

eſt

eſt enim obedientia, quàm victimæ. Tertio propter humanæ naturæ ſeruandam conditionem. Naturaliter enim humana natura, quæ partim eſt ſpiritualis, & partim corporalis, ſubijcitur naturæ diuinæ, quæ ex toto ſpiritualis eſt: quia Deus ſpiritus eſt. Ioan. 4. abſque iure creationis, quo iure omnis creatura Deo, ſicut ſuo Creatori, ſubijci debet. Vnde Apoſtolus Philip. 2. Statim cum dixit, ꝙ Dei filius in ſimilitudinē hominum factus eſt, & habitu inuentus, vt homo, ſubdidit: Humiliauit ſemetipſum pro nobis, factus obediēs vſque ad mortem. Igitur propter primi peccati ſatisfactionem: propter ſacrificij acceptationem. & propter humanæ naturæ ſeruandam conditionē fatemur in Chriſto fuiſſe veram obedientiam.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd in Chriſto fuit famulatus, & ſubiectio nō ratione perſonæ, nec ratione diuinę naturæ: ſed ſolum ratione humanę naturę: ideo ſimpliciter non eſt concedendum, ꝙ in Chriſto fuerit famulatus, vel ſubiectio, niſi cum iſta additione, ſecundum ꝙ homo, & ſecundum humanam naturam aſſumptam.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa ſubiectio, de qua Apoſtolus loquitur, intelligitur de ſubiectione capitis, & membrorum: tunc enim Chriſtus (vt dicit Aug.) tradet regnū Deo patri: quādo iuſtos, in quib[us] nunc regnat per fidem, producturus eſt ad apertam viſionem diuinitatis, vt videāt ipſam eſſentiam communem patri, & filio: & tunc ipſe Chriſtus ſubiectus erit Patri, non ſolum in ſe, ſed etiam in ſuis membris per plenam participationem diuinæ bonitatis. — de Trin. c. 8.

Ad tertium eſt dicendum, quòd obedientia videtur differre à ſubiectione, & ſeruitute. nam ſubiectio importat ſuperioritatem: iuxta illud Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Seruitus vero quandam coactiuam poteſtatem, iuxta illud 2. Petri 2. A quo quis ſuperat[us] eſt: eius & ſeruus eſt. Sed obedientia importat quandam placitam voluntatem: ſi ergo iſta referantur in Chriſto ad perſonarum diuerſitatem, neganda ſunt. Non enim in Chriſto fuit alia perſona, ſecundum quam conueniret ſibi ſubiectio, vel ſeruitus: & alia, ſecundum quam conueniret ſibi ſuperioritas, vel dominium: hoc enim ſaperet errorem Arrij. Si vero referantur ad naturarum pluralitatem cum determinatione naturæ humanæ, vera ſunt; & conceſſa in Scriptura ſacra. Nam ſecundum, ꝙ homo, quòd fuerit ſubiectus Patri; Apoſtolus dicit 1. Cor. 15. Quòd vero formam ſerui acceperit, dicit Apoſtolus Phi. 2. ꝙ in placitata volūtate ſemp fuerit ſibi obediēs, dicit Ioan. 8. Quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

E

ARTICVLVS II.

VTRVM CHRISTVS FVERIT vmquam homini obediens.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus numquam fuerit obediens homini: ſed ſoli Deo tantum. Chriſtus enim fuit caput Eccleſiæ: ſed caput non tenetur obedire membris: Ergo numquam tenebatur obedire, niſi ſoli Deo.

F

2 Præterea: Qui non tenetur obedire angelis, multo minus tenetur obedire homini: ſed Chriſtus habebat angelos ſibi ſubiectos Matth. 4. Ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.

3 Præterea: Ille, cui ſuppoſita eſt omnis creatura, non tenetur obedire alicui creaturæ: ſed Chriſto ſuppoſita eſt omnis creatura: iuxta illud ad Hebr. 2. Nō enim angelis ſubiecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur Lucæ 2. Deſcendit cum Maria, & Ioſeph, & erat ſubditus eis.

RESOLVTIO.

G

Chriſtus ſuis Parentibus obediens, & ſubditus fuit ſecundum humanam naturam aſſumptam, ſecundum quam fuit etiam filius Dauid, & Dominus. immo & omnium ſecundum eandem diuinitati perſonaliter vnitam.

Respondeo, dicendum, quòd quæſtio eſt dubia ex hoc, ꝙ Chriſtus dicitur eſſe filius Dauid ſecundum naturam humanam aſſumptam de vtero virginali, quę ex ſtirpe dauitica proceſſit. Matth. 1. Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid: & quantum ad hoc tenebatur obedire parentibus ex ſemine Dauid procedentibus: quia filius Parentibus obedire tenetur ad Ephe. 6. Filij obedite Parentibus veſtris hoc enim iuſtum eſt. Contrarium iſtius ſcribitur Matth. 22. vbi dicitur, ꝙ ſi Dauid in ſpiritu vocat ipſum Chriſtum Dominum dicens: Dixit Dominus domino meo: ſede à dextris meis: quomodo filius eius eſt, ex quo ipſum Dominum ſuum appellat? Planum eſt autem, ꝙ Dominus non tenetur obedire ſeruo. Hanc autem obiectionem ſoluit Chryſoſt. Matth. cap. ſupradicto dicens, ꝙ ſecundum carnē ex matre aſſumptam vere Chriſtus filius erat Dauid: ſecundum autem diuinitatem, ex patre genitus: Dominus eius erat. Verum quia ſecundum gloſſam ad Phil. 2. Chriſtus fuit filius Dauid, & Dominus ſecundum naturam humanam temporaliter aſſumptam: ideo ſciendum eſt, quòd iſta identitas filiationis, & dominij poteſt accipi materialiter, & formaliter. Si enim accipitur materialiter, ſic verū eſt, Chriſtū ſecūdum eandem naturam eſſe filium Dauid, & Dominum eius. Nam (vt gloſſa dicit) illud, quod natū eſt

H — Pſal. 109. — Hom. 43. in Matth. — Chriſtus quomodo filius, & dominus Dauid ſecūdum humanam naturam.

eſt ex Dauid, ita honoratum eſt, vt Dominus eſſet Dauid. Nam in carne, in qua mortuus eſt, & in qua reſurrexit, & aſcendit, & ſedet ad dexteram Patris: & in ipſa eadem ſic exaltata, & ſic honorata: ſic in cæleſtem habitum mutatus, eſt filius Dauid, & Dominus eius: non tamen ſecundum eandem rationem ſumptam: ſed vt illa natura eadem fuit à matre temporaliter accepta: ſic fuit filius Dauid: quia hoc modo fuit in lumbis eius ſecundum corpulentam ſubſtantiam, quam à Matre accepit ſecundū Aug. vt vero illa natura fuit diuinitati perſonaliter vnita, & diuina fruitione, ac gratiæ largitione repleta: ſic fuit Dominus, non ſolum Dauid: ſed & omnium hominum, immo omnium Angelorum.

Lib. 10. de Gen. ad literam c. 20. Tomo 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus fuit caput Eccleſiæ propter gratię plenitudinem De cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, vt dicitur Io. 1. Defectus tamen corporales aſſumpſit in ſimilitudinem ſuorum membrorum: quia decuit eum per omnia fratribus ſimilari, vt ætatum varietatem, famem, ſitim, ſudores, & labores, in quibus ſuſtinendis, & portandis ſimul cum ſuis Parentibus ſubiectionem, & obedientiam eis exhibebat, vt dicit glo. Lucæ 2.

AD ſecundum ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus habebat angelos ſibi ſubiectos propter perſonalem vnionem. quia ille homo erat Deus: in naturæ tamē conditione minoratus eſt paulominus ab angelis: vt ſcribitur ad Hebrę. 2. Super quo verbo dicit gloſſa ꝙ & ſi paſſibilis, & mortalis erat, angelis tamen imperabat: & per hoc patet reſponſio ad Tertium.

ARTICVLVS III.

VTRVM OBEDIENTIA IN Chriſto fecerit perfectionis ſtatum.

AD tertium ſic proceditur: Videtur em̄, ꝙ obedientia in Chriſto non fecerit perfectionis ſtatum. quia per actum liberi arbitrij homo ponitur in perfectionis ſtatu: ſed Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit vſum liberi arbitrij, non ante obedientiam. ergo per eam non fuit poſitus in perfectionis ſtatu.

2 Præterea: per ſolum actum meritorium homo ponitur in ſtatu perfectionis. Sed Chriſtus meruit ab inſtanti conceptionis ſuæ, quantum mereri potuit. non ergo per obedientiam.

3 Præterea: ſtatus perfectionis conſiſtit in attinctione termini: ſed Chriſtus ab inſtanti conceptionis fuit in termino, & verus comprehenſor: non ergo per obedientiam fuit poſitus in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt, qđ ſcribitur Phil. 2. Propter quod, & Deus exaltauit illum: glo. propter obedientiam humilitatis ſuæ exaltauit illum.

A *RESOLVTIO.*

Chriſti obedientia ſtatum perfectionis effecit quantum ad corporis augmentum, & quantum ad meritū accidentale: Sed quantum ad meritum eſſentiale ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus.

RESPONDEO, dicēdum, ꝙ de ſtatu perfectionis Chriſti poſſumus loqui tripliciter. Primo, quantum ad corporis augmentum. Secundo, quantum ad meritum eſſentiale. Tertio, quantum ad aliquod meritum accidentale. Primo quantum ad corporis augmentum, planum eſt, quòd ab inſtanti ſuę conceptionis non eſt completum, ſed ſecundum crementum ſui corporis in ſapientia proficiebat. Vnde B ſuper illo verbo Lucæ 2. Puer autem creſcebat, & cōfortabatur: dicit glo. Iuxta menſuram ætatis corporeæ natura diuinā ſapientiam reuelabat: ne ſi dum paruus ętate erat, omnem ſapientiam demonſtraſſet, videretur eſſe prodigium. In merito vero eſſentiali Chriſtus ab inſtanti cōceptionis fuit perfectus: quia tunc recepit ſpiritum non ad menſuram: & ideo per actum voluntatis charitate informatæ meruit quicquid mereri potuit de eſſentiali pręmio, quod conſiſtit in aperta viſione diuinitatis: ita, vt ab ipſo inſtanti ſuæ conceptionis fuerit beatus, & verus cōprehenſor. Sed in merito accidentali, quod reſpicit genus operis, potuit mereri, & perfici. Meruit enim ſibi per humilitatis obediētiam, accelerationem reſurrectionis, & multa opera digna tali præmio, poſt eius conceptionē operatus eſt. C Tangit autem Apoſtolus Phil. 2. quatuor prærogatiuas, quas ex ſua obedientia, & humilitate Chriſtus ſortitus eſt. Primo humanæ naturæ exaltationē. Cum dicit: Propter quod & Deus exaltauit illum, dando ſibi corporis claritatem: quia humilitas claritatis eſt meritum. Claritas vero humilitatis eſt præmium, vt dicit Auguſtinus. Secundo diuini nominis donationem, cum addit: Et donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomē: donatum enim eſt illi homini, ꝙ eſſet Deus, & nominaretur Deus. Et quamuis in inſtanti ſuæ conceptionis iſta donatio facta ſit; tamen poſt reſurectionem. quod erat occultum, in euidenti poſitum eſt: vt ſcirent hoc dæmones, & homines: vt glo. dicit. Tertio omnium creaturarum ſubiectionem, cum ſubdit: Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infer- D norum: Et merito, quia cælum, puta angelos impleuit, eorum ruinam reparando. Terreſtria, puta homines, ſaluauit, eis ianuā Paradiſi aperiendo. Et infernum, puta dæmones expoliauit, captiuos ibi exiſtentes extrahendo: ſicut glo. dicit. Quarto omnium linguarum confeſſionem: cum poſt ponit: Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris. Multi namque ſecundū Auguſtinū nunc Chriſtum negant, qui in fine ſæculi velint, nolint, confitebuntur. Iuxta illud Dan. 7. Omnis populus, tribus, & linguę ſeruient ei in æternum. In cuius confeſſionis ſignum Ioan. 19. Titulus Crucis ſcriptus eſt lingua Hebraica, Græca, & Latina.

Crucis Titulus cur tribus linguis ſcriptus.

Ad

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Chriſtus ab inſtanti cōceptionis fuit obediens Patri: quia ſicut in iſtanti potuit intelligere, & velle per ſcientiam, & charitatem infuſam abſq; ſenſus preparatione: ſic ſecundum talem volitionem, & cognitionem, tota mēs eius plene ſubijciebatur Deo. Sed poſtmodum obedientia humilitatis eius manifeſtata eſt per eius incrementum temporis, & ætatis, per multa opera meritoria, quæ ipſe operatus eſt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illud meritum reſpicit præmium eſſentiale. In merito vero accidētali (vt ſupradictum eſt) fuit augmentum ſecundum genus operis, quod ipſe operatus eſt: de quorum numero fuit eius obedientia ad Patrem.

AD tertium eſt dicendū, ꝙ in inſtanti conceptionis Chriſtus fuit in termino eſſentiali; ſed corporis immortalitatem, & claritatem poſtmodum ex merito humilitatis, & obedientiæ ſuæ conſecutus eſt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CHRISTI OBEDIENtiæ fuerit voto promiſſa.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ obedientia Chriſti nū fuerit voto promiſſa: quia ſuper illu verbo Pſal. 75. Vouete, & reddite Domino Deo ueſtru: dicit glo. ꝙ Vouere volūtatis eſt, ſed reddere, eſt neceſſitatis. Sed in Chriſto non fuit aliqua neceſſitas: ergu nec redditio voti.

2 Præterea: Dionyſius dicit capitulo 2. Eccleſiaſticæ hierarchiæ: Votum ſolemnizatur in conſecratione, & ordinis ſuſceptione. Sed de Chriſto non legimꝰ, quòd ſic ſolemnizauerit votum obedientiæ: In Chriſto ergo non fuit obedientia voto promiſſa.

3 Preterea; Illi, qui ſunt ſub poteſtate alterius, vouere nō poſſunt. ſic patet Nume. 3. ſed Chriſtus erat ſemper ſub poteſtate patris. ergo vouere non poterat.

IN CONTRARIVM eſt, quia votum eſt voluntaria oblatio facta Deo. Sed ſuper illo verbo ad Hebræ. 5. Cum eſſet filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam; Dicit gloſſa, ꝙ Chriſtus didicit, quia volūtarie ſuſcepit obediētiam uſq; ad mortem.

RESOLVTIO.

Chriſti obedientia, vt ex multis Sacræ Scripturæ locis colligitur, voto promiſſa fuit.

† S. Thom, 2. 2. q. 88. a. 1. & 2. RESPONDEO, dicendum, quòd votum † nō eſt aliud, quàm ſpontanea voluntas Deo oblata. Oblatio autem, quam de ſeipſo Chriſtus fecit Deo patri, voluntaria fuit: quia voluntarie tradidit ſe iudicanti iniuſtè, qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, vt dicitur 1. Petri 2. & iſta voluntas voto ſolemnizata eſt in Chriſtu in iſtanti conceptionis ſuæ, cū

E conſecratione Spiritus ſancti. Vnde in perſona Chriſti gloſſa exponit illud verbum: Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi, vt reddam vota mea de die in diē; vt ſit ſenſus: Sic ego operabor ad honorem tuum, vt quicumque requirat, exemplo meo faciat, & in ſęculum ſæculi, quamdiu hoc ſęculum durat: quia non ad tempus eſt hoc agendum: & ſic reddam vota mea de die in diem, puta quod voui, reddam aſſidue. Illud ſimiliter verbum: Introibo in domum tuam in holocauſtis, reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerūt labia mea; gloſſa exponit in perſona Chriſti ſic loquentis: Introibo in domum tuam in holocauſtis: vt meipſum offerā in cōſpectu tuo: vel in holocauſtis bonorum operum: & tunc cum introibo, reddam tibi cum angelis vota mea: puta vota laudum, quæ hic voueo, & promitto: quę vota diſtinxerunt labia mea, eo, ꝙ ipſa ratio mea omnibus prætulit: Illud ſimiliter verbum: Calicem Salutaris accipiam, & vota mea reddam coram omni populo eius, glo. in perſona Chriſti exponit, ſic dicens: Calicem accipiam, quod in deſiderio, & poſtea ipſo actu reddam vota mea, coram omni populo eius: quia meipſum, qui ſum tua imago, offeram coram omni populo, vt exemplum capiat, cur ergo ita faciam.

Pſal. 60. Pſal. 65. F Pſal. 115.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd in Chriſto non fuit neceſſitas coactionis, & ſeruilis: ſed neceſſitas immutationis, & filialis: & talis neceſſitas requiritur ad perfectam rationem voti.

G AD ſecundum eſt dicendum, quòd votum Chriſti ſolemnizatum eſt conſecratione, & ordinis ſuſceptione. Conſecratione quidem, per plenitudinem gratiæ ſanctificantis, & conſecrantis animam, & corpus eius. Vnde dictū eſt Lucę 1. Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. Et Ioan. 10. ſcribitur: Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum. Ordinis vero ſuſceptione: quia alij Sacerdotes facti ſunt ſine iureiurando: Chriſtus autem factus eſt Sacerdos cum iureiurando, per eum, qui dixit ad eum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum, ad Hebr. 7.

AD tertium eſt dicendum, quòd Chriſtus ſecundum diuinitatem, eiuſdem voluntatis erat cum Patre: ſicut, & eiuſdem ſubſtantiæ. Secundum vero hu-
H manitatem, votum eius erat de volūtate Patris:
quia ſecundum voluntatem humanam
ſemper faciebat eius beneplacita: iu
xta illud Io. 8. Qui miſit me
mecum eſt, & non reli-
quit me ſolū, quia
quæ placita
ſunt ei,
facio ſem-
per.

QVAE-

QVAEST. LXXXIII. DE CHRISTI CONTINENTIA.

POST hoc conſiderandum eſt de Chriſti continentia. Circa quod quæruntur Tria.

Primo, Vtrum Chriſtus potuerit actum coniugalem exercere.

Secundo, Vtrum Chriſtus propter perfectionis ſtatum debuerit vitare carnalem coniugium.

Tertio, Vtrum Chriſtus à ſtatu perfectionis deciſiſſet, in carnali coniugio viuendo.

ARTICVLVS I.

VTR. CHRISTVS ACTVM coniugalem exercere poterit.

Hunc totũ articulũ tractat Ægidi' Rom. in 2. Quol. q6.3. vide etiam S. Baſilium in lib. de vera virginitate.

AD primum ergò ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Chriſtus non potuerit actum coniugalẽ exercere: Quia generans dat tale eſſe genito, quale ipſum habet: Sed Chriſtus habet eſſe diuinũ: nec natura humana exiſtit in Chriſto, niſi per diuinum eſſe: ergo eſſe diuinum communicaſſet genito: & ſic genuiſſet Deum, quod eſt impoſſibile.

2 Præterea: Chriſtus non potuit peccare, nec mẽtiri: & tamen habuit linguam, & os, per quæ mentitur: & voluntatem, qua peccatur: ergo ſimiliter, dato ꝙ habuerit potentiam, & membra generandi, non videtur, ꝙ potuerit generare.

3 Præterea: In Chriſto non eſt niſi ſuppoſitum diuinum, cuius proprium eſt agere: quia actiones ſuppoſitorum ſunt: ſed ſuppoſitum diuinum eſt ſpiritus, iuxta illud Ioan. 4. Spiritus eſt Deus: non ergo potuit actum carnalem exercere. Ariſt. 1. Metaph. in Prologo.

IN CONTRARIVM eſt. quia potentia eſt imperfecta, quæ non poteſt exercere actum, ad quẽ ordinatur: ſed in Chriſto potentia generandi fuit perfecta, ſicut & omnes aliæ potentiæ: aliter non fuiſſet perfectus homo: potuit ergo actum coniugalem exercere.

RESOLVTIO.

Chriſtus potuit actum coniugalem exercere: quia in ipſo non erat potentiæ alicuius virtutis carentia, vt in cæco, reſpectu lucidi: nec effectus priuatiua eſſentia, vt in omnibus, reſpectu tenebræ, quæ videri non poteſt: ſed propter effectus ad Chriſtum repugnantiã, A *vel indecentiam. ipſi enim non conueniebat propter prolis generationem, non propter concupiſcentiæ refrænationem, nec propter ſui glorificationem.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ actus aliquis non poſſit progredi à potentia, ex tribus pôt contingere. Primo propter potentiæ alicuius virtutis carentiam. Secundo propter effectus priuatiuam eſſentiã. Tertio propter ipſius effectus ad illud agens repugnantiam, vel incondecentiam. Propter primũ, lucidum non videtur à cæco. Propter ſecundum nõ videtur tenebra. Propter tertium non videtur turpe. Actus ergo copulæ coniugalis per Chriſtum exerceri non potuit. B Non quidem propter potentiæ alicuius virtutis carentiam: nec propter effectus priuatiuam eſſentiam: ſed propter ipſius effectus ad Chriſtum repugnantiam, vel incondecentiam.

Fuit enim matrimonium inſtitutum † propter tria: vel triplici ex cauſa mulier facta eſt in adiutorium viri. Primo, propter prolis generationem. Secundo, propter concupiſcentiæ refrænationẽ. Tertio, propter viri glorificationem. Primum adiutorium habuit locum in ſtatu innocentiæ. Secundum in ſtatu peccati. Tertium in ſtatu gratiæ. De primo adiutorio loquitur Aug. 9. ſuper Gen. cap. 5. Quòd mulier non eſt facta in adiutorium viri propter laboris ſubleuationem, C nec propter ſocietatis recreationem, nec propter inſtructionem: ſed ſolum propter prolis generationem. De ſecundo verò adiutorio loquitur Apoſtolus 1. Cor. 7. Vnuſquiſque ſuam vxorem habeat propter fornicationem vitandam. De tertio autem adiutorio dicit Auguſtinus in libro de cathechizandis rudibus cap. 18. Exponens illud verbum Apoſtoli 1. Cor. xj. Mulier eſt gloria viri; Fecit Deus homini in adiutorium fœminam: non ad carnalem concupiſcentiam: quoniam quidem nec corruptibilia corpora tunc habebãt, antequàm eos mortalitas inuaderet pœna peccati: ſed vt haberet gloriã D de fœmina, cum ei præiret ad Deum: ſeque illi præberet imitandum in ſanctitate, ac pietate: ſicut ipſe eſſet gloria Dei, cum eius ſapientiam ſequeretur. Chriſto ergo actus coniugalis copulæ non conueniebat propter prolis carnalis generationem: quia ipſe non propter generationem carnalem: ſed ſpiritualẽ incarnatus eſt Ioan. 1. Dedit eis poteſtatẽ filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius. Et ſtatim ſubditur: Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: ſed ex Deo nati ſunt. Nec propter concupiſcentiæ refrænationem: quia ipſe nec peccatum fecit: nec dolus inuentus eſt in ore eius. ſolus enim inter mortuos carnali concupiſcentia fuit liber. Nec propter

† S. Tho. in 4. ſentẽtiis, & omnibus additis ad 3. par. q. 42. Tomo 3.

propter ſui glorificationẽ. ipſe enim glorificatus eſt E
à Patre ab inſtanti ſuæ conceptionis: In nullo ergo
actus coniugalis copulæ ſibi conueniebat.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, quòd non non ſequitur, Chriſtum generaſſe Deum: nam generans in tranſmittit naturam, & trãſmittendo naturam, dat formam conſequentem generationem illam: & dando formam, vel naturam, dat eſſe, quod fluit à forma, & quod cauſatur ab ipſa natura. Vnde ſi Chriſtus genuiſſet ſecundum naturam humanam genuiſſet ſuppoſitum in natura humana: & ſic naturaliter genuiſſet purum hominem, non Deum, & hominẽ.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſecus eſt de F mentiri & peccare, & de generare. quia generare importat effectum poſitiuum: mentiri verò, vel peccare, cum ſint quædam priuationes, non habent de ſe rationem effectus agibilis, & producibilis. vnde poſſe ipſorum non eſt poſſe: ſed deficere à poſſe. In Chriſto verò, vbi non erat defectibile poſſe, non poterat eſſe mendacium, neque peccatum. Generare verò de ſe habet rationem effectus agibilis, & producibilis: ideo Chriſto non repugnabat ratione potẽtiæ: ſed propter rationes ſuperius dictas.

AD tertium eſt dicendum, quòd licet ſuppoſiti ſit agere, vel pati: neutrum tamen ſibi conuenit, niſi ratione naturæ: vnde ſicut Chriſtus verè comedebat, & bibebat, non obſtante quòd ſpiritus nec comedit, nec bibit: quia talia licet eſſent actus ſuppoſiti ſpi- G ritualis, puta ſuppoſiti diuini, conueniebant tamen ſibi ratione humanæ naturæ: ita generare potuiſſet, & eſſet actus illius ſuppoſiti, ratione tamen naturæ aſſumptæ.

ARTICVLVS II.

VTR. CHRISTVS PROPTER perfectionis ſtatum debuerit vitare carnale coniugium.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus pro- H pter perfectionis ſtatum debuerit vitare carnale coniugiũ. quia quod facit ad perfectionem ſtatus in membris, facit ad perfectionem ſtatus in capite: ſed continentia facit ad perfectionem ſtatus in membris: ſicut patet Matth. 19. verbo, & exemplo: verbo quidem, quia qui poteſt capere capiat. Exemplo verò. Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Ergo faciebat ad perfectionem ſtatus in Chriſto capite.

2 Præterea: Conſilium eſt de perfectionis ſtatu: ſed Chriſtus de continentia per Apoſtolum dedit cõſilium 1. Cor. 7. De virginibus præceptum domini non habeo: conſilium autem do.

3 Præterea: Auguſt. dicit: quia continentia coniugalis eſt bona: vidualis melior: & virginalis optima: ſed optimus ſtatus conueniebat optimo homini: Chriſto ergo, qui fuit optimus homo, conueniebat.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſtatus optimus eſt comprehenſorum: ſed Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis fuit comprehenſor: ergo vitare carnale coniugiũ non poterat facere ad eius perfectionis ſtatum.

RESOLVTIO.

Chriſtus carnale coniugium vitare nõ debebat propter ſui ſtatus perfectionem: ſed propter ſtatum viatorum. continentia enim ſupra ſtatum coniugalẽ ſex præeminentias habet.

RESPONDEO, dicendum, quòd vitationem coniugalis copulæ facere ad ſtatum perfectionis in Chriſto, dupliciter, quantum ad præſens, poteſt intelligi. Primo, quòd faceret ad eius perfectionis ſtatum conſequendum. Secundo, quòd faceret ad eius perfectionis ſtatum alijs demonſtrandum. Primo modo vitatio coniugalis copulæ non faciebat ad eius perfectionis ſtatũ. fuit enim Chriſtus ſimul viator, & comprehenſor: & ſicut fuit ſimul in ſtatu viatorum, & comprehenſorum: ſic eius opera quãuis non facerent ad perfectionis eius ſtatus conſecutionem (quia iam ſtatum comprehenſorum habebat) faciebant tamen ad perfectionis ſtatus viatorum directionem, & regulationem: in quo ipſe per corporis paſſibilitatem exiſtebat.

Habet autem ſtatus continentiæ ſupra ſtatum coniugalem quaſi ſex præeminentias. Habet namque primo maiorem dignitatem: quia per continentiam homines aſſimilantur Angelis. Secundo maiorem puritatem. trahitur enim ſpiritus per actũ coniugalem ad immũditiam carnis, & efficitur quaſi caro. Tertio habet maiorem libertatem: quia vxor non habet poteſtatem ſui corporis: ſed vir. Quarto habet maiorem vnitatem: quia qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quomodo placeat vxori: & diuiſus eſt. Quinto habet maiorem ſanctitatem: quia coniugati tribulationem carnis habent: & impulſionẽ maiorem, quàm non coniugati. Sexto habet maiorem vtilitatem: quia maius præmium, & maior fructus ſibi debetur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, quòd perfectio membrorum eſt perfectio capitis: non quidem conſequendo, ſed communicando. Communicat enim Chriſtus, qui eſt caput Eccleſiæ ſuam perfectionem: & ad eam imitãdam induxit ſua membra verbo, & exemplo: non tamen ſuam perfectionem conſecutus eſt per ſuorum membrorum ſtatus perfectionem.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ de continentia Chriſtus conſilium dedit: quia tale conſilium expe-

dieus

diens erat ſuis membris ad conſequendum perfe-ctionis ſtatum: & ipſe in ſe tale conſilium ſeruauit verbo, & opere: non quidem propter ſui ſtatus perfectionis conſecutionem, ſed propter ſuæ perfectionis imitationem.

A D tertium eſt dicendum, quòd continentia virginalis eſt optima, quantum ad ſtatum viatorum: & eſt quædam ſimilitudo, & participatio ſtatus comprehenſorum; quem ſtatum Christus conſecutus eſt ab inſtanti ſuę conceptionis: non per virginalem continentiam, ſed per vnionis, & vbertatis gratiam.

ARTICVLVS III.

VTRVM CHRISTVS A ſtatu perfectionis decidiſſet, ſi in carnali coniugio veniſſet.

AD tertiam ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus à ſtatu perfectionis decidiſſet, in carnali coniugio viuendo. Dicit enim Auguſt. quòd coniugalis copula concupiſcentiam non extinguit, ſed mitigat. perfectionis ergo ſtatus non ſtat cum copula coniugali:

2 Præterea: Chriſtus ſuſcepit perſonam perfectorum, & infirmorum in his, quæ deſeruiunt virtuti nutritiuæ, præcipiens quandoque nihil poſſidēdum, & nihil ſeruandum in perſona perfectorum. Aliquādo vero loculos habendum, & aliquid ſeruandum in perſona infirmorum: Ergo ſimiliter facere debuit in his, quæ deſeruiunt virtuti generatiuæ: vt quandoque ſeruaret continentiam in perſona perfectorum: & quandoque copulam coniugalem experiretur in perſona infirmorum, ſtatum ſuæ perfectionis dimittendo.

3 Præterea: Chriſtus conſtituit ſtatum perfectionis in continentia virginali: non coniugali: Ergo viuendo in carnali coniugio à ſtatu perfectionis decidiſſet.

I N C O N T R A R I V M eſt. quia Abrahā perfectus fuit Gen. 17. Ambula coram me, & eſto perfectus. & tamen fuit in ſtatu coniugali: Ergo multo fortius Chriſtus viuendo in carnali coniugio potuit ſtare in perfectionis ſtatu.

RESOLVTIO.

Chriſtus à ſtatu perfectionis non decidiſſet, ſi in carnali coniugio uixiſſet.

Tomo 4. RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug. in lib. 83. quæſtionum: Mundi curſus per quatuor ſtatus tranſitum habet. Primus enim ſtatus

A fuit Iuſtitia originalis. Secundus peccati actualis, & originalis. Tertius gratia ſalutaris. Quartus erit beatitudinis æternalis. De quolibet autem iſtorum ſtatuum Chriſtus aliquid accepit. Nam de primo ſtatu accepit iuſtitiam originalem, & peccati immunitatem. De ſecundo vero, corporis paſſibilitatem, & mortalitatem. De tertio, gratiæ vbertatem. De quarto comprehenſorum apertę viſionis claritatem. Viuendo ergo Chriſtus in carnali coniugio non decidiſſet à perfectione primi ſtatus: quia veſtitus iuſtitia originali multo nitidius, & ſanctius fuiſſet vſus illo actu, quàm homo ante peccatum, in quo (vt dicit Auguſt.) fuiſſent nuptiæ, & thorus immaculatus ſine omni prurito libidinis. Nec à perfectione ſecundi ſtatus: quia ſi ſimul ſtabant in ſuppoſito

Quatuor mundi ſtatus.

De bono cōiugali c. 22. Tom 6.

B verbi incarnati cum perfectione, & abſque omni derogatione naturæ diuinæ corporis aſſumpti paſſibilitas, & mortalitas; ergo multo fortius abſque omni derogatione perfectionis illius ſuppoſiti poterat ſtare actus coniugalis copulæ. Nec à perfectione tertij ſtatus decidiſſet: quia ſi virginitas Ioānis non præfertur in merito gratiæ ſecundum Auguſtinum carnali copulæ Abrahæ: multo magis cum gratiæ vbertate potuiſſet in Chriſto ſtare carnale coniugium. Nec ſimiliter a perfectione quarti ſtatus: quia ſi exiſtens in cruce Chriſtus non impediebatur in fruitione, apertę viſionis diuinæ ratione cruciatus, & doloris corporalis: multo fortius ergo Chriſtus in tali beatitudine non fuiſſet retardatus ratione actus copulæ coniugalis.

C

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd nec extinctio, nec mitigatio concupiſcentiæ in Chriſto habuiſſet locum, multo magis, quàm in primo ſtatu ante peccatum: eo quòd ipſe ſimul cum iuſtitia originali habuit plenitudinem gratiæ: & ſimul erat in ſtatu viatorum, & comprehenſorum, quæ in primo ſtatu in nullo fuiſſent inuenta.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd non eſt ſimile: quia virtus nutritiua, cum faciat ad conſeruationem indiuidui, eſt communis omnibus, perfectis, & imperfectis: ſed virtus generatiua, cum

D faciat ad conſeruationem ſpeciei, non eſt communis omnibus. Conuenit autem ſolum infirmis, & non perfectis. Eſt enim ipſa continentia mons magnus, ad quem omnes non poſſunt aſcendere. Vnde ſuper illo verbo Gene. 19. Non poſſum in montem ſaluari, ne forte apprehendat me malum, & moriar. Eſt ciuitas hic parua, ad quam poſſum confugere, & ſaluabor in ea. Dicit gloſſa, quòd virginitas altus mons eſt, ad quem Angelus hortatur aſcendere, quando dixit Loth: Noli reſpicere poſt tergum tuum: ſed in monte ſaluum te fac. Veruntamen, qui videt ſe nō poſſe aſcendere talem montē, maneat in Segor: quæ erat ciuitas parua in valle poſita, quia qui nō poteſt cōtinere, & virginitatē ſeruare, debet manere in legitimo matrimonio. Chriſt' ergo in his, quę ſeruiebāt virtuti nutritiuæ: quæ cōmunis

erat omnibus: perſonam perfectorum, & infirmorum aſſumpſit: ſed in his, quæ ſeruiebant virtuti generatiuæ, quæ conueniebat quibuſdam, & quibuſdã non: aſſumpſit perſonam perfectorum: ſed non infirmorum.

E A D tertium eſt dicendum, quòd ſicut Chriſtus conſtituit ſtatum perfectionis in continentia virginali: ſic in illo ſtatu vixit, non propter ſuæ perfectionis conſecutionem, ſed propter ſuorum membrorum imitationem.

QVAEST. LXXXIIII. DE APOSTOLORVM VOCATIONE.

POSTQVAM viſum eſt, qualiter ſtatus pfectio in Chriſto fuit exemplariter demõſtrata. Nunc videndum eſt quomodo ab eo, tãquam à capite eſt in eius Apoſtolos deriuata. Circa quod Octo videndo ſunt.

Primo, de Apoſtolorum Vocatione.
Secundo, de eorum Prędicatione.
Tertio, de eorum Conuerſatione.
Quarto, de eorum Perfectione.
Quinto, de eorum Pręlatione.
Sexto, de eorum Paupertate.
Septimo, de eorum Caſtitate.
Octauo, de eorum Obedientia, & humilitate.

Circa primum quæruntur Quatuor.

PRIMO, *Vtrum Apoſtoli prius vocati fuerint ad ſtatum Religionis, quàm Pręlationis.*
Secundo, Vtrum Apoſtoli poſt exercitationem mãdatorum fuerint vocati ad Religionis ſtatum.
Tertio, Vtrum Apoſtoli poſt eorum vocationem profecerint in perfectionis ſtatu.
Quarto, Vtrum Apoſtoli prius fuerint à Chriſto baptizati, quàm ad Apoſtolatum vocati.

ARTICVLVS I.

VTRVM APOSTOLI PRIVS ad ſtatum Religionis, quàm Prælationis vocati fuerint.

H AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtoli non prius fuerint vocati ad ſtatũ Religionis, quàm Prælationis. Super enim illo verbo Matth. 4. Ambulans Ieſus iuxta mare, videns duos fratres mittentes rete in mare, dicit gloſſa: Decenter autẽ Dominus ꝑ piſcatoria loca vadit piſcatores hominum piſcaturus: ſed cum piſcari homines ſit of-

F ficium Prælatorum: videtur quòd Apoſtoli vocati prius fuerint ad ſtatũ Prælationis, quàm Religionis.

2 Præterea: Status Religionum videtur eſſe inſtitutus à puro homine: puta, à Benedicto, vel Auguſtino, vel ab alijs, qui Religiones aliquas inſtituerũt: non ergo à Chriſto, qui fuit Deus, & homo.

3 Præterea: Petrus fuit caput omnium Apoſtolorum, & Prælatus totius Eccleſiæ: ſed ſtatim cũ Chriſtus vocauit eum Ioann. 1. dixit: Tu vocaberis Cephas: ergo ſtatim ad Prælationis ſtatum vocatus eſt.

IN CONTRARIVM eſt: quia via naturaliter præcedit terminum: ſed perfectio Religionis eſt ſicut via, perfectio verò Prælationis eſt ſicut terminus. Nam prælatio præſupponit iam hominem perfectum.

G *RESOLVTIO.*

Apoſtoli prius ad Religionis ſtatum, quàm Prælationis fuerunt vocati.

RESPONDEO, dicendũ, † ꝙ perfectio Religionum in tribus eſſentialiter conſiſtit. Primo in ſpirituali paupertate per abdicationem mundialis ſubſtantiæ. Secundo in corporis, & mentis caſtitate, per abdicationem omnis carnalis concupiſcentię. Tertio in obedientia, per abdicationem omnis elationis ſuperbiæ, relinquendo propriæ voluntatis motum. Iſta autem tria vota, facto, & exemplo Apoſtoli profeſſi ſunt in ipſa eorum prima vocatione: quando Matth. 4. Vocati à Chriſto, ſtatim relictis omnibus ſecuti ſunt eum. Super quo verbo, dicit Chryſoſtomus, quòd tria ſunt, quæ relinquere debent venientes ad Chriſtum. Primo, ſubſtantias mundiales, quæ per nauem intelliguntur. Secundo, operationes carnales, quę intelliguntur per rete. Tertio, reuerentias paternales, quę intelligũtur per patrem: vt enim dicit Apoſt. ad Hebræ. 12. Si patres quidem carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos: nonne multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & viuemus? Si ergo Apoſtoli in prima eorũ vocatione, iſta tria reliquerunt, & tria vota eſſentialia promiſerunt; planum eſt, ꝙ tunc ad ſtatum Religionis ſunt vocati.

† Videtur S.Tho. 2. 2. q. 184. art. 3. & 5. & ſequen.

Hom. 9. in Matth.

In Prælatione autem eorũ tria poſſumus conſiderare. Primo poteſtatis iuriſdictionem, quæ confertur

in electione. Secundo ſpiritualé conſecrationem, quę confertur in ordinatione. Tertio executioné, quæ cũ requirat diuinæ ſciẽtiæ infuſioné, nõ poteſt fieri niſi per Spiritus ſancti miſſionem. Ad ſtatum ergo prælationis Apoſtoli, quãtum ad eorum iuriſdictionem, vocati ſunt Matth. 16. vbi dictum eſt Petro, à quo alijs poteſtati iuriſdictio erat taxanda: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quantum vero ad eorum ordinationem, vocati ſunt ad prælationis ſtatũ Ioan. 20. quando dictum eſt eis: Accipite Spiritũ ſanctũ, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: tunc enim facti ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi. Sed quantũ ad executioné, vocati ſunt ad Prælationis ſtatũ Mar. vltimo: Vbi poſtquam repleti ſunt Spiritu ſancto prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonẽ confirmante, ſequentibus ſignis. Prius ergo Apoſtoli vocati ſunt ad ſtatum Religionis, quàm Prælationis.

Ad Argumenta.

Ad primum ergò eſt dicendũ, quòd Chryſoſt. exponit ſignanter eſſe dictum: Faciam vos fieri piſcatores: puta Doctores, & Prælatos: non ſicio ſed faciam, vt cum rete Verbi Dei comprehendatis homines de mundo tẽpeſtuoſo, & periculoſo, vbi homines non ambulant, ſed feruntur: vbi homines alterutrum ſe comedunt: ſicut piſces fortiores deuorant minores: vt tranſlati viuant, in terra facti membra corporis Chriſti. (Hom. 7. in Matt. i opere imperfecto.)

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Religiones non ſunt inſtitutæ à puro homine, quãtum ad vota eſſentialia, in quibus conſiſtit omnis Religionis perfectio. ſed prǽſupponuntur illa vota inſtituta à Chriſto in ipſa Apoſtolorum vocatione: ſed ſolum quantum ad quædam accidentalia: puta, quantum ad habitum, & ordinationem regulæ, vel conſtitutionum, quæ nec ſic firmitaté habent, niſi cum approbatione Eccleſię.

Ad tertium eſt dicendum, quòd quantum ad Chriſti electionem Petrus, & alij Apoſtoli æternaliter vocati ſunt ad ſtatum Religionis, & ad ſtatũ prælationis iuxta illud ad Ephe. 1. Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati in conſpectu eius in charitate. Sed in operis executione prius facta eſt eorum vocatio ad ſtatum Religionis, quàm ad ſtatũ Prælationis, vt dictũ eſt.

ARTICVLVS II.

VTRVM APOSTOLI POST exercitationem mandatorum ad ſtatum Religionis vocati fuerint.

Ad ſecundum ſic proceditur: Videtur enim, quòd Apoſtoli poſt exercitationem mandatorum vocati fuerint ad ſtatum Religionis. Saluator enim noſter, à quo ipſi vocati ſunt, vbi conſilium primo dedit de paupertate ſectanda Matthæi 19. Adoleſcenti propoſuit, vt ſi vellet vitam ingredi, ſeruaret mandata: & tunc profitenti ſe à iuuentute ſuà illa ſeruaſſe: conſilium de paupertate dedit dicens: Si vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Obſeruatio ergo præceptorum debet præcedere viam conſiliorum.

2 Præterea: Super illo verbo Matth. vltimo: Euntes docete omnes gentes; Dicit Hiero. † Conſideratur hic ordo præcipuus: Iniunxit enim Dominus Apoſtolis, vt primo docerent vniuerſas gentes: deinde fidem iniungeret ſacramẽto: & poſt fidem, & baptiſma, quæ eſſent obſeruanda, præciperent: Ex quo videtur innuiſſe, ꝙ obſeruatio præceptorum debet præcedere omnem aliam perfectionis viam. († Lib. 4. in Matt. c. vlti.)

3 Præterea: Imperfectum ſemper debet præcedere perfectum. Sed obſeruatio præceptorum eſt quid perfectum reſpectu obſeruationis conſiliorum. Ergo ante exercitationem præceptorum Apoſtoli non fuerunt vocandi ad ſtatum Religionis.

In contrarium eſt, quia poſtquam vocati ſunt, Chriſtus hortatus eſt eos ad obſeruationem mandatorum Ioan. 14. Si diligitis me, mandata mea ſeruate.

RESOLVTIO.

Apoſtoli ad ſtatum Religionis fuerunt vocati, mandatorum obſeruatione non præmiſſa, vt ratione, & exemplis probari poteſt.

Reſpondeo, dicendum, quòd ratione, & exemplo Chriſti; & exemplo Apoſtolorum probari poteſt, quòd perfectio ſtatus Religionis non neceſſario prǽſupponit obſeruationem mandatorũ. Ratio talis eſt: perfectio enim vniuſcuiuſque Religionis ſtatus conſiſtit in attinctione finis per charitatis affectum. Non enim Deus, qui finis eſt, attingitur corporis greſſibus: ſed mentis affectibus: ſed poteſt aliquis ipſum Deum attingere non ſolum per meritum gratiæ: verum etiam per præmium gloriæ, ſolo charitatis affectu, ſine omni mandatorum obſeruatione: immo cum eorum tranſgreſſione: ſicut patuit de Latrone, cui dictum eſt Lucæ 23. Hodie mecum eris in paradiſo. Super quo verbo dicit Chryſoſtom. quòd Chriſtus latronem impulit in paradiſum ante totum orbem: ante Apoſtolos, ante Prophetas, ante Patriarchas: nudo verbo: ſola fide: ne quis introitum deſperet poſt errores peccatorum. Hoc idem patet exemplo Chriſti Matth. 4. vbi dicitur, quòd poſt baptiſmum tunc Chriſtus ductus eſt in deſertum à ſpiritu: Super quo verbo dicit gloſſa: Poſt baptiſmum Chriſtus exemplariter docuit baptizatos de mundo exire: & in quiete Deo vacare, quod pertinet ad Religionis, & perfectionis ſtatum. Et planum eſt, quòd baptizati, ſtatim baptiſmo recepto, non ſunt præexercitati in obſeruatione mandatorum. Tertio hoc patet exemplo Apoſtolorum, de quibus eſt præſens quæſtio. Dicitur enim Matth. 4. quòd ſtatim relictis omnibus, ſecuti ſunt eum: & dato, ꝙ eſſet dubium de alijs: dubium non eſt aliquid de Matth. De quo dicitur Lucę 5. ꝙ Vidit Ieſus publicanum nomine Leui ſedentẽ ad Teloneũ, cui dixit: Sequere (Homil. de Cruce, & Latrone.)

me; & ſtatim, relictis omnibus, ſecutus eſt eum. ſuper quo verbo dicit Ambroſ. quòd ille verbo vocatus propria dereliquit, qui rapiebat aliena: & ſi rapiebat aliena, planum eſt, ꝙ mandata non ſeruabat: & ſi Chriſtum ſecutus eſt, relictis omnibus, planum eſt, ꝙ ad Religionis perfectionis ſtatum accedebat. patet hoc manifeſtè de Apoſtolo Paulo, qui dicit de ſeipſo Gal. 1. Audiſtis conuerſationem meam aliquando in Iudaiſmo, quoniam ſupra modum perſequebar Eccleſiam Dei: Tunc igitur Dei mandata non ſeruabat. Et ſtatim ſubdit: Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, vt reuelaret filium ſuum in me, continuo nō acquieui carni, & ſanguini. Quod rectè ſpectabat ad religionis perfectionis ſtatum: Fuerunt ergo Apoſtoli, non præſuppoſita obſeruatione mandatorum, vocati ad Religionis ſtatum.

lib. 5. I Luc. cap. 8.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Origenes † exponit illud verbum dictum eſſe à Chriſto diuiti per modum reprehenſionis. Si vis perfectus eſſe. Ait enim ſic eſſe ſcriptum in Euangelio ſecundum Hebræos, ꝙ cum Dominus dixiſſet ei: Vade, & vende omnia, quæ habes; cæpit diues ſcalpere caput ſuum, & nō placuit ei. Tunc dixit ad eum Dominus: Quomodo dicis: Feci legē, & proximos dimiſtis? quoniam ſcriptum eſt in lege: Diliges proximum tuum, ſicut teipſum: & ecce multi Fratres tui Abrahæ Filij, qui amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt multis bonis, & non egreditur ex ea aliquid omnino ad eos. Si ergo vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus; ſic enim apparebit, ſi diligis proximum tuum: Ex quo patet diuitem illum fuiſſe mentitū, & redargutum à Domino de eo, quod dicebat. Chryſoſt. vero exponit prædictum verbum eſſe dictum per modum monitionis Ait enim, ꝙ nō ſimiliter detinentur, qui pauca habent, & qui multis abundant. Quoniam abundantia diuitiarum maiorem accēdit flammam, & vehementior fit cupido: nam aliud eſt iam nolle incorporare, quæ deſunt: & aliud iam incorporata diuellere: quia illa velut extranea repudiantur: iſta vero, velut mēbra incorporata abſcinduntur, obſeruabat ergo ille diues præcepta, ſed imperfectè, & cū difficultate propter diuitiarum abundantiam. ideo Chriſtus eum monuit, & conſilium dedit de tutiori, & perfectiori via.

† Hom. 8. in Matt.

Matt. 19.

Hom. 65. in Matth.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illa, quę ibi ponuntur de obſeruatione mandatorum, & receptione ſacramentorum, omnibus ſunt neceſſaria: & in ſęculo remanentibus, & ad Religionem tranſeuntibus: cū ſine fide illorū homo non poſſit eſſe in via ſalutis.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ formaliter perfectionis ſtatus conſiſtit in charitate: ſiue ſit obſeruatio præcepti, ſiue conſilium: inſtrumentaliter tamen talis finis, puta charitas, quæ eſt finis præcepti, & finis conſilij, tutiori, & faciliori modo attingitur per ſtatum Religionis, quàm manendo in ſæculo.

E

ARTICVLVS III.

VTRVM APOSTOLI PROFECERINT IN ſtatu perfectionis poſt eorum vocationem.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtoli poſt eorū vocationem non profecerint in perfectionis ſtatu: quia poſt vocationem Apoſtolorum ad ſtatum Religionis non fuit alius perfectior ſtatus ipſorum, niſi ſtatus Prælationis. Ergo in ſtatu primo, ad quem vocati ſunt, non profecerunt.

F

2 Præterea: Perfectio ſtatus Religionis conſiſtit, in tribus votis, vt ſupra dictum eſt. ſed Apoſtoli nō profecerunt in illis: Ergo nec in Religionis ſtatu, ad quem vocati ſunt.

3 Præterea: Perfectio ſtatus Religionis eſt ſequi Chriſtum mentis affectu, non corporis greſſu, vt dicit glo. Matth. 4. ſed hanc perfectionem habuerunt Apoſtoli ſtatim cum vocati ſunt.

IN CONTRARIVM eſt. Auguſt. ſuper illo verbo Ioan. 18. Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo. Tract. 96. in Ioan. To. 9.

RESOLVTIO.

G *Apoſtoli in ſtatu perfectionis poſt vocationem profecerunt ex Chriſti familiaritate: legaliū, ac temporalium dimiſſione: miraculorum operatione: paupertatis caſtitatis, & obedientia votis.*

RESPONDEO, dicendum, quòd perfectio ſtatus Apoſtolorum poſt eorum vocationem fuit præcipue ex quatuor, Primo ex Chriſti familiari conuerſatione. Dicit enim Chryſoſt. ſuper illo verbo Matth. 20. Neſcitis quid petatis. qd̄ frequenter patiebatur Dominus diſcipulos ſuos aliquid non rectè, aut dicere, aut agere, aut cogitare: vt ex illorum culpa occaſſionem inueniret exponendi eis regulam pietatis: ſciens quia, & error eorum non nocebat, præſente Magiſtro. Secundo ex legalium, & temporalium dimiſſione: quanto plus enim cum Chriſto conuerſabantur: tanto magis, quæ retro ſunt, obliuiſcebantur. & ad ea, quæ anteriora ſunt, ſeipſos exercebant: Vnde ſuper illo verbo Matth. 16. Quid cogitatis inter vos modicę fidei, quia panem non habetis? Dicit Chryſoſt. ꝙ quia diſcipuli circa obſeruantias iudaicas adhuc repebant, ideo Dominus vehementer eos increpauit ad vtilitatem omnium. Erat enim ſolicitudo Iudæorum in cibis, & potibus, & varijs baptiſmatib⁹, ſicut dicit Apoſtolus: A quorū ſolicitudine Chriſtus ſuos diſcipulos remouebat. Tertio ex miraculorum operatione. Dicit enim Chryſoſt. ſuper illo verbo Ioan. 11. Gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: quod illic non extiterim, confert ad maioritatē fidei veſtræ: quoniā ſi aſtitiſſem, ægrotantem curaſſem. quod eſſet modicum ſignum ad meæ virtutis indicium: quia vero, me abſente, ſuper-

Hom. 35. In Matth.

H

Homil. 55. in Matth.

Hebr. 9.

uenit mors: potius in fide mea corroboramini, cum videbitis me poſſe defunctum putreſcentem reſuſcitare. Quarto, ex eius inſtructione. Vnde ſuper illo verbo Lucæ 8. Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, ceteris autē in parabolis; Dicit glo. q̃ quamuis plurima Chriſtus in parabolis dixerit, vt videntes non viderent, & andientes non intelligerent; ſermo tamē eius totus Diſcipulis patuit: & myſterium ſecretum per eos reuelandum eſſe monſtrauit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q̃ Apoſtolus, non profecerunt in noui ſtatus acquiſitione. ſed in ſtatus adepti perfectiori inſtructione eorum, quæ faciebant ad cognoſcendam Chriſti diuinitatē, & eius humanitatem.

AD ſecundum eſt dicendum, q̃ in omnibus illis tribus votis Apoſtoli profecerunt. In voto quidē paupertatis, quia ex doctrina Chriſti intellexerunt paupertatem magis ſeruandam eſſe in mentis affectione, quàm in carentia diuitiarum. Vnde ſuper illo verbo Matth. 19. Quis ergo poterit ſaluus fieri? dicit Aug. Cum pauci ſint diuites in cōparatione multitudinis pauperum, intelligendum eſt, q̃ omnes, qui diuitias cupiunt in diuitum numero haberi, Diſcipuli animaduerterunt. In voto vero caſtitatis exemplo Chriſti dicitur Matth. 19. Sunt enuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum: non membrorum abſciſſione: ſed malarum cogitationum, vt Chryſoſt. dicit: In voto autem obedientiæ Ioann. 6. Numquid & vos vultis abire? dixerunt diſcipuli: Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes.

Quæſt. Euã gel. q. 26. Tomo 4.

Hom. 13. in Matth.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſecuti ſunt Apoſtoli Chriſtum mentis affectu: ſed in illa affectione incrementum receperunt per illa, quę ſuperius dicta ſunt.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM APOSTOLI A CHRIſto fuerint baptizanti antequam ad Apoſtolatum fuiſſent vocati.

Vide textum, & ibi Turrecr. & Doctores in cap. quando 2. de conſec. diſt. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, q̃ Apoſtoli non fuerint à Chriſto baptizati, antequā eſſent ad Apoſtolatū vocati: quia illi, qui baptizandi erant baptiſmo Spiritus ſancti, non indigebant baptizari baptiſmo aquæ: ſed Apoſtoli baptizandi erant baptiſmo Spiritus ſancti Act. 1. Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.

2 Præterea: Petrus non fuit baptizatus: Ergo nec alij. Quod autem Petrus nō fuerit baptizatus, ad Seleucianam ſcribit Auguſtinus, q̃ Nouatianus aſſerebat Petrum baptizatum nō fuiſſe: ſed loco baptiſmi pænitentiā egiſſe eo, q̃ egreſſus foras Fleuit amare.

Epiſt. 108. Tomo 2.

3 Præterea: Quod ſcriptū nō inuenitur, nō eſt aſſerendum. Sed quòd Apoſtoli baptizati fuerint, ſcriptum non inuenitur. Non eſt ergo aliquid de eorum baptiſmo aſſerendum.

IN CONTRARIVM eſt. quia Apoſtoli fuerunt vocati, vt eſſent poſſeſſores æternæ hæreditatis. Sed ſcribitur Ioann. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in Regnum cælorum.

RESOLVTIO.

Apoſtolos à Chriſto fuiſſe baptizatos ante Apoſtolatum, credendum eſt, cum ipſi alios baptizarent: & præcipua Eccleſiæ membra eſſent.

RESPONDEO, dicendum, quòd Auguſt. in Epiſtola ad Seleucianam hāc quæſtionem determinat; oſtendens tripliciter Apoſtolos baptizatos fuiſſe: nedum baptiſmo Ioan. ſed quod magis credibile eſt, baptiſmo Chriſti. Et hoc, vel ante vocationē, vel in ipſa vocatione; vel ſtatim poſt vocationem ad Apoſtolatum. Primo ſic: Apoſtoli fuerunt de corpore Eccleſię: immo prima, & præcipua membra corporis Eccleſiæ: ſed (vt ibi dicit Aug.) Quoſcumque legimus eſſe in corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, non niſi baptizatos pertinere ad Regnum cęlorum intelligere debemus, niſi forte quos anguſtia paſſionis inuenit: & nolentes negare Chriſtum antequā baptizarentur, occiſi ſunt, quibus ipſa paſſio pro baptiſmō deputata eſt. Sed numquid (vt dicit) hoc poſſumus de Apoſtolis dicere, qui vſque adeo largum tempus habuerunt, quòd baptizarentur, vt ipſi etiam alios baptizarent. Secundo ſic: Miniſterium baptizandi Chriſtus non commiſiſſet niſi baptizatis: conueniens enim erat eos eſſe baptizatos, qui alios baptizabant. Sed ſcribitur Ioann. 4. quòd Ieſus non baptizabat, ſed Diſcipuli eius, quod eſt verū, Chriſtum non baptizaſſe proprijs manibus: ſed baptizabat, mundando interius: miniſterium autem baptizandi præbebant Diſcipuli, vt dicit gloſſa Aug. Ioan. 4. Tertio ſic: Nam Ioann. 13. Chriſtus dixit Petro, cum ad eius pedes lauandos veniret: Qui lotus eſt non indiget, niſi vt pedes lauet: ſed eſt mundus totus: in quo intelligitur (vt dicit Aug.) quòd Petrus iam fuerat baptizatus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo reſpondet Aug. dicens quòd ſi dicamus Apoſtolos non fuiſſe baptizatos aqua: metuendum eſt, ne grauiter in eis erremus. quia in hoc damus hominibus auctoritatem contemnendi baptiſmum: quem vſque adeo non contemnendum ipſa Apoſtolica diſciplina commendat: vt Cornelius centurio, & illi, qui cum illo erant, iam accepto Spiritu ſancto, fuerunt baptizati, dicente Petro Act. 10. Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum

acceperunt, ſicut & nos? quantumcumq; ergo Apoſtoli eſſent baptizandi baptiſmo Spiritus ſancti, indigebant baptizari baptiſmo aquę inſtituto à Chriſto, ne ſacramentum ipſum contemnere viderent.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ vt ait Aug. ſiue Nouatianus, ſiue alij dicant pœnitentiam fuiſſe datam per Apoſtolos Petro, loco baptiſmi: quiſquis hoc dixerit à regula fidei catholicæ, & à doctrina Apoſtolorum protſus eſt alienus. poſſunt enim homines agere pœnitentiam ante bapuſmum de peccatis eorum: ita tamen, vt baptizentur: ſimiliter ſi poſt baptiſmum ita peccant, vt excommunicari, & reconciliari mereantur, pœnitentes appellantur. F Nā Simon Magus ante baptizatus erat, quàm vellet emere à Petro Spiritum ſanctum: & monitus eſt ab eo, vt pœnitentiam ageret ab illa nequitia? numquàm E tamen loco baptiſmi pœnitentia ſuccedere poteſt?

AD tertium ſimiliter reſpondet Auguſt. ꝙ non omnia, quæ facta ſunt, ſcripta inueniuntur: verumtamen facta eſſe ex certis documentis probantur. Scriptum eſt enim quando baptizatus ſit Apoſtolus Paulus Act. 9. Surgens baptizatus eſt: & ſcriptum non eſt, quando baptizati ſunt alij Apoſtoli: verumtamen eos baptizatos eſſe intelligere debemus: quēadmodum ſcriptum eſt, quando baptizatæ ſunt plebes in Hieruſalem, & in Samaria. Quando ante baptizatæ ſint alię plebes gentium, quibus Apoſtoli epiſtolas miſerunt, non eſt vtique ſcriptum: tamen ipſas baptizatas eſſe vtiq; minimè dubitamus propter illam Domini ſententiam: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto non intrabit in Regnum Cœlorum. Ioan. 3.

QVAEST. LXXXV. DE APOSTOLORVM PRAEDICATIONE.

VLTERIVS videndum eſt de Apoſtolorum prædicatione. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum per Apoſtolos in toto orbe Euangelium Chriſti fuerit prędicatum.

Secundo, Vtrum Apoſtoli prædicando ſemper annunciarent pacem.

Tertio, Vtrum Apoſtoli prędicando vterentur prudentia.

Quarto, Vtrum Apoſtoli prædicando, libris ad prędicendum indigerent.

ARTICVLVS I.

VTRVM PER APOSTOLOS in toto orbe fuerit Euangelium Chriſti prædicatum.

S. Thomas par. 3. q. 24. art. 1. Et omnino Turrecrem. in cap. Ita Dominus. 19. diſt.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ per Apoſtolos in toto orbe Euágelium Chriſti fuerit prædicatum. Dicit enim Apoſtolus Rom. 10. ꝙ fides eſt ex auditu: auditus autem eſt per verbum Dei, & ſtatim ſubdit: Pſal. 18. Sed numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum, quod de ſono, & prædicatione Apoſtolorum glo. exponit.

2 Præterea: Super illo verbo Lucæ 10. Deſignauit dominus, & alios ſeptuagintaduos: & miſit illos binos ante faciem ſuam; Dicit gloſſa, quòd bene ſeptuagintaduo Diſcipuli mittuntur ad prędicādum: G quia totidem mundi gentibus, & totidem linguis Euangelium prædicandum erat.

3 Præterea: Apoſtoli poſt Aſcenſionē Domini per totum orbem ſe diuiſerunt: Ergo per eos in toto orbe Euangelium eſt prædicatum.

IN CONTRARIVM eſt: quod ſcribitur Matth. 24. Cum prædicatum fuerit Euangelium Regni in vniuerſo orbe in teſtimonium gentibus: tunc veniet conſummatio: ſed nondum venit conſummatio, & finis ſeculi: ergo nondum Euangelium Regni eſt in vniuerſo orbe prędicatum.

RESOLVTIO.

Euangelium Chriſti in toto mundo prędicatū fuiſſe, H & nondum eſſe in toto mundo prædicatum, dici poteſt.

RESPONDEO, dicendum, quòd in hoc videtur eſſe controuerſia inter Chryſoſt. & Aug. Nam Chryſoſt. dicit, quòd prædicatio Euangelij in vniuerſo orbe completa eſt ante ſubuerſionem Hieroſolymæ ciuitatis: quia anno 42. poſt paſſionē Domini ſub Veſpaſiano, & Tito Romanis Principibus, ciuitas Hieruſalem cum templo ſubuerſa eſt. & hoc fuit maximum diuinæ virtutis ſignum: quòd in tam breui tempore prædicatio Euangelij per Apoſtolos facta fines orbis terrarum impleuit. probat autem iſtud Chryſoſtomus auctoritate, & exemplo. Auctoritate quidem Prophetæ dicentis: In omnem terram

exiuit

Pſal. 18. exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Exemplo, verò, quia ſi Paulus de Hieruſalem in Hiſpaniam: & in Græciam: & Romam ſæpe cucurrit: ex quo vnus tantam portionem accepit: excogitare debemus quantam cæteri Apoſtoli operati ſunt: quàmuis tamen Euangelium per Apoſtolos fuerit vbique prædicatum: non tamen omnes crediderunt: ideo in teſtimonium, & damnationem illorum, qui non crediderunt prædicato Euangelio Regni in vniuerſo orbe per Apoſtolos, tunc venit finis, & conſummatio: non quidem mundi vniuerſaliter: ſed conſummatio, & deſtructio ciuitatis Hieruſalē.

Epiſto. 80. Tomo 2. Auguſt. autem expreſsè dicit, Euangelium Regni in vniuerſo orbe per Apoſtolos non eſſe prædicatum, certis documentis probatum eſt: quia in Aphrica, vbi ipſe erat, multæ barbaræ nationes, & innumerabiles gentes erant, quibus nondum prædicatum eſſe Euangelium per illos, qui inde captiui ducebantur, manifeſtum erat: nec (vt ait) poteſt dici gentem illam non pertinere ad promiſſionem factam Abrahæ: quia non in perſona Romanorum, vel Hiſpanorum Gen. 23. dictum eſt ſibi: In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ. In quibus ergo gentibus non eſt Eccleſia, oportet quòd ſit, non quòd omnes credant, ſed aliqui credant, & aliqui non. quia nec vbi iam prædicatum eſt, omnes credunt. Sed quando vbique fundata erit Chriſti Eccleſia, & Euangelium Regni vbique prædicatum, tunc erit finis, & cōſummato ſeculi. Origenes autem ponit ſe in medio iſtorum, dicens, vtrumque eſſe verum, & quòd tempore Apoſtolorum Euangelij prædicatio eſt completa, quantum ad famam, & prædicationis auditum, & non completa quantum ad prædicationis fructū. non eſt enim putandum fuiſſe aliquam gentem, quæ famam Apoſtolorum, qui diſperſi fuerunt per quatuor mundi partes, non audiret, & quæ nomen Chriſti, ſaltem per auditum, ignoraret. Quamuis enim omnes gentes ſingulariter Prædicatorem non habuerint, ex vicinis tamen locis habuerunt opinionem fidei ſic, quòd non potuerunt ignorare. Quantum tamen ad prædicationis fructum prædicatio Euangelij nō eſt completa in toto orbe, vt quòd in omnibus gentibus Eccleſia credentium in Chriſto ſit fundata, tamen quamuis non omnes credituri ſint, ſed quādo ſic Euangelium Regni in toto orbe fuerit prædicatū, vt in omni gente prædicetur Chriſti nomen, & Eccleſia credentium in omnibus gentibus fundetur, tunc erit finis, & conſummatio ſeculi, vt Euangeliſta teſtatur.

Ad Argumenta.

Epiſto. 80. Tomo 2. Pſal. 18. AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Aug. dicit Prophetam fuiſſe vſum præterito tempore pro futuro, vt ſit ſenſus: In omnem terram exibit ſonus eorum, ſed non exiuit; vel, vt dicit Origenes, ſignanter dicit; exiuit ſonus, quia non fuit aliqua gens, ad quam fama, & auditus Apoſtolorum non perueniſſet: non tamen talis ſonus peruenit cum iſto fructu, vt ibi Eccleſia Chriſti fundaretur, quantū ad aliquos credentes, quamuis nō quantum ad omnes,

A ſicut fundanda eſt in toto orbe ante finem ſeculi.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd illi 72. Diſcipuli non prædicauerunt perſonaliter totidem gentibus, vel linguis, cum ipſi miſſi non ſint niſi ad ciuitates, & loca, ad quæ Chriſtus erat venturus: ſed verum eſt, quòd totidem gentibus, & totidem linguis prædicatio Euangelij Regni eſt fienda, & Chriſti Eccleſia in eis fundanda, quot illi Diſcipuli fuerunt, & quando completum erit, tunc erit finis, & conſummatio ſeculi.

AD tertium eſt dicēdum, quòd verum eſt, Apoſtolos per totum orbem ſe diuiſiſſe, & famam eorū, ſeu prædicationes eorum ad omnes perueniſſe quantum ad auditum, vel ex ipſis, vel ex vicinis locis, vbi prædicabant, non tamen vbique Eccleſia Chriſti fuit B fundata, ſicut fundanda erit in fine ſeculi.

ARTICVLVS II.

VTR. APOSTOLI PRAEDIcando ſemper annunciauerint pacē.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtoli prædicando non ſemper annunciarēt pacem. Apoſtoli enim non debebant prędicare, niſi Euangelium Chriſti. Sed ſcribitur Matth. 10. Nolite arbitrari, quia veni pacē in terram mittere. nō enim veni pacem mittere, ſed C gladium.

2 Præterea: Odium opponitur paci: Sed ſcribitur Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit patrē ſuum, & matrem, filios, & fratres, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

3 Pręterea: Chriſtus venit in mundum tamquàm iudex iuſtitiæ: iuxta illud Iſa. xj. Iudicabit in iuſtitia pauperes. Et in Pſal. Deus iudicium tuum Regi da, Pſal. 71. Magis ergo debuit præcipere Apoſtolis prædicandā eſſe iuſtitiam, quàm pacem.

IN CONTRARIVM eſt Lucæ 10. In quamcumque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui.

D *RESOLVTIO.*

Apoſtoli ſemper pacem, quæ pacem ſuperborum, ſimulatorum, fornicatorum, & ſchiſmaticorum excludit, inter prędicandum nunciarunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Chryſoſt. Matth. 10. Pax primo nunciāda fuit per Chriſti Apoſtolos, & nuncianda eſt ſemper per eorum ſucceſſores: quia mater eſt omnium bonorū, ſine qua omnia inania ſunt, & vana. Habet autem (vt dicit) pax Chriſti, quam præcepit primo eſſe nunciandam, quatuor conditiones. Quia prima eſt ordinata, mandans vnicuique reddere quod ſuum eſt. Secunda eſt vera, neminem fallens, vel circumueniens. Tertia eſt munda, omnia turpia, & inquinata reſpuens.

reſpuens. Quarta eſt vnitiua, & copulatiua. omnia diuiſa, & diſperſa vniens, & coniungens. Per primā igitur conditionem excluditur pax ſuperborum, qui contempto ſuperiori bono; inferiori, puta, propriæ voluntati, & excellentiæ obediunt: ideo eſt inordinata. Per ſecundam vero excluditur pax ſimulatorum, qui nequiter exterius pacem ſimulāt, & interiora eorum plena ſunt dolo, & ideo eſt falſa. Per tertiam autem excluditur, pax fornicatorum, quorum viæ ſunt immundæ, & infames greſſus eorum, ideo eſt immūda. Sed per quartam excluditur pax ſchiſmaticorum, quorum conſcientia tamquàm perturbata ſemper præſumit ſæua, & mala. Pacem ergo excludentē omnia hæc ſupradicta Chriſtus præcepit diſcipulis primo eſſe in eorum prædicatione ſuis fidelibus nonciandam. De qua dicit Apoſtolus Philip. 4. Pax Dei, quę exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra & intelligentias veſtras.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, quòd (ſicut dicit Chryſo.) qualiter Chriſtus iniunxit Diſcipulis, vt in vnamquamque domum ingredientes pacem indicerent, & qualiter Angeli dixerunt: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus: ex quo ipſe non venit pacem mittere, ſed gladium, niſi quoniam iſti maxima pax eſt, cū illud, quod ægrotat, inciditur: cum illud, quod * læſionem infert, ſeparatur. Ita enim poſſibile erit cœlum terræ copulari, quando malam pacem bona diſſonantia ſoluit, ſicut Paulus eos, qui aduerſus eum conſonabant, diuiſit. Nam bonus medicus ita reliquum corpus conſeruat, quando illud, quod inſanabiliter ſe habet, abſcindit.

Lucæ 2.

* al. liter.

Act. 23.

Ad ſecundum ſoluit Gregorius in Humil. dicēs: Percūctari libet quomodo parētes, & carnaliter propinquos præcipitur odiſſe, qui iubemur & inimicos diligere. Sed ſi vim præcepti perpendimus: vtrumque agere per diſcretionem valemus: vt eos, qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt, & quos proximos nouimus diligamus, & quos aduerſarios in via Dei patimur odiendo, & fugiendo neſciamus: Nam, quaſi per odium diligitur qui carnaliter ſapiens, dū praua nobis ſuggerit, non auditur.

Hom. 37.

Parentes qño ſint odiendi.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus prædicādo pacem præcepit iuſtitiam, ſicut qui præcipit effectum præcipit cauſam, ex qua effectus ſequitur. Eſt enim effectus iuſtitiæ pax: iuxta illud Iſa. 32. Opus iuſtitiæ pax. Et Iacob. 3. Fructus iuſtitiæ in pace ſeminatur. vnde nec à litigantibus prælium intenditur niſi propter pacem.

ARTICVLVS III.

VTRVM APOSTOLI prædicando vtebantur prudentia.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Apoſtoli prædicando non vterentur prudentia. Apoſtolus enim non præcipiebat niſi quod Chriſtus loquebatur in eo: iuxta illud 2. Cor. 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus. Sed ipſe præcipit ad Rom. 12. Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Ergo prudētia Apoſtoli in prædicatione vti non debebāt.

2 Præterea Apoſtoli non debebant vti in prædicatione quod reprobatum erat in Chriſto. Sed ſcribitur in perſona eius 1. Cor. 1. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo.

3 Præterea Apoſtoli erant filij lucis, non tenebrarum. Sed ſcribitur Lucæ 16. Prudentiores ſunt filij tenebrarum filijs lucis in generatione ſua.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur Matth. 10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, &c.

RESOLVTIO.

Apoſtoli inter prædicandum, prudentia, qua non inueniunt vias ad conſequendum finem malum, vt eſt peccatorum: nec finem naturalem, vt eſt Philoſophorum: ſed ſupernaturalem, vt eſt Sanctorum; vtebantur.

Respondeo, dicendum, ꝙ Apoſtolus Coloſ. vltimo, quatuor cōditiones tangit, in quibus prudentia eſt vtendum in prædicatione. Prima eſt quantum ad infideles, & ad illos, qui foris ſunt, caute ambulatio, vt ſemper caute obſeruetur ſalutio capitis: Serpens enim totum corpus in periculo exponit, caput in medio inuoluendo, & ſeruando: ſic ſemper caput, qui eſt Chriſtus, ſeruandum eſt caute, vt nulla circumuentione perdatur. Secunda eſt temporis acceptatio vel redemptio, de qua dicit Apoſtolus ad Ephe. 5. Videte, quomodo caute ambuletis redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Vbi dicit gloſſa, quòd tempus redimitur quandoque, vt vacetur prædicationi propter hominum malitiam, qui parati ſunt trahere ad contrarium. Quandoque propter pœnalitatum miſeriam, vt ſi aliquando ex diuerſis occupationibus omiſſum ſit tempus contemplationi aptum recuperetur. Quandoque autē propter auditorum indiſpoſitam audientiam, vt expectetur tempus quando melius ſunt diſpoſiti audire. Tertia eſt, diſcreta locutio, vt ſic temperetur ſermo, quatenus expediat magnis, & paruis, modo, quo dicit Apoſtolus 1. Cor. 2. Sapientiā loquimur inter perfectus, paruulis autem lac dedi, non eſcam. Quarta eſt, parata reſponſio. ſemper enim homo ſit paratus vnicuique poſcenti reddere rationem de ea, quæ eſt in nobis, fide, vt dicitur 1. Petri 3. Primam conditionem

Serpentis prudētia.

ditionem tangit Apoſtolus, cum dicit: In ſapientia ambulate ad eos, qui foris ſunt. Secundam tangit cũ addit: Redimentes tempus. Tertiam tangit cum ſubdit: Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Quartam tangit cum poſt ponitur: Vt ſciatis, quomodo oporteat vos vnícuique reſpondere.

Ad Argumenta.

AD RATIONES ergo in oppoſitum eſt dicendum, ꝙ ille dicitur prudens, qui ſcit bene inuenire media, & vias ad conſecutionem finis. Eſt autem triplex finis. Primus malus, & animæ interfectiuus. Secundus bonus, & naturalis, tamen parum duratiuus. Tertius ſupernaturalis, & gratuitus, qui æternaliter eſt permãſiuus. Prudentia ergo, quæ inuenit vias ad conſequendum finem malum, qualiter ſit luxuriandum, & tyrannicè dominandum, dicitur prudentia peccatorum: De quâ dicit Apoſtolus, quòd Prudentia carnis mors eſt, & hanc reprobat Rom. 8. Prudentia vero, quæ inuenit vias, ad conſequendum naturalem finem bonum, qualiter ſit moraliter, & ciuiliter cõuerſandum, eſt prudentia Philoſophorum. hanc reprobat Apoſtolus. 1. Cor. 1. Sed prudentia, quæ inuenit vias ad conſequendum finem ſuper naturalem, qualiter ſit in medio prauæ, & peruerſæ nationis ſecundum Chriſti doctrinam conuerſandũ, eſt doctrina Theologorum, & Sanctorum Apoſtolorum, cui prudentiæ ſemper eſt ſimplicitas adiuncta: & hanc Chriſtus præcepit Matth. 10. quando dixit: Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM APOSTOLI PRAEdicando, libris ad prædicandum indigerent.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtoli prædicãdo, libris ad præuidendum indigerent. Paulus enim inter alios Apoſtolos fuit magis doctus. quia & ſi imperitus ſermone, nõ tamen ſcientia, vt ipſe teſtatur. 2. Cor. 11. Sed ipſe ſcribit. 2. ad Timoth. vltimo: Veniens affer tecum libros, maxime autem membranas. Ergo indigebat libris ad præuidendum.

2 Præterea 1. Petri. 3. ſcribitur: Parati ſemper ſitis reddere rationem de ea, quæ eſt in vobis, fide: ſed iſta paratio non poterat eſſe ſine ſtudio, & ſine præuia collatione. Vnde ſcribitur Act. 15. Conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores videre de verbo hoc. ſuper quo verbo dicit gloſſa, ꝙ conuenerunt ad videndũ vtriuſque partis ſcientiam poſt eorum annunciationem.

3 Præterea: Spiritus ſanctus non docet quod rectum non eſt. Sed Petrus non recte ambulauit ſecundum veritatem Euangelij, vt ſcribitur ad Gal. 2. vnde & inſtructione Pauli indiguit, ſicut patet ibi.

A IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 10. Cum autem tradent vos: nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.

RESOLVTIO.

Apoſtoli inter prędicandum libris non indigebant, propter Spiritus ſancti familiaritatem, quæ doctrinæ ſubitaneam introductionem, vniuerſalemq; eorũ, quæ Chriſtus non dixit, inſtructionem: dictorum rememorationem: omnium dubiorum paratam explanationem, omniumque neceſſariorum improuiſam, ac inopinatam reſponſionem eis infundebat.

B RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut Apoſtoli habuerunt Chriſtum Dei Filium familiarẽ ante eius aſcenſionem quantum ad præſentialem cõuerſationem: ita pòſt eius Aſcenſionem habuerũt familiarem Spiritum ſanctum, quantum ad eius doctrinæ prædicationem. Iſta autem familiaritas fuit ſpecialiter, quantum ad quatuor. Primo quantum ad Chriſti doctrinæ ſubitaneam introductionem. Vnde ſuper illo Ioan. 14. Docebit vos omnia, dicit gloſſ. docebit (inquam) non ſicut qui artes aliquas, & ſapientiam ſtudio, vel induſtria diſcere conſueuit: ſed ſpiritus veritatis, quia ipſe ars, atque doctrina, & ſapientia inuiſibiliter menti noſtræ infundet ſcientiam diuinorum. Secundo quantum ad eorum, quæ Chriſtus non dixit, vniuerſalem inſtructionem. Et

C tertio quantum ad eorum, quę Chriſtus dixit, claram rememorationẽ. De iſtis duobus dicit glo. Ioan. 14. ſuper illo verbo: Suggeret vobis omnia. Spiritus (inquam) ſanctus docuit, & commemorauit, ita quòd litt. ſuggeret pro rememoratione exponit. Docuit quidem quæcumque non dixerat eis Chriſtus tamquam non valentibus portare tunc. Commemorauit vero quæcumq; Chriſtus dixerat; ſed vel obſcuritatis cauſa, vel eorum intellectus tarditate ipſi memoriæ commendare nequiuerunt. Quarto quantum ad eorum, quæ neceſſaria erant paratam reſponſionem. erant enim aliquando Apoſtoli ſubito ab infidelibus circundati, qui comminabantur eis, ne in Chriſti nomine loquerentur. In quo caſu opportunum erat, vt Spiritus ſanctus ſubdito eis reuelaret quæcumq;

D dicenda erant. Quando autem cum fidelibus, vel ſimul congregabantur, collationem habebant de his, quæ determinanda erant pro fide, ſicut fecit Paulus Gal. 2. Contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus. Super illo verbo dicit Hieron. ꝙ oſtẽdit Paulus non habuiſſe ſecuritatem Euangelij, niſi eſſet auctoritate Petri, & aliorum roboratum. Et ſicut fecerunt Apoſtoli Act. 15. vbi collatione habita inter Apoſtolos, determinata fuit quæſtio ſuper obſeruatione legalium. Ex quo datur exemplum (vt gloſſa dicit) faciendi conuentus * ad determinanda, & diſcernenda quæ ſunt fidei. * al. & concilia.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Apoſtolus non indigebat libris illis propter ſuã præuiſionẽ, ſed

ſed propter aliorum informationem, vt oſtenderet eis per teſtimonium legis, & Prophetarum quæcũque docebat, & ſcribebat, ſicut fecit Iacob Act. 15. quando dixit: Huic concordant verba Prophetarũ; ita quòd teſtimonium Petri prophetica auctoritate roborauit, vt gloſſa ibi dicit. Vel propter ſuam conſolationem. quia quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtrã doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus, vt ipſe dicit Rom. 15.

F AD ſecundum eſt dicendum, quòd illam parationem in eis faciebat Spiritus ſanctus ſecundum, quòd materia exigebat. Vnde cum erant cum infidelibus, & gentibus, quibus ſtatim erat reſpondendum, faciebat per ſeipſum. Quandoque autem mediante eo-

E rum ad inuicem collatione, & terminatione.

AD tertium eſt dicendum, quòd illa inrectitudo Petri non fuit ex defectu ſcientiæ: ſed ex aliqua inaduertentia. Nec tamen eſt inconueniens, quòd Spiritus ſanctus aliquid reuelauerit Paulo, quod nec reuelauit ſibi. Vni enim, & eidem homini quandoque Spiritus ſanctus reuelat vnum, & occultat ſibi aliud, ſicut Paulo Spiritus ſanctus reuelauit Euangelium, & tamen cum Hieruſalem prædicaturus aſcenderet, dixit: Ecce ego alligatus ſpiritu vado in Hieruſalẽ, quæ in ea ventura ſunt mihi ignorans: Per reuelationem ergo Spiritus ſancti Euangelium agnouit, ſed quid pro eodem Euangelio paſſurus erat ignorauit. vt Gregorius dicit ſuper Ezechielem. Act. 20. Hom. 1.

QVAEST. LXXXVI. DE APOSTOLORVM CONVERSATIONE.

DEINDE videndum eſt de Apoſtolorum conuerſatione. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Chriſtus in Collegio Apoſtolorum debuerit mulierũ conſortium admittere.

Secundo, Vtrum Apoſtolis licitum fuerit poſt Chriſti Reſurrectionem mulieres in eorum conuerſatione habere.

Tertio, Vtrum Paulo licitum fuerit mulierum conuerſatione vti, ſicut alijs.

Quarto, Vtrum Prælatis ſucceſſoribus Apoſtolorum licitum ſit mulieres in eorum conuerſatione tenere.

ARTICVLVS I.

VTR. CHRISTVS DEBVERIT in Collegio Apoſtolorum mulierum conſortium admittere.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Chriſtus non debuerit in Collegio Apoſtolorũ mulierum conſortium admittere. Omnia enim, quæ operatus eſt Dei filius per hominem, quẽ ſuſcipere dignatus eſt, nobis diſciplina morum fuit, vt dicit Auguſt. in de vera Religione. Sed tale conſortium mulierum cum Apoſtolis non erat diſciplina morum, ſequentium Prælatorum, & aliorum perfectorum virorum. Ergo, &c. Tomo 1. cap. 16.

2 Præterea: Chriſtus à ſuis Apoſtolis tentamenta debebat auferre, non præbere: ſed mulierum conſortium cum Apoſtolis erat eorũ tentationis incitamentum. Aculeus enim peccati eſt forma fœminea: & G mortis conditio non aliunde ſurrexit, quàm de muliebri ſubſtantia, vt dicit Auguſtinus.

3 Præterea: Chriſtus venit principaliter ad extirpationem primi peccati. quod licet in nobis ſit originale, in primis tamen parentibus fuit actuale. Sed illud peccatum commiſſum eſt ex mutua conuerſatione, & perſuaſoria locutione mulieris cum viro, vt dicit Aug. xj. ſuper Gen. cap. 42. Tale ergo conſortiũ Chriſtus non debuit admittere.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 9. Factum eſt deinceps, ibat Ieſus per ciuitates, & caſtella prædicans Regnum Dei, & duodecim Apoſtoli cum illo, & mulieres, quæ curatæ erãt à ſpiritibus immundis.

H

RESOLVTIO.

Mulierum conſortium cum moderamine in Apoſtolorum Collegio à Chriſto rectè admiſſum fuit.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Cyprianus in libro de ſingularitate clericorũ: Omne, quod à Domino noſtro Ieſu Chriſto actum eſt, vel geſtum rationabiliter gerebatur, vt poſteris aduerſus præuaricatores munita vndique traderetur auctoritas. Præuiderat autem ipſe Dominus futuros hæreticos, qui nuptias † auferrent, & matrimonium damnarent, & quod ipſe Dominus coniunxit ab initio humanæ propagationis, ipſi contra naturæ principium, & contra Euangelium ſeparare attentarent. contra quos iam tunc auctoritas parabatur, quando mulieres maritatæ prohibitæ non ſunt accedere ad Chriſtum,

† Vide Alphon. Caſt. lib. xj. aduerſus hæreſes in verbo: Nuptiæ.

Chriſtum, cui in præſentia ſeruiebant: non tamen (vt dicit) ſine moderamine talis permiſſio fuit procurata, quia ſibi non cooperabatur aliquid, quod gerebat, ſed cęteris proficiebat. Nam ſi allocutus eſt Dominus Samaritanam, ad horam docuit, & receſſit: nec defenſionem fecit contaminandis exceſſibus.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd tali moderamine (vt dictum eſt) procurata eſt mulierũ conuerſatio cum Apoſtolis, vt omnium poſterorum diſciplina morum eſſet. Nō enim (vt dicit Auguſt.) Adhærebant ſingularibus ſingulares, aut in diſciplinatæ commorationes perſeuerabant illecebro conſortio conuerſantes: nec ad coniugationes improboſas; [B] ſed ad diſcenda bonæ conuerſationis ſtudia, non vt perderent Apoſtolos, ſed vt diſcerent reuerentiam: & propter humanitatis exhibendum miniſteriũ ſequebantur, non riſus, non iocus dicitur ibi affuiſſe: nec, ſicut apud quoſdã nunc vſque aſſolet fieri chorus pſallentium virginum, aures venenoſis cantibus aſſeritur demulſiſſe.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd (vt dicit Auguſt. eodem libro) quantum ipſis Apoſtolis luxa familiaritas potuerit diſplicere, & quantum continentia eis potuerit placere, ex hoc * iudicio probari pōt, [*al. indicio.] ꝙ ipſi de ipſo domino loquente cum fœmina cōpulſi ſunt dubitare, niſi eos maieſtatis probata notitia retraxiſſet. Dicit enim Euangeliſta: Mirabantur, quòd cum muliere loquebatur. Vnde conſortium mulierũ [C] cum eis, ex præſentia domini, non fuit eis tentationis incitamentum, ſed conſiderata eorum pudicitia, poſteris fuit honeſtatis relinquendum exemplum.

[Lib. 4. in Lucæ c. 4.] Ad tertium eſt dicẽdum, quòd ſicut dicit Ambroſ. Vtrumque ſexum dominus curaturus aduenerat. vnde & ſicut per conſortium mulierum cum viro peccatum eſt perpetratum, ſic per conſortiũ tale peccatum illud eſt curatum, & per mulierum conſortium myſterium venerãdæ Reſurrectionis primo eſt nunciatum.

ARTICVLVS II.

VTR. APOSTOLIS LICITVM fuerit poſt Reſurrectionem Chriſti mulieres in eorũ conuerſatione habere. [D]

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtolis licitum non fuerit poſt Reſurrectionem Chriſti mulieres in eorum conuerſatione habere. Quia mulier non eſt facta in adiutorium viri, niſi propter prolis procuratione̅, vt dicit Auguſt. ſuper Gen. [Lib. 9. c. 5. Tomo 3.] Sed iſta de cauſa Apoſtoli non habuerunt mulieres in eorum conuerſatione. non enim ordinati erant ad propagationem carnalẽ, ſed ſpiritualem: vt baptizarent omnes gentes in no- [A] mine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Matth. 28.

2 Præterea: Illud vitandum erat ab ipſis Apoſtolis, quod fuit cauſa capitis Apoſtolorum caſus. Sed per ancillam oſtiariam Petrus Chriſtum negauit. [Ioan. 18.] Dicit enim Ambroſ. [Lib. 10. in Lucæ c. 22.] quòd fuit mulier (ſicut legimus) in Paradiſo delitiarum, nec tamen defuit in prætorio Iudæorum. ibi enim diabolus per mulierem hominem decepit: hic Petrum per oſtiariam circumuenit: Fideles etenim viros diabolus non niſi per mulieres impugnare conſueuit.

3 Prꝺterea: Apoſtoli aſſumpti ſunt ad ſtatum perfectionis. Sed non eſt ſtatus perfectionis, mulieres in conuerſatione habere. Dato ergo, ꝙ eis liceret, non tamen erat expediens; quia multa licent, quæ non expediunt. [1. Cor. 6.]

[B] In Contrarivm eſt quod ſcribit Act. 1. Erant omnes perſeuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Ieſu.

RESOLVTIO.

In primitiua Eccleſia Apoſtolis cum Mulieribus commorari licebat propter earum deuotionẽ, propter Apoſtolorum adminiſtrationem, propter ipſarũ approbationem, virorumq; adhæſionem.

Respondeo, dicendum, quòd 1. Cor. 9. gloſſa aſſignat quatuor rationes, propter quas licitum fuit in Eccleſia primitiua Apoſtolis mulieres circumducere, & alijs Prędicatoribus. Primo, propter earum deuotionem, quia deſiderio Dominicæ [C] doctrinæ, & virtutum cupidæ ſequebantur Apoſtolos, & alios Prædicatores. Secundo, propter Apoſtolorum adminiſtrationem, quia ſicut noſtrum Saluatorem mulieres ſecutæ ſunt miniſtrantes ei de facultatibus ſuis; ſic ipſe miniſtraturas mulieres voluit ſequi Apoſtolos, & prædicatores eius, oſtendens per hoc (vt gloſſa dicit) quid à plebibus debeatur Euangeliſtis. Tertio, propter ipſarum approbationem, ne viderentur eſſe reprobatæ à Chriſto, quia ruina humani generis ab eis incœpit, voluit eas in comitatu ſuo, & ſuorum Apoſtolorum habere. Quarto, propter virorum adhæſionem, conuertebantur enim tunc mulieres pariter cum viris, & quia viri uẽdebant eorum ſubſtantias, & poſſeſſiones, & ponebãt pretium ad pedes Apoſtolorum commorantes cum [D] eis; congruum non erat, vt vxores eorum ab eis diſcederent.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ non cauſa procreationis prolis, ſed cauſa deuotionis & obſequij adminiſtrationis talis conuerſatio permiſſa eſt, cum moderamine tamen ſupradicto in alia quęſtione.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd mulierum conſortium cum Apoſtolis periculoſum nō erat ante Spiritus ſancti receptionem: quia tunc erant omnes vnanimes perſeuerantes in oratione, vt dicitur Act. 1. & nihil ſecundum Auguſt. eſt potentius homine

mine deuote oráte: multo autem minus poſt receptionem Spiritus ſancti, quia tunc foris apparentibus linguis igneis, intus facta ſunt corda flammantia, vt Greg. dicit. Hom. 30.

In 1. Cor. cap. 9. AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut dicit Hieronymus. Conſuetudinis Iudaicæ fuit, nec ducebatur in culpam more antiquo, vt mulieres de ſua ſubſtantia victum, atque veſtitum Prædicatoribus miniſtrarent. Vnde habere ea tunc in eorum conſortio propter hanc cauſam nō pertinebat ad imperfectionis ſtatum.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAVLO LICITVM erat, ſicut alijs Apoſtolis mulierum conuerſatione vti.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd Paulo non licitum erat mulierum cōuerſatione vti, ſicut alijs Apoſtolis. Paulo non licebat facere quod murmurationis, & detractionis eſſe poterat. Sed ſcribitur Act. 6. quòd factū eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos eo, quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorū.

2 Præterea: Quod Paulus prohibuit ſuis Diſcipulis, non erat ſibi licitum facere. Sed 1. Tim. 5. dicit: Adoleſcentiores viduas deuita, cum enim luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt.

3 Præterea: Auguſtinus dicit, quòd amputanda ſunt à nobis quæcumque igniferi fomitis ſulphuratibus flammis fornax ebullientis carnis æſtuat: Sicut enim ſub vna caula numquàm eſt ſecurus agnus cum lupo: ita ſub vna domo numquàm eſt ſecurus homo cum femina. Sed Paulus patiebatur ſtimulum carnis, ſicut ipſe dicit 2. Cor. 12. Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ: & Rom. 7. Video aliam legem in membris meis. Ergo conſortio mulierum vti ſibi licitum non erat.

IN CONTRARIVM eſt, quod ipſe dicit 1. Cor. 9. Numquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi, ſicut cæteri Apoſtoli?

RESOLVTIO.

Paulo Mulierum conſortio vti licebat, ſicut alijs Apoſtolis: ei tamen huiuſmodi poteſtate vti viſum non fuit, propter ſcandalum Pſeudo Apoſtolorum, & periculum tentationis vitandum: propter exemplum poſteris relinquendum, & morem Gentilium ſeruandum.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut Paulus poterat de ſtipendijs ſubditorū viuere, non eſt tamen vſus tali poteſtate. Dicit enim ipſe 1. Corin. 9. Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare E non potius nos? ſed non ſumus vſi hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne aliquod offendiculum demus Euangelio Chriſti. Sic poterat conſortio mulierum vti in ſuo comitatu, modò quo vtebantur alij Apoſtoli, non tamen eſt vſus tali poteſtate propter quatuor. Primo, propter ſcandalum Pſeudo Apoſtolorum vitandum. Callidi enim erant Pſeudo Apoſtoli ad videndum, vel obſeruādum aliquid in Apoſtolo, vnde poſſent ſibi detrahere, quibus ipſe non ſolum cauſam, immo omnem occaſionem ſubtrahebat, ſicut ipſe dixit 2. Cor. xj. Quod facio, & faciā, vt amputem occaſionem eorum, qui volunt habere occaſionem. Secundo, propter exemplum poſteris relinquendum, vt alij exemplo ſui non haberēt materiam cauſa pietatis, & ſub ſpecie ſanctitatis conſortia mulierum diligere, de quibus ipſe dicit 2. Ti- F mot. 3. Voluptatum amatores magis, quam Dei: habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autē eius abnegantes, qui penetrant domos, & captiuas deducunt mulierculas peccatis oneratas. Tertio, propter morem Gentilium ſeruandum. non.n.erat conſuetudinis Gentilium mulieres miniſtratrices habere, ſicut Iudaicæ gentis. Vnde quia ſcandalum facere poterat in nationibus, quibus Paulus prædicabat, hanc conſuetudinem ſe abieciſſe commemorat, vt Hieronymus dicit. Quarto, propter periculum tentationis fugiendum. dicit enim Aug. quòd certè Paulus plus omnibus laborauit, & tamen ad mulieres circumducendas collegas ſuos imitari contremuit, ne ſe ad interitum ſubijceret tentationi carnali. In Epiſto. 1 Cor. 9.

G

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendū, quòd murmur factum eſt in Eccleſia primitiua, nōdum vocato Paulo ad Apoſtolatum. Cauſa autem murmuris (vt glo. ibi dicit) fuit duplex. vna fuit, quòd Hebræi viduas ſuas, vtpotè eruditiores in miniſterio præferebant viduis Græcorum. Alia fuit, quòd viduæ Græcorū plus grauabantur in tali miniſterio. Vnde Paulus, qui fuit Apoſtolus gentium: morem Hebræorum de mulieribus circumducendis cum eis ſeruare noluit.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Apoſtolus Paulus præcipit illas viduas eſſe vitandas, quæ poſt votū caſtitatis emiſſum nubere volebant. Quæ & ſi repel- H lendæ non erant ratione nuptiarum; erant tamen vitandæ propter fractionem voti, eo quòd vouentibus virginitatem, vel viduitatem non ſolum nubere, ſed velle nubere damnabile eſt, vt gloſſa dicit.

AD tertium eſt dicendum, quòd Paulus per reſponſionem ſibi factam de amotione ſtimuli carnis: ſecurior poterat eſſe in ſua tentatione non vinci, ſed perfici: & tamen, ne ad incertum ſe ſubijceret tentationi: conſortium mulierum vitauit.

ARTI.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PRAELATIS SVCceſſoribus Apoſtolorum licitum ſit mulieres in eorũ conuerſatione tenere.

Concilium Carthaginen. 3. cap. 17. Concilium Nicænum cap. 3. Concilium Matiſconen. 1. cap. 1. Concilium Arelaten. 2. cap. 3. Concil. Toletanum 2. cap. 3. Conciliũ Braccaren. 1. cap. 15. Concilium Turonen. 2. cap. 10. xj. & 12. Concil. Nannetenſe cap. 3. cap. Interdixit 32. diſt. cap. Cum omnibus. cap. Volumus, & cap. Mulieres 81. diſt. & cap. 1. Cum multis ſeq. extra de cohabit. clericor. & mulierum, & Conc. Trid. ſeſſio 25. de reformat. c. 14.

AD quartum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Prælatis ſucceſſoribus Apoſtolorum licitum ſit mulieres in eorum conuerſatione tenere. Quia ſancti Prophetæ geſſerunt vicem Prælatorum, & figuras perfectorum virorũ. Sed Elias, & Eliſeus hoſpitia mulierum elegerũt magis, quàm Regum, & magnorum virorum. Licet ergo Prælatis, & perfectis viris præſentis temporis in conſortio mulierum manere.

2 Præterea: Epiſcopi, & Prælati repreſentant perſonas Apoſtolorum. Sed ipſi in eorum Comitatu, & in eorum conſortio mulieres habuerunt. Ergo.

3 Prꝗterea: Illarum perſonarum obſequio licitum eſt vti Epiſcopis, & Prælatis, quæ aptiores, & promptiores ſunt ad illa obſequia exhibenda. Sed fœminę communiter ſunt promptiores, & aptiores ad domeſtica obſequia, quàm maſculi.

4 Præterea: Spiritus ſanctus fuit cuſtos Apoſtolorum, ne mulierum conuerſatione poſſent contaminari. Ergo ſimiliter poteſt eſſe cuſtos clericorum, & aliorum ſanctorum virorum, vt ſecura poſſit eſſe cũ eis mulierum conuerſatio.

5 Præterea: Apoſtolus dicit Gal. 6. Alter alterius onera portate: charitas ergo eſt onus tẽtationis virorum per mulieres portari.

6 Præterea: Si conſortium mulieris cum clericis eſt ſuſpectum: tunc nec in Eccleſiis, nec in oratorijs cum eis deberent clerici conuerſari.

7 Præterea: Quod poteſt benè, & malè fieri, nullus debet in malam partem iudicare, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 14. Tu quis es, qui iudicas alienũ ſeruum? Sed conuerſatio mulierum cum clericis poteſt benè, & malè fieri. Ergo non debet ab alio in malum iudicari.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de cohabitatione clericorum, & mulierum.

RESOLVTIO.

Succeſſoribus Apoſtolorum Prælatis Mulierũ conſortio vti non licet: ſed ſummo opere ipſum eſt vitandum, tamquàm non mediocriter periculoſum, & maxime ſuſpicione non carens.

A RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui fuerunt tantæ temeritatis, & præſumptionis, vt dicerent Prælatis, & Clericis more Apoſtolorum, & Prophetarum licere vti conſortio, & obſequio mulierum, & ad aſſertionem eorum errores inducebãt, quæ ſuperius allegata ſunt, & plura alia. Quam opinionem Cyprianus dicit eſſe hæreticam in libro de ſingularitate clericorum: vbi pluribus rationibus conatur oſtendere, ꝙ à Clericis, & vniuerſaliter Eccleſiaſticis viris mulierum conſortium tamquàm venenum eſt vitandum. Primo ſic: Adam per Euam ſeductus eſt, quando nulla morientium exempla præceſſerunt, niſi, ꝙ ſola vna iuſſio conſtrinxerat. Sed modo innumerabiles mortes, & infinita iuſſa compeſcunt. Iam enim perfecti Epiſcopi, & clerici poſt cal-
B cata certamina, poſt magnalia ſigna, & mirabilia vſquequaque monſtrata: noſcuntur naufragaſſe, cum voluerunt in hac naui fragili nauigare. Secundo ſic: Nullus ſecum mulierem debet conducere, qui vxorem contempſit. Qui enim vouit, vinum nõ bibere, vini oblectatione perfrui non debet: ſed clerici, & Eccleſiaſtici viri vniuerſaliter deſpexerunt vinculum nuptiarum. Ergo vinculis fœmineis non debent alligari. Quia quàmuis nullo concubitu miſceantur cũ eis: deſiderio tamen, viſu, colloquio, coniunctione ſemper oblectantur. Tertio ſic: Peius, quàm mœchia, eſt continentiam ducere criminoſam: & infamẽ facere ſanctimoniam. Sed clericus famæ, & pudicitiæ bonum fruſtra intrinſecus laborioſo agone cuſtodit: ex quo forinſecus patitur infamari per conſor-
C tium mulierum. Quarto ſic: Nullus ſuper vna febre cupit adhibere peiorem, ne incipiat hemitritæo inſanabili laborare, cui nullus valeat medicus ſubuenire: ſed nunquàm corpus humanũ deſiderijs carnalibus ſpiritum ceſſat infeſtare: Ergo ſufficit clerico carnem ſuam ſuperare, & non alteram conducere. Quinto ſic: Si mariti, & vxores deſideria coniugalia * quotidie gerentes ſibi non ſufficiunt ad extinguendam libidinem: quid agunt illi, qui ad augẽdas impugnationes, fęminis ſociantur. Sexto ſic: Citius delinquitur, vbi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum: maximè quia concupiſcentiæ nulla deſpectio rerum exiſtit: cui diabolus pingens, ſpecioſum efficit quicquid fędum, & horridum fuit. Ergo nulla fęmina, nec vetula, nec affinitate coniuncta pecu-
D liariter à clericis ſuſcipienda eſt ad domeſticum obſequium.

* al. fortè egerentes.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut dicit Aug. magni homines ſunt, qui ſanctis Prophetis volunt ſe comparare. ad occaſionem enim noſtræ luxuriæ in peruerſum ſanctos volumus imitari: in cęteris, actus veſtigia iuſtorum nolumus ſequi. In quibuſdã enim tamquàm infirmos non excuſamus ad imitanda facta maiorum, & in alijs nos æquales maioribus proteſtamur: cum tamen Elias in anguſtia conſtitutus imparem ſe patribus ſuis ante Deum fateatur. nũquid, ait, melior ſum, quàm Patres mei? 3.Reg.19.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non vide-

mus ſic apud nos calcati auaritiã, ſicut Apoſtoli cuncta dimiſerunt: nec videmus crapulam, & ebrietatẽ ſic à noſtris cõuiuijs abeſſe, ſicut Apoſtoli nihil habentes frequenter coacti ſunt eſurire: nec cognoſcimus in nobis ieiunia, ſitim, famem, nuditatẽ propter inſtantiam ſolius doctrinæ vbique pollere, ſicut in Apoſtolis legimus triumphaſſe: ſed tales, vt dicit Auguſt. ſunt calidi argumẽtatores, & Iuriſperiti fallaces, qui dum cupiunt præuaricari controuerſias, actioneſque cauſarum: etiam ipſa iura tranſuertunt. & cũ nolunt competentibus coherceri iuſſionibus legum, ad illudendos iudices inconuenientibus exemplis velut ſimiles coniecturas iuris ſubijciũt, de quibus bene per Salomonem dicitur: Peccator homo euitat correctionem, & ad voluntatem ſuam inuenit comparationem.

Eccl.32.

A**D** tertium eſt dicẽdum, per interemptionem, vtilior namque eſt maſculus, vel puer continens ad domeſticum obſequium, quàm fœmina, pro quãto decentior, vt à clericis ad communitatem, vel commoditatẽ potius eligatur maſculus, quàm fœmina. Dato tamen, ꝙ fœmina vtilior extimetur in domeſtico obſequio: non oportet carnalia emolumenta præponere vtilitatibus ſpiritualium commodorum, potiſſimè: quia ideo fœmina vtilior extimatur: eo, ꝙ ſuis blandimentis frequenter aduerſa ſuggerit eſſe proſpera: & tamdiu ſopitum ignem ſine vllis flammis occultat, donec duas faculas iungens, ſimul ambas accendat.

A**D** quartum eſt dicendum, ꝙ Spiritus ſanctus

E noſter cuſtos eſt (vt Aug. dicit) ſed vt vitia contraria declinantibus aſſiſtendo ſubueniat: non vt cõtraria eligentibus foueat, nec vt voluntarios, & pronos in aduerſa confortet. neſcit enim, vt dicit Chryſoſt. patrocinium dare criminibus diuina iuſtitia.

A**D** quintum eſt dicendum, ꝙ non ſunt onera tentationum quæ Paulus imperat ſupportanda, ſed vt tolerantes noſmetipſos diſcordia nulla diſcernat: & in tentationibus conſtitutis fratribus mutua præbeamus auxilia, non vt ipſi nobis per fœminas tentamenta procuremus.

A**D** ſextum eſt dicendũ, quòd ſicut dicit Aug.

F hæreticæ profeſſionis eſt iſta contradictio calumnioſa quæ de bonis præſcribit, vt aſſerat mala: Amãdę enim ſunt fœminæ inter ſacra ſolemnia: & odio habendæ in communione priuata. In Eccleſijs namq; impugnationes nihil poſſunt, vbi etiam ipſi dęmones cedunt, & nulla ſexus alicuius permittitur conſiderari diſtantia. Ibi enim ſpiritus dominatur, & caro ancillam ſemetipſam cognoſcens: ſicut perdit ſuæ voluntatis vſum, ſic perdit & luxum.

A**D** ſeptimum eſt dicendum, quòd, ſicut dicit Auguſtinus, illis Apoſtolus per illud verbum contulit defenſionem, qui nullam partem legis impugnãt:

G & illis tribuit patrocinium, qui ex voto ſuo aliquid faciunt, nec quicquàm Eccleſiaſticis viris impediũt. Illos autem Eccleſiaſticis tribunalibus ſubdidit, quos tranſgreſſores ordinariæ tranſgreſſionis nulla impunitas excuſat.

QVAEST. LXXXVII. DE APOSTOLORVM PERFECTIONE.

NVNC *videndum eſt de Apoſtolorum perfectione. Circa quod quæruntur Quatuor.*

Primo, Vtrum ſtatus Apoſtolorum in perfectione exceſſerit cuiuslibet Religionis ſtatum.

Secundo, Vtrum ſtatus Apoſtolorum in perfectione exceſſerit ſtatum omnium Prælatorum.

Tertio, Vtrum ſtatus Apoſtolorum Chriſti in perfectione exceſſerit ſtatum Diſcipulorum. D. Ioan. Baptiſtæ.

Quarto, Vtrum ſtatus Diſcipulorum Chriſti in perfectione exceſſerit ſtatum Diſcipulorum eius, quos binos miſit ante faciem ſuam.

ARTICVLVS I.

VTR. STATVS APOSTOLORUM exceſſerit in perfectione cuiuslibet Religionis ſtatum.

H Conferunt tradita per S. Thom. 2.2.q.184. art.7.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſtatus Apoſtolorum in perfectione non exceſſerit cuiuslibet Religionis ſtatũ. Quia de Apoſtolis ſcribitur Act. 4. Quòd nec quiſquam erat egens inter eos, ſed inter Religioſos multi ſunt indigẽtes, potiſſimè illi Religioſi, qui nihil habẽt propriũ, nec in cõi.

2 Præterea: Status perfectio conſiſtit in abdicatione, & dimiſſione temporalium. Sed multi ſunt Religioſi, qui plura tpalia dimiſerunt, quàm Apoſtoli. In perfectiori ergo ſtatu ſunt tales, ꝗ̃ Apoſtoli fuerunt.

3 Præ-

3 Pręterea: Perfectionis ſtatus cõſiſtit in voti obligatione. Sed de Apoſtolis non legitur, quòd voto ſe abſtrinxerint ad perfectionis ſtatum, ſicut Religioſi faciunt.

IN CONTRARIVM eſt. quia cauſa ſemper excedit ſuum effectum. Sed perfectio ſtatus Apoſtolorum vocatorum primo ad ſtatum Religionis fuit cauſa perfectionis omnis Religionis. Nullius ergo Religionis perfectio poteſt illorũ perfectioni ęquari.

RESOLVTIO.

Apoſtolorum ſtatus in perfectione ſtatum cuiuſlibet Religionis excceſſit propter eorum ſingularem vocationem immediatam à Chriſto, propter ſingularem remunerationem, & propter eorundem cum Chriſto præſentialem remunerationem.

RESPONDEO, dicendum, quòd quamuis Apoſtoli primo fuerint vocati ad ſtatum Religionis, quàm prælationis, vt ſupradictum eſt: magnæ tamẽ præſumptionis eſſet dicere, vt alicuius Religionis perfectio poſſet Apoſtolorum perfectionem attingere. Habuit enim Apoſtolici ſtatus perfectio ſingulariter tria: Primo, ſingularem vocationem. Fuerunt enim ipſi immediate à Chriſto electi, & vocati. Vnde ſuper illo verbo Matth. 4. Ambulans Ieſus iuxta mare Galileæ, dicit Chryſo.† quòd antequam Chriſtus aliquid dicat, vel faciat, vocat Apoſtolos, vt nichil illos lateat, nec verborum eius, nec operum: vt poſtmodum fiducialiter dicere poſſent: Non poſſumus quę audiuimus, & vidimus non loqui. Quantæ autem efficaciæ fuerit iſta à Chriſto immediata vocatio, Gregor. oſtendit ſuper illo verbo: At illi relictis omnibus, ſecuti ſunt Dominum, dicens: Tanta ab Apoſtolis Chriſtum ſequentibus dimiſſa ſunt, quanta à non ſequentibus concupiſci potuerunt. Secundo, habuit ſingularem remunerationem: Petro namque, & alijs dicentibus: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? ſingulariter reſponſum eſt: Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. alijs autem relinquentibus domum fratres, vel ſorores, vel agros dictum eſt: Centuplum accipietis. Super quo verbo dicit Chryſoſt. quòd Apoſtolis Chriſtus promiſit futura, quia excelliores erant, & ſic iã perfecti, vt nihil præſentium quærerent. Alijs autẽ, quæ ſunt hic, Saluator repromiſit, quando ait: Centuplum accipietis. Tertio, habuit ſingularem cum Chriſto præſentialem conuerſationem. Vnde ſuper illo verbo Lucę 22. Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis; Dicit gloſſa, quòd ſicut Iudę proditori Dominus pronunciauerat Væ. ſic Apoſtolis remanentibus bona pronunciauit: quia nõ inchoatio patientiæ, ſed perſeuerantia, cęleſtis Regni gloriam donat. Vnde Apoſtoli cum Chriſto conuerſantes, & in tentationibus permanentes æternum Regnum adepti ſunt, cum eis dicitur: Ego diſpono vobis Regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo.

† Hom. 7. In Matth.

Act. 4.

Hom. 5.

Matth. 19.

Luc. 22.

A

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illud verbum intelligitur de indigentia prouiſionis. prouidebatur enim vnicuique non ſecundum perſonas, & munera gratiarum, ſed ſecundum maiorem vel minorẽ indigentiam, vt gloſſ. dicit. Non autẽ intelligitur de prouiſione ſufficientiæ, vt vnicuique prouideretur quod ſibi ſufficeret, & non indigeret aliquo, cum Apoſtolus dicat 2. ad Cor. 11. In fame, & ſiti, in frigore, & nuditate. & eadem Epiſtola, capitulo. 6. In tribulationibus, in neceſſitatibus, & in anguſtijs, in plagis, in carceribus, & in laboribus, & ieiunijs. & multa ibi enumerantur. quæ ſonant, Apoſtolos habuiſſe non temporalium ſufficientiam, ſed quàm plurimam indigentiam.

B

AD ſecundum reſpondet Origenes Matth. 19. dicens, quòd ſi Petrus cum fratre ſuo minima reliquit; nõ minima tamen ſunt æſtimata apud Deum conſiderantem quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt; vt etiam ſi multas habuiſſent poſſeſſiones, omnia reliquiſſent. & puto (vt dicit) quòd magis Petrus confidens de affectu ſuo, quàm de ipſa quantitate rerum relictarum fiducialiter interrogauit, quando dixit: Ecce nos reliquimus omnia. Hom. 9.

AD tertium eſt dicendum, quòd Apoſtoli voto ſe Chriſto in ſacrificio obtulerunt. Hoc eſt enim voto offerre aliquid, non reſeruare ſibi libertatem retroire. quod Apoſtoli fecerunt. Dicit enim Paulus Cor. 9. Si Euangelizauero, non eſt mihi gloria. Neceſſitas enim mihi incumbit. & ſtatim ſubdit: Cum eſſem liber, ex omnibus omnium me ſeruum feci.

C

ARTICVLVS II.

VTRVM STATVS APOSTOLORUM in perfectione exceſſerit ſtatũ omnium Prælatorum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſtatus Apoſtolorũ in perfectione non exceſſerit ſtatum omnium Pręlatorum. Perfectio enim ſtatus cõſiſtit in attinctione finis per meritum gratiæ. Sed dicit Aug. & ponitur 2. q. 7. Puto, quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam. c. Puto.

D

2 Præterea: Sicut ſtatus presbyterorum poteſt excedere in perfectione ſtatum Epiſcoporum: ſic ſtatus prælatorum poteſt excedere in perfectione ſtatum Apoſtolorum. Sed ſicut dicit Aug. in Epiſtola ad Hiero. & ponitur cauſa, & quęſtione ſupra dicta: Quamquam ſecundum vocabula, quę vſus obtinuit, Epiſcopus ſit presbytero maior: in multis tamen rebus Hieronymo minor eſt Auguſtinus. c. Quamquam.

3 Præterea: Qui ſunt æquales in poteſtatis iuriſdictione, æquales ſunt in ſtatus perfectione. ſed Prælati, & potiſſime Epiſcopi, ſunt æquales Apoſtolis in

poteſtatis iuriſdictione. Ergo ſimiliter in ſtatus perfectione.

I N C O N T R A R I V M eſt: quia fundamentum ſemper eſt maioris perfectionis,& permanentiæ his,quæ ſupra fundamenta ponuntur. ſed Prælati, & Epiſcopi ædificati ſunt ſupra fundamenta Apoſtolorum,& Prophetarum ad Ephe. 2.

R E S O L V T I O.

Apoſtolorum ſtatus in perfectione ſtatum omnium Prælatorum exceſſit, propter gratia primitias primitus receptas, propter gratiæ abundantiam,certitudinis firmitatem, vtilitatem fructuoſam, & propter ſingularem preſeruationem.

F R E S P O N D E O, dicendũ, ꝙ vnus ſtatus perfectior eſt altero ex perfectiori charitate, quæ eſt vinculũ perfectionis,ſicut dicit Apoſtolus Coloſſ. 3. Tanto ergo ſtatus Apoſtolorum in perfectione exceſſit ſtatum omnium Prælatorum, quanto eorum charitas maior, & perfectior fuit aliorum Prælatorum charitate, loquendo communiter. Exceſſit ſiquidem charitas, & gratia ſtatus Apoſtolorum perfectionis ſtatum aliorum Prælatorum ſequentium, quantum ad præſens, in quinque. Primo in primitate. Ipſi.n. primitias gratiæ primitus receperũt, ſicut Apoſtolus dicit ad Rom. 8. Secundo in vniuerſalitate: quia plus gratiæ abũdauit in Apoſtolis, q̃ in alijs, ad Epheſ. 1. Secundum diuitias gratiæ ſuę, quę ſuperabũdauit in nobis. non enim ſolum in eis fuit gratia ſufficiens G reſpectu præceptorum, vel perficiens reſpectu conſiliorum, immo ſuperabundans reſpectu ſingularium donorum. Tertio in certitudinis firmitate. Certi.n. erant ipſi de eorum perfectione, quantum ad ſtatum viæ de perfectione gratiæ. Et quantum ad ſtatum Patriæ de perfectione præmij 2.Petri 1. Certus ſum, ꝙ velox eſt depoſitio tabernaculi mei ſecundum, ꝙ dominus reuelauit mihi: & 2.Tim. vltimo: De reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iuſtus iudex. Quarto, in fructuoſa vtilitate. Paulus enim qui plus omnibus laborauit, tamquàm quidam Sol linguæ ſuæ fulgentibus radijs totum orbem illuſtrauit, vt dicit Chryſoſt. Eorum ſimiliter pretioſa mors Eccleſiam magno theſauro ditauit. Quinto, in conuerſationis dignitate. Fuerũt H enim à Chriſto ſingulariter præſeruati Ioan. 17. Cũ eſſem cum eis, ego ſeruabam eos, quos dediſti mihi, ego cuſtodiui eos,& nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis. Non ergo rogo, vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo, nõ (inquàm) à malo periculorũ, & paſſionum corporalium. (Has enim eos experiri volebat, vt eſſent ſui imitatores) ſed à malo tentationum malorum, & peccatorum, vt gloſſa ibi dicit.

De laudib' Paul. Hom. 8.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendũ, ꝙ illa paritas gratiæ beati Cypriani cum Petro non attenditur ratione ſtatus communis Prælatorũ, qui communiter deficit à ſtatus perfectione Apoſtolorum propter illa, quæ dicta ſunt: ſed ratione ſingularis gratiæ ſibi à Deo datæ, qui licet non numero fuerit inter Apo- E ſtolos numeratus, meritò tamen martyrij eum, & alios ſanctos Apoſtolis æquat.

A D ſecundum eſt dicendum, quòd illud dictum Aug. intelligitur de quibuſdam donis ſingularibus, & perſonalibus, non per comparationem ad ſtatum Apoſtolorum communiter ſumptum. In talibus.n. ſingularibus donis vnus Apoſtolorũ fuit perfectior alio. Dicit enim Chryſoſt. Matth. 19. Quòd vnuſquiſque Apoſtolorum in aliquo bono ſpirituali fuit alio perfectior, vt Petrus in fide. Ioann. in virginali innocentia. Paulus in ſapientia, & ſic de alijs. Sic in aliquo dono beatus Hieronymus potuit eſſe maior Auguſt. ſed ratione ſtatus planum eſt, ꝙ Auguſt. perfectior erat Hieronymo, cum ſtatus Epiſcopalis perfectam charitatem requirat. Sic ſtatus Apoſtolorum F perfectiorem charitatẽ requirebat, quàm adhuc ſtatus Prælatorũ, eo ꝙ ſemper principia ſicut ſunt modica in quantitate: ſic debent eſſe maxima in virtute.

Homil 34 in Matth.

D. Auguſt. Epiſt. 19.

A D tertium eſt dicendum, quòd æqualitas poteſtatis iuriſdictionis accipitur reſpectu proximi, & corporis myſtici Eccleſiæ, cuius ſalutem quãto quis cum maiori charitate adminiſtrat: tãto in perfectiori ſtatu eſſe dicitur. Planum eſt autem, ꝙ chorus Apoſtolorum totus fuit ſuperabundanti charitate repletus; non ſolum in procuratione ſalutis proximorũ: immo ĩ fundatione corporis myſtici totius Eccleſiæ.

ARTICVLVS III.

G *VTRVM STATVS APOſtolorum Chriſti in perfectione exceſſerit ſtatum Diſcipulorũ Ioan. Baptiſtæ.*

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ſtatus Apoſtolorum Chriſti in perfectione non exceſſerit ſtatum Diſcipulorũ Ioã. Baptiſtæ. Super illo enim verbo Matth. 17. Hoc genus dæmoniorum nõ eijcitur, niſi per orationem, & ieiunium, dicit Chryſ. quòd ieiunium multam ſapientiam imponit: hominem quaſi Angelum conſtituit: incorporeas poteſtates impugnat: concupiſcentias pernicioſas extinguit, Deum propitiũ facit, & animam ſuperbam humiliat. Sed diſcipuli Ioan. ieiunabant, non autem Diſcipuli Chriſti, vt dicitur Matth. 9. Ergo illi erant perfectiores.

Hom. 59. in Matth.

2 Præterea: Scribitur Mar. 6. ꝙ venerunt Diſcipuli Ioan.& poſuerunt corpus eius in monumento: quod non dicitur de Diſcipulis Chriſti, hæc feciſſe de eo: Sed cum ſepelire mortuos ſit opus perfectionis, vt patet Thobiæ 12. Videtur, quòd Diſcipuli Ioann. ex hoc fuerint in perfectiori ſtatu.

3 Præterea: Diſcipuli Chriſti eum negauerunt. Matth. 26. Relicto eo, omnes fugerunt, Hoc autem non legitur de Diſcipulis Ioan. ꝙ eum negauerint.

I N C O N T R A R I V M eſt, quòd ſtatus perfectio conſiſtit in ſequendo Chriſtum,& relinquendo omnia propter Chriſtum. Sed hoc non legitur de Diſcipulis Ioan. ſed ſolum de Diſcipulis Chriſti. Ergo ipſi fuerunt in perfectiori ſtatu, quàm illi.

RESO-

RESOLVTIO.

A

Apoſtolorum ſtatus in perfectione ſtatum Diſcipulorum Ioannis Baptiſtæ exceſſit: immo tantum abeſt, vt hi excedant illos in perfectione, vt Diſcipuli Ioannis Baptiſtę magna ſint digni reprehenſione.

RESPONDEO, dicendum, quòd vel loquimur de perfectione ſtatus vtrorumq; Apoſtolorum Chriſti, & Diſcipulorum Ioan. in ſe, vel per comparationem ad perſonas: vtroq; autē modo ſtatus Apoſtolorum fuit perfectior. Fuit enim Ioan. finis veteris teſtamēti, & principium noui. (Heb. 7.) Vnde tpe Ioan. Lex Moſaica, quæ nihil ad perfectum deduxit, adhuc habebat ſtatum. Iuxta illud Matth. xj. Lex, & Prophetæ vſque ad Ioan. Baptiſtam prophetauerunt. Apoſtoli autem non ſolum fuerunt in ſtatu plenitudinis

B

gratiæ; immo nouum teſtamentum gratiæ plenitudinem conferens per eos eſt primo pronūciatum, & vetus teſtamentum ceſſaſſe per eos primo eſt ſententiatum. Vnde Petrus caput Apoſtolorum de ceſſatione legalium primo ſententiam protulit Act. 16. Si vero loquamur de ſtatus perfectione per comparationem ad perſonas; Planum eſt Diſcipulos Ioannis nō ſolum non habuiſſe perfectionem æqualem Chriſti Apoſtolis: Immo dignos fuiſſe magna reprehēſione propter tria. Primò, propter eorum ſuperbam elationem. (Hom. 31. In Matth.) Dicit enim Chryſ. ſuper illo verbo Matth. 9. Quare nos, & Phariſæi ieiunamus; Diſcipuli autē tui non ieiunant? vide elationis ſuperbiam: primo ſeipſos ponunt: deinde Phariſæos, ieiunabant enim ſicut & Phariſæus, qui dixit: (Lucæ 18.) Ieiuno bis in ſabbato,

C

decimas do omnium, quæ poſſideo: quod atteſtatur eorum ſuperba interrogatio, & ieiunij reprehendenda iactantia. Secundo, propter Phariſæorum aſſociationem. (In Mat. c. 9.) Dicit enim Hierony. ꝙ non poterant Diſcipuli Ioannis non eſſe ſub vitio, qui iungebantur Phariſęis, quos à Ioanne eorum Magiſtro nouerant eſſe condemnatos, & calumniabantur Chriſtum, quem ſciebant Magiſtri vocibus eſſe prædicatum. Tertio, propter inuidiæ æmulationem. Dicit enim Chryſ. ſuper illo Ioan. 3. (Hom. 28. in Ioan.) Facta eſt quæſtio ex diſcipulis Ioā. de purificatione, ꝙ zeloipè ſe habebant Diſcipuli Ioan. ad diſcipulos Chriſti, & ad ipſum Chriſtū: quia viderunt Diſcipulos Chriſti baptizantes, cœperūt dicere ad illos, qui baptizabantur baptiſmo Chriſti, vt tali baptiſmo nō baptizarentur quaſi aliquid maius

D

haberet baptiſma Ioan. baptiſmate Diſcipulorū Chriſti. Vnde manifeſtum eſt, ꝙ quæſtionem de purificatione mouerunt primo Diſcipuli Ioan. non zelo diſcēdæ veritatis, ſed magis zelo inuidię.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Diſcipuli Chriſti nō ſunt coacti ieiunare, ipſo ſcilicet pręſente, quia ſua præſentia, ieiunātibus, & abſtinētibus eos faciebat mitiores, & fortiores, vt dicit Chryſoſt. Matth. 9. Nec cū quolibet ieiunio genus dęmoniorum eijcitur, ſed tali, quo ſuperbia, inuidia, & alia vitia deprimuntur, quale nō erat ieiunium Diſcipulorum Ioannis, vt dictum eſt.

A

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Dei prouidētia factum eſt, vt corpus Chriſti non traderetur ſepulturæ per Apoſtolos: propter omnem ſuſpicionem remouendam. Si enim Iudæi pecunia corrumpentes cuſtodes dixerunt; Dicite, quia Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum, nobis dormientibus Matth. 28. Multo magis hoc dixiſſent, ſi per eius Apoſtolos corpus Chriſti fuiſſet ſepultum. Et propter dictam ſepulturam honorandam. prædictum enim erat Iſaiæ xj. Erit ſepulchrum eius glorioſum. Vnde per homines inſignes, & honorabiles Chriſti corpus erat ſepeliendum, quod ſic factum eſt. quia per Nicodemum, qui erat Princeps Iudæorum, & Ioſeph, qui erat nobilis Decurio.

AD tertium eſt dicendū, quòd illa negatio coo-

B

perata eſt Petro, ac alijs Apoſtolis in bonum, non in malum; quia in propriæ infirmitatis recognitionē, in proximorum infirmitatum compaſſionem, & in eorum poſtmodum fortiorem Chriſti cōfeſſionem. A Deo enim (vt dicit Auguſt.) Deus perfectis viris omnia cooperatur in bonum, vt ſi qua eorum facta deuiant, & exorbitant, hæc ipſa cooperantur eis in bonum, vt doctiores reddantur, & fortiores.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM STATVS APOſtolorum Chriſti in perfectione exceſſerit ſtatum Diſcipulorū eius.

C

AD quartū ſic proceditur. Videtur enim, quòd ſtatus Apoſtolorum Chriſti in perfectione non exceſſerit ſtatum Diſcipulorum eius, quos binos miſit ante faciē ſuam. Scribitur enim Lucæ 14. Qui nō renūciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sed illi fuerunt Chriſti diſcipuli. Ergo reliquerunt omnia propter ipſum, ac per conſequens æquales fuerunt Apoſtolis in perfectionis ſtatu.

2 Pręterea: Qui ſunt æqualis meriti, ſunt æqualis præmij, & æqualis ſtatus: ſed Apoſtoli, & illi diſcipu-

D

li fuerunt æqualis meriti: Cum enim reuerſi eſſent (Lucæ 10.) ſeptuagintaduo, cum gaudio dicentes: Domine dæmonia ſubijciuntur nobis in nomine tuo; dictum eſt eis: Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt ī cœlis.

3 Præterea: Quibus præfigitur idem modus perueniendi ad perfectionis ſtatum ſunt in æquali ſtatu perfectionis: ſed illis Diſcipulis præfigitur idem modus perueniendi ad perfectionis ſtatum, ſicut præfixus eſt Apoſtolis. vtriſque enim dicitur: Ecce ego (Lucæ 10.) mitto vos ſicut agnos inter lupos, & nolite portare ſacculum, neque peram, & cetera alia.

IN CONTRARIVM eſt. quia nullus debet ſe Chriſti Collegio in perfectionis ſtatu cōparare, vt dicit Aug. Sed illi Diſcipuli nō fuerūt de Chriſti Collegio. Ergo nec æquales Apoſtolis in perfectionis ſtatu.

R E S O L V T I O.

Apoſtolorum ſtatus in perfectione ſtatum Diſcipulorum excesſit. Illi enim ad ſtatum Religionis, Prælationis, & familiaris cum Chriſto conuerſationis per ſecretorum reuelationem: Hi verò non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſoli duodecim Apoſtoli electi ſunt à Chriſto ad ſtatum Religionis per temporalium omnium abdicationem. Et ad ſtatum Prælationis per omnium commisſionem. Et ad ſtatum familiaris cum Chriſto conuerſationis per ſecretorum reuelationem. De illis autem Diſcipulis non eſt ſcriptum, quod ab eo fuerint vocati ad ſtatum Religionis: nec ad ſtatum Prælationis, nec ad ſtatum familiaris conuerſationis; ſed vocati ſunt tamquam coadiutores Apoſtolorum in Sacramentorum adminiſtratione, & Euangelij prædicatione, quod ipſa verba Chriſti manifeſtant. Ait enim Lucę 10. Mesſis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo Dominum mesſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Non ergo eſt dicendum, quòd ipſi fuerint æquales Apoſtolis in perfectionis ſtatu.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod multi fuerunt Chriſti Diſcipuli renunciantes his, quæ posſidebant, qui abierunt retro. non enim obligationis voto Chriſtum ſecuti ſunt. Vnde ſuper illo verbo Ioã. 6. Ex hoc multi eius Diſcipuli abierunt retro, & non iam cum illo ambulabant. Dicit Chryſoſt. quòd non dixit: receſſerunt, ſed abierunt retro, puta ab ea fide, & auditione, quæ ſecundum veritatem erat, quam (Hom. 46. in Ioan.)

E perdiderunt, & præcisſi à corpore vitam amiſerunt. Solum autem de duodecim dictum eſt: Domine ad quem ibimus? verba vitæ eternæ habes; quia ipſi voto obligationis Chriſtum ſecuti fuerunt, vt amplius non eſſet eis liberum, retro abire. In quorum perſona dicit Apoſtolus Phil. 3. Quæ quidem retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora, meipſum extendens. Et ſtatim ſubdit: Quicunque ergo perfecti ſumus, hoc ſentiamus: puta, quod quæ retro ſunt obliuiſcamur, & ad illa, quæ priora ſunt, nos ipſos extendamus.

F AD ſecundum eſt dicendum, quod omnium prædeſtinatorum nomina ſcripta † ſunt in libro vitæ per æternam ſententiam, & omnium exiſtentium in gratia ſimiliter per præſentem iuſtitiam; qui tamen deleri poſſunt de libro vitæ cum labuntur in peccatũ: iuxta illud Pſal. Deleantur de libro viuẽtium, & cum iuſtis non ſcribantur. Vnde multi ſunt ſcripti in libro vitæ, qui non ſunt in perfectionis ſtatu: & Iudas fuit in perfectionis ſtatu: & quandoque ibi ſcriptus per præſentem iuſtitiam, ſemper tamen deletus per æternam ſententiam. († S. Thom. par. 1. q. 24. art. 1. & ſequen.) (Pſal. 68.)

G AD tertium eſt dicendũ, quòd ille modus fuit præfixus Apoſtolis, & coadiutoribus Apoſtolorum, vt idem modus traderetur omnibus prædicantibus Euangelium, & adminiſtrantibus ſpiritualia, quod non principaliter temporalis ſubſidij, ſed deſiderio cœleſtis præmij hoc facerent. Multis enim modis aliqui ſecuti ſunt Chriſtum, vt dicit Chryſoſt. Matth. 9. Aliqui enim per prædicationem. Aliqui per ſcripturæ monitionem. Aliqui verò per internam inſpirationem. Et aliqui per temporalium abdicationem, & voti obligationem, ſicut Apoſtoli, qui retro non abierunt.

QVAEST. LXXXVIII. DE APOSTOLORVM PRAELATIONE.

DEINDE *videndum eſt de Apoſtolorum prælatione. Circa quod quæruntur Quatuor.*

Primo, Vtrum ſolus Petrus fuerit à Chriſto aſſumptus ad Prælationis ſtatum.

Secundo, Vtrum perfectior fuerit in Apoſtolis ſtatus Religionis; quàm Prælationis.

Tertio, Vtrum illi ſeptuagintaduo Diſcipuli fuerint aſſumpti ad ſtatum Prælationis.

Quarto, Vtrum illi ſeptem diaconi ad ſtatum Prælationis fuerint aſſumpti.

ARTICVLVS I.

H *VTRVM SOLVS PETRVS aſſumptus fuerit ad Prælationis ſtatũ.*

Turrecrem. in cap. In nouo. 21. diſt. q. 3. & Dominicus Sotus lib. 4. ſent. diſt. 24. q. 2. art. 2.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quod omnes Apoſtoli, non ſolum Petrus, ad ſtatũ Prælationis fuerint aſſumpti. Epiſcopatus enim nomen Prælationis eſt. Sed Ioan. 20. Chriſtus omnes Apoſtolos fecit Epiſcopos, quando inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum

tum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Super quo verbo dicit gloſſa: Intueri libet ad quantum culmen gloriæ producti ſunt Chriſti Apoſtoli, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent, quorum nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent.

2 Præterea: Prædicare Euangelium eſt Prælatorũ officium. Sed Matth. vltimo omnibus Apoſtolis indifferenter dictum eſt: Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturę.

3 Præterea: Paulus aſſumptus fuit ad officium prędicationis, non auctoritate Petri, quia poſt eius aſſumptionem ad apoſtolatum tribus annis prædicauit antequam iret Hieroſolymam videre Petrum, vt ipſe dicit Gal. 1. Alij ergo Apoſtoli fuerunt aſſumpti ad prælationis ſtatum à Chriſto, præter Petrum.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſolus Petrus fuit ad prælationis ſtatum electus à Chriſto Matt. 16. Tibi dabo claues. Ergò ſolus Petrus in ſtatu prælationis à Chriſto fuit confirmatus: quod ſic factum eſt Ioan. 21. Paſce oues meas.

RESOLVTIO.

Solus Petrus ad ſtatum prælationis à Chriſto fuit aſſumptus. Idquod in ſucceſſoribus remanſiſſe dicas licet.

RESPONDEO, dicendum, quòd omnis ſtatus reducitur ad caput vnum, aliter non eſſet dicendus ſtatus, ſed caſus. Vbicumque autem eſt capi- C
tis vnitas, ibi eſt ſtatus: vbicumque autem pluralitas, caſus eſt, non ſtatus. totius autem ſtatus Epiſcopalis, & Eccleſiaſticæ hierarchiæ caput eſt, Epiſcopatus Chriſti, ad quem omnes Epiſcopatus, & prælationes omnes Eccleſiaſtici ordinis reducuntur: iuxta illud 1. Petr. 2. Conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum. Vnde ſuper illo verbo Ioan. 21. Paſce oues meas, dicit glo. quod finito prandio commiſſionem ouium ſoli Petro commendauit Chriſtus, & nulli alteri. Cuius commiſſionis reminiſcens 1. Petri 5. dicit: Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei. Super quo verbo etiam dicit gloſſa, quòd ſicut Dominus ſoli Petro totius gregis curam habere iuſſit: ita Petrus, ſequentibus Paſtoribus Eccleſiæ iure mandat, vt cum quiſque, qui ſecum eſt, gregem Dei ſoli- D
cita gubernatione tueatur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd verum eſt in illa ſufflatione Spiritus ſancti Apoſtolos eſſe factos à Chriſto Sacerdotes, & Epiſcopos; & in Sacerdotio receperunt poteſtatem ordinis reſpicientem Chriſti corpus verum, & in Epiſcopatu receperunt poteſtatem ordinis reſpicientem Chriſti corpus myſticum. Vnde totam poteſtatem ordinis immediate à Chriſto receperunt. Veruntamen poteſtatem iuriſdictionis, qua poſſent poteſtatem ordinis exequi in tanta, vel in tali materia, non receperunt niſi à Petro poſt miſſionem Spiritus ſancti. Vnde ſuper illo

A verbo Lucę vltimo: Vos autẽ ſedete in ciuitate quoadvſque induamini virtute ex alto. Dicit Chryſoſt. quod ſicut milites inuaſuros multos, nemo Dux ſinit exire, donec armati ſint: ſic & Apoſtolos ante Spiritus ſancti deſcenſum Chriſtus egredi nõ permiſit. Planum eſt autem, quòd poſt miſſionem Spiritus ſancti ſolus Petrus caput Apoſtolorum, & omnium populorum remanſit.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd prædicare Euangelium pertinet ad poteſtatem clauium: ſoli autem Petro poteſtas clauium commiſſa eſt, vt patet Matth. 16. Et ideo illa deſtinatio prędicatorũ Matth. vltimo, intelligebatur eſſe fienda auctoritate Petri.

AD tertium eſt dicendum, quòd verum eſt, Paulum immediate à Chriſto fuiſſe electum, & ideo nõ
B expediebat * vt ad Petrum iret recepturus ab eo prędicationis officium, quod tamen ipſe fecit, quia contulit cum ipſo, & cum alijs Apoſtolis de euangelio quod prædicabat gentibus, in quo oſtendit (vt dicit Hiero.) non habuiſſe ſecuritatem Euangelij, niſi eſſet auctoritate Petri, & aliorum Apoſtolorum roboratum.

* al. oportebat.

ARTICVLVS II.

VTR. PERFECTIOR FVERIT in Apoſtolis ſtatus Religionis, quàm prælationis.

Faciunt tradita per B. Thomam 2.2.q. 184. art. 7.

AD ſecundum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quod in Apoſtolis perfectior fuerit ſtatus Religionis, quàm prælationis. Quia ſtatus perfectionis conſiſtit in charitate: ſed charitas Dei, cui inſiſtũt Religioſi, eſt perfectior, quàm charitas proximi, cui inſiſtunt Prælati. Perfectior ergo fuit in Apoſtolis ſtatus Religionis, quàm prælationis.

2 Prǽterea: Prælati inſiſtunt vitæ actiuę: Religioſi vero vitæ contemplatiuæ. Sed perfectior eſt vita contemplatiua, quàm vita actiua: Lucæ 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

3 Præterea: Poſſeſſio temporalium repugnat perfectionis ſtatui. Sed Prælati poſſunt poſſidere temporalia, non autem Religioſi. Perfectior ergo erat in Apoſtolis Religionis ſtatus, quàm prælationis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Prælatorum eſt alios perficere: Religioſorum autem, quòd ſolum ſint in ſeipſis perfecti. Sed longe maior perfectio requiritur ad perficiendum alios, quàm quòd quis in ſeipſo ſit perfectus.

RESOLVTIO.

Prælationis ſtatus in Apoſtolis fuit perfectior, dignior, vtilior, & difficilior, quàm ſtatus Religionis.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ (ſicut ſupradictũ eſt) Apoſtoli fuerunt vocati ad ſtatum Religionis, & ad ſtatum prælationis. Si ergo fiat comparatio de ſtatu vno, reſpectu alterius, poſſumus dicere, ꝙ ſtatus Prælationis in eis reſpectu ſtatus Religionis, fuit perfectior, fuit dignior, fuit vtilior, & fuit difficilior. Perfectior quidem propter abundantiorem dilectionem. Vnde abundantem dilectionem Chriſtus expetiuit à Petro, quando ſibi oues regendas commiſit, ſicut dicit glo. Ioan. 21. Dignior vero propter perſonę repræſentationem. Exiſtentes enim Apoſtoli in ſtatu Religionis Chriſtum imitabantur; Sed exiſtentes in ſtatu prælationis Chriſtum repræſentabát, & eius vicem gerebant. Vnde Paulus exiſtens in ſtatu Religionis, dicebat: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. ſed exiſtens in ſtatu prælationis dicebat 2. Cor. 2. Ego quod donaui vobis, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti. Vtilior autem propter proximorum exhortationem. tenẽtur enim Prę lati non ſolum ſeipſos, immo ſuos ſubditos in his, quæ ſunt fidei, illuminare, & ad diuinum cultum ordinare. Vnde. 1. ad Tim. 4. Paulus ſcribens Timotheo dicit: Eſto * fidelibus exemplũ in cõuerſatione, in verbo, in charitate. & dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Sed difficilior propter temporalium, & ſpiritualium adminiſtrationem, quorũ adminiſtratio magni laboris, & difficultatis eſt, propter diuerſitatem, & interdum prauitatem illorum, quibus miniſtrantur, quos niſi Prælati diſpoſitos videant, & paratos, magnis cruciatibus affliguntur, ſicut de illo ſancto Loth ſcribitur 2. Petri. 2. Aſpectu enim, & auditu iuſtus erat habitans inter eos, qui de die in diem animã iuſtam iniquis operibus cruciabant. Exceſſit ergo ſtatus Prę lationis in Apoſtolis eorum met ſtatum Religionis in perfectione, in dignitate, in vtilitate, & difficultate.

* al. Fidelium.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ perfectio dilectionis proximi ex perfectione diuinæ dilectionis ſumit originem. quando quidem diuina dilectio tanta eſt in aliquo, vt non ſolum ſibi velit ſeruire, & eius dulcedine frui, immo omnibus alijs ſeruire cupit, & ad eius fruitionẽ inducere propter Deũ. Planum eſt autem, quòd talis dilectio perfectior eſt, quàm ſi ſolum ipſe diuino cultui vacaret. Vnde 2. Cor. 5. dicit Apoſtolus: Siue mente excedimus Deo, puta ad honorem Dei omnia temporalia contemnẽdo: Siue ſobrij ſumus vobis ad veſtram vtilitatem, charitas Chriſti vrget nos. quia Chriſti charitas vrget, vt omnia pro vobis faciamus, ſicut dicit glo. perfectior enim charitas eſt, qua quis ſeruit amico, & domino propter Dominum, quàm Domino tantum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non ſic vita actiua attribuenda eſt Prælato, vt vita contemplatiua priuetur, cum Grego. dicat in Paſtorali c. 16. Sit Rector ſingularis compaſſione proximis, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus, vt per pietatis viſcera in ſe infirmitatem cæterorum transferat, & per ſpeculationis altitudinem ſemetipſum quoq; inuiſibilia petendo tranſcendat.

E AD tertium eſt dicendum, quòd Prælati poſſeſſiones non quaſi proprias, ſed ſicut communes diſpenſant, iuxta illud, quod ſcribitur 12. q. 1. Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias perfectionis amore contemni. quia non propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates. Talis ergo poſſeſſio in nullo repugnat ſtatui perfectionis, immo auget.

ARTICVLVS III.

VTRVM ILLI SEPTVAGINtaduo Diſcipuli aſſumpti fuerint ad Prælationis ſtatum.

F AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd illi ſeptuagintaduo Diſcipuli aſſumpti fuerint ad Prælationis ſtatum. Quia illi ſunt Prælati, quibus cura animarũ cõmittitur, ſed illis Diſcipulis cura animarum commiſſa eſt. Ergo ad Prælationis ſtatum ſunt aſſumpti.

2 Præterea: Solis Prælatis licitum eſt viuere de ſtipendijs ſuorum ſubditorum. Sed illis Diſcipulis cõceſſa eſt virga, per quam poteſtas recipiendi neceſſaria intelligebatur, vt dicit gloſſa Mar. 6. Ergo Prælati erant.

3 Præterea: Prædicare Euangelium ordinaria poteſtate non conuenit niſi Prælatis. Sed illis conceſ-
G ſum eſt prædicare Euangelium ordinaria poteſtate. Ergo aſſumpti fuerunt ad prælationis ſtatum.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſic illi Diſcipuli aſſumpti ſunt ſicut fuerunt aſſumpti ſeniores Iſrael, tempore Moyſi Exodi 18. vt dicit gloſſa Lucæ 10. ſed illi Diſcipuli ſic aſſumpti ſunt, vt Spiritus ſancti gratia adiuti implentes denarium legis intendant ad contemplationem conditoris, ſicut dicit gloſſa Exodi 18. Sed implere præcepta legis eſt infra ſtatum prælationis. Non ergo fuerunt aſſumpti ad prælationis ſtatum.

RESOLVTIO.

Septuagintaduo Diſcipuli ad ſtatum Prælationis
H *propriè aſſumpti non fuerunt, ſed Apoſtolorum coadiutores dici debent.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliud eſt eſſe animarum Paſtores, & aliud Paſtorum coadiutores. Eſſe namque animarum Paſtores proprium fuit Apoſtolorum, & nunc eſt Epiſcoporum, qui eorum ſucceſſores ſunt. De quibus ſcribitur Hierem. 3. Dabo vobis Paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. Eſſe vero Paſtorum coadiutores proprium fuit illorum 72. Diſcipulorum, quorum nunc ſucceſſores ſunt Presbyteri, & Curati. Vnde dicit gloſſa Bedæ Lucæ 10. ꝙ ſicut 12. Apoſtolos formã Epiſcoporũ præmonſtrare nemo eſt, qui dubitet: ſic illos 72. figuram Presbyte-

A rorum geſſiſſe manifeſtum eſt. Non ergo illi 72. aſſumpti fuerunt propriè ad ſtatum Prælationis, ſed magis ad ſtatum Apoſtolorum, & Prælatorũ ſubuentionis, ſicut nunc Presbyteri non ſunt propriè Paſtores, ſed ſunt Paſtorum coadiutores.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo, eſt dicẽdum, quòd cura animarum fuit commiſſa illis Diſcipulis, & committitur nunc Presbyteris ſicut coadiutoribus,& miniſtris, modo,quo dicit Apoſtolus ad Titum 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea,quæ deſunt,corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut Epiſcoporum eſt Presbyteros ordinare, ſic eis conuenit ſtipendia taxare. Quãuis enim iure naturali, & diuino indultum ſit, vt qui altari ſeruit,de altari debet viuere,ſicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 9.& ſic cenſuit Chriſtus quolibet iure licere, vt dignus eſſet operarius mercede ſua, Lucæ 10. Hoc tamen non niſi auctoritate Apoſtolorum,& Epiſcoporum eorum ſucceſſorum ſuppoſuit eſſe fiendum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ prædicationis officium nulli habenti prælationis ſtatim poteſt committi, quia eis conuenit iure prælationis. Vnde illis ſeptuagintaduobus Diſcipulis officium prædicationis commiſſum eſt in adiutorium Apoſtolorum. Quia enim meſſis multa erat, & Apoſtoli pauci operarij, aſſumpſit illos ſeptuagintaduos non in prælationem, ſed in eorum ſubuentionem. Per quod monſtrauit, vt Epiſcopi Apoſtolorum ſucceſſores ex multiplicatione meſſis idoneos viros debeant aſſumere coadiutores ipſorum in Euangelij prædicatione, & Sacramentorum adminiſtratione.

ARTICVLVS IIII.

UTRUM ILLI SEPTEM Diaconi aſſumpti fuerint ad Prælationis ſtatum.

AD quartum ſic proceditur: Videtur enim, quòd illi ſeptẽ Diaconi aſſumpti fuerint ad Prælationis ſtatum. Scribitur enim 1. Timot.3. Diaconi,qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonũ acquirent. Sed habere gradum bonum,eſt habere Prælationis ſtatum.

2 Præterea: Excommunicare pertinet ad ſtatum Prælationis: ſed Diaconi poſſunt excommunicare. Ergo eis conuenit Prælationis ſtatus.

Act. 6. 3 Præterea: Apoſtoli eligentes illos ſeptem Diaconos dixerunt: Conſiderate fratres ex vobis viros ſeptem boni teſtimonij plenos Spiritu ſancto,quibus electis orantes impoſuerunt eis manus. Sed ſic vnuſquiſq; ad ſtatum Prælationis aſſumitur per impoſitionem manus ex inuocatione Spiritus ſancti.

IN CONTRARIVM eſt, quia Apoſtoli erãt Epiſcopi, & Prælati. ſed illi non ſunt vocati ad ſtatum Apoſtolatus, vel Epiſcopatus. Ergo nec ad ſtatũ Prælationis.

RESOLVTIO.

Septem Diaconi potius ad Religionis,quàm ad Prælationis aſſumpti fuerunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd ad perfectã rationem Prælationis requiruntur tria,quantũ ad præſens. Primo, canonica electio, ad Hebræ. 5. Nullus aſſumat ſibi honorem,ſed qui vocatur à Deo tamquàm Aaron. Secundo,executionis adminiſtratio B 1 Petri 4. Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes,ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Tertio, ad curam ſuſceptam habendam perpetua obligatio, Prouerb. 6. Fili, ſi ſpoponderis pro amico tuo,defixiſti apud extraneum animam tuam, & illaqueatus es verbis oris tui. Ex quo enim cura animarum in voto ſuſcipitur ſolemni: non licet retro abire, niſi vel per ſuam negligentiam: propter quam eſt deponendus,& à cura remouendus. Vel per ipſius Papæ licentiam,qui poteſt in ſolemni voto diſpenſare Magis ergo dicendum eſt, ꝙ illi ſeptem Diaconi vocati ſunt,vt præeſſent in ſtatu Religionis, quàm vt præeſſent in ſtatu Prælationis. Sunt enim præpoſiti illis, quæ omnia vendiderant, & vel pauperibus erogauerant, vel ad C pedes Apoſtolorum poſuerant, quibus prædicti ſeptem Diaconi in communi prouidebant neceſſaria ſpiritualiter, & temporaliter modo,quo faciunt Religioſi,qui renunciantes omnibus,quæ poſſidẽt,præficiunt eis aliquos, qui eis miniſtrẽt in ſpiritualibus, & tẽporalibus. Et in multis Eccleſijs cathedralibus, diaconi in tali gradu ponuntur, vt talem adminiſtrationem habeant. Vnde dicit gloſſa Act. 7. ꝙ hic iam diſcernebant Apoſtoli, & ſucceſſores eorum per Eccleſias conſtituti ſeptẽ diacones,qui eſſent ſublimioris gradus cæteris, & proximi circa aram quaſi columnæ aſſiſterent,non ſine ſeptennarij myſterio.

Ad Argumenta.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſignãter ibi dicit: Qui bene miniſtrauerint, ſibi gradum bonum acquirent, vt fiant Epiſcopi, non ꝙ ſint Epiſcopi, ſicut gloſſa exponit. non habent ergo diaconi gradũ Prælationis,ſed põt ſibi acquirere Prælationis gradũ,ſi in gradu,in quo ſunt,benè miniſtrauerint.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd diaconi poſſunt excõicare, non propter receptam Prælationem, ſed propter cõmiſſam iuriſdictionem,ſicut qui præſunt Religioſis excõicare poſſunt,qui tamen propriè non ſunt Prælati, ſed miniſtri ad tempus curam aliquorum recipientes.

AD tertium eſt dicendũ,ꝙ Prelatio propriè ſumpta,de qua nunc loquimur,non recipitur per manus impoſitionem: ſed magis per voti ſolemnizationem, per aliquod conſecrationis,& benedictionis ſignum.

QVÆ

QVAEST. LXXXIX. DE APOSTOLORVM PAVPERTATE.

VLTERIVS videndum eſt de Apoſtolorum paupertate. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Apoſtolis fuerit interdicta poſſeßio pecuniæ, & rerum mobilium.

Secundo, Vtrum Apoſtolis fuerit interdicta poſſeßio rerum ſtabilium.

Tertio. Vtrum præceptum datum Apoſtolis Mar. 10. De non poſſidendis rebus temporalibus per Chriſtũ ex toto fuerit reuocatum.

Quarto, Vtrum Apoſtoli mendicauerint oſtiatim.

ARTICVLVS I.

VTR. APOSTOLIS FVERIT prohibita poßeßio pecuniæ, & rerum mobilium.

Turrecrem. in Summa de Eccleſia, lib. 2. cap. 112. ad decimam obiectionem.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtolis non fuerit interdicta poſſeſſio pecuniæ, & rerum mobilium. Non enim fuerunt maioris perfectionis Apoſtoli, quàm Chriſtus. Suf- G ficit enim Diſcipulo, ſi ſit ſicut Magiſter eius Matthæi 10. Sed Chriſtus pecuniam ſeruari fecit, & loculos Iudæ recommendauit, vt patet Ioan. 13. Ergo poſſeſſio pecuniæ, & aliarum rerum mobilium Apoſtolis interdici non debuit.

2 Præterea: Apoſtoli dimiſerunt omnia temporalia propter Chriſtum, Matthæi 19. Ecce nos reliquimus omnia. Si ergo non potuiſſent ſeruare pecuniã à fidelibus eis oblatam, nõ habuiſſent neceſſaria, quæ Deus etiam animalibus brutis non ſubtrahit; iuxta illud Pſal. 146. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.

3 Præterea: Sicut cibaria ſunt neceſſaria ad victũ, H ſic calciamenta, & tunicæ ad veſtitum. Poſſeſſio ergo talium non debuit eſſe prohibita Apoſtolis.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 10. Nolite poſſidere aurum, neque argentũ, neque pecuniam in zonis, neque duas tunicas, neque virgam.

RESOLVTIO.

Rerum mobilium poſſeßio Apoſtolis non fuit pro- E hibita, quantum ad vitæ neceßaria: ſed quantum ad ſolicitudinem; & vnde ea habituri, aut recepturi eſſent, fuit oſtenſum.

RESPONDEO, dicendum, quòd hanc quæſtionem mouet Auguſtinus in 2. libro de conſenſu Euangeliſtarum dicẽs, Matthæum, & Marcum contrarium loqui de veſtimentis, & calciamentis. Nam Matth. dicit calciamenta in via non eſſe portanda: neque duas tunicas habendas, neque virgam ferendam. Marcus verò ait, ꝙ ſandalibus debẽt eſſe calciati, & nihil aliud deberent portare, niſi virgam. Ad hoc ergo reſpondet Auguſt. ꝙ dominus nũquàm prohibuit Apoſtolis, vt vitæ neceſſaria in victu, & F veſtitu non haberent, ſed vnde talia habituri eſſent, & à quibus recepturi, oſtendit. Nam ſtatim cum dixit: Nolite poſſidere aurum, vel argentum, neque pecuniam in zonis, neque calciamenta, neque duas tunicas, neque virgam, immediatè adiecit: Dignus eſt enim operarius cibo ſuo. voluit ergo Chriſtus ſuos Apoſtolos, & alios ſuæ doctrinæ Prædicatores ab omni mundi ſolicitudine eſſe remotos, & neceſſaria vitæ quæcumque ſiue magna, ſiue parua ab illis, quibus prædicabant, pro ſtipendijs eſſe miniſtrãda: calciamenta verò, & ſandalia, vel virga per Matth. Apoſtolis prohibita, & per Marcum conceſſa ſecundum Aug. ibidem non ſub eadem ſignificatione accipiuntur, ſicut aliter accipitur tentatio, cum dici- G tur: Tentauit Deus Abraham: & aliter cum dicitur: Deus neminem tentat. Quia primo modo ſumitur pro tentatione probationis: ſecundo pro tentatione ſeductionis. ſic cum dicitur: Iudica me Deus, intelligitur de iudicio diſcretionis: Cum vero dicitur: Reſurgent impij in Reſurrectione iudicij, intelligitur de iudicio condemnationis. Eodem modo cum prohibet Matth. calciamenta, & virgam portare, intelligit etiam minima neceſſaria à ſubditis eis eſſe corporaliter miniſtranda. Cum verò Marcus concedit ſandalia, & virgam intelligit per virgam Apoſtolicã poteſtatem, qua liceat eis neceſſaria ſumere. Per ſandalia verò intelligit, vt pes Apoſtolorum neque ſit tectus, vt Euangelica doctrina occultetur: neq; nudus H ad terram, vt terrenis commodis * innitantur.

Tomo 4. cap. 30.

Gen. 22. Iac. 1.

* al innitẽtur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd dominus non mandauit Apoſtolis pecuniam non eſſe expendendam ad neceſſariorum emptionem, ſed nõ eſſe poſſidendam ad theſaurizationem, & ſuperfluã retentionem. Vnde ſecũdum Auguſt. ſic præceptum

fuit

fuit Apoſtolis, pecuniam nō eſſe ferendam in zonis, ſicut præceptum fuit, in craſtinum non eſſe cogitandum, vel ſeruandum. Planum eſt autem, non ſic præceptum eſſe in craſtinum non eſſe cogitandum, ꝙ pecunia ad vſum neceſſaria à Sanctis non ſeruaretur: ſed ne propter hoc Deo ſeruiatur, & ne propter temporalia bona, iuſtitia deſeratur.

In Math. c. 10. Tom. 6.

A d ſecundum reſpondet Hieron. dicens, ꝙ qui diuitias detruncauerat (*qua per aurum, & argentum, & pecuniam deſignantur*) etiam vitę neceſſaria prope modum amputat: vt Apoſtoli, qui veræ Religionis Doctores inſtituebant omnia Dei prouidentia gubernari, ſeipſos oſtenderent nihil cogitare de craſtino. Tanta enim (vt dicit Beda) debet eſſe prædicatori de Deo fiducia, vt præſentis vitæ ſumptus quamuis non prouideat, tamen hos ſibi non deeſſe certiſſime ſciat: ne, dum mens eius occupetur ad temporalia, minus alijs prouideat æterna.

In Mar. c. 6.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Chryſoſtomus, per duas tunicas duplex veſtimentum intelligitur: Vnū, quo homo induatur: & reliquum, quod in futurum reſeruetur. Præcepit ergo Chriſtus, ne quiſquam præter eam tunicam, qua eſſet indutus, aliam portandam putare eſſet ſolicitus, cum ex poteſtate data omnia neceſſaria magna, & minima à fidelibus eſſent miniſtranda.

ARTICVLVS II.

VTR. APOSTOLIS FVERIT interdicta poſſeſſio rerum immobiliū.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtolis non fuerit interdicta poſſeſſio rerum ſtabilium Non eſt enim aſſerendū, interdictum, quod non legitur in Scriptura ſacra interdictum. Sed non legitur de Apoſtolis, ꝙ poſſeſſiones habere fuerit eis interdictum. ergo.

2 Præterea: Apoſtoli fiēdi erat Patres pauperum. Mar. 14. Semper pauperes habetis vobiſcum, & cum volueritis, poteritis illis benefacere. Sed non potuiſſent pauperibus ſubuenire, ſi nihil habuiſſent de mobilibus, vel ſtabilibus.

3 Præterea: Si Apoſtolis fuiſſet interdicta poſſeſſio temporalium mobilium, vel ſtabilium, coacti fuiſſent manibus laborare, & prædicationis officio non vacare. quod tamen non legitur niſi de Paulo, quòd manibus laborauerit.

I n C o n t r a r i v m eſt, quod ſcribitur Act. 4. Quotquot erant poſſeſſores agrorum vendebant, & pretia ponebant ad pedes Apoſtolorum. Quod non feciſſent, ſi licitum fuiſſet Apoſtolis poſſeſſiones tenere.

R E S O L V T I O.

Rerum immobilium poßeſſio Apoſtolis fuit prohibita, propter earundem nimiam ſolicitudinem remouen- A *dam, propter cupiditatis ſuſpicionem tollendam, & propter Chriſti perfectionem imitandam.*

R e s p o n d e o, dicendum, ꝙ non eſt dubiū ſecundum doctrinam Sanctorum, Apoſtolis interdictū fuiſſe, ne agros, vel vineas, vel alia immobilia poſſiderent propter tria. Primo propter temporaliū ſolicitudinem remouendam. multo enim maior ſolicitudo requiritur circa agrorum culturam, quam circa ſeruandam pecuniam. quia temporale adminiculum ex agris, vel vineis poſſeſſis maius eſt, quàm ſi bona mobilia habeantur, ad quorum culturam tota ſæcularis vita occupatur. Si ergo propter ſolicitudinem temporalium remouendam prohibita fuit Apoſtolis poſſeſſio pecunię, & aliarum rerum mobilium; Multo magis intelligitur fuiſſe interdicta poſſeſſio B agrorum, & aliorum rerum immobilium. Secundo propter cupiditatis ſuſpicionem tollendam. Dicit enim Hiero. quòd ſi Apoſtoli aurum, vel argentum ſeu pecuniam habuiſſent, ſuſpicio fuiſſet de eis, ꝙ non cauſa ſalutis hominum, ſed cauſa lucri prædicarent. Manifeſtum eſt autem, ꝙ ſi ipſi poſſeſſiones accepiſſent non minus, immo multo magis ſuſpecti fuiſſent, quòd propter quæſtum predicaſſent, quàm ſi aurum, vel argentum poſſediſſent. Tertio propter eorum Magiſtri perfectionem imitandam. quamuis enim Chriſtus loculos habuerit aliorum infirmitati condeſcendens, † eos tamen non replebat de pecunia agrorū, vel poſſeſſionū. ſed ſolum de his, quę à Chriſti fidelibus ſibi erant oblata. Non ergo fuiſſent Apoſtoli Chriſti perfectionis imitatores, ſi poſſeſſiones C agrorum, vel vinearum habuiſſent.

In Math. c. 10. Tom. 6.

† Qualiter hæc verba ſint intelligenda vide Turrecrem. in cap. exēplum. 12. q. 1. num. 3 & Caietanum apud B. Thomā 2. 2. q. 188. art. 7.

Ad Argumenta.

A d P r i m v m ergo eſt dicendum, quòd legitur obſeruatio, licet non legatur prohibitio. Actuum enim 4. ſcribitur, quòd poſſeſſiones vendebantur, & ad pedes Apoſtolorum ponebantur. Similiter legitur prohibitio minorum, puta pecuniæ, & rerum mobilium. Ergo multo fortius maiorum, vt agrorum, & vinearum, & aliorum immobilium.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ Apoſtoli efficiēdi erant Patres pauperum propter eorum recommēdationem: recommendabant enim eos in eorū prædicationibus Chriſti fidelibus, ſicut patet de Paulo D 2. Cor. 8. Et Gal. 2. dicit: Tantum vt pauperum memores eſſemus: quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. Et propter eorum ſuſtentationem, quando facultas occurrebat. Dicit enim Chryſo. quòd per hoc, ꝙ Chriſtus loculos habuit, exemplum nobis monſtrauit, vt omnem hominem quantumcumque pauperem, & mundo animum habentem crucifixum, oportet pauperum magnam curam, & valde magnam procurationem habere.

A d tertium eſt dicendum, ꝙ Apoſtoli non indigebant manibus laborare † eo ꝙ ex ſeminatione Spiritualium, vitæ neceſſaria ex debito iuſtitiæ poterant recipere. Nec tamen Paulus, qui iure ſuo ceſſit, ne aliquando ſtipendia à ſubditis reciperet propter ſcandalum pſeudo Apoſtolorum vitandum, ſemper, &

† B. Thom 2. 2. q. 187 art. 3.

vbique

vbique manibus laborabat. Vbi enim Iudæis prædi- E cabat, qui ſolum diebus ſabbatis ſolió erant prędicationes audire, alijs diebns manibus laborabat. Sed vbi prędicabat Gentilibus, qnibus omni die verbum Euangelij nunciabat manibus non laborabat: immo de ſtipendijs ſubditorum viuebat. Dicit enim ipſe Philip. vltimo: Scitis enim vos, ꝙ in principio Euangelij, quando profectus ſum à Macedonia, nulla mihi Eccleſia communicauit in ratione dati, & accepti, niſi vos ſoli. quia Theſſalonicã ſemel, & bis in vſum mihi miſiſtis. Ex quo datur intelligi (vt gloſſa dicit) ꝙ quãdo Paulus erat apud Theſſalonicam, manibus non laborabat, ne prædicationis officium detrimentum pateretur.

ARTICVLVS III.

VTRVM PRAECEPTVM datum Apoſtolis, de non poſſidendis temporalibus, ex toto fuerit reuocatum.

Faciunt tradita per Canoniſtas in c. expedit. 12. q. 1. & B. Thom. 2. 2. q. 188. art. 7.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ pręceptum datum Apoſtolis Matth. 10. de nõ poſſidendis temporalibus, per Chriſtum ex toto fuerit remotũ. Scribitur enim Lucæ 22. ꝙ cũ quęſiuiſſet Chriſtus, à Diſcipulis: G Quando miſi uos ſine ſacculo, & pera, numquid aliquid defuit vobis, Et reſpondentibus illis: Nihil? dixit: Sed nunc qui habet ſacculum tollat ſimiliter & peram: & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Fuit ergo illud præceptum primum ex toto reuocatum.

2 Præterea: Act. 4. ſcribitur, ꝙ omnes vendebant poſſeſſiones, & pretia ponebant ad pedes Apoſtolorum. Poſt aſcẽſionem ergo Chriſti licitum fuit Apoſtolis aliquid in communi habere. & ſic illud primum mandatum, de non poſſidendo aliquid, fuit reuocatum.

3 Præterea: Quod erat maioris perfectionis, in H Apoſtolis per Chriſtum inducendum erat. Sed hoc erat maioris perfectionis proprijs renunciare, & poſſeſſiones Eccleſiæ in communi habere, vt ſcribitur. 12 q. 1. c. Expedit.

IN CONTRARIVM eſt. quia Chriſtus per illud præceptum voluit ſuos Apoſtolos à ſolicitudine temporalium eſſe retractos. ſed illud numquam fuit reuocatum. Ergo nec primum.

RESOLVTIO.

Præceptum Apoſtolis datum de non poſſidendis temporalibus ex toto reuocatum non fuit: ſed tempore paſſionis fuit iure relaxatum.

E RESPONDEO, dicendum, quòd vel quæritur de illius præcepti, in caſu, relaxatione, vel de eius totali amotione. Primo modo planum eſt, quòd, imminente paſſione Chriſti, illud præceptum in ſuo rigore fuit relaxatum. Dicit enim Beda Lucæ 22. quod non eadem viuendi regula, perſecutionis, & pacis tẽpore, Chriſtus Apoſtolos informauit. Miſſis namque Diſcipulis ad prędicandum, ne quid tollerent in via, præcepit, ordinans, vt qui Euangelium nunciat de Euangelio viuat. Inſtante vero mortis articulo, & tota illa gente iudaica Paſtorem ſimul, & gregem perſequente, congruam regulam tempori decernit, permittens, vt tollant victui neceſſaria, donec ſopita inſania perſecutorum, tempus euangelizandi redeat. Vbi nobis quoque dedit exemplum, iuſta cauF ſa nonnumquam inſtante, quædam de noſtri propoſiti rigore poſſe ſine culpa intermitti.

Sed ſecundo modo, planum eſt, quòd illud præceptum non fuit reuocatum: immo magis confirmatũ. Quod patet per Apoſtolorum obſeruationem, & per contrafacientium punitionem. Scribitur enim Act. 4. q͛d multitudidis credentiũ erat cor vnum, & anima vna, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat: ſed erant illis omnia communia: & ne aliquis poſſet dicere, eos habere poſſeſſiones communes, puta agros vel vineas, hoc per ſequentia excluditur. Sequitur enim: Quotquot poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendebant, & pretia ponebant ad pedes Apoſtolorum. Ex quo patet per Apoſtolorum obſeruantiam, quòd illa ſolum, quę ad G neceſſitatem vitę pertinebant, communiter habebantur, poſſeſſionibus omnibus omnino abdicatis. Similiter patet hoc per contrafacientium punitionem. Scribitur enim ibi, quòd Ananias, qui frau Act. 4. dauit de pretio agri, partem occultans, & partem offerens, audita reprehẽſione Petri, cecidit mortuus. quia contra ſententiam Domini fecit dicentis: Si vis Matth. 19. perfectus eſſe, vende omnia, quę habes. non dicit, partem. Incęperat ergo Ananias perfectionem, vendendo: ſed non perfecit totum, dando, vt gloſſa dicit. Barnabas vero, qui totum pretium ſui agri obtulit, ad conſortium Apoſtolorum eſt aſſumptus, & in ſocietatem Paulo Apoſtolo aſſignatus, vt glo. ibi exponit. Ex quo expreſſe patet, ad perfectionem vitæ Apoſtolicæ pertinere, nihil poſſidere, præter illa, quæ ſunt vi H ctui neceſſaria in prædicationis ſtipendium, non præmium.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut dicit Auguſt. in illa relaxatione præcepti nulla fuit inconſtantia præcipientis, ſed iuſta ratio diſpenſantis. Ex qua pro temporũ diuerſitate pręcepta, vel conſilia, vel promiſſa mutantur. Vnde non fuit facta per Chriſtum illius præcepti remotio: ſed ſolum pro tempore paſſionis aliqualis relaxatio. quo tempore Apoſtoli neceſſaria vitæ inuenire non potuiſſent, intus exiſtentes cõgregati propter metum Iudæorum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ibi non ſcribitur, Apoſtolos poſſeſſiones habuiſſe, ſed pretia in communi ſeruata fuiſſe ſecundum indigentiam magis,

quàm

quàm ſecundum ſufficientiam, in quo etiam aliquid de rigore vitæ Apoſtolicæ relaxatum eſt. quia Chriſtus perſonam infirmorum aſſumpſit, quando loculos habuit, quos tamẽ non replebat de pecunia agrorum, vel poſſeſſionum poſſeſſarum per eos, vel per ſuos Apoſtolos, ſed à Chriſti fidelibus oblata.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ adhuc maioris perfectionis eſſet proprijs renunciare, & poſſeſſiones Eccleſiæ non habere in communi, modo, quo Apoſtoli non habuerunt: qualiter tamen hoc intelligatur, inferius magis patebit.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM APOSTOLI MENdicauerint oſtiatim.

AD quartũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Apoſtoli non mendicauerint oſtiatim. Dicit enim Apoſtolus 1. ad Theſſal. 2. Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neq; in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: Sed illi, qui mendicant, coguntur adulari illis, à quibus petunt. Ergo Apoſtoli non mendicabant.

2 Præterea: Mendicantes tædium inferunt illis, à quibus petunt. Sed ſicut dicit gloſſa 2. Cor. 9. Super illo verbo: Hilarem enim datorem diligit Deus: qui dat, vt careat tædio interpellantis, non vt reficiat viſcera indigentis; & rem perdit, & meritum: Sed Apoſtoli non debebant eſſe cauſa perditionis meriti aliquorum. Ergo non debebant mendicare.

3 Præterea: Mendicantes oneroſi, & graues ſunt illis, à quibus petunt. Sed Apoſtolus dicit 2. Cor. 12. Ecce paratus ſum ad vos venire, & non ero vobis grauis.

In Contrarivm eſt Apoſtolus 2. Corin. 8. Qui petebat eleemoſynas pro alijs. Ergo & pro ſeipſo petere tenebatur.

RESOLVTIO.

Apoſtoli propter præceptam paupertatem, & hoſpitalitatem ab eis obſeruatam, & propter hæreſim ſtirpatam ab alijs neceſſaria petierunt.

A Respondeo, dicendũ, ꝙ Apoſtolos mendicaſſe, & ab alijs neceſſaria petiiſſe, quod eſt mendicare, multipliciter patet. Primo, propter præceptam paupertatem ab eis obſeruatam. Præceptum enim eis fuit Matth. 10. Vt ſic pauperes incederent in prædicationis officio, quatenus nihil portarent, nec victui neceſſaria. Et planũ eſt, ꝙ tunc imperioſe non poterant præcipere, vt reciperẽt, quæ neceſſaria erant, ab illis, quibus prædicabant: nondum Euangelio pronunciato, & Eccleſia nondum in aliqua parte fundata. Ergo tunc ſaltem manifeſtum eſt, quòd neceſſaria victus humiliter petebant, quod eſt mendi-

B care. Secundo, propter hoſpitalitatem ab eis commendatam. Dicit enim Apoſtolus ad Rom. 12. Hoſpitalitatem ſectantes, neceſſitatibus Sanctorũ communicantes. Et 3. Ioan. 1. ſcribitur: Chariſſime, fideliter facis, quicquid operaris in fratres, & maximè in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in conſpectu Eccleſiæ: quos, benefaciens, deducis dignè Deo, quià pro nomine Chriſti profecti ſunt: & iſti erant Diſcipuli Apoſtolorum, vt gloſſa dicit, quià propria Patria expulſi erant, alieni facti à proprijs rebus, vnde mendicare cogebantur. Tertio,

C propter hæreſim ſtirpatam. Diotrepes † enim detrahebat, & diſſuadebat hoſpitalitatem, tamquàm indignũ eſſet, relinquẽtibus omnia pro amore Chriſti mendicare, & hoſpitia quærere. Contra quẽ ſcribens Ioan. dicit: Si venero, commoneam eius opera, quæ facit verbis malignis garriens in vos, & quaſi iſta non ſufficiant ei, nec ipſe ſuſcipit fratres: & eos, qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia eijcit.

† Vide Prateolũ lib. 4. de ſectis hæreticorum, cap. 12.

Canonica 3. c. vnico.

Ad Argumenta.

Ad primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Apoſtoli

D non cogebantur adulari, quia ab illis recipiebant neceſſaria, quibus ſpiritualia miniſtrabant. Vnde eos non oportebat adulari, quia eis non dabantur neceſſaria propter eos, ſed propter Chriſtum, cuius ſerui erant, & quem nunciabant.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd tædium non fit, immo ſolatium illis, quibus verbum Dei nunciatur. Nec propter reprobos prædicatio Apoſtolorum erat dimittenda electis, qui de receptione Apoſtolorum tædio non efficiebantur, ſed lætabantur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Apoſtoli modicis contenti erant, & tamen magnum fructum faciebant. Vnde non erant graues, vel oneroſi illis, à quibus neceſſaria petebant, &c.

QVAEST. LXXXX. DE APOSTOLORVM CONTINENTIA.

DEINDE *dicendum eſt de Apoſtolorum cõtinentia. Circa quod quæruntur Tria.*

Primo, Vtrum continentia in Apoſtolis fecerit perfectionis ſtatum.

Secundo, Vtrum coniugale vinculum diminuiſſet in Apoſtolis ſtatum perfectionis.

Tertio, Vtrum continentia in Apoſtolis fuerit cum voto ſeruata.

ARTICVLVS I.

VTRVM CONTINENTIA IN Apoſtolis fecerit perfectionis ſtatũ.

Faciunt tradita per S.Thom.2.2.q.155.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ continentia in Apoſtolis non fecerit perfectionis ſtatum. Quod enim repugnat virtuti, non facit ſtatũ perfectionis: ſed continentia repugnat virtuti, cũ teneat extremũ, & virtus conſiſtat in medio, vt ſcribitur 2. Ethicorum. [Ariſ. 2. Eth. cap. 6. circa medium.]

2 Præterea: Perfectum dicitur, qđ finem attingit: ſed exiſtens in matrimonio poteſt finem attingere. Ergo continentia non facit ad ſtatum perfectionis.

3 Præterea: Perfectus eſt, qui omnes virtutes habet, vt dicit Origenes ſuper Matth. [Hom. 8.] Sed Apoſtoli habuerunt charitatem, quam habendo habuerunt omnes virtutes, vt idem dicit. Ergo abſque omni continentia fuiſſent perfecti.

IN CONTRARIVM eſt. Quia quod facit ad perfectionis ſtatum in alijs hominibus, facit ad perfectionis ſtatum in Apoſtolis. qui quàmuis ſancti fuerint, tamen homines fuerunt: & ſi vinci à carne nõ potuerunt, tamquàm ſpirituales, percuti tamen potuerunt, quia carnales, vt Chryſ. dicit.

RESOLVTIO.

Continentia in Apoſtolis fecit perfectionis ſtatum propter Chriſti conſilium, & exemplum: propter eorundem Apoſtolorum documentum, & propter ipſius continentiæ præmium.

RESPONDEO, dicendum, quòd continentiã feciſſe in Apoſtolis perfectionis ſtatum, quantum ad præſens, quatuor oſtendunt.

Primum eſt Chriſti conſilium: nam conſilium nõ [E] eſt niſi de opere perfectionis, & ſupererogationis: ipſe autem dedit conſilium ſuis Apoſtolis de continentia ſeruanda Matth. 19. Vbi dicentibus Apoſtolis: Si ita eſt cauſa hominum cum vxore, non expedit nubere. Dicit eis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed qui poteſt capere, capiat. Quæ vox eſt domini hortantis milites ſuos, & concitantis ad pudicitiæ præmium, quaſi dicat: qui poteſt pugnare, pugnet, & ſuperet, & triumphet, vt Hierony. dicit. [In Mat. 19.]

Secundum eſt Chriſti exemplum. volẽs enim eos ad continentiam inducere: exemplum poſuit de Eunuchis dicens: Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerũt [Matth. 19.] propter Regnum Cœlorum, non propter membrorum abſciſſionem, ſed propter malarum cogitationũ [F] interemptionem: quia modica abſciſſio membri nõ ita comprimit tentationes: & tranquillitatem facit, vt cogitationis frænum, ſicut Chryſ. dicit. [Homil 63. in Matth.]

Tertium eſt Apoſtolorum documentum: Apoſtoli namque documenta dederunt de continentia ſeruanda, tamquàm de perfectionis opere: ſicut patet de Paulo 1. Cor. 7. Vbi data indulgentia de continentia coniugali, ſtatim hortatur ad continentiam virginalem dicens: Volo autem omnes homines eſſe, ſicut meipſum: ſed vnuſquiſque proprium habet donum ex Deo. Et planum eſt, quòd alijs perfectionem non optabat, niſi quam in ſeipſo ſeruabat, iuxta illud, qđ ipſe dicit ad Rom. 15. Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Chriſtus.

[G] Quartum eſt ipſius continentiæ præmium. Singulare enim præmium non datur, niſi pro ſingulari opere ſupererogationis, & perfectionis: continentiæ autem promittitur ſingulare præmium, Sapientiæ 4. Quam pulchra eſt caſta generatio cum claritate. immortalis eſt enim memoria illius, quoniam apud Deum nota eſt, & apud homines. Et poſtea ſubditur: In perpetuum coronata triumphat, & incoinquinatorum certaminum præmium vincit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd continentia virtus eſt, & non repugnat virtuti: non obſtante, ꝙ extrema teneat. [H] Nam virtutem conſiſtere in medio, quatuor modis intelligi poteſt. Primo, ratione potentiæ, in qua fundatur. Et ſic nulla virtus conſiſtit in medio, cum quælibet virtus ſit vltimum potentiæ. Secundo ratione materiæ, circa quam verſatur. Et ſic continentia non eſt virtus, quia priuatur vſu omniũ venereorum. Tertio ratione circũſtantiæ, per quã laudatur, & ratione rationis, cui cõformatur. & iſtis duobus modis continentia eſt virtus, quia cõſiſtit in medio debitæ circunſtantiæ, determinatum tempus, & determinatum ſtatum obſeruantis: & in

medio

medio rationis debitum finem conſiderantis.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ finis attingitur per continentiam coniugalem, & virginalem: tamen perfectiori, & faciliori modo attingitur per virginalẽ continentiam, quàm per coniugalem.

A D tertium eſt dicẽdum, ꝙ habens charitatem habet omnes virtutes formaliter, & per charitatem vnuſquiſq; formaliter ponitur in ſtatu perfectionis: materialiter tamen, & inſtrumentaliter multa alia faciunt ad perfectionis ſtatum, inter quæ præcipuè ponitur continentia.

ARTICVLVS II.

VTRVM CONIVGALE VINculum diminuiſſet in Apoſtolis perfectionis ſtatum.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ coniugale vinculũ non diminuiſſet in Apoſtolis pfectionis ſtatum. abſtinentia enim cibi, & potus facit ad ſtatum perfectionis: ſed carentia abſtinẽtiæ in Apoſtolis non diminuit de ſtatu perfectionis. Ergo nec carentia continentiæ diminuiſſet in eis perfectionis ſtatum.

2 Præterea: Abraham, & alij ſancti Patres fuerũt coniugati, & tamen fuerunt in ſtatu perfectionis. Ergo ſimiliter fuiſſent Apoſtoli in ſtatu perfectionis in carnali coniugio exiſtentes.

3 Preterea: Perpetua obligatio voti facit perfectionis ſtatum: ſed talis perpetua obligatio eſt in matrimonio, quia vir poteſtatem ſui corporis tradit vxori, & vxor viro. Apoſtoli ergo exiſtentes in cõiugali copula fuiſſent in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt, quia conſilium eſt de operibus perfectionis, & potiſſimè de continẽtia, ſicut patet per Apoſtolum 1. Cor. 7. Si ergo Apoſtoli non tenuiſſent tale conſilium de continentia ſeruanda, non fuiſſent in perfectionis ſtatu.

RESOLVTIO.

Coniugale vinculum in Apoſtolis perfectionis ſtatum diminuiſſet propter augmentum carnalis adhærentiæ, ſocialis complacentiæ, & carnalis concupiſcentiæ.

RESPONDEO, dicendum, quòd quanto aliquid plus diminuit de feruore charitatis, qua quis Deum diligit, & omnia ordinat in ipſum tamquàm in finem, tanto plus diminuit de perfectionis ſtatu. quia charitas vinculum perfectionis eſt, vt ſcribitur Coloſſen. 3. Diminuit autem feruorem charitatis, & per conſequens perfectionis ſtatum carnalis copula propter tria. Primo, propter augmentum carnalis adhærentiæ. tanta eſt enim adhærentia viri cũ vxore, vt ſicut qui adhæret Deo efficitur vnus ſpiritus cum ipſo: ſic qui adhæret vxori, efficitur vna caro cum ipſa: vnde ex ore primi Parentis dictum eſt Gen. 2. Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Planũ eſt autem, quòd quanto maior adhærentia eſt hominis cum carne, & cum mundo, tanto minoratur eius adhærentia cum Deo: vnde Apoſtolis volẽtibus perfectè Chriſto adhærere, vinculum coniugale omnino erat relinquendum. Secundo, propter augmentum ſocialis complacentiæ. Quantum enim malum fecerit complacentia vxoris in primo Patẽre, effectus demonſtrauit. qui (vt dicit Aug.) non fuit victus aliqua concupiſcentia, nec ignorantia, ſed quadã amicabili complacentia, ex qua interdum fit, vt offendatur Deus, ne offendatur homo, pſuaſioni vxoris obediens præcepta Dei contempſit: vnde dicit Apoſtolus 1. Cor. 7. Qui cum vxore eſt, ſolicitus eſt, quę ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt: quia partem de ſeipſo dat Deo, partem dat mundo, & partem dat vxori, vt gloſſa dicit. Tertio, propter augmentum carnalis concupiſcentiæ. dicit enim gloſſa ſuper illo verbo 1. Cor. 7. Si nupſerit virgo, non peccauit. Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi: Quòd coniugati maiorem concupiſcentiam habent in carne, quàm continentes propter continuã experientiam: propter perſeuerantiam, & propter auxilij deficientiam. Apoſtolis ergo tendentibus ad perfectionis ſtatum relinquendum erat vinculum coniugale.

xj. ſup Gen. cap. 43. Tomo 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ad hæc inducitur abſtinentia cibi, & potus, vt ſeruetur continentia, eo ꝙ corpus æſtuãs vino faciliter ſpumat in luxuriam, vt Hieronymus dicit. Chriſtus autem ſuos Diſcipulos ſui præſentia abſtinentibus faciebat fortiores: vnde carentia illius abſtinentiæ non diminuit in eis perfectionis ſtatum: quia ipſe tali via inceſſit, vt cum peccatoribus manducaret, & biberet. Poſt Aſcenſionem autem Chriſti Apoſtoli ieiunauerunt, & vigilijs, & ieiunijs eorum corpora caſtigabant: Iuxta illud 1. Cor. 9. Caſtigo corpus meũ, & in ſeruitutẽ redigo. Vinculum autem coniugale eſt perpetuũ. Vnde quàmtumcumque Chriſtus in ſui pręſentia feciſſet Apoſtolos coniugatos continentibus fortiores, poſt ſuum tamen receſſum diminuiſſet de eorũ perfectionis ſtatu copula coniugalis, ſicut diminuiſſet de ſtatu perfectionis eorum, ſi alijs operibus perfectionis, & ſupererogationis non inſtitiſſent.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd iſta duo ſimul ſtant, ꝙ aliqui non ſint perfecti, & tamen ſint in ſtatu perfectionis, ſicut multi Religioſi eo ipſo, ꝙ in ſtatu Religionis ſunt, in ſtatu perfectionis ſunt: perfecti tamen non ſunt, ſi opera perfectionis non impleant, ſicut multi non exiſtẽtes in ſtatu perfectionis, perfecti tamen eſſe poſſunt. Vnde Abraham, & alij ſancti Patres in ſtatu cõiugali exiſtentes perfecti fuerunt. Nam (vt dicit Aug. in libro de bono coniugali.) Continentia animi non corporis virtus eſt, ſed virtus animi, quandoq; in opere manifeſtatur, quandoq; in habitu latet. Ideo ſicut non fuit impar meritum

Cap. 21. Tomo 6.

in Petro,qui paſſus eſt, & in Ioan. qui paſſus nõ eſt; ſic non fuit impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias, & in Abraham, qui filios generauit.

A d tertium eſt dicendũ, quòd perpetua obligatio debet eſſe de his, quæ ſunt perfectionis opera, non autem de copula coniugali, quæ ponitur eſſe indulgentiæ, non ſupereminentiæ. non enim dicit Chriſtus quærenti perfectionis ſtatum: Vade, & ſta
Matth 19. cum vxore tua: ſed vade,& vende omnia,quæ habes, & da pauperibus,& ſequere me. Obligatio ergo perpetua in temporalium carentia, in continentia, & obedientia, quæ ſunt perfectionis opera, facit propriè perfectionis ſtatum.

ARTICVLVS III.

VTRVM CONTINENTIA IN Apoſtolis fuerit cum voto ſeruata.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ continentia in Apoſtolis nõ fuerit cum voto ſeruata. Tanto enim laudabilius eſt, & magis meritorium, quãto eſt magis voluntarium: ſed votum quandam neceſſitatem, & coactionem imponit: Diminuit ergo de merito, & per conſequens de perfectionis ſtatu.

2 Præterea: Dicit Proſper in libro de vita contemplatiua, ſic abſtinere, vel ieiunare debemus, vt non nos neceſſitati ieiunandi ſubdamus, ne iam non deuoti,ſed inuiti rem,volũtariam faciamus. Seruaſſent ergo Apoſtoli inuiti continentiam,ſi ex voto fuiſſent obligati.

In Matth. lib. 3. c. 19. 3 Præterea: Super illo verbo Matth. 19. Sunt eunuchi,qui de vtero matris ſic nati ſunt.dicit Hieron. quòd illi, qui non voluntate, ſed natiuitate continẽtiam ſeruant, nõ merentur, nec præmiantur. Continentia ergo in Apoſtolis debuit eſſe cum voluntate, & non neceſſitatis voto ſeruata.

In Contrarivm eſt.quia perfectio Apoſtolorum fuit in obſeruatione conſiliorum,nõ ſolum præceptorum. Sed conſilium datur non ſolũ de continentia: verum etiam de vouenda continentia, vt
Pſal.75. patet per gloſſam ſuper illo uerbo: Vouete & reddite domino Deo ueſtro. Continentia ergo in Apoſtolis fuit ex voto ſeruata.

RESOLVTIO.

Continentia ab Apoſtolis fuit cum voto ſeruata, cũ ſit magis meritoria: quia non modo corporis continentia Deo datur,ſed voluntatis potentia, quę in bono firmatur. Adde,quòd ipſa continentia voto ſeruata ad cultum latriæ ſpectat.

Respondeo, dicendum, quòd ſicut dicit Chryſoſt. ſuper Matthæum: Diſciplina Chriſti ex moribus ſuæ familiæ nobis demonſtratur. Eſt au-
E tem talis diſciplina domini, vt perfectior, & magis meritoria ſit continentia ſeruata cum voto, † quàm ſine voto. Et ideo dicendum eſt,ꝙ talis fuit mos ſuę familiæ, puta Apoſtolorum, vt continentiam,& alia perfectionis opera cum voto ſeruarent. Quod autem maioris perfectionis, & maioris meriti ſit continentia cum voto ſeruata, quàm ſine voto, quantum ad præſens ſpectat,ex tribus patet. Primo ex parte eius, quod vouetur. Quanto enim aliquis plus dat alicui, tanto magis ab eo aliquid meretur. qui autem continentiam ſeruat propter Dei amorem, dat Deo ſolum corporis cõtinentiam; ſed qui voto ſe aſtringit ad continentiam ſeruandam, dat Deo voluntatis potentiam; quia ex tunc facit ſe impotentem, vt aliud facere ſibi non liceat. Plura ergo offert Deo continẽs
F cum voto, quàm ſine voto. Secundo ex parte vouentis. Voluntas enim vouentis firmatur in bono propoſito. Vnde ſicut ad augmentum culpæ facit voluntas obſtinata, & firmata in malo: ſic ad augmentum meriti facit voluntas firmata, & ſtabilita in bono. Tertio ex parte ipſius Dei, cui votum redditur. Dicit enim Aug. in libro de Virginitate cap. 6. Virginitas,non quia virginitas: ſed quia Deo dicata eſt, honoratur. Vnde ipſa virginitas voto ſeruata ad cultum latriæ pertinet.

† Videatur omnino S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 6.

Cap. 6. Tomo 6.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ opus ex voto factum non eſt inuoluntarium in omnibus. Multi enim ſunt, qui illa, quę vouerũt,tam prompta
G volũtate faciunt, vt ſi non vouiſſent, adhuc vouerẽt. Dato tamen, ꝙ in aliquibus opus ex voto factum, vt eſt in ſe conſideratum, non ſit voluntarium: reſpectu tamen obedientiæ, quam vult implere ſeruãdo votum, efficitur voluntarium, & magis meritorium,quàm ſi ſola volũtate ſine voto illud impleret.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ Proſper loquitur in illo caſu, quando quis nec voluntate bonum opus facit,nec retinet voluntatẽ votum ſeruandi, aut obediendi: ſed tantum implet illud,quod vouit, vel quod ei præcipitur, humano timore, vel pudore. Talis enim quàmuis apud Deũ habeatur voti fractor, & obedientiæ præuaricator: tamen ex quo ex charitate in principio vouit,meritum ſibi reſeruatur,ſi de ipſa cordis præuaricatione pœniteat.

H A d tertium eſt dicendum,ꝙ Saluator ibi diſtinguit tria genera continentium. Quia aliqui continẽtes ſunt ex natura, eo ꝙ ex frigiditate, vel natiuitate ſic orti ſunt, vt continentes ſint. Aliqui vero violentia,& neceſſitate: ſicut illi, qui caſtrantur à Barbaris. Aliqui autem propoſito,& voluntate. Et iſtis ſolum promittitur præmiũ. Et ratio huius eſt,quia quàmuis in illis ſit continentia corporalis,non tamen mentalis. Non enim habentibus membra genitalia abſciſſa, concupiſcentia ſit manſuetior, ſed moleſtior. aliũde enim habet fontes ſperma, quod in nobis eſt: ſed ſi ipſa mens ſobria fuerit, naturalium motuum nullum eſt nocumentum, vt dicit Chryſoſtomus Hom. 63. in Matth.

QVAE-

QVAEST. LXXXXI. DE APOSTOLORVM OBEDIENTIA.

NVNC conſiderandum eſt de Apoſtolorum obedientia. Circa quod quæruntur Tria.

Primo, Vtrum obedientia Apoſtolos poſuerit in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrū obedientia in Apoſtolis magis fecerit perfectionis ſtatum, quàm caſtitas, vel paupertas.

Tertio, Vtrum obedientiam Apoſtoli voto promiſerint.

ARTICVLVS I.

VTR. OBEDIENTIA POSVERIT Apoſtolos in ſtatu perfectionis.

Faciunt tradita per B. Thom. 2.2.q.104.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ obediētia Apoſtolos non poſuerit in perfectionis ſtatu. Per illud enim, quod quilibet tenetur ex præcepto agere, nō ponitur in ſtatu perfectionis. Sed ex præcepto tenetur homo Chriſto obedire: aliter ponitur extra ſtatum ſalutis Exodi 24. Omnia, quæ præcepit nobis dominus, faciemus: & erimus obedientes. Ergo Apoſtoli per obedientiam, qua Chriſto ſubdebantur, non ponebantur in ſtatu perfectionis.

2 Præterea: Naturale eſt debitum iuſtitiæ, vt inferiores ſuperioribus obediant ad Roma. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Sed naturalia non ponunt hominem in perfectionis ſtatu.

3 Præterea: Continentia, & temporalium carentia ponūnt hominē in perfectionis ſtatu, vt patet Matthæi 19. Sed ſi Chriſtus mandaſſet Apoſtolis vxores fornicarias accipere, ſicut mandatum fuit Oſeæ: & ſpolia aliquorum accipere, ſicut mandatum fuit Iudæis Exodi 12. talis obedientia fuiſſet contra perfectionis opera. Ergo ſimiliter contra perfectionis ſtatum. Oſeæ 1.

IN CONTRARIVM eſt illud, quod ſcribitur Matthæi 10. Qui non accipit crucem ſuā, & ſequitur me, non eſt me dignus. Sed hæc fuit perfectio obedientiæ Apoſtolorum, ſequi Chriſtum vſque ad mortem non quamcumque, ſed crucis, ſicut patuit de Petro. Ergo talis obedientia poſuit eos in perfectionis ſtatu.

A RESOLVTIO.

Obedientia in ſtatu perfectionis Apoſtolos poſuit: quia Chriſti imitatores, aliorumq. hortatores fuerūt, & in ſe ipſis talis obedientiæ obſeruatores extiterunt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ quanto aliquid magis naturaliter amatur: tanto perfectius cōtemnitur propter Chriſtum. Nihil autem eſt homini amabilius libertate propriæ voluntatis: quia per hāc homo Deo ſuo ſuperiori fruitur, ſibi æquali vtitur, & ſuis inferioribus dominatur. Vnde ſicut non eſt aliquid, quod homo naturali affectu magis refu-
B giat, quàm ſeruitutem propter mortem, quæ eſt finis omnium terribilium: ſic homo non poteſt pro alio alicui plus impēdere præter mortem, quàm ſeipſum eius ſeruituti ſubiugare. Propter quod Tobiæ 9. Nō inueniens Tobias aliquid maius, quod Angelo offerret, quem hominem putabat, dixit: Si meipſum ſeruum tradam tibi, non ero condignus prouidētiæ tuæ. Iſta ergo obedientia, qua Apoſtoli ſeipſos in Chriſti ſeruitutem tradiderunt, propriam voluntatem abnegantes, poſuit eos in perfectionis ſtatu propter tria.

Primo, quia in hoc fuerunt Chriſti imitatores, qui cum dixiſſet Matth. 26. Mi Pater, ſi poſſibile eſt,
C tranſeat à me Calix iſte; ſtatim ſubdidit: Veruntamen, non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et Ioann. 6. Deſcendi de Cęlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me. Vnde ſicut ipſe Chriſtus voluntatem humanam, diuinæ voluntati ſuppoſuit: ſic Apoſtoli propriam voluntatem abnegantes, & ſe diuinæ voluntati ſupponentes, Chriſti imitatores facti ſunt.

Secundo, quia in ſeipſis talis obedientiæ fuerunt obſeruatores. Dicit enim Paulus Galat. 2. Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Chriſtus, quaſi ſuam vitam non ſuam exiſtimans, ſed Chriſti. Et ad Ro-
D man. 15. Debemus nos firmiores imbecillitatem infirmorum ſuſtinere: & nobis ipſis non placere, ſicut Chriſtus non ſibi ipſi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt: Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Pſal. 68.

Tertio, quia ad hoc Apoſtoli fuerunt aliorum exhortatores. Dicit enim Paulus 2. Cor. 5. Quoniam Chriſtus pro omnibus mortuus eſt: ſic qui viuūt, iā non ſibi viuant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit: & non ſolum Chriſto, immo eius miniſtris hortatur eſſe obediendum ad Hebræ. vltimo: Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.

diſſe intelligitur. Tertio excedit in ſanctitate: Nam abdicatio temporaliũ, vel corporis cõtinentia nullius ſanctitatis vel meriti eſſe cenſetur: niſi ordinetur ad impletionem diuinæ voluntatis: quod recte ad obedientiam ſpectat. Magis ergo in Apoſtolis fecit obedientia ad perfectionis ſtatum, quàm aliquod aliud perfectionis opus propter eius dignitatem, propter eius vniuerſalitatem, & propter eius ſanctitatem.

Ad Argumenta.

AD PRIMUM ergo eſt dicendum, ꝙ caſtitas Deo coniungit per quandam aſſimilationem, eo ꝙ eſſe in carne, & præter carnem viuere, habet quandam ſimilitudinem ſpiritualis naturæ. cuiuſmodi eſt natura diuina, & Angelica. quia Deus ſpiritus eſt Io. 4. & angelus ſpiritus eſt: qui facit Angelos ſuos ſpiritus ad Hebræ. 1. Sed obedientia Deo coniũgit per eius voluntatis impletionem, ſine qua nec ipſa caſtitas, nec alia perfectionis opera eſſent meritoria. Vnde ſicut charitas omnia opera facit eſſe virtuoſa, & Deo grata informatiue: ſic obedientia inſtrumentaliter, effectiue, & conſeruatiuè. Vnde ſignanter dicit Grego. ꝙ cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ cupiditas, quæ eſt radix omniũ malorum, eſt vitium generale pro omni inordinato amore propriæ excellentiæ. Speciale autem vitium eſt ſecundum, ꝙ vſitatiori nomine appellatur amor pecuniæ, & rerum temporalium, vt dicit Aug. 11. ſuper Gen. c. 15. ſecundum quem modum damnabilior eſt inobedientia, quàm talis cupiditas, cum nec huiuſmodi cupiditas eſſet mala, niſi animus retraheretur ab impletione diuinæ voluntatis, nec ſibi ex toto conatu ſubderetur. Tomo 3.

AD tertium eſt dicendum, verum eſſe, virtutes theologicas perfectiores eſſe pro tanto, quia eis adhæret homo Deo immediate, tamquam fini. Dicit enim Aug. in libro de vera Religione, ꝙ Deus immediate confitendus eſt fide: expectãdus eſt ſpe: & quærendus eſt charitate. ſed inter virtutes morales, quibus omnia creata contemnuntur, vt expeditius ad Deum perueniatur; obedientia perfectior eſt, cum per ipſam abnegetur propria voluntas, qua nihil in terrenis creaturis dignius, & charius inuenitur. Cap. 54. Tomo 1.

ARTICULUS III.

UTRUM APOSTOLI OBEdientiam voto promiſerint.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Apoſtoli obedientiã voto non promiſerint. Quia qđ nõ eſt ſcriptum de Apoſtolis, temerarium eſt aſſerere. Sed non eſt ſcriptum de eis, ꝙ ipſi obedientiam voto promiſerint.

2 Præterea: Vnus amicus non tenetur alteri obedientiã promittere. importat enim obedientia quandam ſubiectionem, & ſeruitutem inferioris ad ſuperiorem. Sed ſcribitur Ioann. 15. Iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos. quia omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis.

3 Prȩterea: Votum non eſt niſi de opere perfectionis, & ſupererogationis. ſed obedientia non eſt opus perfectionis, & ſupererogationis. quod patet per eius oppoſitum. dicit enim Ambroſ. ꝙ omne peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ, & cæleſtium inobedientia mandatorum. In de Paradiſo cap. 8.

IN CONTRARIUM eſt. quia † vouere nõ eſt aliud, quàm quodam zelo, & feruore volũtatis ſeipſum negare, Deo ſubdere, & homini propter Deũ. ſed hoc fecerunt Apoſtoli. Super illo enim verbo Act. 5. Reſpondens autem Petrus, & Apoſtoli dixerũt: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus, dicit glo. ꝙ Feruore, & zelo non patiuntur vnum pro omnibus loqui, ſed breuiter loquentes, dant exemplum non vtendi verborum circuitu. † B. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 1. & ſeq.

RESOLUTIO.

Apoſtoli obedientiam voto promiſerunt, cum Chriſto operis executionem oſtendentes dixerint: Secuti ſumus te, hoc eſt, per perpetuam obedientiam.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſuper illo verbo Pſalmi: Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, Aug. notat, ꝙ aliqua ſunt vota communia, ſine quibus non eſt ſalus. vt vouere fidem in baptiſmo, & abrenunciare diabolo, & pompis eius, non occidere, nõ ſuperbire, & cætera alia, quæ etiam ſi non promittimus, ſoluere debemus. de ijs enim, vt dicit, præcipitur omnibus vouere, & reddere. Alia vero ſunt vota propria ſingulorum, vt caſtitas, virginitas, obedientia. ad hæc enim vouenda nos Chriſtus inuitauit. nõ enim præcepit, vt talia voueamus, ſed vt vota reddamus. quia vouere voluntati conſulitur, ſed poſt voti promiſſionem neceſſario redditio exigitur. Vtroque autem modo Apoſtoli uota promiſerunt. Primo vota communia in eorum baptiſmali regeneratione. tunc enim fidem promiſerunt: & diabolo, & pompis eius renunciauerunt multo firmius, & feruẽtius, quàm alia Chriſti membra. Secundo vota propria in eorum à Chriſto vocatione, quando dixerunt Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Ecce (inquam) nos caſtos offerimus, per continentiam: reliquimus omnia, per temporalium carentiam. & ſecuti ſumus te per perpetuam obedientiam. Pſal. 75.

Ad Argumenta.

AD PRIMUM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut Aug. dicit ſuper illo verbo: Vouete, & reddite; vouete (inquam) mente quodlibet bonum opus: & reddite opere neceſſario poſt votum. Ex quo dicto habetur, ꝙ vouere eſt mentis intentionis, quæ non ſcribitur, ſed voluntate ſola exprimitur. Redditio vero voti eſt operis executionis. Quamuis ergo de Apoſtolis non ſit ſcripta voti expreſſio de eorum obedientia: eſt tamen ſcripta voti redditio, & operis executio.

A D ſecundum ſoluit Aug. tract. 85. Ioan. 15. dicẽs, ꝙ ſicut ſunt duo † timores, ſic duæ ſunt ſeruitutes. Eſt enim timor, quem perfecta charitas mittit foras, in quo eſt ſeruitus ſeruilis ſimul mittenda foras cum ipſo timore. Eſt autem alius timor caſtus permanens in ſęculum ſęculi habens incluſam ſeruitutem filialem, quam habuerũt Apoſtoli ad Chriſtum, eorum voluntatem abnegantes, & ſuæ voluntati ſeipſos ad obedientiam ſubdentes.

† S.Thom. 2.2. qō 19. ar. 2.& ſeq.

A D tertium eſt dicendum, quòd ſicut duæ virtutes: cõmunis, & ſpecialis, poſſunt verſari circa eandem materiam: diſtinguũtur tamen ſub ratione formali ſpecialis obiecti: ſic duo vitia: commune, & ſpeciale poſſunt verſari circa eandem materiam: diſtinguuntur tamen ſecundum rationem formalem obiecti. Inobedientia ergo, vt eſt commune vitium, eſt præuaricatio legis diuinæ, vt dicit Ambroſius: ſed ſecundum quod opponitur ſingulari virtuti, & operi ſingularis perfectionis, eſt vitium ſpeciale.

QVAEST. LXXXXII. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIONE OBSERVATA

fuit Epiſcopis Eccleſiæ primitiuæ.

VISVM eſt, quomodo ſtatus perfectio in Chriſto fuit exemplariter demonſtrata; & quomodo fuit in eius Apoſtolos ab eo deriuata. Nunc videndum eſt qualiter in primitiua Eccleſia fuit obſeruata. Circa quod Nouem occurrunt conſideranda.

Primo, quomodo perfectio vitę Apoſtolica, obſeruata fuit in Epiſcopis, & Prælatis.

Secundo, quomodo in Presbyteris, & Diaconibus.

Tertio, quomodo in Martyribus.

Quarto, quomodo in Confeſſoribus.

Quinto, quomodo in viduis, & Virginibus.

Sexto, quomodo in Monachis, & manibus laborantibus.

Septimo, quomodo in Monachis contemplationi vacantibus.

Octauo, quomodo in Prædicatoribus Euangelij.

Nono, quomodo in Doctoribus & expoſitoribus ſacra Scriptura.

Circa primum quæruntur Quatuor.

P*RIMO, Vtrum Epiſcopi in Eccleſia primitiua ſeruarẽt Apoſtolorum vitam, de non habendo proprium.*

Secundo, Vtrum Epiſcopi, tunc ſeruarint Apoſtolorũ vitam de non habendo poßeſſiones.

Tertio, Vtrum tunc Epiſcopi, & Clerici Eccleſię primitiua ſeruarint Apoſtolorum vitam de voto continentię.

Quarto, Vtrum tunc Epiſcopi ſeruarint Apoſtolorũ vitam de voto obedientię.

ARTICVLVS I.

VTR. EPISCOPI IN PRIMITIua Eccleſia tenerẽtur ſeruare Apoſtolorum vitã de non habendo proprium.

B. Thom. 2.2. q. 185. ar. 6. & Dominicus Sotus lib. 10. de iuſt. & iure q. 4. ar. 1.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi in primitiua Eccleſia tenerentur ſeruare Apoſtolorum vitam de nõ habendo proprium. Dicit enim Clemens quartus † ſucceſſor Petri, & ponitur 12. q. 1. cap. Dilectiſſimis. Communis vita omnibus eſt neceſſaria, maximè his, qui vitam Apoſtolorum, eorumq; Diſcipulorum imitari volunt. Sed Epiſcopi primitiuæ Eccleſiæ imitatores Apoſtolorũ fuerunt, & eorum Diſcipuli. Ergo tenebantur non habere proprium.

† Vide notata in vita Clemen. Papæ. 1. To. 1. Conc. pag. 135. in Suriana editione.

2 Præterea: Hieronymus dicit ad Nepotianum 12. q. 1. cap. Clericus. Clerici dicuntur quia de ſorte domini ſunt: vel quia ipſe dominus ſors, & pars eſt ipſorum clericorum. Qui ergo dominum poſſidet, & cum Propheta dicit: Pars mea dominus eſt, nihil extra dominum habere poteſt, quòd ſi quis propriũ aliquid habuerit præter dominum, puta aurum, vel argentum, vel poſſeſſiones, ſeu variam ſupellectilem, cum talibus partibus dominus non dignatur fieri pars eius. Epiſt. 2.

3 Præterea: dicit Ambroſius. Cui portio Deus eſt, nihil aliud curare debet niſi Deum, ne alterius impedratur neceſſitatis munere. Quia hæc eſt vera Sacerdotis fuga, abdicatio domeſticorum, & quædã alienatio cariſſimorum, vt ſuis ſe abneget qui ſequitur Deo gelitis. In Pſal. 118. ſerm. 8. & ponitur 12. q. 1. c. Cui portio.

2 Præ-

† Ponit in c. duo ſunt genera, 12. q 1.

4 Prӕterea: Hiero. † diſtinguit duo genera Chriſtianorum: laicorum, & clericorum, & per hoc debēt eſſe diſtincta hӕc duo genera. quia clerici victu, & veſtitu contenti nullam proprietatem habentes debent habere omnia communia: Laici vero vxores ducere, & proprium habere poſſunt.

In Contrarivm eſt. qnia nullus habet dominium rei alienӕ, vt poſſit ipſam relinquere, cui placet. Sed Epiſcopis ſemper licuit de rebus proprijs vel acquiſitis, vel quicqnid de proprio habuerunt, vt hęredibus ſuis, cum voluerunt, relinquerent, vt ſcribitur 12. q. 1. c. Sint manifeſtӕ. Semper ergo licitum fuit Epiſcopis proprinm habere.

RESOLVTIO.

Epiſcopis, & Clericis habere proprium nō interdicitur, cum pracepti non ſit ſed conſilij. cuius Epiſcopi, & Pralati primitiua Eccleſia obſeruatores fuerunt.

Tomo 1. Epiſt. de Philone.

Respondeo, dicendum, quòd in hac quӕſtione tria faciunt dubium. Primum eſt dictnm Hieronymi in libro illuſtrium virorum. vbi dicit talem primo fuiſſe Eccleſiam credentium in Chriſto, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt, vt nihil cuiuſqnam proprium ſit, nullus inter eos diues, nullus pauper. patrimonia egēnbus, & pauperibns diuidātur, orationi vacetur, & Pſalmis, doctrinę quoq;, & continennę, quales & Lucas refert primnm Hieroſolymӕ fuiſſe credētes. Cum igitur Monachi proprinm habere non poſſint, ex quo tales fuerunt in primitiua Eccleſia Prӕlati: quales nunc Monachi cupiunt eſſe: clare patet, ꝙ illi proprinm nō habebant. ſequitur. ꝙ Epiſcopi in primitiua Eccleſia tenebātur non habere proprium. Secundum eſt prӕceptum Domini, qui Lucӕ 10. mandauit Apoſtolis, vt nihil poſſiderent: non aurum, vel argentum, vel pecuniam in zonis. Si ergo Apoſtolis interdictum eſt habere proprium, intelligitur eſſe interdictum omnibus Epiſcopis, & Prelatis; qui ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Tertium eſt dictum multorum Doctorum, illorum ſpecialiter, quorum capitula ſupra allegata ſunt, & ponuntur 12. q. 1. quę expreſſe videntur prohibere clericis, & Epiſcopis habere proprium. Sciendum eſt ergo ꝙ Epiſcopis, & Clericis non ſunt aliqua prohibita, exceptis his, quӕ prohibentur alijs, niſi illa, ad quӕ voto ſe obligant, vel ex propria voluntate, vel ex mandato Eccleſiӕ. non habere autem proprium, cùm ſit conſilij, & ſuperogationis, non interdicitur alicui niſi ad hoc voto ſe aſtringat. vnde communiter Epiſcopis, & Clericis non interdicitur habere proprium. Iſtius tamen conſilij, & perfectionis Epiſcopi, & Prӕlati Eccleſiӕ primitiuę fuerunt obſeruatores, in quibus plene apoſtolica vita fuit obſeruata. Proceſſu vero temporis, quia multi intraturi erant Eccleſiam, ab illa perfectione Apoſtolica deficientes, prouide ordinauerunt ſancti Patres in multis Concilijs; vt Epiſcopi, & clerici proprium poſſent habere, & illud relinqnere hӕredibus domeſticis, & propinquis pro eorū voluntate. Vnde dicit † Aug. Certe ego ſum, qui ſtatueram nullum ordinare Clericum, niſi mecum

† Ad fratres in Eremo ſerm. 13. Tomo 10.

A vellet manere ſine proprio, aut ſi vellet à propoſito recedere, recte ei tollerem clericatum. Ecce in conſpectu Dei, & veſtro muto conſilium. Qui uolunt habere aliqnid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia eius, maneant vbi volunt, & vbi poſſunt: non eis aufero Clericatū. ex quo manifeſte dedit intelligere. omnes habentes proprium a perfectione vitӕ Apoſtolicӕ deficere. preceptum vero Chriſti factum Apoſtolis ſecundnm Aug. non fuit prohibitionis, ſed cōceſſionis. Conceſſit enim Chriſtus, vt Apoſtoli, & omnes Prędicatores non de proprio, ſed de ſtipendijs ſubditorum, quibus prӕdicabant, poſſent viuere. nō tamen prohibuit, ꝙ ſi aliqui vellent de ſuo iure erogare, quod eis non liceret, vt ꝙ viuentes de proprio, poſſent euāgelizare, ſacramēta adminiſtrare. Alias (vt
B dicit) Paulus peccaſſet, qui de ſuis laboribus viuens Euangelium prӕdicabat. Dicta vero Hieronymi, & aliorum Doctorum, quӕ ſuperius allegata ſnnt, intellignntur vera eſſe more Prӕlatorum Eccleſiӕ primitiuӕ, per quos perfectio Apoſtolicę vitӕ de non habendo proprium plene ſeruata eſt.

ARTICVLVS II.

VTR. EPISCOPI IN PRIMITIua Eccleſia tenerētur ſeruare vitā Apoſtolorum de non habendo poſſeſſiones.

Faciunt tradita per Doct. in prӕcedenti artic. citatos.

C
Ad ſecundum ſic proceditnr. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi in primitina Eccleſia tenerentur ſeruare vitam Apoſtolorum de nō habēdo poſſeſſiones. Nullus enim punitur pœna mortis, niſi pro tranſgreſſione diuini prӕcepti. Sed ſcribitur Act. 5. ꝙ Ananias punitus fuit pœna mortis, quia frandauit de pretio agri. Non ergo licebat tunc poſſeſſiones habere.

2 Prӕterea: Apoſtolorum ſucceſſores ſunt Epiſcopi, ſed ipſi poſſeſſiones non habebant. Ergo nec ipſi Epiſcopi habere potuerunt.

3 Prӕterea: Quod non conueniebat Laicis conuerſis ad fidem, multo minus conueniebat Epi-
D ſcopis, & Clericis. Sed ſcribitur Act. 4. Qnotquot enim erant poſſeſſores agrorum, & domorum, vendebant, & pretia ponebant ad pedes Apoſtolorum. Non ergo licebat Epiſcopis, & Clericis poſſeſſiones habere.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur 12. q. 1. cap. Expedit. De Paulino, & Hilario Epiſcopis, qui, proprijs abdicatis, poſſeſſiones Eccleſiarum diligenter cuſtodierunt, & alias plures à Chriſti fidelibus conceſſas illis adiunxerunt.

RESOLVTIO.

Epiſcopi in primitiua Eccleſia poßeſſiones habere nō prohibebantur, quamuis in hoc praſertim Apoſtolorum fuerint imitatores.

RESPONDEO, dicendum, quòd planum eſt Prælatos, & Clericos Eccleſiæ primitiuæ poſſeſſiones non habuiſſe. ſed quare poſtmodum ordinatũ eſt, vt liceat omnibus Eccleſijs poſſeſſiones habere; aliam rationem aſſignat Auguſt. aliam Melchiades Papa: & aliam Vrbanus: Nam Augu. dicit hoc fuiſſe propter primitiuę Eccleſiæ perfectionem. ait enim Tomo 3. 3. de doctrina Chriſtiana c. 6. Quanta vtilitas fuerit Iudæis ſub pedagogo cuſtodiri per Iudæos, qui primo crediderunt, ex quibus facta eſt Eccleſia prima Hieroſolymitana, monſtratum eſt. Nam quia illi ſub pedagogo, & ſub lege à Deo recepta viuebant, & vnũ Deum colebant, tam capaces extiterunt Spiritus ſancti, vt omnia ſua venderent, eorumq; pretiũ diſtribuendum indigentibus ante Apoſtolorum pedes ponerent: ſeque totos dedicarent Deo, tamquam templum nouum: cuius terreoæ imagini, puta templo veteri ſeruiebant. Et ſtatim ſubdit: Non enim hoc vllas Eccleſias Gentium feciſſe, ſcriptum eſt. quia nõ tam prope inuẽta erant, qui ſimulachra manufacta Deos habebant. Erant enim multum remoti Gentiles à perfectione noui hominis Chriſti. ideo non fuerunt capaces tantæ perfectionis, vt poſſeſſiones eorum vẽderent, & pretia ad pedes Apoſtolorum ponerent, ſicut fecerunt Iudæi. Melchiades vero Papa dicit, hoc fuiſſe propter Eccleſiæ tranſlationem, ſicut patet 12. q. 1. cap. Futuram. Præuidebant enim Apoſtoli Eccleſiam de Iudæa ad Gentiles eſſe transferendam. ideo in Iudæa poſſeſſiones, & prædia habere noluerunt. ſed poſtmodum de Iudæa ad Gentiles Eccleſia tranſlata inter turbines, & aduerſa ſic ſuccreuit Eccleſia, & ad hoc vſque peruenit, vt non ſolum Gentes; immo Romani Principes, potiſſime Conſtantinus licẽtiam dederit per vniuerſum orbem de gentibus fabricandi Eccleſias, & prædia conſtituit tribuenda. † 12. q. 1. c. videntes. Sed Vrbanus † Papa dicit hoc fuiſſe propter miniſtrorum gubernationem, & pauperum, & peregrinorum ſuſtentationem. Nam ſi in matrice Eccleſia, & in alijs particularibus Eccleſijs ſint aliquæ poſſeſſiones in communi, melius, & vtilius poteſt prouideri miniſtris Eccleſiæ præſentibus, & futuris: & peregrini, & pauperes commodius recipi, quàm ſi omnes redditus in pecunia, & rebus mobilibus haberentur, de quibus quandoque propter malitiam miniſtrantium magna diſtractio fieri ſolet.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Ananias non fuit punitus morte, vt non liceret ei agrum, & pecuniam receptam in agro, & de agro tenere: ſed quia totum vouerat dare, & ante pedes Apoſtolorum ponere. Vnde mentitus fuit Spiritui ſancto, pretium ſcilicet totum vendendo, & poſtea partem occultando, ſicut dicit gloſſa Actuum 5.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi primitiuæ Eccleſiæ fuerunt Apoſtolorum imitatores in non habendo poſſeſſiones, ſicut & in non habendo proprium. Alij autem ſucceſſores Apoſtolos in hoc imitati non ſunt, vel quia ab illorum perfectione deficiunt, vt dicit Auguſtinus, vel propter alias rationes ſuperius aſſignatas.

E AD tertium eſt dicendũ, ꝙ Laici, qui in primitiua Eccleſia ad chriſtianam Religionem veniebant, voto ſe aſtringebant poſſeſſiones nõ habere, & proprio carere, ſicut expreſſe dicit gloſſa Act. 5. ſicut nunc de ſæculo venientes ad Religionem votum paupertatis ſolemnizant. Vnde ſignanter dicit † Hieron. Talem primo Eccleſiam credentium in Chriſto fuiſſe, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt. † Tomo 1. Epiſto. de Philone in lib. de Viris illuſtribus.

ARTICVLVS III.

VTRVM EPISCOPI, ET CLErici primitiuæ Eccleſiæ ſeruarent Apoſtolorum vitam de voto continentiæ.

F

B. Thomas, & alij Theologi lib. 4. ſent. diſt. 38. & ibi Sotus q. 1. art. 1. & 2. idem Thomas 2. 2. q. 88. art. 7. & quodlib. 3. art. 18.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi, & Clerici primitiuæ Eccleſiæ non ſeruarẽt Apoſtolorũ vitam de voto cõtinẽtię. De continẽtia enim ſeruanda, eſt conſilium, non pręceptum 1. Cor. 7. & Matth. 19. Ergo nec Epiſcopi, nec alij in ſacris conſtituti tenebantur ex præcepto Apoſtolos in continentia imitari.

G 2 Præterea: Si continentia eſſet annexa Epiſcopatui, & alijs ordinibus ſacris iure diuino, vel naturali, Papa diſpenſare non poſſet. ſed hoc videtur falſum. quia in omni voto ſolemni Papa diſpenſare poteſt, vt ſupra dictum fuit.

3 Præterea: Vita Apoſtolica prius fuit in Eccleſia Hieroſolymorum, & poſtea in Eccleſia Græcorum obſeruata. ſed Græci conſtituti in ſacris contrahunt. Scribitur enim 31. di. cap. Aliter, ꝙ Sacerdotes, Diaconi atque Subdiaconi orientalis Eccleſiæ matrimonio copulantur.

IN CONTRARIVM eſt. quia Epiſcopi in eorum conſecratione votum continentiæ emittunt. Sed in primitiua Eccleſia fuit ordo Epiſcoporum. Ergo tunc tenebantur in voto continentiæ Apoſtolos imitari.

H

RESOLVTIO.

Epiſcopi, & Clerici primitiuę Eccleſię votum continentiæ plenè ſeruarunt: non tamen ex pręcepto, ſed ex conſilio.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ de voto continentiæ Clericorum triplex diſtinctio eſt neceſſaria. Prima eſt. quia Clerici orientales, & occidentales in minoribus ordinibus conſtituti licite poſſunt contrahere matrimonium, & vti contracto. Secunda vero eſt, quia conſtituti in ſacris ordinibus, puta Epiſcopatu, Sacerdotio, diaconatu, & ſubdiaconatu, nec apud Græcos, nec apud nos poſſunt matrimonium contrahere. nec vnquam potuerunt à tempore Apo- Conſtituti in minoribus ordinibus poſſunt contrahere matrimonium. in alijs non item.

ſtolorum

ſtolorum: ſicut patet 84.di. c.Cum in præterito. Tertia eſt, ꝙ conſtituti in ſacris apud Græcos, & in Eccleſia orientali licite vtuntur matrimonio contracto. Vnde ſi ſunt coniugati ad ſacros ordines poſſunt promoueri, continentia non promiſſa. ſed apud nos, & in tota occidentali Eccleſia ad ſacros ordines promoueri nequaquam poſſunt niſi promiſſa continentia. Et ſi ſunt coniugati, exigitur, vt ipſi, & eorum vxores profiteãtur continentiã. aliter repelluntur, ne ad ſacros ordines promoueãtur. Votũ ergo continentiæ vitæ Apoſtolicæ in Prælatis primitiuæ Eccleſię plenè fuit ſeruatũ, non quidẽ per ipſius Chriſti, vel Apoſtolorũ præcepti coactionẽ, cum ſit conſilij, & ſupererogationis opus, ſed per ipſorũ Apoſtolorũ imitationẽ.

Coniugati apud Græcos ad ſacros ordines promoueri poſſũt, continentia non promiſſa: ſed apud Latinos, nõniſi promiſſa.

Ad Argumenta.

Et per hoc patet ſolutio ad primum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ continentia annexa eſt ordinibus ſacris, non quidem ex natura rei, puta ex ipſius ordinis ſacri ſuſceptione. quia tunc quicumque acciperet ordinem ſacrum, teneretur cõtinentiam ſeruare, quod eſt falſum. quia, ſicut dictũ eſt, Græci ordines ſacros ſuſcipiunt, & continentiam ſeruare non tenentur. Sed eſt annexa continentia ſacris ordinibus ex voti promiſſione. quod quidem votum emittitur ab illis, qui ad ſacros ordines volunt promoueri ex ſtatuto Eccleſiæ. nec tamen ſequitur, ꝙ Papa in tali voto non poſſit diſpenſare: non obſtãte, ꝙ votum liget iure diuino, & naturali. quia cum votum ſit promiſſio facta Deo de meliori bono, & vtiliori; Papa loco Dei poteſt pro meliori bono, vel vtiliori promiſſionem factam de minori bono relaxare, non ſolum commutare.

Papæ poteſtas in diſpenſando.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſtatutum Eccleſiæ de voto caſtitatis emittendo, volentibus ad ſacros ordines promoueri non fuit vniuerſale, quia non extendebat ſe, niſi ad Clericos occidentalis Eccleſiæ: Vnde ſcribitur 31.di.c. Quoniã, ꝙ occidentalis, non orientalis Eccleſia caſtitatis obtulit votum. poſſet tamen Papa, ſi vellet, ſtatutum vniuerſale facere, vt nullus poſſet ad ſacros ordines promoueri, niſi continentiã ex voto promitteret. Et tunc omnes vniuerſaliter per vniuerſum orbem eſſent ad hoc aſtricti.

ARTICVLVS IIII.

UTR. EPISCOPI IN PRIMITIua Eccleſia ſeruarent Apoſtolorum vitam de voto obedientiæ.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi in primitiua Eccleſia, non ſeruarent Apoſtolorum vitam de voto obedientiæ. Ioan. enim 21. Quando Ieſus Chriſtus cõmiſit oues paſcẽdas Petro in perſona omniũ Epiſcoporum, non expetiuit ab eis obedientiam, ſed dilectionem dicens: Si diligis me: paſce oues meas.

2 Præterea: Epiſcoporum obedientia non eſt niſi de cura gregis habenda: ſed nullius cura habẽda eſt, qui relictus eſt in manu conſilij ſui. Scribitur enim

A Eccle. 15. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit in manu cõſ filij ſui.

3 Præterea: Perfectio obedientiæ conſiſtit in conformitate volũtatis humanæ cũ voluntate diuina: ſed homo non tenetur conformare voluntatẽ ſuã volũtati diuinæ ſemper in volito. Ergo nec obedientia vitæ Apoſtolicæ in Epiſcopis Eccleſię primitiuæ ſeruabat.

IN CONTRARIVM eſt. quia obedientia vitæ Apoſtolicæ fuit obedire Chriſto vſque ad mortem. Sed hoc illi ſeruauerunt in primitiua Eccleſia.

RESOLVTIO.

Epiſcopi primitiuæ Eccleſiæ Apoſtolorum vitam de voto obedientiæ ſeruarunt, quæ omnium Religioſorum obedientiam in tribus excedit.

B

RESPONDEO dicendum, ꝙ votum obedientiæ per Paſtores Eccleſiæ emittitur de cura habẽda ouium, & agnorum: vt per agnos intelligãtur introducendi, vel perficiendi: per oues vero iam perfecti, vt dicit Auguſt. Talis autem obedientia excedit obedientiam quorumcumque Religioſorum: ſiue etiam ſubiectorũ in tribus. Primo in vniuerſalitate, quia aliorum obediẽtia eſt reſpectu vnius, cui ſe obedire voto aſtringunt: Paſtoris autẽ obedientia eſt reſpectu omniũ, quorũ curã habet. quorum ſeruituti ſe ſubijcit, modo quo dicebat Apoſtolus 1. Cor. 9. Cum eſſem liber ex omnibus omniũ me ſeruũ feci. & ad Rom. 1. Græcis, & barbaris, ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. Secundo in difficultate aliorũ infirmitates portãdo, & volũtati omniũ ſe conformando. quod eſt valde difficile. Vnde Num. 11. dixit Moyſes: Cur impoſuiſti põdus vniuerſi populi hui' ſuper me? Numquid ego concepi omnem multitudinem hanc, vt dicas mihi: Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum ſuum? Tertio in charitate, quia animam ſuam, & vitam tenetur pro grege exponere. quod potiſſime in Prælatis Eccleſiæ primitiuæ ſeruatum eſt, quando quiſque ad Epiſcopatũ perueniens ſecutus erat palmam martyrij obtinere, vt dicit Gregorius † in Paſtorali.

C

† Par. 3. c. 8.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ, ꝙ obediẽtia in dilectione illa includebatur. quia, vt dicit Aug. ſic amoris obediẽtię eis fuit paſcere dominicum Gregẽ, ſicut timoris inobedientiæ fuit negare Paſtorem.

D

Tract. vltimo in Io. Tomo 9.

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ nõ eſt relictus homo in manu conſilij ſui, vt liceat ei facere omne, qđ velit: ſed quia ad illud, quod faciendum eſt, non cogitur naturæ neceſſitate, ſicut cæteræ irrationales creaturę: ſed libera ſua voluntate, ad cuius ordinationem tenetur ſe ſubdere aliorum cõſilio, & voluntati. quia (vt dicit Greg.) Vſus perfectæ conuerſationis eſt, vt præeſſe non audeat, qui ſubeſſe non didicerit.

AD tertium eſt dicendũ, ꝙ licet homo non ſemper teneatur velle † quod Deus vult: tenetur tamen velle quod ſcit eum præcepiſſe per pręcepta, & imitari quæ ſcit eum perſuaſiſſe per conſilia, quod fit per votum obedientiæ cum quis ſe Chriſto ſubijcit, & omnibus propter Chriſtum.

† Vide B. Thomã & ibidem Bartholom. Medinam 1. 2. quæſt. 19. art. vlt.

QVAEST. LXXXXIII. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERVATA fuit in Presbyteris, & Diaconibus Eccleſiæ primitiuæ.

DEINDE conſiderandum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Eccleſia primitiua in Presbyteris, & Diaconibus. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri eſſent diſtincti ab Epiſcopis.

Secundo, Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri, & Diaconi haberent perfectionis ſtatum.

Tertio, Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri, & Diaconi eſſent æqualis perfectionis cum Epiſcopis.

Quarto, Vtrum in primitiua Eccleſia in perfectionis ſtatu ſimiliores eſſent Epiſcopis Presbyteri, & Diaconi, quàm Monachi.

ARTICVLVS I.

VTRVM IN PRIMITIVA Eccleſia Presbyteri eſſent diſtincti ab Epiſcopis.

Canoniſtæ in cap. 1. & ſeq. 21. diſt. Theologi Scholaſtici lib. 4. ſent. diſt. 24. & ibi plenè Sotus quæſt. 1. art. 2. & 3. Et S. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. & vide omnino Concilium Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. incip. Quoniam verò.

G AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, q in primitiua Eccleſia Presbyteri non eſſent diſtincti ab Epiſcopis. Quæ enim ſunt ſinonyma, vnum realiter nõ diſtinguitur ab alio: ſed Hieron. ſuper Epiſtola ad Titum cap. 1. dicit: Olim idem Presbyter erat, qui Epiſcopus, poſtmodum verò in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris præponeretur, ut ſchiſmatum ſemina tollerentur.

2 Præterea: Apoſtolus ſcribens Tito Archiepiſcopo Cretenſi ſic dicit ad Titum primo: Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt, corrigas, & H conſtituas per ciuitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi. Super quo verbo dicit gloſſa, quòd per Presbyteros conſtituendos per ciuitates Apoſtolus intelligit Epiſcopos, cum quælibet ciuitas ſuum Epiſcopum requirat.

3 Præterea: Ordo Presbyterorum ponitur ſeptimus ordo, ſupra quem non eſt alius. Si ergo ordo Epiſcopalis non eſt diſtinctus ab ordine Presbyterij, nec ipſi Presbyteri diſtinguuntur ab Epiſcopis.

E IN CONTRARIVM eſt: quia in his, quæ nõ ſunt diſtincta realiter, vnum non dicitur eſſe maius alio. Sed Auguſtinus † ſcribens ad Hieronymum dicit: Quamquam ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit, Epiſcopatus Presbyterio maior ſit; tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt. [† Epiſt. 19. & ponit 2. q. 7. c. Quiquam.]

RESOLVTIO.

Epiſcopi à Presbyteris in primitiua Eccleſia erant diſtincti: & quamuis reſpectu corporis Chriſti veri non differant: reſpectu tamen corporis Chriſti myſtici F *ſunt diſtincti.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſolutio iſtius quæſtionis ponitur 21. diſt. cap. Decretis. Vbi oſtenditur, ex veteris legis figuratione, & ex Chriſti inſtitutione, & ex Apoſtolorum ordinatione Presbyteros, & Diaconos ab Epiſcopis ſemper fuiſſe diſtinctos. Ex veteris quidem legis figuratione planum eſt, quòd Sacerdotium Leuiticum figurabat Sacerdotium Chriſti, vt Apoſtolus oſtendit ad Hebræos 7. Sed ibi dicitur, q Summi Pontifices, & minores Sacerdotes à Deo ſunt inſtituti per Moyſen, qui ex præcepto domini Aaron in Summum Pontificem, filios vero eius vnxit in minores Sacerdotes. Ex Chriſti verò inſtitutione maiorum, & minorum Sacerdotum diſcretio facta eſt, quando Apoſtolos tamquàm maiores Sacerdotes, & 72. Diſcipulos quaſi minores Sacerdotes inſtituit, vt patet Lucę 10. Vbi dicit gloſſa, q ſicut in Apoſtolis forma Epiſcoporum, ſic in 72. forma Presbyterorũ quaſi ſecũdi ordinis eſt præcepta. Ex Apoſtolorum autem ordinatione, quia hanc formam Apoſtoli ſecuti, in ſingulis ciuitatibus Presbyteros, & Epiſcopos ordinauerunt. Diaconos verò ab Apoſtolis ordinatos legimus: quorum maximus fuit Stephanus. [Act. 6.] Subdiaconos † verò, & alios minores ordines, procedente tempore, Eccleſia ſibi conſtituit, quàmuis aliqui dicant, quòd Subdiaconatus ordo ab Apoſtolis inſtitutus ſit, ſed inter ſacros non computatus: ſicut poſtea numeratus eſt. [† Vide San. Tho. & ibidem Dominic. Sotum lib. 4. ſenté. diſt. 14.] Hoc idem patet ex Diſcipulorum Apoſtolorũ traditione. Nam Dionyſius, qui fuit Diſcipulus Pauli 5. cap. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ tres ordines deſcribit. Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum: & Epiſcoporum ordinem dicit eſſe perfectiuũ: Preſbyterorum verò illuminatiuum: & Diaconorũ purgatiuum.

Ad

Ad Argumenta.

AD RATIONES ergo in oppoſitum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopatum non eſſe ordinem diſtinctum à Presbyterio, & alijs, ſimpliciter verũ non eſt; cum Dionyſius expreſſe ordinem Epiſcoporum dicat eſſe diſtinctum ab ordine presbyterorum, & diaconorum. Et Gratianus 21. di. & Magiſter † ſententiarum Epiſcoporum ordinem quadripartitum ponit. Eſt ergo alius ordo reſpectu corporis myſtici, cuius curam recipit Epiſcopus, quaſi principalem, & regalem: Sacerdotes autem ſolum miniſterialẽ. reſpectu cuius non ſolum iuriſdictionem, immo aliquem ordinem, vel ordinis poteſtatem habet Epiſcopus præter ordinem presbyterij. Sed verum eſt, ꝙ reſpectu corporis Chriſti veri non eſt alius ordo Epiſcoporũ, & Presbyterorum. eo, ꝙ ad conſecrandum corpus Chriſti idem caracter, & eadẽ poteſtas eſt in vtriſq;. Et propter hanc dignitatem in primitiua Eccleſia iſtorũ vocabulorum, presbyterorum, & epiſcoporũ vſus promiſcuus erat, quia presbyteri dicebãtur Epiſcopi, ſicut patet per illud, quod inductum eſt de Apoſtolo ad Titum. 1. & Epiſcopi dicebãtur presbyteri, vt patet Act. 20. Hunc morem adhuc Eccleſia ſeruat. quia quemlibet Epiſcopum ſacerdotem magnum appellat: & ſecundum hunc intellectum accipienda ſunt verba Hieronymi ſupra inducta.

† 4. ſent. Diſtin. 24.

ARTICVLVS II.

VTRVM IN PRIMITIVA Eccleſia Presbyteri, & Diaconi haberent perfectionis ſtatum.

B. Thomas 2. 2. q. 184. art. 5. 6. & aliquot ſeq.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in primitiua Eccleſia Presbyteri, & Diaconi haberẽt perfectionis ſtatum. Nam Stephanus, & Laurentius Diaconi fuerint. & ſtultum eſſet dicere, ꝙ in primitiua Eccleſia illi nõ fuiſſent in perfectionis ſtatu.

2 Præterea: Quicumque aſſumuntur ad aliquod officium Eccleſiaſticum, aſſumuntur ad perfectionis ſtatum, ſicut poteſt haberi per Aug. ſuper illo verbo Iaco. 2. Tu ſede hic bene: pauperi autẽ dicatis: tu ſta illic aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: vbi dicit, ꝙ ſi hanc diſtantiam ſedendi, & ſtandi ad officia Eccleſiaſtica referamus, nõ eſt putandum, leue eſſe peccatum, acceptio perſonarum. Sed presbyteri, & diaconi aſſumebãtur ad officia eccleſiaſtica. Ergo erant in perfectionis ſtatu.

Epiſt. 29.

3 Præterea: Status dicitur à firmiter, & rectè ſtando. Secũdum quem modum dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. Eſtote ſtabiles, & immobiles abundantes in omni opere Domini. Sed multi presbyteri, & Diaconi in primitiua Eccleſia recti, & firmi ſteterunt. Ergo erant in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt. quia Dionyſius A ſolum ordinem Epiſcoporum ponit perfectiuum, & Monachorum perfectum: Dyaconorum vero purgatiuum per catechizationem. Sacerdotum vero illuminatiuum per ſacramentorum adminiſtrationem.

De Eccl. Hier. c. 5.

RESOLVTIO.

Præsbyteri, & Diaconi in primitiua Eccleſia ſtatũ perfectionis habuerunt, communiter, & propriè: propriiſſime verò non item, ſeu Epiſcopi, & Religioſi, qui per votũ in perpetuã, ac ſanctam ſe tradunt ſeruitutẽ.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſtatus perfectio, quantum ad præſens, tribus modis poteſt acquiri. Primo, communiter, & large per actus dile B ctionem. Secundo, magis proprie per officij adminiſtrationem. Tertio, propriiſſime per perpetuam voti obligationem. Primo modo omnes exiſtentes in charitate ſunt in perfectionis ſtatu. quia ſola charitas vinculum perfectionis eſt Coloſſ. 3. Iſto namque modo ſtatus perfectio opponitur caſui peccati, & culpæ. ſecundum quem modum dicit Apoſtolus: Qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat. Et Gal. 5. dicit: State, & nolite iugo ſeruitutis iterum contineri. Secundo vero modo omnes, qui aſſumuntur ad officia Eccleſiaſtica, poſſunt dici eſſe in perfectionis ſtatu reſpectu Laicorũ: ſunt enim ipſi, quaſi medij inter Deũ, & populum. Vnde quanto ſunt propinquiores Deo ratione officij, quod miniſtrãt: tanto ſunt magis perfecti. Iſto modo ſcribitur 8. q. 1. c. Qualis. Non to C lum Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi debent magnopere præuidere, vt cunctum populum, cui præſident, conuerſatione, & ſermone excedant: verum etiã inferior gradus, puta Exorciſtę, Lectores, & alij. Sed tertio modo Epiſcopi, & Religioſi, ac omnes illi, qui per votum in perpetuam ſeruitutem ſe tradunt, ad ſeruiẽdum Chriſto, & hominibus propter ipſum in his, quæ ſunt perfectionis opera, ſunt in perfectionis ſtatu. Iſto namque modo accipitur ſtatus, vt ſonat in quandam ſeruitutem oppoſitam libertati 2. q. 6. c. Si quando. Si quãdo in cauſa capituli, vel ſtatus interpellatum fuerit non per Procuratores, ſed per ſeipſos eſt agendum.

Ad Argumenta.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, verum eſſe, Stephanum, & Laurentium Diaconos fuiſſe, & in perfectionis ſtatu extitiſſe, non propter Archidiaconatum, ſed propter Martyrij opus. quod quidem excedit omnia perfectionis opera, vt infra dicetur.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ verum eſt omnes miniſtros Eccleſiæ eſſe in perfectionis ſtatu propter officij adminiſtrationem: ſed talis perfectio ſtatus magis accipitur cõparatiue, quàm propriè. Vnde canones clericorũ ſtatũ magis appellãt gradũ, quàm ſtatũ. Scribitur enim 8. q. 1. c. Qualis: Pro gradu ſui officij quemquã meliorẽ eſſe oportet. Et 14. q. 4. c. Si quis; ſcribitur: Si quis oblitus timorem Domini, & ſanctarũ ſcripturarum, fœnerauerit, aut turpia lucra ex quolibet negocio quęſierit, de gradu ſuo deiectus alienus habeatur à clero.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ certum eſt, multos Diaconos, & Presbyteros rectos, & firmos ſtetiſſe in fide, & in charitate, & multi ſic adhuc ſtant. & quantum ad hoc fuerunt aſſumpti ad perfectionis ſtatū, vt ſtatus opponitur caſui culpæ; ſed non prout ſtatus ſeruitutis opponitur libertati: ſecundum quem modum ſoli illi, qui voto obedientiæ in ſeruitutem aliorum ſe tradunt, propter Chriſtum, dicuntur eſſe in perfectionis ſtatu.

ARTICVLVS III.

VTRVM IN PRIMITIVA Eccleſia Presbyteri, & Diaconi eſſent eiuſdem perfectionis cū Epiſcopis.

Videantur Doctores præcitati in articulis præcedētibus,

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in primitiua Eccleſia Presbyteri, & Diaconi eſſent æqualis perfectionis cum Epiſcopis. Epiſcopi namque tenentur animam pro Gregibus ponere, Ioan. 10. Bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: ſed hoc multi Presbyteri, & Diaconi fecerunt in primitiua Eccleſia. Ergo fuerunt æqualis perfectionis cum Epiſcopis.

2 Præterea: Habere curam aliorum eſt perfectionis ſtatus: ſed ſicut Epiſcopus habet curam in ſua diœceſi; ſic Presbyter in ſua Parochia, & Diaconus in ſuo Archidiaconatu. Ergo ſunt in æquali perfectionis ſtatu.

Epiſt. 148. Tomo 2. 3 Præterea: Auguſt. dicit in Epiſtola ad Valeriū; Sicut nihil in hac vita, maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, & periculoſius eſt Epiſcopi, & Presbyteri, aut Diaconi officio; ſic apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quomodo noſter Imperator iubet. Videtur ergo Auguſtinus ponere omnes iſtos in æquali perfectione, ſi eo modo adminiſtrent quo miniſtrare debent.

IN CONTRARIVM eſt, quia ſoli Epiſcopi perpetuæ ſeruituti illorum ſe tradunt, quorum curā ſuſcipiunt. Ergo ſoli Epiſcopi ſunt in perfectionis ſtatu in genere Prælatorum.

RESOLVTIO.

Presbyteri, & Diaconi eiuſdem perfectionis cum Epiſcopis non fuerunt, & præſertim quantum ad obedientiæ votū, quod præ ceteris in ſtatu perfectionis hominem ponit.

Tomo 3. RESPONDEO, dicendū, ꝙ ſicut dicit Aug. 12. de Trin. cap. xj. Tanto magis inhæretur Deo, quanto minus diligitur proprium. Poſſumus autem diſtinguere triplex proprium. Quorum primum eſt temporale ſubſidium, quod quidem conceditur homini iure poſitiuo, quo quilibet pōt dicere: Hæc villa eſt mea, & hæc domus eſt mea, 8. diſt. c. Quo iure. Secundum eſt carnale coniugium, quod conceditur

E homini iure naturali 1. diſtin. cap. Ius naturale eſt. Tertium eſt libertatis arbitrium: quod quidem conceſſum eſt homini iure diuino in primordio ſuę creationis, quando factus eſt ad imaginem Dei, vt per voluntatis arbitrium præeſſet omnibus animalibus Gen. 1. Temporale ergo ſubſidium, quod eſt primū proprium, trahit animum hominis ad diuitias temporales. Carnale vero coniugium, quod eſt ſecundū propriū, trahit hominis animum ad concupiſcentias carnales. Sed voluntatis arbitrium trahit animum hominis ad libertates, & honores temporales. Primum ergo proprium dimittitur per votum paupertatis. Secundum verò per votum caſtitatis. Sed tertium per votum obedientiæ: cum quis tradit ſe in aliorum ſeruitutem propter Chriſtum. Si ergo ſecundum Aug. tanto magis inhęretur Deo, quanto minus

F diligitur proprium: & quanto magis adhæretur Deo, tanto magis ponitur homo in perfectionis ſtatu, cū Presbyteri, & Archidiaconi in primitiua Eccleſis, nō dico in primitiua Eccleſia Apoſtolorum, ſed poſtmodum in proceſſu temporis, non dimitterent propriū temporalis ſubſidij per votum paupertatis: nec proprium carnalis coniugij per votum caſtitatis, cum ad hoc tunc non eſſent aſtricti, nec adhuc ſunt communiter omnes: nec proprium voluntatis arbitrij per votum obedientiæ, cum curam ſuſceptam Parochię, vel Archidiaconatus poſſent dimittere, & adhuc poſſunt. Concludendum eſt, quòd Presbyteri, & Diaconi nec fuerunt, nec ſunt æqualis perfectionis cum Epiſcopis: potiſſimè quantum ad votum obediētiæ, quod, præ ceteris alijs, ponit hominem in perfectio-

G nis ſtatu.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ perfecta charitas poteſt eſſe in multis, qui non ſunt in ſtatu perfectionis ex voto dimittendo aliquod propriorum ſupradictorum. Quamuis ergo multi Presbyteri, & Diaconi habuerint, & habeant perfectam charitatem, vt ſint parati animā ſuam ponere pro alijs: non tamen propter hoc ſunt in perfectionis ſtatu: quia multi ſunt Laici, & coniugati, eandem cauſam perfectionis habentes, vt pro ſalute proximorum parati eſſent animas ſuas ponere: non tamen in ſtatu perfectionis eſſe dicuntur.

AD ſecundum eſt dicendum per interemptio-

H nem. Epiſcopis enim committitur cura principaliter in diœceſi non ſolum ſuper Laicos: immo etiam ſuper ipſos Presbyteros, & Diacones. Habent enim ſub Epiſcopo aliquas ſubminiſtrationes, & ſunt quaſi balíui, & officiales eius. Vnde omnibus Presbyteris, Diaconibus, & reliquis Clericis dicitur 16. q. 1. c. Cunctis. Attendendum eſt, vt nihil abſque proprij Epiſcopi licentia agant, non vtique Miſſas celebrent, vel baptizent abſq; eius permiſſione. & talis cura cōmittitur Epiſcopis cum voto perpetuæ ſeruitutis.

AD tertium eſt dicendū, quòd Aug. non vult Presbyteros, & Diacones eſſe æqualis perfectionis cū Epiſcopis: ſed ꝙ in eorum cura poſſunt demereri, & multum mereri: ſi gradum, quem habent, adminiſtrent, vt noſter Imperator iubet.

ARTI.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM IN PRIMITIVA Eccleſia Presbyteri, & Diaconi ſimiliores eſſent Epiſcopis in perfectionis ſtatu, quàm Monachi.

S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 8. Et quodlib. 3. art. 17. & opuſculo 18. cap. 20.

AD quartũ ſic proceditur. Videtur enim; quòd in primitiua Eccleſia Presbyteri, & Diaconi ſimiliores eſſent Epiſcopis ĩ perfectionis ſtatu, quàm Monachi: quia Presbyteris, & Diaconibus committebatur cura animarũ: Monachis autem interdicebatur. Scribitur enim 16. quæſt. 1. Monachus non doctoris, ſed plangentis habet officium.

2 Præterea: Super illo verbo Act. 20. Attendite vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, dicit gloſſa: Presbyteros Epheſi Miletum per Apoſtolum vocatos nomine Epiſcoporum eoſdē Presbyteros ſignificat. quia côiunctus eſt gradus vtrorumque, & in multis penè ſimillimus.

3 Præterea: Monachis licet tranſire ad ſtatũ Presbyterorum, & Archidiaconorum tamquàm ad perfectiorem. Scribitur enim 16. q. 1. Sic viue in monaſterio, vt clericus eſſe merearis: Similiores ergo erãt Presbyteri, & Diaconi Epiſcopis in perfectionis ſtatu, quàm Monachi.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſtatus perfectionis attenditur in obedientiæ voto: quo quis tradidit ſe in ſeruitutem aliorum propter Chriſtũ, ſed Monachi in hoc imitantur Epiſcopos, non autem Presbyteri, & Diaconi.

RESOLVTIO.

Presbyteri, & Diaconi ſimiliores Epiſcopis quantum ad iuriſdictionem, & Sacramentorum adminiſtrationem fuerunt: ſed quantum ad voti obligationẽ Monachi eis multo ſimiliores fuerunt, cum hac ſimilitudo longè maior, quàm ſecunda exiſtat.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſimilitudo in ſtatus perfectione poteſt attendi quantũ ad duo. Primo, quantum ad voti obligationem, & ſic planũ eſt, ꝙ Monachi ſimiliores ſunt Epiſcopis in perfectionis ſtatu, quàm Presbyteri, & Diaconi. Secundo, quantum ad ſubditorum, & temporalium iuriſdictionem, & Sacramentorum adminiſtrationẽ, & in hoc ſimiliores ſunt Epiſcopis Presbyteri, & Diaconi, quàm Monachi. Prima tamen ſimilitudo longè maior eſt, quàm ſecunda, pro quanto magis facit ad perfectionis ſtatum, & hoc potiſſimè veritatem habet de Prælatis Eccleſiæ primitiuæ, quibus omnia erant communia, & nihil proprium habebant more Monachorum. Vnde dicit Hieronymus in libro virorum illuſtrium, talem fuiſſe Eccleſiam credentium in Chriſto, quales nunc Monachi eſſe nituntur, & cupiunt. Tomo 9. de Philone.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendũ ꝙ Monachis poteſt committi cura animarum, ſicut Presbyteris; dummodo ſint litterati, & idoneitatem habeant. vnde ſcribitur 16. q. 1. cap. Doctos, ac probos: Quòd clericorum officia Monachi Presbyteri liberè adminiſtrent.

AD ſecundum eſt dicendũ, ꝙ illa ſimilitudo attenditur in Sacramentorum adminiſtratione, à qua ſimilitudine Monachi Presbyteri, & litterati nõ excluduntur. in voti tamen obligatione Monachi ſimiliores ſunt Epiſcopis, à qua ſimilitudine excludũtur Presbyteri, & Diaconi, non autem Monachi.

AD tertium eſt dicendũ, ꝙ Monachus, vt Monachus non habet, ꝙ officium Clerici exercere poſſit, cum multi Monachi ſint Laici, & in adminiſtratione Sacramentorum idoneitatem non habeãt: ſed inquantum litterati ſunt, poſſunt ad Clericorum ſtatum tranſire, & aliorum curam habere: Monachalẽ tamen perfectionem non relinquendo. vnde ſubditur in eodem decreto: Multo tempore diſce, quæ poſtmodum doceas, & inter bonos ſemper meliores ſectare.

QVAEST. XCIIII. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERVATA FVERIT IN MARTYRIBVS.

NVNC videndum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Martyribus. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum in Eccleſia primitiua Martyrium poſuerit Martyres in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum per ſolum ſupplicium mortis Martyres ſint conſecuti ſtatum perfectionis.

Tertio, Vtrum plus faciat ad perfectionis ſtatũ Martyrium, quàm Religionis votum.

Quarto, Vtrum ſemper ſit perfectionis opus, ꝙ homo mortis periculo ſe exponat.

ARTICVLVS I.

VTRVM MARTYRIVM POSVERIT Martyres in perfectionis ſtatu.

De Martyrij materia pro hac tota quæſtione facilius intelligen. vide S. Thomam 2.2. q. 124. Canoniſtas in c. Vide quantum. 1. q. 1. Syluestrum, & alios ſummiſtas verbo Martyrium. S. Thom. quodlib. 4. q. 10. ar. 19 & 20.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quod Martyriũ non poſuerit Martyres in perfectionis ſtatu. Quia multi coniugati, & Layci pœnam Martyrij ſuſtinuerunt in primitiua Eccleſia: nec tamen tales dicuntur fuiſſe in ſtatu perfectionis: cum matrimonium non cadat ſub conſilio, & non ſit opus ſupererogationi.

2 Præterea: Nullum inuoluntarium eſt opus virtutis, & per conſequens non ponit hominem in perfectionis ſtatu: ſed innocentes Martyres fuerunt, & inuoluntariè paſſi ſunt, cum tunc non haberẽt vſum liberi arbitrij.

3 Præterea: Homo non ponitur in perfectionis ſtatu niſi per illa, quæ ſunt conſilij, & ſupererogationis; ſed quilibet tenetur ex præcepto mortem ſubire pro confeſſione nominis Chriſti, iuxta illud Matth. 10. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

Tomo 5. IN CONTRARIVM eſt Auguſtin. in libro de ſancta virginitate, vbi Martyrium, & virginitatẽ ponit eſſe opera perfectionis, & ſupererogationis.

RESOLVTIO.

Martyres per Martyrium in ſtatu perfectionis poſiti fuerunt propter perſeuerantiam, propter victoria obtentionem, & charitatis perfectionem, cum in Martyrio maxima reluctatio inueniatur.

RESPONDEO, dicendum, quòd tanto aliquod opus eſt maioris perfectionis, quanto maiorem reluctationem habet contra bona præſentia. Vnde dicit Gregor. 32. Mor. quòd nihil eſt humanæ menti anguſtius, quàm voluntates proprias frangere: & nihil latius, quàm nullis proprijs volũtatibus reluctari. Sicut ergo nihil magis appetitur, & diligitur, quàm vita; eo, quòd viuere viuẽtibus eſt eſſe; ſic nulla reluctatio poteſt eſſe maior, quàm contra appetitum viuendi, quæ quidem reluctatio quatuor modis in Martyribus perfecta eſt. Primo, propter eius terminationem. Tunc enim terminata eſt prædicta reluctatio, quando pro Chriſto mortui ſunt, præſentem vitam dimittendo, & æternam acquirendo. Vnde terminatio perſeuerationis, de qua Chriſtus dixit Matth. 10 Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit; in eis completa eſt. Super quo verbo dicit Hieronym. quòd non incœpiſſe, ſed perfeciſſe perfectionis eſt opus, quia non inchoantibus, ſed perſeuerantibus præmium tribuitur. Secundo propter victoriæ obtentionem. Martyrium enim eſt tale opus, quod tunc perficitur, quãdo proprium ſuppoſitum deſtituitur. Vnde dicit Aug. De vera Religione, cap. 47. Quòd qui in aduerſis proficit, & mortis pericula fortiter aggreditur (quod Martyres noſcuntur feciſſe) vincit, quando vinci videtur. Tertio, propter charitatis perfectionem. Dicit enim Aug. ſuper illo verbo: Maiorem dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. quod hoc Martyres ardenti dilectione fecerunt: ideo ad menſam Chriſti non ſic eos commemoramus: quemadmodum alios, vt pro eis oremus, ſed magis, vt eorum veſtigijs inhæreamus. Quarto, propter ſpecialis præmij cõſecutionem. Singulare enim præmium non datur, niſi ſingulari perfectionis operi. Martyribus autem ſingulare præmiũ Deus largitur, ſicut dicit gloſſa ſuper illo verbo 2. Timot. 2. Qui certat in agone, nõ coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Vnde dicendum eſt, quod Martyriũ Martyres poſuit in perfectionis ſtatu.

Arist. 3. de anima t. xt. com. 37. — In Matth. cap. 10. — Tomo 5. — Tract. 84. In Ioan.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Laici, vel coniugati non dicuntur eſſe in perfectionis ſtatu propter Martyrium, quàmdiu habent ipſum in animi præparatione, cum hoc ſit in præceptum, & de neceſſitate ſalutis: ſed tunc ponuntur in perfectionis ſtatu, quando ipſum Martyrium recipiũt in operis executione, cum hoc requirat ardentem charitatem, & ſit ſupererogationis opus.

AD ſecundum eſt dicendum, quod Innocentes verè Martyres Chriſti fuerunt: non quidem propter vſus liberi arbitrij accelerationem, vt quidam dicere voluerunt: ſed propter eorum ſanguinis pro Chriſto effuſionem, vicem baptiſmatis gerentis. Vnde ſicut pueris baptizatis per gratiã baptiſmalem paſſio Chriſti operatur ad meritum, ſic meritum Chriſti operatum eſt in eis ad palmam Martyrij.

AD tertium eſt dicendũ, quòd ſicut continentia eſt conſilij, & ſupererogationis opus: & tamen in caſu poteſt eſſe præceptum, puta cũ aliquis cogitur ſeruare continentiam propter abſentiam, vel infirmitatem vxoris, vt dicit Augu. de adult. coniugijs c. 19. Sic opus Martyrij, & ſubire pœnam pro confeſſione nominis Chriſti eſt in præceptum, quãtum ad animi præparationem: ſed quãtum ad operis executionem non eſt in præceptum, ſed ſupererogationis, niſi in aliquo caſu, cum incumberet defenſio fidei. Aliud eſt enim Chriſtum, & fidem Catholicam non negare, quod eſt de neceſſitate ſalutis: & aliud eſt Martyriũ voluntariè ſubire, & ad Martyrium ſuſcipiendũ ſponte ſe offerre: quia hoc perfectionis eſt. Vnde dicit Chryſoſt. ſuper illo verbo Matth. 16. Si quis vult poſt me venire; quod Saluator non coactiuum fecit ſermonem. Non enim dixit: Siue volueritis, ſiue nolueritis, oportet vos pati pro me: ſed, ſi quis vult.

Tomo 6. — Homil. 56. in Matth.

ARTICVLVS II.

VTRVM PER MORTIS SVPplicium Martyres ſint poſiti in ſtatu perfectionis.

B. Thomas lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 5. art. 3. quæſt. 2. Et 2. 2. q. 124. art. 4.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum per mortis ſupplicium Martyres ſint poſiti in ſtatu perfectionis. Nam de beato Martino ſcribitur, ꝙ ſi gladius perſecutionis animam eius non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit. Et de beata Virgine dicit Hierony. in ſermone de Aſſumptione, dolorem dominicæ paſſionis eius animam pertranſiſſe, vt ſcribitur de ea Lucæ 2. Abſque ergo mortis ſupplicio põt quis poni in ſtatu perfectionis Martyrũ.

2 Præterea: Scribitur 21. di. cap. Nunc autem, ꝙ Marcellus † Papa verus Chriſti martyr fuit. & tamẽ gladio mortuus non eſt: ſed in carcere vitam ſuam finiuit, vt notatur ibi in gloſſa.

† In pleriſque codicibus legitur Marcellin⁹. ſed Marcellus, legendum eſt, vt competat ei hiſtoriæ veritas. textus vero, quem hic citat Auctor, de Marcellino loquitur.

3 Prꝫterea: Hæretici patiuntur pœnam mortis, quandoque pro Chriſto, & tamen non ponuntur in ſtatu perfectionis Martyrum. Immo magis in ſtatu damnationis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Martyr idẽ eſt, quod teſtis. quamdiu autem homini remanet vita, non teſtificatur opere, quod ore profitetur. Ad pefectam ergo teſtificationem requiritur, ꝙ aliquis mortem ſuſtineat propter Chriſtum.

RESOLVTIO.

Mortis ſupplicium cum propria voluntatis abdicatione, mortis violenta illatione, & iuſta cauſa terminatione Martyres in ſtatu perfectionis poſuiſſe, dicas licet.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſecundum Chryſo. † exponentem illud verbum Matt. 16. Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Tria ſunt, quæ dicuntur in ly, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. vult enim, ꝙ ad perfectam rationem Martyrij tria requiruntur. Primum eſt, propriæ voluntatis, & propriæ vitæ abdicatio, ꝙ homo ſeipſum abneget. Nam qui negat alium, puta fratrẽ, vel famulum vel quemcumque patientem, & ſi flagellatum eum viderit, & quæcumque patientem nõ aſſiſtit, non adiuuat, ſed quaſi ignoret: ex hoc Martyr non dicitur proprie, quantumcumque compatiatur. ſed Saluator, vt dicit, ita vult corpora noſtra propria nos ignorare, vel corpori noſtro non ignoſcere: vt ſi, & flagellauerint, vel quodcumque aliud fecerint, corpori non parcamus. Secundum eſt, mortis non naturalis, ſed violentæ, & opprobrioſæ illatio.

† Hom. 66. In Matth.

A Non enim mors quæcumque facit Martyrem, ſed talis mors, quæ violenter inferatur. & quanto magis opprobrioſa, tanto magis perfectius eſt opus martyrij. Vnde dicit Chryſoſt. † Ne ęſtimes, ꝙ vſque ad verbera tantũ, & contumelias oporteat hominẽ abnegare ſeipſum; oſtẽdit vſque nõ ad quantũ abnegare ſit neceſſarium. quia vſque nõ ad mortẽ naturalẽ, ſed violentam: & non qualitercumque violentam, ſed exprobrabiliſſimam, puta mortẽ crucis Chriſti, qui dicit: Et tollat crucem ſuam. Tertium eſt, iuſtæ cauſæ terminatio, quando addit: & ſequatur me. Non enim mors qualitercumque recepta facit Martyrem, niſi recipiatur pro Chriſto, & pro defenſione fidei Chriſtianæ. Multi enim Philoſophi multas pœnas, & cruciatus ſuſtinuerunt: non propter Chriſtum: ſed vt B mortificatis paſſionibus carnalibus liberius Philoſophię vacarent. Vnde dicit Hieronymus in libro 2. contra Iouinianum, ꝙ Plato academicam villam elegit ab vrbe procul non ſolum deſertam, ſed & peſtilentem, vt cura, & aſſiduitate morborum libidinis impetus frangerentur. Quoſdam, vt ait, legimus effodiſſe ſibi oculos, vt per eorum viſum à contemplatione philoſophiæ remouerentur. Tria itaque ad perfectam rationem martyrij requiruntur: Proprię vitæ voluntaris abdicatio: Mortis violenta illatio: Et iuſtæ cauſæ terminatio.

† Hom. 56. in Matth.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illæ au-C ctoritates, quæ loquuntur de martyrio Virginis glorioſæ, vel Martini, ſeu aliorum, intelligendæ ſunt de Martyrio non propriè ſumpto, quantum ad operis executionem: ſed vel quantum ad animorum præparationem, vel quantum ad præmiorum conſecutionem. dato enim, ꝙ Abraham nõ fuerit minoris meriti exiſtens in matrimonio ſuo, quàm Ioan. in virginitate; nõ tamen ſequitur propter hoc, ꝙ Abraham fuerit virgo. Sic dato, ꝙ Ioan. non fuerit paſſus pœnam mortis, ſicut Petrus; non tamen fuit inæqualis meriti: Vnde dicit Auguſtinus, † quòd nõ fuit impar meritum in Petro, qui paſſus eſt: & in Ioanne, qui paſſus non eſt.

† De bono coniu. c. 21.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ idem eſt mortẽ recipere, & talia pati, ad quę immediate ſequitur D mors. Marcellus ergo verus Chriſti Martyr fuit. quia quamuis non fuerit mortuus gladio, ſic tamen fuit in carcere recluſus, & retentus, quod ex hoc ſecuta eſt mors.

AD tertium eſt dicendum, quod quamuis hæretici dicant ſe pati pro Chriſto, non tamen patiuntur ſecundum eius doctrinam in eius Eccleſia prædicatam, & approbatam. Quiſquis enim extra Eccleſiam patitur, pati poteſt: ſed Martyr fieri non poteſt. Vnde hæretici poſſunt pro Chriſto pati, ſed non martyres fieri, vt Grego. dicit lib. 18. Mor. c. 14. De eis enim dicit Apoſtolus ad Rom. 10. Zelum quidem habent, ſed non ſecundum ſcientiam.

ARTICVLVS III.

VTRVM PLVS FACIAT ad perfectionis ſtatum Martyrium, quàm Religionis votum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non plus faciat ad perfectionis ſtatum Martyrium, quàm Religionis votum. Maioris enim perfectionis eſt, animã ponere pro Chriſto per votum obedientię, quàm proprium corpus: quod fit per Martyrium. ſed per votum obediẽtiæ Religioſus homo tradit animam in perpetuam ſeruitutem pro Chriſto. Ergo magis facit ad perfectionis ſtatum, quàm Martyrium.

2 Pręterea: Perfectius eſt bonum commune, quã proprium: ſed per votum obediẽtiæ in Religione homo mancipatur ſeruitio multorum. per Martyrium vero homo ſibi ipſi prodeſt. Magis ergo facit religionis votum ad perfectionis ſtatum.

3 Præterea: Maius vinculum non tollitur per minus: ſed votum vltramarinum, in quo attenditur opus Martyrij, tollitur per Religionis votum. Plus ergo facit ad Religionis ſtatum votum Religionis, quàm martyrium.

IN CONTRARIVM eſt. quia finis perfectior eſt his, quæ ſunt ad finem: ſed Martyrium eſt finis omnium votorum. Sicut enim mors eſt finis omnium terribilium: ſic vita eſt finis omnium deſiderabilium. quia pellem pro pelle, & cuncta, quæ homo habet, dat pro anima ſua, & pro corporali ſua vita ſaluanda, vt ſcribitur Iob 2.

RESOLVTIO.

Martyrium vota Religionis excedit in ſtatu perfectionis. complectitur enim quadruplex ſacrificium, hoc eſt, rerum exteriorum, corporis, voluntatis, & vitæ.

Tomo 10. † De plu. Mar. ſer. 1.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Aug.† in quodã ſermone de Martyribus: Nulli tantum impendunt, quantũ qui ſeipſos impendunt. Martyres autem ſeipſos in ſacrificium Chriſto obtulerũt. ſecundum ergo pręeminentiam ſacrificiorum poteſt accipi pręeminentia perfectionum. Offertur autem Deo, quantum ad præſens, quadruplex ſacrificium. Primo de exterioribus rebus. quando homo res temporales propter Deum pauperibus elargitur ſecundum illud ad Hebr. vltimo: Beneficentiæ autẽ, & communionis nolite obliuiſci: talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Secundo de proprio corpore per vitiorum mortificationem. vt quando aliquis carnem ſuam crucifigit cum vitijs, & concupiſcentijs. De quo ſacrificio dicit Apoſtolus ad Rom. 12. Exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam Deo placentem. Tertio de corde, & de propria voluntate. vt cum quis totum ſpiritum, & totam voluntatẽ offert Deo in propriam ſeruitutem. De quo ſcribitur

E in Pſal. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal. 50.
Quarto de propria vita. vt cum quis totum ſeipſum tradit in mortem, vitam temporalem contemnendo pro Chriſto. & hoc ſacrificium eſt maioris perfectionis, quàm omnia alia. quia nullus plus impendit, quàm qui ſeipſum impendit, ſecundum Auguſt. Vnde hoc beneficium victis à victoribus pręſtatur (ſicut dicit) vt vitæ parcentes conſeruent ſeruituri ſubiectos. Quia ergo in primis tribus ſacrificijs conſiſtunt tria vota Religionis: Paupertatis, quantum ad primum: Caſtitatis, quantum ad ſecundum: Obediẽtiæ, quantum ad tertium. Quanto iſtud ſacrificium quartum excedit illa tria, tanto Martyrium vota Religionis excedit in perfectionis ſtatu.

F

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ votũ obedientiæ in hoc conſiſtit, vt eius perfectio ſit vſq; ad mortem. Vnde ſic profitetur quilibet Religioſus obedire vſque ad mortem. Martyrium ergo perfecte complectitur illud, quod eſt vltimum complementum voti obedientiæ: ex quo in morte recepta pro Chriſto terminatur, modo, quo dicitur de Chriſto, qui fuit caput Martyrum. Philippen. 2. Factus eſt obediens vſque ad mortem.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Martyrium opus commune eſt, non minus, quàm quodcumque opus virtuoſum in Eccleſia. Vincit enim (vt dicit
G Grego.) Eccleſia in morte Martyrum, & proficit. Vincit enim Tyrãnos, & milites ſuos facit cõſtantes.

AD tertium eſt dicẽdum, quòd per votum vltramarinum quis attentat Martyrium in animi præparatione: quod eſt de neceſſitate ſalutis, cui ille labor iniungitur in pœnitentiam ad remiſſionem peccatorum. Votum autem Religionis eſt de his, quæ ſunt conſilij, & ſupererogationis, quæ excedunt omnem alium pœnitentię laborem: Vnde merito tale votum per introitum Religionis tollitur, vel commutatur in illud, quod eſt maioris perfectionis opus.

ARTICVLVS IIII.

H *VTR. SEMPER SIT PERfectionis opus, vt homo propter Chriſtum mortis periculo ſe exponat.*

B. Thomas 2. 2. q. 64. art. 5. Et lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 5. art. 3. quæſt. 2.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non ſemper ſit perfectionis opus, vt homo propter Chriſtum mortis periculo ſe exponat. quia nullus debet dare cauſam alicui, ꝙ eum interficiat: quia tunc efficitur homicida ſui ipſius. Sed qui mortis periculo ſe exponit dat cauſam interfectionis eius.

Præte-

2 Præterea: Quod non licet facere cauſa euitationis peccati, non licet facere ex quacunque alia cauſa. Sed Auguſtinus primo de ciuitate Dei, cap. 26. Inculpat quaſdam fœminas, quæ volentes fugere illos, qui volebant earum pudicitiam violare, in rapturum, & necaturum fluuium ſe proiecerunt.

Tomo 5.

3 Præterea: Non licet alicui facere contra præceptum Dei, ſed in illo præcepto: Non occides, prohibetur, ne homo occidat ſeipſum, vt dicit Auguſt. 1. de ciuit. cap. 17. Non licet ergo ex quacunque cauſa, ꝙ homo mortis articulo ſe exponat.

Tomo 5.

In Contrarium eſt: quia in hoc ponitur fuiſſe ſomma perfectio Martyrum, ꝙ ſe mortis periculis tradiderunt propter Chriſtum.

RESOLVTIO.

Siquis propter Gregis, vel Populi liberationem, fidei, vel iuramenti obſeruationem, Reipublicæ defenſionem, veritatis, ac iuſtitiæ teſtificationem Spiritus ſancti conſilio ductus morti ſe exponit, non niſi ſtatus perfectionem, laudem, & meritum adipiſci poteſt.

Respondeo, dicendum, ꝙ inconſultè, & regulariter ſemper homo non tenetur ſe mortis periculo exponere: ſed in aliquibus caſibus laudabile eſt; & opus virtutis, vt quis ſe mortis periculo exponat. Sunt autem, quantum ad præſens, quattuor caſus, in quibus Scriptura laudat, ꝙ homo exponat C ſe mortis periculo. Primo, propter Gregis, vel populi liberationem. Secundo, propter fidei, vel iuramenti obſeruationem. Tertio, propter Reipublicæ defenſionem. Quarto, propter veritatis, & iuſtitiæ teſtificationem. Exemplum primi de Dauid 1. Paralip. 21. Nonne ego ſum, qui iuſſi, vt numeraretur populus? Ego ſum qui peccaui: iſte Grex quid commeruit? Vertatur obſecro manus tua in me, & in domō Patris mei, & populos iſte non percutiatur. Exemplū ſecundi ponit Auguſt. de ciuit. Dei. lib. 1. cap. 15. De Marco Regulo Imperatore Romanorum, qui detentus in carcere in Carthagine, miſſus Romam pro impetranda pace, præſtito iuramento de reuerſione, quam cum nō impetraſſet, propter iuramentū, quod

Tomo 4.
Valer Max. lib. 2. c. 4.

A de reuertendo fecerat, abſque vlla dilatione ad hoſtes remeauit: & ab eis occiſus eſt. Exemplum tertij ponit ſimiliter Auguſtinus de Romanis ex ſententia Catonis 5. de ciuit. Dei. cap. 12. Romanos ideo victores fuiſſe, & Monarchiam tenuiſſe in toto orbe: quia Reipublicæ fuerant defenſores, iuſtitiæ amatores, veritatis cōſultores, bonorum promotores, & nullius libidinis, atque cupiditatis ſecutores, pro quibus, (vt dicebat) moderni habebant luxuriam, atque auaritiam, Reipublicæ egeſtatem, & priuati boni opulentiam: laudabant diuitias, ſequebantur inertiam, & inter bonos, & malos diſcrimen nullum. Exemplum quarti ponit Chryſoſt. Marci 6. de Ioanne Baptiſta, qui non inducebatur ad negandum Chriſtum, ſed B ſolum ad negandam hanc veritatē, ꝙ liceret Herodi habere vxorem fratris ſui: quam cū negare noluiſſet, incarceratus eſt, & capite truncatus.

Tomo 5.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, quòd nullus debet dare cauſam, vel occaſionem iniuſte agendi: ſi tamen alius iniuſtè agat, debet moderatè tolerare. Ex quolibet autem iſtorum caſuum ſupradictorū non datur alicui cauſa iniuſtè agendi: quia veritas doctrinæ, æquitas iuſtitiæ, & ſanctitas vitæ, tempore, & loco non ſunt omittenda propter ſcandalū paſ C ſiuum. Vnde ſi aliquis ex his ſcandalizatur, & mortis pœnam infligit alicui, nō eſt ipſe cauſa ſuæ interfectionis, ſed iniquitas occidentis.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd illæ Mulieres, & quæcumque aliæ perſonæ ſi interficerent ſeipſas, & hoc nō facerēt cōſilio Spiritus ſancti, in cuius poteſtate eſt vita, & mors hominis: culpam homicidij non effugiunt, etiam pro euitanda quacunque corruptione: quia non imputatur culpa immunditiæ ſine voluntaria complacentia.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ illud præceptum eſt, ne homo occidat hominem, & per conſequens, ꝙ non occidat ſeipſum. Sed ſi ab alio occidatur iniuſtè agente; ſi patienter toleratur, ad meritum, nō ad culpam ſibi imputatur.

QVAEST. XCV. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERuata fuerit in Confeſſoribus.

Vlterius conſiderandum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Confeſſoribus. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primò, Vtrum ſola charitas poſuerit Cōfeſſores in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum magis amor amicitiæ, quàm concupiſcentiæ fecerit in Cōfeſſoribus ſtatū perfectionis.

D *Tertio, Vtrum plus poſuerit in perfectionis ſtatu Confeſſores corporis continentia, quàm temporalium carentia.*

Quarto, Vtrum magis per humilitatem, quàm per aliam virtutem Cōfeſſores conſecuti ſint ſtatū perfectionis.

ARTI.

ARTICVLVS I.

VTRVM PER SOLAM charitatem Confeſſores ſint poſiti in perfectionis ſtatu.

S. Thomas 2. 2.q.184. art.2.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ per ſolam charitatem Confeſſores non ſint poſiti in perfectionis ſtatu. Quia diligere Deum,& proximum eſt in præceptum, & de neceſſitate ſalutis, Matthæi 19. Sed talia nõ
F ponunt hominem in perfectionis ſtatu: cum ſtatus perfectio requirat illa, quæ ſunt conſilij, & ſupererogationis opera.

2 Preterea: Status perfectio acquiritur cum voto: ſed non in omnibus Confeſſoribus fuit obligatio voti: quia non omnes fuerunt Religioſi, per quos votum emittitur de his, quæ ſunt perfectionis opera.

3 Præterea: Perfectio dilectionis Confeſſorũ fuit in conſtanti confeſſione nominis Chriſti: ſed hæc præcipitur omnibus, tamquàm neceſſaria ad ſalutem, ad Romanos 10. Corde creditur ad iuſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem Non ergo per hoc Confeſſores fuerunt poſiti in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt. quia Eccleſia non colit feſtiuitates aliquorum, qui non fuerint in perfe
G ctionis ſtatu.

RESOLVTIO.

Confeſſores per modum perfectum diligendi Deũ, & Proximum, hoc eſt, per amorem extenſiuum, intenſiuum, & recognitiuum poſiti fuerunt in ſtatu perfectionis.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut dicit Dionyſius 4. capitulo de diuinis nominibus: Diuinus amor eſt extaſim faciens, non permittens ſui ipſorum eſſe amatores, ſed amatorum. In tali autẽ impetu diuini amoris triplex perfectio inuenitur ſecundum triplicem gradum repertum in ipſo.

H Vnus gradus eſt in diuino amore, vel in amore proximi propter Deum extenſiuus. Secundus intenſiuus. Et tertius recognitiuus. Extenſiuus quidem tres gradus habet. Vnus eſt, quo diliguntur benefici. Secundus, quo diliguntur conſanguinei, & domeſtici. Tertius, quo diliguntur inimici: & iſte ſolus amor perfectorum eſt. Vnde Matthæi 5. Statim cum Saluator dixit: Diligite inimicos veſtros, & benefacite his, qui oderunt vos; tamquam in hoc perfectum modum diligendi eſſe demonſtraret, ſubdidit: Eſtote ergo perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

Intenſiuus verò ſimiliter tres gradus habet. Vnus, quo temporalia contemnuntur pro Chriſto, & pro amore eius proximis largiuntur. Secundus eſt, quo
E corpus proprium vigilijs, abſtinentijs, & alijs operibus maceratur, & pro vtilitate proximorum laboribus, & languoribus exponitur. Tertius eſt, quo vita præſens pro Chriſti morte exponitur, & pro ſalute proximorum, cum neceſſe fuerit, modo, quo dicitur 1. Ioan. 3. In hoc cognoſcimus charitatẽ Dei, quoniam ille pro nobis animam ſuam poſuit, & nos debemus pro fratribus animam ponere: in quo conſiſtit ſumma dilectionis perfectio: quia vltra hunc gradum dilectio intendi non poteſt, iuxta illud Ioannis 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

Recognitiuus vero eodem modo tres habet gradus. Vnus eſt, quo recognoſcitur beneficium creationis. Secundus eſt, quo recognoſcitur beneficium
F redemptionis. Tertius eſt, quo non ſolum recognoſcitur: immo ſummo ardore appetitur beneficium glorificationis, in quo quis cupiat diſſolui, & eſſe cũ Chriſto: quod ad perfectam dilectionem ſpectat. Phil.1.
Dicit enim Auguſtinus in libro de catechizandis rudibus, nullam eſſe maiorẽ cauſam, quare vel inchoetur, vel augeatur amor, quàm cum amari ſe homo agnoſcit, qui nondum amabat. Tomo 4. cap.4. Quia ergo Chriſtus prius dilexit nos, nulla maior potuit eſſe ad amorẽ eius inuitatio, quàm præuenire amando: & nimis eſt durus animus, qui dilectionem, & ſi non vult impendere, nolit rependere. In omnibus autem ipſis gradibus in Confeſſoribus fuit perfecta dilectio. Ideo dicendum, ꝙ per modum perfectum diligendi Deum, & Proximum fuerunt poſiti in perfectionis ſtatu.

G

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Auguſtinus ſuper Ioann. Charitas non ſtatim, cum naſcitur, mox perfecta eſt: immo prius naſcitur, deinde nutritur, vltimo perficitur. Cum verò perfecta fuerit, dicit: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Epiſt. 1. tract. 5. Tomo 4. Phil. 1. Perficitur autem charitas per opera conſilij, & ſupererogationis. Ideo per hanc Confeſſores fuerunt in perfectionis ſtatu.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dictum fuit ſupra, votum emittitur mente: impletur verò exterius per illa quæ ſunt ſupererogationis opera. quàmuis enim Confeſſores non fuerint omnes Religioſi, quantum ad ſuſceptionem habitus, & aliorum,
H quæ ſunt quædã accidentalia Religionis; Religioſi tamen cenſendi ſunt quantum ad impletionem eorum, quæ faciunt eſſentialiter ad perfectionis ſtatũ.

AD tertium eſt dicendũ, quòd confeſſio† nominis Chriſti in caſu, vbi aliquid ſubtraheretur honori fidei Chriſtianæ: & vbi infideles contra Chriſtianos inſultarent, vel vbi homo cogeretur negare fidem, eſt de neceſſitate ſalutis. † S.Tho. 2. 2.q.3 ar. 2. Sed publicè confiteri, & voluntariè, & ſponte ſe offerre ad confitendum coram hæreticis, & inimicis fidei, quæ ſancti Confeſſores fecerunt; ſupererogationis, & perfectionis eſt opus.

ARTICVLVS II.

VTRVM AMOR CONCVPIſcentiæ magis, quàm amor amicitiæ poſuerit Cōfeſſores in perfectionis ſtatu.

B. Thomas 1. 2. q. 30. art. 1. & ſeq. & 2. 2. q. 35. art. 1. 5. & vlt.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ amor concupiſcētiæ magis, quàm amicitiæ poſuerit cōfeſſores in perfectionis ſtatu. Maior enim eſt dilectio Dei, quàm proximi, vel quàm cuiuſque rei creatę. ſed Deus diligitur à nobis amore concupiſcentiæ. Stultum enim eſſet dicere, ꝙ quis diligat Deum, vt ei velit bonum. ſed magis, vt ipſum bonum omnis boni volumus nobis. Et iſte eſt amor concupiſcentiæ: non amicitiæ. Perfectior ergo fuit in Confeſſoribus amor concupiſcentiæ, quàm amicitiæ.

2 Præterea: Maxima dilectio penſatur ex maximis bonis. Sed maxima bona ſunt virtutes, & bona ſpiritualia, quæ diliguntur à nobis amore concupiſcētiæ: cum ipſa optemus nobis, & proximis. Perfectior eſt ergo dilectio concupiſcentiæ, quàm amicitiæ.

3 Pręterea: Perfectio conſiſtit in relinquendo omnia temporalia, & ſequendo Chriſtum Matt. 19. Sed iſta diliguntur amore concupiſcentiæ, non amicitię.

4 Præterea: Illud diligitur amore concupiſcentiæ quod diligitur in ordine ad aliud. Sed homo diligitur in ordine ad aliud, & non ſecundum ſe. Dicit enim Auguſtinus ſuper illo verbo ad Philemonē: Ita frater ego te fruar in Domino, ꝙ ſi non addidiſſet in Domino, & te fruar tantum dixiſſet, quòd tantū in eo conſtituiſſet ſpem ſuæ beatitudinis, quod non eſt faciendum niſi in illa Trinitate, puta in ſummo, & incommutabili bono. Perfectiori ergo modo pertinet ad ſtatum perfectum amor concupiſcentiæ magis, quàm amicitiæ. — 1. de Doct. christiana c. 33. Tomo 3.

IN CONTRARIVM eſt, quia propter vnumquodque tale, & illud magis. ſed propter amorem amicitiæ intenditur amor concupiſcentiæ. Ergo iſte perfectior, & maior. — Ari 1. Poſt. cap. 2. ſub finem.

RESOLVTIO.

Confeſſores propter amicitia amorem magis, quàm concupiſcentia poſiti ſunt in perfectionis ſtatu. illa enim dilectio hanc excedit in amoris terminatione, in diuini præcepti obſeruatione, & diuinæ bonitatis communicatione.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ motus dilectionis in duo tendit. Primo in eum, cui aliquis vult aliquod bonum. Secundo, in illud bonum, quod ei optat. Prima dilectio vocatur amor amicitiæ. Secunda vero amor concupiſcentiæ. Excedit autem prima dilectio ſecundam, quantum ad præſens, in tribus. A Primo, in amoris terminatione. Secundo in diuini præcepti obſeruatione. Tertio, in diuinæ bonitatis communicatione. Si quis enim diligit aliquem, ꝙ ei vult bonum: quamuis vtrumque diligat, & illum cui vult bonum, & ipſum bonum, quod ſibi optat, bonū optatum per accidens dicitur amari, & non per ſe. Stultum enim eſſet dicere, ꝙ intentio amantis per ſe terminaretur ad illud, cuius deſtructionem appetit. Siquis autem optat alicui cibum, & bonum potum, quamuis tale bonum diligat inquantum venit in vſum illius, cui vult illud bonum: ille tamen bonus cibus, vel bonus potus non poteſt per ſe amari, cum eius vſus ſit eius deſtructio. Intentio ergo amantis per ſe terminatur ad illud, cui vult bonum: & iſte eſt amor amicitię, qui excedit amorem illum concupiſcentiæ in amantis terminatione. B Secundo, excedit in diuini præcepti obſeruatione. Cum enim præcipitur nobis, vt diligamus proximos noſtros ſicut noſipſos, non ſic accipitur talis modus diligendi, vt ipſos proximos diligamus inquantum in noſtrum vſum venire poſſunt. quia ſic non diligeremus eos, ſicut noſipſos. ſicut non diligimus equum, vel mulum, qui in noſtrum vſum veniunt: ſed magis diligimus nos, quibus talia optamus, vt ex eis conſequamur vtile, vel delectabile. Intelligitur ergo modus diligendi proximos, ſicut noſipſos, vt eis velimus fidem, charitatem, & ęternam felicitatem, quæ nobis volumus, & alia temporalia bona, quibus ad illa perueniatur, ſicut nobis illa optamus, vt ad illa perueniamus, modo, quo dicebat Apoſtolus: Nō quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Et iſte eſt amor amicitiæ, non concupiſcentiæ. — 1. Cor. 10. C Tertio excedit in diuinæ bonitatis communicatione. Modus enim diligendi, quo diligimus proximum, deriuatus eſt à dilectione Dei, qua ipſe diligit nos. ſed ipſe Deus diligit nos dilectione amicitiæ. quia vult nobis bonum, & communicat nobis ſua bona. Igitur & noſter modus diligendi in hoc perfectus eſt, vt proximos noſtros diligamus, quia eius volumus bona, dilectione amicitiæ. Magis ergo amor amicitiæ, quàm concupiſcentiæ Confeſſores conſtituit in ſtatu perfectionis, cum iſte ſit perfectior illo.

Ad Argumenta.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Deum diligere, vt ei velimus bonum, poteſt intelligi dupliciter. Primo, vt ei velimus bonum per ſui conſecutionem, vt cōſequatur aliquod bonum, quo ipſe careat. & ſic planum eſt, ꝙ nullum bonum poſſumus Deo optare, cum ſit bonum infinitum, quod nec augeri, nec minui poteſt. Secundo, ꝙ velimus ei bonum per ſui communicationem, ꝙ ſic ei volumus bonum: Dicit enim Dionyſius, ꝙ amor mouet Deum, & non permittit eum manere ſine germine: ſed mouet eum ad communicandum ſua bona. — De di. nom. c. 4.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd charitas, & bona ſpiritualia ſunt maxima bona formaliter, quibus homo perficitur in vita ſpirituali: ſed ſubſtantialiter, & finaliter terminatiue non diligūtur, niſi propter nos, & proximos noſtros, quibus illa optamus.

Ad

A d tertium eſt dicendum, quòd temporalia, & quæcumque alia, quę poſſunt venire in noſtrũ vſum, non poſſumus diligere dilectione amicitiæ, vt ibi terminetur dilectio. ſed diligimus ea tamquam instrumenta, quibus nos, vel proximi noſtri poſſunt virtuoſe agere, & opera ſupererogationis exercere: ad cultum diuinum ipſa ordinando, vel pauperibus erogando.

A d quartum eſt dicendum, quòd hominem diligere propter ſe, & non in ordine ad aliud, poteſt intelligi dupliciter. Primo participatiue, & ſic ipſe homo per ſe diligitur: & eſt illud, cui per ſe volumus bonum. Eſt enim ipſe particeps immediate diuinæ beatitudinis. Secundo, terminatiue, & ſic planum eſt, ꝙ non eſt finale bonum, in quo terminatiue noſtram ſpem debeamus ponere. ſecundum quem modum loquitur Apoſtolus in verbo allegato. 1. Cor. 4.

ARTICVLVS III.

VTRVM PLVS POSVERIT Confeſſores in perfectionis ſtatu temporalium carentia, quàm corporis continentia.

Quatenus hic agitur de virtute continentiæ, videatur omnino B. Thomas 2. 2. q. 155. art. 1. & ſequenti.

A D tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ plus poſuerit Cõfeſſores in perfectionis ſtatu temporalium carentia, quàm corporis continentia. Dicit enim Apoſtolus 1. Timoth. 6. ꝙ radix omnium malorũ eſt cupiditas. Carentia ergo temporalium, & carentia cupiditatis tam quam carentia omnium malorum, magis facit ad perfectionis ſtatum, quàm aliquid aliud.

2 Præterea: Perfectio ſtatus ſumitur ex his, quę tenent ſe ex parte animæ. ſed continentia, cum ſit circa ſexuum diuerſificationem, & corporum diuerſam complexionem, magis ſe tenet ex parte corporis. & per conſequens non poterit facere ad perfectionis ſtatum.

3 Præterea: Quod magis reddit hominem aptum ad perfectionis opera, magis facit ad perfectionis ſtatum. ſed hoc videtur eſſe ſobrietas. Scribitur enim auctoritate Hieronymi 35. di. c. Eccleſiæ: An non confuſio, & ignominia eſt, Ieſum Crucifixum Magiſtrũ, pauperem, atque eſurientem, fartis prædicare corporibus, & ieiuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaq; ora proferre? Si in loco Apoſtolorum ſumus, non ſolum ſermonem eorum imitemur, ſed cõuerſationem, & abſtinentiam amplectamur.

I n C o n t r a r i v m eſt, quod ſcribitur Eccleſiaſt. 26. Omnis ponderatio non eſt condigna continentis animæ.

R E S O L V T I O.

Confeſſores propter corporis continentiam magis E *quàm temporalium carentiam poſiti ſunt in ſtatu perfectionis. continentia enim propter maius exemplum, maius dominium, maius auxilium, & propter maius prælium vincendum, temporalium carentiam excedit.*

R e s p o n d e o, dicendum, quòd continentia cæteris alijs virtutibus magis facit ad perfectionis ſtatum conſequendum, & conſeruandum, quantum ad præſens, propter quatuor. Primo, propter maius exemplum. Secundo, propter maius dominium. Tertiò, propter maius auxilium. Quarto propter vincendum maius prælium. Sunt enim exiſtentes in ſtatu perfectionis, lucentes in medio prauæ, & peruerſę nationis per ſanctitatis exemplum. quaſi luminaria mundi, verbum vitæ continentes. ad F Philippen. 2. Nihil autem eſt, ꝙ magis vitam ſanctorum virorum habeat denigrare, ne proximis lucis exempla monſtrent, ſicut corporis incontinentia. Vnde dicit Hieronymus in quadã Epiſtola de vita Clericorũ, quòd cum teſtimonium oporteat habere bonum ab his, qui foris ſunt, cum à te fœminarum genus non amputatur, das reprehendendi te locum, & ipſe te morſibus detrahentium tradidiſti. Et Auguſtinus ſuper illo verbo Apoſtoli: Spectaculum facti ſumus mundo, dicit, ꝙ ſic vitam noſtram, & famam noſtram cuſtodire debemus: vt non erubeſcant de detractoribus laudatores. Propter maius dominiũ: per temporalium enim carentiam dominamur alijs extrinſecis à nobis, ſed per corporis continentiam dominamur nobiſipſis; & quamuis magnę virtutis G ſit, vt homo ſit victor omnium aliorũ mundanorũ; longe tamen maioris virtutis eſt, ꝙ homo ſit victor ſui ipſius. quia parum eſt, vt dixit ille ſanctus Conſtantinus, barbaras nationes viciſſe, ſi homo à ſeipſo vincatur. eo ꝙ illas vincere virtus eſt populorum: ſed vincere peccata in ſeipſo eſt virtus morum: Propter maius auxilium: de nulla enim alia virtute ſic dictũ eſt, ſicut ſcribitur Sapientiæ 8. eſſe de ipſa continentia dictum: Non poſſum eſſe continens, niſi Deus det. Et hoc ipſum eſt ſapientiæ ſcire, cuius hoc eſt donum. quæ verba exponens Aug. 10. Confeſſ. c. 29. dicit: Iubes nobis domine continentiam: da ergo quod iubes, & iube quod vis. Et propter vincẽdum maius prælium: Nam contra alia vitia poſſumus bellare ſecundum noſipſos totos: ſed ad ſeruandam continen- H tiam oportet nos bellare contra noſipſos, vt ſpiritus vincat carnem: vt non quæcumque illa vult, faciat. Quamuis ergo omnes virtutes fecerint ad perfectionem Confeſſorum; plus tamen omnibus alijs continentia potuit, & tenuit eos in perfectionis ſtatu.

Ad fratres in ere. ſer. 33. Tomo 10.

Tomo 1.

Ad Argumenta.

A d P r i m v m ergo eſt dicendum, ꝙ concupiſcentia, quæ eſt radix omnium malorum: vitium eſt generale communiter ſumptum pro omni inordinato amore cuiuſcumque rei, vt dicit Auguſt. 11. ſuper Gen. c. 15. ſecundum quem modum ipſa cõcupiſcentia carnis prohibetur nomine cupiditatis. Tomo 3.

A d ſecundum eſt dicendum, ꝙ corporis continentia conſiſtit in diuerſificatione ſexuum inſtrumẽ

taliter

taliter, & materialiter. ſed effectiue, & imperatiue quantum ad rationem meriti, vel demeriti non conſiſtit niſi in voluntate: cuius conatus quanto maior eſt in reſiſtendo alicui vitio informata charitate; tanto magis habet rationem meriti, & perfectionis.

Diſt. 35. c. Eccleſiæ.

A D tertium eſt dicendũ, ꝙ Seruantes continentiam neceſſario ſeruant ſobrietatem, & abſtinẽtiam. Vnde dicitur in diſtinctione ſupradicta: Eccleſiæ Principes, qui delicijs affluunt, inter epulas, atque laſciuias, pudicitiam ſeruare ſe credunt, Propheticus ſermo deſcribit, quòd eijciendi ſunt de ſpacioſis domibus, lautiſque conuiuijs, & multo labore conquiſitis epulis: & ſi vis ſcire, quò eijciendi ſint propter malas cogitationes, & opera ſua, Euangelium lege: In tenebras exteriores, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.

Matth. 22.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM CONFESSORES PER humilitatem conſecuti ſint perfectionis ſtatum.

B. Thomas 2. 2. q. 161. art. 5. & vlt.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ per humilitatẽ Confeſſores non ſint conſecuti perfectionis ſtatum. Quia quod eſt imperfectorum, non facit ad ſtatum perfectionis. ſed humilitas videtur eſſe imperfectorum; cũ Deo, qui eſt perfectiſſimus, non conueniat humiliari, nec alicui ſubijci.

2 Præterea: Iuſtitia eſt præclariſſima virtutum, & communiſſima. Magis ergo poſuit Confeſſores in perfectionis ſtatu iuſtitia, quàm humilitas.

3 Pręterea: Status perfectionis eſt ſupremus in Eccleſia, qui ſemper præſupponitur eſſe cum charitate. ſed non eſt iuſtum, ꝙ homo exiſtens in charitate ſubijciat ſe peccatoribus. Non ergo ſemper humilitas facit ad ſtatum perfectionis.

I N C O N T R A R I V M eſt, quod ſcribitur Philippen. 2. In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes. Super quò verbo dicit gloſſa, ꝙ ideo Apoſtolus ad humilitatem ſpecialiter inuitat, quia hoc ſentire videtur, quòd in Chriſto fuit. Sed quicquid fuit in Chriſto, fuit in Sanctis diſciplina morum, & perfectionum.

R E S O L V T I O.

Confeſſores per humilitatem, ſtatum perfectionis conſecuti fuerunt. humilitas enim ómnes virtutes morales excedit propter ſingulare documentum à Chriſto datum: propter ſingulare de accuſatore Diabolo ſupplicium: propter ſingulare operis virtuoſi contrarium: & propter ſingulare præmium.

A RESPONDEO, dicendum, ꝙ inter omnes virtutes morales humilitas plus facit ad perfectionis ſtatum fundatiue, & conſeruatiue propter quatuor. Primo, propter ſingulare Magiſterium. de nulla enim virtute tam ſingulare documentũ dedit Magiſter veritatis, ſicut de humilitate. Dicit enim Aug. ſuper illo verbo Matth. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Diſcite (inquam) à me: non mundum fabricare, nõ in ipſo mundo miracula facere. ſed quia mitis ſum, & humilis corde. Nam ſi magnus es, & ſi vis magnã fabricam celſitudinis conſtruere: de fundamẽto prius cogita humilitatis: & quanto magis vis ædificiũ ſupraponere; tantò altius humilitatis fundamentum conſtrue. Secundo, propter ſingulare de accuſatore ſupplicium. Diabolus

De ver. Domini ſer. 10. Tomo 10.

Notandum de humilitate.

B enim, qui eſt accuſator, humani generis die, ac nocte, Apoca. 12. propter nullã aliam virtutẽ perdit in homine ſuam iuriſdictionem, vt dicit Auguſtinus, niſi propter humilitatẽ. Non propter ieiuniũ, quia cibũ ipſe non capit. Non propter caſtitatem, quia fœminã non cognoſcit. Nec propter orationis vigilias, quia ipſe numquam dormit. Nec propter dationẽ pecuniæ, quia numquam pecuniam in burſam ponit: Solum autẽ propter humilitatẽ, quam videt hominem ſeruare in terris, quam ipſe in cælo ſeruare contempſit. Tertio propter ſingulare operis virtuoſi contrarium. nam contrarium humilitatis eſt ſuperbia, quæ ſingulariter ſic deſtruit omnia opera virtuoſa, vt etiam bonis operibus inſidietur, vt pereant. Vnde Auguſtinus ſcribens ad comitem Bonifacium dicit: Singulariter tibi cauenda eſt ſuperbia: quia diabolus ſuper-

In Regula. Tomo 1.

C bia tumidus ſic ait: In cælum conſcendam, & ero ſimilis altiſſimo. Chriſtus benignitate humilis dicit: Formam ſerui accipiam, & habitu ero, vt homo. Diabolus per Pharaonem ait: Neſcio Dominũ, & Iſrael non dimittam. Chriſtus per humilitatem dicit: Scio eum, & ſi dixero, neſcio eum, ero ſimilis vobis mendax. Diabolus per ſuperbiam dicit: Mea ſunt omnia, & ego feci ea. Chriſtus dicit: A meipſo non poſſum facere quicquam, ſed eſt pater, qui manet in me, & ipſe facit omnia opera. Quarto, propter ſingulare præmium. Exponens enim Chryſoſt. illud verbum Lucæ 18. Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur; dicit, quòd ſicut faſtus inflatio ab ipſis cœlis poteſt deprimere nõ cauẽtem, ſic humilitas ab ipſo abyſſo peccatorem hominem ha-

Iſa. 14.

Exo. 5.

Ioan. 8.

Ioan. 5.

Tomo 4. Ho. de perfect. Euan.

D bet ſublimare. Hęc enim præ Phariſæo Publicanum ſaluauit: Latronem ante Apoſtolos in Paradiſum induxit. Et ſubdit: Si iuxta magna delicta humilitas poſita fuerit: tam facile currit, vt ſuperbiæ iuſtitiam trãſeat. Si vero iuſtitię, & ſanctitati eam coniũxeris, quò non ibit? Aſſiſtet enim ipſi tribunali diuino in medio Angelorum cum multa fiducia. Ideo propter ſingulare Magiſterium, & propter ſingulare de accuſatore ſupplicium, propter ſingulare operis virtuoſi contrarium, & propter ſingulare præmium humilitas eſt ſingularis virtus inter omnes alias. & ideo ſingulariter per ipſam Cõfeſſores poſiti ſunt in perfectionis ſtatu.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, ꝙ Deus ſecundum naturam diuinam eſt ſimpliciter perfectus, in quo aggregatur perfectiones omnium generum. Ideo ſecundum naturam diuinam non conuenit ſibi humilitas: ſecundum vero naturam aſſumptá factus eſt obediens vſque ad mortem. Homo verò quàmuis ſecundum ſuam naturam, ſtatum, vel tempus poſſit dici perfectus, in comparatione tamen ad Deú ſemper inuenitur deficiens; ideo reſpectu eius conuenit ei humiliari, & omnibus propter ipſum.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ iuſtitia illa legalis, quæ eſt præclariſſima virtutum, poteſt eſſe maior humilitate ordinatiuè, & obſeruatiuè. Ordinat enim

E & præcipit obſeruari omnes actus virtutum. Sed fundatiuè, & cóſeruatiuè humilitas excedit iuſtitiam, & omnes alias.

A D tertium eſt dicendum, ꝙ in quolibet homine poteſt conſiderari illud, quod Dei eſt, & illud, quod hominis eſt. Quantú ad illud, quod Dei eſt, in quolibet homine, ſi ſibi exhibetur, humilitas non exhibetur ſibi, ſed Deo. Quantum verò ad illud, quod hominis eſt, & ſi defectus, & peccatú in ipſo videatur, ſemper tamen, ſecundum Auguſtinum, debemus in ipſo conſiderare eſſe aliquod donum, quo nobis ſupe-

F rior eſt, vt non fruſtra dicat Apoſtolus: In humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, quantumcúq. donú, quo ſuperiores eſſe videmur, ſit manifeſtum; & donum, quo nobis alij videntur inferiores, ſit occultum. Phil. 2.

QVAEST. XCVI. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERVATA FVERIT IN VIRGINIBVS.

D E I N D E *conſiderandum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Virginibus. Circa quod quæruntur Quatuor.*

Primo, Vtrum Virginitas ſine voto ſeruata poſuerit Virgines in perfectionis ſtatu.

Secũdo, Vtrum Virginitas voto promiſſa fuerit apud Deú maioris meriti in Virginibus, quàm ſine voto.

Tertio, Vtrum Virgini corruptorem volentem eam corrumpere violenter liceat interficere.

Quarto, Vtrum Virgines, quæ fuerint violenter corruptæ à Barbaris, perdiderint aureolam.

ARTICVLVS I.

VTRVM VIRGINITAS SINE voto ſeruata poſuerit Virgines in perfectionis ſtatu.

S. Tho. 2. 2. q. 152. Et Aegid. Col. Rom. Quodlib. 2. q. 24.

A D primum ergo ſic proceditur, Videtur enim, ꝙ Virginitas ſine voto ſeruata poſuerit Virgines in perfectionis ſtatu. Quia quod eſt opus perfectionis, & ſupererogationis, ponit in perfectionis ſtatu: ſed Virginitas eſt opus ſupererogationis, & perfectionis, ſicut patet 1. Corint. 7. & Matth. 19.

G 2 Præterea: Nullus diceret, ꝙ Virginitas ſine voto ſeruata non præferatur matrimonij ſtatui. Virgines ergo ſine voto ſunt in perfectiori ſtatu, quàm coniugati.

3 Præterea: Apoſtolus dicit 1. Corinthiorum 7. Qui Virginem tradit nuptui, benè facit: qui verò ſeruat eam volentem continere melius facit. Ergo abſq; omni voto Virginitas eſt melior coniugali copula, & ſic pertinet ad perfectionis ſtatum.

I N C O N T R A R I V M eſt. Quia Virgo ſine voto Virginitatis emiſſo poteſt nubere: voto vero obligata non ſolum nubere: ſed velle nubere eſt ſibi damnabile, vt dicit Hieron. Ergo per Virginitatem ſine voto non fit perpetua ſeparatio à communi ſtatu coniugatorum. Et habetur 17. q. 1 cap. Vouentibus.

H

R E S O L V T I O.

Virginitas ſine voto ſeruata non in ſtatu perfectionis, ſed in perfectionis opere Virgines poſuit. Virginitas enim voto ſeruata libertatem tollit: ſine voto autem, non item.

R E S P O N D E O, dicendum, quòd ſtatus perfectionis duo importat. Primo, mutationem, ratione ſtatus. non enim eſt tranſitus de vno ſtatu ad alium ſine aliqua mutatione. Secundo, ſupererogationem, ratione perfectionis. Nó enim quodlibet opus eſt perfectum, vel ponit hominem in perfectionis via, ſed ſolum quod eſt conſilij & ſupererogationis: mutatio ergo ſtatus de libertate ad ſeruitutem non fit ſine voto: quia ſi virgo, vel vidua vouet continentiam ſeruare, priuant ſe libertate ducendi virum.

rum. Si autem abſque voto continentiam ſeruant, ta li libertate non priuantur. Iſto modo accipiendo ſtatum: vt eſt conditio importans mutationem de ſeruitute ad libertatem, vel econuerſo, ſolum facit voti promiſſio, vel priuata, quantum ad Deum, vel ſolemnizata, quantum ad Eccleſiam. Solemnizatur autem votum per habitus ſuſceptionem, vel ſubſcriptionem, & teſtium aduocationem. Vnde ſcribitur 20. q. 1. c. Vidua. Profeſſionem viduitatis, vel virginitatis faciant, & habitum Religionis ſumant, quæ caſtitatem ſeruare proponunt. perfectio vero acquiritur per conſilij, & ſupererogationis opus. Vnde dicendum, quòd virginitas ſine voto ſeruata non poſuit virgines in perfectionis ſtatu: ſed in perfectionis opere.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ virginitas opus conſilij, & ſupererogationis eſt ponens virginem in perfectionis via, quantum ad opus. ſicut abdicatio temporalium poſuiſſet illum adoleſcentẽ in perfectionis opere, ſi ſua bona ſecundum conſiliũ Saluatoris voluiſſet pauperibus elargiri: ſic tamen nõ fuiſſet ille poſitus in perfectionis ſtatu: niſi Chriſtũ fuiſſet ſecutus per uotum perpetuę obediẽtiæ, aſtringendo ſe uoto ad illam temporalium abdicationem, modo, quo Apoſtoli fecerunt. Sic virgo, vel vidua ſeruando continentiam, non ponitur in perfectionis ſtatu, niſi per uoti perpetuam obligationem. Matth. 19.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ virgines ſeruantes continentiam ſine voto præferuntur coniugatis in perfectionis opere, ſed non in perfectionis ſtatu: Vel in perfectionis actu, ſed non in perfectionis poteſtate. Planum eſt enim, ꝙ virginitas perfectius opus eſt, quàm matrimonium. Ex quo tamẽ in virginibus non adimitur poteſtas nubendi, non eſt ibi excellus ſtatus, quantum ad poteſtatem, ſed ſolum quantum ad actum.

Et per hoc patet reſponſio ad tertium, quia Apoſtolus accipit ibi bonum, & melius, quantum ad actum, non quantum ad poteſtatem.

ARTICVLVS II.

VTRVM VIRGINITAS VOTO promiſſa fuerit maioris meriti in Virginibus, quàm ſine voto.

B. Thomas 2. 2. q. 88. art. 6. opuſculo 17. cap. 12. & opuſc. 18. cap. 3.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ virginitas voto promiſſa nõ fuerit maioris meriti in Virginibus, quàm ſine voto, quia Virginibus fatuis clauſa eſt ianua Matth. 25. Sed ſolemnizare votum videtur pertinere ad fatuas virgines, cum in hoc requiratur hominum teſtimonium, & famæ gloria.

A 2 Præterea: Virginitas Luciæ, & Ceciliæ magni meriti fuit: in tantum, ꝙ virginitas in eis fecit Martyrium magis, quàm Martyrium virginitatem, vt dicit Ambroſius in libro de virginitate. Sed earum virginitas nõ fuit voto ſolemnizata Ergo ad rationem meriti virginitatis nõ requiritur, ꝙ ſit voto ſeruata.

3 Pręterea: Vt opus ſit meritorium, requiritur, ꝙ ſit voluntarium, & ſecretum. vt (dicente Saluatore) neſciat ſiniſtra, quid faciat dextra. Maioris ergo meriti eſt, virginitatem ſeruare ſine voto, quàm cum voto. Mar. 6.

IN CONTRARIVM eſt Auguſtinus ſuper illo verbo Pſal. Vouete, & reddite Domino Deo veſtro. In pſal. 75.

B

RESOLVTIO.

Virginitas voto promiſſa propter maiorem conatũ, maiorem oblationem, & propter firmam obſeruationem in Virginibus maioris meriti, quàm ſine voto fuit.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ vna operatio poteſt eſſe magis meritoria, quàm alia, propter tria. Primo ſi fiat cum maiori conatu, & cum ardentiori promiſſione. Cum enim operatio non ſit meritoria, niſi quia voluntaria; quanto plus in operatione eſt de conatu, & de auiditate voluntatis: tanto magis eſt meritoria. Ideo namq; dilectio Mariæ magdalenæ multum fuit meritoria, quia multum fuit de conatu, & de auiditate voluntatis. Secundo ſi fiat cum maiori oblatione. Nam cæteris paribus, plus meretur qui offert Deo duo, quàm vnum. Tertio ſi fiat cum firmiori obſeruatione. Secundum enim Auguſtinum, non inchoaſſe, ſed perfeciſſe, eſt opus perfectæ virtutis. Propter iſta ergo tria poſſumus dicere, ꝙ virginitas cum voto eſt magis meritoria, quã ſine voto. Primo, quia eſt cum maiori conatu, & cũ ardentiori promiſſione. Eſt enim votum promiſſio ſpontanea, & voluntaria facta Deo. Igitur virginitas ſeruata cum voto eſt promiſſa, & dedicata Deo cum toto conatu, & libera voluntatis operatione. quia vouere libera operatio eſt voluntatis. & hinc eſt, quòd qui non ſunt ſui iuris, vouere non poſſunt. Secundo, quia eſt cum maiori oblatione. Nam vouens, & ſeruans virginitatem duo offert Deo: ſcilicet voluntatem, & opus. Seruans vero ſine voto ſolum offert vnum, puta opus. Sicut ergo plus meruit Petrus, qui dimiſit omnia, & ſecutus eſt Chriſtum, quàm Socrates Philoſophus, qui ſolum temporalia dimiſit. vel alius, qui dimitteret diuitias, & Chriſtum non ſequeretur. Sic plus meretur virgo virginitatem ſeruãs cum voto, quàm ſine voto. quia offert Deo arborem, & fructum. Seruans vero ſine uoto, ſolum offert fructum. Tertio, quia ſit cum perpetua, & firma obſeruatione. Nam ſeruans virginitatem ſine voto, poteſt reſilire à propoſito, quando vult; ſed vouentibus virginitatem, & ſeruantibus ipſam, cum voto nõ ſolum nubere, ſed velle nubere eſt damnabile, vt dicit Hieronymus, & ponitur. 17. quæſt. 1. c. Vouentibus.

Margin notes: Votũ quid ſit. — Vouere qui nõ poſſint.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd fatua virgo dicitur illa, vel ille, quæ ſic deſiderat famari, & laudari apud alios, vt teſtimoniũ aliorum præferat teſtimonio Dei, & teſtimonio conſcientiæ ſuæ de continentia, vel de quocumque alio bono opere, q̃d facit. Talis enim non portat oleum ſecum: quia gaudium boni operis totum habet in teſtimonio aliorũ; non in conſcientia ſua referendo in Deum. De quibus dicitur Ioan. 12. ꝙ dilexerunt gloriam hominũ magis, quàm Dei. Vnde fatua virgo non nũcupatur, propter voti ſolemnitatem: Sed magis propter conſcientiæ, & intentionis vanitatem, cum ipſa virginitas non ordinatur, nec ſeruatur propter finem debitum.

F

AD ſecundum eſt dicendum, quòd quamuis votum Luciæ, & Ceciliæ, & multarum virginum, nõ fuerit ſolemnizatum per habitus ſuſceptionem, vel conſcriptionem, ſeu per alia, quæ accidentaliter ſe habent ad votum; fuit tamen voluntate firmatum. Nõ eſt enim aliud votum (quod quantum ad Deum habet vim obligandi) niſi mentis conceptio voluntate firmata. Vnde dictum eſt Luciæ per Agatham de tali voto conſcientię: Iucundũ Deo in tua virginitate habitaculum præparaſti. Et ſic intelligendum eſt de voto Ceciliæ, & aliarum virginum.

De ſermone Domini in monte. Lib. 2. c. 4. Tomo 4.

AD tertium eſt dicendum, quòd Auguſtinus in triplicem modum dicendi recitat de occultatione boni operis, qua præcipitur, vt neſciat ſiniſtra, quid faciat dextra. Primus eſt, vt per ſiniſtram intelligatur infidelis, & per dexteram fidelis. Vt ſit ſenſus, quòd opus bonum factum per fidelem, debet latere infidelem. Hunc autem modum reprobat: quia tunc nulla culpa eſſet de bono opere, velle placere fidelibus, ſed ſolum infidelibus, quod eſt falſum. Secundus eſt, vt per ſiniſtram intelligatur inimicus: ita, vt cum quis facit bonum opus, ſic debet occultare, vt eius inimicus neſciat. Et hunc ſimiliter reprobat: quia Chriſtus coram Iudæis inimicis eius circumſtãtibus miſericorditer ſanauit homines. Tertius eſt, vt per ſiniſtram intelligatur vxor, & per dextrã vir: vt quia vxor communiter cupidior eſt viro in faciendo Eleemoſynam. quoniam quando Eleemoſynam homo vult facere, vel aliquod bonũ opus, debet occultare, ne vxor eius ſciat propter domeſticam pacẽ habendam, & hunc modum reprobat. quia præceptum de faciendo Eleemoſynam, & quodlibet bonũ opus datur communiter viro, & vxori. Eſt ergo modus intelligendi verus, vt per dexteram intelligatur recta intentio: quæ numquam debet miſceri ſiniſtræ per humanæ laudis appetitionẽ: ſed ſemper referri in Deum per conſcientiæ terminationem tamquam in finem.

G

H

E

ARTICVLVS III.

VTRVM LICEAT VIRGINI interficere corruptorem violenter eam corrumpere volentem.

B. Thomas 2. 2. q. 64. art. 7. & lib. 4. ſent. diſt. 25 q. 2. art. 2. quæſt. 2. ad 2. & 3. & Syluester in ſumma verbo: Virginitas.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ virgini corruptorẽ volentem ipſam violenter corrumpere liceat interficere. Quia de duobus malis ſemper minus malum eſt eligendum, vt ſcribitur auctoritate Greg. xiii. diſt. cap. Nerui teſticulorum. ſed minus malum eſt committere homicidium, quàm virginitatem perdere: cũ virginitas ſit conſilij, & ſupererogationis opus: quod præfertur cuicumque bono, quod ſub præcepto ponitur.

2 Præterea: Licet occidere hominem pro conſeruatione vitæ corporalis: ſi ſimul cum vita volentis occidere ſeruari non poteſt. Ergo multo magis licet hominem occidere pro conſeruatione virginitatis. quia temporalia ſunt bona minima: corporalia vero bona media. virtutes vero, & bona ſpiritualia ſunt bona maxima, vt dicit Aug. 2. libro de libero arbitrio cap. 19. Tomo 1.

3 Præterea: Sicut anima viuificatur à Deo per dona ſpiritualia in ſpirituali vita: ſic corpus viuificatur vita corporali. ſed non tenetur quis vitam ſuam ſpiritualem perdere pro proximi corporali, & naturali vita ſeruanda. Ergo citius debet virgo perimere vitã ſui corruptoris corporalem, quàm ſuam ſpiritualem perdere, amittendo virginitatem.

IN CONTRARIVM eſt, quia maius malum eſt homicidium, quàm fornicatio. ſed pro nullo bono conſeruando licet homicidium perpetrare.

RESOLVTIO.

Virgini nec ſe, nec corruptorem violenter eam corrumpere volentem interficere licet. Virginitas enim, mentis integritate ſeruata, auferri non poteſt: & propter malum euitandum incertum, certum committi non debet.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ iſtã quæſtionẽ determinat Auguſt. 1. de ciuit. Dei capit. 18. vbi primo aſſignat rationem, quare nõ licet pro ſeruanda pudicitia, nec ſe, nec alium occidere. Secundo ſoluit obiectionem poſſibilem fieri in contrarium. Ratio ſua eſt iſta: Supponit enim, ꝙ continentia, & virginitas cõſiſtit in integritate mentis, non carnis, niſi materialiter ſolum: & pertinet præcipue ad bona animę, quę nobis nolentibus auferri non poſſunt. Nam ſi nobis nolentibus poſſet auferri: iam non eſſet virtus animi ipſa pudicitia: nec contineretur inter bona animæ, ſed bona corporis. Tunc ſic arguit Tomo 5.

guit: Pro illa re, quæ ſine conſenſu meo mihi auferri non poteſt: & quæ ſine detrimento animæ, immo cum magno lucro animæ per violẽtiam tolli poteſt, non licet mihi occidere hominem volentem ipſam auferre: ſed talis res eſt ipſa pudicitia, & virginitas, vel continentia, quæ ſine conſenſu mentis à nobis auferri non poteſt, & abſque omni detrimento animæ: immo cum magno lucro animæ poteſt tolli: eo quòd cum immunditiæ carnalium concupiſcentiarum non cedit animus, corpus ſanctificatur, quantumcumque violenter ſit oppreſſum, nec violentia libidinis alienæ poteſt tollere virginitatem, vel ſanctitatem, quam conſeruat perſeuerantia propriæ continentiæ. Ergo nec timore amittendi bonũ mentis, quod eſt incertum: nec timore amittendi bonum carnis, quàmuis hoc ſit certum, licet virgini ſeipſam, vel aliquem alium occidere. Secundo

B

Lib. 1. de Ciu. Dei. Auguſtinus, cap. 25. Soluit obiectionem poſſibilẽ ſibi fieri. Poſſet enim aliquis ſic obijcere: Timendũ eſt, & cauẽdum, ne libidini hoſtili ſubditum corpus illecebriſſima voluptate animum alliciat conſentire peccato. proinde non iam propter alienum, ſed propter ſuum peccatum ante quàm virgo cõmittat, debet ſe, vel ſuum corruptorem occidere. Ad quod reſpondet Auguſtinus tripliciter. Primo ſic: Si hoc eſſet licitum, vt propter futurum peccatum vitandũ deberet homo ſe, vel alterũ occidere; horrãdi eſſent homines ſtatim cum baptizati ſunt, vt ſeipſos occiderẽt, quia tunc eſt tempus cauendi omnia futura peccata, cũ ſint omnia præterita deleta. Quod ſi hoc non licet, nec illud. Secũdo ſic: Magis eſt ſubiectus

C

animus virginis timentis corruptorem Deo, eiuſq; ſapientiæ, quàm corporis concupiſcentiæ ſuæ, vel alienæ. Ergo magis debet confidere, ne animus eius conſentiat libidini carnis ſuæ ex concitatione libidinis alienæ, quàm diffidere. Tertio ſic: Satius eſt incertum de futuro adulterium committere, quàm certum de præſenti homicidium. Ergo nũ debemus nunc peccare, ne fortè poſtea peccemus: nec nunc perpetremus homicidium, ne fortè poſtea incidamus in adulterium.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, q; dictum Gregorij intelligitur in eo caſu, quando vtrumque malum eſt præſens, & in actu eligendi. Tunc enim minus malum eſſe eligendum propter vitationẽ maioris mali, planum eſt: ſed quãdo vnum eſt præſens, & reliquum futurum; cum illud, quod futurum eſt, non ſit; non ſunt facienda mala (ſecundum Apoſtoli ſententiam ad Rom. 3.) vt eueniant bona, vel vt euitentur mala, quæ nondum ſunt.

D

Ad ſecundum eſt dicendum, q; quàmuis vita naturalis, vel corporalis minus bonum ſit, quàm virginitas: non tamen poteſt vita corporalis ſeruari ſolo conſenſu mentis, ſicut ipſa virginitas, ideo non eſt ſimilis ratio.

Ad tertium eſt dicendum eodem modo, quòd vita ſpiritualis animæ, per donum virginitatis poteſt ſaluari in conſenſu mentis: etiam in oppreſſo

A

corpore. Et dato, quòd aliquod detrimentum pateretur, vel de ipſo detrimento timeretur, pœnitendo tamen, poteſt ſaluari. Dicit enim Auguſtinus, q; ſatius eſt flagitium committere, quod pœnitendo ſanetur: quàm tale facinus committere, vbi locus ſalubris pœnitentiæ non relinquitur. Lib. 1. de Ciu. Dei c. 25.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM VIRGINES CORruptæ à Barbaris perdiderint aureolã.

Videantur doctores Scholaſtici, lib. 4. ſent. diſtin. 49. & ibi Sotus q. 5. art. 1. & ſeq. & Tablenſis in ſumma verbo: Aurea.

B

AD quartũ ſic proceditur. Videtur enim, quòd Virgines corruptæ à Barbaris perdiderint aureolã. Dicit enim Hieronymus: Cum omnia Deus poſſit: non poteſt Virginem ſuſcitare poſt ruinam: valet quidem liberare de pœna: ſed non valet coronare corruptam. Epiſt. 22. ad Euſt.

2 Præterea: Virginitas eſt integritas carnis, dicẽte Auguſtino in libro de Virginitate: Virginitas eſt cõtinentia, qua integritas carnis ipſi Creatori animæ, & corporis vouetur, & conſecratur. Corrupta ergo carne, non erit amplius virgo: nec in numero virginum computanda. Tomo 6. cap. 8.

C

3 Præterea: Auguſtinus dicit lib. 1. de Ciuitate Dei, Ideo Deum permiſiſſe Virgines Chriſtianas à Barbaris violenter deflorari: ne de bono virginitatis, ſeu viduitatis ſuperbirent: & dato, quod de tali bono cor inflatum tunc non haberent, tamen hoſtilem violentiam in carne perpeſſæ ſunt. quia habebant aliquid latentis infirmitatis, quo poterant in ſuperbiæ faſtum extolli, ſi hanc humilitatem in vaſtatione illa euaſiſſent. Videtur ergo, q; virginitatis coronam amiſerunt. Tomo 1. cap 28.

In contrarium eſt, quod dicit Ambroſius, & ponitur 32. qũne 5. cap. Tolerabilius. Tolerabilius eſt, Virginem caſtam mentẽ habere, quàm carnem: vtrumque bonum eſt, ſi licet: ſi autem nõ licet, ſaltem non homini caſtiſſimus, ſed Deo. Et Lucia dixit Paſcaſio: Si me inuitam feceris violari, virginitas mihi duplicabitur ad coronam.

D

RESOLVTIO.

Virgines à Barbaris corruptæ, nullo vnquàm præſtito conſenſu aureolam non perdiderunt: ſi autẽ poſt violentam corruptionem voluptuoſa delectationi aſſenſum præbuerint, eam ratam habentes, irrecuperabiliter aureolam perdiderunt: ſed violenter corruptæ non in factam corruptionem, ſed in faciendam cõſenſerint, pœnitentes aureolam recuperare poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, q; Victorianus Presbyter iſtam quæſtionẽ fecit Aug. quid ſentiendũ eſſet de virginibus defloratis à Barbaris. Ad Epiſt. 122. Tomo 2.

Rr 2 quam

quam ſic reſpondet: Si ipſarum animus nulla conſenſionis turpitudine fuit maculatus: tota illa libido facientis fuit culpa: non patientis. Atque omnis illa violentia non pro corruptionis turpitudine, ſed pro paſſionis vulnere eis deputabitur: quia tantum valet in mente integritas, vt illa inuiolata, nec in corpore poſſit pudicitia violari, cuius membra potuerunt ſeparari. Si autem ſit dubium de ipſarum conſenſu, poſt illam violentam corruptionem, ratam ipſam habendo, & conſentiendo per voluptuoſam delectationem; puto quòd † aureolam perdiderunt irrecuperabiliter: quia conſenſus in rem illam iam factam non poteſt recuperari, nec ex toto de ipſo pœnitere. Et dico ex toto: quia bene potuerũt pœnitere, quòd ille conſenſus, vel ratihabitio non imputaretur eis ad æternam pœnam: quantum tamen ad recuperationem aureolæ, vel illius præmij accidentalis, quod debetur virginibus, irrecuperabiliter perdiderunt. Si verò ſic violenter corruptæ poſtmodum conſenſerũt in aliquam corruptionem fiendam, non in illam iã factam; potuerunt, vt puto, de illo conſenſu pœnitere, non ſolum vt æternam pœnam tranſirent, verũ etiam, vt recuperarent aureolam, & præmium accidentale virginibus debitum: quia ratihabitio non in futurum, ſed retrotrahitur.

† Aureola quid ſit, q̃ eſt gaudiũ accidentale de bono exterio, vel opere bono exteri' facto: & cur ſic dicta: Vide Aegid. Col. Rom. in 2. ſent. par. 2. d. 40. q. 1. ar. 2. pagina 605. col. 1. & 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMUM ergo eſt dicẽdum, quòd Hieronymus loquitur de perditione virginitatis per mẽtis conſenſionem, & carnis corruptionem, quæ non poſſunt reſuſcitari poſt ruinam, quãtum ad præmiũ illud accidentale virginitati debitum. Si vero loquatur de corruptione carnis violenter facta, intelligitur, ꝙ non poteſt reſuſcitari virgo, quòd non ſit facta talis corruptio: reſuſcitatur tamen, quòd illa corruptio ſibi nõ imputetur pro turpitudinis crimine, ſed pro paſſionis vulnere, vt dicit Auguſtinus. Quantum.n. ad rationem meriti magis debet dici corporis ſanctificatio, quàm corruptio.

AD ſecundũ eſt dicendum, ꝙ delectatio venerea, cui opponitur virginalis caſtitas, accidentaliter importat ſignaculi virginalis violationem: materialiter vero, ſeminũ commixtionem: ſed formaliter, ſolum voluntatis conſenſionem. Vnde conſenſu voluntatis non exiſtente, virginitas nunquã perditur. nec inuiolata pudicitia mentis amittitur: cum nec in corpore poſſit pudicitia violari: quamuis membra ſignaculi virginalis poſſint ſeparari.

AD tertium eſt dicendum, quòd non vult Auguſtinus illas virgines defloratas virginitatem amiſiſſe, ſi non affuit conſenſus mentis. Sed dicit, ideo Deum illam deflorationem in eis permiſiſſe, propter humilitatis conſeruationem. Vnde ſubdit inferius: Non ablata eſt in eis caſtitas, ſed humilitas perſuaſa: vt ſicut quædam morte rapiuntur, ne malitia mutet intellectum earum: ita aliquid ab illis virginibus raptum eſt, ne proſperitas mutaret earum modeſtiam. Sapien. 4.

QVAEST. XCVII. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERuata fuerit in Monachis manibus laborantibus.

NVNC videndum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Monachis manibus laborantibus. Circa quod quæruntur Sex.

Primo, Vtrum Monachi manibus laborantes fuerint in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum illa, quę acquiſierunt Monachi ex labore ipſorum, eis, vel Monaſterio fuerint acquiſita.

Tertio, Vtrum licitum fuerit, & ſit Monachis aliquod proprium habere.

Quarto, Vtrum Monachi viuẽtes in ſocietate fuerint in perfectiori ſtatu, quàm ſolitarij.

Quinto, Vtrum Monachorum vita quanto ſit arctior: tanto fuerit perfectior.

Sexto, Vtrum Monachis vniuerſaliter ex præcepto eſus carnium fuerit interdictus.

ARTICVLVS I.

VTR. MONACHI MANIBUS laborãtes fuerint in perfectionis ſtatu.

S. Thomas 2. 2. q. 187. art. 3. Et ibidem Caietanus.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi manibus laborantes non fuerint in perfectionis ſtatu. Quod enim non eſt opus conſilij, & ſupererogationis, nõ ponit hominem in perfectionis ſtatu: ſed laborare manibus non eſt opus cõſilij, & ſupererogationis, ſed magis iuxta præceptũ Apoſtoli 2. Theſſal. vltimo, videtur eſſe de dictamine legis naturæ: vt qui non laborat, non manducet.

2 Præterea: Nullum inuoluntarium pertinet ad perfectionis ſtatum; ſed laborem quilibet naturaliter reſpuit, & interdum contra voluntatem aſſumitur. Ergo non ponit aliquem in perfectionis ſtatu.

3 Præterea: Quod ingerit ſollicitudinem, & temporalium curam, non pertinet ad ſtatum perfectionis: ſed laborare manibus ingerit menti humanæ ſollicitudinem, & temporalium curam. Non ergo ſpectat ad ſtatum perfectionis.

In Contrarium eſt Gloſſa ſuper illo verbo Pſalmi: Labores manuum tuarum: quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit, dicit gloſa: Beatus es hic per gratiam, & benè tibi erit in futuro per gloriam. Pſal. 127.

RESOLVTIO.

Monachi manibus laborantes ad peccatum præcauendum, vel mortificandum, vel ad ocium fugiendũ, & ad victum acquirendum ſaltem conſeruatiuè in ſtatu perfectionis fuerunt.

Respondeo, dicendum, quòd laborem manuum facere ad perfectionis ſtatum in Monachis, vel in quibuſcunque alijs Religioſis, poteſt intelligi dupliciter: Vel ad ſtatus perfectionis conſecutionem: Vel ad ipſius perfectionis ſtatus conſeruationem. Primo modo planum eſt, ꝙ ſtatus perfectionis vitæ Apoſtolicæ non acquiritur, niſi per tria vota ſuperius nominata: quia per illa fit mutatio ſtatus de libertate in perpetuam Chriſti ſeruitutem in his, quæ ſunt ſupererogationis opera, ſecundum quem modum accipitur ſtatus 2. quæſt. 6. Cum in cauſa capitali, vel ſtatus, interpellatum fuerit: nõ per procuratores, ſed per ſeipſos appellantes, cauſam ſuam agere oportet. Vnde dicit Auguſtinus ſuper illo verbo Matthæi 19. Ecce nos reliquimus omnia; ait: De compunctione cordis procedit abrenunciatio, & contemptus omnium facultatum: de qua procreatur humilitas, & obedientia. De humilitate autem generatur mortificatio voluptatum, & de mortificatione voluptatum extirpantur, atque marceſcunt vniuerſa vitia. Ex quorum expulſione, & virtutũ pullulatione acquiritur puritas cordis, & Apoſtolicæ charitatis perfectio. Sed ſecundo modo planum eſt, quòd facit ad perfectionis ſtatus conſeruationem. ordinatur enim corporalis labor ſpecialiter ad quatuor.

Primo, ad peccatum præcauendum. Non enim eſt inflictus homini labor ad inducendam naturę triſtitiam, ſed ad expellendam ſuperadditam naturæ malitiam, vt dicit Damaſcenus.

Secundo, ad peccatum puniendum, vel mortificãdum. Dicit enim Auguſt. quòd non ſufficit ſolum corporale ieiunium ad acquirendam perfectæ caſtimonię puritatem, niſi præceſſerit contritio ſpiritus, & oratio, contra hunc immundiſſimum Spiritum perſeuerans, labor quoque & opus manuum inſtabiles cordis vagationes coercens, ac reuocans.

Tertio, ad otium fugiendum, quod potiſſimè habet locum in Monachis, vel in Religioſis ſolita- A rijs. Dicit enim Hieronymus: Certum eſt, neminem poſſe impugnationes ſolitudinis tolerare, niſi eum, qui proprijs manibus victum ſibimet fuerit parare contentus.

Quarto, ad victum proprium conquirendũ modo, quo fecit Apoſtolus Act. 20. Ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum ſunt, miniſtrauerunt manus iſtæ omnia.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendũ, ꝙ laborare manibus ex ſuperioris obedientia, & propter vitiorum mortificationem, & malarum tentationum expulſionem, perfectionis opus eſt: ſaltem conſeruatiuè: B quia habet hominem in perfectionis ſtatu conſeruare.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut Anſel. dicit in libro de ſimilitudinibus, cap. 81. & ſeq. Nihil obeſt Monacho, quantum ad meritum, cum ordinis difficultas cogit eum vigilare, laborare, iniurias multas pati. quia prima voluntas, qua ſe in Chriſti ſeruitutem tradidit, omnia illa ſibi meritoria fecit.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ non omnis ſollicitudo repugnat perfectionis ſtatui: ſed ſolum illa, quæ ſic terrenis curis inhęret, vt euoluat mentem à Dei amore. Vnde dicit Auguſtinus ſuper illo verbo: Nolite ſoliciti eſſe, quid manducetis, quòd non iſta prohibita ſunt Apoſtolis, vt non procurarent quantum neceſſitati ſatis eſt, vnde honeſtè viuere potuerunt; ſed ne propter iſta Euangelizarent, tamquàm propter finem. C De opere Monachorũ. cap. 26. Math. 6.

ARTICVLVS II.

VTRVM ILLA, QVAE ACquiſierunt Monachi ex labore ipſorũ, eis, vel Monaſterio ſint acquiſita.

Vide gloſſam, & ibidem Turrecrem. & Doctores 18. q. 1. in ſumma: & Legiſtas in authentica, ingreſſi. C. de ſacroſan. Eccleſ.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ illa, quæ acquiſierunt Monachi ex labore ipſorũ, eis, & non Monaſterio ſint acquiſita. D Homo namque naturali debito, & ex præcepto Dei tenetur ſuſtentare Parentes. Quantumcumque ergo Monachus ſit aſtrictus Monaſterio per ingreſſum Religionis, & obligationis votum. quod acquiſiuit ex proprio labore, poterit erogare Parentibus in eorum ſuſtentationem.

2 Præterea: Quilibet debet ſuorum domeſticorũ curam habere, iuxta illud 1. Tim. 5. Qui ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidẽ negauit, & eſt infideli deterior. Sed contingit quandoq; Monachum apoſtatare, & vxorẽ capere, & filios generare. Poterit ergo acquiſita bona ex ſuo labore vxori, & filijs relinquere, & nõ aſſignare Monaſterio.

3 Prçterea: Propter inopiam,& paupertatem debitor non abſoluitur à debito: niſi forte ad tempus, quàmdiu adeſt impoſſibilitas reddendi. Ergo multo magis propter paupertatem Monaſterij Monachus non abſoluitur à debito Parentum, quin poſſit lucrum ſui laboris in Parentum ſuſtentationem conuertere.

IN CONTRARIVM eſt. quia donum eſt datio irredibilis: ſed Monachi ſe, & ſua donant Monaſterio. † Ergo quæ acquirunt, non eis, ſed Monaſterio acquiruntur.

† Authent. ingreſſi. C. de ſacr ſan. Eccleſ.

RESOLVTIO.

Monachus quicquid acquirit, Monaſterio acquiſitum eſſe, dicas licet.

† inſtitu. de his, quæ ſũt ſui, vel alieni iuris: & ff. eod. tit.

RESPONDEO, dicendum, quòd perſonarũ † quædam plene quo ad omnia ſunt ſui iuris. ſicut homo liber, & Paterfamilias, & tales poſſunt ſibi acquirere, & acquiſita retinere. Quædam vero plene ſunt iuris alieni: vt ſerui. Et tales nihil eis: ſed Dominis eorum poſſunt acquirere. Quædam vero partim ſunt ſui iuris: & partim alieni: vt qui ſunt de familia: ſicut vxor, & liberi. Et tales perſonæ partim ſibi, & partim alijs acquirũt. Vxor enim ex * paternalibus ſibi acquirit? Ex alijs autem ſaltem viro quo ad miniſtrationem. Similiter filius familias ſibi acquirit de caſtrenſi peculio, & quaſi, de alijs vero acquirit patri. Nunc autem eſt ita, ꝙ Monachus vel Religioſus totaliter eſt iuris alieni: tam quo ad ſeipſum, quam quo ad ſua. Quia vt dicit Autent. C. de ſacroſan. Eccleſia. Ingreſſi monaſteria, ſe, & ſua Deo dedicant. Ideo dicendum, quòd Monachi quæcumq; acquiſierunt, vel acquirunt ex laboribus ipſorum, vel quocumque iuſto alio titulo, non eis; ſed Monaſterio ſunt acquiſita.

* al Parapherna l.b' Parapher num enim dicitur à para i. iuxta: Et pherna i. dos. quaſi iuxta dotē. eſt enim qd datur præter dotem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM † ergo eſt dicendum, ꝙ homo tenetur ex præcepto Parẽtibus ſubuenire, ſi ſibi adeſt poſſibilitas. Vnde ex licentia Abbatis, vel ex aliqua libera adminiſtratione poteſt Parentibus ſubuenire de ſuo labore, & de his, quorum adminiſtrationem habet, tenetur. Aliter, ex quo de ſuo non habet, nec adeſt ſibi facultas aliunde acquirendi quod ſuum ſit abſoluitur ab executione præcepti per impotentiam.

† Videatur B. Thomas 2. 2. q. 189. art. 6.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd in tali caſu non poteſt relinquere vxori lucrum ſui laboris nec filijs. quia vxor illa non fuit vxor, ſed concubina. vnde erat plene iuris ſui, non alieni. & filij non erant in poteſtate patris: cum non eſſent de legitimo thoro nati. totum ergo quod acquirunt Apoſtatæ, tenẽtur Monaſterio, vel Religioni aſſignare, cuius ſunt. Quod autem vxor, vel filij eorum acquiſierunt, eis tenentur relinquere.

AD tertium eſt dicendum, quòd non eſt ſimile. quia ille, qui manet in ſæculo, de paupere poteſt fieri diues: poteſt venire ad pinguiorem fortunam: Vnde non abſoluitur à redditione debiti ſimpliciter. ſed Monachus per introitum Religionis de cetero, qđ

E acquirit, Monaſterio acquirit, non ſibi. Vnde vniuerſaliter abſoluitur à debito Parentum: niſi de licentia Abbatis, vel de his, quorum adminiſtrationem habet, poſſit eis ſubuenire.

ARTICVLVS III.

VTR. LICITVM FVERIT, ET ſit Monachis habere aliquid propriũ.

Canoniſtæ in. cap. Cum ad Monaſterium. Extra de ſtatu Monach. & in cap. Epiſcopi. 12. q. 1. & B. Thomas 2. 2. q. 186. art. 3. Adde M. Ambroſium Beltr. Venetum de Voto paupertatis.

F AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd licitum fuerit, & ſit Monachis aliquod proprium habere. Beatus enim Benedict⁹ fuit Pater Monachorum, vt dicit Gregorius. 3. dialogorum. Sed ipſe dicit in Regula ſua capitulo De proprio: Monachus omnino nihil habeat, niſi quod Abbas dederit, vel conceſſerit. Ex Abbatis ergo diſpenſatione Monachus proprium habere poteſt.

2 Præterea: Non minoris perfectionis ſunt Epiſcopi, quàm Monachi. Sed Epiſcopi proprium habere poſſunt 12. quæſtione 1. capitulo, Epiſcopi de rebus proprijs. Ergo multo fortius licitum eſt Monachis propriom habere.

G 3 Præterea: Non eſt dicendum, quòd Monachi bonis patrimonialibus priuentur propter Religionis introitum. Sed talia numquam fuerunt Monaſterio acquiſita. Ergo talia Monachus poteſt ſicut propria retinere.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de ſta. Mona. capitulo, Cum ad Monaſterium. Prohibemus quoque diſtricte in virtute obedientię, ſub obteſtatione diuini iudicij, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat.

RESOLVTIO.

Monachis non licet ex Abbatis diſpenſatione proprium habere, quantum ad dominium: ſed quantum
H *ad vſum, diſpenſationem, vel adminiſtrationem.*

RESPONDEO, dicendum, quod aliqua ſunt ſub aliquo ſtatu Monachali, per quę Monachus eſſentialiter differt à ſæculari. Quædam vero ſunt accidentalia, per quæ à ſæculari Monachus accidentaliter differt. In primis ergo ſolus Papa poteſt diſpenſare, ſicut ſolus ipſe in caſu neceſſitatis poſſet de Monacho facere non Monachum. In alijs vero Abbati relinquitur diſpenſatio. Conſtat autem, ꝙ abdicatio proprietatis ſubſtantiale eſt monachatus, cum in hoc Monachus à ſęculari differat. Scribitur enim auctoritate Hieron. 12. quę 1. c. Duo ſunt. Duo ſunt genera Chriſtianorum: Vnum eſt diuino officio mancipatum, qui victu, & veſtitu contenti nullam

Papæ poteſtas.

inter

inter ſe proprietatem debent habere : ſed omnia communia. Aliud eſt, quod poſſidet iſta temporalia. In habendo ergo prop iū Abbas cū Monacho diſpēſare nullatenus poteſt. Vnde ſcribitur extra de ſta. Mona. capitulo ſupradicto † Nec æſtimet Abbas, ꝙ ſuper habenda proprietate poſſit cum Monacho diſpenſare : quia † abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis adeo eſt annexa regulæ Monachali, vt cōtra eam nec ſummus Pontifex poſſit indulgere licentiam. Quod verum eſt regulariter. Sed caſum neceſſitatis, nec lex diuina, nec humana in diſpenſando excludit.

† Cap. cum ad monaſterium.

† Hui° dicti explicatione vide etiā ſuperius q. 49. art. 2. ad arg.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd aliud eſt habere rei proprietatem, & dominationem. & aliud habere vſum, & diſpenſationem; vel adminiſtrationem. Monacho ergo prohibetur habere proprium primo modo. Vnde dicitur extra in illo capitulo: Cum ad Monaſterium: Monachus, qui proprietatem aliquam habere fuerit deprehenſus, regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur. Sed ſecundo modo Abbas poteſt concedere Monacho vſum librorum, & aliarum rerum: ſecundum quem modum intelligitur dictum beati Benedicti.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi † ſe nō obligant voto, vt proprium habere non poſſint, ſicut Monachi. Ideo ſimul cum perfectione ipſorum poteſt ſtare, habere proprium. quia abdicatio proprietatis non facit eſſentialiter ad perfectionis ſtatum, quamuis aliquo modo ſit perfectionis via.

† Videatur omnino B. Thomas 2. 2. q. 185. ar. 6.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Monachorum patrimonialia Monaſterio ſunt acquiſita poſt eorum ingreſſum. cum ingreſſi † Monaſterium, ſe, & ſua offerant, ſicut ſupradictum eſt.

† Authent. ingreſſi C. de ſacroſ. Eccleſ.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM MONACHI VIVENTES IN ſocietate fuerint in perfectiori ſtatu, quàm Solitarij.

B. Thomas 2. 2. q. 188. art. 8.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi viuentes in ſocietate fuerint in perfectiori ſtatu, quàm Solitarij. Status enim perfectio conſiſtit potiſſime in voto obedientiæ. Sed Monachi ſolitarij nō viuunt ſub obedientia alicuius. Tales enim Anachoritæ dicebantur, qui diuiſim in deſertis habitabant, vt Hieronymus † dicit. Alij autem, qui in ſocietate viuebant, Cœnobitæ appellabantur.

† Epiſt. 22.

2 Preterea: Status eſt imperfectus, quando periculis eſt expoſitus: Sed ſtatus ſolitudinis eſt periculis tentationum expoſitus. Dicit enim gloſa Geneſis 3. ꝙ Diabolus obſeruauit horam, qua mulierem ſo-
A litariam inuenit: quia cum viro exiſtente, non fuiſſet auſus eam tentare. Ex qua cauſa ſcribitur aucto ritate Hieronymi de conſecr. diſt. 5. c. Nunquam, ꝙ Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſque opere, & labore ſuſcipiant: non tam propter victus neceſſaria: quàm propter animæ ſalutem: ne vagetur pernicioſis cogitationibus.

3 Preterea: Status perfectio completur ex ſocietate Chriſti cum homine. Sed ſcribitur Matth. 18. Vbi fuerunt duo, vel tres cōgregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Maioris ergo perfectionis eſt Monachorum vita ſocialis, quàm ſolitaria.

IN CONTRARIVM eſt de beato Benedicto, & Antonio: qui fuerunt Monachorum Patres, qui vitam ſolitariam magis, quàm ſocialem elegerūt.
B Vnde Auguſtinus in libro de opere Monachorum, illos Monachos ſanctiores eſſe dicit, qui à conſpectu hominum ſeparati, nulli ad ſe præbent acceſſum.

RESOLVTIO.

Monachi in ſolitudine viuentes, mundum, & ſæculi tumultum, eiuſque voluptates fugientes in perfectiori ſtatu, quàm in ſocietate degentes ponuntur.

RESPONDEO dicendum, quòd vel loquimur de perfectionis ſtatu, vel de perfectionis opere. Vtroque autem modo ſolitaria vita maiorem perfectionem requirit, quàm ſocialis. Socialis namque vita eſt ſtatus volentium perfici ad inſtructionē in intellectu, per monitionem in affectu, & per correctionē
C in effectu, cum contingit à perfectionis via deuiare. Sed ſolitaria vita eſt perfectorum, & talium, qui nullo iſtorum indigeant. Solitarij enim aliorū conſortia ſpernentes, & ciuiliter, & ſocialiter non conuerſantes: neceſſario (vt Philoſophus dicit) vel ſunt vt beſtiæ, vel ſunt homine meliores. Vnde nō ſolū ſecundū Sanctorū, immo ſecundū Philoſophorū dogmata † ſolitariè, & virtuoſe viuere perfectorū eſt. Et magis tales debent dici quidam Dij, quam homines: vel tamquam ſupremi, & perfectiſſimi homines ſunt honorandi, & admirandi. Quanto ergo ſtatus perfectorum excedit ſtatum perficiendorum: tanto ſolitaria vita Monachorum excedit vitam Monachorū viuentium in ſocietate. Si uero loquamur de perfectionis opere, hoc idem patet. Opus enim ſolitariæ
D vitæ eſt contemplatio: ſocialis vero eſt actio. Planū eſt autem, ꝙ contemplatio præeminet actioni, & eſt opus magnæ perfectionis propter Chriſti exemplū imitandum. de quo ſcribitur Lucæ 6. ꝙ exijt in mōtem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Propter Chriſti auxilium impetrandum. Solitudo enim, vbi deeſt auxilium humanum, locus aptus eſt ad impetrandum diuinum. quia cum ignoramus quid agere debeamus, hoc ſolū habemus refugij, vt oculos noſtros dirigamus ad Deum, vt ſcribitur 2. Paral. 20. Et propter tumultum ſæculi fugiendum. Deſerens enim mundum, & tumultum ſæculi, & ſeparans ſe à iucunditate, & voluptatibus mundi, confortatur à Chriſto, dicit glo. Apocalypſis. 12. mulier fugit in ſolitudine.

Pol. lib. 1. cap. 2.

† Huic dicto idē Ariſtot. videtur aduerſari 1. Pol. c. 2. dicens: ſolitaria non eſt bonum, neq; malum. Sed gloſſa. ut .i. bonitate, & malitia ciuili. quia non eſt pars ciuitatis. Vide hanc. gloſſ. in 3. lib ſent. di. Aegid. Col. Rom. par. 2. d. 40. q. 5. art. 3. ad 5. arg.

Ad

Ad Argumenta.

E

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ qui ſunt perfecti, & traditi Chriſto in perpetuam ſeruitutem, habent quidem obediẽtiam ad Deum in operis executione, quantum verò ad alios, obedientiam habẽt in animi præparatione. In operatione verò non indigent alijs obedire per inſtructionem in intellectu, vel monitionem in affectu, vel per correctionem in effectu, cum præſupponantur iam perfecti, & fixũ animum habere in Dei amore. Vnde recitat Gregorius in dialogo de quodam Monacho, qui in catena ferrea pedem fixerat, ne liberum exitum haberet de cella: Cui B. Benedictus ſcripſit, Si Chriſti ſeruus es: non teneat te catena ferrea, ſed amor Dei.

Lib. 3 Dial. cap. 16.

Ad ſecundum eſt dicendũ, ꝙ viuentes vita ſolitaria, iam ſunt exercitati, & probati in periculis tentationum. Non enim tales (dicente Apoſtolo) ignorant cogitationes Satanæ. Vnde ad eos tentandum accedere Diabolus vehementer expaueſcit: modo, quo inimici multum timent aggredi illos milites, quos ſciunt eſſe exercitatos in bello. Vnde talibus tentatio non eſt ad periculum: ſed ad gaudium, vt ſcribitur Iacobi 1. Omne gaudium exiſtimate fratres cum in tentationes varias incideritis.

2. Cor. 2.

Ad tertium eſt dicendũ, quòd in ſolitudine viuenti, & Deum per amorem contemplanti Chriſtus ſe ſociat per mutuam dilectionem: modo, quo proximi ad inuicem ſociantur: quia qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. 1. Io. 4. Et per internam locutionem, & refectionem: iuxta illud Oſeę 2. Ego lactabo eam, & adducam eam in ſolitudinẽ, & loquar ad cor eius.

ARTICVLVS V.

VTR. MONACHORVM VITA quantò eſt arctior, tãtò ſit perfectior.

Videatur S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachorum vita quanto ſit arctior: tanto fuerit pfectior. Scribit enim Bern. in Epiſtola ad Flauiacenſes Monachos: Siquis de veſtris ad nos maioris perfectionis gratia, & arctioris vitæ deſiderio conuolauerit: non ſolum non cauſamur, ſi ei in tali ſtudio conſulitis: ſed multum precamur, vt hoc faciatis: nec offenſos nos conquereremur, ſed valde eſſe in hoc adiutos fatebimur. Idẽ ergo videtur, Monachorum vitam eſſe arctiorem, & perfectiorem.

Epiſt. 68.

H

2. Præterea: Non indulgetur tranſitus, niſi de imperfecto ad perfectum: ſed conceditur omnibus in ſe communi, vt ad arctiorem regulam poſſint tráſuolare, extra de tranſ. ad relig. capitulo, Licet. Ergo quanto Monachorum regula, & vita eſt arctior: tanto perfectior.

3. Præterea: Profitentibus regulam Beati Auguſtini conceditur licentia tranſuolandi ad regulã Beati Benedicti, tamquam ad arctiorem. Ergo tamquã ad perfectiorem: quia propter frugem ſanctioris, & perfectioris vitæ talis licentia indulgetur.

In Contrarium eſt. quia perfectio humanæ vitæ conſiſtit in abdicatione temporalium propter Chriſtum: ſed hæc perfectio magis viget in Religioſis mendicantibus, quàm Monachis. Ergo illorum Religio eſt perfectior, quàmuis ſit minus arcta.

RESOLVTIO.

F

Monachorum vita non quantò arctior, tantò perfectior dici debet. poteſt enim eſſe minoris perfectionis, quàm minus arcta, vt Chriſti exemplum, Apoſtolorum documentum, & præſentis Eccleſiæ experimentum docent.

Respondeo, dicendum, ꝙ iſta duo ſimul ſtant, Religionem eſſe arctiorem, & minoris perfectionis. Quod quantum ad præſens tripliciter oſtenditur. Primo, per Chriſti exemplum. Secũdo, per Apoſtolorum documentum. Tertio, per præſentis Eccleſiæ experimentum. Nulli namque Chriſtiano debet venire in dubium, ꝙ vlla regula, vel Religio arctior eſſe põt Religione Ioannis Baptiſtæ: de quo ſcribitur Matth. 3. ꝙ veſtimentum eius erat de pilis camelorum: eſca autẽ eius locuſtæ, & mel ſilueſtre. Super quo verbo dicit Hieronymus: Mirum erat, in humano corpore tantam aſperitatem vitæ conſpicere. Nec ꝙ aliqua Religio fuit perfectior Religione Chriſti: Vnde Matt. xj. dixit: Venit Ioannes Baptiſta non manducans, nec bibens: & dixiſtis, quia dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dixiſtis: Ecce homo vorax, & potator vini, & iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Super quo verbo dicit Auguſtinus, ꝙ ſancti Apoſtoli intellexerũt Regnum Dei non eſſe in eſca, & potu, ſed in æquanimitate tolerandi: quos nec copia ſubleuet, nec deprimat egeſtas. Religio ergo Chriſti fuit minus arcta, & maioris perfectionis. Secundo hoc patet per Apoſtolorum documentum. Tanta enim fuit perfectio vitæ Apoſtolicę, & Eccleſiæ primitiuæ: vt, cunctis poſſeſſionibus abdicatis, omnia haberẽt in communi, & pretia poſſeſſionum ad pedes Apoſtolorũ ponebantur. A qua perfectione defecerunt poſteriores: quia poſſeſſiones in communi reſeruabant. Expreſsè enim dicit August. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 6. Nullas Eccleſias gentium feciſſe, quod tempore Apoſtolorum factum eſt: & tamen Monaſteria ex gentibus conuerſis congregata poſſeſſiones in cõmuni ſeruãtia arctioris vitæ fuerunt, quàm Religio Apoſtolorum. Dicit enim Hieronymus in Epiſtola 22. ad Euſtochium. De cibo vero, & potu taceo, cum etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid comediſſe, luxuria ſit. Fuerunt ergo Monachi in primitiua Eccleſia arctioris vitæ, quàm Apoſtoli, & minoris tamen perfectionis: cũ per hoc, quòd poſſeſſiones in communi ſeruabant, Auguſtinus dicit eos à perfectione Apoſtolorum defeciſſe.

G

Tomo 3.

Tertio

Tertio hoc declaratur per præſentis Eccleſiæ experimentum. Communiter enim tenet Eccleſia Religionem Epiſcoporum perfectiorem eſſe omni alia Religione, tam Monachorum, quàm aliorum: & tamen experimentū docet, quòd quælibet Religio arctioris vitæ eſt, quàm Religio Epiſcoporum. Non ergo ſe concomitantur iſta: Religio quanto arctior, tātò perfectior. Poteſt enim maior perfectio eſſe cum minori arctitudine, & maior arctitudo cum minori perfectione.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Bernardus non loquitur de perfectione Religionis ſimpliciter: ſed de perfectione expediente illi Monacho, de quo loquebatur. Sūt enim Monachi, & alij Religioſi in ſtatu perficiendorum, non perfectorum, ſicut dicit Dionyſius 6. capitulo eccleſiaſticæ hierarchiæ: & ſunt in via acquirendi perfectionis ſtatum: ad cuius acquiſitionem aliqua perfectio inſtrumentaliter expedit vni, quæ non expedit alteri: vt ad reprimendas paſſiones arcta vita per abſtinentiam, & exercitiū laboris, & vigiliarum expediret moleſtatis ab huiuſmodi paſſionibus: quæ non expediret alteri, qui ex alio exercitio, vel ex diuinæ gratiæ auxilio huiuſmodi paſſiones iam viciſſet.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Eccleſia imitatur Chriſtum ſpōſum eius: qui nulli claudit viam ſalutis, ſed vnicuique concedit viam, quam credit ſibi magis expedire ad conſequendum ſuæ perfectionis ſtatū. Arctiorem ergo vitam concedit Religioſis exiſtentibus in latiori, non ꝙ credat Eccleſia tanto religionem eſſe perfectiorem, quanto arctiorem ſimpliciter: ſed credit arctiorem perfectiorem eſſe inſtrumentaliter, & ſecundum quid reſpectu illorum, qui per talem arctitudinem dicunt commodius ſe poſſe peruenire ad perfectionis ſtatum.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſicut nulla regula poteſt eſſe perfectior regula Apoſtolorum: ſic nulla regula poteſt eſſe perfectior Regula Beati Auguſtini, quæ non aliud eſſentialiter continet, quàm Apoſtolorum documenta. Profitentibus ergo Regulam Beati Auguſtini non conceditur licentia tranſuolandi ad Regulam Beati Benedicti, tanquā ad perfectiorem ſimpliciter: ſed tanquam ad exercitatiorem, & perfectiorem huic: eo enim ipſo, ꝙ arctior eſt in eſu carnium, & in alijs obſeruantijs: poteſt eſſe inſtrumentaliter magis via exercitandi ſe, vt perueniat ad perfectionis ſtatum. Corporalis tamen exercitatio non facit ad perfectionem ſimpliciter, quia ad modicum vtilis eſt: Pietas autem ad omnia valet, habens promiſſionē vitæ, quę nunc eſt, & futuræ 1. Timo. 4.

A

ARTICVLVS VI.

VTRVM MONACHIS VNIuerſaliter ex præcepto interdictus ſit eſus carnium.

S. Thomas quodlib. 1. q. 9. art. 20. & pleniſſimè Turrecrem. & alij Canoniſtæ in cap. Carnem. de conſec. diſt. 5. Adde Syluestrum in ſumma verbo: Religio. 7. quæſt. 14. Et Vide Armillam Tit. Monachus num. 13. Et Titu. Religio num. 12.

B

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachis vniuerſaliter ex præcepto eſus carniū ſit interdictus. Quod enim quis tenetur ſeruare ex voto: tenetur ex præcepto: Sed Monachi ex voto obligantur ad ſeruandam regulā Beati Benedicti: in qua continetur, ꝙ Monachi à carnibus abſtineant. Ex præcepto ergo eſus carnium Monachis interdicitur.

2 Præterea: Pœna carceris non debetur Monacho, niſi pro tranſgreſſione præcepti: ſed ſcribitur de conſe. di. 5. capitulo, Si quis Monachus violauerit, & contra ſanctionem regulę, vſumque veterum veſci carnibus præſumpſerit: ſex menſium ſpatio retruſioni, & pœnitentiæ ſubiacebit.

3 Præterea: Si non tenerentur Monachi ex præcepto abſtinere a carnibus, nullum ſcandalum, nec aliqua diſceptatio eſſet de eis magis, quàm de alijs Religioſis.

C

In Contrarium eſt: quia quod quis tenetur ex præcepto ſeruare, non diſpenſatur cum eo ex quocunque caſu: ſed cum Monacho diſpenſatur in eſu carnium, & potiſſimè circa ægrotos.

RESOLVTIO.

Monachus carnem comedens non faceret contra votum, niſi ex contemptu: nec faceret contra præceptum, ſed magis contra ſtatutum Regulę. cum Monacho enim in eſu carnium ab Abbate diſpenſari poteſt.

D

Respondeo, dicendum, ꝙ aliqui dicunt, Monachos ad aliqua teneri ex voto: vt non habere proprium, continentiam, & obedientiam ſeruare, & habitum Monachalem portare. Ad aliqua verò propter votum, vt abſtinere à carnibus, & omnia ſeruare, quæ in Regula Beati Benedicti præcipiūtur. Vnde dicunt, Monachum ad Epiſcopatum promotum veſci carnibus, non licere. Sed durum eſt, illa, quæ non ſunt mala, niſi quia prohibita, ſic reſtringere, vt animæ laqueo peccatorum ſæpe capiantur. Puto ergo aliter eſſe dicendum. Ex præcepto contento ſub voto, Monachis eſus carnium non eſt interdictus. Quod patet dupliciter. Primo ex modo profitendi. Nam quilibet Monachus, & Religioſus ex voto nō promittit ſeruare Regulam: ſed vouet obedientiam S. Thom. 2. 2. q. 85. q. 8.

dientiam ſecundum Regulam Benedicti, vel Auguſtini, aut aliorum: vnde ex voto obligantur ad ſeruanda illa, quæ ponuntur in regula, tamquàm præcepta, & quæ Prælatus ſecundum tenorem regulæ ſibi præcipere voluerit. Illa verò, quæ non continentur in Regula ſub præcepto, ſed vel vt monitiones, vel vt conſilia, vel vt ordinationes, vel ſtatuta: non cadunt talia directè ſub voto. Vnde Monachus ipſa prætermittens non facit contra præceptum. Abſtinere autem à carnibus, non ponitur in regula Beati Benedicti, vt præceptum, ſed magis vt ſtatutum quoddam. Ideo Monachus comedens carnes, puto quòd non faciat contra præceptum, ſed contra ſtatutum regulæ. Secundo hoc patet ex modo diſpenſandi. Si enim directè abſtinere à carnibus cõtineretur ſub voto Monachalis regulæ, & ſub præcepto: modo, quo continetur non poſſe habere proprium, tũc nec Abbas, nec Epiſcopus poſſet cum Monacho diſpenſare in eſu carnium: ſicut non poſſunt diſpenſare cũ eo de non habendo proprium, vt patet extra de ſtatu Monachorũ cap. Cum ad Monaſterium. quod patet eſſe falſum. Quia non ſolum, cum Monachus aſſumitur ad Epiſcopatum; immo cum aſſumitur per Abbatem, vel Epiſcopum ad regendam Eccleſiam ſęcularem, diſpenſatur cum eo in eſu carnium: cum

Carniũ eſus prohibitio i Regula B. Benedicti quõ intelligatur.

E ſecundum Auguſtinum † ad quamcumque Eccleſiã quiſquis venit, eius morem ſeruare tenetur, ſi cuiquã non vult eſſe ſcandalum, vt ponitur 12. diſt. cap. Illa. Quiſquis enim rebus prætereuntibus reſtrictius vtitur, quàm ſe habent mores eorum, cum quibus viuit: aut intemperatus eſt, aut ſuperſtitioſus, vt ponitur auctoritate Auguſt. 41. diſtinct.

† ad Ianuarium Epiſt. 118 & ponitur i cap. Illa. diſt. 12.

Cap. Quiſquis rebus.

Ad Argumenta.

A D P R I M V M ergo eſt dicendum, quòd Monachus comedens carnes non faceret contra votum; F niſi faceret ex contemptu inobedientiæ: quia obedientiam vouit, & Abbati obedire ſecundum regulã.

A D ſecundum eſt dicendum, ꝙ pœna illa infligitur Monacho contumaciter, & inobedienter carnes comedenti.

A D tertium eſt dicendũ, quòd ſcandalum, & diſceptatio pro tanto magis de Monachis, quàm de alijs Religioſis fit: quia eſus carnium prohibetur in Regula Benedicti: non autem prohibetur, in regulis aliorum Religioſorum. Profitentibus enim regulam Beati Auguſtini non prohibetur eſus carnium ex aliquo præcepto, vel ſtatuto regulæ: ſed ex quibuſdam conſtitutionibus, & ordinationibus ipſorum.

Carnium eſus in Regula B Patris Auguſt. quõ nõ prohibeatur.

QVAEST. XCVIII. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO

ſeruata fuerit in Monachis contemplationi vacantibus.

DEINDE videndum eſt, quomodo perfectio Apoſtolorum ſeruata eſt in Monachis contemplationi vacantibus. Circa quod quęruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi, eſſent in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi, eſſent in ſtatu magis ſecuro, quàm alij.

Tertio, Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi, eſſent in ſtatu magis meritorio.

Quarto, Vtrum Monachi vacantes contemplationi, eſſent in ſtatu magis vtili, & neceſſario.

ARTICVLVS I.

VTR. MONACHI INSISTENTES cõtemplationi ſint in pfectionis ſtatu.

De materia huius q̃onis, vide S. Thom. 2. 2. q̃. 188. art. 6. Et Syluestrum in ſumma verbo: Religio. 1. q. 4.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi inſiſtentes contemplationi non eſſent in perfectionis ſtatu. Perfectio namque ſtatus non acquiritur ſine charitate, iuxta illud 1. Corin. 13. Si habuero G omnem ſcientiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam: charitatem autem non habeam, nihil ſum. Sed contemplatio ſolum nominat ſcientiam, non charitatem. Conuenit enim contemplatio homini ſecundum illud, quod optimum eſt in ipſo, puta ſecũdum intellectum, ſecundũ ꝙ Philoſophus dicit. Ethic. 10. cap. 7.

2 Præterea: Illud magis facit ad perfectionis ſtatum, quod conuenit magis perfectis: ſed vita actiua conuenit Epiſcopis, quibus conuenit alios perficere. Magis ergo per actiuam vitam, quàm per cõtemplatiuam Monachi ſunt poſiti in perfectionis ſtatu.

3 Præterea: Perfectiori, & ſuperiori conuenit ordinare inferiores, & imperfectiores: ſed actiuis de Eccleſia conuenit ordinare de contemplatiuis. Magis H ergo contemplatiua, quàm actiua vita conuenit ad perfectionis ſtatum.

I N C O N T R A R I V M eſt Iſidorus lib. 3. de ſummo bono, cap. 21. Monachi, qui pro Dei amore ſęculo renunciant, & tamen curis rerum familiarium implicantur: quanto ſe earum ſtudijs occupant: tanto à charitate diuina ſe ſeparant.

RESOLVTIO.

Monachi contemplationi inſiſtentes in ſtatu perfectionis fuerunt per vitę huius ſeculi abdicationem, per acceſſionem ad Deum in ſpeculatione, & per ipſius Dei affectiuam contemplationem.

RE-

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſtatus perfectio in abnegatione hominis ſui ipſius propter Chriſtum conſiſtit. Ad quod, quantum ad præſens, tria requiruntur. Primo, mundialis vitæ abdicatio. non eſt enim aliud ſeipſum abnegare, niſi proprijs voluptatibus renunciare: Vt qui ſuperbus erat, fiat humilis. Qui * ſuperſtitioſus eſt, fiat māſuetus. Qui incontinens, fiat caſtus. Nam ſiquis ita renunciat omnibus, quæ poſſidet: vt ſuis non renunciet moribus: iam non eſt Chriſti diſcipulus, ſicut dicit Iſidorus de ſummo bono, cap. 18. Secundo requiritur ad Deum per ſpeculationem acceſſio. Non enim acceditur ad Deum paſſibus corporis: ſed mentis ſpeculationibus. In hoc enim diſtinguitur vita actiua à contemplatiua: quia actiua vita eſt innocentia bonorum operum: Contemplatiua verò eſt ſpeculatio ſupernorum. Vnde illa eſt communis multorum. Iſta verò paucorum, vt Iſidorus dicit. Tertio requiritur ipſius Dei per amorem contemplatio. Videtur enim Grego. ſuper Ezechielem Homil. 3. diſtinguere inter ſpeculationem puram, & contemplationem. Exponens enim illud verbum Ezechielis 1. Quatuor facies vni, & quatuor pennæ alteri; dicit quòd facies ad fidei ſpeculationem pertinet: penna verò ad contemplationem, Videtur enim contemplatio importare ſpeculationem, non cuiuſque cognitionis: ſed talis, quæ cū hoc, quod eſt illuminatiua intellectus: ſimul eſt inflammatiua, & accenſiua affectus. Secundum quem modum Auguſtinus accipit contemplationem 1. de Trinitate capitulo 8. vbi dicit, ꝙ contemplatio, quæ nobis promittitur, finis eſt omnium actionum noſtrarum. Et ibidem ſubdit, ꝙ contemplatio eſt merces fidei, & per conſequens merces puræ ſpeculationis tenentis ſe ex parte intellectus. Iſta autem tria, mundialis vitæ abdicatio: ad ipſum Deū per ſpeculationem acceſſio: & ipſius Dei per amorem contemplatio, ſic ſe habent, quòd prima duo non faciunt ad perfectionis ſtatum ſine tertio: quia primum poteſt eſſe ſuperſtitioſorum, qui dicunt corpori non eſſe parcendum ad ſaturitatem, vt alios guloſos appellent, & de honore aliquo non curandum, vt alios dicant ſuperbos, vt Apoſtolus dicit Coloſ. 2. Ad Deum verò per ſpeculationem acceſſio, quod erat ſecundum, poteſt eſſe Philoſophorū: qui per puram ſpeculationem ad Deum accedentes multas veritates de ipſo tradiderunt. Sed tertium, ipſius Dei per amorem contemplatio, non eſt niſi Sanctorum, & perfectorum. Vnde dicendum, ꝙ Monachi contemplationi inſiſtentes fuerunt in perfectionis ſtatu.

* al. ſuperciliosus.

Dicti Ezechielis expoſitio.

Tomo 3.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ contēplatio ratione ſpeculationis tenet ſe ex parte intellectus, cuius formaliter eſt ſpeculari, & cognoſcere: ſed vt illa ſpeculatio eſt à Deo inſpirata dono charitatis, quod ſe tenet ex parte voluntatis imperatiuè, & effectiuè, habet ipſam ſpeculationem inflammare: & finaliter habet ipſam terminare: quia omnis cognitio nobis à Deo inſpirata terminatur ad amorē, dicente Apoſtolo: Finis præcepti charitas. & talis contemplatio, quæ continet ſpeculationem diuino amore inflammatam, & ad charitatem Dei, & proximi finaliter terminatam, eſt, quæ ponit hominem in perfectionis ſtatu.

1. Tim. 1.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Epiſcopis magis conuenit vita contemplatiua, quàm actiua, vt Gregorius dicit in Paſtorali, ꝙ Epiſcopus præcipuè in contemplatione debeat eſſe ſuſpenſus: Si interdū tamen aliquod detrimentum patitur contemplationis propter adminiſtrationem vitæ actiuæ ad ſalutē proximorum; hoc ipſum pertinet ad perfectiorem charitatem, & per conſequens magis facit ad perfectionis ſtatum.

2. par. c. 5.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ actiuorum de Eccleſia eſt ordinare de contemplatiuis, quantum ad illa, quæ ſubſeruiunt vitæ contemplatiuæ: per modū diſpoſitionis prouidendo neceſſaria. Iſtud autem non arguit maiorem perfectionem: ſed potius ſubiectionem.

ARTICVLVS II.

VTRVM MONACHI CONtemplatiui fuerint in ſtatu magis ſecuro, quàm alij.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi contemplatiui non fuerint in ſtatu magis ſecuro, quàm alij. Dicit .n. gloſſa ſuper illo verbo Tren. 4. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij, ꝙ chori Monachorum, & Virginum, qui ſemper debent in conſpectu Dei per contemplationem inſiſtere, in capite platearum planguntur. quia, dum ipſi Monachi implicantur temporalibus negocijs; virginum caſtitas exponitur illecebris: & lapides ſanctuarij diſperguntur. Non videtur ergo eſſe ſecura vita contemplatiuorū.

2 Præterea: Iſidorus dicit de ſummo bono lib. 3. cap. 15. Quòd Monachi, qui adhuc temporalem gloriam, aut carnalem affectant concupiſcentiam, à contemplatione prohibendi ſunt. Sed pauci, vel nulli ſunt, qui à mundi gloria, & carnis concupiſcentia ſint ſemoti: ergo propter periculum, à contemplatione prohibendi ſunt.

3 Præterea: Scribitur primo Metaphy. quòd natura humana eſt multipliciter ſerua, & multis indiget ad ſui perfectionem. Sed vita contemplatiua eſt deſtituta auxilijs, & ſuffragijs aliorum. Ergo eſt magis periculoſa, & minus ſecura.

Ariſt. 1. Metaph. cap. 2. circa medium.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de renunc. cap. Niſi cum pridem. Vita contemplatiua, quàmuis ſit magis ſecura, non eſt tamen ſic fructuoſa, & vtilis, ſicut actiua.

RESOLVTIO.

Monachi perfecti ſunt magis, quàm alij in vita cōtemplatiua ſecuri. Perficiendi non item, ſed in vita actiua.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ perfectis contamplatiua vita eſt magis ſecura: perficiendis verò ſecurior videtur eſſe vita actiua. Primum, quátum ad præſens, tripliciter probatur.

Primo ex parte contemplantis.

Secundo ex parte Dei reuelantis.

Tertio ex parte eius, quod contamplatur.

Dicit enim Damaſcen. 2. lib. cap. xj. Quod contemplatio ſecura, & bona eſt illis qui non timent caſum, & qui non ex tempora ſubito ante vitiorũ mortificationem in habitum cõtemplationis deuenerũt. Perfectis ergo, & in diuina contemplatione ambulantibus ſecura eſt contemplatio. Imperfectis verò, & minoribus, & adhuc concupiſcentia auidioribus, vel caſum timentibus, vt dicit, non eſt bona, nec ſecura.

Secundo hoc patet ex parte Dei reuelantis. Contemplationem enim Deus non reuelat, vel illa, quæ ſunt perfectionis ſtatus, niſi homini iam præparato montem aſcẽdere. *Exodi. 25.* Non enim Deus docuit Moyſen, qualiter tabernaculum fœderis eſſet conſtruendum, niſi in monte. Ex quo datur intelligi, vt Ricardus dicit in lib. da contemplatione, par. 1. cap. 83. Quòd ſtatus perfectionem, qui per tabernaculum fœderis intelligitur, ille iam eſt adeptus, qui montem aſcendit, qui diligenter attendit, qui diutius quærit, qui tandem inuenit, qui ex diuina reuelatione iã cognoſcit, quale ædificium ſit Deo præparandum, & quibus obſequijs Deum placare oporteat, quod non conuanit niſi perfectis.

G Tertio hoc patet ex parte eius, quod contemplatur. Duo enim ſunt genera contemplationum, ſicut Ricardus docet in libro de contemplationa, par. 1. cap. 86. Vnum eſt ſupra rationem, ſed non præter rationem: quia quàmuis ratio illa patiatur: nulla tamen poſſunt humana ratione inueſtigari, vel conuinci. Aliud eſt ſupra rationem, & prætar rationẽ, cui omnis humana ratio contraire videtur, ſicut quę ſunt de Trinitatis vnitate, & de corpora Chriſti. ꝙ idem ſimul, & ſamel ſit in diuerſis locis: & ſic aſt præter omnem humanam rationem, vt numquàm eis ratio acquieſceret, niſi ad huiuſmodi rei certitudinem fides ipſam ſubleuarat. Vnde contemplatio talium ſecura non conuenit, niſi perfectis: quia, vt dicit Gregorius lib. 6. Mor. cap. 17. Nonnulli, dum plus contemplandum, quàm capere poſſint, axquirunt, vſque ad peruerſa dogmata erumpunt: & dũ H veritatis Diſcipuli eſſe humiliter negligunt, Magiſtri errorum fiunt. Perficiendis verò ſecurior eſt vita actiua. Vnda dicit Iſidorus de ſummo bono lib. & cap. vt ſupra. Quòd in vita actiua prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda ſunt vitia: vt in illa iam pura mentis acia ad cõtemplandum Deũ quiſque pertranſeat. quia licet conuerſus ſtatim ad contemplationem cõſcendere cupiat: tamẽ ratione cogitur, vt prius in actiua vita exercitatione verſetur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM igitur eſt dicendum, quòd illa gloſſa intelligitur de illis Monachis, qui non prę- E exercitati per mortificationem vitiorum contemplationem concupiſcunt: qui, ſuperuenientibus tentationibus, retro abeunt, negotijs temporalibus ſe implicantes. Non eſt enim (vt illa gloſsa dicit) vitæ ſęcularis actio, quam nunc non adminiſtrent Monachi, & miniſtri altaris.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Iſidorus loquitur da Monachis perficiẽdis, non perfectis. Perficiendis enim, planum eſt, ꝙ vita actiua ſecurior eſt per exercitium bonorum operum, & mortificationem vitiorum. quia vtrumque ſimul, terrenis curis parere, & diuinis vacare, complecti non valent, eo quòd duas curas pariter non poſſe ſimul ineſſe humano pectori ſententia Saluatoris teſtatur dicẽs: Non poteſtis duobus dominis ſeruire. *Matth. 6.*

F AD tertium eſt dicendum, quòd in ſtatu perfectionis acquirendæ natura humana multipliciter eſt ſerua: quia multis indiget ad prohibendum ratractiua, & ad prouocandum inductiua: ſed in ſtatu perfectionis iam acquiſitæ natura humana paucis contenta eſt.

ARTICVLVS III.

VTR. MONACHI INSISTENtes contemplationi ſint in ſtatu magis meritorio.

G AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi inſiſtentas contemplationi nõ eſſent in ſtatu magis meritorio: Meritum namque hominis conſiſtit in liberara innocentes de manibus Tyrannorum, in quorum perſona dicebat Iob: Conterabam molas iniqui, & da dẽtibus illius auferebam prædã. *Iob 29.* Sed hoc fit magis per vitam actiuam, quàm contemplatiuam. Dicit enim Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum, & habetur 2. q. 7. ꝙ ſancta quippe ſimplicitas ſolum ſibi prodeſt, & quanto plus ædificat Eccleſiam Dei ex vitæ merito: tanto plus nocet, ſi contradicentibus non reſiſtit.

2 Præterea: Magnitudo meriti cõſiſtit in magnitudine conatus: cum vincitur magnum incitamentum peccati: vnde in laudam iuſti uiri dicitur Eccla H ſiaſtici 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus: facera mala, & non fecit. Sed talis magnitudo conatus magis eſt in vita actiua, quàm in contemplatiua.

3 Præterea: Gregorius dicit ſuper Ezechielem, ꝙ nullum ſacrificium eſt Deo magis acceptum, quàm zelus animarum. *Hom. 12.* Sed animarũ zelus operando quæ ſunt ad vtilitatem proximorum, magis oſtenditur in vita actiua, quàm contemplatiua. Monachi ergo exercitantes ſe in vita actiua fuerunt in ſtatu perfectionis meriti.

IN CONTRARIVM eſt Iſidorus lib. 3. cap. 17. Da ſummo bono, vbi dicit, ꝙ bonum eſt corporaliter remotum eſſe à mundo: melius autem eſt eſſe remotum voluntate: optimum autẽ, & perfecti

meriti

meriti eſt vtroque modo eſſe remotum, quod proprie contemplatiuorum eſt. A

R E S O L V T I O.

Monachi contemplatiui, quia corpore, & mente à Mundo ſunt ſemoti, ſunt in ſtatu magis meritorio. Ex parte tamen merentis magnitudo meriti in vita actiua eſt maior: ſed quantum ad principium formale in vita contemplatiua eſt maior: ex parte vero operis meritorij vita actiua, & contemplatiua ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa.

RESPONDEO, dicendum, quòd magnitudo meriti, quantum ad præſens, ex tribus poteſt inſurgere. Primo, ex parte merentis. Secundo, ex parte principij formalis, quo quis meretur. Tertio, ex parte operis meritorij. Si ergo magnitudo meriti penſetur ex parte merentis, quãdo aliquis in contemplatione Dei, & in Chriſti amore tantum creuit, vt ad tempus cupiat detrimentum pati ſuæ fruitionis, propter Chriſti gloriam ad procurandam proximorum ſalutem, modo, quo dicebat Apoſtolus Roma. 9. Optabam ego eſſe Anathema à Chriſto pro fratribus meis. De quo Chryſoſt. dicit in libello de laudibus eius, ꝙ ſicut ferrum in ignem miſſum non eſt aliud, quàm ignis: ſic anima Pauli diuina charitate ſuccenſa non erat aliud, quàm charitas. Talis (puto) magis meretur in vita actiua, ſaluti proximorum intendens, quàm in vita contemplatiua contemplationi vacans. Vnde Paulus hoc elegit tamquam maioris charitatis, & maioris meriti. Electio enim non eſt niſi de maiori merito, dicente Apoſtolo Philipp. 1. Coarctor enim ex duobus deſiderium habens diſſolui, & eſſe cum Chriſto, quod mihi multo melius eſt: permanere autem in carne neceſſarium propter vos, & hoc confidens ſcio, quia permanebo omnibus vobis ad profectum veſtrum. Super quo verbo dicit gloſſa, ꝙ elegit Paulus non quod ſibi melius erat, ſed quod multis expediebat propter charitatem, quæ ſupereminet omnibus.

Rom. 9.

Vita actiua quomodo magis meritoria.

Si vero conſideretur principium formale, quo quis meretur, planum eſt, ꝙ maioris meriti eſt contemplatiua vita, quàm actiua. Cum enim principiũ formale merẽdi ſit charitas, ſicut magis meritorium eſt diligere Deum ſecundũ ſe, quàm diligere proximum: ſic maioris meriti eſt vita contemplatiua, quæ directè de ſuo genere ordinatur ad dilectionẽ Dei, quàm actiua, quæ directè ex ſuo genere ordinatur ad dilectionem proximi. ſecundum quem modum intelligitur illud dictum beati Gregorij 6. Mor. vltimo capitulo: Marthæ cura non reprehenditur: Mariæ vero etiam laudatur. quia magnæ ſunt actiuæ vitæ merita: ſed contemplatiuæ ſunt potiora. D

Vita contẽplatiua quomodo magis meritoria.

Notandum de vita actiua, & contẽplatiua.

Sed ſi conſideratur opus meritorium, videntur ſe habere ſicut excedentia, & exceſſa: quia reſpectu meriti accidentalis, cum tale meritum detur ſecundum genus maioris operis; maioris meriti poteſt eſſe actiua vita, quàm contemplatiua. ſed reſpectu meriti eſſentialis, quod reſpondet charitati tamquam radici merendi; ſimpliciter maioris meriti eſt contemplatiua vita, quàm actiua.

A *Ad Argumenta.*

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ illa magnitudo meriti intelligitur ex parte merentis, quando quis tantum proficit in contemplatione, vt propter Deum velit intendere ſaluti proximorum cum aliquo detrimento ſuæ contemplationis. Hoc enim modo planum eſt, ꝙ ad maiorem perfectionem charitatis pertinet, quàm ſimpliciter contemplationi vacare.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ magnitudo conatus poteſt eſſe in vita actiua in vincendo illa, quæ hominem impediunt, ne perueniat ad contemplationis ſtatum. ſed magnitudo conatus, quæ eſt in vita contemplatiua, eſt in diligendo, & amplexando B iam adepta, quæ ſunt de contemplationis ſtatu. Vnde, & Mariæ Magdalenæ, per quam vita contemplatiua deſignatur, dictum eſt Lucæ 7. ꝙ dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. cui autem minus dimittitur minus diligit.

Maria Magdalena deſignat vitã contemplatiuam, lib. 3.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ nullum ſacrificiũ eſt Deo magis acceptum, quàm zelus animarum. Et ideo, ꝙ quis offerat Deo animam ſuam, & aliorum applicando ſe, & alios contemplationi, maioris meriti eſt, quàm ſe, & alios applicando actioni: vel quàm, ꝙ bona temporalia Deo offerret.

ARTICVLVS IIII.

C *VTRVM MONACHI CONtemplationi vacantes ſint in ſtatu magis vtili, & neceſſario, quàm alij*

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Monachi contẽplationi vacantes eſſent in ſtatu magis vtili, & neceſſario, quàm alij. Scribitur enim Eccleſiaſtes 1. Vidi, ꝙ in multa ſapientia multa ſit indignatio. & qui apponit ſcientiam, apponit dolorem, vel laborem, vt dicit alia littera Sed quanto aliquid eſt magis laborioſum, tanto videtur eſſe magis vtile. Contemplatio ergo diuinæ ſapientiæ tanto eſt maioris vtilitatis: quanto eſt maioris laboris.

D 2 Præterea: Gregorius, Hieronymus, Aug. ac multi alij ſancti Monachi magnæ contemplationis fuerunt. ſed quantam vtilitatem iſti attulerint Eccleſiæ Dei, habetur extra de reliq. & ven. ſan.† vbi dicitur, ꝙ Prædictorum Doctorũ prælucida, & ſalubria documenta totã illuſtrarunt Eccleſiam, & decorarunt virtutibus, moribus informauerunt, & per ipſos quaſi per illuminoſas, ardẽteſq; lucernas ſuper candelabrũ poſitas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Eccleſiæ tamquam ſidus irradiant matutinum.

† in. 6 cap. Glorioſus. lib. 3.

3 Præterea: Sicut homo eſt magis intellectus, quã ſenſus: ſic magis viuit vita ſpirituali, quàm vita carnali. Sed ad vitam ſpirituale magis eſt vtilis vita contemplatiua, quàm actiua. Scribitur enim ſapientiæ 8. de diuina ſapientia, ꝙ ſobrietatem, & ſapientiam do

cei, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius uihil eſt in vita hominibus.

In Contrarium eſt Bern. de conſideratione ad Eugenium lib 5. Vbi iſta duo genera contemplatiuum, & actiuum ad inuicem comparando dicit: Contemplatiuum dulcius eſt, & felicius: actiuum verò vtilius, & fortius eſſe conſtat. Hoc idem habetur extra de renun. † vbi dicitur, ꝙ licet vita contemplatiua ſit magis ſuauis: actiua tamen magis eſt vtilis. Philoſophus etiã primo Metaphyſ. loqnens de coutemplatioue Metaphyſica dicit, quòd uecesſariores, & vtiliores ſunt omnes ipſa, dignior vero nulla.

† Cap. niſi cũ pridem.

Ariſt. 1. Metaph. c. 2.

RESOLVTIO.

Vita actiua eſt prior, communior, difficilior, & in Proximorum ſubuentione vtilior, quàm contemplatiua. Hac tamen excedit ipſam, quia dignior, ſecurior, dulcior, ſanctior, ac diuturnior eſt.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſi fiat comparatio vitæ actiuæ ad contemplatiuam, eſt quidem generatione prior: cum ſit quædam diſpoſitio ad contemplatiuam vitam. Diſpoſitio vero, tempore, & generatione prior eſt ipſo habitu. Adminiſtratione vero eſt communior: plures enim adminiſtrant, & inſiſtunt vitæ actiuæ, quàm contemplatiuę Executioue verò difficilior eſt: vnde dicit Gregor. 6. Mora. ꝙ Lya, per quam ſignificata eſt vita actiua, laborioſa dicitur. Et Rachel, quæ deſignabat vitã contemplatiuam, viſum principium appellatur: quia in contemplatioue ſolum principiũ, quod Deus eſt, quæritur: in operatione autem ſub graui neceſſitatum falce laboratur. Sed proximorum ſubuentione eſt vtilior: quia quamuis Rachel eſſet pulchra, erat tamen ſterilis. Lya autem quàmuis lippa oculis: erat tamen fęcunda, & hoc ſignificabat (vt Greg. dicit 6. Mor.) ꝙ licet qui contemplandi otia appetit, plus videat: pauciores tamen Deo filios generat. Cum verò ad laborem ſe prædicationis dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Eſt ergo vita actiua contemplatiua generatione prior, adminiſtratione communior, executione difficilior, & proximior, ſubuentione vtilior.

Lya ſignificat vitam actiuã: Rachel verò contemplatiuam.

Vitæ contẽplatiuæ, & actiuæ differentia.

Iſtis tamen prærogatiuis non obſtantibus, ſimpliciter contemplatiua vita præferenda eſt actiuæ propter quinque. Primo quidem quia dignior: ipſa enim ſignificatur per dexteram: ſicut actiua per ſiniſtram, vt dicit gloſſa Cau. 6. ſuper illo verbo: Læua eius ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Secundo quia ſecurior: pro mille enim cadentibus in vita contemplatiua, cadunt decem millia in vita actiua, vt dicit gloſſa Auguſtini ſuper illo verbo Pſal. 90. Cadent à latere tuo mille: & decem millia à dextris tuis. Tertio, quia dulcior, & iucundior. non enim habet amaritudinem conuerſatio eius, nec tædium conuictus ipſius; ſed gaudiũ & lætitiam, vt ſcribitur Sapientiæ 8. Quarto, quia ſanctior: quamuis enim actiua (vt dicit Gregorius) coutemplatiua tempore ſit minor: meritò tamen, & ſanctitate eſt maior. Quinto, quia diuturnior. dicit enim Gregorius 6. Mora. quia rectè Mariæ pars numquàm auferri dicitur: quia actiuæ vitæ opera cum corpore tranſeunt: contemplatiuæ autem vitæ gaudia melius ex fine conualeſcunt. Actus enim contemplatiuæ vitæ inchoari quidem in præſenti poſſunt, ſed perfici, & compleri minimè, niſi in fine. Quis autem ſit noſter finis, non aliud niſi peruenire ad regnum, cuius nullus eſt finis, vt dicit Auguſt. in fine libri de Ciuitate Dei, vacabimus & videbimus, & amabimus, & laudabimus. Ecce quid erit in fine ſine fine. Vacabimus enim ſine otio, videbimus ſine medio, amabimus ſine odio, laudabimus ſine tędio.

Tomo 5.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd ille labor, vel dolor, qui inſurgit ex ſapientia in contemplatione, non eſt admixtus triſtitiæ, ſed gaudio. vt enim dicit Gregorius ſuper Ezechielem Homil. 10. Ideo qui apponit ſcientiam, apponit dolorem. quia cœleſtia cognoſcentes terrenis curis ſubdere animũ dedignamur: & dum plus ſapere incipimus; de his, quæ malè egimus, nobis ipſis iraſcimur: & ſic in multa ſapientia multa indignatio. quia quanto plus proficimus in cognitione: tanto nobis indignamur amplius de peruerſo opere. Vel qui addit ſcientiam, addit laborem, vt dicit alia littera, quia quanto magis ſcire incipimus, quæ ſunt cœleſtia gaudia: tanto magis, vt errorum noſtrorum laqueos poſſimus euadere, flendo, laboramus.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſancti Doctores quamuis Monachi, Pontifices fuerunt multi, & Prælati, qui ſimul contemplatiui eſſe debent, & actiui, Moyſi legislatoris exemplo, qui nunc aſcendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: Nunc vero deſcendebat in caſtra: vt cum vtilitate neceſſitatibus populi prouideret. Ideo facilius indulgetur, vt aſcendat Monachus ad præſulatum, quàm Pręſul deſcendat ad Monachatũ.

Ad tertium eſt dicendũ, quòd non ſic in vita contemplatiua attenditur contemplatio, quin ad vtilitatem aliorum quandoque doctrinæ veritas diffundatur verbo, vel ſcripto: cum in ſapientia occulta, & theſauro abſcondito nulla vtilitas ſit in vtriſq;. Nec in vita actiua ſic attenditur operatio, ꝙ ab omni doctrinæ ſpeculatione ſeparetur. Accipitur ergo vtriuſque vitæ diſtinctio reſpectu finis: quia finis contẽplatiuæ eſt veritas per ſe. operatio verò attenditur in ordine ad veritatis contemplationem. Actiuę vero finis eſt operatio per ſe: veritas verò propter opus intenditur.

Eccl. 20.

Ariſt. 2. Metaphy. text. com. 3.

QVAEST. XCIX. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERVATA fuerit in Prædicatoribus Euangelij.

VLTERIVS conſiderandum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Prædicatoribus Euangelij. Circa quod quæruntur Quinque. A

Primo, Vtrum omnes Prædicatores Euangelij fuerint in perfectionis ſtatu.

Secundo, Vtrum prædicatio Euangelij magis fecerit ad perfectionis ſtatum, quàm alia pietatis opera.

Tertio, Vtrum prædicare Euangelium mendicando fuerit minoris perfectionis, quàm viuẽdo de cõmuni adminiſtratione auditorum.

Quarto, Vtrum perfectio Prædicatorum fuerit in conformando ſe capacitati auditorum. B

Quinto, Vtrum prędicare Euãgelium excommunicatis ex Eccleſię mandato fuerit interdictum.

ARTICVLVS I.

VTR. OMNES PRAEDICAtores Euangelij fuerint in perfectionis ſtatu.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ omnes Prædicatores Euãgelij fuerint in perfectionis ſtatu. qui enim à Deo mittuntur, ſunt in ſtatu perfectionis: ſed veri Prædicatores à Deo mittuntur. Rom. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Ergo omnes tales fuerunt in perfectionis ſtatu. C

2 Præterea: Prædicatores Euangelij fuerunt ſucceſſores Apoſtolorum, quibus dictum eſt Matth. vlt. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ. ſed Apoſtoli fuerunt in perfectionis ſtatu. Ergo & eorum ſucceſſores.

3 Præterea: Dicit Richar. in lib. de Patriarchis: Neſcio an Deus poſſit homini maiorem gratiam conferre, quàm vt eius miniſterio conuerſi homines in melius commutentur. nam hæc eſt tanto maior, quã mortuos ſuſcitare; quanto anima melior eſt corpore. Prædicare ergo Euangelium non eſt ſine perfectionis ſtatu. D

IN CONTRARIVM eſt. quia illis conuenit Euangelium prædicare, quibus conuenit cura animarum. Sed multis conuenit animarum cura, qui non ſunt in perfectionis ſtatu, vt ſupra dictum fuit. Ergo, &c.

A *RESOLVTIO.*

Prędicatores Euangelij, vt Epiſcopi, omnes in ſtatu perfectionis, ſed non omnes perfecti fuerunt: Prædicatores, quibus cura prædicandi eſt commiſſa, multi potuerunt eſſe perfecti, ſed non in ſtatu perfectionis: Prædicatores verò ex diuinę reuelationis miniſterio, fuerunt perfecti, & in ſtatu perfectionis eſſe potuerunt, qui ad hoc munus à monachali ſtatu fuerunt vocati.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Euangeliũ prædicare, quantum ad præſens, poteſt conuenire aliquibus tribus modis. Primo, ex curæ ſuſceptæ obligationis vinculo. Secundo, ex receptæ iuriſdictionis officio. Tertio, ex diuinæ reuelationis miniſterio. Primo modo Euangelium prædicare propriũ eſt Epiſcoporum † qui ex curæ Paſtoralis ſuſceptione voto perpetuo ſe aſtringunt, vt eorum ſubditis ſubminiſtrẽt neceſſaria ad ſalutem in prædicationis verbo, ſanctitatis exemplo, & temporali ſubſidio, cũ neceſſitas incumbit. Secundo modo proprium eſt Presbyterorum, & Archidiaconorum, & aliorũ, quibus cura animarum committitur: vel ex communi iuriſdictione: vel ex ſpeciali commiſſione. Tertio modo eſt proprium Sãctorum † virorum à Deo ſpecialiter vocatorum, ſicut recitat Greg. in Dialog. de Equitio Monacho, & de beato Benedicto. quibus immediate à Deo prædicationis officium fuit commiſſum propter eorum ſpecialem ſanctitatis prærogatiuam. Primi ergo Euangelij Prædicatores, puta Epiſcopi, omnes fuerunt in perfectionis ſtatu, ſed non omnes perfecti. Secundi verò perfecti quidem multi eſſe potuerunt: ſed nõ fuerunt in perfectionis ſtatu: ex quo curam illorum, quibus prædicauerũt, cum perpetuo obligationis voto non ſuſceperunt. Sed tertij potuerunt eſſe in perfectionis ſtatu, & fuerunt perfecti, quia enim de ſtatu Monachali vocati ſunt, fuerunt in perfectionis ſtatu: quia vero propter prærogatiuam ſanctitatis officium prædicationis fuit eis commiſſum, fuerunt perfecti.

† Conc. Triden. ſeſſ. 5. de refor. c. 2. & ſeſſio. 24. de refor. cap 4.

† Vide cap. Cum ex iniũcto. de hæret.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illi Prædicatores mittuntur à Deo, qui mittuntur auctoritate Eccleſiæ. Sicut ergo Eccleſia non omnes mittit cum perpetuo obligationis voto: ſic non omnes ſunt in perfectionis ſtatu.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi non

habent ex prædicationis officio, quòd ſint in perfectionis ſtatu, ſed magis ex perpetuo obligationis vinculo. aſtringunt enim ſe voto perpetuo obedire, & ſeruire, & verba ſalutis miniſtrare illis, quorum curam ſuſcipiunt.

Ad tertium eſt dicendũ, quòd Richar. loquitur de perfectionis opere, non de perfectionis ſtatu. Continetur enim donum prædicationis inter dona gratis data, quæ Deus cõfert illis, quos vult eſſe ſuos cooperatores in animarum ſalute.

ARTICVLVS II.

VTR. PRAEDICATIO EVANgelij magis fecerit ad perfectionis ſtatum, quàm alia pietatis opera.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad perfectionis ſtatum minus fecerit prędicatio Euangelij, quàm alia pietatis opera. Illud enim magis facit ad perfectionis ſtatum, cui maior beatitudo promittitur, & de quo maior diſceptatio erit in die iudicij: ſed talis diſceptatio erit de operibus miſericordiæ, quorũ operatoribus dicetur: Venite benedicti patris mei, vt ſcribitur Matth. 25.

2 Præterea: Status perfectio conſiſtit in acceptatione diuina: ſed Thobias maximè fuit acceptus Deo ex operibus miſericordiæ: vnde, narratis operibus miſericordiæ, quibus inſiſtebat, dixit ſibi Angelus Tho. 12. Quoniam acceptus eras Deo, neceſſe fuit, vt tentatio probaret te. Magis ergo faciunt talia ad perfectionis ſtatum, quàm prædicatio.

3 Præterea: Prædicatio pertinet ad vitam actiuã, vt Greg. dicit 6. Mora. cap. vlt. Sed ad vitam actiuam plus faciunt alia opera miſericordiæ, quàm prædicatio. Ergo plus ad perfectionis ſtatum.

IN CONTRARIVM eſt, quia maioris perfectionis eſt alios perficere, quàm perfici. ſed Prædicatorum eſt alios perficere. Dicit enim Aug. ſuper illo verbo Matth. 5. Vos, eſtis ſal terræ; quòd Prædicatorum exemplo inſtrui, & ſapientia doceri cæteri debent.

RESOLVTIO.

Prædicatores per Euangelij prędicationem magis, quàm per quæcunque alia pietatis opera in ſtatu perfectionis fuerunt. Prędicatio enim ipſa vniuerſo cætui Chriſtiano exhibetur, ſed alia pietatis opera, non item.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ illa, quæ impẽdũtur ex charitate † proximo propter Chriſtũ, ſibi Chriſtus reputat eſſe impẽſa, iuxta illud Matth. 25. Quod vni ex minimis meis fratribus feciſtis, mihi feciſtis.

• al. proximorum.

Iſti autem ſunt in triplici gradu. Quidam enim proximis obſequuntur in corporalibus bonis, ſicut illi, qui veſtiunt nudos, paſcunt famelicos, miniſtrãt infirmis: & alia corporalia ſubſidia propter Chriſtũ proximis impendunt. Quidam verò ſpiritualia bona proximis largiuntur: quæ tamen non excedunt naturæ facultatem: nec ſunt vltra humanam conditionem, ſicut qui docent ignorantem, & reuocant errantem. De quibus commendatur Iob 4. Ecce docuiſti plurimos, & manus laſſas roboraſti: vacillãtes confirmauerunt ſermones tui: & genua trementia confortaſti. Sed aliqui ſunt, qui ſpiritualia bona proximis impendũt ſuper naturam exiſtentia, & ad finem ſupernaturalem inducentia: ſicut eſt doctrina fidei, quæ communicatur tamquàm neceſſaria ad ſalutem conſequendam per diſtinctam articulorũ credulitatem, obſeruationem mandatorum, & adminiſtrationem Sacramentorum, modo, quo faciebat Apoſtolus Gala. 3. Qui tribuit vobis ſpiritum, & operatur virtutes in vobis. Et 1. Theſſa. 2. dicit: Cum accepiſtis à nobis verbum auditus Dei: accepiſtis illud, non vt verbum hominum, ſed ſicut eſt verè verbum Dei. Collatio autem iſtorum verborum ad ſingularem quandam perfectionem pertinet ſupernæ dilectionis: quia per talia homo coniungitur vltimo fini. Vnde ad hanc perfectionem oſtendendam ſcribitur Iob 37. Numquid noſti ſemitas nubiũ magnas, & perfectas ſcientias? per nubes autem ſecundum Greg. lib. 27. Mora. cap. 22. Ibi ſancti Prædicatores intelliguntur, quæ quidem nubes ſemitas ſubtiliſſimas, puta prædicationis vias habẽt, & perfectas ſcientias, dum de ſuis meritis ſe nihil eſſe ſciunt: quia illa, quæ proximis impendunt, ſupra ipſos exiſtunt. Tanto ergo Prædicatores per Euangelij prædicationẽ fuerunt magis in perfectionis ſtatu, quàm per quæcunque opera alia pietatis: quanto prædicta opera non vni, vel duobus, ſed toti multitudini Chriſtianæ fidei exhibuerunt. quod quidem multitudinis bonum perfectius, & diuinius eſt quocũque bono priuato.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, ꝙ illa diſceptatio operum erat de operibus illis, ad quæ omnes communiter tenentur: ſed alia diſceptatio erat de multiplicatione talentorum facta per ſanctos Prædicatores de his, quæ ſunt ſupererogationis, & perfectionis opera. Vnde Greg. exponens illud verbum Matth. 25. Acceſſit qui duo talenta acceperat; dicit, (Hom. 9.) ꝙ qui intelligendo, & operando alijs prædicãt, quaſi duplicatum de negotio lucrum reportant: quia dum vtrique ſexui prædicatio impenditur, quaſi accepta talenta geminantur.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd per prædicationem tãto magis quis eſt acceptus Deo, quàm per quæcumque alia opera pietatis: quanto magis per ipſam homo à morte eripitur, & fini æternæ vitæ coniũgitur. Quoniã qui cõuerti fecerit peccatorẽ ab

errore

errore viæ ſuæ ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum, vt ſcribitur Iaco. vlt.

AD tertium eſt dicendum, quòd prædicationis opus vtramque vitam complectitur, & ideo magnæ perfectionis opus exiſtit: Dicit enim Greg. 6. Mora. quòd neque perfectus prædicator eſt qui propter contemplationis ſtudium opera negligit: vel propter operationis inſtantiam contemplanda poſtponit. Cap. 17.

ARTICVLVS III.

VTR. PRAEDICARE EVANgelium mendicando, fuerit minoris perfectionis, quàm viuendo de communi adminiſtratione auditorum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd prędicare Euangeliũ mendicãdo, fuerit minoris perfectionis, quàm viuendo de cõmuni adminiſtratione auditorũ. Quia ſi eſſet maioris perfectionis prædicare Euangelium mendicãdo, quàm viuendo de communi adminiſtratiõne, tunc Epiſcopi eſſent minoris perfectionis, quàm Religioſi mendicantes. quod non eſt verum; cum Religioſi ad ſtatum Epiſcopalem aſſumantur, tamquam ad perfectiorem.

Mendicus vnde dicat. * al. mente,

2 Præterea: Mendicus dicitur quaſi * manu indicans ſuper, eo quòd parum habet. quod conuenit dupliciter. Vno modo petendo ſicut mendicantes non habentes poteſtatem accipiendi bona alterius, modo quo Chriſtus, & Apoſtoli habuerunt. Alio modo indigentiam prætendentes. & ſic Chriſtus, & Apoſtoli fuerunt mendici, * non quidem mendicando petendo, cum loculos haberent, ſed indigentiam ex humilitate prætẽdendo. Exigebant enim aliena nõ ex mendicitate, ſed ex poteſtate. maioris ergo perfectionis videtur fuiſſe exemplo Chriſti, & Apoſtolorum euãgelium prædicare de communi adminiſtratione viuendo, quàm mendicando. * al. mendicantes.

3 Præterea: Illud minus facit ad perfectionis ſtatum, per quod magis impeditur Euangelij prædicatio. ſed per mendicare impeditur prædicatio Euangelij: quia tempore illo, quo mendicatur, ſubtrahitur Euangelij prædicatio: non ſic autem impeditur viuendo de communi adminiſtratione.

IN CONTRARIVM eſt. quia opus ſupererogationis plus facit ad perfectionis ſtatũ, quàm opus communis iuriſdictionis: ſed prædicare Euangelium mendicando opus ſupererogationis eſt, ſicut opus voluntariæ paupertatis. Ergo hoc facit magis ad perfectionis ſtatum.

RESOLVTIO.

Perfectio maior fuit in ijs, qui inter prædicandum A *mendicabant, quàm in ijs, qui de communi adminiſtratione auditorum viuebant.*

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut ſcribitur Lucæ 6. Perfectus diſcipulus eſt, ſi fuerit ſicut Magiſter eius. Prædicatores autem Euangelij perſonam Chriſti Diſcipulorum, & Apoſtolorum ſtatum repręſentant. ideo eorum ſtatus perfectio conſiſtit in via, quam Chriſtus prædicando ſeruauit: & ſuos Diſcipulos docuit. Planum eſt autem, quòd mendicando prædicare Euangelium per Chriſtum fuit via perſuaſa, & exemplariter demonſtrata in ſe, & in ſuis Apoſtolis. In ſe quidem, quia ipſe mendicando Euangelium prædicauit, vt ſuperius fuit oſtenſum. Dicit enim Apoſtolus 2. Corint. 8. Scitis gratiam Domini B noſtri Ieſu Chriſti. quoniam, cum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt. Glo. in mundo. Et quòd perfectionis ſit in hoc mundo ipſum imitari: patet per glo. ibidem, quæ dicit: Nemo ſe contemnat: pauper in cella: diues in conſcientia: ſecurior dormit in terra, quàm diues in purpura. Ad † domum etiam Zachęi intrauit nõ inuitatus, qđ nõ fuit aliud, quàm mendicando petere. In Apoſtolis vero cum eos ad prædicandum miſit, ex quo nihil portandum in via prohibuit: cum illo tempore non poſſent imperioſe communem adminiſtrationem petere: quando expulſi de vna ciuitate fugiebant in aliam, neceſſarium erat eis tunc mendicare. Vnde blaſphemum eſt dicere, quòd mendicando prædicare euangelium, nõ fuerit via per Chriſtum primo perſuaſa: & in ſe, C & in ſuis Apoſtolis primo exemplariter demonſtrata. Prædicare vero viuendo de communi adminiſtratione fuit via indulta, & infirmitati condeſcendens conceſſa: & tamquam iuri naturali conſona, multipliciter per eum, & Apoſtolos probata. Sicut patet Lucæ 10. & 1. Corinth. 9. Vnde ſicut ſupererogationis, & maioris perfectionis fuit in Paulo, quando iuri ſuo cedens prædicauit Euangelium manibus laborando: ſic ſupererogationis, & maioris perfectionis fuit, Euangelium prædicare mendicando, quàm de communi adminiſtratione viuendo.

† Obſerua hũc locum, ex quo deducit, qualiter ſit intelligendus Auctor ſupra quæſt. 78. art. 3. dum quęrit, An Chriſtus oſtiati mendicauerit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd non ſe- D quitur. Epiſcopi enim diuitias Eccleſiarum, quas habent, non poſſident quaſi ſuas, ſed tamquam communes diſpenſant. Vnde ſcribitur 12. q. 1. c. expedit. Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias amore perfectionis contemni. quamuis enim rerum temporalium abdicatio, vel mendicatio inſtrumentaliter ſit maioris perfectionis, & ſupererogationis via, quàm ipſarum poſſeſſio (& quantum ad hoc Religioſi mendicantes poſſent dici eſſe in perfectiori ſtatu, quàm Epiſcopi,) eſſentialiter tamen nõ eſt hoc ipſa perfectio ſtatus: ſed magis ſe, & ſua pro vtilitate proximorum exponere: & in perpetuam ſeruitutem pro ſalute ipſorum ſe tradere. vltra quam perfectionem diuinæ dilectionis gradus non ſe extendit. ad quam Epiſcopi voto ſe aſtringunt modo, quo dicit Apoſtolus 2. Corint. 12. Ego libentiſſime impendã,

& ſuperimpendar pro animabus veſtris.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd nec interpretatio, nec interpretationis concluſio eſt conſona gloſſæ, quæ ponitur ſuper illo verbo Pſal. Ego autem mendicus ſum, & pauper: quæ ſic dicit: Mendicus eſt, qui ab alio petit. pauper vero, qui ſibi nõ ſufficit; & vtrumque exponit in perſona Chriſti, qui fuit mẽdicus, ab alijs petendo. & pauper de his, quæ in mundo habuit, ſibi non ſufficiendo.

Pſal. 39.

AD tertium eſt dicendum, quòd maius detrimentum patitur Euangelij prædicatio, viuendo de communi adminiſtratione, quàm mẽdicando, ſicut experientia docet. illi enim paucis contenti, & à temporalibus liberi ſollicitè ſacræ Scripturæ expoſitioni, & Euangelij prędicationi intendunt. Iſti autem quaſi da vita præſenti ſecuri, & temporalibus occupati, quaſi ſementem Domini ſuffocant.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PERFECTIO PRAEdicatorum fuerit in conformando ſe capacitati auditorum.

Turrecramata, & Doctores in cap. oportet. 8. q. 1.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, q perfectio Prædicatorum non fuerit in conformãdo ſe capacitati auditorum. Prædicator enim non debet ſe conformare illis, qui à veritate auditum claudunt, & ad falſitates, & fabulas aperiunt. ſed multi ſunt tales, in quorum perſona dicit Apoſtolus 2. Timo. 4. A veritate quidem auditum auertent: ad fabulas autem conuertentur.

2 Præterea: Multi ſcandalizantur de veritate Euãgelij. ſed ſecundum Greg. ſi de veritate ſcandalum naſcitur, facilius ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur. Talibus ergo Prædicator non debet ſe conformare.

Hom. 7. ſupes Ezech.

3 Prçterea: Philoſophus dicit, quòd amantibus, odientibus non eadem apparent. Sed multi diligunt, & multi odiunt ſacram Scripturam. Non ergo omnibus Prædicator debet ſe conformare.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 8. q. 1. c. Oportet. oportet eum, qui docet, & inſtruit animas rudes, eſſe talem: vt pro ingenio diſcentium ſemetipſum poſſit aptare, & verbi ordinem pro audientis capacitate dirigere.

RESOLVTIO.

Prędicatores vnicuique ſe conformantes, facilia vulgo, ſubtilia ſubtilibus prædicantes perfectionem fuerunt adepti.

RESPONDEO, dicendum, quòd Prædicator vari⁹, & multiplex eſſe debet in ſacræ Scripturæ prædicatione, quantum ad præſens, tripliciter oſtenditur. Primo, ſi conſideretur Apoſtolorum imitatio. Secundo, ſi conſideretur ſacræ Scripturæ prouiſio. Tertio, ſi conſideretur auditorum diſpoſitio. à nullo enim melius poteſt diſci prædicationis modus, quàm ab ipſo, qui dicit de ſe ipſo 1. Timo. 2. Ego in Euangelio Chriſti poſitus ſum Prædicator, & Apoſtolus, & q ſibi credendum ſit ſtatim ſubdit: Veritatem dico, & non mentior, Doctor gentium in fide, & veritate. ipſe autem (vt Gryſo. dicit in libello de laudibus eius) varius, & multiplex fuit in factis, & verbis: quia modo Iudæus, modo gentilis, modo legem obſeruans, modo deſpiciens, modo, pecuniã requirens, modo ſibi oblatam reſpuens. ſic enim ipſe varius fuit in curatione animarum, ſicut medicus varius eſt in curatione corporum. non ſententiã veritatis mutando, nec alter factus ex altero: ſed ipſe quod erat ſemper manendo pro cauſarum opportunitate, illa, quæ dicta ſunt, variabat. Secundo hoc oſtenditur, ſi conſideretur ſacræ Scripturæ prouiſio. Sic enim prouiſa eſt ſacra Scriptura, vt dicit Auguſt. lib. 1. de Trin. c. 1. quatenus paruulis congruens nullius generis rerum verba vitaret, ex quibus quaſi gradatim ad diuina noſter intellectus velut contritus aſſurgeret. verborum enim ſuorum altitudine ſuperbos irrideret: profunditate attentos terreret: veritate magnos paſceret: affabilitate paruos nutriret. Vt idem dicit 5. ſuper Gen. ad litteram. Et totum hoc non facit faſtu ſuperbiæ, & ampulloſo modo humanæ ſcientiæ, ſed uerbis apertiſſimis humillimo loquendi genere ſe cunctis præbet. Vt idem ait in lib. confeſſ. Tertio iſtud declaratur, ſi conſideretur auditorum diſpoſitio. non enim vna, eademque exhortatio cunctis congruit: quia nec cunctos par morũ qualitas aſtringit, vt dicit Greg. in Paſtor. Sæpe enim quę alijs obſunt, alijs proſunt. Vnde ſicut non eſt in auditoribus eadem diſpoſitio: quia aliqui ſunt Clerici: aliqui Laici: aliqui diuites: aliqui pauperes: aliqui maſculi: aliquæ fœminæ: aliqui ſani: aliqui infirmi: aliqui Prælati: aliqui ſubditi: ſic non eſt eis eadem prædicatio fienda. Vnicuique ergo Prædicator debet ſe conformare, facilia vulgo, ſubtilia ſubtilibus prædicando, vt dicit Gregor. in 3. parte in Paſtor.

Hom. 5.

Tomo 3.

cap. 8. Tomo 3.

lib. 6. c. 5. Tomo 1.

In prolo. 3. part.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd nõ ſic Prædicator debet ſe conformare auditoribus, vt falſa falſis: & vera veris prædicet. ſed veritatis ſententia non mutata, illam varijs, & diuerſis exemplis debet monſtrare ſecundum capacitatem vniuſcuiuſque, modo, quo dicebat Apoſtolus 1. Corinth. 2. Ego autem, cum veniſſem ad vos, non veni in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ. & inferius 3. c. Ego non potui vobis loqui, ſicut ſpiritualibus, ſed tamquam carnalibus.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd veritas publica, & publicè loquenda, vt eſt veritas ſacræ Scripturæ, non eſt omittenda propter ſcandalũ vitandũ. Sed veritas priuata quandoque, & ſi non omittenda

eſt,

A eſt, tamen interdum tacenda, ſicut veritas correctionis propter ſcandalum multitudinis: vel ne homo deterior efficiatur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſicut non omnes credunt Euangelio; ſic verba Euangelij non omnibus eadem apparent: Prædicator tamen ſic debet ſe capacitati omnium conformare, vt, quantum in ſe eſt, per ipſam omnes ſalui fiant. Sic enim Chriſtus ſapienter omnibus prædicabat, quòd omnes de ipſo mirabantur: non tamen omnes conuertebantur, Vt Aug. dicit.

Tract. 29. in Ioan. Tomo 9.

ARTICVLVS V.

B

VTR. PRAECEPTO ECCLEſiæ interdictum fuerit prædicare Euangelium excõmunicatis.

Felinus, & alij in cap. Reſponſo extra de ſentent. excommun.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd prædicare Euangelium excommunicatis præcepto Eccleſiæ fuerit interdictum. Maior enim eſt cibus ſpiritualis, quàm corporalis. Sed Apoſtolus mandat 1. Corint. 5. C Cum excommunicatis cibum corporalem non eſſe ſumendum. Multo ergo magis cibus ſpiritualis prędicationis verbi Dei intelligitur eſſe eis interdictus.

2 Præterea: Dicit Origenes, vt ponitur 43. diſt. cap. In mandatis: Sollicitì eſſe debemus, ne margaritas noſtras mittamus ante porcos. ſed excommunicati, cum ſint ab Eccleſia ſeparati, porci ſunt. immortalitatis ergo verba, quæ per margaritas intelliguntur, eis non ſunt proponenda.

3 Præterea: Prædicatio Euangelij regulariter fit in Eccleſia, iuxta illud Pſal. 67. In Eccleſijs benedicite Dominum. Sed Aug. in Epiſt. ad Bonif. introitum Eccleſiæ interdixit pro eo, quòd hominem de Eccleſia violenter rapuerat: & excommunicationis ſen D tentiam incurrerat.

Epiſt. 187. Tomo 2.

In contrarium eſt, quod ſcribitur extra de ſenten. excom. cap. Reſponſo: Poſtulas edoceri cum ciues excommunicationis, & interdicti ſententia ſunt ligati: liceat tibi viros, & mulieres ſemel in hebdomada, vel in menſe apud aliquam Eccleſiam conuocare, quibus prædices verbum Dei. Super quo reſpondemus, quòd ſine ſcrupulo conſciẽtiæ poteris hoc facere, cum videris expedire.

A

R E S O L V T I O.

Euangelij prædicatio excommunicatis interdicta non eſt, ſed hæreticis iuſtis quidem de cauſis.

RESPONDEO, dicendum, quòd excommunicatio pœna eſt, quam Eccleſia infligit ſuis fidelibus, non ad interitum, ſed ad correctionis remedium. Summum autem remedium reducẽdi hominem ad correctionem eſt ſacra Scriptura, dicente Apoſtolo 2. Tim. 3. Omnis Scriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum (*neſcientes*) ad arguẽdum (*errantes*) ad corrigendum (*negligentes*) & ad erudiendum (*nouitios, & incipientes*) immo, non B ſolum ſacra Scriptura, verum etiam Philoſophica doctrina motum veritatem tradens: quãdoque hominem ad correctionẽ inducit. Dicit enim Aug. 3. Confeſ. Perueneram namque tunc temporis in librum cuiuſdam Ciceronis, cuius linguam ferè omnes mirantur: pectus non ita. quàmuis liber ille exhortationem Philoſophicam contineret; mutauit tamen affectum meum ad teipſum Domine: mutauit preces meas: & vota, ac deſideria mea alia fecit: repente viluit mihi omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, exurgere iam cœperam, vt ad te Domine redirẽ.

Tomo 1. cap. 4.

C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd nõ eſt ſimile. per cibum enim ſpiritualem inducitur homo ad correctionem: ſed per cibum corporalem frequenter ad deceptionem: Iuxta illud 2. Petri 2. Hi ſunt delitijs affluentes, in conuiuijs ſuis luxuriãtes, vobiſcum pellicientes animas inſtabiles.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd illa verba non intelliguntur de excommunicatis, ſed de hæreticis † quibus fidem non ſupponentibus, ſed argumẽtis, vel alijs humanis probationibus de ipſa experiri volentibus, ſacræ Scripturæ ſecreta proponenda non ſunt, ne propter illa argumenta fidem ipſam deriſibilem dicerent. quæ meritum non haberet, ſi humana ratio ſibi præberet experimentum, vt Greg. dicit. D

† Vide etiã S. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 7.

AD tertium eſt dicendum, quòd Auguſt. introitum Eccleſię interdixit excommunicato, ne ibi perciperet ſacramenta. Quod patet per illud, quod ſubditur: Interdixi, ne oblatio domus tuæ à clericis ſuſcipiatur: communionem tibi interdico, donec pro hoc facto, corde contrito, & humiliato dignum offeras ſacrificium Deo.

Hom. 16. ſuper Euãg.

QVAE.

QVAEST. C. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO OBSERVATA fuerit in Doctoribus, & ſacræ Scripturæ Expoſitoribus.

POST hæc videndum eſt, quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Doctoribus, & ſacræ Scripturæ Expoſitoribus. Circa quod quæruntur Quinque.

Primo, Vtrum dicta Doctorũ maioris auctoritatis ſint, quàm Summorum Pontificum.

Secundo, Vtrum Doctores, & Expoſitores ſacræ Scripturæ Epiſcopis ſint præponendi.

Tertiò, Vtrum in modo exponendi ſacram Scripturam Eccleſia Doctorum Regulas debeat imitari.

Quarto, Vtrum ſolum illorum Doctorum opuſcula, quæ Eccleſia recipit, ſint approbata.

Quinto, Vtrum illorum Doctorum opera, quos Eccleſia canonizat, ex hoc ipſo ſint per Eccleſiam comprobata.

ARTICVLVS I.

VTR. DICTA DOCTORVM ſint maioris auctoritatis, quàm dicta Summorum Pontificum.

De materia huius quæſtionis, vide Doctores, & præ ceteris Turrecrematam in cap. Sancta Romana. 15. diſt. & Albertinum tract. de agnoſcen. aſſertion. catholicis, & hæret. q. 13.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quod dicta Doctorum maioris auctoritatis ſint, quàm Summorum Pontificum. Doctores enim ſpirati fuerunt Spiritu ſancto iuxta illud 2. Petri 1. Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines: ſed talis veritas eſt illa, de qua ſcribitur 3. Eſdræ. 4. veritas manet, & inualeſcit in æternum, & viuit, & obtinet in ſecula ſeculorum.

2 Præterea: Doctrina Doctorum fuit roborata naturali ratione, & auctoritate ſacræ Scripturæ: tali enim doctrina dicebat Auguſt. ſe velle doceri non ſolum à ſene, immò à quocunque iuuene, ſicut patet 24. q. 3. cap. Si habes. Sed Summi Pontifices nõ poſſunt contra naturalem rationem, vel auctoritatem ſacræ Scripturæ. Ergo Doctorum dicta ſunt eorum dictis præferenda.

3 Præterea: Dicta Doctorum ſunt per Eccleſiam approbata: ſed non omnia dicta Summorum Pontificum approbantur. Ergo dicta Doctorum præferenda ſunt.

IN CONTRARIVM eſt: quia maioris auctoritatis eſt illorum doctrina, quæ poteſt falſitates, & hæreſes damnare, quàm illorum, quæ poteſt ſolum talia manifeſtare: ſed talis eſt doctrina Summorum Pontificum reſpectu Doctorum. Dicit enim Aug. in Epiſt. 92. ad Innocen. Papam: Noua hæreſis, & nimium pernicioſa tentat aſſurgere inimicorum gratiæ Chriſti: qui nobis etiam dominicã orationem impijs diſputationibus conantur auferre, ad cuius extirpationem venerabilitas tua inſtanter, & celeriter prouidere dignetur.

RESOLVTIO.

Scriptura ſacra vniuerſa, quæ eſt de Chriſto, tamquam principali ſubiecto, in dubijs occurrentibus: Primum locum tenet: Secundum Canones Apoſtolorum: Tertium Decreta Summorũ Pontificum. Quartum dicta Sanctorum Doctorum: Quintum dicta omnium virorum illuſtrium Eccleſiaſticorum.

RESPONDEO, dicendum, quòd Doctrina Eccleſiæ, & Summorum Pontificum eſt Doctrina Chriſti, de qua dicit beatus Ioan. 2. canonicæ Si quis venit ad vos, & doctrinam Chriſti non habet, nolite eum recipere in domo, neque aue ei dixeritis. Vnde eiuſdem auctoritatis eſt doctrina Summorum Pontificum, cuius eſt doctrina Chriſti: ſicut eiuſdẽ auctoritatis eſt veritas principalis Auctoris, & eius vicem gerentis. Dicit enim Chryſ. ſuper illo verbo Lucæ 22. Facta eſt contentio inter Diſcipulos, quis eorum videretur eſſe maior, quod illa cõtentio videatur habuiſſe motiuum, eo quòd cum Dominus ab hominibus tranſmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum Principem, quaſi domini vicemgerentem: ideo quaſi quoddam humanũ ſcandalum conceperunt: quod etiam in ſe occultare non poterant: & tamen mordis non ſuſtinebant in eo, quod viderant Petrum eis præferri, & præhonorari. Vnde tam in Euangelijs, quàm in actibus Apoſtolorũ legimus Petrum in perſona omnium Summorum Pontificum primum locum poſt Chriſtum tenuiſſe. In dubijs ergo occurrentibus in Eccleſia primum locum † auctoritatis tenet Scriptura noui, & veteris teſtamenti, quæ tota eſt de Chriſto tamquàm de principali ſubiecto: Secundum vero, canones Apoſtolorum, per quos immediatè Chriſti doctrina eſt promulgata.

† Videatur Melchior Canus lib. 2. 3. & ſeq. de locis Theologicis.

A mulgata. Tertium, decreta, vel decretales ſummorũ Pontificum. Quartum, dicta Sanctorum Doctorum. Et deinde dicta omnium virorum illuſtrium Eccleſiaſticorum, qui talenta Domini recepta multiplicarunt, & fructum aliquem in Eccleſia fecerunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illa auctoritas intelligitur de ſacris Doctoribus ſacri canonis. Vnde di. glo. ibi, ꝙ ſicut in poteſtate Prophetarum non erat ſemper habere ſpiritum, futura ſemper prædicere: ita non erat poteſtatis eorum, vt quæcumque vellent, dicerent. ſed ea ſola docebant, quę à ſpiritu didicerant. & hoc in exemplum poſterorum, ne quis ad libitum Scripturas exponeret.

B AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſi dicta Doctorũ fundata ſunt ſuper naturali ratione, & auctoritate ſacræ Scripturæ, non præferuntur dictis Romanorum Pontificum, niſi auctoritate Chriſti, cui innituntur, & cui famulantur Scriptura, & natura: quæ tamen ſummi Pontifices poſſunt interpretari, & eorum interpretationem tota Eccleſia tenetur ſeruare, quod non contingit de dictis aliquorum Doctorum.

AD tertium eſt dicendum, quòd dicta Doctorũ comprobata ſunt per ſummos Pontifices, quæ ideo ſemper probata tenentur, quia pertinent ad expoſitionem ſacræ Scripturæ. Dicta autem vnius Pontificis contingit per alium reuocari. † quia, vt in pluribus, ſunt de actibus hominum, quos ſicut contingit multipliciter variari, ſic pro cauſarum, & temporum congruitate contingit ipſa mutari.

† Vide cap. non debet. extra de cõ ſanguin. & affinit.

C

ARTICVLVS II.

VTRVM DOCTORES, ET Expoſitores ſacræ Scripturæ Epiſcopis ſint præponendi.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Doctores, & Expoſitores ſacræ Scripturę Epiſcopis ſint præponẽdi. Honor enim perhibetur ſcientiæ, & virtuti. vt ſcribitur 1. Eth. Sed Doctores, & Expoſitores ſacræ Scripturę maioris virtutis eſſe cẽſentur, quàm multi Epiſcopi. Ergo eis præferendi ſunt.

Ariſt. 1. Eth. cap. 5. circa medium.

2 Præterea: Scribitur 1. Corinth. 14. ꝙ maior eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis. ſicut maior fuit Ioſeph, qui interpretatus fuit ſomniũ, quàm Pharao, qui vidit, vt glo. ibi dicit. Sed Doctores exponunt, & interpretantur ſacram Scripturam. Epiſcopi autem ſunt videntes, & ſuperintendentes: Sunt ergo ſicut maiores eis præferendi.

3 Prętereа: Auguſt. dicit in Epiſtola ad Hierony. ꝙ quamuis ipſe eſſet Epiſcopus, & Hierony. presbyter, in multis tamen rebus Hieronymus erat maior ipſo. Quantumcumque ergo Epiſcopi ſint maioris dignitatis, quàm Doctores; poſſunt tamen ipſi eſſe maiores Epiſcopis in alijs.

A IN CONTRARIVM eſt. quia Apoſtolus ad Epheſ. 4. poſt Paſtores poſuit Doctores. Paſtores ergo, & Epiſcopi Doctoribus præponendi ſunt.

RESOLVTIO.

Doctores approbati ab Eccleſia Epiſcopis ſunt pręferendi: alij vero Doctores, & Scripturæ ſacræ Expoſitores non item. his enim Epiſcopi ſunt præponendi.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſolutio quæſtionis iſtius ponitur 20. di. c. Decretales † vbi dicitur, ꝙ aliud eſt cauſis terminum imponere, & aliud ſcripturas ſanctas diligenter exponere. In negotijs namque diffiniendis non ſolum eſt neceſſaria ſcien-

B tia, ſed etiam poteſtas. Cum ergo negotia quælibet finẽ accipiãt, vel in abſolutione innocentiũ: vel in cõdemnatione delinquentiũ: & abſolutio, vel condẽnatio non ſcientiã tantum, immo poteſtatẽ præſidentium requirat, apparet, ꝙ diuinarum ſcripturarum Tractatores, & ſi ſciẽtia Pontificibus præemineant, tamen quia dignitatis apicem non ſunt adepti in ſacrarum ſcripturarum expoſitionibus, eis præponantur: In cauſis vero diffiniẽdis ſecundum poſt eos locum merentur. Puto tamen, ꝙ in quæſtionibus, in quibus Doctores approbati per Eccleſiam, puta Augu. & alij, aliquid determinate diffinierunt: non ſolum in ſacræ Scripturæ expoſitionibus, immo in quęſtionibus illis per eos determinatis Doctores tales Epiſcopis præferendi ſunt.

† Couarruuias lib. 4. variar. reſolut. cap. 16. verſ. itẽ decretales epiſtolas.

C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd honor poteſt exhiberi alicui dupliciter. Primo tamquam perſonæ publicæ, ratione dignitatis, & præſidentiæ. Secundo tamquam perſonę priuatæ, non poſitę in dignitatis apice, ratione eiꝰ virtutis, & ſciẽtię. Primo modo exhibetur honor Epiſcopis, & alijs Pręlatis. Alio modo exhibetur Doctoribꝰ, & ſacrę ſcripturæ Expoſitoribus, quos tanto decet eſſe humiliores, quanto doctiores ſunt illius ſcientię, quæ non inflat, ſed ædificat. Eccleſia tamen poſt Epiſcopos ſecundum eis honoris tribuit locum.

D AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Apoſtolus dicit, Prophetam maiorem eſſe illo, qui loquitur linguis in ſecretorum reuelatione. quia maioris dignitatis eſt futura, & ſecreta pronunciare, quàm pronunciata loqui, vel manifeſtare: non tamen ſequitur, ꝙ ſint maioris dominij, vel poteſtatis. maioris enim poteſtatis erat Pharao, quàm Ioſeph, cum regali ſolio eum prǣcederet. Sic Epiſcopi pręferendi ſunt Doctoribus in Prælaturæ poteſtate: quàmuis non in ſcientiæ dignitate.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Auguſt. dixit illud verbum cauſa humilitatis. nullum tamen inconueniens eſt, quòd non ſolum Hiero. immo multi alij inferioris gradus in aliquo bono potuerunt eſſe maiores Auguſtino: Immo maiores Apoſtolo Petro. cum ipſe Auguſtinus dicat, ſemper eſſe cogitandum aliquid eſſe in proximo, quo nobis ſuperior eſt.

ARTI-

ARTICVLVS III.

UTRUM IN MODO EXPONENDI ſacram Scripturam Eccleſia Doctorũ regulas debeat imitari.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in modo exponendi ſacram Scripturam Eccleſia Doctorum regulas non debeat imitari. Doctores namque exponunt ſacram Scripturam per legis, & Prophetarum auctoritatem. Dicit enim Richardus in lib. de contemplatione, cap. 81. Quòd ſuſpecta debet haberi omnis veritas, quam non confirmat legis, vel Prophetarum auctoritas: ſed talis modus exponendi non eſt nunc tenendus. Scribitur enim Matth. xj. Lex, & prophetæ vſque ad Ioannem Baptiſtam. F

2 Præterea: Expoſitio ſacræ Scripturæ debet eſſe conformis illis, qui libros ſacræ Scripturæ ediderũt. Sed Doctores multas expoſitiones faciunt, quas omnes, planum eſt, illos non ſenſiſſe. Talis ergo modus exponendi non eſt obſeruandus.

3 Præterea: ſacra Scriptura eſt de his, quæ ſunt fidei. Sed tradere regulas, & veritates de his, quæ ſunt fidei, pertinet ad Eccleſiam, vt patet 24. quæſt. 1. c. Quotiens.

In 6. c. Glorioſus lib. 3. IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de reliq. & vener. Sanct. Doctorũ fœcunda facundia, gratia cœleſtis irrigui influẽte, ſcripturarum ænigmata reſerat, reſoluit nodos, obſcura dilucidat, dubiaque declarat, profundis quoque, ac decoris illorum ſermonibus ampla ipſius Eccleſiæ fabrica velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia ſingulari glorioſius ſublimata coruſcat. G

RESOLVTIO.

Regulæ ſex in exponenda ſacra Scriptura ab Auguſtino poſita ſunt obſeruanda.

Tomo 3. RESPONDEO, dicendum, ꝙ Auguſt. in lib. 1. cap. 18. & ſeq. ſuper Gen. Locis diuerſis ſex regulas ponit obſeruandas eſſe in expoſitione ſacræ Scripturæ. Quarum prima ſumitur penes eius conformitatem. Sic enim (vt dicit) exponenda eſt ſacra Scriptura, vt non velimus eſſe ſcripturarum ſententiam, quæ noſtra: ſed potius illam, quæ ſcripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus. Secunda penes eius dignitatem: quia præponẽda eſt omnibus aliis ſcripturis: maior enim eſt eius auctoritas (vt dicit) quàm omnis humani ingenij perſpicacitas. Tertia penes eius veritatem. cum enim ſacra Scriptura multis modis exponatur & ſecundum multiplicem ſenſum, attendendum eſt: vt dicit Auguſt. cap. 19. Cui expoſitioni cætera conſonant, & concordant: quia nihil dicendum eſt in vna parte Scripturæ, quod impediat aliam: vnde ſi vtrumque ſenſum H

Lib. 2. ſuper Geneſim cap. 5.

E Scripturam ſacram voluiſſe, creditur: videndum eſt ſi vtrique ſententiæ certa circumſtantia ſuffragetur. Quarta penes eius obſcuritatem. Nam obſcuritatem ſacræ Scripturæ (ſicut ait) non debemus in aliquam partem ita pertinaciter aſſerere, ꝙ aliqua labes ſacræ Scripturæ poſſit attribui. Quinta penes eius poſſibilitatem, quando enim poſſumus ſaluare Scripturas ſacras per illa, quæ naturaliter videmus, non debemus (ſicut dicit) recurrere ad diuinam potentiam: vel ad miraculum: vbi tota ratio facti eſt potentia facientis. Sexta penes Expoſitoris grauitatem. Non enim leuiter & inconſultè exponẽda eſt ſacra Scriptura. Sed ſic grauiter, & mature, quòd alijs nos deridendi non tribuatur occaſio: quia turpè eſt nimis, & pernicioſum (vt dicit) Chriſtianos ſic delirare in expoſitione ſacræ Scripturæ, ꝙ infidelis audiens vix riſum tenere poſſit. Lib. 1. cap.

F

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ (ſicut Hiero. dicit) ibi nõ fuit intellectus Euangeliſtæ poſt Ioannem, legem & Prophetas excludere. Legimus enim in Act. Apoſtolorum Agabum prophetaſſe, & quatuor virgines filias Philippi. Sed quòd lex, & Prophetæ, quos ſcriptos legimus, quicquid prophetarunt, de Domino vaticinati ſunt. Quando ergo dicitur vſque ad Ioannem prophetarunt Chriſti tempus, oſtenditur, vt quem illi dixerunt eſſe venturum, Ioannes veniſſe oſtenderet. Act. xj.

G AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit. Aug. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 27. Cum in ſacra pagina vna ſcriptura plures veritates ſonat, licet illam ſecundum quemlibet ſenſum exponere, etiam ſi ille, qui eam ſcripſit, non ſic intellexit, quia Spiritus ſanctus principalis eius auctor intellexit hoc, & quicquid boni ex illa elici poteſt, dum tamen talis expoſitio alia auctoritate, vel ratione probari poſſit. Tomo 3.

AD tertium eſt dicendum, quòd illa, quæ ſunt fidei, Eccleſia recipit, & tradit: recipit namque per ora ſuorum fidelium Spiritu ſancto reuelante promulgata. Tradit verò ſua auctoritate confirmata, & roborata, & per hunc modum recipit, & tradit regulas ſanctorum Doctorum obſeruandas in expoſitione ſacræ Scripturæ.

H

ARTICVLVS IIII.

UTR. ILLORUM DOCTORUM ſolum opuſcula ſint approbata, quæ Eccleſia recipit.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ſolum illorum Doctorum opuſcula, quæ Eccleſia recipit, ſint approbata. iudicio enim Eccleſiæ illa ſolum, quæ recipiuntur, approbantur, ſicut patet Matth. 25. de fatuis Virginibus: quæ ideo non ſunt à Sponſo receptæ quia

non

non fuerunt approbatæ. Solum ergo opuſcula Doctorum, quę ab Eccleſia recipiuntur, ſunt approbata.

2 Prætetea: Illa opera ſolum ſunt per Eccleſiam comprobata, quæ ſunt examinata, & purgata omni falſitate. Dicit enim Auguſt. † ponitur. 9. di. c. Negare. Negare non poſſum, nec debeo multa eſſe in multis opuſculis meis, quæ poſſunt iuſto iudicio, & nulla temeritate culpari. Sed non ſunt examinata niſi quæ ab Eccleſia ſunt recepta, ergo nec approbata.

† lib. 4. de anima, & ei' origine c. 1. To. 7.

3 Prętetea: Dicta Pontificum in quęſtionibus decidendis dictis Doctorum ſunt præponenda; vt ſupra dictum eſt. ſed dicta Pontificum non comprobátur, niſi quæ ab Eccleſia ſunt recepta. Scribitur enim 9. di. c. Quis neſciat. Epiſcoporum litteras, quę poſt confirmatum Canonem ſcriptæ ſunt, vel ſcribuntur, per aliorum Epiſcoporum grauiorem auctoritatem B doctioremq; prudentiam licere reprehendi, ſi quid in eis forte à veritate deuiatum eſt.

In Contrarium eſt. quia 15. d. in illo c. Sãcta Romana. Vbi numerãtur opuſcula Doctorũ, quæ recipiunt in Eccleſia, non numerantur opuſcula Gre. & Dionyſij, & multorum aliorum Doctorum, quæ Eccleſia approbat. Alia ergo ſunt per Eccleſiam approbata præter illa, quæ ibi recipiuntur, & numerantur.

RESOLVTIO.

Libri ab Eccleſia recepti, vel ſunt per firmam adhæſionem approbati, vt ſunt codices veteris, & noui teſtamenti in ſacro Canone poſiti: vel per ipſius Eccleſiæ reſeruationem, vt libri quatuor Doctorum, & reliquorum Patrum: vel per veritatis diſcuſſionem, vt libri modernorum Doctorum.

C

Respondeo, dicendum, quòd libri, qui leguntur in Eccleſia, in triplici † genere ſe habẽt in comprobatione Eccleſiæ. Nam aliqui ſunt comprobati per firmam adhæſionem, vt non liceat alicui nec capiti, nec membris de Eccleſia illos reprobare, vel de eis aliquid dubitare. & tales ſunt libri veteris, & noui teſtamẽti cõtenti in ſacro canone, in quibus ſi aliquid inueniretur, qđ videretur catholicæ veritati aduerſum, nihil aliud eſſet iudicandum à quocumque, niſi vel mendoſum † eſſe codicem, vel non eſſe aſſecutum interpretem, vel non eſſe illud per eum D plene intellectum. Aliqui vero ſunt comprobati, & per ipſius Eccleſiæ reſeruationem, ſicut libri Auguſt. Hierony. Greg. & aliorum doctorum, quorum opuſcula recepta ſunt per Eccleſiam 15. di. † Nec obſtat ꝙ ibi opuſcula Grego. Dioni. & aliorum non ponuntur: quia ibi ſtatim ſubditur: Item opuſcula, atque tractatus omniũ Patrum orthodoxorum, qui in nullo à ſancto conſortio Romanæ Eccleſiæ deuiauerunt nec ab eius fide, & prædicatione ſemoti ſunt, ſed cõmunionis ipſius gratia Dei vſque ad vltimum diem ſuæ vitæ participes fuerunt, legenda decernimus. Talium enim Doctorum libros ſic Eccleſia approbat ſuæ prouiſioni reſeruando: quòd nulli particulariter conceditur auctoritas, eorum dicta reprobare, ſed ea reuerenter venerari. Si autem in eis aliquid inueni-

† Couarruuias lib. 4. variar. reſolut. cap. 14. Franciſcus [illegible] lib. 3. commen. in Decretum, In [illegible] torum commentario 39. ſup quæſt. 23. † c. ego ſolis diſt. 9.

† Eod c. Sancta Romana.

A retur veritati catholicæ aduerſum, hoc reprobandũ, vel exponendum Eccleſia ſuæ prouiſioni reſeruat poſt approbationem factam. Sed aliqui ſunt cõprobati ab Eccleſia per cuiuſlibet veritatis diſcuſſionem Nam Eccleſia nullam veritatem reprobat: nec aliquam falſitatem admittit. ſed ſicut in catholica veritate quicquid noxium eſt, ibi damnatur: quicquid vtile eſt ad ſalutem, ibi inuenitur. ſic libros non ſolum catholicorum, immo paganorum ſuis fidelibus legẽdos, & diſcutiendos exponit per diſputationem, & veritatis indagationem. Et ſic comprobantur per Eccleſiam libri modernorum Doctorum, in quorũ dictis cuilibet particulariter non negatur auctoritas improbandi: vel aliud ſentiendi, ſi vel per canonicas auctoritates, vel per probabiles rationes poſſit B oſtendere, quod à veritate deuiat. ſecundum enim hunc modum Aug. dicta ſua, & aliorum Doctorum exponebat diſcutienda, antequam eſſent per Eccleſiã comprobata, dicens in Epiſtola ad Fortunatum: Neque quorumlibet diſputationes quamuis catholicorum, & laudatorum hominum velut ſcripturas canonicas habere debemus, vt nobis nõ liceat, ſalua honorificentia, quæ illis hominibus debetur, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte inuenerimus, ꝙ aliter ſenſerit, quàm veritas habet, diuino adiutorio, vel ab alijs intellecta, vel à nobis. Nã talis ego ſum in ſcripturis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum. Libri ergo veteris, & noui teſtamenti in ſacro canone contenti comprobati ſunt per Eccleſiam per firmam adhęſionem: libri vero C Doctorum receptorum in Eccleſia comprobati ſunt per ipſius Eccleſiæ iudicij reſeruationem, vt non liceat alicui particulariter temerariè impugnare. Sed libri aliorum Doctorum modernorum, & quorumcumque ſcribentium, comprobantur per cuiuſlibet in diſputando, vel legendo veritatis inquiſitionem. & quàmdiu non ſunt in Eccleſia, & recepti, & eius iudicio reſeruati, licitum eſt alijs illos impugnare, vel approbare.

Tomo 2. Habetur di ſtin. 9. cap. Neque.

Et per hoc patet reſpõſio ad rationes in oppoſitũ.

ARTICVLVS V.

D

VTR. OPERA DOCTORVM, quos Eccleſia canonizat, ex hoc ipſo ſint per Eccleſiã comprobata.

Turrecremata in cap. Sancta Romana 15. diſt quæſt 5. nu. 13. & Doctores canoniſtæ in cap. Fraternitatis. extra de hæret.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ illorum Doctorũ opera, quos Eccleſia canonizat, ex hoc ſint per Eccleſiam comprobata. Scribitur enim Matt. 7. Non poteſt arbor bona fructus malos facere. Si ergo aliquis eſt canonizatus per Eccleſiã, & approbatus, ipſo facto fructus eius, & ſcientia ſua videtur eſſe approbata.

Præterea:

2 Præterea: Eadem ratio eſt de approbatione, & E reprobatione; ſed ſi aliquis eſt damnatus, & reprobatus per Eccleſiam, reprobatur eius doctrina, ſicut patet de hæreticis, qoos damnando, damnatur eorum doctrina. Ergo ſimiliter de approbatione, ꝙ canonizando & approbando aliquem, ipſo facto, eius doctrina videtur eſſe approbata.

3 Præterea: Maioris auctoritatis ſunt dicta Doctorum, quos canonizat Eccleſia, quàm Philoſophorum, & Paganorum; ſed illa non reprobat Eccleſia, vt patet 37. diſtinct. auctoritate Ambro. & Iſido. Ergo nec dicta Sanctorum, quæ per Eccleſiam canonizantur.

In Contrarium eſt: quia ſcientia non approbatur per Eccleſiam, niſi fuerit in canone F recepta, ſicut non habetur canonizatus ſanctus niſi ſit in Cathalogo Sanctorum ſcriptus: ſed non omnia dicta Sanctorum, quos Eccleſia canonizat, ſunt in Canone recepta. Ergo nec approbata.

RESOLVTIO.

Libri Doctorum omnium, quos Eccleſia canonizat, per conceſſionem legendi, comprobati ſunt: ſed per prohibitionem aliter opinandi, non item.

Respondeo, dicendum, qoòd doctrinam Doctorum, quos Eccleſia canonizat, approbari per Eccleſiam, poteſt intelligi dupliciter. Primo G per conceſſionem legendi. Secundo per prohibitionem aliter opinandi, vt ꝙ non liceat alicui particulariter ſentire aliter, quàm ipſi ſenſerint. Primo modo, Ex quo ipſi in fide Eccleſiæ vixerunt à principio vſque ad finem, concedit Eccleſia eorum dicta legi, & teneri, niſi aliquid contra fidem dictom in eorũ dictis inuenitetur, ſicut patuit de Abbate Ioachim, de quo ſcribitur extra de fide cath. cap. Damnamus. Damnamus, & reprobamus libellum, ſeu tractatũ, quem Abbas Ioachim compoſuit contra magiſtrũ Petrum Lombardum de Trinitate, ſeu eſſentia Trinitatis; ipſum tamen Ioachim Eccleſia non damnauit: quia ſua ſcripta iudicio ſedis Apoſtolicæ approbanda, & corrigenda tranſmiſit, & in cedula † H quam manu ſua ſcripſit, cõtinebatur, ſe illam fidem tenere, quam tenet Eccleſia, quæ omnium fidelium Mater eſt, & Magiſtra. Sed ſecundo modo non. poteſt enim aliquis pro ſancto canonizari propter ſanctitatem vitæ, & coroſcationem miraculorum abſque eo, quòd prohibeatur, vt non liceat aliter ſentire de ſcriptis eius, quàm ipſe ſenſerit, & abſque eo, quòd eius opera recipiantur in Canone aliorum Doctorum. ſicut econuerſo quorundam Doctorum dicta approbat Eccleſia, quos tamen non canonizat. ſicut approbauit Eccleſia ſententiam Magiſtri Petri Lombardi, vt patet extra de ſumma Trin. & fide catho. quem tamen non canonizauit: & recipit ſimiliter Eccleſia aliqua dicta Origenis, & tamen ipſum in Catalogo Sanctorum non ſcripſit.

† Hanc cedulā refert Franciſcus Pegña lib. 1. commētar. in Directo. Inquiſitor. cōmentario primo.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd ibi arbor bona accipitur pro voluntate, cuius fructos nõ eſt propriè ſciẽtia; ſed magis eſt fructus intellectus, niſi fortè imperatiuè. poteſt enim ſtare bonitas vo- F luntatis ſimul cum ignorantia intellectus; Quamuis enim omnis malus fructus ſit ignorantia, vt Philoſophus dicit, intelligitur de ignorantia prudentiæ, quę eſt recta ratio agibilium vniuerſaliter reſpectu debiti finis; ſed particulariter bonitas voluntatis ſtare poteſt cum ignorantia intellectus. Et multi poſſunt vigere veritate, & claritate intellectus cum prauitate voluntatis: & quia bonitas voluntatis facit bonum hominem ſimpliciter; veritas verò, & claritas intellectus facit bonum hominem ſecundum quid: ideo Eccleſia canonizando aliquem propter charitatem, & ſanctitatem vitæ, non ſequitur ex hoc ipſo, qoòd eius doctrinam approbet, illo modo ap- G probationis, quo approbata eſt doctrina illorum Doctorum, quorum opuſcula in Eccleſia ſunt recepta.

Ariſt. lib. 3. Ethi. c. 1. & lib. 6. c. 12. & 13.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſi aliquis damnatur per Eccleſiam, reprobatur ſimilirer eius doctrina: ſi illam pertinaciter contra Eccleſiam defendebat: poteſt tamen doctrina improbari, & non Auctor doctrinæ, ſicut dictũ eſt de Abbate Ioachim. ſola enim pertinacitas facit hominem hæreticum: ſic poteſt aliquis pro ſancto canonizari, & eius doctrina non approbari.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile de doctrina Philoſophorum, & de doctrina fidei. in illa enim licet abſq. detrimento ſalutis contrariè, & diuerſimode opinari; ſed non ſic eſt de do- H ctrina fidei, in qua ſicut laborioſius aliquid non quæritur, & fructuoſius aliquid non inuenitur; ſic periculoſius alicubi nõ erratur, vt dicit Augu. 1. de Tri. cap. 3.

QVAEST. CI. QVOMODO APOSTOLORVM PERFECTIO REPRAESENTATVR IN PAPA.

VISVM eſt quomodo ſtatus perfectio in Chriſto fuit exemplariter demonſtrata, & quomodo ab eo in eius Apoſtolos fuit deriuata, et qualiter in primitiua Eccleſia extitit obſeruata. Nunc videndũ, quomodo in viris Eccleſiaſticis præſentis temporis eſt repræſentata, accipiendo Eccleſiaſticos viros non ſolum illos, qui aſſumuntur, ſed eos, qui idoneitatem habent, vt ad gradũ Eccleſiaſticum aſſumi poſſint. Circa quod Duodecim conſideranda occurrunt. A

Primo, qualiter ſtatus perfectio repræſentatur in Papa. B
Secundo, quomodo in Cardinalibus.
Tertio, qualiter in Epiſcopis.
Quarto, quomodo in Curatis, & Presbyteris.
Quinto, quomodo in Religioſis mendicantibus.
Sexto, quomodo in Religioſis in communi poſſeſſiones habentibus.
Septimo, q̃uo in ſacra Scriptura Prædicatoribus.
Octauo, quomodo in Magiſtris, & Doctoribus.
Nono, quomodo in Medicis.
Decimo, quomodo in Notarijs.
Vndecimo, quomodo in Aduocatis.
Duodecimo, qualiter in Iudicibus, & Rectoribus. C

Circa primum quæruntur Octo.

PRIMO, *Vtrum Papa ſit in perfectiori ſtatu, quàm aliquis Epiſcoporum.*
Secundo, Vtrum Papa perfectionis ſtatum Chriſti, & Apoſtolorum perfectiori modo repræſentet, quàm aliquis Religioſorum.
Tertio, Vtrum Papa poſſit eſſe in perfectionis ſtatu abſque eo, quòd ſit perfectus.
Quarto, Vtrum in Papa exterior apparatus diminuat de eius perfectionis ſtatu.
Quinto, Vtrum in Papa adminiſtratio temporalium diminuat de perfectione ſtatus eius. D
Sexto, Vtrum in Papa determinatio cauſarum diminuat de eius perfectionis ſtatu.
Septimo, Vtrum in Papa habere dominiũ, & vſum rerum diminuat de ſtatu perfectionis eius.
Octauo, Vtrum Papa poſſit omnis perfectionis ſtatum mutare.

ARTICVLVS I.

VTRVM PAPA SIT IN perfectiori ſtatu, quàm aliquis Epiſcoporum.

Ad materiam huius quæſtionis faciunt tradita per S. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 4. 5. & aliquot ſeq.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non ſit in perfectiori ſtatu, quàm aliquis Epiſcoporum. quia aut eſt in perfectiori ſtatu ratione, qua Epiſcopus: aut ratione, qua Papa. Non ratione, qua Epiſcopus. quia in perfectionis ſtatu omnes Epiſcopi ſunt æquales: Nec ratione, qua Papa, quia in Papatu non emittit votum de cura totius Eccleſiæ habenda. tunc enim non poſſet cedere Papatui: quàmuis enim ſecundum Aug. vouere ſit volũtatis, reddere tamen eſt neceſſitatis: vnde in perpetuum cogeret curam ſuſceptam tenere. In pſal. 75. Tomo 8.

2 Præterea: Bern. dicit ad Eugenium lib. 4. prope finem: Ante omnia conſidera Sanctam Romanam Eccleſiam, cui, Deo auctore præes, Eccleſiarum omnium eſſe matrem, nõ dominã: te verò non dominũ Epiſcoporum, ſed vnum ex ipſis, non eſt ergo ipſe in perfectiori ſtatu, quàm vnus alter Epiſcopus. Lib. 4. prope finem.

3 Præterea: Perfectio ſtatus Epiſcoporum ſtat in hoc, vt ſit paratus pro ouibus animam ſuam ponere: ſed vltra illud non poteſt ſe extendere charitas Papæ, ſecundum regulam datam à Chriſto Ioan. 15. Maiorem charitatem nemo habet, vt ponat animam ſuam pro amicis ſuis.

IN CONTRARIVM eſt. quia in perfectiori ſtatu eſt perficiens, quàm perficiendus. Sed omnes Epiſcopi perficiuntur per Papam. commiſſæ namque ſunt ſibi oues, & Paſtores: alijs autem Epiſcopis ſolum oues, & non Paſtores, ſicut dicit gloſſa Ioan. vlti. ſuper illo verbo: Paſce oues meas.

RESOLVTIO.

Papa in perfectiori ſtatu, quàm quiuis Epiſcoporũ eſt, cum in ipſo maior charitas, quàm in quocunque Epiſcopo, hoc eſt, intenſiuè, extenſiuè, & permanſiuè requiratur, & eſſe cenſeatur.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ ſicut dicit Aug. ad comitem Bonifacium: Quanto ardentius

Te Deus

Deus amatur: tãto maior perfectio amantis demonſtratur. tanto ergo ſtatus perfectio maior cenſetur in Papa, quàm in quocũq; alio Epiſcopo: quãto eius ſtatus maiorem, & perfectiorem charitatem requirit, quàm ſtatus cuiuſcumque Epiſcopi; vel Paſtoris. Et poſſumus dicere, ꝙ ſtatus Papæ maiorem charitatem requirit intenſiue, extenſiue, & permanſiue.

Tom. 9. De laudib' charitatis.

Intenſiue quidem Auguſt. aſſignat quatuor gradus perfectæ charitatis in libello de quatuor virtutibus charitatis, exponens illa verba Apoſtoli prima Cor. 13. Charitas omnia tolerat, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet, dicẽs, ꝙ primus grad' charitatis eſt omnia ſufferre per aduerſitatis patientiã. Secundus eſt omnia ſibi à Deo iuſſa credere, & implere per carnalitatis reſiſtentiã. Tertius eſt omnia ſperare per voluntatis obedientiam. Quartus eſt omnia ſuſtinere per ſalutis omnium cõcupiſcentiam. Primus gradus charitatis, vt ait, oſtenſus eſt in Noe, qui creſcente hominis iniquitate, pronunciato ſibi diluuio, ſtatim cõfugit ad lignũ arcę, vbi tolerauit cœli fremitũ, aquarum ſonit', & factus ſocius ſerpentũ, ac ferarum: non expauit, vt mergeretur: quia Chriſti charitate firmatus ligno crucis portabatur. Secundus gradus oſtenſus eſt in Abraham, qui filio vnigenito non pepercit, credens firmiter filium ſuum immolãdum, & filio Dei reſurrecturum reſeruandũ, & eius ſemen per eum poſtmodum multiplicandum: ſicut ſibi promiſſum fuerat. Tertius gradus oſtenſus fuerat in populo iſraelitico, qui terram ei promiſſam firmiter ſperauit, & obtinuit, iuxta illud Pſal. 21. In te ſperauerunt Patres noſtri: ſperauerunt, & liberaſti eos. Quartus gradus oſtenſus eſt in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui mortem ſuſtinuit, vt mortẽ vinceret. Planum eſt autem, ꝙ Papa vicem gerit omnium ſupradictorũ. Vnde eius charitas gradus perfectionis ſupradictos requirit. Extenſiue autem cum ſit ſibi commiſſa cura non vnius Eccleſiæ, nec vnius plebis, ſed totius mundi: ad plures ſe debet extendere eius charitas, quàm cuiuſcumque Epiſcopi, vel Paſtoris: ſicut aliorum poteſtas certis coarctatur limitibus, ſua vero ad ipſos, qui poteſtatem ſuper alios acceperant, ſe extendit. In cuius ſignum Petrus, cuius ipſe ſucceſſor exiſtit, tunica ſuccinxit ſe, & proiecit ſe in mare: & ſic venit ad Chriſtum. alij autẽ nauigio venerunt, quia non vnam nauim, vt cæteri quiſque ſuam: ſed totum ſeculum Petrus ſuſcepit gubernandum. Quòd autem permanſiue charitas ſit maior, verbis Saluatoris oſtenditur Lucæ 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, ac ſi diceret, vt glo. di. Sicut ego tuam fidem, ne deficiat, orando, protexi: ita tu infirmiores fratres, ne de venia deſperent, confortare memento.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd Papa eſt in perfectiori ſtatu, quocumque particulari Paſtore, ratione, qua Papa, cui conſentiendo libere per legitimam electionem voto ſe aſtringit ad curam totius Eccleſiæ fideliter exequendam, poſſibilitate exiſtente: Nam impoſſibilitas exequendi mandatum

E à mandato excuſat. Sic impoſſibilitas implendi votum; vel ratione ignorantiæ: aut infirmitatis à voto excuſat: Non enim cura Eccleſiæ ſuſcipitur vt eius regimen periclitetur: ſed vt ſaluetur. Vnde, iuſta cauſa exiſtente, Papatui renunciare poteſt, vt ſupra dictum fuit.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Bern. negat Papam eſſe Dominum omnium Epiſcoporum, ſubſeruiente humilitate. Secundum quem modum dicit ad eundem. Euge, ꝙ ſummus Pontifex ipſe non erat, ſi ſe ſummum putabat. Sed imperante poteſtate ipſe confitetur Papam eſſe Dominum Epiſcoporum, & ſubditorum. Dicit enim ibi. Nonne ſi cauſa extiterit in Epiſcopo. cælum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, & Satanæ tradere potes.

F Ad tertium eſt dicendum, quòd vltimus grad' charitatis eſt animam pro ouibus ponere. ſed cum Epiſcopi ſinguli in partem ſolicitudinis ſint aſſumpti, Papa vero in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit; tanto perfectiori modo talis gradus charitatis in Papa eſſe requiritur, quanto pro pluribus, & pluribus modis voto ſe obligat animam pro ouibus, & paſtoribus ponere, quàm quilibet Epiſcoporum.

ARTICVLVS II.

VTRVM PAPA PERFEctionis ſtatum Chriſti, & Apoſtolorum perfectiori modo repræſentet, quàm Religioſi.

G A D ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa perfectionis ſtatum Chriſti, & Apoſtolorum non perfectiori modo repreſentet, quàm Religioſi. Inter omnia enim, quæ faciunt ad perfectionis ſtatum, eſt votum obedientiæ. ſed Papa nulli homini obedire tenetur: Religioſi autem voto obedire homini ſe aſtringũt. Perfectiori ergo modo ipſi repræſentant Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, quàm Papa.

2 Prçterea: Abdicatio temporalium maxime repræſentat perfectionem ſtatus Chriſti, & Apoſtolorum. cum Petrus in perſona perfectorum dixerit: H Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Sed in hoc Religioſi magis imitantur Chriſtum, & Apoſtolos, quàm Papa.

3 Præterea: Chriſtus prædixit Apoſtolis eſſe ieiunandum poſt eius receſſum. Matth. 9. Venient dies cum ſponſus auferetur ab eis, & tunc ieiunabunt. ſed Religioſi in ieiunijs, & vigilijs magis ſequuntur Chriſti, & Apoſtolorũ veſtigia, q̃ Papa. Magis ergo repræſentãt Chriſti, & Apoſtolorũ pfectionis ſtatũ.

In Contrarium eſt. quia nulli dictũ eſt à Chriſto: Paſce oues meas, loco mei. Io. vlt. ſicut Petro, cuius Papa ſucceſſor exiſtit. Nullus ergo perfectiori modo repræſentant perfectionis Chriſti ſtatum ſicut ipſe.

RESO-

R E S O L V T I O.

Papa ſupremū gradū perfectorū, non perficiendorū tenens, perfectionis Chriſti, & Apoſtolorum ſtatum perfectiori modo, quàm Religioſi, repræſentant.

RESPONDEO, dicendū, ꝙ repræſentare Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, poteſt intelligi dupliciter. Primo, per eorum iam perfectorum ſucceſſionem. Secundo, per ipſorum Apoſtolorum, quaſi perficiendorum imitationem. Primo modo Religioſi non repræſentant Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, ſed ſolum Papa, & Epiſcopi. Solus enim ſummus Pontifex, vt di. Bern. ad Euge. lib. 2. repreſentatione eſt Sacerdos magnus B Princeps Apoſtolorum, Primatu Abel: Gubernatu Noe: Patriarchatu Abrahā: ordine Melchiſedech: Dignitate Aaron: Auctoritate Moyſes: Iudicatu Samuel: Poteſtate Petrus: Vnctione Chriſtus. Sed ſecundo modo quantum ad illa, quæ faciunt ad acquirendum perfectionis ſtatum, eſſentialiter adhuc Papa magis repręſentat Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, quàm aliquis Religioſorum. obligat enim ſe voto pro ouibus, & Paſtoribus animam ponere. vltra quem gradum charitas, quæ eſt perfectionis vinculum, non ſe extendit. Sed quantum ad illa, quę faciunt ad acquirendum perfectionis ſtatū inſtrumentaliter, ſicut eſt temporalium abdicatio: in ieiunijs, & vigilijs exercitatio; magis imitantur Apoſtolorum veſtigia Religioſi, quàm Papa, vel Epiſcopi: Sed hoc non eſt repræſentare Apoſtolorum C ſtatum iam perfectorum, ſed magis perficiēdorum. Dicebatur enim ſupra, quòd Chriſtus prius vocauit Apoſtolos ad ſtatum Religionis, tamquam perficiendos, quàm ad ſtatum Prelationis tamquam iam perfectos. Papa autem non eſt in ſtatu perficiendorum, ſed in ſtatu perfectorum ſupremum gradum tenet.

Papæ repræſentationes

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd obedire homini propter ſe, nō eſt perfectionis, ſed potius ſeruilis timoris. Eſt ergo perfectionis obedire homini propter Deum. vt quia propter vnumquodque tale, & illud magis. Ideo ſcribitur Act. 5. Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Tanto ergo perfectiori modo Papa voto obedientiæ aſtringitur, D quanto ſua obedientia ſumitur reſpectu Dei ſolum, cuius vicarius exiſtit.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ maioris perfectionis eſt eſſe patrem pauperum, quàm rebus temporalibus renunciare, & eſſe in voluntaria paupertate. quia primum proprium eſt perfectorum: ſecundum autem eſt perficiendorum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Vigiliæ, & ieiunia ſunt quædam viæ inſtrumentaliter perueniendi ad perfectionis ſtatum. Dicit enim Aug. in Epiſt. 86. de ieiunio diei ſabbati: Fieri enim poteſt, vt ieiunetur modo quo Eccleſia ſtatuit ieiunādū, & tamē ieiuniū ſoluitur, ſi quis ebrioſus in ipſa vna comeſtione inebrietur: & fieri poteſt, vt non ieiunetur ieiunio Eccleſiæ: etiamſi temperati, & abſtinentes ſint homines,

Tomo 2.

A atque modeſtiſſime prandeatur. Eſſentialiter ergo ad perfectionis ſtatum facit Charitas, quæ ſola vltimo fini hominem coniungit: in cuius coniunctione vniuſcuiuſque membri Eccleſiæ perfectio conſiſtit.

ARTICVLVS III.

VTRVM PAPA POSSIT eſſe in ſtatu perfectionis abſque eo, quòd ſit perfectus.

B. Thomas 2.2. quæſt. 184. art. 4.

B AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit eſſe in perfectionis ſtatu abſque eo, ꝙ ſit perfectus. Dicit enim Ber. ad Eug. De cætero teipſum cōſidera: formam iuſtitiæ: ſanctimoniæ ſpeculum: pietatis exēplar: aſſertorem veritatis: fidei defenſorē: doctorem gentium: chriſtianorum ducem: amicum ſponſi: cleri ordinatorem: paſtorem plebium: magiſtrū inſipientium: refugium oppreſſorum: pauperum aduocatum: ſpem miſerorum: tutorem pupillorū: iudicem viduarum: oculum cæcorum: linguam mutorum: baculum ſenum: vltorem ſcelerum: malorum metum: bonorum gloriam: virgam potentū: malleum tyrannorum: Regum patrem: legum mo- C deratorem: canonum diſpenſatorem: ſal terræ: orbis lumen: ſacerdotem altiſſimi: vicarium Chriſti: ſed omnia iſta ſonant ipſum fuiſſe perfectum, & in perfectionis ſtatu. vnum ergo iſtorum ſine altero eſſe non poteſt.

Lib. 4. Papę encomia, & nomina varia.

2 Præterea: Perfectum hominem facit perfectio charitatis. ſed ad perfectam charitatem ſpectat, ꝙ quis exiſtens liber ſe ſeruum omnium faciat propter Chriſtum 1. Corin. 9. Cum eſſem liber, ex omnibus omnium me ſeruū feci. ſed hoc facit quilibet Papa curam vniuerſalis Eccleſiæ ſuſcipiendo.

3 Prętérea: Apoſtoli fuerunt perfecti, & in perfectionis ſtatu. ſed Papa gerit vicem capitis Apoſtolorum. Ergo ſic eſt in perfectionis ſtatu, quòd tamen eſt perfectus.

D IN CONTRARIVM eſt. quia nullus eſt perfectus, niſi per charitatem, quę eſt vinculum perfectionis. ſed Papa poteſt perdere charitatē, cum ſit purus viator, nondū confirmatus in gratia. Ergo poteſt eſſe in perfectionis ſtatu, & tñ nō eſt perfectus.

R E S O L V T I O.

Papa quamuis perfectus non eſſet, eſt tamen in ſtatu perfectionis. Nā ſtatū perfectionis facit voti perpetua obligatio: perfectū vero impletio, atq; executio.

RESPONDEO, dicendum, quòd differt eſſe in perfectionis ſtatu, & eſſe perfectum, quantum ad præſens, in tribus. Primo, quia perfectionis ſtatum facit voti perpetua obligatio, perfectum vero facit voti impletio, & executio.

Secundo, quia ad perfectionis ſtatum facit tempo- E ralũ abdicatio, & exercitatio eorũ, quæ ſunt ſupererogationis opera: per hæc enim quis conſtituitur in perfectionis ſtatu. Iuxta illud, quod Saluator dixit Matth. 19. Si vis perfectus eſſe; vade, & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. perfectum vero eſſentialiter facit ſolũ Dei, & proximi ſuperexcedens dilectio. Nam ille Scriba, planum eſt, ꝙ noluit ſequi Chriſtum Matth. 8. Magiſter ſequar te quocumque eris. perfectionem tamen non meruit obtinere, quia non ex dilectione, ſed temporalis lucri acquiſitione Chriſtum ſequi cupiebat.
In Mat.c.8 vt Hiero. dicit. Tertio quia perfectus quis poteſt eſſe in omni vocatione, in qua uocatus eſt. ſed non in omni vocatione homo poteſt eſſe in perfectionis ſtatu. Contingit enim, aliquos in omni vocatione perfe- F ctionis opera facere, & ſic perfectos eſſe, non tamen vouentes, & ſic non eſſe in perfectionis ſtatu. Alios vero contingit, totam vitam ſuam voto obligantes ad perfectionis opera, & ſic eſſe in perfectionis ſtatu. qui ſi non implent, quæ vouerunt, conſtat eos perfectos non eſſe. Poteſt ergo Papa perfectus non eſſe, non obſtante, ꝙ ipſe ſit in ſummo perfectionis ſtatu.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ Bernar. enumerat illa Eugenij Papæ, ad quæ ipſe voto aſtringebatur, cura Eccleſiæ ſuſcepta: & quæ requirebãtur ad perfectionis ſtatum, ad quem ipſe vocatus erat, quæ ſi ipſe non implebat, ſic erat in perfectionis ſtatu, ꝙ tamen non erat perfectus. G

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Papa ſe facit ſeruum omnium in his, quæ pertinent ad animarum ſalutem. Dicit enim Bernar. ad Eugen.
Lib. 1. Numquid Paulus hominibus inſeruiebat in acquiſitione turpis quæſtus? Numquid ad eum de toto orbe confluebant ambitioſi, auari, ſimoniaci, ſacrilegi, concubinarij, inceſtuoſi, vt ipſius auctoritate Apoſtolica, vel obtinerent honores Eccleſiaſticos, vel
1. Cor. 9. retinerent? planum eſt autem, ꝙ fecit Paulus ſe ſeruum omnium, cui viuere Chriſtus erat, & mori lucrum, vt plures lucrifaceret Chriſto, non vt lucra augeret auaritiæ.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Apoſtoli poſtquam fuerunt in perfectionis ſtatu, à perfectione deciderunt, quando Chriſtum negauerũt. quantę enim H perfectionis fuerit Petrus Apoſtolorum caput, cuius Papa ſucceſſor exiſtit, ancilla oſtiaria requiſita dicat, vna enim mulieris voce percuſſus, dum mori timuit, vitam negauit, vt Gregorius dicit.
Hom. 30. in Euang. Sed verum eſt, quòd poſt receptionem Spiritus ſancti ſic fuerunt in perfectionis ſtatu, quòd ſemper fuerunt perfecti.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM EXTERIOR APPAratus in Papa diminuat de eius perfectionis ſtatu.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in Papa exterior apparatus diminuebat de eius perfectionis ſtatu. Omne enim illud in quo Papa non ſuccedit Petro, diminuit de eius perfectionis ſtatu: ſed in exteriori apparatu Papa non ſuccedit Petro, ſed magis Conſtantino. Dicit F enim Bern. ad Euge. Neſciuit Petrus aliquãdo præ- De conſide. lib. 4. ceſſiſſe, vel gemmis ornatus, vel ſericis, nec tectus auro, nec vectus equo albo, nec ſtipatus militibus, nec circumſtrepentibus ſepius miniſtris. abſque his tamẽ credidit, ſatis poſſe impleri ſalutare mandatũ: Si amas me, paſce oues meas. In talibus enim Euge- Ioan. vlt. ni ſucceſſiſti non Petro, ſed Conſtantino.

2 Præterea: Papa ſicut Chriſti officium adminiſtrat, ſic eius vitæ imitator, eſſe debet. Sed de Chriſto ſcribitur Matth. 21. ꝙ ingreſſus Hieruſalem ſedit ſuper aſinam, vbi di. Chriſ. ꝙ non ſedit in curru aureo, prætioſa purpura fulgens. nec aſcendit ſuper feruidum equum diſcordiæ, & litis amatorem, ſed ſuper aſinam tranquillitatis, & pacis amicam.

3 Præterea: Secundum Hiero. illud verbum Mat- In c. 18. thei: Qui autem ſcandalizauerit vnum de puſillis G iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius; Apoſtolis intelligitur eſſe dictum, qui ſi in illo vitio permanſiſſent, vt de dignitate dominandi contendeŕet; poterant eos, quos ad fidem vocabant, per eorum ſcandalum perdere, dum Apoſtolos vidiſſent inter ſe de honore pugnare. Sed multi ſcandalizantur de comitiua Papæ militum, & armatorum, & curioſa paratura equorum, & veſtimentorum. Ergo hoc diminuit de eius perfectionis ſtatu.

In Contrarivm eſt. quia Papa, & alij Epiſcopi vice illorum gerunt, de quibus dicitur in Pſal. Nimis honorati ſunt amici tui Deus. nimis cõ- Pſal. 138. fortatus eſt principatus eorum.

RESOLVTIO.

Papa propter exteriorem apparatum de ſua perfectione non diminuit, ſed honorem, & magnificentiam in Chriſti gloriam refert propter Chriſti ſacerdotij honoris reuerentiã, propter Populi ſubiecti obedientiã, & propter malorum malitiam reprimendam.

Respondeo, dicendum, quòd ſicut omnis gloria filij Regis, puta ipſius Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, eſt ab intus: ſic omnis gloria Papæ miniſtri Chriſti principalis ſponſi Eccleſiæ ab intus eſſe debet. Eſt autem tunc gloria ab intus ſecundum Aug. quando omne bonum, quod quiſque Chriſti munere facit, & de omni honore ſibi impenſo in Chriſti glo-

gloriā refert. Poteſt autē Papa exteriorem apparatū honoris, & magnificentiæ in Chriſti gloriam referre tripliciter. Primo propter Chriſti ſacerdotij honoris reuerentiam. Secundo propter populi ſubiecti obedientiam. Tertio propter malorum reprimendā malitiam. Planum eſt enim, ꝙ longe maioris dignitatis, & excellentiȩ eſt ſacerdotium Chriſti, quàm fuerit ſacerdotium leuiticum; cum hic non carnes vitulorum, & hircorum, ſed vera Chriſti caro immoletur, & ſumatur. Quanta autem exteriori paratura fuerit honoratum, & ornatum illud ſacerdotiū, longus tractatus fit in Exodo, & in alijs libris canonis ſacri: Scribitur enim Sapien. 18. ꝙ in veſte poderis, quam habebat Aaron, totus erat orbis terrarum, & Parentum magnalia in quatuor gradibus lapidum erāt ſculpta. & magnificentia Dei in diademate capitis illius erāt ſcripta. B Multo ergo magis dignum eſt Chriſti ſacerdotium omni paratura honoris, & gloriæ adornari. Secundo debet eius paratura ordinari ad populi ſubiectam obedientiā. Deſpectio enim Prælatorum in ſubditis quandoque parit contemptum, & ideo decet Chriſti vicarium glorioſum in conſpectu populi apparere. ne, dum apud illos, quos oportet eſſe ſubiectos, ſi nimiæ deiectionis ſeruaretur humilitas, regendi frangeretur auctoritas. *Aug. in Regula.* Tertio ordinanda eſt talis paraturæ quandoque propter malorum reprimendam malitiam, ne aliqui maleuoli attentarent tyrannicam rabiem exercere in illum, qui loco Chriſti poſitus eſt in malleum, & tyrannorum flagellum. Semper tamen in tali exteriori apparatu temperantia, & modeſtia eſt ſeruanda, ne in C chriſtiano populo materia ſcandali tribuatur, & ambitio, & mundi gloria quæratur. Dicit enim Bern. ad Eug. lib. 3. ꝙ nullum venenum, vel gladium acutum tantum ſibi timebat, quantum ambitionem, & libidinem dominandi.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicēdum, quòd Papa ſuccedit Petro in exteriori apparatu, quantum ad iuriſdictionem. Statim enim, receptis clauibus, Petrus loco Chriſti verus, & legitimus Dominus fuit omnium temporalium, & ſpiritualium. Sed quantum ad actualem poſſeſſionem, & adminiſtrationem verum eſt, quòd in tali exteriori apparatu ſucceſſit Cō- D ſtantino; Ita, ꝙ illa, quæ Conſtātinus Dei beneficio recepit, de manu Domini hæc ipſa tribuit Siluestro, Vicario eius, modo, quo dixit Dauid 1. Paralip. vlt. Tua ſunt, Domine, omnia: & quȩ de manu tua accepimus dedimus tibi.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Papa debet eſſe Chriſti imitator in mentis humilitate. ſic enim Chriſtus dixit Matth. xj. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Exteriorem tamen honoris, & reuerentiæ poteſtatem in Chriſti gloriam ipſe debet recipere, & referre: vt quantum Chriſtus in cruce fuit humiliatus, tantum propter crucem in eius Vicario ſit honoratus, & exaltatus, dicendo ſemper in mente ſua cum Propheta: Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuȩ da gloriam. Modeſtia tamen A in ipſa apparatura, & equitatura eſt ſeruāda propter ſcandalum puſillorum vitandum. Dicit enim Chryſoſt. ſuper Matth. 22. Mihi autem videtur, ꝙ non propter myſterium ſolum Chriſtus ſuper aſinam ſedit: ſed & menſuram nobis Sapientiȩ tribuens demonſtrauit, ꝙ non ſuper equum ferri neceſſe eſt: ſed ſufficit Aſino vti, & eo, quod neceſſitatis eſt, eſſe cōtentum.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ ſi debita modeſtia ſeruetur in exteriori apparatu, non datur occaſio ſcādali, cum talia non impendantur homini, ſed Chriſto, cuius vicarius exiſtit. ſummo tamen opere ſtrepitus armatorum vitandus eſt à Papa, cum arma militiæ ſuæ non carnalia, ſed ſpiritualia eſſe debeant. niſi forte in caſu, cum timerentur inſidiæ malignorū. B fecit enim Paulus Act. 23. Cum equites, & pedites armatos ſecū ſic ire permiſit, ne incideret manus illorum, qui deuouerant, ſe non manducaturos, nec bibituros, donec eum interficerent.

ARTICVLVS V.

UTRUM ADMINISTRATIO temporalium diminuat in Papa de eius perfectionis ſtatu.

AD quintum ſi proceditur. Videtur enim, ꝙ in Papa adminiſtratio temporaliū diminuat de eius C perfectionis ſtatu. Nā perfectio ſtatus conſiſtit in Dei cōtemplatione. Dicit enim Ber. ad Euge. lib. 1. Contēplatio eſt, quæ mentem purificat, affectum regit, actus dirigit, exceſſus corrigit, mores componit, vitam honeſtat, & ordinat: poſtremo diuinarum pariter, & humanarum ſcientiam confert. Sed temporalium adminiſtratio diſtrahit mentem à contemplatione. Ergo ſeparat Papam à ſtatus perfectione.

2 Præterea: Papa eſt ſucceſſor Petri: ſed Petrus non dimiſit Papæ temporalium adminiſtrationem, ſed ſolum Eccleſiarum ſolicitam gubernationem. Act. 3. Argentum, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, tibi do. Ergo talis adminiſtratio diminuit de perfectionis ſtatu.

D 3 Prȩterea: Papa præeſt contemplatiuis, & actiuis viris de Eccleſia. quia præeſt Paſtoribus, & ouibus, Religioſis, & Clericis, litteratis, & Laicis. ſed perfectiori modo eis præeſt per contemplationem, quàm per temporalium adminiſtrationem. Dicit enim Bernar. ad Eug. li. 1. Contēplatio, confuſa diſcriminat: ſparſa colligit: ſecreta rimatur: vera inueſtigat: veriſimilia examinat: ficta, & fuſcata explorat: quæ agenda ſunt præordinat: acta recogitat: in proſperis præſentit: aduerſa in aduerſis quaſi non ſentit: nihilque incorrectum dimittit. Ergo * aſſiſtere in adminiſtratione temporalium diminuit de perfectionis ſtatu. ** al. inſiſtere.*

IN CONTRARIVM eſt. quia ſi adminiſtratio temporalium diminuit de perfectionis ſtatu

tunc Prælati Religioſorum,& alij officiales temporalia adminiſtrantes, & procurantes caderent à perfectionis ſtatu,quod non eſt dicendum.

RESOLVTIO.

Adminiſtratio temporalium in Papa eius perfectionem non diminuit, ſed auget, ſi ſolicitudo huiuſmodi adminiſtrationis delectamentum propriæ tantum contemplationis pro ſalute proximorum tollit. Si autẽ ſolicitudo illa charitatis tantum feruorem diminuit; eſt peccatum veniale: ſi verò charitatis terminũ, & complementum tollit, eſt peccatum mortale.

RESPONDEO, dicendum, q̃ exiſtentibus in perfectionis ſtatu, ſolicitudo, non prouidẽtia temporalium interdicitur. Importat enim prouidẽtia temporalium ordinatam diſpenſationem: ſed ſolicitudo importat mentis diſtractionem, quæ tribus modis poteſt fieri. Aut enim talis ſolicitudo erga temporalia tanta eſt, q̃ tollit charitatis terminum,& complementum. Aut talis eſt, q̃ tollit charitatis feruorem, & augmẽtum. Aut talis eſt,q̃ tollit propriæ contemplationis, pro ſalute proximorum, delectamentum. Primo modo ſolicitudo in temporalium adminiſtratione eſt peccatum mortale. Si enim ſic temporalia adminiſtrentur, vt præponantur bona ſpiritualibus, & præfigãtur tamquàm finis; certum eſt, q̃ eſt peccatum mortale. Secundo modo eſt peccatum veniale. cum enim appetitus ſenſitiuus intentus circa temporalia trahat appetitum intellectiuũ, ſicut ſphæra trahit ſphærã: nõ poteſt temporaliũ adminiſtratio fieri, quin aliquo modo feruor charitatis inflammantis voluntatem diminuatur, vel remittatur. Ex quo tamen finis non tollitur,ſed feruor tẽdendi in finem remittitur: veniale eſt,non mortale. Sed tertio modo, ſi quis temporalia adminiſtrat pro ſalute proximorum, vt per temporalium adminiſtrationem ad bona ſpiritualia inducat,dato q̃ ad tẽpus ſuæ propriæ contemplationis delectamẽtum perdatur, non eſt tunc peccatum mortale,nec veniale: ſed eſt ſummæ perfectionis, & meritum ſalutare. Elegit enim Paulus Philip. 2. Non ſolum contemplationis præſentis vitæ, immo futuræ beatitudinis delectamento ad tempus carere pro ſalute proximorũ. Prima ergo, & ſecunda ſolicitudo adminiſtrationis temporalium in Papa eſt deteſtanda. Sed tertia tãto magis in ipſo laudatur, quanto ſupremæ perfectionis gradus in ipſo eſſe dignoſcitur.

Cupio anathema fieri pro fratribus meis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum,quòd illa, quæ Bern. enumerat ibi de cõtemplatione, accipienda ſunt reſpectu finis. ille enim, qui rectam exiſtimationem habet de fine, diſponit, & dirigit omnia in ordine ad ipſum. Vnde Philoſophi poſuerũt nullum ſpeculatiuum poſſe perfici, & felicitatem conſequi non purgatum à paſſionibus,& non regulatũ in agibilibus: quia impoſſibile (vt dixerunt) non entẽ bonum, eſſe prudentem: cum prudẽtia ſit recta ratio agibilium in ordine ad finem. & iſto modo tūc temporalia rectè adminiſtrantur,quando ordinãtur ad conſecutionem finis: cum ſint quædam inſtrumenta virtuosè agendi,& perueniendi ad finem.

Ariſt.lib.6. Ethic.c 12. ſub ſinem.

AD ſecundum eſt dicendum, q̃ Papa ſucceſſit Petro in adminiſtratione temporalium,non ſolũ ſpiritualium. cum enim pretia agrorum,& domorum ponerent ad pedes Apoſtolorum, erant illorũ diſpenſatores, qñque p ſe, quãdoque per œconomos,quos elegerunt: quia Chriſtus Iudam œconomũ habuit. Vnde gloſſa exponens illud verbum Act. 4. Argentũ, & aurum non eſt mihi, dicit,verum eſſe,Petrũ, tunc ad manus non habuiſſe pecuniam, quia memor erat illius præcepti: Nolite poſſidere aurum,neque argẽtum: habebat tamen pecuniam,quæ ad pedes Apoſtolorum ponebatur, quam ſibi non recondebat,ſed ad vſum pauperum reſeruabat, qui ſua patrimonia reliquerant. Matth. 10.

AD tertium eſt dicendum, quòd Bern. non interdicit Eugenio temporalium adminiſtrationẽ, ſed inducit eum principaliter ad contemplationem, per quam poterat de fine, & de his,quæ erant ad finem, rectè diſponere.

ARTICVLVS VI.

VTRVM DETERMINATIO cauſarum in Papa diminuat de eius perfectionis ſtatu.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, q̃ in Papa determinatio cauſarũ diminuat de eius perfectionis ſtatu. Quia Papa antiquorũ Patrum veſtigia debet ſequi in perfectionis ſtatu. Sed tempore, quo barbari totã Italiam inuaſerunt Greg. non determinatione cauſarum, ſed expoſitione ſcripturarũ vacabat. tunc enim obſcuriſſimam partem Ezechielis diligenter, & eleganter expoſuit, vt Bern. dicit ad Euge. Lib. 1. de cõſider.

2 Præterea: Illud diminuit de perfectionis ſtatu, quod remouet à perfectionis opere. Dicit enim Bernar. ad Eugenium: Denique quando oramus,quãdo docemus populos,quãdo ędificamus Eccleſiam, qñ meditamur in lege Domini: quotidie perſtrepũt in palatio vertentes leges. Non lex Domini immaculata conuertens animas, ſed leges Iuſtiniani, quæ nõ tam leges ſunt, q̃ lites,& cauillationes ſubuertentes iudiciũ. Tu ergo Paſtor,& Eṕs animarũ,qua mẽte ſuſtines,corã te (obſecro) ſemp ſilere illã,garrire iſtas? Lib. 1. Pſal. 18.

3 Præterea: Quod impedit ordinem charitatis diminuit de perfectionis ſtatu: ſed inſiſtere determinationi cauſarum,impedit ordinem charitatis. Dicit enim Bern. ad Euge. Si ſapientibus,& inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi, rectè non agis: quia maledictus eſt,qui partem ſuam deteriorem facit. Nam ſtultus, & ſapiẽs: ſeruus, & liber: diues, & pauper: vir,& fœmina: ſenes, & iuuenes: cleric⁹,& laicus: iuſtus,& impius: oẽs participant,& bibunt de fonte publico. Lib. 1.

publico pectoris tui, & tu ſtas ſeorſum ſitiens.

In Contrarium eſt, quia Papa lupos ſuſcepit domandos: Oues verò paſcendas, non opprimendas, ut dicit gloſſa Ioan. 10. Quod nō poteſt fieri ſine diſcuſſione cauſarum.

Resolutio.

Quæſtiones quietæ, & fructuoſæ in Papa ſtatum perfectionis non diminuūt, ſed augēt: Quæſtiones autem difficiles, & ſcrupuloſæ ſunt ab ipſo diligenter diſcutiendæ: ſed garrulæ, & litigioſæ abijcienda.

Respondeo, dicendum, quòd cauſarum quæſtiones: Quædam ſunt garrulæ, & litigioſæ. Quædam verò difficiles, & ſcrupuloſæ. Quędam autem quietæ, & fructuoſæ.

B Primæ ab audientia Papæ omnino ſunt remouendæ. Dicit enim Bern. ad Eugen. Miror namque quēadmodum religioſæ aures tuæ ſuſtinent diſputationes aduocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad ſubuerſionem, quàm ad inuentionem proficiūt veritatis. Corrige prauum morem, & præſcinde linguas vaniloquas, & labia doloſa claude. Secundæ verò cauſæ in audientia Papæ ſunt diligenter examinādæ, & diſcutiendæ, modo, quo ille ſanctus Moyſes fecit Exo. 18. Qui ad ſuggeſtionem Iethro cognati ſui minora ſenioribus populi commiſit determinanda: maiora verò, & difficiliora ſuæ audientiæ diſcutienda reſeruauit. Sed tertiæ per ipſum Papam

C abſque ſtrepitu iudicij, breuiter, & ſummariè ſunt determinandæ: & hunc modum ſeruare in determinatione cauſarum non diminuit in Papa perfectionis ſtatum, immo auget.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ Bern. ſoluit ibi hoc argumentum dicens, ꝙ inoleuit mos: dies alij ſunt, & alij hominum mores, & tempora periculoſa nūc inſtant: quia calumniatores multi, defenſor rarus, vbique potentiores opprimunt pauperes: ideo Papa non poteſt deeſſe oppreſſis, nec negare iudicium iniuriam patientibus. & planum eſt, ꝙ niſi agitentur cauſæ, & audiantur partes, inter ipſas iudicari non poteſt: & quàmuis hāc ſolutionem

D Bern. non approbet, ſolutio tamen eſt bona.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ proculdubio quæſtiones, quæ poſſunt terminari per legē diuinā, & ſacros canones, ad leges recurrendum non eſt. Sunt enim per Eccleſiaſticos viros quādoq; in adiutorium leges aſſumendæ: non principaliter tractandæ, potiſſimè in audientia Vicarij Chriſti magis leges Euangeliorum, quàm Imperatorum debent ſonare.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ propter determinationem cauſarum Papa non debet ſeipſum relinquere in ſpiritualibus, & corporalibus, maximè qñ in determinatione cauſarum non ſubeſt cauſa fidei: & quando non charitas, ſed magis cupiditas eſt in cauſa: qđ plerūq; contingit. Dicit enim Bern. lib. 1.

A ad Euge. Quæſo te, quale eſt iſtud de mane vſq; ad veſperam litigare, aut litigantes audire, & vtinam ſufficeret diei malitia ſua: non ſunt liberæ noctes: vix relinquitur neceſſitati naturę quid corporis pauſationi ſufficiat: & rurſum ad iurgia ſurgit? & dies diei eructat lites, & nox nocti indicat malitiam.

ARTICVLVS VII.

Vtrum in Papa habere dominium, & vſum rerum diminuat de eius pfectionis ſtatu.

S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 6.

B AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in Papa habere dominium, & vſum rerum diminuat de eius perfectinnis ſtatu. Habere namque dominium rerum eſt habere proprium. Sed clericis interdicitur habere proprium. 12. qō. 1. cap. Duo ſunt. Cum igitur Papa ſit caput clericorum, non poterit ſimul cum perfectionis ſtatu, rerum dominium habere.

2 Præterea: Petro, & alijs Apoſtolis præceptū eſt Matth. 10. Nolite poſſidere aurum, neque argentū: Sed Papa eſt ſucceſſor Petri. Ergo ſibi rerum dominium intelligitur eſſe interdictum.

C 3 Prȩterea: Quod eſt perfectionis ſtatus in alijs, debet eſſe in Papa. Sed abdicatio temporalium eſt perfectionis ſtatus in Religioſis. Ergo ſimiliter in Papa.

In Contrarium eſt, quia Dominus rerum Eccleſiaſticarum Chriſtus eſt 12. q. 2. c. Qui abſtulerit. Sed Papa Chriſti vicarius eſt. Ergo abſq; detrimento perfectionis ſui ſtatus habet rerum dominium, & vſum.

Resolutio.

Papa, cum ſit Chriſti Vicarius, qui eſt Dominus omnium, dominium, & vſum rerum habet abſq; ſui ſtatus perfectionis detrimento.

D Respondeo, dicendum, quòd planum eſt, Papam vice Chriſti dominium, & vſum rerū habere, non ſolum clericorum, immo omnium laicorum. Eſt enim ipſe Chriſtus Dominus Eccleſiæ, & omnium illorum, quibus Eccleſia plena eſt. Sicut dicit gloſſa ſuper illo verbo Pſal. 23. Domini eſt terra, & plenitudo eius. Sed vt Papa tale dominium habeat ſimul cum perfectionis ſtatu, aliquid requiritur ex parte dominij, & aliquid ex parte vſus. Ex parte quidem dominij requiritur, vt quàmuis in operatione, & iuriſdictione rerum dominiū teneat, ſemper tamen in animi præparatione paratus ſit carere, pro ſalute proximorum, non ſolum temporalibus, immo corpus proprium paratus ſit exponere, & contemnere pro ſuis ouibus, cum fuerit opportunum.

num. Hæc eſt enim regula omniũ eorum, quæ ſunt ſupererogationis, & perfectionis opera ſecundum Aug. vt quàmnis perfecti viri non ſemper ipſa teneant in actuali operatione: ſemper tamen ipſa habere debẽt in animi præparatione. Cùm enim Chriſtus dixit Matth. 5. Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & alteram: & qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei & pallium: & quicunque te angariauerit mille paſſus, vade cum eo alia duo. Planum eſt, quòd perfecti viri, in quorum perſona iſta dixit, non ſemper opere impleuerunt. Non enim Chriſtus percuſſus in vna maxilla, percutienti præbuit alteram, ſed dixit: Si malè locutus ſum teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis? nec Paulus cum percuteretur, maxillam præbuit: ſed dixit Act. 23. Percutiet te Deus, &c. Sed ſemper perfecti viri huius ſupererogationis opera habuerunt in animi præparatione. cum enim fuit opportunum, non ſolum in maxilla, immo in toto corpore Chriſtus paratus fuit crucifigi: & Paulus capite truncari. Sic Papa dominium rerum habere poteſt in actuali operatione ſimul cũ perfectionis ſtatu, dummodo ſemper ipſarum carentiam teneat in animi præparatione.

Lib. 5. de ſerm. D. in monte, cap. 36. Tom. 4.

Ioan. 18.

Ex parte verò vſus requiritur diſpenſatio, nõ proprij lucri factio. In rebus enim temporalibus vſus eſt bonus, abuſio mala, ſolicitudo peior, quæſtus turpior, vt dicit Bern. lib 2. ad Eugenium.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, quòd habere rerum proprietatem, & dominium, non in proprium lucrum, ſed in aliorum vtilitatis ſubſidium non derogat perfectionis ſtatui. Sicut enim Papa non poteſt negare, ſe vicem Chriſti non tenere, ſic non poteſt negare ſe rerum dominium non habere.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd præceptũ fuit Apoſtolis, vt nihil in via portarent, propter ſolicitudinem remouendam, nõ propter dominium, & iuriſdictionem auferendam, quia licitum erat eis ſumptum recipere ab illis, quibus prædicabant: maximè tale præceptum datum eſt, cum miſſi ſunt ad prædicandum Iudæis: apud quos conſuetũ erat, vt Doctores viuerent de ſtipendijs eorum, quos docebant.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ illud, quod facit ad perfectionis ſtatum eſſentialiter in alijs: facit in Papa: ſicut eſt charitas. Quod verò facit inſtrumẽtaliter: ſicut eſt abdicatio temporalium, quod eſt via perueniendi ad perfectionis ſtatum, non requiritur, quòd ſit in Papa, qui non eſt in ſtatu perficiẽdorum, ſed iam perfectorum. Vnde Chriſtus cum Petro oues paſcendas commiſit, nõ expetiuit ab eo paupertatem: ſed charitatem, dicens Ioan. vlt. Si diligis me, paſce oues meas.

E

ARTICVLVS VIII.

VTRVM PAPA POSSIT omnis perfectionis ſtatum mutare.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Papa non poſſit omnis perfectionis ſtatum mutare. Status enim perfectionis eſt de his, quæ ſunt ſupererogationis opera. Si ergo Papa mutaret omnem perfectionis ſtatum Religioſorum, & aliorũ, nulli remanerent qui opera ſupererogationis implerent.

F

2 Præterea: Quod ſemel Deo conſecratum eſt: amplius in alios vſus commutari non poteſt. Sicut ſcribitur Leuit. vlt. Sed ſtatus perfectio acquiritur cum quadam conſecratione, ſicut patet de ſtatu Epiſcoporum, & Religioſorum. Ergo ſic Deo ſacrata numquàm in alium vſum mutare poterunt.

3 Præterea: Scribitur Eccl. 26. Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. Status ergo perfectio acquiſita per votum continentiæ non poterit ex quacunque cauſa mutari.

In Contrarium eſt. quia tranſlato ſacerdotio, fit tranſlatio legis, vt dicit Apoſtolus ad Hebræ. 7. Mutato voto ergo ſolemni, per cuius obligationem ſtatus perfectio acquiritur: mutatur ſtatus perfectio: poteſt autem Papa in omni voto ſolemni diſpenſare. Ergo poteſt omnem perfectionis ſtatum mutare.

G

RESOLVTIO.

Papa, caſu neceſſario ſuperueniente, omnem ſtatum perfectionis mutare poteſt; cum vota omnium fidelium de Eccleſia, cuius curam ſuſcepit, mutare poſſit.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſicut dictum eſt ſupra, ſtatus perfectio requiritur cũ ſolemnitate voti, ſicut dicit gloſſa Aug. ſuper illo Pſal. 75. Vouete, & reddite domino Deo veſtro. Ille ergo poteſt oẽm perfectionis ſtatũ mutare, qui põt in omni voto ſolẽni diſpenſare. Planum eſt aũt, ꝙ oẽs, qui ſunt in

H

corpore myſtico Eccleſiæ, comparantur ad Papã ſicut filij ad patrẽ, & ad patrẽ quidẽ non corporũ tm̃, immo aĩarum. Nã filij tenentur obedire Parentibus carnalibus in his, quę ſunt corporũ: quia patres ſunt corporũ, non animarũ. Sed Papæ tenẽtur oẽs Chriſti fideles parere in his, quæ ſunt corporũ, & aĩarũ, ſicut dicit glo. ſuper illo verbo Apoſtoli Hebr. 12. Si patres quidẽ carnis noſtræ habuimus eruditores, & reuerebamur eos, nonne multo magis obtẽperabimus Patri ſpirituũ, & viuemus? Conſtat aũt, ꝙ Patres vota filiorum exiſtentiũ ſub eorũ poteſtate mutare poterant, ſicut patet Nume. 30. Ergo multo magis Papa vota omnium fidelium de Eccleſia, cuius curã ſuſcepit, mutare põt, & per conſequens poteſt, caſu neceſſario ſuperueniẽte, mutare oẽm perfectionis ſtatũ.

Ad

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ in ſimili Hierony. ſolnit argnmentum cõtra Vigilantiū. Si enim omnes virginitatem ſeruarent, nuptiæ non eſſent, & ſic interiret genus humanum. Rara enim eſt virtus, vt dicit Hierony. nec à pluribus appetitur. talis enim timor (vt ait) ſtultus eſſet, ac ſi aliquis timeret haurire aquam, ne flumen deficeret. Conſimilis caſus, in quo Papa de Monacho faceret non Monachum, in paucioribus euenit, & talis timor, ne deficerent illi, qui implerẽt opera ſupererogationis, ſtultus eſſet: quia potẽs eſt Deus de lapidi-
Matth. 3. bus ſuſcitare ſibi filios Abrahæ.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſtatus perfectio
A acquiritur quandoque cum duplici conſecratione, puta cū ſacri ordinis ſuſceptione, & iſta ſemper manet: quia Sacerdos ſemper manet Sacerdos, & Epiſcopus ſemper manet Epiſcopus. Et ſecundo cū voti perpetua obligatione: & qnia votum eſt promiſſio voluntaria facta Deo. Papa, qui Dei Vicarius eſt, tali promiſſione poteſt vti in obſequium Dei, in caſu neceſſario: vbi videt vtilitati Eccleſiæ expedire.

Ad tertium eſt dicendum, quòd continentia ad perfectionis ſtatum facit tamquàm corporalis exercitatio: in qua corporali exercitatione nulla eſt ponderatior, & dignior ipſa: reſpectu tamen charitatis, & obedientiæ ad modicū vtilis eſt. longe enim eſt maioris meriti impletio voti obedientiæ, quàm paupertatis, vel caſtitatis.

QVAEST. CII. QVOMODO STATVS PERFECTIONIS REPRAESENTATVR IN CARDINALIBVS.

Deinde conſiderandum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Cardinalibus. Circa quod quæruntur Quinque.

Primo, Vtrum Cardinales repræſentent ſtatum perficiendorum, vel perfectorum.

Secundo, Vtrum Cardinales in perfectionis ſtatu præferendi ſint Epiſcopis.

Tertio, Vtrum abdicatio temporalium magis requiratur ad perfectionis ſtatum Cardinalium, quàm Epiſcoporum.

Quarto, Vtrum deroget perfectionis ſtatui Cardinalium, vt omnes de vna Patria ſint electi.

Quinto, Vtrum legatio in Cardinalibus ſpectet ad eorum perfectionis ſtatum.

ARTICVLVS I.

VTRVM CARDINALES REpræſentent ſtatum perficiendorum, vel perfectorum.

De materia huius qōnis, vide Card. Albanū in tract. de Cardinal. & Barbat. in tract. eiuſdẽ argumenti.

Ad primum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Cardinales repræſentent ſtatum perficiendorum, non perfectorum. Nam Cardinales repræſentant ſtatum Apoſtolorum, vt Chriſto præſentialiter aſtiterunt. Sed Apoſtoli aſtiterunt, vt perficiendi, non vt iam perfecti. Perficiendorum ergo, nõ perfectorum Cardinales ſtatum repræſentant.

B 2 Præterea: Vocatio Cardinalium ſimilis debet eſſe vocationi Apoſtolorum. Sed Apoſtolus 1. Cor. 1. Loquens de vocatione Apoſtolorum dicit: Videte vocationem veſtram fratres, qnia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, ſed quæ ſtulta ſint mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit, vt confundat fortia. Ergo contemptibiles, & neſcientes debent ad Cardinalium ſtatum eligi: ſed tales ſunt perficiendi, non perfecti.

3 Præterea: Perfectorum ſtatus eſt per perfectā charitatem: ſed perfectam charitatem quis habet,
C cum paratus eſt pro Chriſto animam ſuam ponere. quod Apoſtoli non fecerunt Chriſto aſſiſtentes. Ergo Cardinales ſtatum aſſiſtentium repræſentantes non repræſentant ſtatum perfectorum, ſed perficiendorum.

In Contrarivm eſt glo. ſuper illo verbo Pſal. 44. Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram; quæ dicit, Apoſtolos conſtitutos eſſe Principes non in vno loco, vel in vna ciuitate, ſed ſuper terram. quod de Epiſcopis intelligi non poteſt, qui habent determinatas diœceſes. Principes autem Ec-
D cleſiæ non perficiendorum, ſed perfectorum ſtatū repræſentant.

RESOLVTIO.

Cardinales perfectorum, non perficiendorum ſtatum repræſentant. Apoſtoli enim per Cardinales repræſentati, reſpectu perfectionis Patriæ perficiendi, ſed reſpectu aliorum perficiendorum Chriſto perfecti aſtiterunt.

Respondeo, dicendum, ꝙ Bern. in lib. de Lib. 4. conſideratione ad Eugenium dicens: Hoc tibi perſuade, eos, qui admittendi ſunt ad tuum conſilium,

E lium; difficile in curia poſſe probari: & ideo, ſi fieri poteſt, viros probatos oportet eligi, non probandos. Nos enim in Monaſterijs omnes recipimus ſpe meliorandi, ſed curia bonos facilius conſueuit recipere, quàm facere. Nam plures in curia defeciſſe bonos, quàm malos profeciſſe probauimus. itaque non volentes, nec currentes aſſumito, ſed cunctantes, & renuentes coge, & illos compelle intrare, & cum illis requieſcat ſpiritus tuus, qui non ſint attritæ frontis, ſed verecundi. non manus attendant, ſed neceſſitates, qui ſtent viriliter pro afflictis, & iudicent æquitatem pro manſuetis terræ, qui ſunt compoſiti ad mores, comprobati ad ſanctimoniam, parati ad obedientiam, ſubiecti ad diſciplinam, rigidi ad cenſuram, catholici ad fidem, fideles ad diſpenſationẽ, concordes ad pacem, qui ſint in iudicio recti, in cõ- F ſilio prouidi, in iubendo diſcreti, in loquendo modeſti, in aduerſitate ſecuri, in proſperitate deuoti, in hoſpitio non diſſoluti, in conuiuio non effuſi, in omnibuſ circumſpecti. Iſta autem omnia conueniũt perfectis, & non perficiendis. Ideo dicendum eſt, q Cardinales ſtatum non perficiendorum, ſed perfectorum repræſentant.

Ad Argumenta.

Ad primum ergo eſt dicendum, q Apoſtoli Chriſto præſentialiter aſſiſtentes fuerunt perfecti, & perficiendi: perficiendi quidem reſpectu perfectionis patriæ: vel reſpectu perfectionis, quam ipſimet Apoſtoli habuerũt poſt receptionem Spiritus ſancti: ſed perfecti reſpectu turbæ, & aliorum perficiendorum per eos. Dicit enim Chryſoſt. Matt. 13. (Hom. 50. in Matth.) Quòd ideo Chriſtus fragmenta dedit Diſcipulis, & non turbis, quia adhuc imperfectius diſpoſiti erant, quàm Apoſtoli, per quos perfici debebant.

Ad ſecundũ eſt dicendum, quòd argumentum arguit contrarium. Quanto enim aliqui ſunt magis contemptibiles, & magis deſpecti in mundo, & in vita temporali: tanto perfectiores, & digniores ſunt in conſpectu Dei, & in ſpirituali vita. Vnde Chriſtus adoleſcenti volenti perfectionis ſtatum acquirere indixit Matth. 19. Vt mundo, & his, quæ erant in mundo, renunciaret.

Ad tertium eſt dicendũ, quòd Apoſtoli Chriſto aſtiterunt ante paſſionem, & poſt paſſionem. Et ante paſſionem charitatem quidem perfectam habuerunt in animi præparatione. Ante enim dixit Petrus: (Matth. 26.) Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. non enim charitas perfectorum intelligitur eſſe perfecta, vt non poſſit amitti. non enim tunc eſſet charitas viatorum, ſed comprehenſorum: ſufficit enim ſic eſſe perfectum, vt in animi præparatione habeatur pro Chriſto animam ponere. Poſt paſſionem vero Apoſtoli non ſolum in animi præparatione, immo in operis executione hãc perfectionem charitatis habuerunt.

ARTICVLVS II.

VTRVM CARDINALES IN perfectionis ſtatu Epĩs ſint præferẽdi.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q Cardinales in perfectionis ſtatu Epiſcopis nõ ſint præferendi. Dicit enim Bern. lib. 4. ad Eugenium: Hoc vnum dico ridiculum eſſe, quòd veſtri Diaconi noſtris Presbyteris ſe anteferre conantᷓ. Nõ hoc ratio habet, non antiquitas habuit, nec hoc conſentit auctoritas: & ſub- F dit rationem, quam ipſi Diaconi Cardinales aſſignant. Nos ſumus (inquiunt) qui in omni celebritate domino Papæ coniunctiores aſſiſtimus, ſedẽte ipſo propiores aſſidemus: procedente, poſteriores procedimus. hoc totum (vt dicit Bern.) non eſt dignitatis priuilegium, ſed ſedulitatis debitum. Si ergo Cardinales non debent præponi Presbyteris, multo fortius nec Epiſcopis.

2 Præterea: Inter Cardinales multi ſunt Diaconi. Sed ſcribitur auctoritate Hierony. 93. diſt. cap. Legimus in Iſa. quòd Diaconi Presbyteris, & Epiſcopis nullo modo præponantur.

3 Præterea: Illi ſunt præferendi in perfectionis ſtatu, quos Chriſtus prætulit, & honorauit. Sed ſcribitur auctoritate Cypriani, diſtin. ſupradicta, do- G minus Ieſus Chriſtus, Rex, & Iudex uſque ad paſſionis diem ſeruauit honorem Pontificibus, & Sacerdotibus, quàmuis illi nec timorem Dei, nec agnitionem Chriſti ſeruaſſent.

In contrarium eſt. quia Angeli aſſiſtentes præferuntur miſſis in cœleſti hierarchia. Ergo ſimiliter in Eccleſiaſtica hierarchia Cardinales repræſentantes ſtatum aſſiſtentium in perfectionis ſtatu præferendi ſunt Epiſcopis repræſentantibus ſtatum miſſorum.

RESOLVTIO.

Cardinales, qui repræſentant ſtatum Apoſtolorũ aſſiſtentium, quos, vt miſſos per vniuerſum orbem, Epiſcopi repræſentant; ſunt Epiſcopis, honoris, & lo- H *ci dignitate præferendi. Cardinales item, quorum ſtatus principaliter ad Dei dilectionem ordinatur, præeminent Epiſcopis, quorum ſtatus principaliter ordinatur ad Proximi dilectionem: ſed in ordinis poteſtate non modo Epiſcopi, ſed etiam Sacerdotes Cardinalibus non Presbyteris præferuntur.*

Respondeo, dicendum, quòd Cardinales præferendos eſſe Epiſcopis in perfectionis ſtatu, tripliciter poteſt intelligi. Primo, vt præferantur eis in ordinis poteſtate. Secundo, in loci dignitate. Tertio, in perfectiori charitate. Primo modo planum eſt, quòd Diaconi Cardinales, nedum Epiſcopis, immo quibuſcumque Presbyteris non præferuntur: quia poteſtas Epiſcopalis ſuperior eſt ſacerdotali,

dotali: & ſacerdotalis ſuperior eſt diaconatu. Vnde diaconi Cardinales ad Presbyterium, & Epiſcopatū aſſumuntur, tamquam ad ſuperiorem, & perfectiorem ordinis poteſtatem. Secundo vero modo ſicut Romana ſedes eſt prior, & dignior omni alia, & eſt omnium domina, & Magiſtra: ſic congruum eſt, vt Clerici illius ſedis quadam ſingulari dignitate prę cęteris alijs fulgeant, ita, vt Cardinales Romanæ Eccleſiæ omnibus alijs Prælatis præferantur honoris dignitate. Sed tertio modo habent ſe ſecundum excedentia, & exceſſa. quia in dilectione Dei perfectiorē charitatem tenentur habere Cardinales, quàm Epiſcopi. in dilectione vero proximi maiorem charitatē Epiſcopi, q̄ Cardinales. Repræſentāt enim Cardinales ſtatum Apoſtolorum Chriſto aſſiſtētium, & eius contemplationi vacantium. Vnde ſicut Seraphin ardentes interpretantur, qui aſſiſtentes Deo eius charitate ſunt accenſi, ſic Cardinales ſtatum aſſiſtentium repræſentantes ardentes in Dei Charitate eſſe debēt: Epiſcopi verò, qui ſtatum Apoſtolorum repræſentāt, vt miſſi per vniuerſum orbem curam animarum ſuſcipientes, in perfecta charitate proximi cūctos alios excedere debent. Verum quia dilectio Dei, ad cuius perfectionem principaliter ordinatur ſtatus Cardinalium, præeminet dilectioni proximi, ad cuius perfectionē principaliter ordinatur ſtatus Epiſcoporum. Ideo ſimpliciter in perfectiori charitate Cardinales Epiſcopis præferendi ſunt.

Cardinales quomodo Apoſtolos repræſentent.

Epiſcopi quomodo Apoſtolos repræſentent.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q̄ ſi Ber. loquitur de Diaconibus Cardinalibus reſpectu Presbyterorum, & Epiſcoporum Cardinalium, verum eſt, quòd eis prǽferri non debent. Si vero loquatur de alijs Epiſcopis, Et Presbyteris, in ordinis quidē poteſtate eis non prǽferuntur: ſed in loci, vel honoris dignitate præferuntur eis propter ſingularitatem illius ſedis, ſicut dictum eſt.

AD ſecundum, & tertium eſt dicendum, q̄ decreta illorum Doctorum intelliguntur communiter de Prælatis aliarum Eccleſiarum, in quibus verum eſt, q̄ diaconi Presbyteris, & Pontificibus non ſunt præponendi, niſi forte quando diaconi locum proprij Epiſcopi, & proprij Patriarchę tenerēt: nec Diaconi Cardinales præferūtur Epiſcopis, & Presbyteris in quantū diaconi, ſed in quantum Cardinales per dignitatē ſtatus, quem repræſentant. Vnde dignitas illius ſedis non eſt trahēda ad conſequentiā aliarum Eccleſiarū.

ARTICVLVS III.

VTRVM ABDICATIO TEMporalium magis requiratur ad perfectionis ſtatum Cardinaliū, quàm Epiſcoporum.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, q̄ abdicatio temporaliū nō magis requiratur ad perfectionis ſtatum Cardinalium, quàm Epiſcoporum. laudatur enim temporalium abdica-
A tio in Religioſis, & in illis, qui volunt perfici, non in iam perfectis. Vnde Abraham, cui dictum eſt Gen. 17. Ambula coram me, & eſto perfectus; diues fuit, & non pauper. ſed Cardinales (vt dictum eſt ſupra) repræſentant ſtatum perfectorum, non perficiendorum. Non ergo requiritur in eis temporalium abdicatio.

2 Præterea: Cardinales prǽferendi ſunt Epiſcopis in honoris reuerentia (vt dictum eſt ſupra) Ergo eodem modo in temporalium abundantia, & diuitiarū opulentia, quæ ſunt quædam inſtrumenta exhibitionis reuerentiæ, & honoris.

3 Præterea: Quanto miniſterium aliquorum eſt magis honorabile, tanto eſt magis neceſſaria temporalium abundantia: ſed miniſterium Cardinaliū
B eſt magis honorabile, quàm Epiſcoporū, cum aſſiſtāt Vicario Ieſu Chriſti. Non ergo in eis requiritur tēporalium abdicatio.

IN CONTRARIVM eſt. quia in Apoſtolis, vt Chriſto, præſentialiter aſtiterunt, omnimoda fuit abdicatio temporalium, magis, quàm fuerit in eis, vt poſtmodum miſſi in mundum vniuerſum prædicare. Ergo in Cardinalibus, qui ſtatū aſſiſtentium repræſentant, maior abdicatio temporalium eſſe debet, quàm in Epiſcopis,

RESOLVTIO.

Cardinalibus temporalium abdicatio magis eſt neceſſaria, quàm Epiſcopis. Statusenim eorum ardē-
C *tem charitatem requirit, & aſſiſtentium perfectorum ſtatum, cui magis repugnat cupiditas, repræſentat.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Cardinales in gradu Eccleſię, cui aſſiſtunt, habent primitatē. Eſt enim Romana Eccleſia prima ſedes omniū Eccleſiarum. In ſtatu vero, quem repræſentant, requirunt ardentem charitatem. reprǽſentāt enim ſtatum perfectorum aſſiſtentium. In officio vero, quod miniſtrant, requirunt iuſtitiæ æquitatem. Sunt enim ad tale officium vocati, vt ſint Papę coadiutores, & conſiliarij, & iudices orbis terræ. Omnibus iſtis modis maior abdicatio temporalium requiritur in eis ad eorum perfectionis ſtatum, quàm in Epiſcopis, & quibuſcumq; alijs prælatis. ſi enim prima radix ma- 1. Tim. 6.
D lorum eſt cupiditas, in prima ſede, quæ debet eſſe radix omniū bonorum, primo eſt extirpanda, & euellenda. Sicut enim omne bonum egreditur à Romana ſede, ſic & omne malum progreditur ab illa efficiēter, & exemplariter, vt dicit Chryſo. ſuper Matt. Si vero ardentē charitatem requirunt ratione ſtatus, quē repræſentant: quia ſunt aſſiſtentes, inter quos Seraphin ponūtur, qui dicuntur ardētes: Cupiditas, quæ, dicente Aug. 83. q. eſt venenū charitatis, ex toto ab eis eſt remouenda. Et ſi iuſtitiæ æquitatem tenētur ſeruare ratione officij, ad quòd ſunt vocati, cupiditatem tenentur deteſtari, per quam cōtigit, eos eſſe iuſtitiæ peruerſores. per ſolam enim cupiditatem ipſi ſubeſſe non ſuſtinent præeſſe non noſcunt: ſuperiori efficiuntur infideles: inferioribus importabiles: inuerecundi efficiuntur ad petendum: ad negandum q. 36. To. 4.

gandum frontoſi: importuni, vt accipiant: inquieti, donec accipiant: ingrati, poſtquàm acceperunt: docent linguam ſuam grandia loqui, cũ operentur exigua: fiunt largiſſimi promiſſores, & parciſſimi exhibitores: blandiſſimi adulatores, & mordaciſſimi detractores: ſimpliciſſimi diſſimulatores, & maligniſſimi proditores, vt dicit Bern. lib. 4. ad Euge. Tanto ergo magis Cardinalibus abdicatio tẽporalium eſt neceſſaria, quanto ipſorum temporalium cupiditas, ex qua mala ſupradicta ſequuntur, magis repugnat eorum perfectionis ſtatui.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM eſt dicendum, ꝙ non ſic requiritur abdicatio temporalium in iam perfectis, ſicut volentibus perfici, quòd in iam perfectis nõ exiſtat, aliàs in Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui fuit omnium perfectorum caput, non fuiſſet temporaliũ abdicatio exemplariter demonſtrata. ſed pro tanto dicitur requiri in volentibus perfici magis, quàm in perfectis: quia abundantia temporalium non ſic eſt timenda perfectis, ſicut perficiendis, vnde in Abraham ſimul cum perfectione erat temporalium opulentia.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd temporalia ſunt inſtrumenta honoris, & reuerentiæ, vtendo eis ad virtuoſe agendum, & ſupererogationis opera: nõ autem ad cupiditatis auaritiam. Vnde Philoſophus dicit 5. Ethic. †Quòd homines neſciunt orare: nam orãt, vt diuitias habere poſſint: deberent autẽ orare (ſicut ait) vt eis benè vti valerent.

†Cap. 1. circa mediũ. neſciũt orare .i. optare, vt ait Aegi. Rom. 2. ſenten. par. 2. pag 355. colum. 1. d.

AD tertium eſt dicendũ, quòd pauca temporalia requiruntur ad executionem miniſterij ipſorũ, ſicut virtuoſis pauca ſufficiunt: magis autem in cumulationibus temporalium eorum miniſterium vituperatur. non enim dixit Apoſtolus 2. Corinth. 6. Exhibeatis vos Dei miniſtros in caſtris ædificandis: in conſanguineis ditandis: in bonis temporalibus cumulãdis: ſed in tribulationibus; & neceſſitatibus, in anguſtijs, in ſcientia, in charitate, in verbo veritatis, veſtiti per arma iuſtitiæ, à dextris & ſiniſtris.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM DEROGET PERFECtionis ſtatui Cardinalium, vt omnes de vna Patria ſint electi.

Vide Concil. Trident. ſeſſio. 24. de reforma. cap. 1. §. Ea vero omnia.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ non deroget perfectionis ſtatui Cardinalium, vt omnes de vna Patria ſint electi. Non eſt perfectior vocatio Cardinalium, quàm Apoſtolorum. Sed Apoſtoli omnes fuerũt vocati de vna Patria: quia oẽs de Iudæa electi ſunt.

E 2 Præterea: Sicut aliqua Patria videtur eſſe excluſa, vt de illa non vocetur aliquis ad Cardinalatum, ſicut Alemania: ſic aliqua poteſt eſſe incluſa, vt ſolũ de illa eligatur.

3 Præterea: Cardinales aſſumuntur, vt ſint coadiutores Papæ: ſed magis poſſunt eſſe coadiutores Papæ, ſi de propria Patria aſſumuntur, tamquàm ſibi notiores, & fideliores.

IN CONTRARIVM eſt. quia omnis acceptio perſonarum derogat perfectionis ſtatui: ſed ſine perſonarum acceptione fieri non poteſt, vt Cardinales omnes de vna Patria aſſumantur: qui de toto orbe ſunt eligendi.

RESOLVTIO.

F *Quãuis Papa poßit ſibi aſſumere Cardinales vnde, quos, & quales vult; congruenter tamen propter iuſtitiam ſeruandam, carnalem affectionem remouendam, & vnitatem in Populo Chriſtiano nutriendam, ex toto terrarum orbe Cardinales ſunt eligendi.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Papa poteſt ſibi aſſumere Cardinales in ſuum adiutorium, & conſilium vnde vult, & quos vult, & quales vult: vnde ſibi imputatur ad meritum, vel demeritum ſi boni ſint, vel mali: iuuenes, vel ſenes: docti, vel indocti. Nam ſi boni ſunt, & ſapientes, accreſcet eius meritum: quia multitudo ſapiẽtum ſanitas eſt orbis terrarum. Sap. 6. Si verò mali ſunt, & inſcij in his, quæ ſunt Dei, eius meritum decreſcit: quia modicũ G fructum poteſt afferre ſolius Papæ iuſtitia, quando ſententia præualet multorum aliter affectorum. Verum tamen de congruo Bern. lib. 4. aſſignat tres rationes in libro de conſideratione ad Euge. Quòd nõ de una Patria, ſed de toto orbe terrarum Cardinales eligendi ſunt. Prima propter iuſtitiam ſeruandam. Quilibet enim melius cognoſcit conditiones Ariſt. 1. Eth. cap. 3. ſuæ Patriæ, quàm alius: & quia vnuſquiſque benè iudicat de his, quæ nouit, & illorum eſt bonus iudex; Ideo dicit: An non eligendi ſunt de toto orbe orbem iudicaturi? Secunda propter carnalem affectionem remouendam. Si enim de vna Patria omnes eligantur: non opinatur, nec creditur, quòd taliter fiat, niſi vel precum interuentione, vel carnis, & ſanguinis affectione. Ex quo (vt dicit) ſequitur H ſcandalum non ſolum puſillorum, immo maiorum de Eccleſia. Tertia, propter vnitatem in populo Chriſtiano nutriendam. Contemptus enim eſt cauſa diuiſionis & ſchiſmatis in Eccleſia. Principale .n. motiuum ſchiſmatis Græcorum fuit eorum contemptus, ꝙ ad honores Eccleſiaſticos non aſſumebantur. Si ergo de qualibet Patria Cardinales non aſſumuntur, diuiſio, & ſchiſma in Eccleſia generãtur.

Græcorum ſchiſma vnde ortũ habuerit.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ de Iudæa ſolum Apoſtoli fuerunt vocati propter duo. Primo, quia Eccleſia ibi primo fundata fuit. De alia vero Patria aſſumi non poterant, nondum fide Chri-

ſti ibi prædicata, & Eccleſia ibi non fundata. Secundo quia Chriſtus ſecundum carnem ſolum ex Iudęis natus eſt, ideo eius Apoſtoli, per quos ipſe cunctis gentibus erat nunciandus, ſolum ex Iudæis vocandi erant.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd nulla Patria excluditur, ex qua ad Cardinalatum aliquis vocari non poſſit. Sed quia de Alemania conſuetum eſt, vt eligatur Imperator, qui eſt Miniſter Eccleſiæ, ne ſecreta Eccleſiæ, ſuis miniſtris pandantur: & ne quos oportet eſſe ſubiectos, habeant in Eccleſia ex ſua Patria, vel genere Dominos, & iudices defendentes. Ideo non conſueuit eccleſia de Alemania Cardinales vocare. Similiter nec aliqua Patria ſic includitur, vt de qualibet non poſſint eligi, quamuis de terris peculiaribus Eccleſiæ magis ſit conſuetum aſſumi, tanquam liberiores ad conſilia ferenda, & iudicia exequenda.

Alemania cur Cardinales non habebat.

AD tertium eſt dicendum, quòd tunc Papa eligit magis in ſuos coadiutores Cardinales, quanto pro Republica, Eccleſiæ ſunt vtiliores, & prudentiores, cum ipſe non quod ſibi vtile eſt, ſed quod Eccleſiæ eligere teneatur.

ARTICVLVS V.

VTR. LEGATIO SPECTET ad perfectionis ſtatum Cardinaliū.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd legatio nō ſpectet ad Cardinaliū perfectionis ſtatū. Omnis enim temporaliū pertractatio repugnat perfectionis ſtatui. qui enim tangit picē, inquinatur ab ea. Sed legatio raro fit ſine temporalium pertractatione, & munerum receptione Ex quo ſequitur perditio rigoris iuſtitię. Scribitur enim Iſa. 57. Miſiſti legatos tuos procul: & humiliata es vſque ad inferos. Non ergo legatio pertinet ad eorum perfectionis ſtatum. Eccl. 13.

2 Præterea: Quod conuenit miſſis, nō pertinet ad perfectionis ſtatum Cardinalium, qui ſunt aſſiſtentes: ſed legatio cōuenit miſſis, derogat ergo perfectionis ſtatui Cardinalium.

3 Pręterea: Omnis ſimulatio repugnat perfectionis ſtatui: ſed in legatione multa quandoque ſimulātur, & perſuadentur. Dicit enim glo. ſuper illo Gen. 32. Mittoque nunc legationem ad Dominum meū, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo, quòd ad placandum hoſtis iram proſunt aliquando perſuaſibilia humanę ſapientiæ verba.

IN CONTRARIVM eſt. quia opus, quod Chriſto attribuitur, pertinet ad perfectionis ſtatum. Sed legatio Chriſto attribuitur Hiere. 47. Auditum audiui à Domino, & legatus ad Gentes miſſus eſt.

RESOLVTIO.

Legatio pro Chriſto recte adminiſtrata ſtatui perfectionis Cardinalium non derogat, ſed ad ipſum pertinet ſtatum.

RESPONDEO, dicendum, quòd in perſona perfectorum loquitur Apoſtolus 2. Corinth. 5. quando dicit Pro Chriſto ergo (*puta vice Chriſti, qui fuit legatus Dei*) legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Fungi ergo pro Chriſto legatione non derogat perfectionis ſtatui Cardinaliū, dummodo adminiſtretur modo, quo adminiſtranda eſt. Quas autem conditiones debeāt habere Cardinales, qui in legatione mittuntur, narrat Bern. ad Eug. dicens: Tales tibi expedit in legatione mittere, qui miſſi poſt aurum non eant: ſed Chriſtum ſequantur. Qui quæſtū, legationem non extiment: nec requirāt datum, ſed fructum: qui Regibus exhibeant ſe Ioannem: Aegiptijs Moyſen: fornicantibus Phinees, idolatris Eliam: auaris Helizeum: Petrum mentientibus: Paulum blaſphemantibus: negotiātibus Chriſtum: qui vulgum non ſpernant, ſed doceant. Diuitem non palpent, ſed terreant. Pauperem non grauent, ſed foueant. minas Principum nō paueant, ſed contemnant. qui Eccleſias non ſpoliant, ſed emendent. qui marſupia non exhauriant, ſed corda reficiant, & crimina corrigant. qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi ſe, vel ſuos ditare feſtinent. qui ad te reuerſi, fatigati quidem, ſed non ditati. gloriantes non quòd glorioſa ſumptuoſa quæque terrarum attulerint: ſed quod reliquerint pacem Regnis, legem Barbaris, quietem Monaſterijs, Eccleſijs ordinem, Clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, Sectatorem bonorum operum. Lib. 4

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd magnæ perfectionis eſt temporalia pertractare, & eorū cupiditate non contaminari; ſicut narrat Bern. ad Euge. de Martino, qui dum eſſet Cardinalis, factus legatus in Dacia tam pauper remeauit, vt pene expenſis, & equis deficientibus vix peruenerit Florentiam: vbi cum Epiſcopus loci donaret ſibi vnum equum, elapſo tempore cum in curia haberet cauſam, dixit ſibi: Decepiſti, neſciebam in curia tibi imminere negotium: tolle equum tuum, ecce in ſtabulo eſt. vere, vt Bern. dicit, res alterius ſæculi eſt, rediſſe de terra auri ſine auro, tranſiiſſe per terram argenti, & argentum neſciuiſſe. donum etiam, quod poterat eſſe ſuſpectum, illico reieciſſe. præbet namque, (nihil recipere in legatione præter taxata diſpendia) ſecuritatem in conſcientia: in locutione audaciam, in iudicijs rectam iuſtitiam. Lib 4. Notandum.

AD ſecundum eſt dicendum, quod quàmuis regulariter aſſiſtentibus non conueniat mitti, ex ſuborta cauſſa aſſiſtentes quandoque mittuntur, ſicut patet de illo Angelo, qui miſſus eſt ad purgandum labia Iſaiæ, qui fuit de ordine Seraphin, vt patet Iſa. 6.

AD tertium eſt dicēdum, quod ſicut dicit ibi Aug. Iacob Angelos in ſuo comitatu habuit, & tamen legatos ad placandum fratrem ſuum miſit. Cuius exēplo admonemur, vt quamuis credamus in Deum, & ſperemus eius auxilium nobis non deeſſe: tamen faciamus, quæ facienda ſunt ex parte noſtra in ſalutis ſubſidium.

Vu QVAE-

QVAEST. CIII. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN EPISCOPIS.

NVNC videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Epiſcopis. Circa quod quæruntur Quinque. E

Primo, Vtrum Epiſcopi perfectiori modo repræſentent ſtatũ Apoſtolorum, quàm Religioſi.

Secundo, Vtrum ad perfectionis ſtatum acquirendum magis Religio, quàm Epiſcopalis prælatio ſit procuranda.

Tertio, Vtrum in Epiſcopis cura temporalium diminuat de eorum perfectionis ſtatu.

Quarto, Vtrum Epiſcopi de bonis Eccleſię poſſint condere teſtamenta.

Quinto, Vtrum Epiſcopi bona Eccleſiaſtica non erogãtes Pauperibus maneant in perfectionis ſtatu.

ARTICVLVS I.

VTRVM EPISCOPI PERFECTIORI MODO, QUÀM RELIGIOSI REPRÆSENTENT STATUM APOSTOLORUM.

S.Thom. 2.2.q.184.ar.7. & quodlib.3. q.6.art.17. & opuſc.18.cap.17. 18.& 19.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi non perfectiori modo repræſentent ſtatum Apoſtolorum, quàm Religioſi. Apoſtolorum enim perfectio fuit in hoc, ꝙ reliquerũt omnia, & ſecuti ſunt Chriſtum. Iuxta illud Matth. 19. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te. Sed Religioſi perfectiori modo in hoc Apoſtolos repræſentant, quàm Epiſcopi.

In Epiſt. 1. ad Tim.c.6.

2 Prętерea: Ambroſ. dicit ſuper illo verbo 1. Timot 6. Tu autem homo Dei hęc fuge. Nihil enim tã aſperũ, tam pernicioſum, quàm ſi vir Eccleſiaſticus, maximè qui ſublimẽ tenet locum, diuitijs huius ſeculi ſtudeat: quia non ſolum ſibijpſi, ſed & cęteris obeſt, quibus contrariam dat formam. Sed Epiſcopi diuitijs, & temporalibus maximè ſtudent. Apoſtolorum ergo perfectionis ſtatum non repræſentant.

Lib. 2.

3 Præterea: Bern. dicit ad Euge. Apoſtolorũ forma hęc eſt, vt intelligatur eis eſſe interdicta dominatio, & iniuncta miniſtratio. Sed in miniſtratione perfectiori modo imitantur Apoſtolorum ſtatum Religioſi, quàm Epiſcopi.

E IN CONTRARIVM eſt. quia illi perfectiori modo repræſentant ſtatum Apoſtolorũ, qui ſuccedunt eis in regimine Eccleſię. dicit enim Apoſtolus Act. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quàm acquiſiuit ſanguine ſuo.

RESOLVTIO.

Epiſcopi propter virgam poteſtatiuam, claues iuriſdictionis, Spiritus ſancti inſufflationem, & linguarum diſpertionem ſtatum Apoſtolorum repræſentant, non Religioſi.

F

RESPONDEO, dicendũ. quia ſicut Dionyſ. dicit 5. cap. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ: Epiſcoporum eſt perficere, eorum autem, qui perficiũtur, vniuerſorum altior ordo eſt, Monachorum, & Religioſorum. Fuerunt autem quatuor Apoſtolis collata à Chriſto, quæ perfectionem oſtendebant, in quibus Epiſcopi ſunt eorum ſucceſſores. Primo, virga poteſtatiua in ſuſceptione temporalium ſtipendiorum. Mar. 6. Præcepit eis, ne quid tollerent in via, niſi virgam tantum, vt nomine virgæ poteſtatẽ à Chriſto receptam recipiendi temporalia ſtipendia intelligamus, vt Aug. exponit. Secundo, claues in adminiſtrationis iuriſdictione Sacramentorum. Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum. Tertio, inſufflatio Spiritus ſancti in remiſſionem peccatorum. Ioã. 20. Inſufflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſuper quo verbo dicit Greg. Libet intueri ad quantũ culmen gloriæ perducti ſunt Apoſtoli, vt vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxẽt, quorum nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent. Quarto diſpertitio linguarum in prædicatione Euangeliorum Act. 1. Apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tamquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, vt foris apparentibus linguis igneis, intelligamus intus corda eorũ facta eſſe flãmantia in dilectione Dei, & proximi. Quia qui charitatẽ Dei, & proximi non habent, Euangelij prædicationem nullatenus aſſumere debent, vt Greg. dicit. In iſtis autem quatuor ſoli Epiſcopi Apoſtolorum perfectionis ſtatũ repræſentant, non autem Religioſi.

G

In de conſen. Euang. cap. 30. Tomo 4.

Hom. 26. ſuper Euang.

H

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ Epi nõ ſunt ſucceſſores Apoſtolorũ in voto paupertatis,

niſi

A niſi tenendo ipſam in animi præparatione, ſecundũ quem modnm omnes exiſtentes in perfectionis ſtatu debent eſſe pauperes ſpiritu. In voto enim paupertatis planum eſt, quòd magis Religioſi ſunt eorũ ſucceſſores, qnàm Epiſcopi: Cum Apoſtoli prius fuerint uocati ad ſtatum Religionis, quàm prelationis, vt ſupra dictum fuit. Sunt autem eorum ſucceſſores Epiſcopi in iudiciaria poteſtate, quantum ad illa quatuor, quæ ſuperius dicta ſunt, in quibus perfectiori modo Epiſcopi repræſentãt Apoſtolorum ſtatum, quàm Religioſi.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi temporalibus adhærentes, & mundi gloriam quærentes in perfectionis quidem ſtatu ſunt, ſed perfectionis opus non implent. Dicit enim Greg. in Paſt. Sacrũ (s. par. c. 8.) quippe Epiſcopale officium non ſolum non diligit, B immò neſcit qui ad culmen regiminis anhelans in occulta meditatione cogitationis cæterorum ſubiectione paſcitur: laude propria lætatur, ad honorem cor eleuat, rerum affluentium abundantia exultat, & mundi lucrum quærit ſub eius honoris ſpecie, quo mundi deſtrui lucra debuerunt.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ forma Apoſtolorum vtrumque requirit. dominationem in poteſtate, & miniſtrationem in mentis humilitate, vt quiſquis (Auguſt. in Regula.) Apoſtolorum ſucceſſor tanto ſit humilior, atque ad ſeruiendum Deo promptior, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit in reddenda ratione.

ARTICVLVS II.

VTR. AD ACQVIRENDVM perfectionis ſtatum magis Epiſcopalis prælatio, quàm Religio ſit procuranda. C

B. Thomas 2. 2. q. 185. art. 1. & quodlibeto, 3. art. 9.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ad àcquirẽdum perfectionis ſtatum magis Epiſcopalis prælatio, quàm Religio ſit procuranda. Maioris enim perfectionis eſt Epiſcopalis prælatio, quàm Religiõ. Sed Religiõ propter perfectionis ſtatum, quem habet annexum D licite procuratur. Ergo multo magis Epiſcopalis Prælatio.

2 Præterea: Scribitur extra de elec. † nihil eſt, q̃d († c. nihil eſt) Eccleſiæ Dei magis officiat, quàm quòd indigni Prælati aſſumantur ad regimen animarum. Licite ergo poſſunt cogi eligentes per Principes Terrarum, vt eligant Epiſcopum dignum, & ſufficientem, ſi indignum volunt eligere.

3 Præterea: Perfectio charitatis eſt procurare ſalutem animarum, ſed Religioſi, vt in pluribus, ad ſalutem animarum procurandam, quàm Clerici ſeculares magis videntur eſſe idonei, & auidi. Licitum eſt ergo eis procurare Epiſcopalem ſtatum per ſe, & per mundi Principum procurationem.

A IN CONTRARIVM eſt. quod dicit Greg. (s. par. c. 9.) in Paſt. Virtutibus pollens coactus ad regnum Epiſcopale veniat. Virtutibus vero vacuus, nec coactus accedat.

RESOLVTIO.

Religio ad acquirẽdum perfectionis ſtatum eſt procuranda: Prælatio Epiſcopalis, non item, propter cõiunctam ſibi honoris reuerentiam, requiſitam charitatis abundantiam, temporalium affluẽtiam, & periculorum imminentiam, quibus Religio caret.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſtatus Epiſcopalis quatuor includit, quibus Religio caret. B Primo habet Epiſcopalis Prælatio coniunctam honoris reuerentiam. Secundo præſupponit in ſuſcipiente charitatis abundantiam. Tertio habet in adminiſtratione temporalium affluentiam. Quarto exponitur ad periculorũ imminentiam. Nõ eſt enim aliud poteſtas culminis, niſi tempeſtas mentis: in qua cogitationum ſemper procellis vani cordis quatitur: hinc, & illuc inceſſanter impellitur, vt per repẽtinos exceſſus oris, & operis, quaſi per obruentia ſaxa frangatur, ſicut dicit Greg. in Paſto. Procurare ergo honoris reuerentiam eſt ambitioſitatis: Putare vero ſe habere charitatis abundantiam, eſt temeritatis. Requirere autem temporalium affluentiam eſt cupiditatis. Exponere uerò ſe ad periculorum imminentiã eſt mentis tempeſtatis. Quieto namque mari, imperitus Nauta nauim dirigere poteſt: turbato autem tem- C peſtatis fluctibus, etiam peritus Nauta ſe confundit, & perturbat, ſicut dicit Greg. in Paſto. Ad acquiren (1. par. c. 9.) dũ igitur perfectionis ſtatum Religio, quę omnibus iſtis caret, licite & ſalubriter procuratur. Epiſcopalis vero prælatio minime.

Ad Argumenta.

Et per hoc patet reſponſio ad Primum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd non ſufficit bonum procurare, niſi procuretur per bona media. Vnde quantumcumque eligentes indignum eligant in Epiſcopum, cogendi non ſunt, vt eligant magis dignum: ne ſic electi Principum ſecularium fauore dicant illud, quod ſcribitur Amos. 6. In fortitu- D dine noſtra aſſumpſimus nobis cornua. immo quiſquis electioni de ſe factæ per ſecularis poteſtatis abuſum aſſentire præſumpſerit, contra canonicam libertatem, & effectu electionis carere debet, & ineligibilis fieri, vt ſcribitur extra de electione c. Quiſquis.

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut dicit Gre (1. par. c. 9.) gor. in Paſto. Multi fingunt ſe de bono opere amare, quod non amant. de mundi gloria non amare quod amant. cumque percepti Principatus perfrui officio ſeculariter cœperint: libenter obliuiſcũtur quicquid ante religioſe cogitauerũt. Quantumcumque ergo Religioſi iudicantur eſſe magis idonei, vel auidi ad ſalutem animarum procurandam, quàm Clerici ſeculares: deteſtabile eſt in eis, vt ipſi ingerant ſe ad procurandum prælationis ſtatum.

ARTICVLVS III.

VTRVM TEMPORALIVM cura diminuat in Epiſcopis de perfectionis eorum ſtatu.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in Epiſcopis temporalium cura diminuat de eorum perfectionis ſtatu. quia qđ deteſtatũ eſt à Philoſophis, ne impedirentur à contemplatione naturalis Philoſophiæ, deteſtandum eſt ab ipſis Epiſcopis, ne impediantur à contemplatione ſupernæ Theologiæ. Sed Hierony. dicit contra Iouinianũ, ꝙ Crates ille thebanus Princeps Philoſophorũ, proiecto in mare non paruo auri pondere: abite, inquit, peſſum malæ cupiditates. ego vos mergam, ne ipſe mergar à vobis. Lib. 2.

2 Præterea 2. Tim. 2. Apoſtolus dicit, ꝙ nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus. Sed Epiſcopi ſunt Chriſti milites. Ergo temporaliũ implicatio diminuit de eorum perfectionis ſtatu.

3 Præterea: Quod eſt cauſa prouocationis ad luxuriam, & cupiditatis auaritiam, eſt remotio à perfectionis ſtatu: Sed implicatio temporaliũ eſt cauſa prouocationis ad luxuriã, & cupiditatis auaritiam. Vnde in perſona Prælatorum curis temporalium vacantium ſcribitur Amos 6. Væ vobis, qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ optimates capita populorum ingredientes pompatice domum Iſrael, qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis.

In Contrarium eſt. quia Epiſcopi tenentur paſcere gregem eorum, non ſolum verbo, & exemplo, immo temporali ſubſidio. ſicut dicit glo. ſuper illo verbo 1. Petri 5. Paſcite, qui eſt in vobis, gregem Dei. ſed hoc non poſſunt facere ſine temporalium adminiſtratione. Non ergo temporalium cura diminuit de eorum perfectionis ſtatu.

RESOLVTIO.

Quamuis exemplariter omnium temporalium abdicatio ab Epiſcopis ſit demonſtranda; & ſpiritualiũ appetenda contemplatio; temporalium tamen adminiſtratio propter aliorum ſalutem eſt toleranda, qua ſtatum perfectionis non diminuit.

Respondeo, dicendum, ꝙ ad perfectionis ſtatum Epiſcopalis aliquid eſt deſiderio appetẽdum. aliquid vero eſt propter aliorum ſalutem tolerandum. & aliquid eſt exemplariter demonſtrandũ. Ex deſiderio namque eſt appetenda ſpiritualium contemplatio. toleranda vero eſt temporalium adminiſtratio: Exemplariter vero demonſtranda eſt omnium temporalium abdicatio, multum enim decidit à perfectionis ſtatu vita Epiſcoporũ, ſi ex deſiderio ipſi temporalibus inſeruiunt. Dicit enim Gregor. in Paſto. exponens illud verbum Tren. 4. Di- 2. par. c. 7.

E ſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. quia tunc lapides ſanctuarij diſperſi in capite omnium platearum iacent, quando ſacrorum ordinum viri terrenis actibus ex deſiderio inſeruiũt. ex quorum prius officio ſanctitatis gloriæ ſtare videbatur. Pro ſalute tamen aliorum interdum toleranda eſt temporalium adminiſtratio. Dicit enim Greg. ibi, quòd ſecularia negotia aliquando ex compaſſione toleranda ſunt, numquam tamen ex amore requirenda. Nam ſunt nonnulli Epiſcopi, qui gregis curã ſuſcipiunt: ſed ſibi met vacare ad ſpiritualia appetunt, vt rebus exterioribus nullatenus occupentur. qui cum curare corporalia funditus negligunt, ſubditorum neceſſitatibus minime occurrunt, quorum nimirum prædicatio plerumque deſpicitur. quia, &

F ſi facta delinquentium corrigunt, tamen cum eis neceſſaria præſentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur, quia egentis mentem doctrinæ ſermo non penetrat, ſi hunc apud eius animum manus miſericordiæ non commendat. Sed ſemper ſic exemplariter per Epiſcopos demonſtranda eſt omnium temporalium abdicatio, vt de ipſorum cupiditate nullatenus apud ſubditos notari poſſint. vt enim ibi dicit Greg. Tot mortibus digni ſunt Prælati, quot ad ſuos ſubditos perditionis exempla tranſmittunt. 3. par. Paſt. adm. 5.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ temporalium cura non aſſumitur ab Epiſcopis, vt eorũ implicatione demergantur: ſed vt charitatis amo-

G re pauperibus adminiſtrentur.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Epiſcopi temporalium curam non debent ex amore deſiderare, ſed interdum ex compaſſione aliorum tolerare. & ſi quem defectum patiuntur in tali toleratione, hoc ipſum eſt eis ad meritum, & augmentum perfectionis ſtatus.

Ad tertium eſt dicendum, quòd illa verba dicũtur in perſona illorum Prælatorum, qui ſic diuitijs affluunt, vt non curent, nec compatiantur ſuper contritionem Ioſeph. quia ſi quis de populo decem Tribuum perit, contemnunt, quaſi moriantur bruta animalia, vt ibi dicit glo. de quibus ſimiliter dicit Gre. in Paſt. vt ſupra, exponẽs illud verbũ Tre. 4. Mu- 2. par. c. 7.

H tatus eſt color optimus; dicens, ꝙ color optimus tunc mutatur, cum quorundam, qui agere Religioſe credebantur ante, concepta extimatio minuitur. nam, cum quilibet poſt ſanctitatis habitum, terrenis ſe actibus inſerit, per cupiditatis auaritiã, quaſi colore permutato, ante humanos oculos eius reuerentia deſpecta palleſcit.

AR-

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Epiſcopi de bonis Eccleſiæ poſſint teſtamentum condere.

Vide Turrecrem. & alios Canoniſtas in cap. Nulli dubium. 12. q. 5. & textum, & Doctores in cap. 1. de teſta. & vlt. voluntate.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi de bonis Eccleſiæ poſſint teſtamentũ condere. Epiſcopus namque poteſt pecuniam acceptam de portione ſibi debita donare cui placet: eodem modo poteſt de illa pecunia emere poſſeſſionem, & illam poſſeſſionem relinquere per teſtamentum, quibus vult.

2 Præterea: Bona Eccleſiæ aliquando ſunt indiſtincta à bonis proprijs Epiſcopi. Cum igitur omnia ſint in diſpenſatione Epiſcopi, poterit in caſu de omnibus teſtari.

3 Præterea: De illis homo poteſt teſtari, quæ ſunt in eius poteſtate: ſed ſcribitur 12. q. 1. c. Præcipim⁹. Res Eccleſiæ in poteſtate ſua Epiſcopus habeat. ſi enim animæ hominũ precioſæ illi ſunt traditæ, multo magis oportet eum curam gerere de pecunijs, ita vt poteſtate eius indigentibus omnia diſpenſentur.

4 Præterea: Quæ homo poteſt donare, poteſt in teſtamento relinquere. ſed Epiſcopi aliqua donare poſſunt, vt ſcribitur extra de donationibus. †

† Cap. ceterum.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 12. q. 5. † Si Epiſcopis, condito teſtamento, aliquid de Eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit, aliter non valebit, niſi tantumdem de proprijs iuris facultatibus suppleuerit.

† c. ſi Epiſcopus.

RESOLVTIO.

Epiſcopi de bonis paternis, & de ſibi acquiſitis teſtari poſſunt: De bonis verò Eccleſiæ ſtabilibus non item: ſed de mobilibus elemoſynam moderate dare poſſunt, non ratione teſtamenti.

RESPONDEO, dicendum, quòd bona Epiſcoporum, quantum ad præſens, in triplici genere ſe habere poſſunt. Quia quædam † ſunt ſua propria ex paterna hæreditate, vel proprio lucro ſibi acquiſito. Quædam vero ſunt Eccleſiæ bona immobilia in poſſeſſionibus, & animalibus, quorum fructus ipſe percipit. & diſpenſat. Quædam vero ſunt mobilia ſicut ſunt Pecunia, veſtes, & alia huiuſmodi. De primis, vt de rebus patrimonialibus, vel proprio lucro, ſeu ex doctrina ſibi acquiſitis, Epiſcopus teſtari poteſt, & illa relinquere ſuis hæredibus, dummodo nõ ſint hæretici, vel præciſi, ſeu excõmunicati, ſicut patet 12. q. 1. c. Epiſcopi. † De bonis vero Eccleſiæ ſtabilibus Epiſcopus non poteſt teſtari, nec illa hæredibus relinquere: cum alienari nequaquam poſſint.

† B. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7.

† Vide textũ, & ibidẽ late Doctores in cap. Siquis Epiſcop⁹ extra de hæreti.

A quia res Eccleſiaſticæ non ſunt ſuæ niſi quo ad vſum. Vnde ne ſanctuarium Dei videatur iure hæreditario poſſideri, prouide ſtatutum eſt, vt ſi quis Epiſcopus de Eccleſiaſtici iuris proprietate legauerit aliquid alicui, nullius valoris ſit, niſi tantundẽ de proprijs facultatibus ſuppleat. De bonis vero mobilibus Epiſcopus in vita ſua, & in ægritudine ſua conſtitut⁹, dummodo ſit compos ſuæ mentis, moderatè, nõ ratione teſtamenti, ſed ratione eleemoſynę poteſt conferre pauperibus, & locis Religioſis, & illis, qui ſibi viuenti honeſte deſeruierunt, ſiue conſanguinei ſint, ſiue alij, ſicut patet extra de teſta. cap. Relatum.

Ad Argumenta.

B AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd poſſeſſio empta ſtatim facta eſt Eccleſiæ, ex quo fuit empta de pecunia Eccleſiæ: & poſſeſſio Eccleſiæ non poteſt alienari, niſi pro vtilitate Eccleſiæ, & cum conſenſu Epiſcopi, & Clericorum. ideo ſingulare eſt hoc in pecunia Eccleſiæ, vt res inde empta cuiuſcumque nomine ematur Eccleſiæ, & Eccleſia directam vendicationem habet ad eam petendam. Secus autem eſt de rebus mobilibus, quas Epiſcopus habet ad ſuum vſum, quas poteſt Epiſcopus in vita, & in mortis articulo alienare in ſuis vſibus, & in vſus conuertere pietatis: non per modum teſtamenti, ſed per modum eleemoſynę, ſicut dictum eſt ſupra.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd vel eſt certũ, Epiſcopum habere, vel habuiſſe bona propria tempore ordinationis, vel poſtea, aut non eſt certum. Si
C non eſt certum ſemper præſumitur, ꝙ totum Eccleſiæ ſit indiſtincte, donec probetur contrarium. Si vero certum eſt, reſtitui debent illis, quibus Epiſcopus ea legauit. quia cui voluit propria bona, potuit conferre, ſiue ante Epiſcopatum, ſiue in Epiſcopatu, ſi hæreditaria ſucceſione, vel aliquo iuſto titulo fuerint ſibi acquiſita nomine ſuo: non nomine Eccleſiæ. Si autem ſine teſtamento decedit: hæreditas eius Eccleſiæ, cui præfuit, deuoluitur.

AD tertium eſt dicendũ, quòd bona Eccleſiæ ſunt in poteſtate Epiſcopi, quantum ad diſpenſationem, nõ quantum ad dominationẽ, niſi quantum ad vſum. Ideo regulariter teſtari non poteſt, niſi de licentia Papæ, apud quem dominium rerum Eccleſiaſticarum dignoſcitur reſidere, vt ſupra dictum eſt.

D AD quartum eſt dicendum, ꝙ donatio illa, quam poteſt facere Epiſcopus, intelligitur modeſte de rebus mobilibus, nõ per modum teſtamenti, ſed per modum Eleemoſynę in pios vſus, & in remunerationem illorum, qui ſibi, vel Eccleſiæ honeſte ſeruierunt.

ARTICVLVS V.

VTRVM EPISCOPI BONA Eccleſiaſtica non erogantes Pauperibus in perfectionis ſtatu remaneant.

S. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 7. & quodlib. 6. q. 7. art. 12.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Epiſcopi bona Eccleſiaſtica non erogantes Pauperibus in perfectionis ſtatu nõ remaneant. ſuper illo enim verbo Amos 4. Audite verbũ hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, gloſſa dicit, quòd Propheta loquitur ad Epiſcopos, & ad optimates decem Tribuum, vt audiant verba Dei, quos non boues aratores, ſed deriſorie vaccas pingues vocat. quia reſidentes domi gulæ, & ventri ſubſeruiunt, opprimentes egenum, & pauperem, dum bona illis debita in ſuos vſus redigunt. Non ergo remanent in perfectionis ſtatu Epiſcopi, qui bona Eccleſiaſtica pauperibus non erogãt.

2 Præterea: Illud, quod fraudat hominem æterna mercede, derogat perfectionis ſtatui. Sed Ambroſ. dicit in libro de offic. cap. 30. Loquens Epiſcopo: Neque enim propterea te Deo dicaſti, vt tuos diuites facias: ſed, vt tibi vitam perpetuam fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata tua redimas: putãt ſe parum poſcere pretium: quærunt tuom vitæ tuæ fructum adimere: contendunt, & accuſant, ꝙ eos diuites non feceris: cum te velint illius æternæ vitæ fraudare mercede.

3 Præterea: Quod eſt in alterius poteſtate, non poteſt teneri ſine detrimento ſalutis: ſed omnia bona Eccleſiaſtica pauperum ſunt, ſicut dicit Ambr. & ponitur 24. q. 8. cap. Conuenior. Sunt enim bonorum Eccleſiæ pauperes legitimi hæredes, & poſſeſſores. Epiſcopi autem ſolum diſpenſatores. Si ergo illa non diſpenſant eis, non remanent in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt. quia nullus militat proprijs ſtipendijs, vt dicit Apoſtolus 1. Cor. 9. Sed Epiſcopi ſunt milites, & miniſtri Eccleſiarum. Licitè ergo poſſunt de bonis Eccleſiæ viuere, & illa non tenentur pauperibus erogare.

RESOLVTIO.

Epiſcopi bonorum Eccleſiaſticorum partem erogare Pauperibus tenentur, partem Clero, partem Eccleſijs reparandis, partem vero ſibi, ſuęq; familię debent reſeruare.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ ſicut ſcribitur auctoritate Grego. 12. q. 2. cap. Mos eſt. Mos eſt

E Apoſtolicæ Sedis ordinato Epiſcopo præcepta tradere, vt de omni ſtipendio, ac de bonis Eccleſiæ quatuor debeant fieri portiones. Vna, quæ conſeruatur Epiſcopo, & familiæ eius. Alia clero. Tertia pauperibus. Quarta Eccleſijs reparandis. De portione ergo Epiſcopo pro vita ſua, & eius familia, eo modo tenetur Epiſcopus ſubuenire pauperibus, quo tenetur ſubuenire de bonis ſuis proprijs: & ſicut quilibet alius Chriſtianus tenetur pauperibus ſubuenire, ſeruato debito ordine charitatis. De portione verò, quæ debetur pauperibus, vel Eccleſijs reparandis, ſeu Clero (quia omnia iſta quandoque indiſtincta ſunt, & omnia ponuntur eſſe in adminiſtratione Epiſcopi) ſi de eis Epiſcopus aliquid fraudat, planum eſt, quòd decidat à perfectionis ſtatu, &

F tamquàm infidelis diſpenſator eſt iudicandus. Si verò prædicta bona ſint diſtincta, & Epiſcopi fidei committantur eorum diſpenſatio, & diſtributio, & ex certa conſcientia exceſſum faciat fraudulenter in talibus, ſubtrahendo notabiliter de portione debita pauperibus, vel Eccleſiæ reparandæ, cum etiam illa in caſu neceſſitatis pauperibus debeant erogari; eodem modo ſine detrimento ſuæ ſalutis fieri non poteſt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Propheta loquitur in perſona illorum Prælatorum, qui non ſolum bona Eccleſiaſtica pauperibus nõ ero-

G gant: immo propria bona ipſorum pauperum per violentiam miniſtrorum ſubripiunt. Vnde ibi dicit gloſſa loquens in perſona miniſtrorum. Permittite tantum, & iubete, & nos ſpoliabimus domos pauperum, vt bona illorum in noſtros vſus redigamus. niſi enim maiores dederint poteſtatem: minores quod deuorent, non haberent. Planum eſt autem, ꝙ vtroque modo ſubtrahere bona pauperum, derogat perfectionis ſtatui.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ conſanguineis Epiſcopi bona Eccleſiæ non tenentur conferre: niſi ſicut, & alijs pauperibus, ſeruato debito charitatis affectu, niſi fortè ſint aliqua bona ſua propria, quæ poteſt conſanguineis, vel alijs, quibus placet tribuere, ſicut ſupra dictum eſt.

H AD tertium eſt dicendũ, quòd bona Eccleſiæ ſunt bona pauperum, quantum ad illam portionem eis taxatam, quam (ſi eſt in poteſtate Epiſcopi) hãc eis diſtribuere, & eis ſubtrahere; planũ eſt, ꝙ peccat, & decidit à perfectionis ſtatu.

QVAEST. CIIII. QVOMODO STATVS PERFECTIONIS REPRAESENTATVR IN PRESBYTERIS, ET IN CVRATIS.

VLTERIVS conſiderãdum eſt, quomodo ſtatus perfectio repraſentatur in Presbyteris, & curatis. Circa quod quæruntur Quatuor.

Primo, Vtrum Presbyteri repraſentent Diſcipulorum Chriſti perfectionis ſtatum.

Secundo, Vtrum Presbyteri in perfectionis ſtatu ſint preferendi Religioſis.

Tertio, Vtrum Presbyteri in regiminis cura praſerendi ſint Regibus.

Quarto, Vtrum Presbyteri veteris teſtamenti praferendi ſint Presbyteris noui teſtamenti.

ARTICVLVS I.

VTRVM PRESBYTERI REpræſentent Diſcipulorum Chriſti perfectionis ſtatum.

AD primnm ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Presbyteri nõ repræſentent Diſcipulorũ Chriſti perfectionis ſtatũ. Sacrilegi enim non repræſentant perfectionis ſtatũ Diſcipulorũ Chriſti: ſed omoes Presbyteri vidẽtnr eſſe ſacrilegi. Dicit Bern. in
Match.19. ſer.ſnper illnd: Ecce nos reliqnimus; Quòd res pauperũ non panperibus dare, par ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur. Facultates autem Eccleſiarum patrimonia paupernm ſunt. Quicquid ergo miniſtri diſpenſatores, non vtiqne Domini, nec poſſeſſores vltra victum accipinnt, & veſtitum: ſacrilega eis crudelitate ſubripitur.

2 Præterea: Aut Presbyteri repræſentant Diſcipulos Chriſti in numero, aut in qualitate. Non numero, qnia illi fuerunt 72. iſti autem plures. Nec in qualitate, quia illi fuerunt diuina ſapientia illuſtrati, iſti autem denndati.

3 Præterea: Diſcipulis Chriſti fuit commiſſa cura mnltarum Eccleſiarum, quia miſſi ſnnt io omnẽ ciuitatem, & locum, quò Chriſtus erat venturus. Lucæ 10. Iſtis autem cura vnius Eccleſiæ tantnm, quia nulli licet Eccleſias plures curatas habere, vt ſupra dictum eſt.

IN CONTRARIVM eſt Beda Lucę 10. Vbi dicit, quòd ſicut duodecim Apoſtolos formam
A Epiſcoporum demonſtrare nemo eſt, qui dubitet; ſic manifeſtum eſt, ſeptuagintaduos ſignam Preſbyterorum, puta Sacerdotum ſecundi ordinis geſſiſſe.

RESOLVTIO.

Presbyteri Diſcipulos Chriſti in opere perfectionis repreſentant: in ſtatu verò perfectionis non itẽ. quia ſe voto in perpetuam Chriſti ſeruitutem non tradiderunt.

B RESPONDEO, dicendũ, ꝙ Presbyteros repræſentare Chriſti diſcipulos, quantum ad præſens, dnpliciter poteſt intelligi: vel in perfectionis opere, vel in perfectionis ſtatu.

In perfectionis ergo opere planum eſt, ꝙ ſic. repræſentant enim eos in poteſtatis dominio. In adminiſtrationis officio. In charitatis vinculo, & in honoris præconio. Poteſtatis enim domininm receperũt à Chriſto Diſcipuli, quãdo dictum eſt eis Lucæ 10. cap. Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes, & ſcorpiones, & ſuper omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit, ac ſi diceret: Dedi vobis poteſtatem eijciendi omne genus immũdorum
C ſpirituum ab obſeſſis corporibus: & hoc ne putaretnr eſſe dictum de beſtijs, vt Chryſoſt. exponit, iſtud autem repræſentant Presbyteri in Sacramẽtorum adminiſtratione. Adminiſtrationis verò officium receperunt, quando dictum eſt eis: In quamcumque domnm intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: quia bonornm omnium pax mater eſt, ſine qua cætera inania ſunt. Ideo Chriſtus primo Diſcipulis pacem iuſſit offerre, tamquàm bonorũ omnium initium, quorum miniſtros eos faciebat: vt Chryſoſt. dicit, hoc autem repræſentant Presbyteri in Euangelij prædicatione, io quo primo nuncianda eſt pax. Iuxta illud ad Rom. 10. Quàm ſpecioſi ſunt Hom. 3. in Epiſt. ad Coloſſ.
D pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Charitatis autem vinculum receperunt, quando bini miſſi ſunt in omnem ciuitatem, & locum, in ſignum, ꝙ qui charitatem Dei, & proximi non habet, officinm prædicationis nnllatenus aſſumere debet, vt Gregor. exponit. Iſtud autem repræſentant Preſbyteri in plebis curæ ſuſceptione, pro qua ipſam animam, & vitam propriam tenentur exponere. Sed honoris præconium receperunt, quando reuerſi cũ gaudio dixerunt: Domine nõne dæmones ẽt ſubijciuntnr nobis in nomine tuo? gaudebant etiam (vt gloſſa dicit) ꝙ quaſi ſublimes effecti terribiles ho- Hom. 17. ſuper Euãg.

minibus

minibus,& dæmonibus erant. hoc autem repræſentant Presbyteri in ſubditorum iuriſdictione, à quibus,ſi benè eis præſunt, duplici honore debent haberi, vt dicit Apoſtolus 1. Timot. 5. Repræſentant ergo Presbyteri Chriſti Diſcipulos in perfectionis opere: ſed in perfectionis ſtatu non repræſentant Chriſti Diſcipulos, qui ſe voto in perpetuã Chriſti ſeruitutem tradiderunt: cum ipſi Presbyteri plebis, & Parochiæ non ſuſcipiant curam cũ perpetuæ obligationis voto: quia eam deſerere poſſunt propter Religionis introitum. E

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicẽdum, quòd Presbyteri, vel ſunt facultatum Eccleſiæ diſpenſatores, & ſic ſacrilegij crimen incurrunt, ſi illa, quæ pauperibus debentur, ſubtrahunt. Si vero conducti ſunt ad determinata ſtipendia, poſſunt illa retinere,& in vſum ſuum conuertere, ſeruato erga pauperes charitatis affectu. F

Ad ſecundum eſt dicẽdum, ꝙ ſeptuagintaduo fuerunt illi Diſcipuli Chriſti, ſicut ſeptuaginta ſeniores dati fuerunt Moyſi ad regendum populum Iſraeliticum, vt patet Exo. 18. Et hoc propter ſeptiformem gratiam Spiritus ſancti, quæ eſt neceſſaria ad obſeruationem decem præceptorum. Septies enim decem ſeptuaginta faciunt. Omnes ergo Prædicatores Euangelij, quantum ad hoc, ad talem numerum reducuntur, inquantum obſeruatio præceptorũ per gratiam Chriſti mandatur in Euangelica prædicatione. In qualitate verò planum eſt, quòd Prædicatores Euangelij nunc ad perfectionem illorum non attingunt, vt dicit Greg. quod non ſine graui mœrore loqui poſſumus. quod Saluator dixit: Operarij autem pauci: quia & ſi ſint, qui bona audiant, deſunt qui dicant: Ecce enim iam mundus totus plenus eſt Sacerdotibus: ſed tamen in meſſe Dei rarus valde inuenitur operator. Quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus: ſed opus officij non implemus. G

Hom. 17. ſuper Euang.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Diſcipulis Chriſti cura commiſſa eſt multorum congregandorum in Eccleſia. Erant enim tunc multi agri ſpicati, ſed pauci meſſores: & multi credituri, & pauci Doctores: nunc autem tam multis in Eccleſia congregatis oportet, quòd determinatis Doctoribus aſſignentur determinati auditores. quamuis enim pauci merito: multi tamen numero hodie officium Sacerdotale ſuſcipiunt, quibus determinatos greges oportet aſſignare per eos paſcẽdos prædicationis verbo, & ſanctitatis exemplo, ne confuſio fiat in Eccleſia. H

ARTICVLVS II.

VTR. PRESBYTERI PRAEferendi ſint Religioſis in perfectionis ſtatu.

S. Thom. 2. 2. q. 184. art. 8. quodlib. 1. ar. 14. ad 2. arg. & quodlib. 3. art. 17. & opuſc. 18. cap. 20. & 21.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Presbyteri præferendi ſint Religioſis in perfectionis ſtatu, bonum namque publicum præferendum eſt bono priuato: & vita actiua magis eſt ſtudioſa, quàm contemplatiua. Nullum enim ſacrificiũ eſt Deo magis acceptabile, quàm zelus animarum: ſed Presbyteri intendunt vtilitati communi multitudinis, zelo ſalutis animarum in actiua vita fructificantes. Ergo præferẽdi ſunt Religioſis, qui ſaluti propriæ ſtudent in vita contemplatiua Deo ſeruientes.

2 Præterea: Elias perfectior fuit quocumque Religioſo: cuius probatio eſt, quia Chriſtus Ioannem, quo inter natos mulierum non fuit maior, in perfectionem eius inducit Lucæ 1. Ipſe præibit ante illũ in ſpiritu, & virtute Eliç. & Matth. xj. Si vultis ſcire, ipſe eſt Elias: ſed Chryſoſt. dicit: Si talem mihi aliquem inducas Monachum, qualis (vt ſecundum exaggerationem dicam) Elias fuit: non tamen illi comparandus eſt, qui traditus populis, & multorũ peccata ferre compulſus, immobilis perſeuerauit, & fortis.

3 Pręterea: Cui amplius commiſſum eſt, magis meretur, ſi bene adminiſtret, quàm ille, cui minus commiſſum eſt. Sed Presbyteris amplius eſt cõmiſſum, quàm Religioſis. Ergo amplius merentur.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur 19. q. 1. cap. Duæ ſunt. Si quis in Eccleſia ſua ab Epiſcopo populum retinet,& ſeculariter viuit: ſi afflatus Spiritu ſancto in aliquo Monaſterio, vel Regulari Canonica, ſe ſeruare voluerit, quia à lege priuata ducitur, nulla ratio exigit, vt publica lege cõſtringatur: ſed lex priuata, q̃ eſt lex Spiritus ſancti (vt ibi ſubditur) numquàm ducit hominem de ſtatu magis perfecto ad ſtatum minus perfectum, ſed facit hominẽ aſcenſiones in corde ſuo diſponere, vt ſcribitur in Pſal. 83. Religioſi ergo Presbyteris præferuntur in perfectionis ſtatu.

RESOLVTIO.

Presbyteri in ſtatu perfectionis, quantum ad conatus voluntatem, an ſint Religioſis præferendi, ſciri non poteſt. opera enim maioris meriti ſunt, quæ maiori conatu efficiuntur. Quantum ad operis qualitatẽ ſe habent ſicut excedentes & exceſſi. Sed quantum ad radicis primitatem Religioſi Presbyteris ſunt præponendi.

RESPONDEO, dicendum, quòd pręferri Religioſos Præsbyteris in perfectionis ſtatu, quãtum ad præſens, tripliciter poteſt intelligi. Primo, quantum ad conatus voluntatem. Secundo, quantum ad operis qualitatem. Tertio, quantum ad radicis primitatẽ. Primo modo præfertur opus operi, vel ſtatus ſtatui ex voluntate operantis. Qui enim promptiori voluntate, & cum maiori conatu facit opus, ad quod tenetur: maioris perfectionis, & maioris meriti eſt. Si ergo iſto modo opera Religioſorũ, & Presbyterorum ad inuicem comparentur, incertum eſt, quorum opera ſint maioris meriti, & perfectionis: quia planum eſt, quòd illorum opera maioris meriti, & perfectionis ſunt, quæ cum promptiori voluntate, & cũ maiori conatu ipſi operantur. Secundo vero modo, quantum ad operis qualitatẽ, virginitas præponitur coniugali, vel viduali continentiæ in bono: in malo verò homicidium præponitur furto. Similiter vita actiua præponitur contemplatiuæ: quia fructuoſior: Contẽplatiua verò præponitur actiuæ: quia merito maior, & perfectior. Secundum quem modum comparando aliqua opera particularia, quę faciunt Presbyteri, ſunt perfectiora aliquibus particularibus operibus, quæ Religioſi faciunt: ſicut magis eſt intendere ſaluti animarum, quàm ieiunare, vel ſilentium tenere: & aliqua opera, quæ faciunt Religioſi, perfectiora ſunt quibuſdã operibus, quæ faciunt Presbyteri. Sed tertio modo comparando opera Religioſorum ad opera Presbyterorum in ordine ad primam radicẽ, à qua progrediuntur, puta in ordine ad radicem illam, quam Religioſi per totam eorum vitam Deo vouerunt & ſe, & ſua in Chriſti obſequium perpetuo tradiderunt, longè ſunt perfectiora quocunque ſingulari opere Presbyterorum. Et eodem modo in perfectione vita Religioſorum ad vitam Presbyterorum comparatur, ſicut infinitum ad finitum, vt dicit Anſel. in lib. de ſimilitudinibus. Quamuis enim in bono abſtinentia ſumptioni cibi præferatur: ſumere tamen cibum cum aliquo propter charitatem, pręfertur abſtinentiæ. In malo verò, quàmuis adulterium præferatur furto; Furari tamen gladium ad occidendum, eſt grauius, quàm adulterium. Sic quàmuis Presbyteri in aliquo particulari opere poſſint præferri Religioſis: ex adiuncta tamẽ radice perpetuæ obligationis, qua ſe in Chriſti obſequium Religioſi tradiderũt, ſimpliciter in perfectionis ſtatu Presbyteris præferendi ſunt.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quàmuis abſolutè intendere bono publico ſit maioris perfectionis, quàm intendere bono priuato, loquẽdo in genere operis: Intendere tamen perfectè bono priuato, & ſaluti propriæ, præfertur illi, qui imperfectè intendit bono publico. zelus enim animarum eſt ſacrificium acceptum Deo, ſi ordinate fiat, vt ꝙ quis primo habeat curam ſalutis ſuæ, & poſtmodũ aliorum. Quia, vt ſcribitur Matth. 16. Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur: animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

A AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ Chryſoſt. non loquitur de ſimplici Presbytero, ſed de Epiſcopo. vel, ſi loquitur de ſimplici Presbytero, non intendit præferre ſtatũ Presbyteri ſtatui Religioſi: ſed quòd periculoſior eſt ſtatus habentis curam animarum, q̃ Monachi, vel Religioſi viuentis in contemplatiua vita: & quòd, in maiori periculo ſe innocentem ſeruare, maioris virtutis eſt argumentum. Sed quàmuis maior virtùs requiratur ad hoc, ꝙ aliquis conſeruet ſe à peccato immunem inter populos, quàm in Religione, maioris tamen virtutis eſt vitare pericula, Religionem intrando, quàm non vitare pericula, inter populos viuendo.

AD tertium eſt dicendum, quòd bene adminiſtrare aliquid eſt dupliciter. Si enim ille, cui plus eſt B commiſſum, maiora faciat, & plus ſeruiat, proculdubio plus meretur, quàm ille, cui minus committitur, & minus facit. Sed ſi ille, cui minus cõmittitur, maiora faciat opera, & plus ſeruiat, magis meretur, q̃ ille, cui magis committitur, ſi minus faciat, & minus ſeruiat.

ARTICVLVS III.

VTRVM PRESBYTERI IN regiminis cura præferẽdi ſint Regibus.

C AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Presbyteri in regiminis cura non ſint præferendi Regibus. regimen. n. quanto eſt communius, tãto eſt bonum diuinius, & perfectius: Sed regimen Regale eſt magis cõe, q̃ regimen Sacerdotale. Ergo maioris perfectionis.

2 Præterea: Status perfectio acquiritur cum quadam conſecratione, ſicut Epiſcopi in Epiſcopali conſecratione: & Religioſi in habitus benedictione, ſeu profeſſione acquirũt perfectionis ſtatum. Sed Reges inunguntur ſicut Presbyteri. Ergo præferuntur in regiminis cura, quantum ad perfectionis ſtatum.

3 Præterea: Quod pręcedit alterum temporis duratione; præcedit (vt videtur) ſtatus perfectione. Sed regimen Regale præcedit Sacerdotale temporis duratione: quia ante Tribum Leuiticam, ex qua electi D ſunt Sacerdotes, fuit regimen Regale. Præcedit ergo ſimiliter in ſtatus perfectione.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur auctoritate Greg. 96. diſt. cap. Quis dubitet. Quia dubitet Sacerdotes Chriſti Regum, & Principum, omniumq; fidelium Patres, & Magiſtros cenſeri?

RESOLVTIO.

Presbyteri, quantum ad temporis diuturnitatem, operis qualitatem, honoris dignitatem, & iuriſdictionis poteſtatem ſunt Regibus præferendi.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ Sacerdotes in regiminis cura præferuntur Regibus, quantum

ad

ad præſens in quatuor. Primo in temporis diuturnitate. Secundo in operis qualitate. Tertio in honoris dignitate. Quarto in iuriſdictionis poteſtate. Fuit enim regimen Sacerdotale prius regimine Regali, in cuius figura Tribus Leui, qui fuit genitus ante Iudam, de quo Reges ſunt electi, fuit electa ad miniſterium Sacerdotij. Signanter tamen tertius filius Iacob, qui fuit Leui, ad Sacerdotium eſt electus magis, q̃ primus, vel ſecundus, ſicut dicit gloſſa ſuper illo verbo Exo. 6. Hęc nomina filiorum Leui, ad commendandum Sacramẽtum Trinitatis. ait enim, ꝙ non primam Tribum, vel ſecundam, ſed tertiã elegit Deus in Sacerdotium. quia in nomine ſanctæ Trinitatis conſecrati ſunt Sacerdotes, vt eius fidẽ in ſe ſeruare, & alios docere ſtudeant. In operis verò qualitate præferuntur eis: quia cura regiminis Regũ extendit ſe ſolum ad temporalia: Regiminis autem cura Sacerdotum reſpicit ſpirituale bonum, & illa, quæ ſunt perfectionis opera. dicuntur enim Sacerdotes, quaſi ſacra dantes, vel ſacra recipientes, vel ſacra adminiſtrantes. Quòd verò in honoris dignitate eis præferantur, patet auctoritate Ambroſ. 96. diſtin. cap. Duo ſunt quippe. Honor (Fratres) & ſublimitas Epiſcopalis, vel Sacerdotalis nullis poterit comparationibus adæquari: ſi Regum fulgori cõpares, & Principum diademati longe erit inferius, quàm ſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares. In iuriſdictionis etiam poteſtate planum eſt, ꝙ eis pręferuntur: cum iuriſdictio Regum ſolum ſit ſuper tẽporalia, Sacerdotum verò poteſtas ad temporalia, & ſpiritualia ſe extendit. quibus enim pretioſæ animę traduntur, eorum poteſtate indigentibus bona temporalia diſpenſantur, vt ſcribitur 12. quæſt. 1. cap. Præcipimus.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, quòd bonum commune præfertur bono priuato in eodem genere operis. bonum enim matrimoniale eſt magis publicum, & commune, quàm bonum continentiæ virginalis. & tamen iſtud non præfertur illi, cum illud ſit conſilij, & ſupererogationis opus: nec tamẽ eſt verum, quòd regimen Regale ſit magis cõmune, quàm Sacerdotale: immo illud vniuerſalius eſt, cũ ad temporalia, & ſpiritualia ſe extendat, vt ſupra dictum eſt.

Ad ſecundũ eſt dicendum, quòd Reges inunguntur in curæ Regiminis regalis ſuſceptione, ſicut Epiſcopi inunguntur in ſuſceptione curæ Paſtoralis. Non tamen Reges dicũtur eſſe in perfectionis ſtatu, ſicut Epiſcopi: quia illorum cura reſpicit ſolum temporalia: iſtorum autem ſuper his, quæ ſunt perfectionis opera. Sacerdotes verò inunguntur ad conſecrandum corpus Chriſti, quorum vnctio ſemper manet: quia ſemper manent Sacerdotes: non tamen inunguntur in curæ Parochialis ſuſceptione, quia curam illam non recipiunt cum obligationis voto, ſicut Epiſcopi.

Ad tertium eſt dicendum, quòd quàmuis aliæ Tribus, de quibus fuerũt Reges, priores fuerint tem-
E pore Tribu Leuitica, de qua electi ſunt Sacerdotes: eo, quòd Simeon fuit genitus ante Leui. non tamen ex hoc regimen Regale fuit ante Sacerdotale. quia Hieron. dicit: Omnes primogeniti à Noe vſque ad Aaron fuerunt Pontifices, & omnes maiores natu induti veſte Sacerdotali, cum benedictione Patris decimas Deo, velut Pontifices, offerebant. Itaque iſtæ duæ dignitates coniunctæ erant ad inuicẽ propter ſuam excellentiam: vt qui erat Sacerdos, eſſet Rex, & econuerſo. Epiſt. 126. ad Euagriũ

ARTICVLVS IIII.

VTR. PRESBYTERI VETERIS
F *Teſtamẽti in perfectionis ſtatu præferẽdi ſint Presbyteris Noui Teſtamẽti.*

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Presbyteri veteris teſtamenti in perfectionis ſtatu præferendi ſint Presbyteris noui teſtamenti: quia Moyſes, & Aaron Sacerdotes fuerunt veteris teſtamenti: ſed iſti fuerunt perfectiores alijs. Dicit enim gloſſa ſuper illo verbo Pſal. 98. Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius, vos imitamini, quia magni fuerunt: iſti enim Chriſtũ prædicauerunt.

2 Præterea: Apoſtolus dicit ad Hebræ. 7. de Mel-
G chiſedech. Hic eſt enim Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi. Sed ipſe fuit in lege naturæ, nedum in veteri lege, quæ fuit perfectior lege naturæ.

3 Pręterea: Imperfectum remittitur ad perfectũ. Sed Chriſtus, qui fuit caput Sacerdotum noui teſtamenti, curatos per eum remiſit ad Sacerdotes veteris teſtamenti, tamquàm perfectiores.

In Contrarivm eſt. Apoſtolus 2. Corin. 3. Qui ſe, & alios miniſtros noui teſtamenti præfert miniſtris veteris teſtamenti, dicẽs: Qui idoneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti: non littera, ſed ſpiritu: & ſtatim ſubdit: Quòd ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita vt non poſſent intendere in faciem Moyſi filij Iſrael propter gloriam vultus eius, quæ euacuatur.
H Multo magis miniſtratio ſpiritus erit in gloria.

RESOLVTIO.

Presbyteri Noui Teſtamẽti in ſtatu perfectionis in deriuatione, duratione, perfectione, & hoſtię oblatione Presbyteris Veteris Teſtamẽti ſunt præferẽdi.

Respondeo, dicendum, quòd Apoſtolus in Epiſt. ad Hebræ. In quatuor pręfert Sacerdotes noui teſtamenti Sacerdotibus Leuiticis. Primo in deriuatione. Secundo in duratione. Tertio in perfectione. Quarto in hoſtiæ oblatione. Fuit enim Sacerdotium Chriſti, & Sacerdotium noui teſtamẽti figuratum in Sacerdotio Melchiſedech, qui

fuit

fuit in lege naturæ. Cum igitur Sacerdotium Chriſti fuerit cauſa Sacerdotij Leuitici: ſicut figuratū eſt cauſa figuræ: ſequitur, ꝙ Sacerdotium Leuiticum à Sacerdotio Gentilium ſit deriuatum, vt gloſſa dicit ad Hebræos 7. In duratione vero: quia Sacerdotes Leuitici ſine iureiurando facti ſunt Sacerdotes. Sacerdotium verò Chriſti cum iureiurando per

Pſal. 109. eum, qui dixit ad eum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. In perfectione autem: quia Sacerdotium Leuiticum non poterat iuxta conſcien-

* al. niſi. tiam perfectum facere ſeruientem * ſolummōdo in cibis, & potibus, & varijs baptiſmatibus. Chriſti B autem Sacerdotium in perpetuū ſaluare poteſt accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper viuēs ad interpellandum pro nobis.

In hoſtiæ verò oblatione. Quia illi offerebant hoſtiam terrenam: iſti autem hoſtiam cœleſtem. Offertur enim nunc per Sacerdotes noui teſtamenti cœleſtis hoſtia quatuor modis.

Primo principaliter, & effectiuè. Quia illa perſona, quæ primo obtulit, & in cuius virtute alij offerunt: non terrena, ſed de cœlo fuit.

Secundo formaliter, & quidditatiuè. Quia caro C

* al zelo. * al. formaliter. illa vera, quæ offertur, * cœlo diuinitatis eſt * perſonaliter coniuncta.

Tertio materialiter, & ſubiectiuè. Quia in vtero virginali, non terreno ſemine, ſed cœleſti ſpiramine caro quæ offertur, fuit formata.

Quarto finaliter, & terminatiuè. Quia oblatio Sacerdotis noui teſtamenti cœlum aperit, quod non poterat aperire oblatio Sacerdotij Leuitici. Iſta autem quatuor per ordinem tangit Aug. 4. de Trinit.

A cap. 14. Dicens: Quis tam iuſtus, & ſanctus Sacerdos, quàm vnicus Dei filius: quantum ad cauſam efficiētem? Et quid tam aptum immolationi, quàm caro humana mortalis: quantum ad cauſam formalem? Et quid tam mundum pro mundandis vitijs mortalium: quàm ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ caro nata in vtero, & ex vtero virginali, quantum ad cauſam materialem? Et quid tam gratè ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri effecta corpus Sacerdotis noſtri; quantum ad cauſam finalem?

B

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicēdum, ꝙ quantūcūque Moyſes, & Aaron eſſent pfecti Sacerdotes in ſe: in columna tamen nubis loquebatur ad eos illa dicta, quæ Chriſtum præſignabant. Ad illos ergo loquebatur in nube, qui iam nobis loquitur in ſcabello: puta in carne perſonaliter aſſumpta apertè, ſicut gloſſa ibi dicit.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ Melchiſedech fuit Sacerdos ſummus: quia ſummi Sacerdotis figuram geſſit. figurauit enim Chriſtum ſummum C Sacerdotem. Vnde ſicut figuratum excedit figurā, ſic iſtud Sacerdotium excedit illud.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ Chriſtus non remiſit mundatos per ipſum ad Sacerdotes veteris teſtamēti tamquàm ad perfectiores: ſed innuit, quòd mundati interius per infuſionem gratiæ eius, tūc doctrina imbuendi per Sacramēta, & catechizandi per ſermonem, poteſtas Miniſtris Eccleſiæ tributa eſt, vt dicit Aug.

QVAEST. CV. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN RELIGIOSIS MENDICANTIBVS.

Deinde videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Religioſis mendicantibus. Circa quod quæruntur Nouem.

Primo, Vtrum Religioſi mendicantes ſint in perfectiori ſtatu, q̄ alij.

Secundo, Vtrum Religioſi mēdicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe de Collegio, & numero Magiſtrorum.

Tertio, Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe de Collegio, & numero ſtudentium ſæcularium.

Quarto, Vtrum plures Magiſtros eſſe in vno Religionis Collegio, deroget eorum perfectionis ſtatui.

D *Quinto, Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe teſtamentorum executores.*

Sexto, Vtrum Religioſi mendicātes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe Regum, & Reginarum Confeſſores.

Septimo, Vtrum Religioſi mendicantes in perfectionis ſtatu poſſint eſſe ſæcularium Principum officiales.

Octauo, Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poſſint de negotijs ſæcularibus ſe intromittere.

Nono, Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu eorum, poſſint largiores eleemoſynas recipere, quàm alij Mendicantes non Religioſi.

ARTI-

ARTICVLVS I.

VTRVM RELIGIOSI MENDIcantes ſint in perfectiori ſtatu, quàm alij.

B. Thomas 2. 2. q. 187. art. 4. & opuſculo 17. cap. 14. 15. & 16.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Religioſi mendicantes non ſint in perfectiori ſtatu, quàm alij. Inquieti enim, & vagantes huc, & illuc nõ ſunt in perfectionis ſtatu, ſicut dicit glo. ſuper illo verbo 2. ad Theſſ. vltimo: Quoniam inquieti ſumus inter vos, neque gratis panem mãducauimus ab aliquo. Sed Religioſi mendicantes coguntur eſſe inquieti, & diſcurrere ad quærendum eorum victum, & veſtitum. Ergo maioris perfectionis eſſet proprijs manibus laborare, vel in communi aliquas poſſeſſiones habere, quàm mendicare.

2 Præterea: Ille ſtatus eſt imperfectus, de quo plures cadunt; & plures apoſtatant. Sed de ſtatu Religionis mendicantium plures cadunt, & plures apoſtatant à via ſalutis propter inopiam, nec mirum: ſcribitur enim Eccle. 27. quòd propter inopiam multi deliquerunt.

3 Præterea: Religioſi mendicantes ſunt perficiendi, non perfecti. Sed mendicitas, & abdicatio temporalium eſt periculoſa perficiendis, vt dicit Damaſ. Periculoſius eſt ergo ſtatus Religionis Mendicantiũ.

IN CONTRARIVM eſt. quia voluntaria paupertas ponit hominem in perfectionis ſtatu. Sed hoc magis inuenitur in Religioſis mendicantibus, quàm alijs. Ergo ipſi ſunt in perfectiori ſtatu, quàm alij.

RESOLVTIO.

Quamuis modi omnes in paupertate voluntaria viuendi ſint meritorij; Religioſi tamen mendicantes ſpiritualibus vacantes, doctrinamque euangelicam prædicantes in perfectiori ſtatu, quàm alij, dici debent, propter minorem temporalium curam, & propter maiorem diſpoſitionem ad ſpiritualem cõtemplationem, maiorum bonorum ſubminiſtrationem ad recompenſationẽ eorum, quæ recipiunt, & propter maioris cum Apoſtolis conformitatem.

RESPONDEO, dicendum, quòd in paupertate volũtaria propter Chriſtum aſſumpta, in qua conſiſtit perfectionis ſtatus, quatuor modi inueniuntur ſecundum Hiero. Primus modus fuit Apoſtolorum, & aliorum fidelium in primitiua Eccleſia, qui vendebant poſſeſſiones, & de pretio ipſarum prouidebatur vnicuique, ſicut opus erat. Secundus modus fuit, & eſt quorundam Monachorum, qui habentes poſſeſſiones in communi de fructibus,

E & prouentibus ipſarum, prouidentur omnibus neceſſaria vitæ. nullus namque debet eligere talem paupertatem, in qua ſobtrahat ſibi impoſſibilitatẽ prouidendi in neceſſarijs. Tertius modus fuit, & adhuc eſt quorundam Religioſorum, qui mundum ſpernentes, de labore manuum ſuarum victum, & veſtitum, ac alia neceſſaria ſibi ſubminiſtrant, quo modo Apoſtolus vſus eſt quandoque, ne offendiculum daret Euangelio. Quartus modus eſt quorundam Religioſorum mendicantium, qui ſpiritualibus vacantes, & doctrinam Euangelicam prædicantes, de his, quæ à perſonis fidelibus inferuntur, in voluntaria paupertate viuunt. quamuis ergo omnes iſti modi viuendi in voluntaria paupertate ſint boni, & meritorij: iſte tamen quartus perfectior, & ſecurior eſſe dicitur propter quatuor. Primo, quia ſolicitudinem

F temporalium minus habet annexam, quàm alij modi. Secundo quia ad ſpiritualem contemplationem maiorem diſpoſitionem habet coniunctam. Tertio quia ad recompenſationem eorum, quæ recipiunt, maiora bona ſubminiſtrant. Quarto, quia ad imitationem modi uiuendi Chriſti, & Apoſtolorum maiorem cõformitatem habet. Scribitur enim Lucæ 8. quòd mulieres multæ ſequebantur Chriſtum miniſtrantes ſibi de facultatibus ſuis.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ diſcurrere de loco ad locum, & detrimentum propriæ quietis pati, dupliciter poteſt contingere. Primo, vt hoc

G fiat quadam curioſitate, pertractando aliorum temporalia negotia, proprijs prætermiſſis. & hoc reprehendit Apoſtolus, vt glo. ibi dicit. Alio modo, vt hoc fiat ex Chriſti charitate, ſeminando ſpiritualia, & inſtruendo animas fidelium in his, quæ ſunt fidei. & iſtud non eſt minoris meriti, nec minoris laboris, quàm proprijs manibus victum, & veſtitum quærere. Dicit enim Aug. de opere Monachorum: Domine Ieſum Chriſtum, in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniam quantum ad meum attinet commodum, multo mallem per ſingulos dies certis horis, quantum in bene moderatis monaſterijs conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad orandum, & legendos libros, quàm tumultuoſiſſimas quæſtio- cap. 19. Tomo 3.

H nes, & perplexitates cauſarum alienarum pati, de negotijs ſecularibus, vel iudicando dirimendis, vel inter ueniendo præſcindendis.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd plures caduut & plures apoſtatant à via ſalutis ex temporalium affluentia, quàm ex eorum carentia. ſicut plures deviant à via ſalutis in proſperis, quàm in aduerſis. Dato tamen, quòd multi cadant, & multi apoſtatent in Religione paupertatis: hoc tamen non arguit eorum imperfectionis ſtatum. quia arcta eſt via, quæ ducit ad vitam: & pauci ſunt, qui inueniunt eam. lata autem, & ſpacioſa eſt, quæ ducit ad perditionem, vt ſcribitur Matth. 7.

AD tertium eſt dicendum, quòd volẽtibus perfici, neceſſaria ſunt illa, quæ inſtrumentaliter faciunt

ad acquirendum perfectionis ſtatum, ſicut eſt abdicatio temporalium, quantum ad illa tria, quę Ioan. ponit eſſe in mundo. Nam concupiſcentia carnis abdicatur per votum caſtitatis. Concupiſcẽtia vero oculorum per votum paupertatis. Superbia vitæ per votum obedientiæ. Damaſ. autem non dicit, quòd exercitatio in iſtis ſit periculoſa perficiendis, ſed vult, quòd ſolitaria, & cõtemplatiua vita perfectis magis, quàm perficiendis, conuenit.

1. Ioan. 2.

ARTICVLVS II.

VTRVM RELIGIOSI MENDICANTES CUM PERFECTIONIS ſtatu poſſint eſſe de Collegio, & numero Magiſtrorũ.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi Mẽdicantes cum perfectionis ſtatu non poſſint eſſe de Collegio, & numero Magiſtrorum. Minus namque eſt nominari Magiſter, quàm Magiſter eſſe. ſed Saluator Matth. 23. prohibuit, vt Diſcipuli eius non vocarentur Magiſtri, dicens: Vos autem nolite vocari Rabbi. vnus eſt enim Magiſter veſter.

2 Præterea: Religioſi tenentur ad paupertatem, & humilitatem. ſed Cathedra Magiſtralis importat magnum honoris ſtatum, vt dicit glo. ſuper illo verbo Matth. 4. Statuit eum ſuper pinnaculum templi. Sicut ergo Cathedra Magiſtralis repugnat Religioſorũ humilitati; ſic repugnare videtur eorum perfectionis ſtatui.

3 Præterea: Plus repugnat Religioſis mendicantibus officium Scholaſticum, quàm Eccleſiaſticum. Sed Eccleſiaſticum officium Religioſi exercere non poſſunt cum eorum perfectionis ſtatu: Scribitur enim 16. q. 1. † Nemo poteſt Eccleſiaſticis officijs deſeruire, & in monaſtica regula ordinate perſiſtere.

† c. Nemo poteſt.

IN CONTRARIVM eſt. quia præcipui Doctores Eccleſiæ fuerunt Religioſi, ſicut patet de Auguſt. † Greg. & Hierony. Similiter ergo ſtat Doctoratus, & Magiſterium cum Religionis perfectionis ſtatu.

† Vide cap. 1. de reliq. & vener. ſan. lib. 6.

RESOLVTIO.

Religioſi mendicãtes cum ſtatu perfectionis de Collegio, & Magiſtrorum numero magis, quàm ſeculares Clerici eſſe poſſunt propter approbationem Scripturæ Sacræ, quã profitẽtur, propter doctrinalis operationis perfectionem, propter maiorem ad ſtudium amplectendum diſpoſitionem, & propter ſacræ doctrinæ finis attinctionem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ aliqui dixerunt, Chriſtum de vitando Magiſterio dediſſe conſilium, & eſſe ſupererogationis opus. & quia Religioſi tenentur ad conſilia, & illa, quæ ſunt ſupererogationis opera, concludebant ex hoc Religioſos de numero, & Collegio Magiſtrorum eſſe non poſſe: tenendo eorum perfectionis ſtatum. Quorum dictum multipliciter patet eſſe falſum. Primo quidẽ: quia vitatio illius non poteſt cadere ſub conſilio, vel præcepto, cui promittitur ſingulare præmium. Doctoribus autem, & expoſitoribus ſacræ Scripturæ promittitur ſingulare prẹmium, ſicut Virginibus, & Martyribus. Sicut ergo inconueniens eſſet dicere, ꝙ vitare virginitatem, vel Martyrium caderet ſub conſilio. ſic inconueniens eſt dicere, quòd vitare Magiſterium cadat ſub conſilio, vel præcepto. Secondo, quia non poteſt dari præceptum, vel cõſilium de eo, quod contrariatur conſilio, ſeu præcepto. Sed docere cadit ſub præcepto, vel conſilio. vt patet Matth. B vltimo: Euntes docete omnes gentes. Et Gal. 6. Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. De non docendo ergo non poteſt eſſe conſilium. Tertio, quia conſilia per Chriſti Apoſtolos primo fuerunt ſeruata. Sed ipſi Magiſterium, & Doctoratum non vitauerunt. Dicit enim Paulus 1. Timoth. 2. Veritatem dico, non mentior: Doctor gẽtium in fide, & veritáte. Dato tamen, quòd ſub conſilio caderet, non tamen ſequitur, quòd ad hoc omnes Religioſi tenerentur. non enim omnes, qui perfectionis ſtatum profitentur, ad omnia tenentur conſilia: ſed ad illa tantum, ad quæ ex voto ſe obligant. aliàs Apoſtoli, qui erant in perfectionis ſtatu, tenebantur ad hanc ſupererogationem, quam Paulus C faciebat: vt non acciperent ſtipendia ab illis, quibus prædicabant. Dicendum ergo eſt, quòd Religioſi magis, quàm ſeculares Clerici tenendo eorum perfectionis ſtatum, poſſunt eſſe de numero, & Collegio Magiſtrorum propter quatuor. Primo propter ipſius ſacræ Scripturæ, quam profitentur, approbationem. Doctrina enim ſacræ Scripturæ operibus comprobatur. quia principalis auctor eius cœpit facere, & docere Act. 1. Cum igitur in ſacra Scriptura contineantur præcepta, & conſilia. Religioſi, qui ſunt præceptorum, & conſiliorum obſeruatores, magis ipſam comprobant, docendo operibus, quàm Clerici ſeculares. Secundo propter doctrinalis operationis perfectionem. Delectatio namque perficit operationem, & diuturniorem, & laudabi- D liorem ipſam reddit, vt dicit Philoſophus in Eth. Religioſi autem plus cognutur delectari in ſacræ Scripturę perſcrutatione, alijs delectationibus ab eis ſubtractis, quàm alij. Tertio propter eorum diſpoſitionem. per abdicationem enim temporalium, & ſecularium negociorum, quæ doctrinæ ſtudium maxime habent impedire, Religioſi magis ſunt idonei, & diſpoſiti ſacram doctrinam docere, & exponere, quàm ſeculares Clerici. ſicut patet, quòd omnia armaria ſunt plena de libris, & operibus, quæ fecerũt Religioſi. Quarto propter finis ſacræ doctrinæ attinctionem. Finis enim ſacræ Scripturæ eſt contemplatio veritatis, vt dicit Aug. 1. de Trin: Religioſi autem contemplationi ſemper inſiſtentes hunc finem magis attingunt, quàm alij.

Ariſt. 10. Eth. cap. 4.

c. 8. Tom 3.

Ad Argumenta.

Hom. 43. in Matth.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quod Chryſoſt. Illud verbum: Nolite vocari Rabbi, tripliciter exponit. Primo vt intelligatur eſſe prohibitum per officij negligentiam. Multi namque ſunt, qui ſolũ nomen magiſterij, & paternitatis curãt habere: ſed officium magiſterij, & paternitatis negligunt. vocari igitur volunt, ſed non eſſe: nomen appetunt, & officium negligunt. Secundo, vt intelligatur eſſe prohibitum per principalem reuerentiam. Nam reuerentia paternitatis, & magiſterij ſolum Chriſto cõuenit principaliter: alijs autem non niſi participatiue. Tertio, vt intelligatur eſſe prohibitum per ambitionis excellentiam. ambitionem enim prohibuit Chriſtus non actum magiſterij, nec quemlibet appetitum interdixit: ſed inordinatum, & immoderatum, vt gloſſa ibi dicit.

F

AD ſecundum eſt dicendum, quod Religioſi non tenentur ad humilitatẽ magis, quàm alij: niſi quãtum cadit ſub voto obedientiæ. nec interdicitur eis honor, qui debetur ſpiritualibus bonis, ſed ſolum ille, qui conſiſtit in rebus mundanis, aliàs cum honor debeatur Sacerdotio, & Prælaturæ, nec ad Sacerdotium, nec ad Prælaturam aſſumi poſſent. Non prohibetur ergo honor magiſtralis cathedræ, ſed ambitio.

AD tertium eſt dicendũ, quòd illud decretum non intelligitur de his, quæ pertinẽt ad ſubſtantiam Religionis. Poteſt enim quis tria vota ſeruare, in quibus conſiſtit Religionis perfectio, & Eccleſiaſtico officio, vel ſcholaſtico ſeruire. Intelligitur ergo

G

quantum ad aliquas obſeruantias Regulares: à quibus non eſt inconueniens, quod Religioſi Magiſtri abſtineant, vt vtilitati communi vacent docendo. Sicut patet de illis, qui ad Prælationis officium aſſumuntur, potiſſimè cum in clauſtris proprijs exiſtentes quandoque in talibus diſpenſationem accipiãt propter aliquam cauſam rationabilem.

ARTICVLVS III.

VTRVM RELIGIOSI CVM perfectionis ſtatu poſſint eſſe de numero, & Collegio ſtudentium ſecularium.

H

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quod Religioſi cum perfectionis ſtatu nõ poſſint eſſe de numero, & Collegio ſtudentium ſecularium. Diſpar .n. profeſſio non debet eſſe in vno officio: Sed Religioſi, & ſeculares ſunt diſparis profeſſionis. Ergo in Scholaſtico officio non debent ad inuicem ſociari.

2 Præterea: Omnes de Collegio tenentur ſeruare ſtatuta in illo Collegio ordinata. Sed iuramenta & alia ſtatuta, quæ in Scholaſtico Collegio ordinantur, Religioſi ſeruare non poſſunt, cum ſuperiorem ha-

E

beant, Non debent ergo eſſe de Collegio, & numero ipſorum.

3 Præterea: Honores, & vtilitates non debent diſtribui, niſi inter illos, qui ſuſtinent onera, & grauamina. Sed Religioſi non ſuſtinent onera Collegij ſtudentium: cum non ſoluant collectam, & alia, quæ ſunt neceſſaria. Non debent ergo in numero ſtudentium aggregari.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſacra Scriptura eſt de his, quæ ſunt fidei: ſed fides vna eſt, ſicut vnum baptiſma: ad Ephe. 4. Sicut ergo Religioſi non excluduntur à Collegio fidelium in perceptione baptiſmi: ſic nec excludi debent à perceptione ſacræ Scripturæ.

RESOLVTIO.

Religioſi cum ſtatu perfectionis, de numero, & Collegio ſtudentium ſecularium eſſe poſſunt, cum in ſtudio docendi, aut diſcendi ſacram Scripturam ſociari queant, nec ab ea excludi.

RESPONDEO, dicendum, quòd aliqui conati ſunt Religioſos à Collegio ſecularium ſtudentium excludere dicentes, nulla auctoritate ſtudentes compelli poſſe, vt Religioſos ad eorum ſocietatem admittant, non quidem auctoritate humana: quia ſecundum iuris ciuilis ordinem nullus ad ſocietatem debet compelli, niſi ſocietas voluntate ſit inita, nec auctoritate Eccleſiæ. Eccleſiæ namque auctoritas non ſe extendit, niſi ad ea, quæ ad cathedram pertinent. Vnde dicebat Apoſtolus 2. Corin. 10. Non autem in immenſum gloriabimur, ſed ſecundum menſuram Regulæ, quam menſus eſt nobis Deus. Ad cathedram autem (vt dicũt) non pertinet ordinare de ſtudẽtium ſocietate, ſed ſolum de collatione beneficiorum, & adminiſtratione Sacramentorum, & illorum, quæ non excedunt menſuram Apoſtolicæ Regulæ: iſtud autem dictum hæreſim ſapit, & quantum ad præſens derogat:

Primo fraternæ charitati. Super illud enim verbo ad Rom. 12. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. Dicit gloſſa, quod ideo in Eccleſia ſunt diuerſa membra, & diuerſa dona habentia: vt Eccleſia nullo indigeat, ſed quodlibet membrum ſubſeruiat alteri, & ſit adinuicẽ mutua dilectio & ſubſeruiendi materia ex adminiſtratione donorum. Secundo derogat Eccleſiaſticæ vnitati. Eccleſia nãque eſt vna vnitate fidei, in qua, vt dicit Apoſtolus Gala. 3. Non diſcernitur Iudæus, neque Græcus: non ſeruus, neque liber: non maſculus, neque fœmina. omnes enim vnum ſunt in Chriſto Ieſu. Tertio derogat doctrinæ vniuerſalitati. ſi enim doctrina Philoſophica eſt vniuerſalis: quia ex iuuamento prioris ad ſequentẽ ſuum incrementum ſuſcepit, vt ſcribitur 2. Metaph. Multo magis ſacra Scriptura vniuerſalis eſt, in qua vnus recipit emolumentum ex ſocietate alterius. Iuxta illud Eccleſiaſtes 4. Melius eſt eſſe duo ſimul, quàm vnum. habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ: quia ſi vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Quarto derogat

Apo-

Apoſtolicæ auctoritati. Scribitur enim 1. Petri 4. (A) Vnuſquiſque ſicut accepit gratiam io alterutrum illam adminiſtraotes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei: ſuper quo verbo dicit gloſſa, ꝙ quodlibet donum Spiritus ſancti neceſſarium eſt ad ſeruiendum alijs, tam in ſęcularibus, quàm in ſpiritualibus. Quinto, derogat Reipublicæ vtilitati: quia ſtudium ſcientiæ maximè vtilitati Reipublicæ deſeruit. Dicit enim gloſſa ſuper illo verbo 1. Petri 4. Si quis loquitur quaſi ſermones Dei, quòd ſi quis habet ſcientiam loquendi, non ſibi, ſed Deo tribuat, timeat tamen ne præter voluntatem Dei, vel præter veritatem ſanctarum Scripturarum, vel præter vtilitatem fratrum doceat: & ne, quod docendum eſt, taceat: Nec eſt verum, quod dicunt, Studentes ſęculares compelli nõ poſſe, vt recipiant Religioſos in (B) eorum ſocietate. Eſt enim duplex ſocietas: publica, & priuata. Publica quidem ſocietas dicitur, ſecundum quam homines ſibi inuicem communicant in vna ciuitate, & in vno Regno, in ſtudio, & in negotijs publicis, quæ ad rei communis vtilitatem pertinẽt. Priuata verò, ſecundum quam duo, vel tres in ſocietate coniunguntur ad exercẽdum aliquod priuatum negotium: & quælibet iſtarum ſocietatũ poſſet diſtingui per obligationem perpetuam, & temporalem. quamuis enim priuata ſocietas particulari voluntate hominum firmetur: publica tamen ſocietas ſicut Principis, & Superioris conſenſu firmatur, ſic ciues compelli poſſunt, vt aliquem in eorum ſocietate recipiant. Quòd verò dicunt ſtudium non pertinere ad illa, quæ ſpectant ad cathedram, manifeſte eſt falſum. Illius namque eſt generale ſtudium (C) ordinare cuius eſt de tota Eccleſia, & de tota Republica curam habere: quod ad Summum Pontificem ſuperius probatum eſt pertinere. qui ſicut poteſt cuiuslibet Eccleſiæ Collegium compellere, vt aliquem recipiat in Fratrem, & in Canonicum: ſic põt omnes ſęculares, & Relioſos compellere, vt ſe in ſtudio ad inuicem debeant ſociare.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergò eſt dicẽdum, quòd homines diſparis profeſſionis non ſociantur in illis, in quibus diuerſificantur, ſed in illis, in quibus ad inuicem vniuntur. Separantur autem Religioſi à ſęcu- (D) laribus in ſęcularibus negotijs, quæ ſunt Religioſis prohibita. in ſtudio autem docendi, vel diſcendi ſociari poſſunt: quia hoc eſt commune omnibus quãtum ad dilectionem, & fidem, in quibus omnes de corpore myſtico Eccleſiæ communicant.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut ſtudium ad vtilitatem Reipublicæ pertinet, ſic ſtatuta in Collegio ſtudentium facta talia debent eſſe, quæ omnibus de Collegio conuenire poſſunt.

Ad tertium eſt dicendum, quòd iuramenta, & collectæ per Religioſos de ſuorum ſuperiorum licentia obſeruari poſſunt: in illis dumtaxat, quæ faciunt ad miniſtrorum ſtudij prouiſionem, & ipſius ſtudij promotionem.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PLVRES MAgiſtros eſſe in vno Collegio Religionis deroget eorũ perfectionis ſtatui.

Videantur notata in cap. Super Specula: extra ne cleric. vel Monac. in cap. Super Specula, de Magiſt. & in c. Super Specula. de Priuileg.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ plures Magiſtros eſſe in vno Collegio Religionis deroget eorum perfectionis ſtatui. Super illo enim verbo Iaco. 3. Nolite plures Magiſtri fieri fratres mei. Dicit gloſſa: Quãtumcũque diſcreti, & in Scripturis docti, vel in pluribus Eccleſijs, vel plures in vna Eccleſia ne velitis eſſe Magiſtri.

2 Præterea: Hierony. dicit, ꝙ in apibus vnus eſt Princeps, & grues vnum ſequuntur ordinem: in naui ſimiliter vnus eſt gubernator. Multo ergo magis in vno Collegio non debet eſſe, niſi vnus Magiſter. Ad Ruſticũ Monachum Epiſt. 4.

3 Pręterea: Confuſio vitanda eſt in doctrina ſacra. Sed ſi plures Magiſtri eſſent in vno Collegio, eſſet quædam confuſio, & docentium, & ſtudentium, & à Magiſtris ſęcularibus ſubtraherentur auditores.

In Contrarivm eſt. quia maioris dif- (C) ficultatis, & vtilitatis eſt ſacra Scriptura, quàm ſcientia humana: ſed in uno ſęcularium Collegio poſſunt eſſe plures Magiſtri in humana ſciẽtia. Ergo in vno Religionis Collegio poſſunt eſſe Magiſtri in doctrina ſacra.

RESOLVTIO.

Sacra Scriptura ex numero Magiſtrorum contemptibilis fieri non poteſt, modo non adſit inſufficientia, quæ ipſi maximopere derogat.

Respondeo, dicendũ, ꝙ multi dixerunt, numerum Magiſtrorum ad determinatum numerum eſſe redigendũ, ita vt in vno Religionis Col- (D) legio plures ad Magiſterium aſſumi nõ poſſent, ne ſacra Scriptura in contemptu habeatur. Sed iſtud manifeſte impediret ſtudij profectum. Si enim Magiſterium ſubtraheretur à Religioſo, vel quocunque alio, quod eſt ſtudentis præmium, non conaretur ſtudere, & in ipſa ſacra Scriptura proficere. Eſſet ſimiliter tale ſtatutum in detrimentum iuſtitiæ. Si enim Religioſus ſic proficit in ſtudio, vt ſit dignus Magiſterio, & ex hoc ipſo, ꝙ Religioſus à Magiſterio repellatur, pro bono infertur malum, & ſine culpa pœna: quod eſt iniuſtum, & iniquum. Dicendum eſt ergo, tam Religioſos, quàm ſeculares ad Magiſteriũ poſſe aſſumi habentes ſufficientiam: quia non ex Magiſtrorum ſufficientia ſacra Scriptura venit in contemptum, ſed magis ex ipſorum inſufficientia. Quod, quantum ad pręſens, tripliciter probatur.

In prologo cap. 2.

Primo, ex parte Dei, à quo ipſa ſacra Scriptura infunditur; à quo, vt dicitur 1. Metaphy. Relegata eſt omnis inuidia. Vnde ſicut Deus omnibus ſacrã Scripturam liberaliter communicat: ſic officiũ docendi ipſam, ſuppoſita ſufficientia, omnibus eſt liberaliter communicandum. Iuxta illud Sap. 7. Quam ſine fictione didici, & ſine inuidia communico, & honeſtatem illius non abſcondo. Secundo, ex parte Eccleſiæ, quæ per ipſam inſtruitur. Multum enim proficit Eccleſia ex pluralitate Magiſtrorũ. Nec mirum. ſcribitur enim Sap. 6. Quòd multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum. Cuius zelo accenſus ille ſanctus Moyſes dixit Num. xj. Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Deus ſpiritum ſuum. Super quo verbo dicit gloſſa, quòd Prophetare omnes, voluit, qui bonum quod habuit non inuidit. Et ſic fidelis prædicator optat, ſi fieri valeat, vt veritatem, quam ſolus loqui non ſufficit, ora cunctorum ſonent. Tertio, ex parte Doctoris, per quẽ ſacra Scriptura adminiſtratur. non enim omnes Magiſtri ſunt apti eodem modo docere. Sed aliqui verbo, aliqui ſcripto, aliqui vno modo, & aliqui alio: & aliquod reuelatur vni, quod non reuelatur alteri. Ex quorum modorum diuerſitate docendi magna vtilitas prouenit Eccleſiæ.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ illa auctoritas non magis facit contra Religioſos, quàm cõtra ſeculares. Per illam tamen auctoritatem non interdicitur ſecularibus, vel Religioſis Magiſtrorum pluralitas ſed contrarietas. Plures enim Magiſtri dicuntur, qui contraria docent, & plures vnum ſunt inquantum vnam veritatem annunciant, vt Aug. dicit. Vel pluralitas Magiſterij prohibetur ſecundũ, ꝙ Magiſterium conuenit Prælatis Eccleſiarum: quia plures Prælati in vna Eccleſia eſſe non poſſunt, non autem ſecundum, quòd conuenit Magiſtris doctrinalium cathedrarum.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd plures Magiſtri, qui ſunt in vno Collegio, non præſunt illi Collegio, ſicut Princeps in apibus, vel Rector in naui: ſed quilibet præeſt in ſchola ſua: & planum eſt, ꝙ in vna ſchola plures Magiſtri eſſe non debent.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ non ſubtrahũtur ſtudentes à Magiſtris per multitudinem Magiſtrorum: quia non omnes actu docent, poſſunt etiam ad alia ſtudia tranſmitti, & aliqui in vno tempore, & aliqui in alio eiſdem in Collegijs deſeruire.

E

ARTICVLVS V.

VTRVM RELIGIOSI MENDIcantes poßint cum perfectionis ſtatu eſſe teſtamentorũ executores.

Vide textum, & Doctores in cap. Religioſus, de teſtam. lib. 6.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Religioſi Mendicantes non poſſint cũ perfectionis ſtatu eſſe teſtamentorũ executores. Perfectorum namque eſt rem ſuam in iudicio non repetere. Iuxta illud 1. Corin. 6. Iam quidem omnino delictum eſt in nobis, ꝙ iudicia habetis inter vos. Quare non magis fraudem patimini. Multo ergo fortius eſt perfectorum rem alterius in iudicio non repetere. Sed executores teſtamentorum coguntur relicta Teſtatorum in iudicio repetere. Ergo Religioſi Mendicantes cum eorum perfectionis ſtatu hoc agere non poſſunt.

F

2 Præterea: Ad executionem operis requiritur voluntas: Sed Religioſi proprium velle, & nolle non habent, cum ſint ſub alterius poteſtate. Ergo non poſſunt executores eſſe in teſtamento alicuius.

G

3 Præterea: Religioſi in perfectionis ſtatu exiſtentes periculis animarum ſe non debent exponere. Sed contingit quãdoque plures executores ab aliquo Teſtatore relinqui, ex quorum diſcordia, vel loci diſtantia contingit voluntatem Teſtatoris impediri, & ſic conſcientiam executoris grauari, cum Greg. dicat, ꝙ vltima voluntas defuncti ſeruanda ſit. Lib. 3. Epiſt. 9.

4 Præterea: Scribitur extra de teſtam. cap. Tua. Quòd ſi quis recipit executionem teſtamenti alicuius, piam Teſtatoris voluntatem tenetur exequi, & ad eius executionem eſt per Epiſcopum compellendus. Sed Religioſi Mendicantes cum ſint exempti, per Epiſcopum compelli non poſſunt.

H

5 Præterea: Fratres Minores inter Religioſos Mẽdicantes computantur. Sed de eis ſcribitur extra in declaratione clemen. eorum regulæ, conſiderata eorum paruitate ſtatus, debent ſcire eis eſſe interdictũ, ꝙ executionibus, & diſpenſationibus ſe exponant, cum hæc ſæpius abſque litigio, & contractione, vel adminiſtratione pecuniæ nequeant expediri.

In Contrarivm eſt. quia executio voluntatis Teſtatoris inter pias cauſas computatur. Sed pias cauſas exequi magis pertinet ad Religioſos in perfectionis ſtatu exiſtentes, quàm ad alios.

RESOLVTIO.

Religioſi Mendicantes teſtamentorum executores eſſe poſſunt permanentes in ſtatu perfectionis, cum executio huiuſmodi inter præcipua charitatis opera ponatur.

RESPONDEO, dicendum, quòd Religioſi Mendicantes excludendi non ſunt ab operibus charitatis, quin immo cum ipſa charitas ſit omnis perfectionis ſtatus finis, & complementum, ad illos potiſſime conuenit opera charitatis exercere, qui ex voto ad opera perfectionis, & ſupererogationis ſunt aſtricti. Planum eſt autem, quòd exequi pias voluntates defunctorum, quibus eorum animæ iuuentur, inter opera charitatis maxime continetur. Quod ex tribus patet. Primo quidem ex dicto Auguſt. in libro de octo quæſtionibus ad Dulcitium vbi ait: Negandum non eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium Mediatoris, & Eleemoſynæ offeruntur. Secundo, quia nullus debet excommunicari, niſi pro tranſgreſſione, & contemptu operum charitatis. Sed ſcribitur 13. quæſt. 2. cap. Qui oblationes. Quòd qui oblata Eccleſiæ, vel Clericis, aut teſtamento relicta retinere præſumpſerint, excommunicari debent. Tertio, quia omnia illa, quibus animæ defunctorum à penis releuantur, ex charitate proueniunt vel facientiũ, vel illorum, pro quibus fiunt. Cum igitur animæ defunctorum quatuor modis à pœnis ſoluantur, vt ſcribitur 13. q. 2. cap. Animæ. aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut Eleemoſynis charorum, aut ieiunio cognatorum. talia abſque executione voluntatum Teſtatorum impleri non poſſent.

q. 2. Tom. 4.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd perfectis, & imperfectis licet rem ſuam, & fidei ſuæ cõmiſſam repetere in iudicio. Quod tripliciter patet. Primo quidem, vt mali refrænentur. Secundo, vt infirmi conſolentur, quibus data ſunt temporalia ad conſolationem. Tertio, vt neceſſitas repetentis ſuppleatur. Quarto, vt occaſio peccandi tollatur. Quinto, vt pax, & vnitas Eccleſiæ ſeruetur. Sexto, vt iuſtitia vnicuique tribuatur: peccatum tamen poteſt eſſe perfectis in modo repetendi, vt ſi petatur cum lite, vel ex carnalitate, ſeu ex cupiditate, vel ex immoderato rei temporalis amore: ſicut petere ex charitatis feruore ad ſubueniendum ſuæ, vel aliorum viuorum, vel defunctorum neceſſitatibus cedit eis ad meritum.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut ſcribitur extra de teſtam. & vltima voluntate † Religioſus ab aliquo executor in ſua vltima voluntate deputatus huiuſmodi officium ſuſcipere, vel exequi non poteſt cum velle, & nolle non habeat, niſi à ſuperiori ſuo licentia petita, & obtenta. Ex quo dicto ſoluitur argumentum. quia ex ſuperioris licentia Religioſi poſſunt talem executionem ſuſcipere.

† c. Religioſus de teſt. in 6 lib. 3. Tit. xi.

AD tertium eſt dicendum, quòd illi periculo prouiſum eſt in eadem decre. ſuperius allegata. Vbi dicitur, quòd cum plures executores fuerint ab aliquo Teſtatore deputati, vno mortuo vel in remotis exiſtente, aut exequi forte nolente, ne voluntas Teſtatoris impediri, vel nimium differri contingat: poterit alius officium executionis iniunctæ libere ad

A implere: niſi Teſtator aliud in teſtamento expreſſerit. tunc enim ſi defectus contingat, non eſt periculum executoris, ſed Teſtatoris.

AD quartum eſt dicendum, quòd ex quo Religioſi ſuſcipiunt de licentia ſuorum Prælatorum executionis officium, & voluntarie. Per eos compelli debent, qui in hac parte gerunt vicem Epiſcoporum. Vel dicendum, quòd non ſolum compelli per Epiſcopos poſſunt: immo locorum Ordinarijs de omnibus tenentur reddere rationem. & ſi in aliquo repererint eos deliquiſſe, in aliorum exempla pœna debita debent eos punire, priuilegio quocumque non obſtante, vt patet extra de teſtam. in conſtitutione Clericorum.

AD quintum eſt dicendum, quòd executio B teſtamentorum non interdicitur in illa declaratione Fratribus minoribus ratione mendicationis, vel ſtatus perfectionis, vt talis executio repugnet Mendicantibus, & exiſtentibus in perfectionis ſtatu. ſic enim intelligeretur eſſe interdicta Epiſcopis: quos conſtat in perfectionis ſtatu eſſe. Interdicitur ergo eis ratione regulæ, profeſſionis, & interpretationis Papæ, quam ipſi tenentur obſeruare. Si enim Chriſti fideles obligantur ad tenendam interpretationẽ, quam Papa facit in Scriptura ſacra, multo fortius profeſſores cuiuſcumque regulæ tenentur ſeruare interpretationem, quam ſedes Apoſtolica facit in regula quacumque illis data.

Notandum

C

ARTICVLVS VI.

VTRVM RELIGIOSI MENDIcantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe Regum, & Reginarum Confeſſores.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi Mendicantes cum perfectionis ſtatu non poſſint eſſe Regum, & Reginarũ Confeſſores. Tales namque debent eſſe Confeſſores Regum, & Reginarum, qui inducant eos ad Eccleſiæ ſubiectionem, non rebellionem. Sed Religioſi mendicantes Confeſſores Regum, & Principum mundi quandoque magis inducunt eos ad rebellionem, quàm ad ſubiectionem Eccleſiæ: habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, vt dicit Apo. 2. Tim. 3.

D

2 Præterea: Periculum eſt Eccleſiæ eius præcepta, & interdicta per Reges, & Principes mundi nõ ſeruari. ſed Religioſi Mendicantes quandoque, non obſtãte Eccleſię interdicto, & prohibitione ipſius, Regibus, & illis, quorũ ſunt Confeſſores, ſacramẽta adminiſtrant non ſine detrimento eorum ſalutis, quos docet vitare Apoſtolus Colo. 2. dicens: Nemo vos ſeducat in humilitate, & Religione Angelorum am

bulans fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus conſtructum creſcit in augmentum Dei.

3 Præterea: Religioſi mendicantes non poſſunt eſſe Regum, & Principum Confeſſores abſque auctoritate ſedis Apoſtolicæ. Sed ipſi quandoque ingerunt ſe, vt abſque omni auctoritate ad hoc aſſumātur, confitentes ſe noſſe Deum, & zelo animarū hoc facere, factis autem negant, vt dicit Apoſtolus de eia ad Titum 1.

IN CONTRARIVM eſt, quia Religioſi Mēdicantes poſſunt eſſe Confeſſores aliorum auctoritate Eccleſiæ. Ergo multo fortius Regum, & Principum mundi.

RESOLVTIO.

Religioſi Mendicantes Regū, Reginarū, & Principū Confeſſores eſſe poſſunt, quantū ad ſcientiæ profunditatē, vitæ ſanctitatem, & quantū ad operū pietatem: nec tamen à ſtatu perfectionis recedunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd Reges, & mundi Principes magis, quàm alij communiter maiorem ſufficientiam, & idoneitatem requirunt in eorum Confeſſoribus ſpecialiter, quantum ad tria. Primo quantum ad ſcientiæ profunditatē. Si enim quilibet ſecundum Aug. 3. libro de vera & falſa pœnitentia talem tenetur eligere Confeſſorem, cui vult peccata ſua confiteri, qui ſciat ligare, & ſoluere: ne cū negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui miſericorditer monet, ne ipſe, & ille ambo in foueam cadant, Multo fortius Reges, & Principes mundi propter ardua negotia occurrentia Confeſſores ſic ſcientia illuſtratos debent eligere, qui ſuper huiuſmodi arduis, & difficilibus negotijs ſciāt ſaluti animarum conſulere. Secundo, quantū ad vitæ ſanctitatem. In magna autem domo regia, in qua non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed lignea, & fictilia: expedit tales eſſe illos, quibus Regum colla ſubmittuntur, vt luceant inter omnes per ſanctitatis exemplum, ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes, vt dicit Apoſtolus Philippen. 2. Tertio, quantum ad operum pietatem. tales enim conuenit eſſe Confeſſores Regum, & Reginarum, quibus opera pietatis poſſint committi: & ipſi exercitati in eis fideliter exequantur, dicente Apoſtolo 2. Thi. 2. Hæc cōmēda fidelibus hominibus, qui idonei ſint alios docere. Ad iſta autem tria maiorem idoneitatem, & ſufficiētiam Religioſi communiter videntur habere, quàm alij. Communiter enim ſacra Scriptura, per quam ſaluti animarum conſulitur, ſunt magis illuſtrati. In ſanctitatis vero exemplo, & vitæ moribus communiter ſunt magis modificati. Ad exequenda vero opera pietatis, quæ Reges, & mundi Principes ſuis Cōfeſſoribus frequenter committunt, ſunt exercitati.

Cap.10.Tomo 4.

G

H

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut dicit Greg. Et ponitur xi. q. 3. cap. Inter verba lau-

E dantium. Inter verba laudantium, & vituperantium ad mentem ſemper recurrendum eſt, & ſi in ea non inuenitur bonū, qd de nobis dicitur, magnā triſtitiā generare debet: & rurſum ſi in ea non inuenitur malum, quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam proſilire. Non debemus ergo credere, Religioſos tales eſſe, vt Reges, & mundi Principes, quorum Cōfeſſores exiſtunt, inducant ad rebellionem Eccleſiæ, vel aliquorum malorum perpetrationem. Dato tamen, quòd aliqui eſſent, tales nullum præiudicium alijs bonis ex hoc debet aggenerari. non enim vt dicit Aug. in Epi. 137. ad plebem Hypponenſem, Eccleſia propter amurcam, qua oculi offenduntur, debet torcularia deteſtari, ex quibus Dominicæ apothecæ fructu olei luminoſioris implentur. ſed ſicut ipſa triſtatur de aliquibus Religioſorū purgamentis, ita debet conſolari, & lætari de pluribus eorum ornamentis. Auctoritas autem illa inducta ad propoſitum non eſt, quia non loquitur de Religioſis, ſed de hæreticis. Tomo 2.

F

AD ſecundum eſt dicendum, quòd minimæ leuitatis eſſe oſtenditur, ſi quis mala grauia credere ſtudeat, quæ probari non poſſunt, vt Greg. dicit. Non eſt ergo credendum, Religioſos tales eſſe, vt contra prohibitionem Eccleſiæ aliquibus ſacramenta adminiſtrent. Si tamen aliqui tales eſſent, corrigendi ſunt per Eccleſiam, & loco eorum alij boni ſubrogandi. non enim minus ſunt ſub correctione Eccleſiæ Religioſi, quàm Clerici ſeculares. Nuſquam tamen Eccleſia in Religioſis, vel in alijs poterit reperire purum oleum ſine amurca, vel purum triticum ſine palea.

AD tertium eſt dicendum, quòd Rex de iure communi ſi habet domicilium propriū in aliqua ciuitate Epiſcopo illius ciuitatis debet confiteri. nec poteſt Confeſſorem eligere vel aliquem pro libito in Confeſſorem recipere, niſi ſuper hoc habeat priuilegium ſpeciale.

ARTICVLVS VII.

VTRVM RELIGIOSI MENDICANTES cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe ſecularium Principum officiales.

Cui debeant Principes ſeculares confiteri, latè docet Hoſtienſis in ſumma tit. de pœnit. & remiſſion. §. Cui cōfitendum, verſ. cui imperator, cum aliquot ſequent.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi Mēdicantes cum perfectionis ſtatu nō poſſint eſſe ſecularium Principum officiales. Non eſt enim magis pium officiū, quàm Procuratorem viduarum, vel pupillorum. Sed tale officium interdicitur Epiſcopo 88. di. cap. Epiſcopus. Ergo multo magis intelligitur eſſe interdictum Religioſis.

2 Præterea: Suſcipere tuitionē teſtamentorum, & terminationem cauſarum eſt officium maximæ pietatis

tatis.ſed talia ſimiliter interdicuntur Epiſcopis diſt. ſupradicta. Ergo eodem modo, & multo magis interdicuntur Religioſis.

3 Præterea: Hier.ſuper illo verbo: Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt; dicit: Ex verbo Chriſti oſtenditur, rigidam vitã Prędicatorũ, & perfectorum hominum vitare debere aulas Regum,& mollium hominum Palatia declinare. Epiſt. 122.

In Contrarium eſt. quia (vt dicit Ang. ad Victorianum presbyterum) Quantalibet iuſtitia Deo ſeruiamus, quantamlibet Domino obedientiam exhibeamus: meliores eſſe non poſſumus illis trib^9 viris, qui pro conſeruanda Dei lege in caminum ignis ardentis proiecti ſunt,& tamen de eis ſcribitur Danie. 2. quòd conſtitui ſunt Principes ſuper omnia opera,& ſuper omnes Prouincias Babylonis. Epiſt. 122. Tomo 2.

RESOLVTIO.

Officia pietatis in Regia Curia cum perfectionis ſtatu à Religioſis exerceri poſſunt. quia ſtatui perfectionis, & operi non aduerſantur. Quæ item non ſtatui perfectionis, ſed perfectionis operi repugnant, vt ſunt opera poteſtatis, & iuſtitię, etiã exerceri poßunt. Quæ autem ſtatui perfectionis, & perfectionis operi aduerſantur, vt ſunt cupiditatis, & curioſitatis à Religioſis nullo pacto exerceri poſſunt.

Respondeo, dicendum, quòd in Regia curia quædam ſunt officia pietatis, vt eſſe eleemoſynarium,& præeſſe ſpiritualibus officijs in his, quæ ad cultum Dei ſpectant. Quædam vero ſunt poteſtatis, iuſtitiæ, & æquitatis, vt eſſe Cancellarium, & Conſiliarium,& piarum cauſarum auditorem,& determinatorem. Quædam autem ſunt cupiditatis,& curioſitatis, vt eſſe iudicem, & aduocatum vel negociatorem, vel rerum ſecularium prouiſorem. Prima ergo officia nec repugnant perfectionis ſtatui, nec perfectionis operi. Vnde licite Religioſis committi poſſunt. alia vero non repugnant perfectionis ſtatui. alias Moyſes non fuiſſet in perfectionis ſtatu, qui ſedebat à mane vſque ad veſperam ad diſcuſſionem cauſarum, quas determinabat in populo, vt ſcribitur Exodi 18. repugnant tamen perfectionis operi, quia nimis diſtrahitur mens à contemplationis actu inſiſtendo quæſtionibus hominũ diſſoluendis, vel diſcutiẽdis in tm̃. vt Aug. dicit In de opere Monach. ꝙ potius voluiſſet laborare manibus, quàm tumultuoſas quæſtiones hominum ſæpe audire. Ideo talia cum perfectionis ſtatu Religioſi interdum exercere poſſunt propter charitatem proximorum, quantumcũque aliquando in quiete contemplationis ipſorum aliquod detrimentũ patiãtur. Sed alia officia, quia repugnant perfectionis ſtatui, & repugnant perfectionis operi, Religioſi nec coacti ſuſcipere debent. Tomo 3. cap. 29.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicẽdum, ꝙ procuratio, vel gubernatio viduarum non interdicitur Epiſcopo ſimpliciter, ſed ſolum, quòd immediate nullã

A rei familiaris curam ad ſe debeat reuocare. quatenus ſolum lectioni, & orationi,& verbo prædicationis tantummodo ipſe vacare poſſit. Gubernationem autem viduarum pupillorum, & peregrinorum per Archipresbyterum, vel Archidiaconum, vel per œconomum admiſtrare debet, vt in eodem decreto ſubditur.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd initio teſtamentorum, & determinatio cauſarum non interdicuntur Epiſcopo, cum præponuntur coram eo, quantum ad improbationem, vel reprobationem ſecundum æquitatis iuſtitiam: ſed ſolum, quòd in talibus non debet ſuſcipere officium aduocati, nec patrocinium pręſtare pro aliqua parte tamquam aduocatus cum ipſe in proprijs, & in Eccleſiaſticis cauſis aduo-

B catum habere debeat, vt ſcribitur 5. q. 3. c. quis.

Ad tertiũ eſt dicendũ, ꝙ molliũ hominũ palatia vitanda ſunt à Religioſis, ne ipſa frequentẽt cauſa cupiditatis,& curioſitatis. ſed cauſa iuſtitiæ, æquitatis, & fraternæ charitatis, non repugnat illis, qui ſunt in perfectionis ſtatu Regum palatia frequentare. Erat enim Daniel in perfectionis ſtatu, & tamen poſtulauit à Rege, vt conſtitueret ſocios ſuos ſuper opera prouinciæ Babylonis. Ipſe vero elegit in foribus palatij Regis ſtare, vt ſcribitur Danie. 2.

ARTICVLVS VIII.

C *VTRVM RELIGIOSI MENdicantes cum perfectionis ſtatu poſſint de negotijs ſecularibus ſe intromittere.*

Videantur notata in cap. 1. & in c. ſecundum inſtituta. Extra ne Cler. vel Monac. adde B. Thom. 2. 2. q. 188. art. 2.

Ad octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi Mẽdicãtes cũ perfectionis ſtatu nõ poſſint de negotijs ſecularibus ſe intromittere. Super illo enim verbo Tren. 4. Lapides ſanctuarij diſperſi ſunt; dicit glo. quòd

D plangunture Monachi, & Religioſi implicati temporalibus negotijs. quia non eſt actio ſecularis vitæ, quam hodie non adminiſtrent Religioſi, & miniſtri altaris.

2 Præterea: Hierony. dicit,& ponitur 88. di. Negotiatorem Clericum ex inope diuitem, & ex ignobili Glorioſum quaſi quandam peſtem fuge. Magis ergo tale peſtis fugienda eſt in Religioſis. cap. Negotiatorem.

3 Præterea: Quod interdicitur vniuerſaliter Clericis, intelligitur eſſe multo magis interdictum Religioſis. Sed de Clericis ſcribitur 88. di. †Decreuit ſancta ſynodus nullum deinceps Clericum aut poſſeſſiones conducere, aut negotijs ſecularibus ſe inmiſcere. † cap. Decreuit.

In Contrarium eſt. quia ſtatus perfectio

ctio Religioſorum conſiſtit in charitate. Sed charitas eſt onera proximorum portare Gal. 6. Alter alterius onera portate.

RESOLVTIO.

Negocia ſecularia nõ ſecularium perſonarum, ſed Religioſarum; & negocia non ſecularia, ſed ſecularibus adminiſtranda; Itemq; negocia non ſecularia, nec ſecularium perſonarum à Religioſis cum perfectionis ſtatu tractari poſſunt: ſed ſecularia, & ſecularium perſonarum nullo modo ſunt ab iiſdem tractanda.

RESPONDEO, dicendum, quòd diſtinguendum eſt ex parte negociorum, & ex parte Religioſorum.

Ex parte quidem negociorum poſſumus dicere, quòd quædam ſunt negocia ſecularia, ſed non ſecularium perſonarum. Quædam vero ſecularium perſonarum, ſed non ſecularia. Quædam autem ſecularia, & ſecularium perſonarum. Sed quædã nec ſecularia, nec ſecularium perſonarum. Prima ergo negocia ſecularia non prohibentur Religioſi tractare. licet enim Religioſis habentibus poſſeſſiones in communi, vineas, domos, & alias res ſeculares tractare, quæ ſecularia ſunt, eo, quòd ſunt de rebus ſeculi, non tamen ſunt ſecularium perſonarum, ſed Religioſarum. Eodem modo Religioſis Mendicantibus licet prædicta negocia ſecularia adminiſtrare in ſubſidium uiduarum, pupillorum, & aliarum perſonarũ
G Religioſarum. Negocia vero non ſecularia, perſonis tamen ſecularibus miniſtrare proprium officium eſt Religioſorum, non quidem auctoritate propria, ſed auctoritate ſedis Apoſtolice. Tractare autẽ negocia ſecularia, & perſonarum ſecularium Religioſis, & uniuerſaliter Clericis prohibetur. Sed negocia nec ſecularia, nec perſonarum ſecularium conuenit Religioſis tractare, ex proprio ipſorum perfectionis ſtatu.

Ex parte autem Religioſorum diſtinguẽdum eſt. quia aut immiſcẽt ſe ſecularibus negocijs cauſa cupiditatis, vel adipiſcendæ dignitatis, vel laſciuitatis, vt excutiant collum ab obedientia ſuorum Prælatorum: & quolibet iſtorum modorum grauiſſime peccant, & agunt directe contra tria principalia vota, per
H quorum obligationem ipſi poſiti ſunt in perfectionis ſtatu.

Ad Argumenta.

Epiſt. 145. Tomo 2. AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut dicit Auguſt. in Epiſt. ad Sebaſtianum: Pecunijs, & negocijs aliorum tribulari, non implicari: mærere, nõ habere: dolore contrahi, non auctoritate attrahi, eſt perſecutio, quã patiũtur omnes, qui volũt in Chriſto pie viuere. & eſt pia triſtitia, & ſi dici poteſt, beata miſeria. Perfectio ergo Religioſorum in hoc conſiſtit, vt int' de peccatis, & negocijs ſecularium: proſperis, vel aduerſis ſint gaudentes, vel compatientes per charitatem Rom. 12. Gaudete cum gaudentibus, flete cũ
E flentibus, idipſum inuicem ſentientes, exterius tamen ſint immunes non implicati in eis per mundi cupiditatem.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd negociatorem ibi Hiero. accipit pro mercatore, quem non licet exercere Clericis, & Religioſis. Nam, vt ibi ſubditur ex auctoritate Auguſt. Fornicari hominibus ſemper nõ licet: negociari vero, aliquando non licet. ante enim, quàm quis ſit Eccleſiaſticus, licet ei negociari. facto vero iam Religioſo, vel Clerico, non licet.

AD tertium eſt dicendum, quòd in illa prohibitione facta Clericis duo excipiuntur. nõ enim debẽt ſe negocijs ſecularibus immiſcere, niſi propter curam, aut pupillorum, aut orphanorũ, & viduarum: aut ſi forte Epiſcopus ciuitatis Eccleſiaſticarum
F rerum ſolicitudinem eis habere præcipiat.

ARTICVLVS IX.

VTRVM RELIGIOSI CVM perfectionis ſtatu poſſint largiores eleemoſynas recipere, quàm alij Mendicantes.

B. Thomas 2. 2. q. 187. art. 4.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi cum perfectionis ſtatu, non poſſint largiores eleemoſynas recipere, quàm alij Mendicantes. Quanto enim maior impoſſibilitas retribuendi conſideratur in illis, quibus eleemoſyna fit; tanto maior retributio æterna recipitur, iuxta illud Lucæ 14. Cum facis conuiuiũ, uoca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, qui non habent, vnde tibi retribuant. retribuetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. Quanto ergo magis ſunt indigentes, tanto eis largiores eleemoſinæ ſunt conferendæ.

2 Præterea: Dare eleemoſynam eſt actus miſericordiæ. Ergo illis ſolum ſunt eleemoſinæ dandæ, qui ſunt miſerabiles. ſed illi, qui voluntariè mendicitati
H ſe exponunt, ſicut Religioſi mendicantes, non ſunt miſerabiles. ſed ſolum illi, qui inuoluntarie paupertatem incidunt propter caſus fortuitos, ſine eorum culpa. Talibus ergo miſerabilibus eleemoſynæ ſunt dandæ.

3 Præterea: Ambroſ. dicit in lib. de offic. quòd conſideranda eſt in largiendo eleemoſynam debilitas, & verecundia, vel ſenectus illius, cui datur. tales enim ſenes, verecundi, & debiles nequeunt ſibi victum quærere. Lib. 2. c. 30.

IN CONTRARIVM eſt. quia illis largiores eleemoſynæ ſunt tribuendæ, quorũ Procuratores Apoſt. fuerũt. Sed pauperũ relinquentiũ omnia propter Chriſtũ, quorũ perſonas repreſentant Religioſi mẽdicantes, Apoſtoli fuerũt procuratores, ſicut patet

2. Cor.

1. Corint. 9. Et Gal. 2. Tantum vt pauperum memores eſſemus, quod etiam ſolicitus fui hoc ipſum facere. A

RESOLVTIO.

Religioſi cum perfectionis ſtatu largiores eleemoſinas, quàm alij communiter Mendicantes recipere poſſunt: quia ſunt indigentes, cultui diuino inſiſtunt, Euangelium nunciant, eis communiter melius vtuntur, magisq́; de eis recompenſant. Id autem, debito moderamine conſiderato, intelligi debet.

B RESPONDEO, dicendum, quàm multæ cauſæ conſiderandæ ſunt in largitione eleemoſynarum. Vna quidem eſt, propter indigentiam. repugnat enim charitati, quòd quis videat fratrem ſuum neceſſitatem habere, & claudat viſcera ſua ab eo, vt dicit Ioan. Secunda eſt, propter cultus Dei

1. Ioan. 3. reuerentiam. Scribitur enim 1. Paralip. vlt. Quòd ſi quis voluntariè volebat offerre ad ædificationem templi: implebat manum ſuam, & offerebat domino, quod volebat. Tertia eſt, propter debitu iuſtitiã. iuſtum enim eſt conferre temporalia illis, à quibus ſpiritualia recipiuntur, vt probatur 1. Cor 9. Quarta, propter vitæ innocentiam. Scribitur enim Eccle. 12. Da miſericordi, & ne ſuſcipias peccatorem: benefac humili, & ne dederis impio. Quinta, propter recompenſationis euidentiam. Quanto enim

C maior eſt euidentia in illis, qui recipiunt eleemoſynam, vt faciant recompenſationem in orationibus, in conſilijs, & in alijs ſpiritualibus bonis, tanto magis eſt eleemoſyna tribuenda. Penſatis ergo omnibus iſtis conditionibus, Religioſi largiores eleemoſynas poſſunt recipere cum eorũ perfectionis ſtatu, quàm alij communiter Mendicantes.

Primo, quia ſunt indigẽtes, cum reliquerint omnia propter Chriſtum.

A Secundo, quia cultui diuino inſiſtunt.

Tertio, quia Euangelium annunciant, vnde eſt eis quaſi debitum.

Quarto, quia communiter melius vtuntur.

Quinto, quia magis recompenſant. Largiores tamen intelligo, conſiderato debito moderamine, ne ſic largas eleemoſynas recipiant, vt ditiores, & ſuperbiores ipſi appareant in Religione temporalia contemnendo, quàm diuites in ſęculo diuitias poſſidendo.

Ad Argumenta.

B AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ retributio temporalis in largitione eleemoſynæ non eſt conſideranda, ſed ſpiritualis ſic: ad quam faciendã magis idonei ſunt Religioſi, quàm alij, nec tamen retributio temporalis licita, & honeſta, & debita, & ordinata ad bonũ ſpirituale neganda eſt faciẽti eleemuſynam, aliàs Heliſeus peccaſſet quando dixit 4. Reg. 4. Mulieri, apud quam ſuſtentabatur: Ecce ſedulè miniſtraſti nobis. quid vis, vt faciam tibi? nũquid habes negotium, & vis, vt loquar Regi, ſiue Principi militiæ pro te?

C AD ſecundũ eſt dicendum, quòd ſicut duplex eſt fęlicitas: ſpiritualis, & temporalis: ita duplex eſt miſeria: quamuis ergo pauperes voluntariè non ſint miſerabiles miſeria ſpirituali, ſunt tamen miſerabiles miſeria temporali. Ideo de temporalibus eſt eleemoſyna eis exhibenda.

AD tertium eſt dicendum, quòd debilitas, vel egeſtas, ſeu ſenectus ſunt quædam particulares conditiones, propter quas eleemoſyna eſt facienda. Conſideratis tamen omnibus, largiores eleemoſynæ faciendę ſunt Religioſis, quàm alijs propter illa, quæ dicta ſunt.

QVAEST. CVI. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN RELIGIOSIS IN COMMVNI habentibus poſſeſſiones.

NVNC videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repręſentatur in Religioſis in communi poſſeſſiones habẽtibus. Circa quod quæruntur Quinque.

Primo, Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in communi repræſentent Chriſti, & Apoſtolorũ perfectionis ſtatũ.

Secundo, Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in communi ſint in æquali perfectionis ſtatu cum Re- D *ligioſis Mendicantibus.*

Tertio, Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in communi cum eorum perfectionis ſtatu poſſint mendicando eleemoſynas recipere.

Quarto, Vtrum Religioſi profeſſi in vna Religione cũ eorum perfectionis ſtatu poſſint præfici in Prælaturam alterius Religionis.

Quinto, Vtrum ingredientes Religionem, elapſo profeſſionis anno, teneantur ex voto in Religione permanere, ſicut Profeſſi.

ARTI-

ARTICVLVS I.

VTRVM RELIGIOSI HABENtes poſſeſſiones in communi repræſentent Chriſti, & Apoſtolorũ perfectionis ſtatum.

S. Thom. 2. 2. q. 188. ar. 7. & opuſc. 17. cap. 15. & opuſc. 10. cap. 6.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, q̄ Religioſi habentes poſſeſſiones in communi nõ repræſentent Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum. F Ille namque modus viuendi nõ repræſentat ſtatum perfectionis Chriſti, & Apoſtolorum, qui non eſt obſeruatus per Chriſtum, & per Apoſtolos. Sed modus viuendi de poſſeſſionibus in communi per Chriſtum, & Apoſtolos obſeruatus non eſt. Ergo non repræſentat eorum perfectionis ſtatum.

Tomo 3. 2 Præterea: Aug. dicit 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 6. Quòd prima Eccleſia fidelium Hieroſolymis congregata poſſeſſiones non habuit: ſed tráſlata ad Gentiles habet, quia iſti non erant ſic capaces Spiritus ſancti, ſicut illi. Habere ergo poſſeſſiones diminuit de perfectionis ſtatu Chriſti, & Apoſtolorũ. Ergo ſtatum Apoſtolorum non repræſentat.

G 3 Præterea: Statum perfectionis Chriſti, & Apoſtolorum repræſentant ſolum Diſcipuli eius, & eorũ vicem gerentes, ſed ſcribitur Lucæ 14. Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

IN CONTRARIVM eſt. quia Monachi ſunt Religioſi habentes poſſeſſiones in communi: ſed de Monachis dicit Bern. in Apologia ad
Tomo 2. Gul. Abbatem: Heu me miſerum qualemcumque Monachum. cur adhuc viuo videre ad illud deueniſſe ordinem noſtrum: ordinem (inquàm) qui primus fuit in Eccleſia, immò à quo incœpit Eccleſia, quo nullus in terra ſimilior Angelicis ordinibus, nullius vicinior ei, quæ in cœlis eſt, Hieruſalem mater noſtra: ſiue per odorem caſtitatis, ſiue propter ardorem charitatis, cuius Apoſtoli inſtitutores fuerũt? H

RESOLVTIO.

Religioſi in communi poſſeſſiones habentes eſſentialiter per tria vota repræſentant Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum; quàmuis iſte modus non fuerit demonſtratus propter Eccleſiæ de Iudæis ad Gentiles tranſlationem: ſed inſtrumentaliter diuerſimodè in voluntaria paupertate Religioſi Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatũ repræſentant.

RESPONDEO, dicendũ, quòd repræſentare Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum, poteſt intelligi dupliciter. Primo, eſſentialiter: &

E ſic omnes, qui obligant ſe ad perfectionis opera ſecundum tria vota eſſentialia, repræſentant Chriſti, & Apoſtolorũ perfectionis ſtatum. Scribitur enim Nume. 6. Quòd omnes Nazarei, qui ſe Domino volebant conſecrare, voto ſe aſtringebant per perfectionis opera. Quantumcumque ergo ad hoc omnes Religioſi voto ſe aſtringentes ad opera ſupererogationis, ſecundum illa tria eſſentialia vota æqualiter repræſentant Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum; cum Apoſtoli à Chriſto prius fuerint vocati ad ſtatum Religionis, ſecundum illa tria vota principalia, quàm ad ſtatum Prælationis, vt ſupra dictũ eſt. Secundo, inſtrumentaliter, & ſic ſecundum diuerſum modum viuendi in voluntaria paupertate diuerſimodè Religioſi Chriſti, & Apoſtolorum perfectionis ſtatum repræſentant.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q̄ omnis modus viuendi in voluntaria paupertate in Chriſto diuerſis temporibus exemplariter mõſtratus eſt. Nam modus viuendi de proprijs laboribus mõſtratus eſt tempore Parentum ſubiectionis à pueritia vſque ad 30. annos, in qua ætate Parentibus obediens humiliter, & reuerenter laborem corporeum cũ eis ſuſtinuit, vt dicit Baſilius Lucæ 3. Modus vero viuẽdi mendicantium de eleemoſynis, quæ ab alijs inferuntur, monſtratus eſt tempore ſuæ Prædicationis, quando ipſe, & Apoſtoli viuebant de his, quæ miniſtrabant eis de ſuis facultatibus mulieres, & aliæ perſonæ, quæ ſequebantur eum, vt ſcribitur Lucæ 8. Modus autem viuendi, quo aliqua mobilia in communi ſeruantur, monſtratus eſt per eum tempore perſecutionis, & paſſionis, quando tota illa gente Iudaica Paſtorem ſimul, & gregem perſequẽtem congruam regulam tempori diſpenſauit, permittens Diſcipulis, vt tollerent, & ſeruarent victui neceſſaria, dicens Lucæ 22. Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram. Sed modus viuendi de poſſeſſionibus in communi per Chriſtum, & Apoſtolos non fuit demonſtratus propter translationem Eccleſiæ de Iudæis ad Gentiles, vt dicit Melchiades Papa 12. q. 1. cap. Futuram. Notandi.

AD ſecundum eſt dicendum, q̄ cum Aug. dicit, nullas Eccleſias gentium feciſſe, vt poſſeſſiones vẽderent, & pretia ponerent ad pedes Apoſtolorum intelligendum eſt de Gẽtilibus, qui fuerunt in Eccleſia primitiua, qui tamquàm propinqui ad ſimulacra manu facta, quæ ſoliti erant adorare, non ſic capaces erant Spiritus ſancti, ſicut Iudæi, qui exercitati erant colere vnum Deum. Sed poſtmodum multi Gentiles fuerunt, qui poſſeſſiones, & pretia poſſeſſionum reliquerunt & pauperibus erogauerunt. Sicut Paulinus, & Hilarius Epiſcopi, vt de eis ſcribitur 12. q. 1. cap. Expedit.

AD tertium eſt dicendum, quòd relinquere poſſeſſiones, intelligitur dupliciter, vel proprias, vel cõmunes. renunciare igitur proprijs pertinet ad Diſcipulatum Chriſti, ſed communes poſſidere, quæ à Chriſti fidelibus offerunt Collegijs Monachorum,

& alio-

& aliorum, vt de fructibus in victu, & veſtitu oeceſſaria percipiant, ſimul ſtat cum Chriſti Apoſtolatus perfectionis ſtatu.

ARTICVLVS II.

VTR. RELIGIOSI HABENTES poſſeſſiones in cōmuni ſint in æquali perfectionis ſtatu cum Religioſis Mendicantibus.

Videatur S. Thom. ſuperiori articulo citatus.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi in communi poſſeſſiones habentes non ſunt in æquali perfectionis ſtatu cum Religioſis Mendicantibus. Curatio enim, & defenſio poſſeſſionum magnam ſolicitudinem requirunt: ſed Chriſtus prohibuit ſolicitudinem Matth. 6. Quam prohibitionem volentes conſequi perfectionis ſtatum ſeruare tenentur.

2 Prçterea: Communitas poſſeſſionum plerûque eſt cauſa litis, & diſcordiæ, vt Philoſophus dicit. Sed Chriſtus reliquit pacem volentibus conſequi perfectionis ſtatum Ioan. 14. Pacem relinquo vobis. Communitas ergo poſſeſſioum diminuit de perfectionis ſtatu.

3 Præterea: Poſſeſſiones conferuntur Religioſis cauſa hoſpitalitatis: vnde quidam Religioſi hoſpitalarij vocantur. Sed ipſi oullam hoſpitalitatem faciunt. Ergo ipſi non ſuot in perfectionis ſtatu.

IN CONTRARIVM eſt, quia Collegia Epiſcoporum repræſentant Collegium Chriſti, & Apoſtolorum. Sed Collegia Epiſcoporum, & Canonicorum habent poſſeſſiones in communi. Scribitur 12. q. 1. cap. Expedit. Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias, perfectionis amore, contemni. Ergo eodem modo cum perfectionis ſtatu Collegia Religioſorum poſſunt in cōi poſſeſſiooes habere.

RESOLVTIO.

Religioſi omnes, quantum ad trium votorum obligationem perpetuam, ſunt æqualiter in perfectionis ſtatu. Formaliter Epiſcopi ceteris ſunt præferendi: Inſtrumentaliter Monachi. Exemplariter Mendicantes magis, quàm alij Chriſti, & Apoſtolorum imitationem repræſentant.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ, vt ex ſupra dictis eſt manifeſtum, ad perfectionis ſtatū multa requiruntur. Formaliter quidē neceſſaria eſt charitatis perfectio. Efficienter verò trium principaliū votorum perpetua obligatio. Inſtrumentaliter corporalis in ieiunijs, & vigilijs exercitatio, & regularis obſeruatiō. Exemplariter autem modi viuendi Chriſti, & Apoſtolorum imitatio. Quantum ergo

A ad perfectionem charitatis Epiſcopi ſunt in perfectiori ſtatu cęteris alijs. Requirit enim Pontificalis ſtatus charitatem perfectam iam acquiſitam, non acquirendam. Quantum verò ad trium votorum principalium perpetuam obligationem omnes Religioſi, qui ad illa ſe obligant, ſunt æqualiter in perfectionis ſtatu. Quantum autem ad corporalē exercitationem Monachi, & profeſſores Regulæ beati Benedicti arctiori viuendi modo perfectionis ſtatū acquirunt, quàm alij. Sed quantum ad modi viuēdi Chriſti, & Apoſtolorum imitationem, Religioſi mendicantes magis illum modum viuendi ſequuntur, quàm alij, cum in communi poſſeſſiones non habeant, nec in ſpeciali, ſed ſolum de his, quæ quotidie à Chriſti fidelibus offeruntur in victu, & veſtitu

B neceſſaria recipiant.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd nullus eſt modus viuendi, qui aliquam ſolicitudinem non requirat: vnde omnis ſolicitudo perfectis non eſt prohibita, ſed talis, quæ euolnat mentem à Dei contemplatione. Defenſio autem, & procuratio poſſeſſionum poteſt fieri per vnius, vel paucorum ſolicitudinem, & ſic alij abſque ſolicitudine temporalium liberè poſſunt ſpiritualibus vacare: quod eſt fructus voluntariæ paupertatis, de quo, dato, quòd illi qui talem curam aſſumunt, defectum patiantur, recuperant in merito propter obſequium fraternæ charitatis.

C AD ſecundum eſt dicēdum, ꝙ Religioſi habētes poſſeſſiones in communi de eis litigare, vel diſcordiam habere non debent. Primo quidem, quia ipſi voluntariam paupertatem aſſumpſerunt. Secundo, quia pudibundum eſt de temporalibus litigare, qui temporalia contempſerunt. Tertio, quia de eis non niſi in victu, & veſtitu neceſſaria requirere debent. Quarto, quia oon ſunt eorum propriæ, ſed à Chriſti fidelibus eis conceſſæ.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Eccleſiæ eſt ordinare Religioſos ad diuerſos fines pro fidelium vtilitate. Vnde ſi contingat aliquos Religioſos ordinatos eſſe ad hoſpitalitatem faciendam, & contingat eos illam non ſeruare, tamquàm tranſgreſſores ſunt puniendi, & ad reſtitutionem cogendi eorum, quæ in

D alium vſum expendunt: quæ à Chriſti fidelibus pro illa cauſa erogata ſunt.

ARTICVLVS III.

VTR. RELIGIOSI HABENTES poſſeſſiones in communi cum eorum perfectionis ſtatu poſſint mendicando eleemoſynas recipere.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Religioſi habentes poſſeſſiooes in communi, cum eorum perfectionis ſtatu non poſſint mendicando eleemoſynas recipere. Eleemo-

ſynæ

ſynæ enim dantur propter iodigentiam ſupplendã, ooo propter ſoperfluitatem agendam. Sed vt Bern. ait in quadam Epiſt. Dicitor, & veraciter creditur, Sãctos Patres illam vitam inſtituiſſe: & vt in ea plures ſaluarentur vſque ad infirmos regulę temperaſſe rigorem, noo regulam deſtruxiſſe. Et ſubdit: Abſit autem, vt credam tantam eos, quantam video in pleriſque Monaſterijs, vanitatem, ac ſuperfluitatem præcepiſſe, vel conceſſiſſe. Mirandum eſt enim, vnde inter Monachos tanta intemperantia in commeſſationibus, & potationibus, in veſtimentis, & lectiſternijs, & æquitaturis, & conſtruendis ædificijs inoleſcere potuit.

In Apol. ad Galliel. Abbatem.

2 Præterea: Abutentibus temporalibus non ſunt temporalia conferenda. Sed Bern. ibidem dicit de Abbatibus Monachorum in quadam Epiſt. Vt cætera taceam, tanta pompa, & equitatura vidi Abbatẽ incedere: tantis hominum crinitorum ſtipari obſequijs; quatenus duobus Epiſcopis vnius Abbatis ſufficeret multitudo. Mentior, ſi oon vidi Abbatem ſexaginta equos, & eo amplius in ſuo ducere comitatu, ita vt tranſeuntes oon patres eos dicerent eſſe Monachorum, ſed Dominos Caſtellorum: Non Rectores animarum, ſed Principes Prouinciarum.

3 Præterea: Greg. recitat in Dialogo de Monacho Iſaac, lib. 3. cap. 14. Quòd cum ſibi poſſeſſiones, & multa temporalia offerrentur, ille ſuæ paupertatis cuſtos fortem ſententiam tenebat dicens: Monachus, qui in terra poſſeſſiooes quærit, Monachus non eſt.

In Contrarivm eſt. quia qui poſſunt bona ſtabilia cũ perfectionis ſtatu recipere, poſſunt bona mobilia mendicando quærere. Sed Religioſi habentes poſſeſſiones in communi recipiunt bona ſtabilia cum eorum perfectionis ſtatu, vt ſupra dictum eſt. Ergo eodem modo poſsunt alias eleemoſynas mendicando recipere.

RESOLVTIO.

Religioſi poſſeſſiones in communi habentes cũ perfectionis ſtatu eleemoſynas mendicando, poſſunt recipere, non ad ſuperfluitatem, ſed vt ſibi neceſſitatibus ſubueniant.

Respondeo, dicendum, quòd io Religioſis duo conſiderare poſsumus. Primo ſtatus perfectionem, in quo ponuntur. Secundo finem, ad quem per Eccleſiam ordinantur.

Quantum ergo ad primum, cum in perfectionis ſtatu Religioſi ponantur per obligationẽ trium principalium votorum; Omne illud repugnat perfectionis ſtatui ipſorum, quod repugnat alicui triũ principalium votorum: ſuperfluitas autem temporaliũ planum eſt, ꝙ repugnat voto paupertatis. Ideo omnis exceſsus, vel in poſseſsionibus multiplicandis, vel in ſuperfluis eleemoſynis mendicandis, repugnat eorum perfectionis ſtatui. Si verò tanta ſit paucitas poſseſſionum, quòd non ſufficiant, vt inde in victu, & veſtitu neceſſaria habere poſſint, ſicut contingit aliqua Monaſteria habere vnam vineam, non autem frumentũ, & alia neceſſaria; licitè poſsunt, mendicando, alias eleemoſynas quærere, ex quibus eorum neceſſitatibus poſſint ſubuenire. vouentibus enim paupertatem volũtariam oeceſsaria ſubtrahenda non ſunt.

Quantum verò ad ſecundum, Religioſi, qui ordinantur per Eccleſiam ad hoſpitalitatem tenendã, & ad alia opera pietatis exercenda, non debent eleemoſynas mendicare, ex quo ad hunc finem ordinati ſunt per Eccleſiam, vt mendicantibus debeãt ſubuenire. Si enim de bonis Eccleſiarum vna pars ſequeſtranda eſt, vt pauperes foueantur, & alia, vt hoſpites recipiantur. Multo magis hoc intelligendum eſt eſse fiendum de boois Religioſorum, quibus ad hoc à Chriſti fidelibus poſseſſiones, & alia bona immobilia offeruntur. Vnde exceſsus, & ſuperfluitates in talibus facere non ſolum repugnat eorum perfectionis ſtatui, immo directè eſt contra finem, ad quẽ prædicti Religioſi ordinantur. Et ſecundum hunc intellectum intelligendæ ſunt auctoritates Bern. ſupra inductæ. Eodem modo ſi aliqui Religioſi ordinantur ad prędicationem Euangelij, & ſacræ Scripturæ expoſitionem, & vt quietius, & liberius hunc finem conſequi poſſint, prouiſom eſt per Eccleſiam quatenus mendicando de his, quæ à Chriſti fidelibus offeruntur, in vitæ neceſsarijs poſſint ſuſtentari; non debent eſse poſseſſionum cultores, vel domorũ, vel vinearum curatores, vt velint contra præceptum legis Deuteron. 22. Arare in boue, & aſino. Quia, & ſi hoc non repugnat perfectionis ſtatui, repugnat tamen fini, ad quem per Eccleſiam ſunt ordinati.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM RELIGIOSI PROfeſſi in vna Religione cum perfectionis ſtatu poſſint præfici in Prælaturã alterius Religionis,

De materia huius articuli latiſſimè gloſ. Et Doctores in Clem. 1. tit. de elect. Et electi poteſtat.

Ad quartum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Religioſi profeſſi in vna Religione cum perfectionis ſtatu poſſint perfici in Prælaturam alterius Religionis. Status enim perfectio conſiſtit in obligatiooe trium votorum. Sed in omoi Religione profitetur homo hæc tria vota. Ergo quilibet Religioſus poteſt eſse in qualibet Religione Prælatus.

2 Præterea: Epiſcopus Prælatus eſt omnium Religioſorum exiſtentium in ſua diœceſi, niſi ſint exempti. Sed Epiſcopus quandoque eſt clericus ſecularis. Multo ergo fortius profeſsus in vna Religione poteſt eſse Prælatus in altera.

3 Prętereа: Morum diuerſitas oon poteſt aliquẽ Religioſum profeſsum in vna Religione reddere indignum, ne efficiatur Prælatus in alia. Recitat enim

Greg.

Gregor. de beato Benedicto 2. dialogorum cap. 3. quòd cum quidam Religioſi præfatum beatum Benedictum rogarent, vt eis deberet præeſſe, & ipſe diu reſiſtendo, & prædicendo, quòd ſui mores eorum moribus conuenire non poſſent, finaliter tamen cōſenſum præbuit, & factus eſt eorum Prælatus.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra in conſti. cle. de ele. & electi poteſtate. † Cum rationi non congruat, vt homines diſparis profeſſionis, vel habitus ſimul in eiſdem Monaſterijs ſocientur, prohibemus, ne Religioſus aliquis in Abbatem, vel Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur. Quod ſi ſecus actum extiterit, ſit eo ipſo irritum, & inane. in Clem. 1.

RESOLVTIO.

Religioſi profeſſi in vna Religione cum perfectionis ſtatu in Prælaturam alterius Religionis præfici non poſſunt. Debent enim eſſe Prælatus, & ſubditi eiuſdem viuendi modi, eiuſdem habitus, & eiuſdem profeſſionis.

Respondeo, dicendum, quòd quicumque in Prælatum aliorum eligitur, caput eorum cōſtituitur. Caput autem cum membris debet habere: Primo conuenientiam, vt ſint vnius moris, & vnius modi viuendi. Secundo, in habitu apparentiam, vt non coniungatur caſualiter, & indifferenter caput bouis cum membris leonis, ſicut aliqui Philoſophi, eſſe poſſibile, tradiderunt. Sed ordinate caput hominis collo, & membris hominis coniungatur. Tertio, influentiam. Influit enim caput in membra motum, & ſenſum. quod ſi eſſet alterius naturæ, & alterius profeſſionis minime facere poſſet.

Quantum ergo ad conuenientiam Prælatus cum ſubditis debet eſſe eiuſdem moris, & eiuſdem modi uiuendi.

Quantum vero ad apparentiā debet eſſe eiuſdem habitus. Apparet enim diſtinctio vnius Religionis ab alia potiſſime per habitum. Vnde cum quis Religionem profitetur, habitus eius benedicitur. & cum quis Religioſus ad Prælationem aſſumitur, eius habitum deſerere non debet.

Quantum autem ad influentiam debent eſſe eiuſdem profeſſionis. Propter ergo iſta tria congruè prouiſum eſt, ne aliquis Religioſus profeſſus in vna Religione in Abbatem, vel in Prælatum alterius Religionis, vel habitus de cætero eligatur.

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut participatione ſpeciei omnes homines ſunt vnus homo: diſtinguuntur tamen proprijs qualitatibus, & accidentibus. Sic profeſſione, & obligatione illorum trium principalium votorum omnes Religiones poſſunt dici vna Religio: diſtinguuntur tamen proprijs habitibus, & ſecundum ſpecialia ſtatuta ipſorum.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd Epiſco-

A pus eſt Prælatus communis Religioſorum, & Clericorum. conſtitutio autem illa ſe extendit ſolum ad Prælatum ſpecialem. Vnde in eadem conſtitutione ſubditur: Per hoc autem, quin Religioſus in Epiſcopum ſecularis, vel cuiuſlibet regularis Eccleſiæ licite poſſit eligi, non intendimus prohibere.

Ad tertium eſt dicendum, quòd morum diuerſitas poteſt attendi quantum ad duo. Primo, quantum ad malitiam, vel bonitatem. Secundo, quantum ad modi viuendi diuerſitatem. quàmuis ergo per diuerſitatem morum penes malitiam, & bonitatem non impediatur Religioſorum in prælaturam electio, eo quòd in qualibet Religione ſunt aliqui boni moris, & aliqui mali: impeditur tamen penes modi viuendi diuerſitatem: quia Prælati cum
B ſubditis debent eſſe eiuſdem profeſſionis, & eiuſdē modi viuendi.

ARTICVLVS V.

VTRVM INGREDIENTES Religionem, elapſo profesſionis anno, teneantur in Religione permanere, ſicut Profesſi.

De materia huius articuli vide omnino Abbatem, & Doctores poſt gloſſ. in cap. ex parte. extra de regular. & Doctores in cap. 1. §. diſtinctos de regular. lib. 6. & te-
C xtum in Clement. Eos, qui, tit. de regularib.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ ingredientes Religionem, elapſo profeſſionis anno, nō tenētur in Religione permanere, ſicut Profeſſi. Monacho enim non licet votum vouere ſine licentia Abbatis, & ſi vouerit, frangendum eſt votum per ipſum, vt ſcribitur 20. quæſt. 4 c. Monacho. Ergo ſtandu vltra profeſſionis annum, dato, quòd vouerit remanere; ex quo in manibus Abbatis per profeſſionem votum non fecit, de eius conſenſu poterit ad ſeculum reuerti.

D 2 Præterea: Scribitur 19. q. 3. † Monaſterijs omnibus fraternitas veſtra interdicat diſtrictius, vt eos, quos ad conuerſationē ſuſceperint prius, quàm biennium in conuerſatione compleuerint, nullo modo audeant tonſurare. Non ergo elapſo profeſſionis anno, tenentur in Monaſterio remanere, ſicut Profeſſi. † c. Monaſteriis.

3 Præterea: Nullus aſtringitur permanere in Religione, niſi per profeſſionem, & obligatiōnē voti. Si ergo quis non faciat profeſſionem, in aliqua Religione non obligatur ex voto ibi permanere.

In Contrarium eſt, quòd ſcribitur 20. quæſtio. 3. † Propoſitum Monachi proprio arbitrio, & voluntate ſuſceptum deſeri non poteſt abſque peccato. † c. Propoſitum.

E

RESOLVTIO.

Religionem ingredientes, elapſo profeſſionis anno, tenentur in Religione permanere ſicut Profeſſi: quia ex quo non diſſentiunt, conſentire intelliguntur: ſicut voluntas firma intelligitur per diſſenſum in bono, & per diſſenſum in malo.

RESPONDEO, dicendum, quòd in foro conſcientiæ, quantum ad Deum, ſtatim cũ quis ingreditur Religionem; cum propoſito firmo permanendi, voto in conſcientia emiſſo, vel de intrando, vel poſtquàm intrauit de permanendo, aſtringitur in perpetuum votum ſeruare. Quantum autem ad Eccleſiam in foro exteriori non compellitur, niſi fuerit ætatis perfectæ, & per annum Religionẽ expertus: elapſo vero anno profeſſionis, ex quo non diſſentit, conſentire intelligitur. Sic enim voluntas intelligitur firma per diſſenſum in bono, ſicut per diſſenſum in malo. Sicut enim error, cui voluntas non contradicit, approbare ipſum conuincitur, vt ſcribitur 83. diſtinct. cap. Error. Sic bonum propoſitum, cui non diſſentit, quando diſſentire poteſt, ipſum approbare intelligitur. Ideo ſtatutum eſt extra de regu. & transeun. ad Religio. per conſtitutionem Clemen.† Eos qui deinceps in diſcretionis ætate conſtituti nouitiorum habitum in aliqua Religione per annum portauerint, hoc ipſo Religionem illam decernimus eſse profeſsos.

† Clement. eos. tit. de regular. & tranſeuntib. ad religion.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicẽdum, q̃ illud decretum non intelligitur de voto quo quis ligatus eſt, vel ad intrandum, vel permanendum in Religione, ſed de votis auſterioris vitæ, vel peregrinationis, ſeu quibuſcunque alijs conſuetudinibus humanæ vitæ ſpectantibus, quæ per Abbatem reuocari poſſunt, etiam ſi ante introitum Religionis huiuſmodi vota emiſerit, ſicut vir poteſt reuocare poſt factum, F votum ab vxore.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd ibi loquitur Grego. de illis, qui nondum habitum Monachalem ſumpſerunt, ſed in habitu ſeculari in monaſterijs exiſtentes mores, vitamque eorum eis probare permittitur: de quibus præcipit, vt ante biennium non debeant tonſurari, ne quis eorum aut non ſit contentus eo, quod vouit, aut ratum habeat quod elegit.

AD tertium eſt dicendum, q̃ ſtatim elapſo profeſſionis anno, voto ligatus eſt Religioſus in Religione permanere, ex quo nõ diſſentit tempore, quo G diſſentire tenetur, etiam dato, quòd ante non voluerit: quia ſi ante vouit, vel de intrãdo, vel de permanendo abſque tranſgreſſione diuini præcepti fieri non poteſt, vt ipſum non impleat.

QVAEST. CVII. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN EVANGELII PRAEDICATORIBVS.

De materia huius quæſtionis videantur textus, & gloſſa in cap. Cum multa. 86. diſt. cap. vlt. §. pariter. 43. diſt. Concilium Remenſe cap. 15. refert Iuo in Decreto par. 5. cap. 198. Leo Papa Epiſt. 61. Adde omnino Concilium Senonenſe cap. 35. & 36. & Concil. Treuerenſe in c. Miſſi. Et Concil. Lateranen. ſub Leone X. ſeſſio. xj. Et Franciſcum Pegñam lib. 2. cõmentar. in Director. Inquiſitorum commentario 8.

DEINDE conſiderandum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Euangelij Prædicatoribus. Circa quod quæruntur Quatuor. Primo, Vtrum Prædicatores abſque peccato poſſint in prædicatione Euangelij aliqua verba humanæ lætitia immiſcere. H

Secundo, Vtrum Prædicator abſque peccato poſſit eo natum apponere in complacendo Auditoribus.

Tertio, Vtrum Prædicatores Euangelij abſque peccato poſſint curam apponere in ornatu verborum.

Quarto, Vtrum abſque peccato poſſint populi ſcelera tacere non pronunciando eis.

ARTI-

ARTICVLVS I.

VTRVM PRAEDICATORES ſemper peccent mortaliter in Prædicatione Euangelij, aliqua verba humanæ lætitiæ immiſcendo.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Prædicatores ſemper peccēt mortaliter in Prædicatione Euangelij, aliqua verba humanæ lætitiæ immiſcēdo. Quæ enim ſine peccato nō poſſunt Prædicatores proponere, nec auditores audire ſine peccato, in prædicatione Euangelij non miſcentur. Sed fabulas, in quibus homines delectantur, Prædicatores ſine peccato non poſſunt proponere, nec auditores audire. Scribitur enim 2. Petri 1. cap. Non in doctas fabulas ſecuti notam fecimus vobis Domini noſtri Ieſu Chriſti virtutem. Et 2. Tim. 4. A veritate quidē auditū auertēt, ad fabulas autē conuertentur.

2 Præterea: In fabulis auditores maximè prouocantur ad riſum, & in alijs humanæ lætitiæ verbis. Sed Aug. dicit ſuper Gen. ad litteram, lib. 1. cap. 19. Quòd turpe eſt nimis, & pernicioſum Chriſtiano ſic delirare in expoſitione ſacræ Scripturæ, ꝙ infidelis audiens riſum tenere vix poſſit.

3 Pręterea: Scribitur auctoritate Greg. 86. diſt. cap. Quando. Quòd in Doctrina ſacræ Scripturæ auctoritatem debet proferre, non ſecularium litterarum peritiam oſtendere Epiſcopus, quia non eſt Epiſcopalis officij Grammaticam exponere, ne laudes Iouis perſonent ora Pontificis.

IN CONTRARIVM eſt. quia Prædicator ſine peccato poteſt vti modo loquēdi, quo vtitur ſacra Scriptura. Sed in pleriſque locis ſacra Scriptura vtitur verbis ſignificatiuis, tranſumptiuis, & metaphoricis: Iuxta illud Iudicum 9. Ierunt ligna, vt vngerent ſuper ſe Regem.

RESOLVTIO.

Prędicatores, inter prędicandum Euangelium, aliqua lætitiæ verba, aut fabulas adhibere poſſunt, quantum ad morum informationem, & auditorū recreationem, non quantum ad expoſitionem: quia mixtio Scriptura ſacra cum Fabulis nulla penitus eſt facienda.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ vti fabulis, & humanæ letitiæ verbis in Prædicatione Euangelij tribus modis poteſt contingere. Primo, quantum ad ſacræ Scripturæ expoſitionem. Secundo, quantum ad morum informationem. Tertio, quantum ad auditorum recreationem. Primo modo ſacra Scriptura nullam mixtionem recipit. vnde ſuper illo verbo Deutero. 22. Non ſeres vineam tuam altero ſemine, dicit gloſſa, ꝙ pura debet eſſe expoſitio ſacræ Scripturæ ſine admixtione hæreſis, & ſine ad-

A mixtione ſecularis ſcientiæ, & ſine admixtione inanis gloriæ: quia, dicente Apoſtolo 1. Corinth. 5. Modicum fermentum totam maſſam corrumpit. Secundo modo, interdum gratia exemplorum aliqua ad informationem morū induci poſſunt: quia exempla ponimus, non vt ita ſit, ſed vt ſentiat qui diſcit. Sed tertio modo, ad auditorum recreationē Aug. in lib. de catechizandis rudibus, ponit quinq; modos, quibus auditores in faſtidio releuandi ſunt per Prædicatores, vt conſueta audire non faſtidiant eos, ſed delectent. Primo, vt illa breuius debeant complicare. Secundo, vt lucidius debeant explanare. Tertio, vt contraria debeant remouere, & extirpare. Quarto, vt aliqua mira, & ſtupenda debeant enarrare. Quinto, vt aliqua honeſta hilaritate con- Cap. 10. & ſeq. Tomo 4.
B dita debeant recitare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd ſicut gloſſa dicit, per fabulas ibi Apo. tangit Paganos, & Hæreticos. Nã Pagani, quicquid eos delectabat, Deum appellare non timuerunt. Hæretici verò, acceptis Dei veri myſterijs, de cætero nō diuinis Scripturis attendere, ſed potius ad ſenſum erroneum has malè interpretando transferre ſtuduerunt. Talium ergo fabulas Prædicator, nec ad morum informationem, nec ad auditorum delectationem debet exponere, ſed ad * diſcentium exterminationem. * al. dicentium.

AD ſecundū eſt dicendum, quòd notabiliter di-
C cit in expoſitione ſacræ Scripturæ, ꝙ abſque dubio in hoc mixtio nulla eſt facienda, ſed illorum ſententia inducenda, qui nō proprio ſenſu, nec propria interpretatione, ſed Spiritu ſancto īſpirati locuti ſunt. 2. Petri 1.

AD tertium eſt dicendum, quòd Greg. ibi reprehendit quendam Epiſcopum, qui doctrinam Auctorum, & Poetarum Grammaticæ populo exponebat, quod erat multum reprehenſibile ſacram Scripturā prætermittere, & fabulas Poetarū proponere.

ARTICVLVS II.

VTRVM PRAEDICATOR poſſit abſque peccato conatū apponere in coplacendo Auditoribus.

D AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Prædicator abſque peccato non poſſit conatum apponere in complacendo Auditoribus. Dicit. n. Hierony. in Prologo libri Heſter in perſona Prędicatorum, & Expoſitorū ſacræ Scripturæ: Nec affectamus laudes hominum, nec vituperationes expaueſcimus. Deo enim placere curantes minas hominum penitus non timemus. quia diſſipat Deus oſſa eorū, qui hominibus placere deſiderant. Pſal. 52.

2 Præterea: Prædicator in populo eſt ſicut cōcionator. Sed, ut Philoſophus recitat ex dicto cuiuſdā

mulieris perſuadentis ſuo filio, vt non deberet in populo concionari. quia tacendo veritatem, diſpliceret Dijs: loquendo veritatem, diſpliceret populo. Cum igitur prædicator ſemper teneatur loqui veritatem, non videtur, quòd debeat conatum apponere in placendo Auditoribus. E

3 Preterea: In dubijs ſemper tutior pars eſt eligenda. Sed Hier. dicit in ſermone de aſſumptione Mariæ virginis: Satis timeo, & valde pertimeſco dum veſtris cupio parere, vel placere profectibus, ne forte ſicut improbus, ita & indignus laudator inueniar.

In Contrarium eſt Aug. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 12. vbi dicit, quod oportet Doctorem Eccleſiaſticum præcipuè circa tria attendere. Primo, vt doceat. Secundo, vt delectet. Tertio, vt flectat. Nam docere eſt neceſſitatis: delectare ſuauitatis: & flectere eſt victoriæ. F

RESOLVTIO.

Prædicatorum munus eſt non tantum docere, & perſuadere, ſed etiam delectare, modo id non faciant ſuę famę diuulgatione, & turpis lucri acquiſitione: ſed propter Auditorum charitatiuam dilectionem, Dei veritatis manifeſtationem, & propter æternam retributionem.

Respondeo, dicendum, quòd conatus Prædicatoris in complacendo auditoribus poteſt procedere ex malo, & ex bono fonte. Ex malo quidem, ſi hoc faciat ſui nominis, & propriæ famæ diuulgatione: modo, quo Scribæ, & Phariſæi faciebant, quia ad hunc finem dirigebant omnia eorum opera, vt viderentur ab hominibus, vt ſcribitur de eis Matth. 23. Secundo, turpis lucri acquiſitione. tales enim priuati ſunt veritate: quia exiſtimant quæſtum eſſe pietatem, ſicut dicit Apo. 1. Tim. 6. Tertiò alicuius veritatis ad ſalutem, & informationem morum pertinentis dimiſſione. In hoc enim gloriabatur Paulus Act. 20. quod nec ex timore male humiliante, nec parcens vitijs aliquorum ex complacentia male inflammante, numquam dimiſerat aliquid annũciare ſuis Auditoribus ad eorum ſalutem ſpectans. Sic enim ait ibi: Cõteſtor vos hodierna die, quia mũdus ſum à ſanguine omniũ veſtrum: non enim ſubterfugi quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei. Similiter tribus modis ex bono fonte poteſt procedere. Primo talem complacentiam intendat propter Auditorum charitatiuam dilectionẽ. Dicit enim Aug. in lib. de catheclizandis rudibus, quod quanto magis diligimus eos, quibus loquimur, tanto magis eis cupimus, vt placeant, quæ ad eorum porriguntur ſalutem. quod ſi non ſuccedit, contriſtamur, & in ipſo curſu debilitamur, & frangimur, quaſi fruſtra opera conteramus. Secundo, vt hanc intendat propter Dei veritatis manifeſtationem. Et tertio propter æternam retributionem. G H

cap. 10. Tomo 4.

Rationes ſuperius factæ ſolutę ſunt per ea, quæ dicta ſunt.

ARTICVLVS III.

VTRVM PRAEDICATORES Euangelij poſſint abſque peccato curam apponere in ornatu verborum.

Ad tertium ſic proceditur. Videtur enim, quod Prædicatores Euangelij abſque peccato non poſſint curam apponere in ornatu verborum. Videtur enim ornatus verborum pertinere ad faſtum ſuperbiæ. Sed ſacra Scriptura humillimo loquendi genere ſe cunctis præbet, vt dicit Auguſt. Non ergo in prædicatione ſacræ Scripturæ debet homo vti ornatu verborum.

2 Præterea: Paulus fuit pręcipuus Doctor, & Prędicator Euangelij. ſed ipſe quamuis fuerit peritus ſcientia, non tamen ſermone, vt ipſe dicit 2. Cor. xi. Nulla eſt ergo cura apponenda Prædicatori in ornatu ſermonis.

3 Præterea: Moyſes excuſauit ſe de imperitia ſermonis, & linguæ Exo. 4. & tamẽ ex tali imperitia nõ eſt remotus à ducatu populi Iſraelitici. Ornatus ergo, vel eloquẽtia nõ eſt in prædicatione conſiderãda.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur Prouer. 15. Lingua Sapientum ornat ſcientiam.

RESOLVTIO.

Prędicatores Euangelij abſque peccato curam in decenti ornatu verborum poſſunt apponere, cum tota Scriptura ſacra ad Dei laudem dirigatur: & Auditores ex huiuſmodi cura quandoque alliciantur.

Respondeo, dicendum, quòd hanc quæſtionem determinat Aug. 4. doctrina chriſtiana ſic dicens: Hic forſitan aliquis quærit, vtrum Auctores noſtri, quorum ſcripta diuinitus inſpirata canonem nobis ſaluberrima auctoritate fecerunt; ſapientes tantummodo, an eloquentes nuncupandi ſint. Quæ quidem quæſtio apud meipſum, & apud eos, qui ſentiunt mecum, quod dico, facillime ſoluitur. Nam vbi eos intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, verum etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt: & audeo dicere, omnes, qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere non aliter eos loqui debuiſſe. hanc autem ſolutionem Auguſt. in eodem lib. ex tribus confirmat. Primo ex parte finis, ad quem ſacra Scriptura dirigitur. Secundo ex parte Auditorum, quibus proponitur. Tertio ex parte eorum, à quibus traditur. Dirigitur enim tota ſacra Scriptura ad Dei laudem, tamquam ad finem. Si ergo Regina Heſter orauit pro ſuæ gentis temporali ſalute locutura apud Regem, vt in os eius Deus congruum ſermonem daret, ornatum, & bene ſonantem in lingua ſua; multo magis orare debet

c. 6. Tom. 3.

Heſter. 14.

debet, vt tale munus accipiat, qui pro omnium hominum ſalute iu verbo, & doctrina laborat. Ex parte illorum, quibus proponitur. videmus enim in corporali theſauro, quòd vbi amplius diuitiarum cernimr, ibi offertur libentius. quia auro textis reſeratis reliquijs, ſignautur oculi, & loculi aperiuntur, oſtenditur pulcherrima forma Sancti, vel Sanctę alicuius, & eo creditur ſanctior, quò coloratior: curruut homines ad oſculandum, inuitantur ad donandum, & magis interdum mirantur pulchra, quàm venerentur ſacra. Eodem modo iu theſauro Sacræ Scripturæ, quem (dicente Apoſtolo) habemus in vaſis fictilibus, quanto ornatius, eloquentius, intelligibilius, & potentius proponitur Auditoribus, tanto magis proponens intelligenter, libenter, & obedienter audimr. Tertio hoc patet ex parte eorunt, à quibus proponitur. Dicit enim Aug. eodem li. c. 7. quòd eloquentes quidem non ſolum Sapientes canonicos noſtros Auctores, Doctoreſque fatemur tali eloquētia viſos, qualis perſouis eiuſmodi congruebat. quod potiſſime apparet de eloquentia Prophetarum. Vbi per tropologiam multa obteguutur: quæ quanto magis tranſlatis verbis videntur operiri: tanto magis, cum fuerint aperta, dulceſcunt. quod ſpecialiter patet ex illius Prophetæ libro, qui ſe Paſtorem, vel armentarium fuiſſe teſtatur.

Bernar. in Apol. ad. Gul. Abb.

2. Cor. 4.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ humanæ ſcientiæ habent modum contrarium modo tradendi ſacræ Scripturæ. Quæ enim ſunt ardua, & difficilia, ſacra Scriptura tradit modo humili, & facili. humana vero ſcientia, quæ ſunt facillima, & leuia, tradit modo ampulloſo, & quodam faſtu ſuperbiæ. habet enim hoc proprium doctrina arrogantiū ſecundum Greg. vt humiliter neſciant inferre quod doceni, & recta quæ ſapiunt recte miniſtrare nō poſſunt. Ornatum ergo humanę ſcientiæ ampulloſum cum faſtu ſuperbiæ ſacra Scriptura deteſtatur, ſed ornatum decentem ſancti viri imitantur.

li. 23. Mor. c. 7.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Paulus non fuit imperitus eloquentia, quæ eſt neceſſaria ad ſacræ Scripturæ expoſitionem. ſicut in omnibus Epiſtolis eius patet, & præcipue in Epiſtola ad Hebræ. vbi ornate, & eloquenter locutus eſt. Sed in extertori locutione ad euitandum faſtum ſuperbię Gētilium, & pſeudo Apoſtolorum eloquentia in ampulloſitate ſermonis non vtebatur. Dicit enim 1. Corinth. 2. Ego cum veniſſem ad vos, Fratres, veni non per ſublimitatem Sermonis, aut ſapientiæ, annuncians vobis teſtimonium Chriſti. non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc Crucifixum.

Pauli ornatus in ſcribendo.

AD tertium eſt dicēdum, ꝙ ſicut dicit Aug. 4. de doctrina chriſtiana. Quædam eſt eloquentia, quę magis decet ætatem iuuenilem. quædam vero magis ſenilem. eo, ꝙ eloquentia dicenda non eſt, ſi perſonæ non congruat eloquentis, ita vt quædam eloquentia eſt, quæ decet viros ſummos auctoritate digniſſimos, peneque diuinos. Moyſes ergo eloquens

Tom. 1. c. 6.

A fuit illa eloquentia, quæ decebat eum, vt aſſumebatur mediator inter Deum, & hominem, Aaron, & alios Prælatos Leuitici generis. Eloquentia vero, quæ erat neceſſaria ad eloquendum populum, fulgebat Aaron, qui in adiutorium Moyſi aſſumptus eſt ad hoc officium exequendum.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM PRAEDICATORES poſſint abſque peccato tacere ſcelera populi, non nunciando eis.

B AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Prædicatores abſq; peccato non poſſint tacere ſcelera populi, non nunciando eis. Prædicatio namq; Euāgelij pertinet ad veritatē doctrinæ. Sed ſecundum Hiero. veritas doctrinæ, ſanctitas vitæ, & æquitas iuſtitiæ etiam propter ſcandalum dimittenda non ſunt.

2 Præterea: Prædicatori dicitur Iſa. 58. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Abſque peccato ergo Prædicator ſcelera populi tacere non poteſt.

3 Præterea: Scribitur auctoritate Greg. 83. di. c. Error. Negligere quippe, cum poſſis, peruerſos perturbare, nihil aliud eſt, quàm fauere. nec caret ſcrupulo
C ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obuiare.

IN CONTRARIVM eſt. quia non ſunt perfectiores Prædicatores pręſentis temporis Prophetis veteris teſtamenti. Sed illi multa ſcelera omittebant, Populo non nunciando, ſicut patet de repudiatione vxorum. quod numquam fuit ſecundum Auguſt. à Deo cōceſſum, ſed ſolum per Moyſen, & alios Prophetas propter euitationem maioris mali permiſſum. Scribitur enim Malachiæ 2. vxorem adoleſcentiæ tuæ noli deſpicere, ſed cum odio habueris eam, dimitte illam.

Lib. 1. de nupt. & cōcup. cap. 11. Tomo 7.

RESOLVTIO.

Prædicatores abſque peccato interdum aliqua ſcelera Populo diuino ducti conſilio diſſimulare poſſunt, ſi
D *ex dimiſſione illorum peiora eſſe facienda probabiliter credant.*

RESPONDEO, dicendum, quòd quædā per Prædicatores proponuntur tamquam credēda. Quædam vero tamquam operanda, & obſeruanda, vt omnia diuina præcepta. Quædam autem ſicut corrigenda, vt quæ ſunt contra informationem bonorum morum. Falſitates ergo, & errores, quæ opponuntur credibilibus, & his, quæ ſunt de integritate fidei, & ſacræ Scripturæ, Prædicator tacere non debet. Transgreſſiones vero diuinorum mandatorum eodem modo tacendo, & non pronunciando eſſe peccata, damnoſa peſtis eſt. In perſona enim talium ſcribitur Tren. 1. Prophetæ tui

 viderunt

viderunt tibi falſa, & ſtulta, nec aperierunt iniquitatem tuam: quia tales ex grauioribus leuiora quaſi diuina auctoritate peccantibus nunciant, dicentes bonum malum, & malum bonum, ſicut gloſſa ibi dicit. Sed quæ ſunt contra bonorum morum informationem corrigenda propter vitationem quandoque maioris mali, & ne auditores peiores fiant, quádoque ſunt diſſimulanda. quia ſecundum Chryſo. Cum hominum prauam voluntatem cohibere non poſſumus: ſalubriter permittimus mala, ne peiora fiant. Et auctoritate Greg inducitur 4. diſt. cap. Denique, ꝙ cum homines à praua ſua conſuetudine auerti non poſſunt, cum venia ſuo ingenio relinquen- F di ſunt, ne fortè peiores exiſtant, ſi à tali conſuetudine prohibeãtur. Vnde non peccat Eccleſia, & Prædicatores Euangelij, vt puto, ſi diuino conſilio ducti interdum diſſimulant nunciare in pupulo aliqua eſſe peccata, & tamquàm mala dimittenda, vel corrigenda, ſi probabiliter credant ex dimiſſione illorum peiora eſſe fienda.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ veritas

E Doctrinæ non eſt dimittenda propter ſcandalum aliquorum particulariter: ſed ſi omnes ſcandalizarentur, dimittenda eſſet pro tunc. Eſt enim regula vniuerſalis, ꝙ ſi opus eſt tam bonum, ꝙ præponderet damno ſcandali, non debet dimitti propter ſcandalum. Si verò econuerſo, dimittendum eſt. Vel dicendum eſt, ꝙ non propter ſcandalum: ſed quia propter maius malum, & propter maius periculũ, quod inde poteſt accidere, puta ſchiſma, vel contemptus, quandoque veritas, vel iuſtitiæ ęquitas dimittenda eſt.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſcelera ſemper F ſunt nuncianda. importãt enim ſcelera peccata enormia, & manifeſta contra mandata Dei: ſed aliqua minora peccata quandoque tacenda ſunt, ne peiora fiant, ſicut Prophetæ prouide diſſimulauerunt diuortium propter vitandum homicidium.

Ad tertium eſt dicendum, quòd Prædicator obuiat manifeſto facinori, quando diſſimulatur minus malum, ne fiat maius.

QVAEST. CVIII. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR in Doctoribus, & ſacræ Scripturæ Expoſitoribus.

Vlterivs videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repraſentatur in Doctoribus, & ſacra Scriptura Expoſitoribus. Circa quod quaruntur Quatuor. F

Primo, Vtrum dignus Magiſtrari in Theologia teneatur ſcire oẽs humanas ſcientias.

Secundo, Vtrum dignus Magiſtrari in Theologia teneatur ſcire omnium gentium linguas.

Tertio, Vtrum dignus Magiſtrari in Theologia teneatur ſcire ius canonicum.

Quarto, Vtrum dignus Magiſtrari in Theologia, ſi nõ magiſtratur, perdat aureolam.

ARTICVLVS I. G

VTR. DIGNVS MAGISTRARI in Theologia teneatur ſcire humanas ſcientias.

Materiam huius qõnis, & quæ, & qualia ſint Theologo neceſſaria, luculenter explicat Melchior Canus in libris de locis Theologicis.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ dignus Magiſtrari in Theologia non teneatur ſcire humanas ſcientias. Dicit enim Aug. 14. de Trini. cap. 1. Quòd non quicquid ab homine ſciri poteſt in rebus humanis, vbi plurimum ſuperfluæ vanitatis, & noxiæ curioſitatis eſt, ſacræ eſt Scripturæ tribuendum: ſed illud tantummodo, quo fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur.

2 Præterea: Illa non tenetur ſcire dignus Magiſtrari in Theologia, pro quorum ſtudio infligitur ſibi pœna. Sed Hierony. recitat de ſeipſo in Epiſt. ad Euſtachium, ꝙ in extaſi poſitus vehementer verberatus fuit, ita vt liuentes ſcapulas habuiſſet, & plagas ſenſiſſet per multos dies, pro eo, ꝙ Codices Ciceronis, & humanarum ſcientiarum legerat. Epiſt. 22.

3 Pręterea: Humanæ ſcientiæ deriuatæ ſunt à ſacra Scriptura. Dicit enim Aug. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 28. Platonem tempore Ieremiæ Prophetæ profectum fuiſſe in Aegyptum, vbi tunc ille Propheta erat, ibique per dictum Ieremiã noſtris litteris fuiſſe imbutum, vt illa poſſet docere, & ſcribere, quæ iure à multis laudantur. Non ergo dignus Magiſterio in Theologia tenetur humanas ſcientias ſcire, cũ ab ipſa ſint deriuatæ, & non econuerſo. Tomo 3.

In Contrarivm eſt. quia dignus Magiſtrari in Theologia tenetur loqui, & docere inter perfectos. Sed ſapientia, quam Apoſtolus 1. Cor. 2. docet eſſe loquendam, & docendam inter perfectos, eſt rerum humanarum, diuinarumque ſcientia, vt dicit Aug. 14. de Trin. cap. 1. Tenetur ergo ſcire humanas ſcientias.

RE-

RESOLVTIO.

*Humanæ ſcientiæ Magiſterium Theologiæ ſuſcipe-
re cupientibus plurimum valent.*

RESPONDEO, dicendũ, q ad Magiſterium
ſacræ Scripturæ aſſumptus ipſam diuinã Scri-
pturam tenetur declarare intelligibiliter, docere elo-
quenter, & contra impugnantes defendere fideliter.
Ad quæ tria plurimum valent humanæ ſcientiæ. va-
lent enim ad ipſam intelligendam ſcientiæ Mathe-
maticæ: Metaphyſicæ, ac omnes ſcientiæ diffinien-
di, & diuidendi: Rhetoricæ, Politicæ, & Ethicæ, ſicut
Tomo 3. Aug. probat de ſingulis 2. de Doctrina Chriſtiana.
Valent ſimiliter ad docendum, & contra impugnan-
tes ipſam defendendam. quia qualiter pijs opitule-
tur, & contra impios defendatur: plurima ab ipſis
humanarum ſciẽtiarum traditoribus contra eos ac-
cipere poſſumus, vt dicit Damaſc. 4. lib. cap. 18.

Ad Argumenta.

Tomo 3. AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q ſicut di-
cit Aug. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 19. In hu-
manis ſcientijs eſt aliquid inſtitutum ab hominibus
tamquàm ſuperſtitioſum, vanum, & curioſum: vt qđ
eſt inſtitutum ad colenda idola, vel ad conſultatio-
nes, & pacta quædam ſignificationum cum dæmo-
nibus placita, atque fœderata, qualia ſunt volumina
Magicarum artium. Omnes enim tales artes, vel nu
gatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis ex quadam peſtife-
ra ſocietate hominum, & dæmonum cõſtituta peni-
tus ſunt repudianda, & fugiẽda cuilibet Chriſtiano:
aliquid verò eſt in humanis ſciẽtijs tamquàm verũ,
vtile, & fructuoſum. & quia omne verum ab illo eſt,
Ioan. 14. qui ait: Ego ſum via, veritas, & vita: Ideo omnia cõ-
moda, & neceſſaria homini, quæ cum hominibus in-
ſtituta ſunt, & quæ ad vſum humanæ vitæ neceſſa-
rium proficiunt, nõ ſunt fugienda Chriſtiano, immo
intuenda, diſcenda, & memoria retinenda.

AD ſecundum eſt dicendum, q Magiſtris iam
perfectis in humanis ſcientijs, cum iam ad ſtudium
ſacræ Scripturæ peruenerint, damnoſum eſt, & cu-
rioſum, tempus apponere in lectione, vel ſtudijs hu-
manæ ſcientiæ. Sic.n. (vt dicit Aug. 2. de Doctrina
Tomo 3. Chriſtiana, cap. 41.) Sentire debet quiſq; diues de
Aegypto exiens, q iñ niſi Paſcha egerit, ſaluũ ſe eſſe
non poſſe exiſtimet. Paſcha autẽ noſtrũ Chriſtus eſt.
Vnde cũ dignus Magiſtrari in ſacra Scriptura ad eã
perſcrutandã accedere cœperit, illud Apoſtolicũ cogi
1. Cor. 8. tare non ceſſet: Sciẽtia inflat, charitas verò ædificat.

AD tertium eſt dicendũ, quòd ſicut dicit Aug.
2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 28. Credibile eſt, con
ſideratis temporibus, q Philoſophi de litteris noſtris
habuerunt quæcunque bona, & quæcunque vera di-
xerunt, maximè cum ante litteras gentis Hebræorũ,
in qua vnius Dei cultus emicuit, ex qua ſecundũ car
nem venit Dominus noſter, nec ipſe quidem Pitago
ras fuit, à cuius poſteris Platonici Theologiam di-
diciſſe aſſeritur. Vnde ſi qua vera, & fidei noſtræ ac-
cõmoda dixerunt, ab eis tamquàm ab iniuſtis poſ-
ſeſſoribus accipienda ſunt.

ARTICVLVS II.

VTRVM DIGNVS MAGI-ſtrari in Theologia teneatur ſcire omnium Gentium linguas.

Præter textum, & Doctores in Clement. 1. de Magiſt.
Vide Lodouicum Gomezium in Regula Cancellariæ, de
idiomate; vbi plenè de materia linguarum.

AD ſecundum ſic proceditur. Vi-
detur enim, quòd dignus Ma-
giſtrari in Theologia non tenea-
tur ſcire omnium Gentium lin-
guas. Loqui enim diuerſis lin-
guis eſt donum Spiritus ſancti,
ſicut patet 1. Corin. 12. Sed do
na Spiritus ſancti habere non eſt in poteſtate homi
nis: nullus ergo debet conari hoc à ſeipſo habere,
ſed à Deo humiliter expetere.

2 Præterea: Quod prouenit ex peccato, homo nõ
tenetur ſcire, vel docere. Sed diuerſitas linguarum
ex peccato conſtituta eſt, vt dicit Aug. 16. de Ciuit. Tomo 5.
Dei. Dignus ergo Magiſtrari in Theologia non te- cap. 4.
netur hoc ſcire, vel docere.

3 Præterea: Loqui diuerſis linguis ad hoc eſt ne-
ceſſarium, vt ſacra Scriptura communicetur infide-
libus. Sed Chriſtus prohibuit Matth. 7. Sanctum
dari canibus, & margaritas proijci ante porcos. Di-
gnus ergo Magiſtrari in Theologia non tenetur hoc
ſcire.

IN CONTRARIVM eſt. quia dignus Ma
giſtrari in ſacra Scriptura ex officio, ad quod aſſumi-
tur, efficitur debitor Græcis, & Barbaris ad Rom. 1.
Sed debitum eis reddere non poteſt, niſi ſciat eorum
linguas.

RESOLVTIO.

*Linguarum omnium peritia in ijs, qui ſuſcipere
Theologiæ Magiſterium cupiũt, non ex neceſſitate, ſed
ex congruitate requiritur.*

RESPONDEO, dicendum, q teneri ad ali
qua, poteſt intelligi dupliciter, vel ex neceſſita-
te, vel ex quadam congruitate.

Ex neceſſitate ergo dignus Magiſtrari ĩ ſacra Scri
ptura non tenetur ſcire omnium Gentium linguas,
ſed ſolum linguam illorum, cum quibus cõnutritus
eſt. Sicut enim eſt in vita Politica, & morali, in qua
cum omnibus homo prodeſſe non poſſit; illis tamẽ
potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, &
temporum, vel quarumlibet rerũ opportunitatibus
conſtrictius ſibi quaſi quadam ſorte iunguntur, vt
dicit Aug. 1. de Doctrina Chriſtiana. Sic eſt in vita Tomo 3.
ſpeculatiua, & ſpirituali cuius actus eſt docere, in qua cap. 28.
cum homo omnibus conſulere nequeat; illos tñ do
cere tenetur, qui, vel iuriſdictione, vel officij admini-
ſtratione, ſeu familiari conuerſatione ſibi quadam
ſorte iunguntur.

Sed quadam congruitate. Planum eſt, ꝙ vtile E eſſet ſcire plurium gentium linguas propter tria.

Primo, propter infidelium conuerſationem, vel conuerſionem. Dicit enim Apoſtolus 1. Corint. 14. Quòd genera linguarũ ſigna ſunt data infidelibus: ad eorum conuerſionem, ad quorum inſtructionẽ, vt ſine erroris admixtione in ſacra Scriptura imbuantur, maiorem idoneitatem habent Magiſtri in Theologia, quàm alij.

Tomo 3. Secundo, propter ſacræ Scripturæ pleniorem intellectionem. Dicit enim Aug. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. xj. Quòd ad ſacræ Scripturæ cognitionẽ propter ignota ſigna: vtile eſt ſcire diuerſas linguas: ad minus treſ Græcam, Hebraicam, & Latinam.

Tertio, propter docentis fructificationem: Magiſter enim ſacræ Scripturæ Doctor efficitur vniuerſalis ſcientiæ quæ omnibus eſt communicanda: F vniuerſaliter autem ipſam communicare non poteſt, ſi linguis omnium non loquatur. Sicut enim, ſi incertam vocem dederit tuba, nullus parat ſe ad bellum: ita niſi Doctor per linguam manifeſtum ſermonem dederit, non intelligitur illud, quod docet, ſicut dicit Apoſtolus 1. Corin 14. Ex hac ergo congruitate, vt Doctrina fidei vbique diuulgaretur, prouide ordinatum eſt, extra de Magiſtris per conſtitutionem Clementis, cap. Inter. Vt Pariſius, Oxoniæ, Bononiæ, Salamanticæ, & in Romana Curia teneantur aliqui habentes Græcæ, Hebraicæ, Arabicæ, & Caldaicæ linguarum notitiam, per quos alij inſtructi in huiuſmodi linguis fructum ſperatum poſſint, Deo auctore, producere. G

Ad Argumenta.

Tomo 3. Ad primum ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut dicit Aug. 1. de Doctrina Chriſtiana, in Prol. Loqui diuerſis linguis donum fuit Spiritus ſancti in Apoſtolis, qui vno momento temporis, adueniente Spiritu ſancto, omnium gentium linguis locuti ſunt: ſed quod illis conceſſum eſt, vno temporis momẽto, abſque Doctore, per temporis ſpatium, duce homine, & tradente alijs, conferri poteſt.

Ad ſecundũ eſt dicendum, quòd diuerſitas linguarum eſt inducta in pœnam peccati, ſicut ignorãtia ex peccato conſecuta eſt: Vnde ſicut ad remouendam ignorantiam prædicanda eſt de Doctrina Euangelica, ne ex ipſa impediatur humanum genus ab H æterna ſalute: ſic neceſſarium eſt ſcire diuerſitatem linguarum, per quarum ignorantiam Euãgelicæ Doctrinæ prædicatio impeditur.

Ad tertium eſt dicendum, quòd canibus rabioſis, & contemnentibus panem ſalutis æternæ, ſacra Scriptura non eſt prædicanda: nec margaritæ porrigendæ: ſed canibus iam famelicis, & cupiẽtibus ſaturari de micis, quę cadunt de menſa Domini, nõ eſt ſacra Scriptura deneganda.

ARTICVLVS III.

VTRVM DIGNVS MAGIſtrari in Theologia teneatur ſcire Ius Canonicum.

Videatur omnino Melchior Canus, lib. 8. cap. 6. De locis Theologicis, vbi citat Auguſtini Doctrinam hoc in loco.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, quòd dignus Magiſtrari in Theologia nõ teneatur ſcire ius canonicum. Scientia enim iuris canonici videtur eſſe quædam practica Theologica: ſed dignus Magiſtrari in Theologia non tenetur ſcire Theologicam practicam, cũ finis eius non ſit praxis: ſed contemplatio veritatis, vt dicit Aug. 1. de Trin. cap. 8. 9. & 10. Tomo 3.

2 Præterea: Sciens ſcientiam ſubalternantẽ non tenetur ſcire ſcientiam ſubalternatam: alias Philoſophus naturalis teneretur ſcire ſcientiam medicinæ, & alias ſcientias, quæ ſubalternantur ei. Sed ius canonicũ ſubalternatur Theologię. Dignus ergo Magiſtrari in Theologia non tenetur ipſum ſcire.

3 Præterea: In iure canonico multæ quæſtiones determinãtur per leges, & iura ciuilia. ſcribitur enim 10. diſt. cap. Si in adiutorium. Si in adiutorium veſtrum, terreni Imperij leges aſſumendas putatis, nõ reprehendimus: ſed dignus Magiſtrari in Theologia non tenetur ſcire leges, & iura ciuilia.

In contrarium eſt. quia eiuſdem ſcientiæ eſt conſiderare finem, & ordinẽ miniſtrorum ſubſeruientium illi fini: ſicut eadem lex Moſaica, quæ determinauit de ordine multorum ſeruientium in cultu illo. Sed tota ſcientia iuris canonici eſt de ordine Miniſtrorum, & Eccleſiaſticorum negotiorum, prout pertinet ad cultum Dei. Ergo Theologus, qui conſiderat de Deo, tanquàm de fine, præcipuè habet de talibus conſiderare.

RESOLVTIO.

Theologia Magiſterium ſuſcipere volentibus poſt lecturam Libri Sententiarum, iuris canonici cognitio vtilitatem magnam afferre poteſt, & quodam modo neceſſaria eſt.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ diſtinctio vnius ſcientiæ ab alia non accipitur penes rem, quæ cognoſcitur: ſed penes diuerſum modum ſciendi: vnde penes diuerſum modum conſiderandi Philoſophus 6. Metaph. poſuit diſtinctionem ſcientiarum. Ariſt. 6. Metaph. tex. com. 2. Illa ergo eadem, quæ tractantur in Theologia, tractantur in iure canonico: & illi ijdem canones, qui recipiuntur in Theologia, recipiuntur in iure canonico: & quæ reſpuuntur ibi: reſpuuntur hic. Scribitur enim auctoritate Auguſt. 12. diſt. c. Omnia talia. Omnia, quæ neque in * Sanctorum auctoritatibus *al. Sanctorũ Scripturarum.

bus continentur, nec in conſilijs Sanctorum Patrum inueniuntur, nec conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ roborata ſunt, ſine vllla dubitatione reſecanda ęſtimo. Differunt tamen in modo conſiderandi quantũ ad quinque. Primo, quidem. quia à Theologo determinantur modo ſubtili, & quaſi propter quid, eo modo, quo propter quid in Theologia aſſignari poteſt. In iure vero canonico modo groſſo, & ſolum quia. Secũdo, quia à Theologo determinantur principaliter propter veritatis contemplationẽ: A Canoniſtis vero magis principaliter propter actionẽ, & quæſtionum occurrentiũ ſolutionẽ. Tertio, quia à Theologo determinatͬ principaliter de cultu Dei, & de his, quæ ſpectãt ad integritatẽ fidei vnius Dei: A Canoniſtis vero magis de ordine miniſtrorum, & Eccleſiaſticorum negotiorum ſpectantium ad talem cultum. Quarto, quia à Theologo determinantur canones qualiter pijs opitulentur, & contra impins defendantur. In iure vero cannnico taxatur modus, quo opitulentur pijs, & defendantur cõtra impios. Quinto quia à Theologo determinantur magis vniuerſaliter, & in foro conſcientiæ, in quo agitur cauſa inter hominem, & Deum: A Cannniſtis vero magis particulariter applicando ad particularia negotia in forõ exterioris iudicij, in quo agitur cauſa inter hominem, & hominem. Et quia ſermones vniuerſales in materia morali parũ ſunt vtiles, vt dicitur in Eth. Ideo puto, quòd prouida ordinatio eſſet, vt dignus magiſtrari in Theologia poſt lecturam Libri ſententiarum teneretur legere librum Decretorum: quatenus magis tritus, & expertus aſſumeretur in his, quę ſunt neceſſaria ad conſulendum ſaluti animarum fidelium.

Theologiæ, & iuris canonici differentiæ.

Ariſt. 1. Eth. cap. 3.

B

C

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd praxis non ſubterfugit determinationem Theologię: immo aliqui ponunt eam principaliter ſpeculatiuam, & principaliter practicam: pro eo, quòd contemplatio Dei, ad quam ordinatur Theologia, tamquam ad finem, acquiri non poteſt niſi per charitatem, & opera virtuoſa, & obſeruationem mandatorum Dei.

AD ſecundum eſt dicendũ, quòd ſcientia ſubalternans tradit principia ſcientiæ ſubalternatæ. Ideo eadem conſiderantur in vtraque ſcientia, non tamen eodem mòdo: ſed ibi vniuerſaliter, & ſcientificè: hic autem particulariter, & modo groſſo. ſic illos canones tenentur ſcire Theologi, quos tradunt Canoniſtæ, & ſecundum veritatem illorum quæſtiones debent determinare, non quidem modo Iuriſtarum in foro exterioris iudicij, vbi agitur cauſa inter hominem, & hominem: ſed magis modo theologico, & in foro conſcientię, in quo agitur cauſa inter hominem, & Deum.

D

AD tertium eſt dicendum, quòd ſicut Thelogia non reſpuit ſcientias Philoſophorũ, quæ pluribus erroribus ſunt admixtæ, quàm leges Imperatorum: ita nec in ſe, nec in iure canonico ſibi ſubalternato reſpuit leges terreni Imperij: quia vbicumque, & vndecumq; inſonuerit veritas, ab illo eſt, qui dicit: Ego

Ioan. 14.

A ſum via, veritas, & vita, vt dicit Aug. vnde ſicut dignus Magiſtrari in Theologia tenetur ſcire primitus * ſcientias humanas, vt clarius, & ſubtilius poſſit ſacram Scripturam intelligere. Sic multo magis tenetur ſcire ſanctorum canones, vt melius, & fructuoſius poſſit ſaluti animarum conſulere.

* al. primitiuas.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM DIGNVS MAGIſtrari in Theologia, ſi nõ Magiſtretur, perdat aureolam.

B Videatur B. Thomas, licet ibi loquatur in alio propoſito, quodlibeto 5. quæſt. 12. art. 24. & in quæſtionibus additis ad 3. par. q. 96. art. 7. Adde Sotum lib. 4. ſent. diſt. 49. q. 5. art. 1. & ſeq.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, q̃ dignus magiſtrari in Theologia, ſi nũ magiſtretur perdat aureolam. Iudiciũ enim Eccleſiæ militantis eſt conforme iudicio Eccleſiæ triumphantis. Sed dignus magiſtrari in Theologia, ſi non magiſtretur, non approbatur iudicio Eccleſiæ militantis. Ergo non approbatur iudicio Eccleſiæ triumphantis, vt ſibi aureola debeatur.

2 Præterea: Prædicare, & docere conuenit ex officio ſolum Epiſcopis, & Prælatis. Ergo ſolum eis, & non alijs conuenit aureola.

C

3 Præterea: Aureola debetur illis per quorum documenta diabolus expellitur à cordibus fidelium. Sed per documenta multorum ſanctorum diabolus à cordibus fidelium expellitur. Ergo eis, & non ſolum Doctoribus debetur aureola.

IN CONTRARIVM eſt. quia virgo non approbata per Eccleſiam, dummodo ſit vere virgo, non amittit aureolam. Ergo dignus approbari per Eccleſiam ad Magiſterium, dato, quòd non approbetur, non perdit aureolam.

RESOLVTIO.

D *Theologiam callens, etiamſi non magiſtretur, aureolam perdere non poteſt: modo ſacram Scripturam doceat, & ad Dei laudem prædicet.*

RESPONDEO, dicendum, quòd aureola eſt quoddam accidentale pręmium correſpondens bono creato pro aliqua ſingulari victoria. Eſt autem triplex impugnatio in præſenti vita: vna carnis, alia mundi, & tertia diaboli. Prima vniuerſaliter vincitur per virginitatem. Secunda vincitur per Martyrium. Nihil enim delectabilius, & amabilius eſt in mundo, quàm corporalis vita, quæ contemnitur per Martyrium. Tertia vincitur per doctrinam. Ideo aureola debetur Virginibus, Martyribus, & Doctoribus. Requiruntur tamen tria, vt talis aureola Doctoribus debeatur. Nam primo ex parte doctri-

næ re-

næ requiritur, ꝙ doceant ſacram Scripturam neceſſariam ad ſalutem, & pertinentem ad informationem morum, vt (dicente Apoſtolo) ſit vtilis ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, & ad erudiendum. per talem enim doctrinam Diabolus expellitur à cordibus fidelium, dicente Apoſtolo ad Ephe. 6. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, & qualis ſit iſta armatura ſtatim ſubdit: Gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Secundo ex parte docentis requiritur, ꝙ actu doceat, & actu prædicet. non enim habentibus habitum, vel officium certandi debetur corona, ſed actualiter certantibus, & actualiter pugnantibus di cente Apoſtolo 2. ad Timo. 2. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Tertio ex parte finis requiritur, quòd talem doctrinam ordinet principaliter ad gloriam Dei. Dignus ergo magiſtrari in Theologia quantumcumque non magiſtretur, ſi ſacram Scripturam actualiter docet, & prædicat ad laudem Dei, aureola non priuatur.

2.Tim.3

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ dignus

E magiſtrari in Theologia ſi non magiſtratur non eſt defectus ſuus, ſed eſt defectus Eccleſiæ. Dato tamē ꝙ non eſſet dignus magiſtrari, ſed eſſet in ſtatu communis lectoris, ex quo actu docet, & prædicat ad laudem Dei aureolam non amittit.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ aureola non debetur habenti ſtatum docendi, uel habitum doctrinæ: ſed debetur actui. Vnde quantumcumque Prælati ſunt in ſtatu docendi, & aſſumpti ad Magiſterium habeant habitum ſcientiæ; ſi actu non docent, & non prædicant, aureolam non conſequuntur.

F AD tertium eſt dicendum, quòd aureola non debetur niſi ſingulari victoriæ. Vnde non, ſi per quæcumque documenta Diabolus expellitur ab aliquo, quis meretur aureolam: ſed quando per publicam doctrinam de tota multitudine Diabolus expellitur, ſicut Chriſto prædicante dæmones cum clamore à cordibus fidelium expellebantur.

QVAEST. CIX. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN MEDICIS.

DEINDE conſiderandum eſt, qualiter ſtatus perfectio repræſentatur in Medicis. Circa quod quæruntur decem.

Primo, Vtrum Medici ſint honorādi præ alijs ꝓfeſſoribus aliarū artiū.

Secundo, Vtrum Medici ſi non ſint de legitimo thoro nati poſſint ſine peccato Medicorum officium exercere.

Tertio, Vtrum tutius ſit, ꝙ homo Medicis practicis, quàm Theoricis ſe in cura committat.

Quarto, Vtrum tutius ſit habere vnum Medicum in cura, quàm plures.

Quinto, Vtrum Medici peccent dantes medicinas nō in debitis ſignis aſtrorum.

Sexto, Vtrum Medici peccent accipientes ſtipendium pro infirmitate, quam ſciunt eſſe incurabilem.

Septimo, Vtrum Medici peccent non monentes infirmos, vt animarum Medicos debeant ante omnia conuocare.

Octauo, Vtrum Medici ex præcepto teneantur gratis Pauperibus, & Religioſis auxilium, & conſilii impendere.

Nono, Vtrum medicina ars Clericis, & Religioſis ſit interdicta.

Decimo, Vtrum Medici dantes aliquam medicinam, vel facientes aliquam inciſuram, ex qua ſequitur mors, ſint irregulares.

F

ARTICVLVS I.

VTRVM MEDICI SINT honorandi præ alijs Profeſſoribus aliarum artium.

Vide omnino Bartholomęum Caſſaneum in Catalogo Gloriæ mundi par. 10. conſideratione 25. & 43. vbi latiſſimè de materia huius articuli.

G AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Medici ſint honorādi præ alijs Profeſſoribus aliarum artium. Quia vna ſcientia præfertur alteri ratione finis. Sed ſcientia medicinæ ordinatur ad conſeruationem vitæ, qua nihil eſt homini charius. Scribitur enim Cant. 8. Quòd ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione ſuæ vitæ: quaſi nihil deſpiciet eam.

2 Præterea: Scientiæ ſpeculatiuæ ſunt digniores, & honorabiliores practicis. Sed ſcientia medicinæ cum ſubalternetur Philoſophiæ naturali, videtur eſſe ſpeculatiua. legalis verò, & militaris videntur eſſe ſciētiæ ſubalternæ Politicæ, & ſic medicina dignior eſt eis.

2 Pręterea: Vna ſcientia eſt dignior alia, aut nobilitate ſubiecti, aut certitudine demonſtrationis, vt ſcribitur 1. de Anima. Sed vtroque modo ſcientia medicinæ videtur præferri alijs ſcientijs. Ergo profeſſores eius præferendi ſunt profeſſoribus aliarum.

Tex. cō. 1.

In Contrarivm eſt. quia in perſona Profeſſorum iuris ſcribitur Sap. 3. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis terrę. Et 8. cap. ſcribitur: Propter hanc (*puta iuſtitiam*) habebo claritatem ad turbas, & honorem apud ſeniores, & in conſpectu potentium admirabilis ero.

RESOLVTIO.

Medici prę omnibus Profeſſoribus aliarum artiū non ſunt honorandi. Medicina enim quàmuis ratione ſubiecti ceteris ſcientijs practicis dignior ſit: ratione tamen finis excellitur à ſcientia legali, & militari: ratione verò modi conſiderandi ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa.

Respondeo, dicendum, ꝙ ſacra Scriptura Eccl. 38. Tripliciter honorem, & reuerentiam videtur tribuere medicinalis ſcientiæ Profeſſoribus.

Primo, propter Deum efficientem, & ipſam ad ſalutem hominum producentem. quia Altiſſimus de terra creauit medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. Cum enim opera Dei ſint bona valde, quilibet tenetur honorare, & non ſpernere, quæ conſtat Creatorem ad vtilitatem hominum feciſſe, ſicut gloſſa ibi dicit.

C Secundo, propter Medicum ipſam fideliter adminiſtrantem. quia Diſciplina Medici exaltabit caput illius in præſenti vita, & in futura (ſicut gloſſa ibi ait) in conſpectu Magnatorum collaudabitur.

Tertio, propter infirmum ipſam recipientem, quia ibi dicitur: Honora medicum, propter neceſſitatem etenim illum creauit Altiſſimus. Super quo verbo dicit gloſſa; quòd ſunt medici corporales, & ſpirituales. Corporales namque medici corpora, ſpirituales verò animas curant. Vtrique ergo honorandi, ſed ſpirituales ſunt præferendi. Ad intellectum tamen ſolutionis quæſtionis eſt ſciendum: quia vnā ſcientiam eſſe digniorem alia tripliciter contingit. Primo ex parte rei conſideratæ. Secundo ex parte modi conſiderandi. Et tertio, ex parte finis, ad quē ordinatur. Nam ex parte ſubiecti, vel rei conſideratæ Metaphyſica eſt dignior omni alia, cū eius ſubiectum ſit ens, inquantum ens. Ex modo vero conſiderandi Metaphyſica eſt dignior naturali Philoſophia: cum modo abſtractiori conſideretur. Sed ex parte finis Architectonicæ ſunt digniores ſubſeruiētibus, ſicut militaris eſt dignior frenifactiua. Scientia ergo medicinæ ex parte ſubiecti videtur eſſe dignior alijs ſcientijs practicis, cum ſit de corpore ſano, ægro, & neutro, quod eſt organum animæ, & omnium actuum humanorum. Ex parte verò finis dignior videtur ſcientia legalis, & militaris cum ordinetur ad conſeruationem boni publici, quod præfertur bono cuiuslibet ſingularis perſonæ. Sed ex parte modi conſiderandi, vel ex certitudine traden-

Eccleſiaſtici cap. 38.

Scientiarū dignitates.

D

A di videntur ſe habere ſicut excedentia, & exceſſa: quia ſicut regula medicinalis varianda eſt ex varietate complexionum: ſic regula Iuriſperitorum varianda eſt ex varietate populi conditionum, vt dicit Aug. 1. libro de libero arbitrio, cap. 6. Tomo 1.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicēdum, quòd ſicut virtuoſi eſt corporalem vitam pro conſeruatione boni publici morti exponere; ſic finis, ad quem ordinatur medicina, ordinatur ad finem legalis ſciētiæ: vnde ex hoc videtur iſta dignior eſſe illa.

Ad ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut ſcientiæ ſpeculatiuæ diſtinguuntur à practicis ratione finis: B quia finis Theoricæ veritas: Practicæ verò opus, vt ſcribitur 2. Metaph. Medicina verò non ſubalternatur Philoſophiæ naturali ratione finis, ſed magis ratione ſubiecti, quia corpus humanum quod conſideratur à medico, cōtinetur ſub corpore mobili ſimpliciter, quod conſideratur à naturali Philoſopho.

Ariſt. 2. Metaph. tex. com. 3.

Ad tertium eſt dicendum, ꝙ dignitas in ſcientijs practicis magis accipitur ratione finis, quàm ratione ſubiecti, vel modi conſiderandi: unde dato, ꝙ in his duobus medicina excedat alias ſcientias practicas, non tamen ex hoc ſequitur, ꝙ omnibus ſit ſimpliciter dignior.

ARTICVLVS II.

C *VTRVM MEDICI DE NON legitimo thoro nati, ſine peccato poſſint Medicorū officium exercere.*

Sylueſter in Summa, verbo: Medicus. quæſt. 2. verſ. Tertium.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Medici ſi non ſint de legitimo thoro nati: ſine peccato poſſint Medicorum officium exercere. quia dignior eſt cura animarum, quàm corporum. Sed non ſolum illegitimè nati: immo filij Sacerdotum non prohibentur ad ſummum Sacerdotium peruenire, ſi non fuerint paternæ incontinentiæ imitatores, vt ſcribitur 56. diſt. cap. Presbyterorum.

D

2 Præterea: Nullus debet excludi ab executione alicuius legitimi actus, niſi pro peccato, & culpa propria: ſed illegitimatio accidit ſine culpa propria illius, qui illegitimè naſcitur. Non ergo iuſtè priuari poteſt executione alicuius legitimi actus.

3 Præterea: Magis debet quis puniri propter actū vitioſum ſuum proprium, quàm propter actum vitioſum aliorum: ſed nullus excluditur ab executione alicuius officij propter adulterium per eum commiſſum. Ergo nec propter adulterium ſuorum Parentum multo magis.

In Contrarivm eſt. quia idem iudiciū

eſt

eſt de Medicis animarum, & corporum. Sed ſcribitur Deutero. 23. De ſcorto natus non ingredietur Eccleſiam. ergo Medici illegitime nati in Eccleſia ad curam animarum, & corporum admitti non debēt.

RESOLVTIO.

Medici de legitimo thoro non nati propter officij fidelem executionē debēt licentiari iurati: ſed propter Republicæ adminiſtrationē debent eſſe legitime nati.

RESPONDEO, dicendum, quòd Medici, quibus curatio corporum committitur, communiter à populo ciuitatis debent eſſe electi, vt certi de probitate morum, & peritiæ artis eligant ipſi ciues illos Medicos, quibus ſe, liberoſque ſuos in ægritudine corporum committant, ſicut Iuriſconſultus dicit. Ex quo ſequitur, quòd ſint officio Reipublicę deputati. & quia illegitime nati non poſſunt eſſe Decuriones, & Adminiſtratores Reipublicæ, vt idem Iuriſconſultus ponit, ſequitur, ꝙ Medici non nati de legitimo thoro medicinæ officium exercere non valēt. Similiter quia officium Reipublicæ fideliter eſt exercendum, ſequitur, quòd recepto iuramento practicādi officium eſt ipſis Medicis committendum. ita, ꝙ propter experientiæ probationem communiter à populo debēt Medici eſſe electi. Propter vero Reipublicæ adminiſtrationem debent eſſe legitime nati. Sed propter officij fidelem executionem, debent licentiari iurati.

l. Magiſtros ſtud. cap de profeſſ. & medicis lib. 10.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ filij ſacerdotum, & illi, qui illegitime nati ſunt, ad curam animarum aſſumi poſſunt cum diſpenſatione. ſic eodem modo Medicis illegitime natis cum diſpenſatione cura corporum committi poteſt.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ illi, qui proponuntur publicis officijs quadam claritate morum, & fama fulgere debent: quæ obſcurantur aliquo modo ex vitioſa origine. Ideo abſque proprio peccato ab adminiſtratione Reipublicæ excluditur, niſi diſpēſetur cum eo per illum, qui eſt Reipublicæ prouiſor.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ non eſt ſimile. quia mala, quæ quis committit per proprium actum ſuū, per contrarium actum doloris, & contritionis aboleri poſſunt. Sed mala, quæ ſequuntur naturam, non poſſunt deleri per proprium actum: ſed remanet in illo deformitas, manente natura.

ARTICVLVS III.

VTRVM TVTIVS SIT, QVOD homo Medicis Theoricis, quàm Practicis ſe in cura committat.

Sylueſter in ſummis, verbo: Medicus q. 1. verſ. primo etiam requiritur.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ tutius ſit, ꝙ homo Medicicis Theoricis, quàm Practicis ſe in cura committat, quia nullus debet ſe caſui, & fortunæ ſupponere. Sed cum ſtā

E Medici practici ignorent propter quid, caſualiter curant. Non eſt ergo tutum, quòd homo ſe eorum curæ committat.

2 Præterea: Medicus non curat ex ſe, ſed ratione artis medicinæ. Cum ergo artem medicinæ ſolum theorici ſciant. tutius eſt, quòd homo in cura theoricis ſe committat, quàm practicis habentibus experientiam ſine arte.

3 Præterea: Philoſophus dicit 1. Meta. Ruſtici circundati ab inimicis, quandoq; faciunt bonas plagas, & fortes ictus, non tamen propter hoc ſunt eligendi in cura bellorum. Eodem ergo modo experti Medici, dato, quòd quandoque faciant bonam curam, nō tamen propter hoc debent aſſumi ignorantes artem ad curam infirmorum. In Prologo

F IN CONTRARIVM eſt Philoſophus 1. Meta. vbi dicit, quòd habentes artem, & ſcientiam medicinæ ſunt magis ſcientes, quàm habentes experimentum. expertos tamen Medicos magis proficere videmus in cura, quàm habentes ſcientiam ſine experimento.

Medicorum experimentum in primis quærendum.

RESOLVTIO.

Tutius eſt, vt homo ſe Medicis expertis, vel ex originis diſpoſitione, vel particulariū applicatione, quàm vt ſe ſpeculatiuis non habentibus experimentum committat.

RESPONDEO, dicendū, ꝙ experiētia Medicorum ex duobus poteſt inſurgere: vel ex eorū originis diſpoſitione: vel ex particulariū applicatione: & quolibet modo talis experientia habet adiunctam cognitionem propter quid, non in ſe, ſed in ſua vniuerſali cauſa. Sicut enim ex originis diſpoſitione aliqui habent aptitudinem ad dominandum: aliqui vero ad bellandum: ſic aliqui ex tali origine habent aptitudinem ad curandum. cuius curæ effectus quāuis ignoretur cauſa in particulari agēte; cognoſcitur tamen in agente vniuerſali: à quo originata eſt natura cum tali aptitudine ad talem effectum. Cum enim Alexander ſcripſiſſet Ariſtoteli ſe inueniſſe in Perſia quoſdam homines habentes intellectum penetrabilem, aptos ſuper alios dominari, & regnum acquirere, ex quo propoſitum habebat. ſi eius conſilio videretur vniuerſos illius Regionis homines interficere, H ne eius imperium auferre auderent attentare. Reſcripſit ſibi Ariſt. per hunc modum: Si potes mutare illius terræ aerem, atque aquam, inſuper diſpoſitiones loci, & ciuitatum, imple tuum propoſitum. Sin autem: dominare ſuper eos cum bonitate, & exaudi eos cum benignitate, & per amorem, quem habebūt in te, dominaberis in eis pacificè cum Triumpho. Quod ſic fecit, & facti ſunt Perſæ magis obedientes imperio Alexandri, quàm omnes nationes. Similiter experientia, quæ inſurgit ex particularium applicatione nō procedit omnino ex ignota cauſa. quia iſto modo ars medicinæ inuenta eſt. Ex multis enim particularibus experimentis inuentores medicinæ habuerunt vniuerſale principium artis, & ſcientiæ, vt vt quia reubarbarum viderunt purgare coleram in hoc

Epiſt. Alex. ad Ariſt.

Ariſt. reſpōſio ad Alex.

hoc particulari, & in illo, dederunt regulam uniuerſalem, quòd proprium eſſet reubarbaro purgare coleram. Iſtis ergo duobus modis Medicis expertis, vel ex originis diſpoſitione, vel ex particulariũ applicatione, puto quòd tutius eſt, vt homo ſe committat in curam Medicis expertis practicis, quàm Medicis Theoricis non habentibus talem experientiam. Si autem ſint aliqui Medici, qui vnam medicinam velint applicare ad omnes ægritudines abſq; cauſæ cognitione, & multorum particularium applicatione, tales non debent dici Medici ſcientes, nec experti: quia ſolum caſualiter quandoque curant ægritudinem aliquam in iſto, vel in illo.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes in oppoſitum.

ARTICVLVS IIII.

VTR. TVTIVS SIT VNVM Medicũ habere in cura, q̃ plures.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ tutius ſit, vnum Medicum habere in cura, quàm plures. Sicut enim nouitas timenda eſt in moribus hominũ, ne pariat litem, & diſcordiam, ſic timenda eſt in eorum humoribus. Sed vbi ſunt plures Medici, plures nouitates conantur inducere; vt vnuſquiſque de ſuo aliquid videatur apponere. Non eſt ergo tutum, plures Medicos in cura habere.

2 Præterea: Sicut eſt in ſcientijs ſpeculatiuis, ſic ſuo modo eſt in practicis: ſed in ſcientijs ſpeculatiuis in paucioribus eſt via ſecurior, & tutior: vnde dicit Philoſophus 1. Metphy. Scientia, quæ ſe habet per additionem ad aliam, vt Arithmetica ad Geometriam, eſt minus certa. Semper enim, quæ ſunt ex paucioribus, certiores ſunt ex additione dictis, vt ibi ait. Cap. 2.

3 Præterea: In omni actione quanto conatus eſt maior, tanto actio eſt fortior, & virtuoſior: ſed vnus Medicus ex toto conatu laborat ad curationem ægritudinis: Cum verò plures ſint vnus ſub ſpe alterius, retardatur à ſuo conatu.

IN CONTRARIVM eſt Philoſophus in Epiſt. ad Alexandrum, vbi ait: O Alexander in vno Medico non confidas: quoniam vnus Medicus potens eſt ad nocendum, & de facili audet nefas præſumere, & ſcelus deducere ad effectum: ſi itaq; poteſt fieri, ꝙ ſint decem, non minus ſint: & fac eos omnes in vnũ conuenire: & ſi ſumẽda fuerit medicina, noli ſumere niſi de conſilio plurimorum. Ep. Ariſt. ad Alex.

RESOLVTIO.

Tutius eſt, vt homo plurium Medicorum, quàm vnius curæ ſe committat propter multorum colloquiũ, & ſcientiam.

A RESPONDEO, dicendum, quòd in ægritudinis cura conſideranda eſt conditio artis medicinæ: conditio ægritudinis: & conditio ſtatus perſonæ. Planum eſt enim, ꝙ medicina ſicut quælibet ars inuenta eſt per iuuamentum vnius ad alterum, vt per iuuamentum poſteriorum ad priores: quia ſemper poſteriores per additionem ſe habẽt ad priores, vt Philoſophus dicit 2. Metaph. Vnde ſicut complementum ſcientiæ artis medicinæ inuentum eſt per multorum experientiam, ſic completior ægritudinis cura debet fieri naturaliter per multorum Medicorum colloquium, & ſcientiam. Tex. c. 9.

Similiter conſideranda eſt conditio ægritudinis, quæ quandoque eſt occulta vni Medico per ſigna, quæ apparent: cuius cauſam, vel per illa ſigna, vel

B per alia alius Medicus poteſt cognoſcere. Eodem modo cõſideranda eſt conditio ſtatus perſonæ. quãto enim aliqui ſunt in ſtatu ſublimiori, tanto in periculo maiori verſantur, poſiti in odio, vel æmulatione plurimorum, & propter dignitatem, quam habent, & propter iuſtitiam, quam exercent. Recitat enim Philoſophus in illa Epiſtola ad Alexandrum, Reginam Indorum multa encęnia, & dona miſiſſe Alexandro Imperatori, inter quæ miſit venuſtiſſimam puellam veneno nutritam, & iam verſam in naturam ſerpentum, quam ſi cognouiſſet Alexander, non præmonitus per Philoſophum in ardore coitus eius, mors eius ſtatim fuiſſet ſecuta. Vnde ad omnem ſuſpicionem malam remouendam, & ad diligentiorem curam apponendam tutius eſt magnos Notandũ.

C viros plures Medicos habere in eorum cura, quàm vnum.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ plures Medici non debent inducere nouitatem, ſed vnitatẽ vt viſis ſignis, & conſiderata cauſa ægritudinis collatione ad inuicem præhabita in cura illa ad inuicem concordent, quæ magis ægritudini videatur expediens.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ non eadem certitudo eſt expetenda in omnibus, vt Philoſophus dicit 2. Meta. in ſcientijs namque, quæ circa vniuerſalia ſpeculantur, requiritur certitudo demonſtrationis, ſed in ſcientijs, quæ verſantur circa particu- Tex. c. 15.

D laria, ex quorum applicatione requiritur experimentum, quod eſt principium artis, & ſcientiæ, requiritur certitudo cuiuſdã inductionis ex collatione plurium ad inuicem.

AD tertium eſt dicendum, quòd Medici in cura magnorum virorũ omnes poſſunt benè remunerari. & ideo non eſt timendum, ꝙ conatus vnius ſub ſpe alterius debeat retardari.

ARTICVLVS V.

VTRVM MEDICI DANtes medicinam non in debitis ſignis aſtrorum peccent.

Vide notata per Franciſcum Pegñam ad Ambroſium de Vignate tract. de hæret. q. 10. circa finem. nu. 98.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Medici non peccent dantes medicinam non in debitis ſignis aſtrorũ. Quod enim prohibetur per Eccleſiam, Medici non tenẽtur ſeruare in F ægritudinis cura. Sed ſcribitur 26. q. 5. cap. Non liceat. Non liceat Chriſtianis habere traditiones Gentilium, & obſeruare, vel colere elementa, aut Lunæ, aut Stellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo faciẽda, vel propter ſegetes, vel arbores plantandas: vel coniugia ſocianda, nec in collectione herbarum, quæ medicinales ſunt, aliquas obſeruationes attendere.

2 Pręterea: Quæ infallibiliter veniunt, ſtultum eſt ea præuidere, vt poſſint euitari. Sed omnia prouiſa à diuina prouidentia neceſſario, & infallibiliter eueniunt. Superuacuum eſt ergo illa per Medicos præuideri.

3 Pręterea: Fruſtra homo cognoſcere nititur, q̃d impoſſibile eſt ſcire: ſed habere cognitionem Pla- G netarum, & ſignorum aſtrorum eſt impoſſibile. dicit enim Commentator 12. Meta. Credebam enim, ꝙ cognitio Aſtrologiæ per me compleretur: ſed ammodo ſenui, & deſperaui de ipſa.

IN CONTRARIVM eſt. quia peccant Medici curam habentes animarum, ſi negligunt ſcire, quæ faciunt ad animarum curam. Ergo eodem modo peccant Medici corporum.

RESOLVTIO.

Medici non in debitis ſignis aſtrorum dantes medicinam peccant artis ignorantię, & culpę conſcientię peccato, ſi ea ex certa malitia omittant.

H RESPONDEO, dicendum, ꝙ Medicos peccare dantes medicinam non in debitis ſignis aſtrorum dupliciter poteſt intelligi. Primo, peccato artis ignorantiæ per eorum negligentiam. Secundo, peccato culpæ conſcientiæ per eorum malitiam. Primo modo certum eſt, ꝙ peccant: quia ſicut neceſſario corpora humana ſubduntur influentiæ corporũ ſuper cœleſtium: ſic neceſſario requiritur debitorũ ſignorum influentia in ægritudinum corporalium curatione. Vnde ſi Medici dãt medicinam in ſignis colericis, parum proficiunt: quia corpus nihil, vel parum mouebitur. Si verò in ſignis flegmaticis, medicina ſumpta faciliter corpus laxat: propter quod ſicut Medici in curatione ægritudinum obſeruant dies creticos, qui determinãtur ſecundum curſum

E Solis, & Lunæ: ita in datione medicinarum debẽt obſeruare debita ſigna aſtrorum. Ideo ſcripſit Philoſophus ad Alexandrum, vt nec comederet, nec biberet, nec aliquam medicinam ſumeret ſine conſilio periti in arte aſtrorum. Secundo, peccato culpæ cõſcientiæ ſimiliter peccant, ſi ex certa malitia omittãt illa, quæ faciunt ad ægritudinum curam. quàmuis enim Medicus non ſemper ſanet: ſicut nec Rhetor ſemper perſuadet. ſi tamen ex negligentia, vel ex certa ſcientia nihil omittit de cõtingentibus: perfectus in arte dicitur, & à peccato excuſatur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM dicitur, ꝙ illud Decretum intelligitur de illis, qui ſuperſtitioſe ſecundum varias F Doctrinas hominum, ſecundum Aug. fauſta, vel infauſta exiſtimabant tempora: contra quos dicit Apoſtol. Gal. 4. Dies obſeruatis, & tempora, & annos; ſuper quo verbo, dicit Aug. ꝙ culpantur illi, qui conſtellationes ſequuntur, non qui naturales affectus Epiſt. 119. cap. 7.
aſtrorum, & elementorum nouerunt: vt in tempeſtate non nauigent: vel non ſeminent, nec ſanguinẽ minuant, vel medicinam ſumant, niſi in ordinatiſſima diſpoſitione ſiderum.

AD ſecundum dicitur, ꝙ neceſſaria, & contingentia ſimul ſtant cum diuina prouidentia. Vnde dato, ꝙ multa neceſſaria eueniant, ſi præſciantur, leuius tolerantur, & prudentius declinantur, vt ſi præſciatur hyems futura fore frigida, poſſunt homines præparare hoſpitia calida, indumenta, carbones, & ligna. Prudenter enim Ioſeph pręuidendo annos vbertatis G euitauit annos futuræ ſterilitatis. Gen. 41.

AD tertium dicitur, ꝙ ſicut dicit Philoſophus in Epiſt. ad Alexandrum, fides adhibenda non eſt illis, qui ponunt ſcientiam Planetarũm ſic eſſe difficilem, ꝙ nemo poſſit ad ipſam pertingere. tales enim neſciunt, quid dicunt: quia apud potentiam intellectus nihil eſt difficile, & cuncta ſunt poſſibilia in via rationis.

ARTICVLVS VI.

H *VTRVM MEDICI PECCENT accipientes ſtipendium pro infirmitate, quã ſciunt eſſe incurabilem.*

S. Thom. 2. 2. q. 71. art. 3. ad 1. argumentum.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Medici peccent accipientes ſtipendium pro infirmitate, quam ſciunt eſſe incurabilem. Dicit enim gloſſa Lucæ 8. Super illo uerbo: Mulier quædam erat in fluxu ſanguinis, quæ in Medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab illis potuit curari, ꝙ Medici diuitias eius conſumpſerant, nec eam curauerant, vanas promiſſiones ſibi facientes; ſed vana promiſſio non caret peccato.

2 Præterea:

2 Præterea: Aduocatus non poteſt accipere iuſtū ſtipendium, niſi præſtet iuſtum patrocinium. Ergo nec Medicus, niſi cōferat verum conſilium. ſed non confert verum conſilium, infirmitatem incurabilem dicendo eſſe curabilem.

3 Præterea: Medici animarum peccant, ſi peccata mortalia dicant eſſe venialia, vel non mortalia. ergo eodem modo Medici corporum, dicendo ægritudinem incurabilem eſſe curabilem.

Tomo 3. IN CONTRARIVM eſt Aug. 3. de Trinit. c. 3. vbi ait: Medicus veram cauſam proximā ægritudinis curationis, vel non curationis pronunciare poteſt: ſed primam, & ſuperiorem ſcire non valet. Et ſic non peccat, ſtipendium accipiendo de ægritudine, quam ſecundum omnes cauſas non poteſt ſcire eſſe curabilem, vel incurabilem.

RESOLVTIO.

Medici, indicata veritate, quam ſciunt, non peccant accipientes ſtipendium de ægritudine incurabili.

RESPONDEO, dicendum, quod Medicus eſt inſtrumentum naturæ: tamdiu ergo inſtrumentū medicicinæ non eſt ex toto ſubtrahendum infirmo, quamdiu natura ex toto non ſuccumbit. ideo non peccat Medicus accipiendo ſtipendium de cura ægritudinis, quam per principia artis medicinæ credit eſſe incurabilem, niſi forte malitioſe non indicando illis, qui illius curam habent. vel ſuperfluos ſumptus faciendo, vel eum curare omnino promittendo. ſed indicata veritate, quam nouit de ægritudinis cura, tamdiu iuſte poteſt recipere ſuum ſtipendiū, quàmdiu exhibet in eius cura fidele miniſterium, & verum conſilium.

Et per hoc patet reſponſio ad rationes ſuperius factas.

ARTICVLVS VII.

VTRVM MEDICI PECCENT, ſi infirmos ipſorum non moneant, vt animarum Medicos ante omnia debeāt conuocare.

Concilium generale Lateranen. ſub Innocentio III. c. 22. refertur in cap. Cum infirmitas. extra de pœnit. & remiſ. & Syluester in ſumma, verbo: Medicus. quæſt. 3. vbi late de materia huius articuli.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quod Medici non peccent, ſi infirmos eorum non moneant, vt animarum Medicos ante omnia debeant cōuocare. Nulli namque eſt danda materia deſperandi. Sed frequenter infirmi in lecto iacentes, cum eis à Medicis ſuadetur, vt de animarum ſalute diſponant, in deſperationis articulum incidant: Vnde facilius mortis periculum

A incurrunt. Medici ergo non tenentur in hoc infirmos admonere: cum ipſi teneantur ægrorum corpora curare, & mortis periculum euitare.

2 Præterea: Nihil eſt indicandum infirmo, quod poſſit in eo malam alterationem inducere. ſed ſecundum Philoſophum accidentia animæ habēt corpus alterare. imaginationibus enim animæ obedit corpus humanū quātum ad mutationē, vel alterationē, licet non quantum ad figurationem. Non ergo indicandum eſt infirmo aliquid, vnde poſſit eius corpus in malum alterari.

3 Præterea: Medici animarum non tenentur ſe intromittere de ſanitate corporum. ergo eodem modo nec Medici corporum tenentur ſe intromittere de ſanitate animarum.

B IN CONTRARIVM eſt. quia peccatum eſt præceptum Eccleſiæ non ſeruare. ſed extra de pe. & remi. præcipitur omnibus medicis corporum, quatenus, cum eos ad infirmos vocari contingit, ante omnia debeant eos monere, & inducere, vt animarum medicos debeant aduocare. c. cum infirmitas.

RESOLVTIO.

Medici, qui ad curam corporum vocātur, prius eos debent inducere ad curam animarum propter tria bona, quę inde ſequuntur.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut homo magis eſt intellectus, quàm ſenſus, & magis anima, quàm corpus, vt ſcribitur 9. Ethi. ſic ordine naturæ, & charitatis prius curāda eſt anima, quàm corpus. Sequuntur autem, quantum ad præſens, tria bona, ſi ante corporis curationē anima prius purgetur à culpa, & diuina offenſa. Primo cauſæ infirmitatis remotio. Super illo enim verbo Ioan. 5. Ecce ſanus factus es: vade, & amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat; Dicit Chryſoſt. quod hoc ideo Chriſtus dixit illi. quia infirmitas illa euenerat ei propter ſuum peccatum. Contingit ergo hominem quandoque corporaliter infirmari: vel ex peccato ſuæ negligentiæ: vel perpetratæ malitiæ: vel guloſitatis, vel luxuriæ, & multis alijs modis. & quia effectus remoueri non poteſt, manente cauſa: medici qui ad curam corporis vocantur, prius debent eos inducere ad curam animarum. Secundo ſequitur ſanitatis acquiſitio. anima enim ſobria exiſtente, & ſana, aliquo modo huiuſmodi ſanitas, & ſobrietas redundat in corpus. quia ſicut grauis infirmitas corporis ſobriam facit animam, vt ſcribitur Eccl. 31. ſic ſecura mens eſt, quaſi iuge conuiuium. & lætatur homo. & omnes ſenſus eius reficiuntur in lætitia, & ſerenitate conſcientiæ, vt ſcribitur Prouer. 15. Tertio interdum ſequitur præſentis vitæ augmentatio. addidit enim Deus 15. annos Ezechię Regi ſupra curſum præſentis vitæ pro eo, quòd ad vocem Iſa. dicentis ſibi: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues; conuertit faciem ſuam ad parietem, & fleuit fletu magno, vt ſcribitur Iſa. 38. In Ioann. hom. 37.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, q non datur infirmo materia deſperandi, ſed potius de diuino auxilio confidendi. non enim debet homo triſtari, ſed vehementer lætari: cum inducitur ad increpationem, & contritionem ſuorum peccatorum. Iuxta illud, quod ſcribitur Iob. 5. Increpationem Domini ne reprobes. quia ipſe vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius ſanabunt.

AD ſecundũ dicitur, q nulla mala alteratio inducitur in corpore ex hoc, quòd inducitur vt prius animam, quàm corpus debeat curare, cum ipſe magis debeat ſperare de diuino auxilio, qui eſt medicus animarum, & corporum, quàm de auxilio medicorum. Scribitur enim 2. Paralip. 16. quòd cum Aſa Rex dolore pedum vehementiſſime ægrotaret, pro eo, quòd in infirmitate ſua non quæſiuit dominum, ſed magis Medicorum arte confiſus eſt: mortuus eſt.

AD tertium dicitur, q Medici animarum non tenentur ſe intromittere de ſanitate corporum, quantum ad miniſterij exhibitionem, ſi artis medicinæ peritiam non habent: ſed quantum ad inductioné, curata anima, ad curam corporis debent eos inducere, & vt Medicos corporum debeant aduocare. ſic eodem modo Medici corporum tenentur ſe intromittere de cura animarum.

ARTICVLVS VIII.

VTRVM MEDICI TENEANtur Pauperibus, & Religioſis gratis auxilium, & conſilium impendere.

De materia huius articuli latè gloſſa, Turrecrem. & alij in cap. 1. diſt. 83. & Sylueſter in ſumma, verbo: Medicus. quæſt. 5.

AD octauum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Medici non tenentur gratis Pauperibus, & Religioſis auxilium, & conſiliũ impendere. Contingit quandoque pauperem infirmum, vel ex verecundia, vel ex deſperatione paupertatis medicinam reſpuere, & nec velle curari. vel medico curare uolenti obedire: vel in aliquo obligari. Tales ergo pauperes Medici non tenentur curare. cum nulli ſit præſtandum beneficium ipſo inuito.

2 Præterea: Contra rationem eſſe videtur, vt aliquis cogatur, quòd de ſuo proprio alicui præſtet beneficiũ, ſicut ſcribitur 10 q. 2. c. Precario. Nõ ergo tenentur Medici ſuis proprijs ſtipendijs pauperibus, & Religioſis beneficium curationis impendere.

3 Præterea: Quod iniuſte negatur alicui; iuſtè ab illo petitur. Sed ſecundum Aug. ad Macedonium & ponitur 14. q. 5. cap. Non ſane. Merces ſua iniuſte negatur medico: iuſte ergo ab eo petitur, & ſic

E non gratis pauperibus, & Religioſis tenetur ſeruire.

IN CONTRARIVM eſt, quod dicit Simachus Papa. 83. di. c. Prouidendum. Non grandis differentia eſt an mortem inferas. vel admitti patiaris Mortem. Ergo Medicus languentibus probatur infligere, quando hanc, cum poſſit, non excludit.

RESOLVTIO.

Medici pauperibus, qui eorum curam implorant, & Religioſis, à quibus eis cura animarum impenditur, gratis auxilium, & conſilium præſtare debent.

RESPONDEO, dicendum, quòd curare infirmos pauperes, ad opus pietatis pertinet. Omne F autem opus pietatis includit circumſtantias virtuoſi actus, vt fiat quando oportet, & ſicut oportet, & cui oportet ſecundum ordinem charitatis. Planum eſt autem, quòd Medicus non tenetur omnes pauperes infirmos curare. quia nec ſunt omnes ſibi noti. nec in quacumque ægritudine eis ſubuenire poteſt, quia nec facultates, & vires eius ſufficerent. Tenetur ergo illis pauperibus infirmis auxilium impendere, qui ad eum recurſum habent: & qui eius patrociniũ implorant, & de cura illius ægritudinis, à qua nec per ſe, nec per alios releuari poſſunt. Nam conſeruatio vitæ proximi eſt de iure naturali. Appropriatio vero lucri medicinæ, & cuiuſlibet artis, ſicut appropriatio aliarum rerum iuſtè acquiſitarum, eſt de iure poſitiuo. vbi ergo vita pauperum in curatione ægritu- G dinum eſt aliter poſſibilis releuari, quàm per curam iſtius Medici. quia tunc ſimul ſtat ius naturale cum procuratione, & appropriatione proprij lucri, quod eſt de iure poſitiuo, non tenetur Medicus speciale auxilium impendere, nec ſingularem curam aſſumere. vbi autem non eſt aliter releuabilis, tenetur ex iure naturali, & ex ordine charitatis. De Religioſis autem puto aliter eſſe dicendum. quia cum, dicente Apoſtolo, recipientes ſpiritualia teneantur ex debito carnalia impendere. Ex quo Medici corporum recipiunt à Religioſis medicinam ſpiritualem, & animarum curationé, ex quodam debito tenentur in curatione corporalium ægritudinum auxilium, & conſilium eis impendere. 1. Cor. 9.

Ad Argumenta.

H AD PRIMVM ergo eſt dicendum, q multa beneficia impendenda ſunt homini, ipſo inuito, corporaliter, & ſpiritualiter. violenter enim Angeli traxerunt Loth, & totam eius familiam extra ciuitatem in ſubuerſione Sodomorum, ne ipſi ſimul cum eis perirent, vt ſcribitur Gen. 19. & Augu. dicit ad Bonifacium, quòd furenti frenetico, & indiſciplinato filio ſalubriter Medicus, & Pater beneficia præſtant, eis inuitis. Medicus illum ligando, & Pater illũ verberãdo. Vnde in neceſſitatis articulo tenetur medicus pauperi infirmo, eo inuito, Medicinam exhibere, & eum curare, ſi poteſt. Epiſt. 50. Tomo 2.

AD ſecundum dicitur, q medicus in caſu neceſſitatis ſupradicto cogitur beneficium curationis pauperi impendere ex iure naturæ, quo beneficia

ſpiri-

ſpiritualia,& temporalia ſunt cōmunia, & ex ordine charitatis, ſine qua nec ſibi,nec alijs poteſt eſſe ſalus.

AD tertium dicitur, quòd merces iniuſtè negatur Medico ab illis,qui ſunt in ſtatu,quo poſſint ſibi ipſam dare. pauperes autem non ſunt in ſtatu, quo poſſint mercedem temporalem Medicis dare.ſed magis vt ab eis debeant eam recipere.

ARTICVLVS IX.

VTRVM ARS MEDICINAE Clericis, & Religioſis ſit interdicta.

Syluester in ſumma,verbo, Medicus quæſt. 2.

AD nonum ſic proceditur. Videtur enim, q medicinæ ars Clericis, & Religioſis non ſit interdicta. Officium enim,qd Chriſtus exercuit,abſque peccato à quolibet exerceri poteſt, cum ipſe in omnibus diſciplina motum fuerit, vt dicit Aug. Sed ipſe exercuit officium Medici, non ſolum ſpiritualiter,immo corporaliter.quia ſpiritualiter, & corporaliter infirmos curauit, vt ſcribitur Lucæ 6.

In de vc Re lig.c. 16. Tomo 1.

2. Præterea: Apoſt. ſcribens Timotheo aſſumens Medici officium,dicit 1. Timo. 5. Noli adhuc aquā bibere, ſed modico vino vtere propter ſtomachum tuū: & frequentes infirmitates tuas, & multos infirmos Scriptura teſtatur corporaliter per Apoſtolos eſſe curatos.

3. Præterea: Super illo verbo Pſal. 87. Numquid mortuis facies mirabilia: aut Medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Dicit Auguſt. hoc eſſe dictum in perſona Sanctorum,qui vere dicuntur medici, eo q viuentes, eorum miniſterio curare poſſunt,quamuis mortuos non ſuſcitare.

IN CONTRARIVM eſt: quia idem iudiciū dat Aſtrologus de curatione ægritudinis, quod dat Medicus, quamuis non eodem modo. quia Medicus dat iudicium de ſanitate, vel morte infirmi, ſecundum cauſas proximas, puta ſecūdum virtutem naturę, & virtutē morbi. Aſtrologus vero ſecundum cauſas remotas, vt ſecundum poſitionem ſiderum. Sed ars aſtrologię interdicta eſt Clericis, & Religioſis ſicut patet 26.q.1. Ergo eodē modo ars medicinę.

RESOLVTIO.

Ars medica Religioſis, & Clericis interdicitur non ratione conſilij, ſed ratione practici exercitij, propter negotium ſeculare, propter lucrum temporale, & periculum mentale, quę ipſis prohibentur.

RESPONDEO, dicendum, quòd medicinam artem eſſe interdictam Clericis,& Religioſis,dupliciter poteſt intelligi. Primo quantum ad cōſilium. Secundo quantum ad practicum exercitium. Primo modo non interdicitur illis, qui peritiam artis medicinæ plene nouerūt,quin viſis ſignis ſecundum principia artis poſſint conſilium dare ſuper curatione ægritudinis, quæ eis proponitur. immo hoc eſt laudabile, & virtutis opus. Sed ſecundo modo potiſſime conſtitutis in ſacris interdicitur practicum exercitium propter tria,quæ in tali practico exercitio medicinæ artis includuntur. Primum eſt negotium ſeculare. practicum enim exercitium artis medicinę ſeculare negotium eſt: quia quæ Medicorum ſunt, Medici dicunt: Tractant vero fabrilia fabri, vt Hierony. dicit. Negotijs autem ſecularibus ſe immiſcere prohibetur Clericis, & Religioſis, vt patet extra Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotijs ſe immiſceāt. Secundū eſt lucrum tēporale: eſſe autē turpis lucri ſectatores, prohibetur Clericis, & Religioſis. Tertium eſt periculum mentale potiſſime quantum ad partem illam, quæ chirurgia vocatur. Vnde ſicut ſententiam ſanguinis dictare, vel proferre prohibetur Clericis, ſic eis inhibetur, vt nullam chirurgiæ partem Subdiaconus,& Sacerdos exerceant. Quantum vero ad partem phyſicam poſſet interdum cum miſerabilibus perſonis, & honeſtis, & coniunctis gratis abſque periculo Clericus exercere.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum,quòd Chriſtus ſanabat corporaliter ægrotos abſque omni exteriori adminiculo: & ſi quandoque vſus eſt exteriori re,vel exercitio: quia liniuit lutum ſuper oculos cæci nati, vt patet Ioann. 9. Et ad ſuſcitationem filij viduæ tetigit loculum Lucæ.7. Et ad ſuſcitandam filiam Archiſynagogi tenuit manum puellæ. hoc fecit ad oſtendendum ſuę diuinitatis potentiam,& aſſumptæ humanitatis efficaciam. Nam per hoc, quòd lutum liniuit ſuper oculos cæci nati: oſtendit ſe illum eundem Deum, qui luto vſus fuit ad formationem corporis primi hominis. per hoc vèro, q tetigit loculum,& manum puellæ tenuit: oſtendit humanitatē aſſumptam efficaciam habere ad præſtandam veram ſanitatem: vt ſicut ferrum adiunctum igni perficit opus, ſic caro cōiuncta verbo, quod viuificat omnia, ipſa quoque erat viuificatiua,& mortis expulſiua, vt dicit Damaſ.lib. 3.cap.17. Vnde Chriſti medicina non ordinabatur ad negotium ſeculare, nec ad lucrum temporale, nec ad periculum mentale.

Luc.7.

AD ſecundum eſt dicendum,verum eſſe, Apoſtolos fuiſſe Medicos animarū, & corporū: non tñ artis medicinæ peritia, ſed Chriſti virtutis gratia. Vnde diuina oracula, & Apoſtolorum miracula non ſunt conuertenda ad negotia ſecularia, & ad præſentis vitæ vanitatem. per impoſitionem enim manuum Apoſtolorum curabantur ægri: & ad vmbram Petri ſanabantur infirmi. quod ſubterfugit virtutem medicinæ artis.

AD tertium dicitur, quòd Aug. ibi loquitur de Medicis ſpiritualibus,qui miniſterialiter poſſunt viuēres curare: ſed mortuos nō ſuſcitare. quia ſola Chriſti gratia mortui reuiuiſcunt ad fidem.

ARTICVLVS X.

VTRVM MEDICI DANTES medicinam, vel facientes aliquam inciſuram, ex qua ſequatur mors, ſint irregulares.

Videatur Simõ Maiolus lib. 2. de irregularitatibus c. 13.

AD decimum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Medici dãtes medicinam, vel facientes aliquam F inciſurã, ex qua ſequatur mors, ſint irregulares. Magis. n. quis efficitur irregularis ex eo, quòd ſequitur periculũ mortis, quàm ex eo, ꝙ ſequitur truncatio alicuius membri. Sed ſcribitur extra. Ne Clerici, vel Monachi ſecularibus negotijs ſe immiſceant, cap. Sentẽtiam. Prohibemus ne aliquam truncationem membrorum Clerici per ſe faciant, aut iudicent inferendas: ſi quis tale quid fecerit, honore priuetur, & loco.

2 Præterea: Magis eſt ſanguinem effundere, ex cuius effuſione ſequitur mors, quàm ſanguinis ſententiã iuſtè proferre, vel dictare: ſed contingit G quãdoque, quòd ex minutione ſanguinis, quam barbitonſor facit, & Medicus facit fieri, minutus debilitatur, & moritur. Ergo tales magis ſunt irregulares, quàm Iudices dictantes ſanguinis ſententiam, vel proferentes.

3 Præterea: Qui cauſam mortis dat, mortem dediſſe probatur: ſed contingit quandoque, ꝙ ex medicina data alicui infirmo propter corruptionem, & ſophiſticationem rerum, quæ ibi ponuntur, infirmus moritur. Medicus ergo, qui talem medicinam dedit, irregularis efficitur.

IN CONTRARIVM eſt. quia ſic nulli H Medici poſſent ad ordines promoueri: cum vel ex medicinis datis, vel ex inciſuris factis: non omnes infirmi ſanantur, ſed multi moriuntur.

RESOLVTIO.

Medici irregulares numquàm fiunt, ſi per principia artis medicæ, & non fraudulenter, & in re decenti medicinam, vel inciſuram præſtent.

RESPONDEO, dicendum, quòd ad hoc, quòd Medici, vel propter medicinas datas, E vel inciſuras factas non ſint facti irregulares, ex quo impediantur, ne ad ordinem valeant promoueri, requiruntur tria. Primo recta ſcientia: vt non operentur caſualiter, ſed ſint experti, & operentur ſecundum principia artis medicinæ. quamuis enim ignorantia facti interdũ excuſat à culpa: ignorantia tamen iuris, & ſciẽtiæ, quam quis ſcire tenetur, excuſationem non recipit. Secundo, requiritur recta conſcientia, vt non fraudulenter, nec negligẽter, ſed fideliter eorum officium exequantur. Tertio, requiritur rei decentia, vt quòd non immiſceãt ſe rei illicitæ, & prohibitæ per Eccleſiam, cui ſi mixti fuerint facti, ſint irregulares. Iſtis ergo tribus ſeruatis, F ſiue mors, ſiue aliud ſecutum fuerit ex medicinis datis, vel inciſuris factis per Medicos ſeculares, nõ efficiuntur irregulares, nec impediuntur, quòd ad ordines promoueri non poſſint. Dicit enim Aug. ad Publicolam: Abſit, vt quæ propter bonum, ac licitum facimus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Epiſt. 54. Tomo 2.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ truncatio membri ordinatur ad proximi offenſionem, & G vitæ eius priuationẽ. Sed medicina, vel inciſura, quæ fit à Medico, ex quo facit ſecundum artem, nihil de contingentibus omittens: ordinatur ad infirmi curationem ſecundum ſuam rectam intentionem. Si autem mors ſequatur, conſcientia eius ſyncera remanet, ex quo ſecundum principia ſuæ artis operatus eſt.

AD ſecũdum eſt dicendum, ꝙ Iudices dictantes, vel proferentes ſententiam ſanguinis non efficiuntur irregulares propter culpæ perpetrationem; ex quo iuſtè proferunt, ſed propter ſacramẽti ſignificationem. non enim in hoc ſe conformant Chriſto H crucifixo: cuius ſanguis innocenter effuſus eſt: ſed magis Chriſti crucifixoribus: Minutio verò ſanguinis non ordinatur ſecundum intentionem Medici, vt acquiratur mortis periculum, ſed magis ſalutis remedium. Ideo non eſt ſimile.

AD tertium eſt dicendum, quòd omnem diligentiam, quam poſſunt Medici, debent apponere, vt in medicinis, quas eorum infirmis dant, res bo- I næ, non corruptæ, non ſophiſticatæ miſceantur, & appoſita debita, & ſolita diligentia: ſi periculum euentat, eorum conſcientia poteſt remanere illæſa.

QVAEST. CX. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN NOTARIIS.

NVNC videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Notarijs. Circa quod quæritur Sex.

Primo, Vtrum ſolum habens iuriſdictionem temporalẽ poſſit publicos Notarios facere.

Secundo, Vtrum ad Notariatus officium debeant aliqui admitti, niſi iurati.

Tertio, Vtrum Notarius poſſit ſuum officium delegare.

Quarto, Vtrum Notarius gerat vicem vnius teſtis in inſtrumentis factis per eum.

Quinto, Vtrum Notarius factus Religioſus poſſit Notariatus officium exercere.

Sexto, Vtrum Clerici poſſint Notariatus officium exercere.

ARTICVLVS I.

VTRVM SOLVM HABENS iuriſdictionẽ temporalem poſſit publicos Notarios facere.

Innocentius Panormitanus, & alij in cap. cum P. de fide inſtrum. Bartolus in l. infamẽ. ff. de publi. iudic. & Sylueſter in Summa, verbo, Tabellio q. 1. vbi citat Auguſtinum Triumphum in hoc loco.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd non ſolum habens iuriſdictionem temporalem poſſit publicos Notarios facere. Scriptura enim Notarij inducitur ad confirmationẽ veritatis: Sed omnis veritas vndecunque inſonuerit, ab illo eſt, qui dicit: Ego ſum veritas, ſecundum Auguſt. Ergo magis pertinet ad habentem iuriſdictionem ſpiritualem, quàm temporalem, Notarios facere.

2 Præterea: Notarij dicuntur tabelliones, ſiue tabellarij eo, ꝙ ab antiquo in tabulis ſcribebantur cõtractus, & confederationes vnius communitatis, vel vnius ciuitatis cum alia: Vnde 1. Macha. 8. ſcribitur, ꝙ in tabulis æreis Romani ſcripſerunt confederationem ſocietatis cum Iudæis; vt eſſet ibi perpetuum memoriale pacis, & ſocietatis. Quælibet ergo communitas, vel ciuitas poteſt ſibi Notarios inſtituere.

A 3 Præterea: Notarius inducitur ad faciendam fidem ſuper his, quæ proponuntur: ſed maior fides eſt adhibenda Scripturæ propriæ, quàm alienæ. Quilibet ergo poteſt inſtitui Notarius in proprijs negotijs.

IN CONTRARIVM eſt: quia officium Notariatus eſt officium ſeculare, & temporale. Ergo ad habentem temporalem, vel ſecularem iuriſdictionem pertinet tale officium conferre.

RESOLVTIO.

Papa ſolum, & Imperator, vel alij eorum auctoritate conceſſa, Notarios publicos efficere poſſunt. Et
B *Epiſcopus item in negotijs Eccleſiaſticis hanc habet auctoritatem.*

RESPONDEO, dicendum, quòd Notarius eſt perſona publica habens officium ſcribendi inſtrumenta ſuper contractibus, aut ſuper alijs negotijs ad faciendam fidem ſuper eiſdem. Illius ergo auctoritate Notarij inſtituẽdi ſunt, qui totius Reipublicæ curam habet: vel per vniuerſalem iuriſdictionem: ſicut Papa, vel per immediatam adminiſtrationem ſicut Imperator. Et ideo ſolum Papa, & Imperator poſſunt Notarios publicos facere, vel illi,
C quibus auctoritate Papæ, vel Imperatoris eſt conceſſum. Dicunt autem aliqui, quòd Epiſcopus in Eccleſiaſticis negotijs poteſt Notarios cõſtituere per totam ſuam diœceſim, eo, quòd Epiſcopo cura totius diœceſis commiſſa eſt per eum regenda, & gubernanda, ſicut patet 10. q. 1. cap. Regenda: & 12. q. 1. cap. Epiſcopus. non tamen debet Eccleſiaſticus Notarius inſtrumentum conficere in negotijs ſecularibus: nec ſecularis in negotijs Eccleſiaſticis, eo, ꝙ conuerſatio vtrorumque debet eſſe ſecreta, & diſcreta, ſicut patet 2. q. 7. cap. Laicos.

Ad Argumenta.

D AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ quàmuis omnis veritas ſit à veritate increata effectiuè; multæ tamen ſunt veritates humanæ formaliter diſtinctæ, quæ multis falſitatibus miſceri poſſunt. Vnde ad habendam aliquam certitudinem in actibus humanis, qualis haberi poteſt in foro exterioris iudicij, neceſſarium eſt induci teſtimonium per perſonam publicam, quæ fideliter teſtes, & contractus ſcribat, & in publicam formam redigat.

AD

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd ſicut de iure Papa, & Imperator præſunt toti Reipublicæ, & cuilibet Communitati: ita de iure ſolũ illis perſonis, & Communitatibus conuenit Notarios facere, quibus per Sedem Apoſtolicam, vel per Imperatorem eſt conceſſum.

Ad tertium eſt dicendum, q Notarius inſtituitur ad ſcribendum conuentiones hominum, vel contrahentium, vel ementium, vel vendentium aliquid ad inuicem: nullus autem contrahit, vel emit, aut vendit aliquid ſibijpſi. & ideo ſicut nullus inſtituitur Iudex in cauſa propria, ſic nullius Scripturæ in negotijs proprijs creditur, niſi fortè in cauſa teſtamentaria, quæ etiam in foro iudicij non admitteretur, niſi per teſtes ibi ſcriptos, vel vocatos.

ARTICVLVS II.

VTRVM AD NOTARIAtus officium admittantur ſolum iurati.

Hoſtienſis, Panormitanus, & alij in cap. Sicut te. extra ne Cleri. vel Monachi, vbi ponunt quot, & qualia iurare debeant Notarij in principio ſui officij: quę refert Syluester in Summa, verbo: Tabellio, quæſt. 2.

Ad ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q ad Notariatus officium nõ requiritur, quòd admittantur ſolum iurati. Iuramẽtum enim inducitur ad tollendã controuerſiam partium, iuxta illud Apo. ad Hebræ. 6. Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum: ſed controuerſia non tollitur per Notarium: ſed magis per teſtes. Ergo non requiritur eius iuramentum.

2. Præterea, Maioris periculi eſt ſcribere verba Dei, & ſacram Scripturam, quàm verba hominum: ſed qui ſcribunt verba Dei, & ſacram Scripturam non admittuntur iurati. Ergo neq Notarij ſcribentes contractus, & verba hominum iurati admitti debent.

3. Præterea: Ad Notariatus officium non debent admitti, niſi perſonæ liberæ: dicit enim Iuriſconſul. C. de ſcri. in l. generali, lib. 10. Tabellarij liberi homines ordinentur, neque vlli deinceps ad hoc officium pateſcat aditus, qui ſit obnoxius ſeruituti: ſed inſtrumenta facta à Notario ſeruo fidem præſtant documentis, nec repelluntur. Ergo ſimiliter iuramentum non requiritur, q inſtrumenta facta à Notario iurato firmitatem habeant.

In Contrarivm eſt: quia Notarij officium eorum ab Imperatore recipiunt, vt ſupra dictum eſt. Sed Imperator iuramentum præſtat de ſuo officio fideliter exequendo, vt patet 63. diſt. cap. Tibi Domino. Ergo eodem modo ipſe ſuos officiales iuratos admittere debet.

RESOLVTIO.

Notarij propter publicam adminiſtrationem de legitimo thoro debẽt eſſe nati: propter liberam actionẽ: ſeruituti obnoxij eſſe non debent: propter fidelem actionem, iuramentum præſtare debent.

Respondeo, dicendum, quòd Notarius in ſuo officio requirit publicam adminiſtrationem. eſt enim perſona publicæ vtilitati deſeruiens. Secundò requirit liberam actionem, vt habeat dominium ſui actus. Tertio requirit executionem. Igitur propter publicam adminiſtrationem Notarij debent eſſe de legitimo thoro nati: quia qui vitioſa origine obſcurantur non poſſunt eſſe decuriones, nec Reipublicæ præeſſe in aliquo officio, vel dignitate ſine ſuperioris diſpenſatione. Propter liberam verò actionem requiritur, quòd non ſint obnoxij ſeruituti, ſed perſonæ liberæ. Sed propter fidelem executionem requiritur, quòd iuramentum præſtẽt, vt eorum officium fideliter exequantur.

Ad Argumenta.

Ad Primvm dicitur, q controuerſia tollitur per teſtium præſentiam. quæ cũ non poſſit ſemper haberi, inducitur inſtrumentum, in quo eorum teſtimonium ſcribitur: ad cuius fidelẽ conſcriptionem, & ipſius contractus, vel negotij fidelem publicationem requiritur iuramentum, vt non liceat Notario, iam præſtito iuramento, aliter immutare, vel agere, niſi ſecũdum formam ſibi datam. Sicut enim tenere continentiam ante votum eſt voluntatis, poſt votum verò eſt neceſſitatis: ſic tenere formam à contrahentibus datam ante iuramentum eſſet voluntatis, poſt verò iuramentum eſt neceſſitatis.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd falſo modo ſcribere verba Dei, dupliciter poteſt intelligi: vel ex ſubreptione, vel per ſenſus corruptionem, & eorũ impugnationem, ſicut hæretici faciunt. Nam quãtum ad iſtum modum omnes Chriſtiani in baptiſmo iuramentum præſtant, fidem ipſam integram tenere, nec vnquàm ipſam corrumpere, vel impugnare, quando renunciant Diabolo, & pompis eius: & ſi poſtmodum corruptores fidei inueniantur, tanquam falſarij, & periuri puniendi ſunt multo magis, quàm Notarij falſa inſtrumenta conficientes.

Ad tertium dicitur, q ſi aliquis ſeruus dicit ſe eſſe liberum, & nomine liberi, & publicæ perſonæ exercebat Notariatus officiũ in ciuitate, forte in qua error non eſt: ſi poſtmodũ denuncietur ſeruus, planum eſt, q inſtrumenta ab eo prius facta valebunt, quia liberam actionem habuit à Domino, donec ipſum ſeruum eſſe pronunciauit. Iuramentum autem non requiritur propter liberam actionẽ, ſed propter fidelem executionem: ideo non eſt ſimile.

ARTICVLVS III.

VTRVM NOTARII POSSINT eorum officium delegare.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Notarij poſſunt eorum officium delegare. Quia vel propter ægritudinem: vel propter aliss occupationes, quádoque rationabiliter impediuntur, vt inſtrumenta per eos inchoata cõpleri nequeant. Rationabiliter ergo poſſunt eorum officium alijs committere.

2 Præterea: Secũdum ordinem charitatis: homo debet ſe omni petenti communicare. Sed ex frequẽtia hominum petentium Notarios, interdum tot cõtractus, recipiunt perficiendos, quòd ſoli ipſi complere non poſſunt. Valent ergo ad hoc alios delegare.

3 Præterea: Secundum Philoſophum, Quod per ſocios, & amicos facimus, p noſipſos facere dicimur. Ergo quod Notarij faciunt per eorum Diſcipulos, & ſocios, firmitatẽ habere debet, ac ſi ipſi illud feciſſent.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur in auten. de Tabell.

RESOLVTIO.

Notarij officium Notariatus delegare non poſſunt propter tria inconuenientia, quæ inde ſequuntur.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut, dicente Apo 1. Corin. 6. Multa licent, quæ non expediunt: ſic multa fiunt, quæ fienda non ſunt. Notarij ergo eorum officium delegare non debent propter tria inconuenientia, quæ interdum ſequuntur. Primum ſequitur ex parte Iudicis, qui non põt plenè informari de veritate contractus, quando per diuerſos Notarios inchoatur, & perficitur. Secundũ eſt ex parte perſonarum, quæ contrahunt, quæ cum aliquando ſint Laici, & rudes litteram neſcientes, faciliter poteſt eis negari veritas per illa, quæ ſubſequũtur, vel ponuntur in inſtrumento priori, Notario nõ præſente. Tertium eſt ex parte ipſius Notarij. Cum enim perfectio rei conſiſtat in principio, medio, &
Tex.com.2. fine, vt Philoſophus dicit 1. de Cœlo, & Mundo. Nullius opus perfectum eſſe poteſt, niſi per eum ſit inchoatum, mediatum, & terminatum. Non debent ergo Notarij delegare aliquos ad componẽda inſtrumenta inter contrahentes, maximè cum ipſi prohibeantur inſtrumẽta manu ſua conſcribere: ſi tameñ fecerint, puniendi ſunt: documenta verò non vitiãtur: vnde ſcribitur extra de fide inſtru. cap. cum P. Tabellio. Cum Tabellio morte præuentus, quædam non perfecerit inſtrumenta, quæ in notam redacta fuerant ab eodem, ad petitionem eorum, ad quos pertinet, auctoritate ordinarij iudicis poteris ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ in caſu ægritudinis non alterius rationabilis occupationis: debent ipſi Notarij contrahentes admonere, vt per ſeipſos compleant eorum cõtractus. non enim propter illa, quæ raro contingunt, eſt aliquod inſtituendum, quod impedimẽtum faciat vniuerſis, maximè cum nihil inter homines ſic exiſtat indubitatum, vt non poſſit (licet aliquid ſit tutiſſimum) ſuſcipere quandam ſolicitam dubitationem.

AD ſecundum dicitur, ꝙ homo debet ſe omni petenti communicare, cuius petitionem iuſtè, & rationabiliter poteſt perficere, & conſummare. melius eſt enim, vt ponit Iuriſconſultus, §. ſi verò indignus. In fine. in auth. de Tabellionibus, pauca agere cautè, quàm multis intereſſe periculosè, & Eccle. xj. ſcribitur: Fili, ne in multis ſint actus tui: quia ſi diues fueris, non eris immunis à delicto.

AD tertium dicitur, quòd ſicut in agibilibus res quæ vadunt per diuerſas manus, faciliter diſtrahuntur: ſic in ſpeculabilibus per mutationes Scripturarum multæ deceptiones committuntur. Vnde ſecurius eſt, ꝙ Notarij per ſeipſos compleant cõtractus & inſtrumenta, quam per alios.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM NOTARIVS GERAT vicem vnius teſtis in inſtrumentis per eum factis.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Notarius non gerat vicem vnius teſtis in inſtrumentis factis per eũ. Non enim eſt maioris dignitatis Iudex, q̃ Notarius. Sed ſcripturæ, & teſtimonio Iudicis non creditur, ergo nec teſtimonio Notarij eſt credendum.

2 Præterea: Si teſtimoniũ Notarij valet: aut hoc eſt ratione ſui, aut ratione, qua numeratur cum alijs. Non ratione ſui: quia teſtimonium vnius, teſtimonium nullius. Nec ratione, qua connumeratur cum alijs: quia propter præſentiam Notarij, numerus teſtium, qui requiritur ad præſtandam fidem documentis, non augetur, nec diminuitur.

3 Præterea: Teſtes, qui requiruntur ad præſtandam fidem in inſtrumento, ſubſcribuntur, nec alij admittuntur, niſi qui ſcripti ſunt. Sed Notarius non ſcribitur, vt teſtis. Ergo nec eſt eius teſtimoniũ admittendum.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur extra de fide inſtru. c. Cum Ioannes. Tabellionẽ quoq; qui confecerat inſtrumentum, & vnũ ex teſtibus in inſtrumento ſubſcriptis ad id probandum induxit.

RESOLVTIO.

Notarij teſtimoniũ non eſt repellendũ, cum ipſe ſit auctor inſtrumenti, teſtium, & documenti.

RESPONDEO, dicendum, quòd nullus repellendus eſt à teſtimonio, niſi vel propter ſuam malitiam: ſicut infidelis infamis, & criminoſus. Vel propter inimicitiam, vel cõiunctam amicitiam: ſicut inimicus, & perſona coniuncta, & domeſtica. Vel propter libertatis carentiam, ſicut ſeruus. Vel propter boni temporalis indigentiam, ſicut pauper. Nullo autem iſtorum modorum Notarij teſtimonium eſt repellendum, maxime cum ipſe ſit auctor inſtrumenti, & ſubſcriptionis teſtium. Vnde valet teſtimonium eius non ſolum tamquam teſtis, ſed ſicut Auctoris teſtium, & inſtrumenti, & documenti.

Ad Argumenta.

F AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ officiũ iudicis non eſt informare, & fidem documento præſtare: ſed potius informari de his, quæ proponuntur. pertinet autem informare ad notarium. ideo teſtimonio notarij, & ſcripturæ ſuæ creditur, non autem iudicis.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd valet teſtimonium eius, vt connumeratur cum alijs. Si enim ſecundum leges humanas in negotio aliquo requiruntur ſeptem teſtes, ſufficiunt ſex cum teſtimonio notarij. etſi quinque, cũ teſtimonio notarij ſufficiũt quatuor. ſecundum vero legem canonicam, & diuinam, vbi requiruntur duo, vel tres teſtes: teſtimonium notarij cum ſubſcriptis teſtibus in inſtrumento inducitur.

G AD tertium eſt dicendum, ꝙ notarius non ſubſcribitur, vt teſtis. quia ſemper intelligitur eſſe præſens per præſentiam inſtrumenti. Subſcribitur tamẽ, vt Auctor ſubſcriptionis teſtium inſtrumenti, & documenti quando dicit: Ego talis omnibus his, interfui, manu mea ſcripſi, & publicaui.

ARTICVLVS V.

VTRVM NOTARIVS FActus Religioſus poſſit Notariatus officium exercere.

Cap. ſicut te. Et ibidem Hoſtienſis, Panormitanus, & alij extra ne Cler. vel Monachi. gloſſ. & Doctores in cap. vt officium. §. Ad conſcribendas. in fine. de hæret. lib. 6.

H AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Notarius factus Religioſus non poſſit Notariatus officium exercere. Quia homo mortuus mundo non poteſt exercere officium viuẽtium in mundo: ſed Notarius factus Religioſus, mortuus eſt mundo, & actibus ciuilia vitæ. Ergo non poterit exercere Notariatus officium ciuiliter, & ſocialiter viuentium in mundo.

2 Præterea: Scribitur Gal. 5. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege. ſed Notarius factus Religioſus ductus eſt ſpiritu Dei. Ergo abſolutus eſt à Notariatus officio, quod eſt officium legis humanæ.

E 3 Præterea: Ad officium Notariatus requiritur, ꝙ homo ſit liber, & habeat dominium ſui actus, vt ſuperius dictum eſt. ſed Notarius factus Religioſus non habet proprium velle, nec proprium nolle. ergo non poterit tale officium exercere.

IN CONTRARIVM eſt. quia Religioſus poteſt eſſe teſtis, & eius teſtimonium recipitur. ergo eodem modo poterit conficere inſtrumentum, in quo conſcribuntur teſtes, quod pertinet ad Notariatus officium.

RESOLVTIO.

F *Notarius factus Religioſus Notariatus officiũ exercere poteſt de licentia ſui Superioris, in negotijs præſertim Eccleſiaſticis.*

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Notarius factus Religioſus non amittit poteſtatem conficiendi inſtrumenta, ſicut ſacerdos numquam amittit poteſtatem ſacerdotij, poſtquam factus eſt ſacerdos. quia ſi diſpenſaretur cum eo per illum, qui poteſt facere de Religioſo ſecularem, non oporteret, ꝙ iterum fieret Notarius. amittit ergo per introitum Religionis executiones officij in actibus, & contractibus ciuilis vitæ. quia non remanet in mundo, & ſub dominio mundanæ poteſtatis, vt actus ſecularis vitæ exercere cogatur: nõ tamẽ ex toto perdit executionem talis officij in negotijs ſpiritualibus. Vnde puto, quòd de licentia ſui ſuperioris, & ad mandatũ ſpiritualis iudicis, & in negotijs Eccleſiaſtici poteſt G Notarius factus Religioſus exercere Notariatus officium.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd duplex eſt mors: Vna naturalis, quæ eſt mors ſimpliciter. Vnde per ipſam homo totaliter abſoluitur ab actibus viuentium. Alia ſpiritualis, quæ eſt mors ſecundum quid. Vnde per eam homo non abſoluitur ab omnibus actibus viuentium, ſed ſolum ab actibus repugnantibus ſpirituali vitę. Non enim abſoluitur Religioſus ab actibus diuinorum præceptorum, & ab obedientia Eccleſiæ Prælatorum: ſed ſolum ab actibus ſecularium negotiorum, & ab obedientia H temporalium dominorum.

AD ſecundũ eſt dicendum, quòd qui ſpiritu ducitur non eſt ſub legis ſeruitute: vel ſub legis mundanæ coactione. Eſt tamen ſub legis diuinæ, & canonicæ obligatione. Vnde ad præceptum Eccleſiaſtici Prælati in foro Eccleſiaſtici iudicij poteſt, & tenetur receptæ poteſtatis officium exercere.

AD tertium dicitur, ꝙ ideo requiritur velle, & præceptum Superioris ad exequẽdum prædictum officium. quia ipſe proprium velle non habet.

ARTICVLVS VI.

VTRVM CLERICI POSSINT exercere Notariatus officium.

Pleniſſimè de materia huius articuli Panormitanus, & alij in cap. Sicut te. extra ne Cler. vel Monachi.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Clerici non poſſint exercere Notariatus officium. Clerici enim nō poſſunt exercere ſine tranſgreſſione mādati, qđ eis interdicitur, & prohibetur per Eccleſiam: Sed ſcribitur extra, ne Cler. vel Mon. nego. ſe. immiſ. c. Sicut. Clericis in ſacris ordinibus cōſtitutis Tabellionatus officium interdicas per ſubtractionem eorum beneficiorum.

2 Præterea: Clerici aſſumpti ſunt ad militiā Chriſti: ſed nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus, vt ſcribitur 2. Tim. 2. Non ergo poſſunt Tabellionatus officium exercere, quod eſt ſeculare negotium.

3 Præterea: Notariatus officium ordinatur ad lucrum temporale, ſicut iudicium Aduocati, & Procuratoris. Sed ſcribitur extra in Decre. ſupra alleg. Sacerdotibus Clericis tuis denuncies publicè, ne Miniſtri Laicorum fiant, nec in rebus eorum Procuratores exiſtant.

IN CONTRARIVM eſt: quia conſuetudo per Eccleſiam approbata pro lege tenenda eſt, ſecundum Aug. ſed in quibuſdam ciuitatibus Clerici, & Sacerdotes exercent Notariatus officium. Epiſt. 558. ad Ian. Tomo 2.

RESOLVTIO.

Clerici in negotijs Eccleſiaſticis Notariatus officiū exercere poſſunt: in ſecularibus, non item.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut ſcribitur 96. diſt. cap. Cum ad verum. Homo Chriſtus Ieſus mediator Dei, & hominum; actibus proprijs, & dignitatibus diſtinctis propria officia vtriuſq; poteſtatis ſecularis, & ſpiritualis diſcreuit. In ſecularibus ergo negotijs planum eſt, quòd Clerici Tabellionatus officium exercere non debent, nec Epiſcopi diſſimulantes in eorum diœceſibus, vt eorum Clerici exerceant Notariatus officium in negotijs, & contractibus ſecularibus, propter tenuitatem beneficiorum, à peccato excuſari poſſunt, cum ipſi cōtra communem prohibitionem Sedis Apoſtolicæ diſpēſare nequeant. In Eccleſiaſticis tamen negotijs, & in foro Eccleſiaſtico, puto, quòd Clerici Notariatus officium poſſunt exercere: & ipſi Epiſcopi ad tale officium exercendum poſſunt eos inſtituere. Vt ſicut Iudices ſeculares in actibus, & contractibus ſecularibus habent Notarios ſeculares: ſic Iudices ſpirituales in negotijs, & contractibus ſpiritualibus Clericos, & non ſeculares admittant.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd illa Decret. inſeritur ſub illa rubrica Ne Mon. vel Cle. immiſc. ſe nego. ſecu. Vnde prohibitio illa videtur ſe extendere, vt ſolum in negotijs ſecularibus Clerici tabellionatus officium exercere non debeant, in Eccleſiaſticis verò eo ipſo, ꝙ non prohibetur, videtur eſſe conceſſum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ ſicut gloſſa dicit ſuper illo verbo: Negotia ſecularia ſunt, cum animus occupatur cura colligendæ pecuniæ ſine labore corporis, vt negotiatores, vel mercatores faciunt: quibus negotijs occupari ex toto Clericis interdicitur: iuſta tamen, & Eccleſiaſtica negotia propter diuerſas neceſſitates tractare nō interdicitur Clericis: quia legimus ſanctos Apoſtolos negotiatos fuiſſe: & in regula Beati Benedicti præcipitur prouideri, per quorum manus negotia monaſterij procurentur. Sicut in Decre. ſupra inducta inducitur.

AD tertium dicitur, quòd illa prohibitio Procuratoris fit Clericis, vt procurationes villarum, aut iuriſdictiones ſeculares ſub aliquibus Principibus, vel ſecularibus viris nullatenus aſſumere, & exercere debeant, quia indignum eſt illis ab Eccleſijs ſubueniri, per quos conſtat in Eccleſia ſcandalum generari.

QVAEST. CXI. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN ADVOCATIS.

VLTERIVS conſiderandum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Aduocatis. Circa quod quæruntur Septem.

Primo, Vtrum Clerici abſque peccato Aduocationis officiũ poſſint exercere.

Secundo, Vtrum omnes Laici indifferenter ad officium Aduocationis ſine peccato poſſint admitti.

Tertio, Vtrum Aduocati teneantur ex præcepto Dei negare patrocinium in cauſa iniuſta.

Quarto, Vtrum Aduocati ſine peccato contra aduerſarium poſſint vti inſidijs, & fallacijs.

Quinto, Vtrum Aduocati teneantur ad reſtitutionem recepti ſtipendij, ſi ex eorum negligentia perdatur cauſa, quam aſſumunt. F

Sexto, Vtrum Aduocati accipientes ſalarium vltra quantitatem in iure taxatam, teneantur ad reſtitutionem.

Septimo, Vtrum Aduocati ſine peccato poſſint pactum facere cum litigatore de media, vel quarta portione litis.

ARTICVLVS I.

VTRVM CLERICI POSSINT abſque peccato Aduocationis officium exercere. G

Vide textum, & ibi Doctores in cap. Clerici, & in c. Cum Sacerdotis, extra de poſtulan.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Clerici abſque peccato non poſſint Aduocationis officium exercere. Si enim Clerici poſſent eſſe Aduocati, vbique, & in qualibet cauſa poſſent aduocare. Sed ſcribitur extra de poſtulan. cap. Cum Sacerdotis. Clericus, qui contra Eccleſiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis Aduocatus, uel Procurator eſſe præſumit, tamquàm ingratus debet eiuſdem Eccleſiæ beneficio expoliari. H

2 Præterea: Aduocatio non poteſt fieri ſine litigatione. Sed ſcribitur 2. Tim. 2. Quia ſerui Dei non debent litigare, ſed manſueti eſſe ad omnes. Clericis ergo, qui ad Dei ſeruitium aſſumuntur, interdictum eſt aduocare.

E 3 Præterea: Scribitur extra de poſtulan. cap. Clerici. Clerici in ſubdiaconatu, & ſupra, in ordinibus quoque minoribus, ſi ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtententur, coram ſeculari iudice Aduocati fieri nõ præſumant.

IN CONTRARIVM eſt, quia aduocare pro iuſtitia eſt opus pietatis, de quo opere Beatus Iob ſe commendabat, cum dicebat Iob 29. Pater erã pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam: conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam: tale autẽ opus exercere maximè conuenit Clericis.

RESOLVTIO.

Clericis abſque peccato Aduocationis officiũ exercere prohibetur coram Iudice ſeculari; ſed coram Iudice Eccleſiaſtico non item; cum ſit pietatis opus.

RESPONDEO, dicendũ, ꝙ Clericos Aduocationis officium ſine peccato poſſe exercere dupliciter poteſt intelligi. Primo, quòd ſint Aduocati coràm Iudice ſeculari: Et ſic planum eſt, eis vniuerſaliter interdictum eſſe, vt patet ex Decre. ſuperius inducta, niſi propriam cauſam, vel eorum Eccleſiæ proſequantur, aut tale officium aſſumant pro miſerabilibus perſonis, quæ proprias cauſas adminiſtrare non poſſunt. Secundo, quòd fiant Aduocati coram Iudice Eccleſiaſtico: Et ſic puto, ꝙ poſſint huiuſmodi officiũ ſine peccato exercere, quatuor conditionibus dumtaxat ſeruatis. Primo, quòd diuinum officium, cui deſeruiũt, per talem aduocationem in nullo impediatur. Secundo, ꝙ talis Aduocatio ſine lite, & clamore, & ſine nimio ardore temporalis lucri exerceatur. Tertio, ꝙ nullum negotium ſeculare in tali aduocatione aſſumatur. Quarto, quòd de licentia Superioris tale officium exequatur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, ꝙ ſicut Aduocatus fiſci contra fiſcum aduocare non debet: ſic beneficiatus in aliqua Eccleſia ſiue Laicus ſit: ſiue Clericus beneficio illius Eccleſiæ expoliari poteſt, ſi contra illam deprehenſus fuerit aduocare. Si quis autem beneficium habeat in duabus Eccleſijs: dicunt aliqui, ꝙ pro illa Eccleſia aduocare tenetur, in qua habet beneficium cum aliqua dignitate. Sed verius eſt dicere, ꝙ pro illa tenetur aduocare, quę habet

A bet iuſtitiæ æquitatem. Nec puto, quòd aſſumẽs aduocationem capituli contra Epiſcopum, vel Epiſcopi contra capitulum: vel vnius Canonici contra alium: deberet ex hoc beneficio illius Eccleſiæ expoliari. quia cum omnes iſti ſint de vno corpore, vnus non debet reputari extraneus reſpectu alterius, maxime cum agitatur cauſa de iure Epiſcopi, vt Epiſcopus eſt, & Canonicorum, vt canonici ſunt. Secus autẽ eſſet, ſi agitaretur cauſa de bonis hæreditarijs.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd clamor, & litigatio non eſt de ratione aduocationis, immo (vt dicit Iſidorus in lib. 3. c. 56. de ſummo bono) verboſi, & clamoroſi aduocati, vt ſapientes videantur, non diſcutiunt cauſas, ſed aſſerunt, & ſic conturbant iudicij ordinem.

AD tertium eſt dicendum, ꝙ Decre. illa exponit ſeipſam. prohibet enim Clericis, ne coram iudice ſeculari in negotijs ſecularibus aduocare præſumant. B Eo ergo ipſo, quòd eis non prohibetur aduocare coram iudice Eccleſiaſtico, & in cauſis Eccleſiaſticis, intelligitur eis eſſe conceſſum.

ARTICVLVS II.

VTRVM OMNES LAICI INdifferenter poſſint abſque peccato ad aduocationis officiũ admitti.

Canoniſtæ in cap. infames 3. q. 7. & B. Thomas 2. 2. q. 71. art. 2. & late Syluester inſumma verbo, Aduocatus, quæſt. 2.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, quòd omnes Laici indifferenter abſque peccato ad aduocationis officium admitti poſſunt. Dicit enim Apoſtol. 1. Cor. 6. Secularia iudicia ſi habueritis, contẽptibiles, qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Et appellat contemptibiles homines, qui ſunt in Eccleſia minoris meriti: & nullis magnorum donorum virtutibus pollent, vt Greg. exponit. Ergo omnes Laici indifferenter cuiuſcumque meriti, & conditionis exiſtant, aſſumi poſſunt ad aduocandum, & iudicandum in negotijs ſecularibus.

Lib. 19. Mosal. cap. 14.

2 Præterea: Perſona, quę non repellitur à iudicio: non eſt reuocanda ab aduocatione. quia maius eſt iudicare, quàm aduocare. ſed in veteri teſtamento mulieres quandoq; conſtitutę ſunt ad iudicandum, vt patet 3. Reg. 19. de Iezabel. Ergo non debent repelli ab aduocatione.

3 Præterea: Omnibus conceditur poſſe aduocare pro ſeipſis. Ergo eodem modo pro alijs. cum homo teneatur diligere proximum, ſicut ſeipſum.

IN CONTRARIVM eſt; quod ſcribitur 3. q. 7. cap. Tria ſunt.†

† al. incipit infamis.

RESOLVTIO.

Laici omnes indifferenter abſque peccato ad officiũ aduocationis admitti non poſſunt.

RESPONDEO, dicendum, quòd Aduocati, quantum ad præſens, quinque debent habere, vt uerum, & iuſtum patrocinium præſtare poſſint in cauſa, quam defendendam aſſumunt. Primo namque eſt neceſſarium, vt in intellectu habeant ſcientiam. Et ſic pueri ſtulti, & furioſi repelluntur ab aduocatione: quia cõſtat eos cognitione carere. Secundo, vt in affectu habeant conſtantiam. Et ſic mulieres ſicut non admittuntur ad prædicandum, ſic nec debent admitti ad aduocandum, magis enim ex ipſarum colloquio habẽt prouocare ad luxuriam, quàm ad iuſtitiam. Tertio in allegatione eloquentiam. Et ſic ſurdi, & muti arcentur ab aduocatione. Quarto in reſponſione clementiam. Et ſic pretio pugnantes cum beſtijs, vel infames, ſeu criminoſi ab aduocatione repelluntur: quia qui ſibi ipſis crudeles ſunt, alijs clementes eſſe non poſſunt. Quinto in executione liberam licentiam: & ſic ſerui, qui non habent dominiũ ſui actus, ad aduocationẽ nõ admittuntur. Nam propter ſcientiam Aduocati non decipiuntur. propter conſtantiam non peruertuntur. propter eloquentiam non confunduntur. propter clementiam non iraſcuntur. & propter liberam licentiam non repelluntur.

Ad Argumenta.

C AD PRIMVM ergo eſt dicendum; ꝙ contemptibiles ibi Apoſtolus appellat communiter omnes ſeculares, reſpectu Clericorum, & Religioſorum qui ſunt maioris meriti, & maioribus officijs obligati, quàm ſeculares. Vnde hac de cauſa arcentur ipſi ab aduocationis officio coram iudice ſeculari, & in negotijs ſecularibus. Inter ipſos tamen ſeculares aliqui ſic ſunt contemptibiles, vel ex impotentia, vel ex ignorantia: ſeu ex perpetrata malitia, quòd eis per iura officium aduocationis eſt interdictum.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ in veteri teſtamento ex cauſa potuit eſſe promiſſum, vt fœminæ iudicarent illum effœminatum populum. nunc autem prohibentur docere, & iudicare per ſe, ſed non per alios. Si enim ſunt Reginæ, Duciſſæ, vel Comitiſſæ, D per alios iudicare, vel aduocare poſſunt.

AD tertium eſt dicẽdum, quòd maior imminet neceſſitas homini patrocinari cauſæ ſuæ, quàm cauſis aliorũ, cum alij poſſint ſibi aliter ſubuenire. Vnde non ſic arcetur homo aduocare in cauſa propria, ſicut in cauſa aliena.

ARTICVLVS III.

VTRVM ADVOCATI EX præcepto Dei teneantur patrocinium negare in cauſa iniuſta.

B. Thomas 2.2. quæſt. 71. art. 3. & Syluester in ſumma, verbo, Aduocatus quæſt. 10.

AD tertium ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Aduocati ex præcepto Dei non teneantur patrocinium negare in cauſa iniuſta; Ignorantia enim excuſat à peccato: Iuxta illud 1. Tim. 1. Miſericordiã conſecutus, quia ignorans feci. Sed cauſam iuſtam aduocatus certitudinaliter ſcire non poteſt, cum humanæ iuſtitiæ ad examen diuinæ iuſtitiæ deductæ, pannus menſtruatæ appelletur Iſaiæ 64.

2 Præterea: Aduocatus in nullo caſu tenetur fauere parti contrariæ, cuius cauſam defendendam recipit, immo tenetur ſecreta omnia ſibi celare. ſed ſi Aduocatus deſereret cauſam ſuſceptam, cognito, ꝙ eſſet iniuſta, iam ipſo facto fauorem tribueret aduerſario.

3 Præterea: Aduocatio eſt quædam diſputatio: ſed nõ eſt peccatum in diſputatione adducere rationes pro, & contra veritatem, quam quis nouit. Ergo eodem modo in aduocatione adducere rationes pro, G & contra veritatem, quam quis nouit, ſine peccato fieri poteſt.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Prouer. 17. Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abhominabilis eſt vterque apud Deum.

RESOLVTIO.

Aduocati in cauſa iniuſta patrocinium negare debent: aliter peccant, & excuſari non poſſunt, & ad reſtitutionem tenentur, niſi illud ex ignorantia præſtent, quæ eos vel à toto, vel à parte excuſare poteſt.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ præſtare patrocinium in cauſa iniuſta poteſt contingere ex cauſa triplici aggrauante peccatum. H Primo ex cupiditatis auaritia: multi enim ſolum, quòd poſſint lucrum habere, dicũt malum bonum, & iniuſtum iuſtum: ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem: de quibus ſcribitur Iſa. 5. Væ qui iuſtificatis impiũ pro muneribus, & iuſtitiam iuſti auferetis ab eo. Secundo ex certa ſcientia: multi enim ſciunt cauſam eſſe iniuſtã, pro qua aduocãt: ſed vel ex carnali affectione, vel ex amicitię copulatione ſcienter in tali cauſa iniuſta patrociniũ præſtãt, qui iuſte irã Domini merẽtur. Iuxta illud 2. Paralip. 19. Impio præbes auxilium, & his, qui oderunt Dominum, amicitia iungeris: & idcirco iram Domini merebaris. Tertio ex quadam inani gloria. multi enim cupientes videri periti in iure, & famoſi haberi in populo, iniuſtam E cauſam defendendam aſſumunt, & cupientes videri habere in intellectu iuris ſcientiam, non curant in detrimentum alterius, perdere in voluntate iuſtitiã. His ergo tribus modis puto, ꝙ Aduocati præſtantes patrocinium in cauſa iniuſta ad reſtitutionem tenentur totius damni, quod contra iuſtitiam altera pars incurrit per eorum auxilium. Si vero huiuſmodi patrocinium præſtant ex ignorantia: excuſari poſſunt eo modo, quo ignorantia excuſare habet à toto, vel à parte.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd Aduocati nõ tenentur ſcire cauſam eſſe iuſtam ſecundũ diuinæ legis ſententiam, ſed ſolum ſecundum huma- F næ legis iuſtitiam. Planum eſt enim, quòd multa lex permittit, & impunita relinquit, quæ per diuinam legem iudicabuntur ſecundum Augu. Tenentur ergo ſcire cauſam eſſe iuſtam, vel iniuſtam ſecundum humanam legem, & ſecundum, quòd agitatur in humano iudicio coram temporali iudice. 1. de lib. arbitr. cap. 5. Tomo 1.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd Aduocati ſi poſtquam ſuſcipiunt cauſam, cognoſcant cauſam iniuſtam, debẽt inducere illũ, cuius cauſam agunt, ad cedendum in lite, & ad componendum cum aduerſario ſine ipſius damno: vel tenentur ipſam deſerere. nec ex hoc præſtãt parti contrariæ fauorem; quia multis modis cauſa exiſtente iuſta, Aduocati poſſunt officium aduocationis dimittere.

AD tertium dicitur, quòd in diſputatione adducuntur rationes pro, & contra veritatem, vt ex ſolutione dubitatorum magis veritas elucеſcat. Sed in aduocatione adducuntur obiectiones pro, & contra, vt cauſa determinetur pro altera parte. Ideo ſi ex obiectionibus adductis cauſa iniuſta determinatur pro vno, læditur iniuſtitia pars oppoſita. Vnde non eſt ſimile.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM ADVOCATI POSſint abſque peccato vti inſidijs, & fallacijs contra aduerſarium.

H B. Thomas 2.2. q. 71. art. 3. ad 3. argum. Syluester in ſumma, verbo, Aduocatus quæſt. 9. & 12.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Aduocati abſque peccato poſſint vti inſidijs, & fallacijs cõtra aduerſariũ. Quod enim ſancti Patres fecerunt, Dei auctoritate ſine peccato obſeruari poteſt. Sed ſcribitur Ioſuæ 8. Ponite inſidias poſt ciuitatem, vobisque fugientibus, & illis perſequentibus conſurgetis de inſidijs, & vaſtabitis ciuitatem.

2 Præterea: Defendere cauſam iuſtam ſemper eſt licitum. Sed contingit quandoque aduerſarium ad impugnandã cauſam iuſtã falſos teſtes introducere.

A Ergo ad defendendam cauſam inſtam videtur licitum eſſe, quòd falſi teſtes introduci poſſent.

Præterea: Simulatio (vt Hierony. dicit, & ponitur 22. q. 2. c. Vtilem) quandoque eſt vtilis, & tempore, & loco aſſumenda. Ergo in cauſa iuſta ſine peccato Aduocati poſſunt inſidias, & fallacias diſſimulare, vt in cauſa non ſuccumbant.

In Contrarium eſt, quod dicit Aug. in lib. de honeſtate Clericorum. Vbi dicit, q̃ callidi argumentatores, & iuriſperiti fallaces, dum cupiunt præuaricari cõtrouerſias, actioneſque cauſarum: etiã ipſa iura tranſuertunt, & cum volunt competẽtibus cohercere iuſſionibus legum, ad illudendos iudices: inconuenientibus exemplis, velut ſimiles coniecturas iuris obijciunt.

B

Resolutio.

Aduocati abſq; peccato vti nõ poſſunt inſidijs, & fallacijs etiam in defendenda cauſa iuſta.

Respondeo, dicendum, q̃ ſicut dicit Philoſophus 2. Ethico. Iuſti non ſunt, qui iuſta faciunt, ſed qui iuſtè. poſſunt enim iniuſti iuſta exercere, ſed non iuſtè. Ad hoc ergo, quòd Aduocati ſine peccato eorum officium exequantur: expedit, quòd non ſolum in cauſa iuſta patrocinium præſtent: immo requiritur, quòd iuſtè, & per iuſta media hoc faciant, puta, quòd non producant falſa inſtrumenta: vel falſos, & corruptos teſtes: vel quòd inducant mẽdacia falſa, & falſas leges, ſeu indebitas facti probationes. Tales enim Aug. callidos argumentatores, & iuriſperitos fallaces appellat.

cap. 4 circa medium.

C

Ad Argumenta.

Ad Primum ergo eſt dicendum, q̃ in iuſto corporali bello licet inſidijs † vti, eo quòd iudex belli ea, quæ facere intendit, non tenetur hoſtibus pandere: non tamen debet fidẽ promiſſam hoſtibus frangere. ſic aduocatis defendentibus cauſam iuſtam licitum eſt prudenter occultare illa, quibus impediri poſſunt eorum proceſſus, non tamen eſt eis licitum aliqua falſitate vti.

† B Thom. 2. 2 q. 40 art. 3.

Ad ſecundum eſt dicendum, quòd teſtes ſemper admittuntur iurati. ideo quantumcumque in cauſa iuſta introducerentur teſtes falſi, periurium non euitatur. puto tamen, q̃ ſi cauſa eſt pecuniaria, vt quòd D pecunia iniuſtè ſubtracta ſit ab aliquo, non tenetur quis ad reſtitutionem, ſi per media inconuenientia, & per falſam aduocationem cauſa vincatur, quamuis tam aduocati, quàm alij conſcij prædictæ falſitatis aliter ſint puniendi.

Ad tertium eſt dicendum, quòd ſimulatio tempore, & loco eſt vtenda, non ad nocendum fraudulẽter alicui: ſed vel ad aliquod periculum euitandum, ſicut Dauid ſimulauit ſe eſſe fatuum, & furioſum, vt euaderet mortem: vel ad aliquid vtile conſequendum ad cultum Dei pertinens: ſicut Iehu ſimulauit ſe velle colere Baal, vt interficeret ſacerdotes eius, qui populum Dei ad idolatriam inducebant, vt patet 3. Reg. 10.

A

Articulus V.

Utrum Aduocati teneantur ad reſtitutionẽ recepti ſtipendij, ſi ex eorũ negligentia cauſam, quam aſſumunt, perdant.

Syluester in ſumma verbo, Aduocatus, quæſt. 24.

Ad quintum ſic proceditur. Videtur enim, q̃ Aduocati non tenentur ad reſtitutionem recepti ſtipendij, ſi ex eorum negligentia cauſam, quam aſſumunt, perdant. Cauſa enim non poteſt vin-

B ci ſine læſione alterius partis. Sed ſcribitur auctoritate Ambroſij 14. q. 5. c. Denique: Denique ſi non poteſt alteri ſubueniri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum iuuari, quàm grauari alterum.

2 Præterea: Aduocati non tenentur ſe periculo exponere, ſed quandoque ſi ipſi nimis auide, & ſollicite cauſam aſſumptam procurant, periculo perſonarum ſe exponunt, cum in præiudicium alterius partis hoc videantur agere.

3 Præterea: Aliquãdo cauſa iuſta perditur ex malitia iudicis, vel ex falſis teſtibus inductis. Non ergo aduocati tenentur ad reſtitutionem recepti ſtipẽdij.

In Contrarium eſt, quia qui cauſam damni dat, ipſum damnum dediſſe videtur. ſed

C Aduocati videntur eſſe cauſa damni, ex quo cauſa perditur eorum negligentia.

Resolutio.

Aduocati ſi ex neſciẽtia iuris, vel ex pigritia, vel fraudulentia cauſam, quam aſſumunt, perdant, ad reſtitutionem accepti ſtipendij tenentur: ſed ſi nihil eorum, quæ ad officium aduocationis pertinent, non omittunt, non item.

Respondeo, dicendum, quòd tribus modis, quantum ad præſens, ex negligentia Aduocatorum poteſt iuſta cauſa perdi. Primo ex eorum neſcientia. Si enim dicunt ſe ſcire iura, quibus in cau-

D ſa poſſit patrocinium præſtari: & neſciunt, vel ſi ſciunt, nolunt laborare, plene de cauſa ſe informãdo, vel ſtudendo in libris, & diſputando ſi neceſſe eſt cũ alijs peritis, vt puto, ad reſtitutionem tenentur. Non enim Iuriſperitus rectũ conſiliũ iuſtè vẽdere poteſt. niſi ratione laboris, quem in conſulendo patitur. niſi forte eſſet talis ingenij, vel tantæ experientiæ, q̃ abſq; ſuo magno labore poſſet rectũ conſiliũ dare, & iuſtũ patrociniũ in cauſa præſtare. Secundo, ex eorum pigritia. ſi enim nollẽt comparere die à Iudice conſtituta, quãdo vel eſſet allegandũ, vel concludendũ, in cauſa, ex certa forte malitia, vt eorũ ſalariũ augmẽtaretur & ex hoc cauſa pderetur, ad reſtitutionẽ tenẽtur. Tertio ex eorũ fraudulẽtia. Si enim fraudulẽter agant, vt dicãt iura illius, cuius cauſam aſſumunt, non valere:

corrupti forte muneribus per aduerſarium eodem mudu ad reſtitutionem teneutur. Sed ſi uihil umittunt de contigentibus eorum, quæ pertiuent ad aduocatiunis uſſicium: quantumcumque cauſa perdatur, ad reſtitutionem uon tenentur.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergu eſt diceudum, ꝙ dictum illud Ambroſij intelligitur de Clericis, & Sacerdutibus, quibus prohibitum eſt coram iudice ſeculari aduocare. Vnde ibi ſtatim ſubditur: In cauſis pecuniarijs interuenire nuu eſt ſacerdutale. in quibus nũ poteſt fieri, quin frequenter alter lædatur, qui couincitur, eo, ꝙ Sacerdutis eſt nulli nocere, & prodeſſe vniuerſaliter umnibus. Vel poteſt dici dictum Amb. intelligi de illis, qui nou ſunt aſtricti ex promiſſiune alterum iuuare, & patrocinium in cauſa eius præſtare. Sed quandu ex prumiſſione ubligati ſunt, abſque peccatu poſſunt, & tenentur partem, quam defendẽdam aſſumunt, iuuare: ſi cauſam iuſtam ſciunt habere. Vel tertio modo poteſt dici, ꝙ iuuandu habentẽ iuſtam cauſam contra alium, ille nun læditur, quamuis lædi ſe dicat: Ex quu enim iniuſtam cauſam vult defendere: magis lædit, quàm lædatur. & ſi læditur in rei temporalis, quam iniuſte detinebat, ſpoliatione: iuuatur tameu potius, quàm lædatur iu iuris alieni reſtitutiuue.

Ad ſecundum dicitur, quòd aduocati non debent procaciter, & conuiciando, vel aduerſarius condemnando, & vituperaudu aduocare. quæ habent ipſos aduerſarios ad odium, & rancorem aduocatorum inducere. ſed inducendu veras leges, & vera teſtimonia, & cauſam iuſtam humiliter, & prudenter defendendo, non expouunt ſe periculo effectiue cauſam periculi præbendu, niſi forte paſſiue. quia non recipiuut ſtulti verba iuſtitiæ, & prudentiæ: uiſi dicantur illa, quæ verſantur in cordibus eorum, vt ſcribitur Prouer. 18.

Ad tertium patet ſolutiu. quia ſi non perditur cauſa ex eorum negligentia, vel malitia iuſte poſſunt retiuere receptum ſtipendium.

ARTICVLVS VI.

VTRVM ADVOCATI ACCIpientes ſalarium vltra quantitatem in iure eis taxatam teneantur ad reſtitutionem.

B. Thomas 2. 2. q. 71. art. 4. & Syluester in ſumma verbo: Aduocatus quæſt. 17.

AD ſextum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Aduocati accipientes ſalarium vltra quantitatem in iure eis taxatam, teneantur ad reſtitutionem. Sicut enim non licet iudici agere coutra legem, ſic non licet Aduocatus recipere vltra quantitatem eis taxatam à Legiſlatore. ſed Le-

E giſlatures ſunt Papa, & Imperatur, & vterq; taxat eis quantitatẽ terminatam. Nam Greg X. † in conſtitutiune edita in conſilio Lugdun. taxat aduocato 20. lib. Thuronẽſes. † ff. De varijs l. Procuraturi veru § 2. Imperator veru dicit cumputandum eſſe id, quod datum eſt cum eo, quud debetur. neutrumque compoſitum licitam quantitatem excedat. licita autem quantitas intelligitur pru ſingulis cauſis vſque ad centum aureos.

† Vide c. ſtatutum §. aſſeſſore. de reſcript. lib. 6.

† l. præſens prouinciæ, §. in honorarijs ff. de varijs, & extraordi. cognition.

2 Pręterea: Iudex non poteſt aliquid accipere pro ſuu iudicio, nec teſtis pro ſuo teſtimonio. Ergo nec Aduocatus pro ſuo patrociuio.

3 Pręterea: Spirituale non poteſt vendi pro re temporali. Sed couſilium, & patrocinium præſtare eſt quid ſpirituale. Quicquid ergo inde recipitur tamquam ſimoniacum teneri uon poteſt.

F In Contrarivm eſt, quod dicit Auguſtinus iu Epi. ad Macedonium: Iuſte Aduocatus vendit rectum patrocinium, & Iuriſperitus verum couſilium. Epiſt. 58. Tomo. 1.

RESOLVTIO.

Aduocati ſalarium vltra quantitatem in iure eis taxatam accipientes ad reſtitutionem non tenentur conſideratis ijs, quę conſiderari debent.

Respondeo, dicendum, quòd in iuſtitia diſtributiua non culpatur, ſi maius beneficiũ confertur vni, & minus alteri, conſideratis cũditionibus perſunarum, laborum, uegotiorum, temporum, &
G locorum. Dicit enim Leo Papa. 61. di. c. Miramur; ꝙ ſicut ad honores mundi ſine ſuffragio temporis ſiue meritu laboris indignum eſt perueniri, & notari ambitus ſulent, quos prubitatis documeuta non adiuuant. ſic pro laboribus plurimis, pro moribus caſtis, pru actibus ſtrenuis celſioris loci pręmium debetur. Eodem modu in iuſtitia commutatiua non peccatur, ſi maius ſalarium detur vni Aduocato, & minus alteri, penſatis couditionibus perſonarum, quantitate negotiorum, qualitate laborum, exigentia temporum; & conſuetudine locorum.

Ad Argumenta.

Ad Primvm ergo eſt dicendum, ꝙ taxa-
H tio illa facta per Papam, vel Imperatorem intelligenda eſt vniuerſaliter. puta, quòd moderatum ſalariũ ab Aduocatis, & Iuriſperitis petatur. particulariter tamen poteſt augeri, & minui ſecundum augmentum, & diminutionem dignitatis perſonarum, & cauſarum, & aliarum couditionum ſuprapoſitarum.

Ad ſecundum dicitur, quòd ſicut Aug. dicit ibi, non ideo debet iudex iuſtum iudicium vendere, & teſtis verum teſtimoniũ, quia Aduocatus vendit rectum patrocinium, & Iuriſconſultus verum conſilium: Quia illi inter vtramq; partem ad examen adhibentur, iſti autem ex vna parte conſiſtunt. iuſta autem iudicia, & uera teſtimonia vendenda uon ſunt.

Ad tertium dicitur, quòd quamuis ſcientia iuris, ſicut & quælibet ſcientia, ſit quoddam ſpirituale:

vſus

vſus tamen eius opere corporali exercetur. Ideo pro recompenſatione laboris poteſt homo recipere pecunias, moderatè tamen ſecundum conditiones ſuprapoſitas. Si autem immoderatè Aduocati per improbitatem, vel nimiam cupiditatem vltra debitã quãtitatem reciperent. Aug. ibidem dicit, ꝙ tenetur reſtituere illis, à quibus extorquent.

ARTICVLVS VII.

VTR. ADVOCATI POSSINT abſque peccato pactum facere cum litigatore de media, vel quarta portione litis.

Bartholus in l. ſi quis Aduocatorum. C. de poſtulan. Et latè Sylueſter in Summa, verbo: Aduocatus, q. 19.

AD ſeptimum ſic proceditur. Videtur enim, quòd Aduocati abſque peccato poſſint pactum facere cum litigatore de media, vel quarta portione litis. Idem enim videtur eſſe iudicium de Aduocato ſpirituali, & temporali. Sed Aduocatus ſpiritualis, vt Sacerdos Parochialis poteſt petere quartam, vel mediam portionẽ à ſuis Parochianis, qui in ſua Eccleſia non eligunt ſepeliri de bonis relictis ab eis, vt patet extra de ſepul. Cap. Cum. Ergo eodem modo licet Aduocato temporali petere mediam, vel quartam partem rei, quæ defenditur, vel petitur.

2 Præterea: Aduocatus poteſt paciſci cũ litigatore de ſalario ſecundum quantitatem determinatam. Ergo eodem modo de determinata quantitate litis, quæ aſſumitur defendenda paciſci poteſt.

3 Præterea: Quandoque nullum pactum interuenit inter Aduocatum, & litigatorem. Ergo in tali caſu de aliqua parte litis terminatæ debet Aduocato prouideri.

In Contrarivm eſt, quod ſcribitur 3. q. 7. cap. Infames.

RESOLVTIO.

Aduocatis pactum facere cum litigatore de media, vel quarta portione litis non licet, cum ipſe nõ ſit particeps iuris, ſed vt coadiutor ipſum in ſuam recepit fidem.

RESPONDEO, dicendum, ꝙ Aduocatus nõ inducitur in cauſa litis, vt particeps iuris: ſed vt coadiutor, & locator operis artis ſuæ per rectum conſilium, & per iuſtum patrocinium. Ideo non licet Aduocato vllum contractum inire, vllam pactionem conferre cum litigatore, quem in propriam re-A cepit fidem. Sicut patet 3. q. 7. cap. Si quis procax: nec ex induſtria iurgium debet protrahere. talia. n. interdicuntur Aduocatis ad reprimendam cupiditatem, & turpe lucrum, & ſtipendium deforme. Nam ſi ipſi lucro pecuniarum capiantur, veluti abiecti, & degeneres inter viliſſimos numerabuntur.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, quòd de iure naturali, & diuino eſt, vt adminiſtrans ſpiritualia portionem aliquam bonorum temporalium illorũ, quibus adminiſtrat, recipere poſſit, mediam, vel quartã ſeu tertiam ſecundum conſuetudinem loci. Vnde de iure naturali eſt, vt eligentes ſepulturam alibi, ꝗ B in Eccleſia Parochiali, ipſa Parochialis Eccleſia canonicam portionem habeat de relictis ab illis defunctis pro animabus ſuis illi Eccleſię, in qua eligunt ſepulturam, de relictis dico pro funeralibus exequijs. Nam de relictis pro fabrica, vel pro alijs pijs cauſis ſeu pro ſingularibus perſonis canonica portio non debetur; niſi Papa, qui eſt iuris naturalis interpres, & iuris poſitiui conditor, duxerit aliter ordinandũ, qui ſicut ius commune poteſt aliquibus ſingulariter erogare: vt de nullo portionem ſoluant: ſic poteſt infra commune ius aliquibus ſubtrahere, vt ipſi de omnibus canonicam portionem ſoluant, ſicut fecit Bonifacius VIII. in illa Decretali extrauaganti. Super cathedram, de Fratribus Minoribus, & Prædicatoribus, quibus ſicut per Sedem Apoſtolicã quã-C doque ſupra ius commune fuit indultum, vt de nullo portionem canonicam ſoluerent, ita in alia Decretali infra commune ius eſt eis ſubtractum ſingulariter: vt de omnibus dictam portionem ſoluant. Alij verò Religioſi mendicantes, & vniuerſaliter Clerici illi Decretali nullatenus ſunt aſtricti. Quia (vt ſcribitur extra de Regulis iuris) quæ à iure cõmuni exorbitant, nequaquàm ad conſequentiã ſunt trahenda. Regula 28.

AD ſecũdum dicitur, ꝙ nullus militat proprijs ſtipendijs: Ideo iuſtè poteſt Aduocatus petere determinatam partem, moderatam tamen pro ſuo ſalario, non tamen litis, vel rei, quæ defenditur, propter cauſam ſuperius aſſignatam.

AD tertium dicitur, ꝙ quando nullum certum D pactum factum eſt de ſalario, poteſt iuſtè Aduocatus implorare tunc officium Iudicis, vt pro modo ſuæ facundiæ, & ſcientiæ, & ſecũdum conſuetudinem Patrię, & ſecũdum quantitatem, & qualitatem negotij, vel laboris ſibi ſalarium tribuatur.

QVAEST. CXII. QVOMODO STATVS PERFECTIO REPRAESENTATVR IN IVDICIBVS.

VLTIMO: videndum eſt, quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Iudicibus. Circa quod quæruntur Quinque.

Primo, Vtrum Iudex poſſit mutare pœnam in lege taxatam.

Secundo, Vtrum Iudex plus ad clementiam, quàm ad rigidam iuſtitiam debeat declinare.

Tertio, Vtrum Iudex habens taxatum ſtipendium pro ſuo officio teneatur ad reſtitutionem eorũ, quę aliter recipit.

Quarto, Vtrum in eadem cauſa idem poſſit eſſe Iudex, & Aduocatus.

Quinto, Vtrum Iudex eodem iudicio debeat ab alterno Iudice iudicari, quo ipſe alios iudicat.

ARTICVLVS I.

VTRVM IVDEX POSSIT mutare pœnam in lege taxatam.

S. Thomas 2. 2. quæſt. 67. art. 4. & Dominicus Sotus lib. 5. de iuſtitia, & iure, quæſt. 4. art. 4.

AD primum ergo ſic proceditur. Videtur enim, quòd Iudex non poſſit mutare pœnam in lege taxatam. Dicit enim Ambroſius in Pſalm. 118. littera 20. ver. 4. Quòd bonus Iudex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed iuxta leges, & iura pronunciat. Pœnam ergo in iure ſtatutam non licet Iudici pro ſuo arbitrio mutare.

2 Pręterea: Virtus eſt in medio determinato à ſapiente, vt habetur 2. Ethic. Medium autem determinatum à ſapiente eſt pœna taxata in lege. Cum autem non liceat declinare à virtute ſecundum exceſſum, & ſecundum diminutionem, non licebit Iudici pœnam impoſitam augere, vel minuere.

Cap. 6.

3 Præterea: Sicut dicit Aug. in gloſſa Ioſuæ 9. Reprehēſi ſunt ſeniores Iſrael cum ipſo Ioſue: qui mutauerunt pœnam mortis determinatam in lege Gabaonitis, & Cananeis. Ergo non licet Iudici pœnam legis, quamtumcumque rigidam, mutare.

4 Præterea: Pœna à lege taxata iuſta eſt. Sed Iudex non debet à iuſtitia deuiare. Ergo non debet pœnam legis mutare.

E IN CONTRARIVM eſt; quia ſicut determinatæ ſunt pœnæ à legibus in iudicio temporali: ita aliquæ pœnæ ſunt terminatæ à Canonibus in iudicio ſpirituali. Sed non obſtante taxatione Canonũ, pœnæ in iudicio ſpirituali ſunt arbitrariæ. Ergo non obſtante taxatione legum, erunt arbitrariæ pœnæ in iudicio temporali.

RESOLVTIO.

Iudici quandoque licet pœnam in lege taxatam mu-
F *tare, ſed quantum poteſt, iudicium legis ſequi debet, circumſtantię enim caſum mutare ſolent, ipſum extenuantes, vel aggrauantes.*

RESPONDEO, dicendum, quòd differt iudiciũ legis à iudicio Iudicis. quia iudicium legis eſt vniuerſale, & de vniuerſalibus caſibus: vniuerſalia autem ſunt inuariabilia. Ideo iudicium legis de criminibus, & variabilibus eiuſdem generis, eſt vnum, & inuariabile: Iudicium verò Iudicis eſt particulare, & de particularibus caſibus: particularia vero variantur ſecundum diuerſas circumſtantias, vel in-
G triaſecas, vel extrinſecas. Ideo iudiciũ Iudicis oportet eſſe variabile. Tenetur tamen, quantum poteſt, conſequi iudicium legis. Verum quia non poteſt in omnibus, neceſſe habet aliquando mutare. Aut ergo in caſu particulari, de quo iudicat Iudex, concurrunt circumſtantiæ notabiliter caſum mutantes, & contrahentes à ſua generali malitia, aut non. Si nõ, vt puta; quando aliquis commiſit homicidium: ſi non ſunt ibi circunſtantiæ notabiliter aggrauantes, vel extenuantes factum in ipſo negotio, vel extra: tunc iudex debet ſequi iudicium legis, & pœnam legis imponere. Aut ſunt circumſtantiæ notabiliter
H caſum aggrauantes; vt ſi aliquis occidit fratrẽ ſuũ, vel amicum proditoriè: poteſt tunc rationabiliter aggrauare. Aut notabiliter attenuãtes, vt ſi quis prius iniuriatus, & vulneratus aliquem occidit, poteſt rationabiliter attenuare.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum, quòd bonus Iudex ſemper iudicat ſecundum leges, puta ſecundum legis intentionem: non tamen ſemper ſecundum legis verba. Nam, vt dicit Iuriſconſultus l. ſcire leges. ff. de legibus. Scire leges non eſt hæc verba earum tenere, ſed vim, ac poteſtatem.

AD

Ad ſecundum dicitur, quòd medium pœnæ in criminibus determinatum eſt à ſapiente Legiſlatore, prout determinari poteſt, puta in vniuerſali, non in particulari: vnde niſi addatur aliquid notabiliter mutans caſum, debet Iudex pœnam legis infligere. Si verò aliquid notabiliter additur, vel diminuitur; poteſt ipſe addere, vel diminuere: quia ſic fuit Legiſlatoris intentio.

Ad tertium dicitur, quòd Ioſue, & ſeniores Iſrael rationabiliter reprehenſi ſunt, eo, q ſine cauſa, & indiſcrete pœnam mutauerunt, cum eadẽ cauſa eſſet in Gabaonitis, quæ erat in alijs populis, qui ab introitu terræ promiſſionis filios Iſrael impediebant.

Ad quartum eſt dicendum, q pœna à lege taxata eſt iuſta in generali, non autem in quolibet caſu particulari occurrente: vnde ſi non additur aliquid notabile in particulari, ſecundum legem iudicandum eſt. Si verò aliquid additur, vel diminuitur addendum eſt, vel diminuendum. Quia licet verba legis hoc non ſonent: talis tamen fuit ſapientis Legiſlatoris intentio.

ARTICVLVS II.

VTRVM IVDEX DEBEAT plus ad rigidam iuſtitiam, quàm ad clementiam declinare.

Videantur notata per Doctores in cap. Vera iuſtitia 45. diſt. & Palatius Rubius in allegatione, in materia hæreſis. 5. xj. verſ. Et hanc opinionem.

AD ſecundum ſic proceditur. Videtur enim, q ad clementiam, quàm ad rigidam iuſtitiam debeat declinare. Scribitur enim auctoritate Gregor. 45. diſt. c. Diſciplina ineſſe debet Rectoribus & iuſtè conſulẽs miſericordia, & pie ſæuiens diſciplina: ita quòd miſceatur lenitas miſericordiæ cum ſeueritate iuſtitiæ, vt fiat ex vtroque temperamẽtum, vt neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluãtur. Non ergo magis ad clementiam, quàm ad iuſtitiam Iudex debet declinare.

2 Præterea: Vel iudex aliquid dimittit de culpa punienda, vel nihil. Si nihil. Ergo ex toto punit ſeruando iuſtitiam ſine miſericordia. Si vero aliquid dimittit. Ergo iniuſtus eſt: quia iniuſtus cenſetur ille, qui aliquid malum dimittit impunitum, & aliquod bonum irremuneratum.

3 Præterea: Iudex debet imitari, quantum poteſt, iudicium Dei. Sed Deus punit peccantem ſæueritate iuſtitiæ ſine bonitate miſericordiæ: quia cũ damnato, & in Inferno nulla fit miſericordia ex parte durationis pœnæ, cum illa ſit infinita.

In Contrarium eſt, quod ſcribitur extra de tranſact. c. vltimo. Semper procedas æquitate ſeruata, in humaniorem partem declinando, ſecundum quòd perſonas, & cauſas: tempora, & loca videris poſtulare. Et Greg. dicit, q culpa eſt in Iudice, totam culpam exigere.

RESOLVTIO.

Iudici tutius eſt ad clementiam, quàm ad rigiditatem declinare; propter quatuor rationes infra aſſignatas.

Respondeo, dicendum, quòd Iuſtitia, quãtum ad præſens, quatuor modis cõſiderari poteſt. Primo, quantum ad Iudicis condecentiam. Secundo, quantum ad ipſius rei puniendæ exigentiam. Tertio, quantum ad culpæ correſpondentiã. Quarto, quantum ad ipſius clementiæ conuenientiam.

Omnibus autem iſtis modis probari poteſt, quòd tutius, & ſecurius eſt Iudici declinare magis ad leuitatem clementiæ, quàm ad ſeueritatem iuſtitiæ. Sicut enim ſecundum Aug. ſer. 6. ad Fratres in Erem. (Tomo 10.) Deus ſemper punit ſecundum condecentiã ſuæ bonitatis: puta ſemper minus, quàm meruit ille, qui puniendus eſt. punit eo, quòd ſic non condecet bonitatem eius punire ſecundum exigentiam meritorum: quia ſic eius iuſtitia non eſſet clementia. Sic ſemper decet bonum Iudicem minus punire reum, quàm eſt puniẽdus ſecundum iuſtitiam rigoroſam: quia ſemper miſericordia ſuperexaltat iudicio, vt ſcribitur Iac. 2. Super quo verbo dicit Aug. (In Pſal. 141.) q ſupponitur miſericordia iudicio, & quaſi illuminat iudicium, quod eſt cum miſericordia: quia per ipſam commendabilius eſt, & magis placet.

Hoc idem patet ſecundo, ſi comparetur iuſtitia ad meritum illius, qui puniendus eſt, ſecundum exigentiam meritorum. Sicut enim Deus ſemper punit citra condignum, & numquàm punit ſecũdum totam exigentiam culpæ illius, qui puniendus eſt: ſic Iudex in puniendo, hunc modum debet ſeruare: vnde ſuper illo verbo Iacobi 3. Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non facit miſericordiam. Dicit August. (Epi. ad Maced. 54.) quòd ſemper Iudex debet miſericorditer agere. quia ſi potuit, & non fecit miſericordiam, anteq̃ iudicaretur, ſine miſericordia iudicabitur.

Tertio iſtud patet ſi comparetur iuſtitia ad culpę correſpondentiam. verum eſt enim, quòd iuſtè ſic pœna correſpondere debet culpæ, vt minori culpæ minor pœna, & maiori culpæ maior pœna correſpondeat. Sed non ſic iuſtè pœna debet correſpondere culpæ: quòd iuſtitia ſine clementia miſceatur: immo ſemper in humaniorem partem, puta in partẽ clemẽtiæ, eſt declinandum: quia licet miſericordia & iuſtitia cuſtodiant Regem: roboratur tamen clementia thronus eius, vt ſcribitur Prouer. 20.

Quarto, hoc patet ſi comparetur iuſtitia ad ipſius clementiæ conuenientiam. Iuſtitia enim, quam Iudex ſeruare tenetur, eſt iuſtitia legalis, quæ ſecundũ Philoſophum (Lib. 2. Eth. cap. 1.) eſt omnis virtus non formaliter, quia tunc ſuperfluerent aliæ virtutes: ſed dicitur eſſe omnis virtus effectiuè, vel præceptiuè: quia præcipit omnia ſeruare, quæ mandat lex. & quia lex præci-

pit

pit operari fortiter, temperate, & clementer, & vniverſaliter omnia, quæ ſecundum virtutes dicuntur.
cap.31. Vt dicit Philoſophus primo Magnorum Moralium. Ideo iuſtitia legalis includit clementiam, & omnes alias virtutes; inquantum præcipit omnes virtutes ſeruari.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur verum eſſe, quòd ex utroque fiendum eſt quoddam temperamentum. plus tamen miſcendum eſt in tali temperamento de clementia, quàm de iuſtitia. Sicut in temperamento medicinæ plus miſcetur de vna re, quàm de alia. ſecundum quem modum Moyſes iudex populi Iſraelitici in puniendo prædictum populum de peccato idolatriæ, quod commiſerant, temperamentum fecit de miſericordia, & iuſtitia. plus tamen miſcuit de miſericordia, quàm de iuſtitia. Quia ſexcenta millia exiuerunt de Aegypto, qui fuerunt in culpa, vt ſcribitur Exodi 12. non tamen fuerunt puniti, vel occiſi niſi 23. millia, ſicut ſcribitur Exodi 32.

AD ſecundum dicitur, quòd non eſt inconueniens aliquid remanere impunitum diuerſis reſpectibus. De pœna enim debita, & condigna ſecundũ quantitatem culpæ peccantis ſemper remanet, & debet remanere aliquid impunitum: ſed de pœna condigna ſecundum condecentiam iudicis iudicantis: quia ſemper condecet eum clementer agere, nihil remanet impunitum.

AD tertium dicitur, quòd duratio pœnæ damnati duplicem habet terminum. Ex parte poſt, & ex parte ante. Quamuis autem non dimittatur aliquid de duratione eius ex parte poſt: dimittitur tamen ex parte ante. quàmcito enim peccator peccat meretur, vt ſtatim in inferno puniatur: ſed Deus ex ſua miſericordia expectat, vt ipſe conuertatur.

ARTICVLVS III.

VTRVM IVDICES TENEANtur ad reſtitutionem eorũ, quæ recipiunt vltra taxatum eis ſtipendium.

Faciunt tradita per B. Thomam 2.2.q.71.art.4.& per Syluestrum in ſumma verbo, iudex, quæſt.8.

AD tertium quęritur vtrum Iudices teneantur ad reſtitutionem eorum, quæ recipiunt vltra taxatum eis ſtipendium Et videtur, quòd non. Sicut enim iudex tenetur dare iuſtum iudicium pro vtraque parte. ſic Aduocatus tenetur præſtare pro vtraque parte iuſtum patrocinium & iuriſconſultus pro vtraque parte verum conſiliũ. Sed ſecundum Auguſtinum iuſte poteſt aduocatus
Epiſt.54 ad Macedon. pro ſuo patrocinio ſalarium recipere, iuriſconſultus pro vero conſilio. Ergo eodem modo iudex iuſté poteſt recipere pro iuſto iudicio.

2 Præterea: Officiales, & miniſtri, qui ſunt inferioris gradus quantumcumque ſint improbi, ſi eorũ importunitate, & improbitate aliquid recipiunt à partibus litigantibus, non tenentur ad reſtitutionem. immo poſſunt de eis facere eleemoſynam tamquam de ſuis bonis ſecundum Auguſtinum ad Macedonium. Ergo eodem modo iudices.

3 Præterea: Quandoq; aliquis committit culpam, per quam puniendus eſt pœna mortis, & iudex cõdemnat ipſum pœna pecuniaria. Ergo teneretur ad reſtitutionem illius pecuniæ. quia vendidit iuſtum iudicium: quo reus iudicandus erat.

IN CONTRARIVM eſt Ambroſius ſuper illo verbo Lucæ 3. Contenti eſtote ſtipendijs veſtris dicens: Idcirco ſtipendia conſtituta iudicib⁹, & militibus: ne, dum ſumptus quæritur, * predo craſſetur lib.2. In Luc.cap.2. *al. preda.

RESOLVTIO.

Iudices ultra ſtipendium eis ab Vniuerſitate Reipublicæ taxatum recipientes aliquid à Litigatoribus ad reſtitutionem tenentur.

RESPONDEO, dicendum, q; quæſtio non eſt de ſtipẽdio taxato Iudicibus Ordinarijs, vel Delegatis à Communitate Reipublicæ. Planum eſt enim, quòd talia ſtipendia iuſtè iudices poſſunt recipere. quia nullus militat proprijs ſtipendijs. Vnde dicit Gregorius ſuper illo verbo Lucæ 3. contenti eſtote ſtipendijs veſtris. quod ſtipendium Dominus appellat prouiſionem imperialem deputatam per legẽ dignitatibus miniſtrantibus Reipublicæ. Eſt ergo quæſtio ſi præter talia ſtipendia à Cõmunitate Reipublicæ eis taxata aliquid recipiunt à partibus litigantibus, ad reſtitutionẽ eius teneantur. Et eſt dicendũ, q; vel recipiunt pro iudicio iniuſto, & iniquo: vel pro iuſto, & æquo: vel pro neutro. Omnibus autẽ iſtis modis ad reſtitutionẽ tenẽtur. Cũ enim quatuor modis peruertatur iudicium, vt ponitur xi. q. 3. c. Quatuor timore, cupiditate, odio, & amore. Quolibet illorum modorum inique iudicantes reſtituere, tenentur: non illi, à quo acceperunt: ſed illi, in cuius iniuriam, & contra quem iniquam ſententiam protulerunt, & cum hoc pro ipſa fraudulẽtia eſt eis alia pœnitentia iniungenda. Si vero pro iuſto iudicio pecuniam recipiunt, reſtituere tenentur illi, à quo accipiunt. Talis enim, vt dicit Auguſtinus ad Macedonium, ſolet ablatam ſibi pecuniam repetere. Quia iniuſtum iudicium emit, quod veniale eſſe non debuit. Epiſt.54 Similiter tertio modo negando iudicium, ſi aliquid recipiunt, ad reſtitutionem tenentur: quia qui veritatem, vel iuſtum iudicium pro pecunia negat: Deum negare, vel vendere probatur. vt ſcribitur xi.q. 3. c. Vnicuique.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo eſt dicendum: falſum eſſe, q; Aduocatus teneatur patrocinium præſtare pro vtraque parte: & Iuriſconſultus verum conſilium, maxime poſtquam illum, cuius cauſam defendendam

dam aſſumpſit, in propriam ſuſcepit fidem. Ex tunc enim propria iura, & ſecreta cauſæ illius, ex quibus poſſet eius proceſſus impediri, aduerſario pandere non debet. Dato tamen, ꝙ pro vtraque parte patrocinium præſtaretur, vel conſilium: patrocinium tamen, & conſilium facit ad Iudicis informationē: ſed iudicium Iudicis facit ad cauſæ determinationem, & deciſionem, ideo non eſt ſimile.

AD ſecundum eſt dicendum, quòd officiales ſecundum Auguſtinum ex more conſueuerunt aliquid recipere. Ideo per tolerabilem conſuetudinem ab eis receptam non conſueuerunt repeti tamquàm aliena, ſed magis in eleemoſynas poſſunt ipſa diſpenſare tamquam ſua.

AD tertium dicitur, ꝙ in tali caſu non venditur iuſtum iudicium, ſed commutatur in piū proximi auxilium. Nec Iudex ad reſtitutionem tenetur accipiendo ab eo quicquid habet, vitæ parcendo: quis pellem pro pelle: & quicquid homo habet tenetur dare pro anima ſua. Ioan. 2. Vnde ſcribitur Exo. 21. Si bos cornupeta occiderit virum, aut mulierem. Quod ſi pretium fuerit ei impoſitum, dabit pro anima ſua quicquid fuerit poſtulatus.

ARTICVLVS IIII.

VTRVM IN EADEM CAVſa idem poſſit eſſe Iudex, et Aduocatus.

Videantur notata in c. 1. & 2. 4. q. 4.

AD quartum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ in eadem cauſa idem poſſit eſſe Iudex, & Aduocatus. Dicit enim Auguſtinus Lucæ 10. ſuper illo verbo: Domine non eſt tibi curæ, ꝙ ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare. Quia dominus pro Maria reſpondit Marthæ: & ipſe eius factus eſt Aduocatus, qui Iudex fuerit interpellatus.

Serm. 27. d verb Domini. To. 10.

2 Præterea: Iuriſconſultus ponit in Cod. vt quæ deſunt Aduocatis, partium Iudex ſuppleat. Idem ergo poteſt officium duorum, puta Iudicis, & Aduocati exercere.

3 Præterea: Aduocatus tenetur allegare iuſtas leges, aliàs peccat patrocinium præſtando per falſas leges, & inconuenientes probationes: & iudex eodē modo tenetur iudicare ſecundum leges iuſtas. Ergo idem eſt officium vtriuſque.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur 4. q. 4. cap. Nullus vnquàm.

RESOLVTIO.

In eadem cauſa idem non poteſt eſſe iudex, & Aduocatus, cum ipſorum ſint diſtincta Officia.

A RESPONDEO, dicendum, quòd inter officium Iudicum, & Aduocatorum, quantum ad præſens, triplex differentia poteſt aſſignari.

Vna eſt quantum ad communitatem. Quia ſecūdum Auguſtinum ad Macedonium, Iudices inter vtramque partem communiter ad examen adhibentur: Aduocati vero ſolum ex vna parte conſiſtunt.

Epiſt. 54. Tomo 2.

Secunda eſt, quantum ad qualitatem. Quia Aduocatorum eſt poſtulare, & iudicem informare de cauſa litis. Iudicum verò eſt cauſam decidere, & terminare.

Tertia eſt quantum ad quantitatem. Quia in plus ſe habet officium Iudicis, quàm Aduocati. Officium namque Aduocati non eſt neceſſarium, niſi quando cauſa agitur ordine iudiciario. Officium verò Iudicis vtroque modo habet locum. Et quia B vt ſcribitur 89. diſt. auctoritate Gregorij. cap. Singula. Singula Eccleſiaſtici iuris officia ſingulis quibuſque perſonis ſigillatim committi debent. ex quo Iudicum, & Aduocatorum officia ſunt diſtincta, rationabiliter interdicitur, ꝙ in eadem cauſa ſit idem Iudex, & Aduocatus.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, ꝙ Chriſtus non iudicauit inter Mariam, & Martham ordine iudiciario: quo iudicio pertinet iudicare ad homines, qui vident illa, quæ foris parent: Chriſtus autem tamquam Deus intuetur cor. De quo ſcriptū eſt Iſa. xj. Quòd non ſecundum viſionem oculorū iudicabit: C nec ſecundum auditum aurium arguet. Vnde ſicut ipſe non aſtringitur iudicare iudicio ordinario, & modo humano: ſic non aſtringitur, ꝙ in eadē cauſa non poſſit eſſe Iudex, Teſtis, & Aduocatus.

AD ſecundū dicitur, quòd Iudex eſt miniſter legis. propter quod ſi proponuntur aliqua, quæ legibus, & iuri publico videantur diſſona per ipſos litigatores, non vt Aduocatus, ſed vt legis miniſter tenetur illa corrigere. Vnde dicit Iuriſconſultus: Dubitandum non eſt, iudicem ſi quid à Litigatoribus, vel ab his, qui negotijs aſſiſtunt, minus fuerit dictū, illud ſupplere, & proferre quod ſciat legibus, & iuri publico conuenire.

AD tertium dicitur, quòd ad alium finem allegant veras leges Iudex, & Aduocatus:
D Quia Iudex ad terminationem cau
ſæ: & pro vtraque parte, Ad-
uocatus verò pro cauſæ
informatione pro
altera parte
ſolum.

ARTICVLVS V.

VTRVM IVDEX EODEM iudicio debeat ab æterno Iudice iudicari, quo ipſe iudicat.

Faciunt tradita per S. Thomam 2.2.q.67.art.2.ad 2. argumentum.

AD quintum ſic proceditur. Videtur enim, ꝙ Iudex eodem iudicio debeat ab ęterno Iudice iudicari, quo ipſe iudicat. Quia omnibus vniuerſaliter interdicitur iudicare Matth 7. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nullus ergo iudicabitur ab æterno iudice, ex quo nulli conceditur alium poſſe iudicare.

2 Præterea: Iudex poteſt per tormenta cogere illum, quem vult iudicare, abſque peccato ad confitendum veritatem, vt ſcribitur 5. quæſt. 5. cap. Illi. Sed æternus Iudex non coget aliquem per tormenta: ſed liberè. Quia libri erunt aperti, & iudicabuntur homines ſecundum illa, quæ ſcripta erunt in libris, vt ſcribitur Apoc. 20.

3 Præterea: Quandoque Iudex iudicat iudicio iniuſto, falſo, & iniquo. Sed æternus Iudex iudicabit iuſtè, & verè. Non ergo eodem iudicio quis alterum iudicat quo ipſe iudicabitur.

IN CONTRARIVM eſt, quod ſcribitur Matth. 7. In quo enim iudicio iudicaueritis iudicabimini: & in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.

RESOLVTIO.

Iudex ab ęterno Iudice iudicandus eſt, ſed non eodem iudicio, quo ipſe iudicauit, cum Dei, & hominis iudicium ſit multum differens.

RESPONDEO, dicendum, quòd ſicut non eſt idem Deus, & homo: Ita non eodem iudicio iudicat Deus, quo iudicat homo. Non enim primo iudicat eodem iudicio ſubſtantialiter: quia Deus iudicat iudicio, quod ſubſtantialiter eſt ipſe Deus: homo vero iudicat iudicio, quod non ſubſtantialiter eſt ipſe homo. Iudicat enim homo iudicio legali, vel legali iuſtitia, quæ eſt quidam habitus accidentalis in anima acquiſitus. Pauca enim debet iudicare Iudex ſuo arbitrio: ſed omnia debet iudicare lege, propter illas quatuor rationes, quas Philoſophus tangit in libro Politicorum.

Prima eſt: quia facilius eſt inuenire paucos ſapientes ad componendum leges, quàm multos Iudices ad iudicandum. Tot enim ſunt controuerſiæ hominum, quòd non niſi per multos Iudices poſſent terminari. Ad componendum verò multas leges pauci ſapientes ſufficiunt.

Secunda eſt: quia facilius eſt iudicare rectum de re multo tempore ruminata, quàm de re paruo tempore cogitata.

Tertia eſt: quia leges ſunt in vniuerſali, ſed iudicia Iudicum ſunt in particulari: reſpectu cuius contingit ſæpe Iudicem habere odium, vel amorem.

Quarta eſt: quia non ſic Iudices incurrunt maleuolentias partium iudicando ex legibus, ſicut iudicando ex proprijs. Sed ſecundo homo non iudicat eodem iudicio efficiẽter: quia Deus iudicat iudicio principali ex propria auctoritate: homo verò iudicat iudicio miniſteriali: eſt enim miniſter Dei bonis in bonum: & vindex in iram eis, qui operantur malum, vt dicit Apoſtolus ad Roma. 13. Tertio nõ iudicat eodem iudicio formaliter: quia Deus iudicat iudicio ſemper vero, & recto: homo verò interdum iniuſto, falſo, & iniquo. Quarto, non iudicat eodem iudicio finaliter: quia Deus iudicat iudicio æternali, homo verò temporali.

Ad Argumenta.

AD PRIMVM ergo dicitur, quòd ſicut dicit Auguſt. in lib. de ſermone Domini in monte. c. 28. Tomo 4. Quædam ſunt ſic mala, vt nullo modo poſſint fieri bono animo, ſicut blaſphemiæ, furta, & homicidia, & talia licitum eſt iudicare iudicio reprehenſionis, quo ad omnes: & iudicio punitionis quo ad illos, qui præſunt. Quædam verò ſic ſunt bona, ꝙ quantum eſt de ſe bono, & ſimplici animo fieri debent: ſicut orare, ieiunare, eleemoſynas dare, de quibus iudicare, quod malè fiant præſumptuoſum eſt, & damnoſum. Sed quædam ſunt, quæ bono, & malo animo fieri poſſunt: ſicut ſi aliquis dicat propter ſtomachi debilitatem ſe non poſſe ieiunare, & iudices eum hoc facere propter guloſitatem. De talibus iudicare temerarium eſt, & prohibetur Matth. 7. Quando dicitur: Nolite iudicare, & non iudicabimini.

AD ſecundum eſt dicendum, ꝙ coguntur Iudices per tormenta veritatem inquirere, eo quòd occulta ſunt eis, & ignota; nec aliter ſcire poſſunt, niſi dum pœnis corpora ſubijciunt, quæ geſta ſunt veraciter, & fideliter inquirentes. Sed in diuino iudicio quædam virtus diuina aderit, qua fiet, vt cuique opera ſua bona, vel mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate à cunctis cernantur, vt accuſet, vel excuſet ſcientia conſcientiã, atque ita in ſimul, & omnes, & ſinguli iudicẽtur, quę quidem diuina virtus libri nomen accepit, vt dicit Aug. 20. de Ciui. Dei. cap. 14.

AD tertium dicitur, quòd ſecundum Auguſtinum, ad Deo gratias, de ſex quæſtionibus: Non ſic intelligendum eſt illud verbum: In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini, vt ſi homo iudicat iudicio temerario, falſo, & iniquo, eodem iudicio à Deo debeat iudicari. Sed ſenſus eſt: In qua voluntate benè feceritis, in ea recipietis præmium: & in qua voluntate malè feceritis, in ea puniemini. Nam ſi quis oculis vteretur ad reſpiciendum aliqua illicita ſibi prohibita, rectè diceretur: In quibus oculis peccaſti, in illis punieris: & excęcaretur, & oculis priuaretur. Epiſt. 49. q. 4. Matth. 7.

Quia

Quia igitur voluntas eſt regula, & menſura omnium factorum noſtrorum meritorum, & demeritorum, & ipſa propriè vtimur ad merendum, & demerendum, rectè dictum eſt, vt eo animo, & ea volnntate, qua iuſtè, & iniuſtè iudicamus alios, eodem animo & eadem voluntate recipiamus indicium de pœna, vel de prǽmio. Vnde ſi voluntate temeraria aliquē iudicamus, illa temeritas erit illa, quæ nos puniet. Et ſi menſura iniqua, & iniqua voluntate vtimur ad vendendum, vel ad reddendum aliquid proximo, A illà volnntas iniqna, vel menſura erit cauſa, quare indicemur. Et vninerſaliter illa volūtate propria, qua homo bona, vel mala opera facit, vel aliorum facta iudicat, eadem iudicabitur ad miſeriam, vel ad beatitudinem conſequendam. Cum voluntate ergo recta, & iuſta faciat nos æternus Iudex in ſuo conſpectu præſentari, nt ſatiemur, cum apparuerit nobis gloria eins, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Explicit Summa de Poteſtate Eccleſiaſtica
edita à Fratre Auguſtino Triumpho
Anconitano Ordinis Eremitarū
S. Auguſtini, iubente Ioāne
XXII. Pōt. M. An. Do.
M.CCCXX.

INDEX
QVAESTIONVM, ET ARTICVLORVM HVIVS OPERIS.

QVÆSTIO PRIMA DE POTESTATE Papæ, vbi Decem quæruntur.

1 *VTRVM ſola Poteſtas Papæ ſit à Deo, immediatè, effectiuè, & nulla alia.* pag. 2
2 *Vtrum poteſtas cuiuslibet Papæ ſit à Deo.* 4
3 *Vtrum Poteſtas Papę ſit maior omni alia.* 5
4 *Vtrum quilibet Epiſcopus ſit æqualis Papæ in poteſtate.* 6
5 *Vtrum ſingularius ſit à Deo poteſtas Papæ, quàm aliqua alia.* 7
6 *Vtrum poteſtas Papæ ſit vna, vel plures.* 9
7 *Vtrum in Papa ſit ſimul poteſtas Sacerdotalis, & Regalis.* 10
8 *Vtrum ſit ſimul temporalis, & ſpiritualis.* 12
9 *Vtrum ſit ſimul ęterna, & temporalis.* 13
10 *Vtrum ſit vtile de tali poteſtate diſputare.* 15

Quæſt. II. De Papæ electione, vbi Octo quæruntur. 17

1 *Vtrum conueniens ſit Papam fieri hominũ electione, vel magis immediatè à Chriſto.* 17
2 *Vtrum quilibet Papa poſt Petrum factus ſit per electionem.* 19
3 *Vtrum eſſet magis cõueniens, Papam fieri per ſucceſſionem, quàm per electionem.* 20
4 *Vtrum duę partes Cardinalium debeãt ad minus in eius electionem conuenire.* 21
5 *Vtrum electio Papæ poſſit in aliquo vitiari.* 22
6 *Vtrum eius electio cadat ſuper examinatione, ſicut electio aliorum.* 23
7 *Vtrum Imperator, vel alius Princeps poſſit habere ius in electione Papę.* 24
8 *Vtrum Laici poſſint, & debeant electioni Papæ intereſſe.* 25

Quæſt. III. De eligentium iuriſdictione, vbi Vndecim quæruntur. 27

1 *Vtrum ad Collegium Cardinalium ſolum ſpectet Papam eligere.* 27
2 *Vtrum deficiente Collegio electio Papæ deuoluatur ad Clerum Romanum, vel ad generale Concilium.* 28
3 *Vtrum tale Collegiũ teneatur ſemper eligere hominem ſufficientioris ſcientię.* 29
4 *Vtrum ſemper teneatur eligere hominẽ ſanctioris vitę.* 31
5 *Vtrum teneatur magis eligere hominem Iuriſtam, quàm Theologum.* 32
6 *Vtrum teneatur magis eligere hominem de Collegio, quàm extra Collegium.* 33
7 *Vtrum maiorem poteſtatem habeat Collegium eligens, quàm Papa electus.* 34
8 *Vtrum Papa mortuo, poteſtas eius remaneat in Collegio.* 35
9 *Vtrum mortuo Papa, Collegium poſſit quicquid poteſt viuens Papa.* 37
10 *Vtrum in tali electione debeat præcedere tractatus, & aliqua prælocutio.* 37
11 *Vtrum tutius ſit celeriter eligere, vel in tali electione diu cogitare.* 38

Quæſt. IIII. De Papæ renũciatione, vbi Octo quæruntur. 39

1 *Vtrum in Papatu imprimatur caracter.* 40
2 *Vtrum Papa poſſet renunciare, ſi Papatus eſſet nomen ordinis, & non iuriſdictionis.* 41
3 *Vtrum quia Papatus eſt à ſolo Deo, Papa poſſit ex ſe renunciare.* 42
4 *Vtrum Papa poſſit renunciare propter votum emiſſum de cura Eccleſiæ habenda.* 43
5 *Vtrum Papa poſſit eius legitimam adminiſtrationem renunciare.* 44
6 *Vtrum quia Sacerdotium Papæ eſt æternũ, poſſit renunciare.* 46
7 *Vtrum poſſit probari per rationes, quòd Papa renunciare poteſt.* 47
8 *Vtrum iſtud poſſit probari per auctoritates.* 48

Quæſt. V. De Papæ depoſitione, vbi Octo quæruntur. 49

1 *Vtrum ſolũ pro hæreſi Papa ſit deponẽdus.* 49

2 *Vtrum ſi per violentiam, & ignorãtiam in hęreſim labatur, ſit deponendus.* 50
3 *Vtrum ſit deponendus pro ſimonia.* 51
4 *Vtrum ſit deponendus pro quocunque noto rio crimine.* 52
5 *Vtrum ad depoſitionem eius ſit neceſſaria productio plurium teſtiũm, quàm ad depoſitionem aliorum.* 53
6 *Vtrum ad generale Concilium ſpectet eius depoſitionem pronunciare.* 54
7 *Vtrum Papa mortuus pro hęreſi poſſit condemnari.* 54
8 *Vtrum Papę apertè malo ſit obediendum.* 55

Quæſt. VI. De Papæ ſententiæ appellatione, vbi Octo quæruntur. 56

1 *Vtrum à Papa poſſit appellari ad Deũ.* 56
2 *Vtrum à Papa appellari ad Deum ſit appellari contra Deum.* 57
3 *Vtrum à Papa appellari ad Deum talis appellatio apud Deum admittatur.* 58
4 *Vtrum à Papa pręſenti poſſit appellari ad futurum.* 59
5 *Vtrum à Papa poſſit appellari ad Collegiũ Cardinalium.* 60
6 *Vtrum à Papa poſſit appellari ad Conciliũ generale.* 61
7 *Vtrum Papa poſſit facere ſtatutum, ꝙ ab eius ſententia poſſit appellari.* 62
8 *Vtrum ſit error dicere, quòd à Papa poſſit ad Deum, vel hominem appellari.* 63

Quæſt. VII. De Papæ reprehenſione, vbi Quatuor quæruntur. 63

1 *Vtrum ad Papam ſe extendat fraterna reprehenſio.* 64
2 *Vtrum reprehenſio Papæ debeat fieri in ſecreto, vel in aperto.* 65
3 *Vtrum ſi Papa non audit reprehẽdentem, ſit dicendum Eccleſiæ.* 66
4 *Vtrum Papa de omni peccato reprehendi debeat ex pręcepto.* 66

Quæſt. VIII. De Papę repræſentatione, vbi Quatuor quæruntur. 67

1 *Vtrum Papa repræſentetur per arcã Noe.* 67
2 *Vtrum Papa repreſentetur per montẽ Sinai.* 69
3 *Vtrum Papa repræſentet Chriſtum quantum ad perſonam, vel quantum ad officium.* 69
4 *Vtrum Papæ aſſiſtãt Cardinales ſicut Chriſto aſtiterunt Apoſtoli.* 70

Quæſt. IX. De Papæ honoris exhibitione, vbi Sex quæruntur. 71

1 *Vtrum Papæ debeatur honor, qui debetur Chriſto ſecundum quod Deus.* 71
2 *Vtrum Papę debeatur honor, qui debetur Chriſto ſecundum quod homo.* 73
3 *Vtrum Papę debeatur honor, qui debetur Sanctis.* 73
4 *Vtrum Papę debeatur honor, qui debetur Angelis.* 74
5 *Vtrum Papę debeatur honor, qui debetur imagini Chriſti.* 75
6 *Vtrum Papę apertè malo debeatur honor.* 76

Quæſt. X. Quomodo ad Papam ſpectet de fide, & hæreſi determinare, vbi Sex quæruntur. 76

1 *Vtrum ad Papã ſpectet determinare quę ſunt fidei.* 77
2 *Vtrum ad Papã ſpectet determinare quod eſt hęreſis.* 77
3 *Vtrum ad Papã ſpectet circa illa, quę ſunt fidei, aliquid addere, vel diminuere.* 78
4 *Vtrum ſine mandato Papæ aliquis poſſit de hęreſi inquirere.* 79
5 *Vtrum ſine mandato Papę aliquis poſſit in hęreſi comprehenſos condemnare.* 80
6 *Vtrum ſine mandato Papę liceat principibus Chriſtianę fidei capere hęreticos, et iudicare.* 81

Quæſt. XI. Quomodo ad Papam ſpectet determinare quæ pertinent ad veritatem diuinæ eſſentię, vbi quæruntur Sex. 82

1 *Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere quę non poſſunt ab homine naturaliter cognoſci.* 82
2 *Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere: Credo in vnum Deum.* 83
3 *Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere, vnum Deum eſſe Creatorem oĩum.* 84
4 *Vtrum ad Papam ſpectet determinare modum credendi Trinitatem.* 84
5 *Vtrum ad Papam ſpectet determinare modum diſtinctionis perſonarum.* 85
6 *Vtrum ad Papam ſpectet determinare modum vnitatis trium perſonarum.* 86

Quæſt. XII. Quomodo ad Papam ſpectet determinare quæ pertinent ad diſtinctionem perſonarum, vbi Quatuor quæruntur. 87

1 *Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere Patrem eſſe omnipotentem.* 87
2 *Vtrum ad Papam ſpectet determinare modum generationis filij à patre.* 88
3 *Vtrum ad Papam ſpectet determinare modum procedendi Spiritus ſancti à Patre, & Filio.* 89

4 Vtrum

4 Vtrum ad Papam ſpectet plura ponere ſub articulo Spiritus ſancti, quàm Patris, & Filij. 90

Quęſt. XIII. Quomodo ad Papam ſpectet determinare, quæ pertinent ad naturam humanam à Dei filio aſſumptam, vbi Quinque quæruntur. 91

1 Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere modum Conceptionis, & Incarnationis Chriſti. 91
2 Vtrum ad Papam ſpectet ſub articulo ponere modũ Paſſionis, et ſepulturæ Chriſti. 92
3 Vtrum ad Papam ſpectet in Symbolo explicare omnes articulos fidei. 93
4 Vtrum ad Papam ſpectet in Symbolo explicare omnia Sacramenta Eccleſiæ. 94
5 Vtrum ad Papam ſpectet determinare per quem modum corpus Chriſti eſt ſub Sacramento altaris. 94

Quæſt. XIIII. De Sanctorum veneratione, vbi Quinque quæruntur. 95

1 Vtrum ad ſolum Papam pertineat Sanctos canonizare. 95
2 Vtrum ſicut Papa vniuerſaliter, ita Epiſcopus in Diœceſi ſua poſſit aliquem ſanctum canonizare. 96
3 Vtrum Papa abſque requiſitione Collegij poſſit aliquem Sanctum canonizare. 97
4 Vtrum Papa canonizando aliquem Sanctũ poſſit errare. 97
5 Vtrum ſi quis non eſt canonizatus per Papam, poſſit pro eo officium decantari. 98

Quæſt. XV. De cauſa canonizationis Sanctorum, vbi Quinque quæruntur. 99

1 Vtrum Papa debeat aliquem canonizare propter fructum ſcientię. 99
2 Vtrum Papa debeat canonizare aliquem propter ſanctitatem vitæ. 100
3 Vtrum Papa debeat canonizare aliquem propter bonam famam. 101
4 Vtrum Papa propter euidentiam miraculorum debeat aliquem canonizare. 102
5 Vtrum Papa debeat aliquem canonizare propter donum prophetiæ. 103

Quæſt. XVI. De modo canonizationis Sãctorum, vbi Quatuor quæruntur. 104

1 Vtrum Papa in canonizatione alicuius ſancti debeat obſeruare ordinem iudiciariũ. 104
2 Vtrum Papa debeat canonizare aliquem ſanctum ſtatim ſibi denunciatum. 105
3 Vtrum Papa eundem modum debeat ſeruare in canonizatione Martyris, & Confeſſoris. 106
4 Vtrum Papa poſſit aliquem canonizare ad ordinem Apoſtolorum ſicut Martyrum, Confeſſorum, ſeu Virginum. 107

Quæſt. XVII. De Sanctis canonizandis, vbi Sex quæruntur. 108

1 Vtrum Papa debeat canonizare omnes, quos conſtat Eccleſiæ eſſe in vita æterna. 108
2 Vtrũ Papa debeat canonizare Patres veteris teſtamenti. 108
3 Vtrum pręter informationem Papę corpus unius ſancti ĩ pluribus Eccleſijs venerari, ſit peccatum. 109
4 Vtrum omnes canonizati per Papam ſint in vita æterna. 110
5 Vtrũ ſine auctoritate Papę poſſint Sanctorum reliquiæ furtiuè ſubtrahi de loco, vbi ſunt. 111
6 Vtrũ ſine auctoritate Papę poſſint ſanctorũ reliquię emptioni, & venditioni exponi. 112

Quæſt. XVIII. De Angelorum adminiſtratione, vbi Quinque quæruntur. 113

1 Vtrũ Papa ſit maior Angelo ĩ iuriſdictione. 113
2 Vtrum Papa ſit maior Angelo in Sacramẽtorum adminiſtratione. 114
3 Vtrum Papa ſit maior Angelo in dñatione. 114
4 Vtrum Papa ſit minor Angelo in cognitione. 115
5 Vtrũ Papa ſit minor Angelo in ꝑmiatione. 116

Quæſt. XIX. De Papæ præſidentia, vbi Quinque quæruntur. 117

1 Vtrum ſolus Papa ſit ſponſus Eccleſię. 117
2 Vtrum Papa ſit caput totius Eccleſiæ. 118
3 Vtrum ſolus Papa ſit Epiſcopus cuiuslibet Eccleſię immediatè. 115
4 Vtrũ Papa ſit ſpecialius Epiſcopus Romanus, quàm alterius Eccleſię. 119
5 Vtrum Papa poſſit immediatè in qualibet Diœceſi, & Parochia quod poteſt Epiſcopus, vel Sacerdos. 120

Quæſt. XX. De modi præſidendi efficacia, vbi Sex quæruntur. 121

1 Vtrum Papa præſit Eccleſiæ per poteſtatẽ clauium. 121
2 Vtrum Papa per poteſtatem clauium prępſit ſpiritualibus, & temporalibus. 122
3 Vtrum ſolus Papa habeat clauiũ poteſtatem. 123
4 Vtrum in Papa poteſtas clauium ſit vna, vel plures. 123
5 Vtrum in Papa poteſtas clauium ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis. 124
6 Vtrum Papa in poteſtate clauiũ poſſit excedere, vel errare. 125

INDEX.

Quæſt. XXI. De Papæ reſidentia, vbi Quatuor quęruntur. 126

1 *Vtrum Papa debeat ſemper Romæ reſidere cum ſua curia.* 126
2 *Vtrum Papa debeat reſidere in Patria, unde eſt oriundus.* 127
3 *Vtrum Papa debeat magis diſcurrere per mundum, quàm in vno loco reſidere.* 128
4 *Vtrũ Papę tẽpore perſecutionis Antichriſti ſolum Romana Sedes ſit relinquenda.* 128

Quæſt. XXII. De Papæ obedientia, vbi Septem quæruntur. 129

1 *Vtrum Papæ Chriſtiani in omnibus teneantur obedire.* 129
2 *Vtrum Papæ teneantur obedire Laici ſicut Clerici.* 130
3 *Vtrum Papę Laicí Chriſtiani magis teneantur obedire, quàm Imperatori, vel Regi.* 131
4 *Vtrum Papæ ſerui Chriſtianorum magis teneantur obedire, q̃ proprijs Dominis.* 132
5 *Vtrum Papa poſsit ſeruos Chriſtianorum à ſeruitute eximere,& libertati reddere.* 133
6 *Vtrum Papa Chriſtianos liberos poſsit iuſtè ad ſeruitutem damnare.* 134
7 *Vtrum Papa Chriſtianos exiſtẽtes ſub dominio infidelium debeat ab eorum dominio ſubtrahere.* 135

Quæſt. XXIII. De obedientia Paganorum, vbi Sex quæruntur. 136

1 *Vtrum Pagani de iure ſint ſub Papæ obedientia.* 136
2 *Vtrum præter Papam Pagani ſint Imperatori immediatè ſubiecti.* 137
3 *Vtrum Papa iuſtè poſsit dominia,& iuriſdictiones à Paganis auferre.* 137
4 *Vtrum Papa iuſtè poſsit punire Paganos agentes contra legem naturę.* 138
5 *Vtrum Papa poſsit cogere Paganos viuere lege Imperiali.* 139
6 *Vtrum Papa ritum Paganorum debeat tolerare.* 140

Quæſt. XXIIII. De obedientia Iudæorũ, vbi Decem quæruntur. 141

1 *Vtrum Papa debeat Iudæos cogere ad ſuſcipiendam fidem.* 141
2 *Vtrum Papa debeat Iudęos cogere ad dimittendum Iudaiſmum.* 142
3 *Vtrum Papa debeat Iudæorum filios eis inuitis facere baptizari.* 143
4 *Vtrum Papa debeat Iudęos cogere ad laborandum manibus.* 143
5 *Vtrum Papa debeat Iudæos priuare omni adminiſtratione officiorum ſuper Chriſtianos.* 144
6 *Vtrũ Papa debeat Iudęos priuare, vt nullũ dominiũ ſupra Chriſtianos habeant.* 145
7 *Vtrum Papa debeat permittere Chriſtianos cum Iudęis conuerſari.* 146
8 *Vtrum Papa debeat Iudęos punire pœna ſpirituali, qua Chriſtianos punit.* 147
9 *Vtrum Papa debeat pmittere Iudęorũ oblationes, et eleemoſynas recipi à fidelibus.* 147
10 *Vtrũ papa debeat pmittere Chriſtianos principes aliquas exactiones in Iudęos facere.* 148

Quæſt. XXV. De reſiſtentia Schiſmaticorum, vbi Sex quæruntur. 149

1 *Vtrum oẽs reſiſtẽtes Papæ ſint ſchiſmatici.* 149
2 *Vtrum omnes ſchiſmatici reſiſtentes Papæ ſint hæretici.* 150
3 *Vtrum omnes ſchiſmaticos Papa poſsit omni poteſtate punire.* 151
4 *Vtrum Papa debeat punire ſchiſmaticos grauius, quàm hęreticos.* 152
5 *Vtrum Papa reputet Gręcos ſchiſmaticos, vel hęreticos.* 153
6 *Vtrum Papa teneat Græcos eſſe Paganos, vel Chriſtianos.* 154

Quæſt. XXVI. De reſiſtentia Tyrannorum, vbi Sex quæruntur. 155

1 *Vtrum Tyranni reſiſtentes Papæ ſint ſchiſmatici.* 155
2 *Vtrũ tyranni reſiſtentes Papę ſint hæretici.* 156
3 *Vtrum ad Papã ſpectet punire, tyrannos.* 156
4 *Vtrum Papa debeat punire tyrannos pœna temporali, vel ſpirituali ſolum.* 157
5 *Vtrum Papa contra tyrannos ſibi reſiſtentes debeat Cruces ſignatos deſtinare.* 158
6 *Vtrum Papa in puniendo tyrannos debeat magis declinare ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam.* 159

Quęſt. XXVII. De reſiſtentia excommunicatorum, vbi Decem quæruntur. 160

1 *Vtrum ſolus Papa debeat excommunicare.* 160
2 *Vtrum Papa pro quolibet peccato mortali excommunicare debeat.* 161
3 *Vtrum Papalis excommunicatio iniuſtè lata ſit timenda.* 161
4 *Vtrum omnes excommunicati per Papam damnentur.* 162
5 *Vtrum ſolus Papa debeat abſoluere excõmunicatos à iure, & Iudice inferiori.* 163
6 *Vtrum Papa debeat excommunicare pro peccato fiendo ſicut pro peccato iam facto.* 164
7 *Vtrum Papa totam vnam Vniuerſitatem reſiſtentem ſibi excommunicare debeat.* 164
8 *Vtrum per Papam ſint excommunicati portantes pecuniam in Alexandriam.* 165
9 *Vtrum Papa debeat aliquem excommunicare niſi ſemel tantum.*
10 *Vtrum per Papam excommunicatis ſcienter communicantes ſint excommunicati.* 167

Quæ-

Quæſt. XXVIII. De reſiſtentia hæreticorum, vbi Octo quæruntur. 168

1 *Vtrum omnes dubij in fide per Papam ſint habendi hæretici.* 168
2 *Vtrum ſequentes opinionem erroneam alicuius Magiſtri per Papã ſint hæretici reputandi.* 169
3 *Vtrum baptizantes imagines, & violatores Sacramentorum per Papam ſint pro hæreticis iudicandi.* 170
4 *Vtrum incidẽtes in adiuratam hæreſim per Papam ſint cenſendi relapſi.* 171
5 *Vtrum relapſi per Papam ſtatim tradendi ſint ſeculari iudicio.* 171
6 *Vtrum hæretici per Papam puniendi ſint tẽporali pœna.* 172
7 *Vtrum hæretici in aliquo caſu per Papam ſint tolerandi.* 173
8 *Vtrum hæretici reuertentes ad fidem per Papam ſint recipiendi.* 174

Quęſt. XXIX. De faciente Indulgentias, vbi Decem quæruntur. 175

1 *Vtrum ſolus Papa poſſit dare vniuerſalem Indulgentiam.* 175
2 *Vtrum Papa poſſit dare Indulgentiam ſibi ipſi.* 176
3 *Vtrum Papa exiſtens in culpa mortali poſſit Indulgentiam dare.* 176
4 *Vtrum Papa poſſit Indulgẽtiam dare illis, qui ſunt in Purgatorio.* 177
5 *Vtrum Epiſcopus ſine auctoritate Papę poſſit Indulgentiam dare.* 178
6 *Vtrũ Epiſcopus oẽs Indulgentias, quas dat in cõſecrationibus diuerſarum Eccleſiarũ, transferre poſſit ad conſecrationẽ vnius.* 178
7 *Vtrum ſimplex Sacerdos poſſit dare Indulgentiam.* 179
8 *Vtrum legatus Papæ poſſit dare Indulgentiam, ſi non ſit Sacerdos.* 180
9 *Vtrum quilibet electus ſine auctoritate Papæ poſſit dare Indulgentias.* 180
10 *Vtrũ ſancti viri poſſint dare Indulgentiã.* 181

Quæſt. XXX. De cauſa Indulgentiæ, vbi Sex quæruntur. 182

1 *Vtrum Papa ſolum pro actibus exterioribus debeat Indulgentiam dare.* 182
2 *Vtrum Papa ſolum pro temporalibus bonis debeat Indulgentiam facere.* 183
3 *Vtrum Papa debeat Indulgentiam dare ſolum habentibus voluntatẽ dandi aliquid temporale ſicut dantibus.* 183
4 *Vtrum non exiſtente iuſta cauſa, Indulgentia data per Papam valeat.* 184
5 *Vtrum ſolum voluntas Papæ poßit eſſe cauſa iuſta faciendi Indulgentiam.* 185
6 *Vtrum quęſtores deferentes literas Papales contineant iuſtam cauſam Indulgentiã faciendi.* 185

Quæſtio. XXXI. De Indulgentiam recipiente, vbi quæruntur Quatuor. 186

1 *Vtrum Indulgentiam datam per Papã recipiant exiſtentes in peccato mortali.* 186
2 *Vtrũ Indulgentiam datam per Papam recipiant cruce ſignati morientes cum firmo propoſito transfretandi.* 187
3 *Vtrum Indulgẽtiam datam per Papam recipiant Clerici, & Religioſi ſicut alij.* 188
4 *Vtrum Indulgentiam datam per Papam poßit quis recipere pro Patre, & Matre, ſicut pro ſeipſo.* 189

Quæſt. XXXII. De effectu Indulgentiæ, vbi quæruntur Quatuor. 190

1 *Vtrum Papa poſſit facere, ꝙ duorum exiſtentiũ in Purgatorio in ęquali pœna vnus citius liberetur, quàm alius.* 190
2 *Vtrum Papa poſſit facere, ꝙ bona facta ab exiſtente in peccato mortali ſint meritoria illis, qui ſunt in Purgatorio.* 191
3 *Vtrum Papa per communicationem Indulgentię poſſit totum locum Purgatorij expoliare.* 192
4 *Vtrũ Papa per communicationem Indulgẽtiæ poſſit contritos confeſſos ſic à tota pœna, & culpa abſoluere, vt non tranſeãt per ignem Purgatorij.* 195

Quæſt. XXXIII. De illis, qui ſunt infra terram, qui nec ſunt, nec fuerunt de Eccleſia, vbi Quatuor quæruntur. 196

1 *Vtrum Papa per cõicationem Indulgentiæ poſsit abſoluere pueros non baptizatos.* 196
2 *Vtrum Papa per cõicationem Indulgentiæ poſsit abſoluere pueros non circumciſos.* 197
3 *Vtrum Papa per cõicationem Indulgentiæ poſsit limbum puerorum expoliare.* 198
4 *Vtrum Papa per communicationem Indulgentię poſſit pueris exiſtentibus in Limbo ianuam Paradiſi aperire.* 199

Quæſt. XXXIIII. De illis, qui ſunt infra terrã, qui quandoque fuerũt de Eccleſia, quamuis nunc nõ ſint, vbi 4. quæruntur. 200

1 *Vtrum Papa poſsit mãdare, vt quilibet teneatur potius velle ad pœnam Inferni dãnari, quàm peccare mortaliter.* 200
2 *Vtrum Papa poſsit facere, ꝙ damnati non gaudeant de pœnis inimicorum eorum.* 201
3 *Vtrum Papa poſsit aliquem iuſtè ad pœnã Inferni damnare.* 202
4 *Vtrum Papa poſsit facere, ꝙ indulgentiæ, & ſuffragia Eccleſiæ ſint meritoria illis, qui ſunt in Inferno.* 202

Quæſt. XXXV. De Imperatoris electione, circa quam quęruntur Octo. 205

1 *Vtrum Papa per ſeipſum poſſit Imperatorem eligere.* 205
2 *Vtrum electores, per quos Papa Imperatorem eligit, debeant eſſe de Alemania.* 206
3 *Vtrum Papa dictos electores poſſit mutare.* 207
4 *Vtrum Papa prędictos electores poßit de alia natione ordinare, quàm de Alemania.* 208
5 *Vtrum Papa in electione Imperatoris poſſit alteri parti eligentium fauere.* 208
6 *Vtrum Papa poßit Imperatorē facere per hæreditariā ſucceßionē ſicus p electionē.* 209
7 *Vtrum Papa melius faceret ordinando Imperium per hæreditariam ſucceſſionem, q̄ per electionem.* 210
8 *Vtrum Papa melius faceret ordinando plures Imperatores, quàm vnum.* 211

Quæſt. XXXVI. De Imperij deriuatione, vbi quæruntur Septem. 212
1 *Vtrum Papatus fuerit ante Imperium.* 212
2 *Vtrum Papatus deriuatus ſit ab Imperio.* 213
3 *Vtrum Papa ſaltem temporale dominium ab Imperatore recognoſcat.* 214
4 *Vtrum Imperator in dominio temporalium ſit maior Papa.* 215
5 *Vtrū Imperator ſit maior Papa in dignitate.* 216
6 *Vtrū Imperator ſit maior Papa ī cauſalitate.* 217
7 *Vtrum Imperator ſit maior Papa in auctoritate.* 218

Quæſt. XXXVII. De Imperij translatione, vbi quæruntur Sex. 219
1 *Vtrum auctoritate Papæ facta ſit trāſlatio omnium Regnorum.* 219
2 *Vtrum auctoritate Papæ Imperium ſpecialiter translatum ſit ad Romanos.* 220
3 *Vtrum auctoritate Papæ Imperium translatum ſit à Romanis ad Græcos.* 221
4 *Vtrum auctoritate Papę Imperium translatum ſit à Græcis ad Germanos.* 221
5 *Vtrum auctoritate Papæ Imperium transferri poßit à Germanis ad alios.* 222
6 *Vtrum auctoritate Papę ordinādum ſit, ſtudium ſemper ſequi Imperium, & Regalē militiam.* 223

Quæſt. XXXVIII. De Imperatoris confirmatione, vbi quæruntur Quatuor. 224
1 *Vtrum per Papā Imperator electus debeat confirmari.* 224
2 *Vtrum per Papam Imperator electus debeat inungi & conſecrari.* 225
3 *Vtrum per Papā Imperator electus debeat coronari.* 225
4 *Vtrum Papæ Imperator electus debeat fidelitatem iurare.* 226

Quęſt. XXXIX. De Imperatoris adminiſtratione, vbi Tria quæruntur. 227
1 *Vtrum Imperator electus abſque hoc, q ſit per Papā confirmatus poſſit adminiſtrare.* 227
2 *Vtrum Imperator per Papam electus, et cōfirmatus abſque aliqua alia ſolemnitate poſsit adminiſtrare.* 228
3 *Vtrum Imperator ſtatim electus abſq; Papæ auctoritate poſsit adminiſtrare ſaltem in Regno Alemanię.* 229

Quęſt. XL. De Imperatoris depoſitione, vbi Quatuor quæruntur. 230
1 *Vtrum Papa poſsit Imperatorem deponere.* 230
2 *Vtrum Papa per contumaciam Imperatorem deponat.* 231
3 *Vtrum Papa poſsit Imperatorē excōicare.* 231
4 *Vtrum Papa poſsit Imperatoris ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluere.* 232

Quæſt. XLI. De Imperatoris examinatione, vbi Tria quęruntur. 233
1 *Vtrum examinatio electionis ſit de iure naturali, & diuino.* 233
2 *Vtrum ad Papam ſpectet Imperatoris electionem examinare.* 233
3 *Vtrum ad Papam ſpectet examinare perſonam electam.* 234

Quæſt. XLII. De ipſius Imperij duratione, vbi Duo quęruntur. 235
1 *Vtrum Romanum Imperiū auctoritate Papę confirmatum debeat durare vſque ad finem ſeculi.* 235
2 *Vtrum Romanum Imperium nunc diuiſum auctoritate Papę ante finem ſeculi debeat reintegrari.* 236

Quęſt. XLIII. De ipſius Imperatoris ceſſione, & eius conceſſione, vbi Tria quęruntur. 237
1 *Vtrum Cōſtantinus potuerit Papæ partem Imperij concedere, & partem ſibi reſeruare.* 237
2 *Vtrū Conſtātinus potuerit Papæ immediatā adminiſtrationem Imperij concedere.* 238
3 *Vtrum conceſsionem factā Papæ per Conſtantinum ſequentes Imperatores poſsint reuocare.* 239

Quęſt. XLIIII. De ipſius Imperatoris legū inſtitutione, vbi Octo quęruntur. 240
1 *Vtrum Imperator abſque Papę auctoritate poſsit leges condere.* 240
2 *Vtrum leges Imperiales ex pręcepto Papę omnes teneantur obſeruare.* 241
3 *Vtrum leges Imperiales ex præcepto Papæ habeant omnes in foro conſcientię ligare.* 241

4 Vtrum Papa leges Imperiales ſua auctoritate poſſit corrigere. 242
5 Vtrum Papa leges Imperiales ſua auctoritate poſſit mutare. 243
6 Vtrum Papa ſua auctoritate poſſit reum impunitum dimittere, quem leges Imperiales condemnant. 244
7 Vtrum Papa abſque peccato legibus Imperialibus poſſit vti. 245
8 Vtrũ Papa legibus Imperialibus ſit ſolutus. 245

Quæſt. XLV. De aliorum Regum ſubiectione, vbi Tria quæruntur. 246

1 Vtrum oẽs Reges ſubijciantur Papæ quantũ ad eius mandati obſeruationem. 246
2 Vtrum oẽs Reges ſubijciantur Papę quantum ad temporalium cognitionem. 247
3 Vtrum oẽs Reges ſubijciantur Papæ quantum ad ſententiæ appellationem. 248

Quæſt. XLVI. De aliorũ Regum correctione, vbi Tria quæruntur. 249

1 Vtrum Papa poſſit omnes Reges, cum forefaciunt publicè corrigere. 249
2 Vtrum Papa poſſit omnes Reges, cũ ſubeſt cauſa, deponere. 250
3 Vtrum Papa poſſit in quolibet Regno Regẽ inſtituere. 251

Quæſt. XLVII. De actu electionis quãtum ad dominium ſpirituale, vbi Octo quæruntur. 252

1 Vtrum Papa poſſit aliquem ſuum conſanguineũ abſq; perſonæ acceptione ad prælaturam Eccleſiaſticã eligere ratione, qua conſanguineus eſt. 252
2 Vtrum Papa ſine acceptione perſonæ poſſit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere bonum, dimiſſo meliori. 253
3 Vtrum Papa ſine acceptione poſſit ad prælaturam Eccleſiaſticam eligere diuitem, dimiſſo paupere. 254
4 Vtrum Papa ſine acceptione perſonę poſſit ad prælaturã Eccleſiaſticam eligere potẽtem, & nobilẽ rõne, qua potẽs, & nobilis. 254
5 Vtrum Papa ſine acceptione perſonę poſſit ad petitionem Regum, & Principum aliquem eligere ad prælaturam Eccleſiaſticã. 255
6 Vtrum Papa ſemper cum acceptat perſonam in eligendo aliquem ad prælaturam Eccleſiaſticam, peccet mortaliter. 256
7 Vtrum Papa poſſit conferre ſine peccato prælaturam Eccleſiaſticam petẽti, & procuranti ipſam. 257
8 Vtrum Papa poſſit conferre magiſterium ſine peccato petenti, & procuranti licentiam magiſtrandi. 258

Quæſt. XLVIII. De diſpenſatione primi præcepti, vbi quæruntur Quatuor. 259

1 Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum dæmonum conſultoribus, qui plures Deos colũt. 259
2 Vtrũ Papa poſſit diſpenſare cũ Aſtrologis, & planetarijs, qui plures Deos adorant. 260
3 Vtrũ Papa poſſit diſpẽſare cum ſortilegis, & maleficis, qui vnũ Deum non adorant. 261
4 Vtrũ Papa poſſit diſpenſare cum idolatris, qui vnum Deum non colunt. 262

Quæſt. XLIX. De diſpenſatione ſecundi præcepti, vbi Quatuor quæruntur. 263

1 Vtrũ Papa poſſit diſpenſare in iuramẽto. 263
2 Vtrum præter Papam poſſit aliquis in iuramento diſpenſare. 264
3 Vtrum Papa poſſit diſpenſare in voto continentiæ, iuramento ſolennizato. 265
4 Vtrum Papa poſſit diſpenſare cum iurantibus per idolatriam, qui nomen Dei in vanum aſſumunt. 266

Quæſt. L. De diſpenſatione tertij præcepti, vbi Sex quæruntur. 267

1 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ dies ſabbati ſeruetur ſecũdum ſenſum ſpiritualẽ, non litteralem. 267
2 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ dies ſabbati in diem Dominicam ſit mutata. 268
3 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ in die Dominico fiant ſeruilia opera. 269
4 Vtrum Papa debeat probibere ſtrictius opera ſeruilia fieri in die Dominica, quàm fuerint probibita in die ſabbati. 270
5 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ in die Dominica fiat forũ emptionis, & venditionis. 271
6 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ in die Dominica committatur bellum. 271

Quæſt. LI. De diſpenſatione quarti præcepti, vbi Quinque quæruntur. 272

1 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ à ſubuentione Parentum abſoluatur homo per introitum Religionis. 272
2 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, quòd homo introitum Religionis dimittat propter ſubuentionem parentum. 273
3 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ homo peregrinationem, vel oblationem voto promiſſam dimittat propter ſubuẽtionem parentum. 274
4 Vtrum Papa poſſit diſpẽſare, q̀ homo præter honorem nullam aliam ſubuentionem parentibus teneatur impendere. 275
5 Vtrum Papa poſſit diſpenſare, q̀ homo vigore præcepti nullum alium teneatur honorare præter naturales parentes. 276

Quæſt.

Quæſt. LII. De diſpenſatione quinti præcepti, vbi Quinque quæruntur. 277

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ homo occidatur abſq; transgreſsione diuini ꝑcepti. 277
2 Vtrum aliquis præter Papam poſsit in homicidio diſpenſare. 278
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ homo occidens alium, ne occidatur ab eo, excuſetur ab homicidio. 278
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ homo interficiens ſeipſum nõ incurrat culpam homicidij. 279
5 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ homo interficiens filiam in adulterio deprehenſam non incurrat culpam parricidij. 280

Quæſt. LIII. De diſpenſatione ſexti præcepti, vbi Quinque quæruntur. 281

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ vnus homo poſsit habere plures vxores. 281
2 Vtrum fuerit aliquando humana auctoritate diſpenſatum, plures vxores habere. 282
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ vna mulier poſsit eſſe vxor plurium virorũ. 283
4 Vtrum Papa poſsit diſpẽſare, ꝙ ſimplex fornicatio non ſit peccatum mortale. 284
5 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in omni gradu conſanguinitatis. 285

Quæſt. LIIII. De diſpenſatione ſeptimi præcepti, vbi Quatuor quæruntur. 286

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in furto, ꝙ non ſit peccatum mortale. 286
2 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in furto in caſu propriæ neceſſitatis. 287
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in furto in caſu alicuius paupertatis. 288
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ res furtiuè ſublata non reſtituatur. 289

Quæſt. LV. De diſpenſatione octaui præcepti, vbi Quatuor quæruntur. 290

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ falſum teſtimonium non ſit peccatum mortale. 290
2 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ mendaciũ non ſit peccatum. 291
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ liceat mẽtiri mendacio officioſo, vel iocoſo. 291
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, ꝙ in ferendo teſtimonio non interueniat iuramentum. 292

Quæſt. LVI. De diſpenſatione noni præcepti, vbi quæruntur Quatuor 293

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in concupiſcẽtia rei alienæ, auctoritate legis Moſaicæ. 293
2 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in concupiſcentia rei alienæ, auctoritate legis Euangelicæ. 294
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in concupiſcẽtia rei alienę, auctoritate legis humanę. 295
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in concupiſcẽtia rei alienæ, ꝙ non ſit peccatum mortale. 295

Quæſt. LVII. De diſpenſatione decimi præcepti, vbi Quinque quæruntur. 296

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare auctoritate cuiuslibet legis, ne carnalis concupiſcentia ſit peccatum mortale. 296
2 Vtrum numquàm cum aliquo Sanctorum fuerit diſpenſatum, vt eſſet ſine peccato carnalis concupiſcentia. 297
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, vt conſenſus carnalis concupiſcentiæ non ſit peccatum mortale. 298
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, vt moroſa delectatio in concupiſcentia carnali nõ ſit peccatum mortale. 299
5 Vtrum Papa poſsit diſpenſare, vt concupiſcẽtia carnalis aliquibus remedijs ex toto uitetur. 300

Quæſt. LVIII. De diſpenſatione Sacramentorum, vbi Octo quæruntur. 301

1 Vtrum Papa poſsit diſpẽſare, ꝙ aliquod Sacramentum de nouo inſtituatur. 301
2 Vtrum Papa poſsit diſpẽſare, ꝙ effectus Sacramẽti alicui conferatur ſine Sacramẽto. 302
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum forma. 303
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum materia. 304
5 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum ritu. 305
6 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum numero. 306
7 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum iteratione. 306
8 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in Sacramentorum ordinatione. 307

Quæſt. LIX. De diſpenſatione articulorum, vbi quæruntur Quatuor. 308

1 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in noui Symboli editione. 308
2 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in articulorũ additione. 309
3 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in articulorũ diminutione. 310
4 Vtrum Papa poſsit diſpenſare in articulorum coactione. 311

Quæſt. LX. De diſpenſatione legũ, & canonum Sanctorũ, vbi Octo quærũtur. 312

1 Vtrũ Papa poſsit diſpenſare in legẽ naturę. 312

2 Vtrum

I N D E X.

2 Vtrũ Papa poſſit diſpẽſare in lege Moſaica. 313
3 Vtrum Papa poſſit diſpenſare in lege Euangelica. 314
4 Vtrũ Papa poſſit diſpẽſare in lege humana. 315
5 Vtrũ Papa poſſit diſpenſare in Epiſt. Pauli. 316
6 Vtrum Papa poſſit diſpenſare in dictis Doctorum, qui approbati ſunt per Eccleſiam. 318
7 Vtrũ Papa poſſit diſpenſare in canone prædeceſſorum Summorum Pontificum. 319
8 Vtrum Papa poſſit diſpenſare in Canone Cõciliorum Sanctorum Patrum. 320

Quæſt. LXI. De diſpenſatione per exemptionẽ, vbi Sex quæruntur. 321
1 Vtrum Papa poſſit in Eccleſia exemptionẽ facere. 321
2 Vtrum Papa poſſit aliquos eximere à ſeipſo in ſpiritualibus. 322
3 Vtrum Papa poſſit aliquos eximere à ſeipſo in temporalibus. 323
4 Vtrum Papa debeat in Eccleſia exemptionem facere, vel magis eam tollere. 324
5 Vtrum Papa debeat aliqua Collegia eximere à iuriſdictione Epiſcoporum. 325
6 Vtrum Papa debeat aliquos Religioſos eximere à iuriſdictione omnium Prælatorũ. 326

Quæſt. LXII. De diſpenſatione per abſolutionẽ, vbi Sex quæruntur. 327
1 Vtrum Papa poſſit abſoluere vſurariũ abſque eo, quod vſuram reſtituat. 327
2 Vtrum Papa poſſit abſoluere ſeruũ vſurarij, quod nõ teneatur ad reſtitutionẽ, & abſque eo, quod ſibi faciat relaxationem. 328
3 Vtrum Papa poſſit abſoluere non ritè abſolutum per ratihabitionem. 329
4 Vtrum Papa poſſit abſoluere habentem rẽ alienam poſt annos præſcriptionis abſque eo, quod ipſam reſtituat. 329
5 Vtrum Papa poſſit abſoluere ſimoniacum abſque eo, quod ſimoniam reddat. 331
6 Vtrum Papa poſſit abſoluere ludentem ad taxillos abſque eo, quod reſtituat lucrum. 332

Quæſt. LXIII. De diſpenſatione per ligationem, vbi quærũtur Quatuor. 332
1 Vtrum præceptum Papæ magis liget, quàm ligamen legis naturæ. 333
2 Vtrum præceptum Papæ magis liget, quàm ligamen conſcientiæ erroneæ. 334
3 Vtrum præceptum Papæ magis liget, quàm ligamen conſcientiæ rectæ. 335
4 Vtrũ præceptum Papæ vniuerſaliter liget in omnibus. 336

Quæſt. LXIIII. De diſpenſatione per prædicationem, vbi Sex quæruntur. 337
1 Vtrum diſpẽſatio prædicationis in Papa ſit poteſtas ordinis, vel iuriſdictionis. 337
2 Vtrum ſine auctoritate Papæ cõueniat Epiſcopis prædicare. 338
3 Vtrum Papa poſſit Religioſos ad officium prædicationis aſſumere. 339
4 Vtrum Papa Religioſis petentibus, & procurantibus debeat officium prædicationis conferre. 340
5 Vtrũ ſola auctoritate Papæ ſine requiſitione Epiſcoporum, & Presbyterorum Religioſi poſſint prædicare. 340
6 Vtrum Magiſtris in Theologia ex officio cõueniat prædicare ſicut Epiſcopis. 341

Quæſt. LXV. De diſpenſatione per confeſſionem, vbi Sex quæruntur. 342
1 Vtrum Papa poſſit facere, quod quilibet Chriſtianus non confiteatur ſemel in anno proprio Sacerdoti. 342
2 Vtrum auctoritate Papæ Religioſi poſſint in qualibet Parochia ſicut proprij Sacerdotes Confeſſiones audire. 343
3 Vtrũ Papa poſſit facere, quod peccata ſemel in anno cõfeſſa hõ teneatur iterũ cõfiteri. 344
4 Vtrum Papa poſſit facere, quod confeſſio eorundem peccatorum habeat efficaciã niſi ſemel. 345
5 Vtrum Papa poſſit facere, quod quis differat cõfeſſionem vſque ad quadrageſimam ſine peccato. 346
6 Vtrum ex præcepto Papæ Sacerdos Parochialis teneatur credere ſolo verbo ſuo ſubdito dicenti ſe eſſe confeſſum Religioſo habenti auctoritatem abſoluendi. 347

Quæſt. LXVI. De diſpenſatione per largitionem priuilegiorum. 348
1 Vtrum Priuilegium à Papa indultum Iſidorus benè diffiniat. 348
2 Vtrum Papa Priuilegiorum lege in Eccleſia vti debeat. 349
3 Vtrũ ſolus Papa priuilegia condere poſſit. 350
4 Vtrum Priuilegium conceſſum per Papam per ſucceſſorem poſſit reuocari. 351

Quæſt. LXVII. De diſpenſatione per interpretationem, vbi Quinque quærũtur. 352
1 Vtrum ſolus Papa poſſit Priuilegium Apoſtolicum interpretari. 352
2 Vtrum ſolus Papa poſſit interpretari ſacrã Scripturam. 353
3 Vtrũ ſolus Papa poſſit interpretari ius ciuile. 354
4 Vtrũ Papa poſſit interpretari ius naturale. 354
5 Vtrum Papa dubia ſemper in meliorẽ partem teneatur interpretari. 355

Quæſt. LXVIII. De diſpenſatione per beneficiorum collationem. 356
1 Vtrum ſolus Papa in pluralitate beneficiorum poſſit diſpenſare. 356

2 Vtrum

INDEX.

2 *Vtrũ ſine auctoritate Papę Epiſcopus poſſit plura beneficia vni conferre.* 358
3 *Vtrum, mortuo Papa, Collegiũ Cardinaliũ poßit Eccleſiaſtica beneficia diſpenſare.* 358
4 *Vtrum cum diſpenſatione Papę licitum ſit plura beneficia retinere.* 359

Quæſt. LXIX. De diſpenſatione per officij adminiſtrationẽ, vbi Septem quæruntur. 360
1 *Vtrum ex pręcepto Papę quilibet beneficiatus teneatur dicere horas canonicas.* 361
2 *Vtrum ex pręcepto Papę beneficiatus toties teneatur dicere horas canonicas, quot habet beneficia.* 361
3 *Vtrum ex precepto Papa beneficiatus teneatur dicere horas ſecundum cõſuetudinem vniuerſalis Eccleſia: vel illius Eccleſia, in qua beneficiatus eſt.* 362
4 *Vtrum ex precepto Papa exiſtens in ſacris teneatur horas canonicas dicere.* 363
5 *Vtrum ex precepto Papa beneficiatus exiſtens in ſtudio ſit excuſatus à debito dicẽdi horas.* 364
6 *Vtrum ex precepto Papa omnes Religioſi teneantur dicere horas.* 364
7 *Vtrum ex precepto Papa omittenti horas iniungendum ſit, ꝙ dicat eaſdem horas, quas dimiſit.* 365

Quæſt. LXX. De diſpenſatione per trãſlationẽ, vbi quæruntur Quinque. 366
1 *Vtrum Papa poßit diſpenſare, vt matrimonium nondum conſummatum carnaliter, dißoluatur per translationem ad ſtatum Religionis.* 366
2 *Vtrum Papa poßit diſpẽſare, vt Religioſus ab obſeruatione Regulę abſoluatur per trãſlationem eius ad ſtatum Prelationis.* 367
3 *Vtrum Papa poßit diſpẽſare, vt Epũs à voto ſolẽniter emiſſo abſoluatur propter trãſlationem eius ad Religionis ſtatum.* 368
4 *Vtrum Papa poßis diſpenſare, vt Religioſus abſoluatur à voto per translationem eius ad ſecularem Eccleſiam.* 369
5 *Vtrum Papa poſſit diſpenſare, vt Religioſus profeſſus in arctiori regula abſoluatur à voto per translationem eius ad regulam latiorem.* 370

Quęſt. LXXI. De diſpenſatione per ordinationẽ, vbi Quatuor quæruntur. 371
1 *Vtrum ad ſolum Papam ſpectet ordinatio ſtudiorum.* 371
2 *Vtrum ad ſolum Papam ſpectet ordinatio officiorum.* 372
3 *Vtrum ad ſolum Papam ſpectet ordinatio Religionum.* 373
4 *Vtrum ſolum ad Papam ſpectet ordinatio Prelatorum.* 374

Quæſt. LXXII. De diſpenſatione per prouiſionẽ, vbi Quatuor quæruntur. 375
1 *Vtrum Papa peccet prouidendo de beneficio Eccleſiaſtico, bono, dimiſſo meliori.* 375
2 *Vtrum Papa peccet prouidendo Compatrio tę domeſtico magis, quàm extraneo.* 376
3 *Vtrum Papa peccet non prouidendo Theologis Magiſtris Religioſis, vnde decẽter poſſint viuere.* 376
4 *Vtrum, ſi Religioſo per Papam ſufficienter eſt prouiſum, eleemoſynam receptam iuſtè poſſit retinere.* 377

Quæſt. LXXIII. De diſpenſatione per conceſſionẽ, vbi Quinque quæruntur. 378
1 *Vtrum Papa ſine peccato poſſit concedere fieri vſuras.* 378
2 *Vtrum Papa ſine peccato poſſit concedere fieri vſuras cum infidelibus, & publicis hoſtibus Eccleſię.* 379
3 *Vtrum Papa ſine peccato poſſit alicui concedere decimas laicorum.* 380
4 *Vtrum Papa poßit ſine peccato Regi Francia, vel alteri Principi concedere decimas clericorum.* 381
5 *Vtrum Papa poſſit ſine peccato decimas Eccleſiarum ſibiÿpſi concedere in propriũ vſum.* 381

Quæſt. LXXIIII. De diſpenſatione per commißionẽ, vbi Quatuor quæruntur. 382
1 *Vtrum Papa poſſit committere totum officium Papale ſimplici Clerico, vel Laico.* 382
2 *Vtrum Papa poſſit committere totum officium Epiſcopale ſimplici Sacerdoti.* 383
3 *Vtrum Papa poſſit committere totum officium Clericale ſimplici Laico.* 385
4 *Vtrũ Papa poſſit cõmittere ſimoniam.* 386

Quæſt. LXXV. De conſeruatione, vbi quæruntur Quatuor. 587
1 *Vtrum ſolum ad Papam ſpectet omnes in ſuo iure conſeruare.* 387
2 *Vtrum ſolum ad Papam ſpectet Religioſis, & pauperibus conſeruatores dare.* 388
3 *Vtrum conſeruatores dati per Papam poſſint eſſe alÿ, quàm Eccleſiarũ Prelati.* 388
4 *Vtrum Conſeruatores dati per Papam non habeant iuriſdictionem, niſi ſuper manifeſtis iniurÿs.* 389

Quæſt. LXXVI. De ſtatus perfectione, vbi quæruntur Quatuor. 391
1 *Vtrum omnis ſtatus perfectio ſit à Chriſto effectiuè inchoata.* 391

2 *Vtrum*

2 *Vtrum ſtatus perfectio inchoata à Chriſto præferenda ſit perfectioni Patrũ veteris teſtamenti.* 392
3 *Vtrum omnis ſtatus perfectio in Chriſto ſit demonſtrata exemplo.* 393
4 *Vtrum omnis ſtatus perfectio in Chriſto ſit demonſtrata verbo, & Doctrina.* 394

Quæſt. LXXVII. De Chriſti charitate, vbi Tria quæruntur. 395

1 *Vtrum Chriſtus in ſola charitate poſuerit perfectionis ſtatum.* 395
2 *Vtrum perfectum modum diligendi Chriſtus poſuerit ſub præcepto, vel conſilio.* 396
3 *Vtrum ad perfectum modum diligẽdi Chriſti aliquis perfectionis ſtatus poſſit attingere.* 397

Quæſt. LXXVIII. De Chriſti paupertate, vbi Quatuor quæruntur. 399

1 *Vtrum Chriſtus debuerit aſſumere ſtatum paupertatis.* 399
2 *Vtrum paupertas fecerit in Chriſto perfectionis ſtatum.* 400
3 *Vtrũ Chriſtus ſic fuerit pauper, ꝙ aliquando mendicauerit.* 401
4 *Vtrum Chriſtus ſic fuerit pauper, ꝙ manibus laboraret.* 402

Quæſt. LXXIX. De Chriſti proprietate, vbi quæruntur Quatuor. 403

1 *Vtrum Chriſtus habuerit aliquid propriũ.* 403
2 *Vtrum Chriſtus habuerit aliquid in communi.* 404
3 *Vtrum Chriſtus res ſibi oblatas poſſit conuertere in proprium vſum.* 405
4 *Vtrum Chriſtus rerum ſibi conceſſarum habuerit dominium, vel vſum tantum.* 406

Quæſt. LXXX. de Chriſti vitæ communitate, vbi Tria quæruntur. 408

1 *Vtrum modus viuendi Chriſti ſeruando aliquid in communi diminuerit de eius perfectionis ſtatu.* 408
2 *Vtrum communis modus viuendi Chriſti in conuerſatione derogauerit eius perfectionis ſtatui.* 409
3 *Vtrum communis modus viuendi Chriſti in victu, & veſtitu ſtatui perfectionis eius cõueniret.* 410

Queſt. LXXXI. De Chriſti Carnalitate, vbi Quatuor quæruntur. 411

1 *Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatẽ Parentum fuerit in perfectionis ſtatu.* 411
2 *Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatem cõſanguineorum ſteterit in ſtatu perfectionis.* 412
3 *Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatẽ amicorum receſſerit a perfectionis ſtatu.* 413
4 *Vtrum Chriſtus ſeruando carnalitatem Benefactorum tenuerit perfectionis ſtatũ.* 414

Quæſt. LXXXII. De Chriſti obedientia, vbi Quatuor quæruntur. 415

1 *Vtrum in Chriſto fuerit obedientia.* 415
2 *Vtrum Chriſtus fuerit vnquam obediens homini, vel Deo ſolum.* 416
3 *Vtrum obedientia in Chriſto fecerit perfectionis ſtatum.* 417
4 *Vtrum obediẽtia in Chriſto fuerit voto promiſſa.* 418

Quæſt. LXXXIII. De Chriſti continẽtia, vbi Tria quæruntur. 419

1 *Vtrum Chriſtus potuerit actum cõiugalem exercere.* 419
2 *Vtrum Chriſtus propter perfectionis ſtatũ debuerit vitare coniugium carnale.* 420
3 *Vtrum Chriſtus à ſtatu perfectionis decidiſſet in carnali coniugio viuendo.* 421

Quæſt. LXXXIIII. De Apoſtolorum vocatione, vbi quæruntur Quatuor. 422

1 *Vtrum Apoſtoli prius vocati fuerint ad ſtatum Religionis, quàm Prælationis.* 422
2 *Vtrum Apoſtoli poſt exercitationem mandatorum fuerint vocati ad Religionis ſtatum.* 423
3 *Vtrum Apoſtoli poſt eorum vocationẽ fuerint in perfectionis ſtatu.* 424
4 *Vtrum Apoſtoli fuerint prius à Chriſto baptizati, quàm ad Apoſtolatum vocati.* 425

Quæſt. LXXXV. De Apoſtolorum prædicatione, vbi quærũtur Quatuor. 426

1 *Vtrum per Apoſtolos in toto orbe Euangelium Chriſti fueris prædicatum.* 426
2 *Vtrum Apoſtoli prędicando ſemper annunciarent pacem.* 427
3 *Vtrum Apoſtoli prædicando vterentur prudentia.* 428
4 *Vtrum Apoſtoli prædicando, libris ad prædicandum indigerent.* 429

Quæſt. LXXXVI. De Apoſtolorum cõuerſatione, vbi quęrũtur Quatuor. 430

1 *Vtrum Chriſtus in Collegio Apoſtolorum debuerit mulierum conſortiũ admittere.* 430
2 *Vtrum Apoſtolis poſt Chriſti reſurrectionẽ licitũ fuerit mulieres in eorum conuerſatione habere.* 431

3 *Vtrum Pauolicitum fuerit mulierum conuerſatione vti,ſicut alijs.* 432
4 *Vtrum Prelatis ſucceſſoribus Apoſtolorũ licitum ſit mulieres in eorum conuerſatione tenere.* 433

Quæſt. LXXXVII. De Apoſtolorũ perfectione, vbi quærũtur Quatuor. 434

1 *Vtrum ſtatus Apoſtolorum in perfectione exceſſerit cuiuslibet perfectionis ſtatũ.* 434
2 *Vtrum ſtatus Apoſtolorum in perfectione exceſſerit ſtatum omnium Prælatorum.* 435
3 *Vtrum ſtatus Apoſtolorum Chriſti in perfectione exceſſerit ſtatum Diſcipulorum Ioãnis Baptiſtę.* 436
4 *Vtrum ſtatus Apoſtolorum Chriſti exceſſerit in perfectione ſtatum Diſcipulorũ eius. pag.* 437

Quæſt. LXXXVIII. De Apoſtolorũ Prælatione, vbi quæruntur Quatuor. 438

1 *Vtrum ſolus Petrus fuerit à Chriſto aſſumptus ad Prælationis ſtatum.* 438
2 *Vtrum perfectior fuerit in Apoſtolis ſtatus Prælationis, quàm Religionis.* 439
3 *Vtrũ illi 72. Diſcipuli aſſumpti fuerint ad ſtatum Prælationis.* 440
4 *Vtrum illi ſeptem Diaconi ad ſtatum Prælationis fuerint aſſumpti.* 441

Quæſt. LXXXIX. De Apoſtolorum paupertate, vbi quærũtur Quatuor. 442

1 *Vtrum Apoſtolis fuerit interdicta poſſeſſio pecuniæ, & rerum mobilium.* 442
2 *Vtrum Apoſtolis fuerit interdicta poſſeſſio rerum ſtabilium.* 443
3 *Vtrum præceptum datum Apoſtolis de non poſſidendis rebus temporalibus per Chriſtum fuerit reuocatum.* 444
4 *Vtrum Apoſtoli mendicauerint oſtiatim.* 445

Quæſt. XC. De Apoſtolorum continentia, vbi Tria quæruntur. 446

1 *Vtrum continentia in Apoſtolis fecerit perfectionis ſtatum.* 446
2 *Vtrum coniugale vinculum diminuiſſet in Apoſtolis perfectionis ſtatum.* 447
3 *Vtrum continentia in Apoſtolis fuerit cum voto ſeruata.* 448

Quæſt. XCI. De Apoſtolorum obedientia, vbi Tria quæruntur. 449

1 *Vtrum obediẽtia Apoſtolos poſuerit in perfectionis ſtatu.* 449
2 *Vtrum obedientia in Apoſtolis magis fecerit perfectionis ſtatum, quàm caſtitas, vel paupertas.* 450
3 *Vtrum obedientiam Apoſtoli voto promiſerint.* 451

Quæſt. XCII. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Epiſcopis Eccleſiæ primitiuæ, vbi Quatuor quæruntur. 452

1 *Vtrum Epiſcopi in Eccleſia primitiua tenerentur ſeruare Apoſtolorum vitam de non habendo proprium.* 452
2 *Vtrum Epiſcopi Eccleſiæ primitiuę tenerentur ſeruare vitam Apoſtolorum de non habendo poſſeſſiones.* 453
3 *Vtrum Epiſcopi, & Clerici Eccleſiæ primitiuæ ſeruarent vitam Apoſtolorum de voto continentiæ.* 454
4 *Vtrum Epiſcopi tunc ſeruarent vitam Apoſtolorum de voto obedientiæ.* 455

Quæſt. XCIII. Quomodo ſtatus perfectio Apoſtolorũ obſeruata fuit in Preſbyteris, & Diaconis Eccleſiæ primitiuæ, vbi Quatuor quæruntur. 456

1 *Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri eſſent diſtincti ab Epiſcopis.* 456
2 *Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri, & Diaconi haberent perfectionis ſtatum.* 457
3 *Vtrum in Eccleſia primitiua Presbyteri, & Diaconi eſſent æqualis perfectionis cum Epiſcopis.* 458
4 *Vtrum in Eccleſia primitiua in perfectionis ſtatu ſimiliores eſſent Epiſcopis, Presbyteri, & Diaconi, quàm Monachi.* 459

Quæſt. XCIIII. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Martyribus, vbi Quatuor quæruntur. 459

1 *Vtrum in Eccleſia primitiua Martyrium poſuerit Martyres in perfectionis ſtatu.* 460
2 *Vtrum per ſolum ſupplicium mortis Martyres conſecuti ſint ſtatum perfectionis.* 461
3 *Vtrum plus faciat ad perfectionis ſtatum Martyrium, quàm Religionis votum.* 462
4 *Vtrum ſemper ſit perfectionis opus, vt homo propter Chriſtum mortis periculo ſe exponat.* 462

Quęſt. XCV. Quomodo Apoſtolorũ perfectio obſeruata eſt in Confeſſoribus, vbi quęruntur Quatuor. 463

1 *Vtrum ſola Charitas poſuerit Confeſſores in ſtatu perfectionis.* 464
2 *Vtrum magis amor amicitiæ, quàm concupiſcentiæ fecerit in Confeſſoribus ſtatũ perfectionis.* 465

3 Vtrum

3 Vtrum plus poſuerint in perfectionis ſtatu Confeſſores corporis continentia, quàm tẽporalium carentia. 466

4 Vtrum magis per humilitatem, quàm per aliam virtutem Confeſſores conſecuti ſint ſtatum perfectionis. 467

Quæſt. XCVI. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in virginibus, vbi Quatuor quæruntur. 468

1 Vtrum virginitas ſeruata ſine voto poſuerit Virgines in perfectionis ſtatu. 468

2 Vtrũ virginitas voto promiſſa fuerit apud Deum maioris meriti, quàm ſine voto. 469

3 Vtrum virginibus corruptores volentes ipſas corrumpere violẽter licitum fuerit eos interficere. 470

4 Vtrum virgines quæ fuerunt violenter corruptæ à barbaris perdiderunt aureolam. 471

Quæſt. XCVII. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Monachis manibus laborantibus, vbi Sex quærũtur. 472

1 Vtrum Monachi manibus laborantes fuerint in perfectionis ſtatu. 472

2 Vtrum illa, quæ acquiſiuerunt Monachi ex labore ipſorum, eis, vel monaſterio fuerint acquiſita. 473

3 Vtrum fuerit licitum, & ſit Monachis aliquid proprium habere. 474

4 Vtrum Monachi ſolitarij fuerint in perfectiori ſtatu, quàm viuentes in ſocietate. 475

5 Vtrum Monachorum vita quãto eſt arctior tanto ſit perfectior. 476

6 Vtrum Monachis vniuerſaliter ex præcepto eſus carnium ſit interdictus. 477

Quæſt. XCVIII. Quomodo Apoſtolorũ perfectio obſeruata eſt in Monachis contemplationi vacantibus, vbi quæruntur Quatuor. 478

1 Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi eſſent in perfectionis ſtatu. 478

2 Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi eſſent in ſtatu magis ſecuro, quàm alij. 479

3 Vtrum Monachi inſiſtentes contemplationi ſint in ſtatu magis meritorio. 480

4 Vtrum Monachi vacantes contemplationi ſint in ſtatu magis vtili, & neceſſario. 481

Quæſt. XCIX. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Prędicatoribus Euangelij, vbi quæruntur Quinque. 483

1 Vtrum omnes Prædicatores Euangelij fuerint in perfectionis ſtatu. 483

2 Vtrum prędicatio Euangelij magis fecerit ad perfectionis ſtatum, quàm alia pietatis opera. 484

3 Vtrum prędicare Euangelium mendicando fuerit minoris perfectionis, quàm viuendo de communi adminiſtratione auditorũ. pagina 485

4 Vtrum perfectio Prędicatorum fuerit in cõformando ſe capacitati auditorum. 486

5 Vtrum prędicare Euangelium excommunicatis ex Eccleſiæ mandato fuerit interdictum. 487

Quæſt. C. Quomodo Apoſtolorum perfectio obſeruata eſt in Doctoribus, & ſacræ Scripturæ Expoſitoribus, vbi quinq; quærũtur. 488

1 Vtrum dicta Doctorum maioris auctoritatis ſint, quàm dicta Summorum Pontificum. 488

2 Vtrum Doctores & Expoſitores ſacræ Scripturæ Epiſcopis ſint præponendi. 489

3 Vtrum in modo exponendi ſacram Scripturam Eccleſia Doctorum Regulas debeat imitari. 490

4 Vtrum ſolum illorum opuſcula quæ Eccleſia recipit ſint approbata. 490

5 Vtrum illorum Doctorum opuſcula quos Eccleſia canonizat ex hoc ipſo ſint per Eccleſiam approbata. 491

Quæſt. CI. Quomodo Apoſtolorum perfectio repræſentatur in Papa, vbi Octo quæruntur. 493

1 Vtrum Papa ſit in perfectiori ſtatu, quàm aliquis alius Epiſcoporum. 493

2 Vtrum Papa ſtatum perfectionis Chriſti & Apoſtolorũ perfectiori modo repreſentet, quàm aliquis Religioſorum. 494

3 Vtrum Papa poſſit eſſe in perfectionis ſtatu abſque eo, quòd ſit perfectus. 495

4 Vtrum in Papa exterior apparatus diminuat de eius perfectionis ſtatu. 496

5 Vtrum in Papa adminiſtratio temporalium diminuat de perfectione ſtatus eius. 497

6 Vtrum in Papa determinatio cauſarum diminuat de eius perfectionis ſtatu. 498

7 Vtrum in Papa habere dominium & vſum rerũ diminuat de ſtatu perfectionis eius. pagina 499

8 Vtrum Papa poſſit omnis perfectionis ſtatum mutare. 500

Quæſt. CII. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Cardinalibus, vbi quæruntur Quinque. 501

1 Vtrum Cardinales repræſentẽt ſtatum perficiendorum, vel perfectorum. 501

2 *Vtrũ Cardinales in perfectionis ſtatu prę-ſerendi ſint Epiſcopis.* 502

3 *Vtrum abdicatio temporaliũ magis requiratur ad perfectionis ſtatum Cardinaliũ, quàm Epiſcoporum.* 503

4 *Vtrum deroget ſtatui perfectionis Cardinalium, vt omnes de vna patria ſint electi.* 504

5 *Vtrum legatio Cardinalium ſpectet ad eorum perfectionis ſtatum.* 505

Quæſt. CIII. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Epiſcopis, vbi quęruntur Quinque. 506

1 *Vtrum Epiſcopi perfectiori modo reprę-ſentent ſtatum Apoſtolorũ quàm Religioſi.* 506

2 *Vtrum ad perfectionis ſtatum acqurendũ magis Religio quã Epiſcopalis prȩlatio ſit procuranda.* 507

3 *Vtrum in Epiſcopis cura temporaliũ diminuat de eorum perfectionis ſtatu.* 508

4 *Vtrum Epiſcopi de bonis Eccleſiæ poßint cõdere teſtamentum.* 509

5 *Vtrum Epiſcopi bona Eccleſiaſtica non erogando pauperibus maneãt in perfectionis ſtatu.* 510

Quæſt. CIIII. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Presbyteris & Curatis, vbi quæruntur Quatuor. 511

1 *Vtrum Presbyteri reprȩſentẽt ſtatum perfectionis Diſcipulorum Chriſti.* 511

2 *Vtrum Presbyteri in perfectionis ſtatu ſint præferendi Religioſis.* 512

3 *Vtrum Presbyteri in regiminis cura præferendi ſint regibus.* 513

4 *Vtrum Presbyteri veteris teſtamenti præferendi ſint Presbyteris noui teſtamenti.* 514

Quæſt CV. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Religioſis mendicantibus, vbi Nouem quæruntur. 515

1 *Vtrum Religioſi mendicantes ſint perfectioris ſtatus, quàm alij.* 516

2 *Vtrum Religioſi mendicãtes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe de Collegio & numero Magiſtrorum.* 517

3 *Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe de Collegio & numero ſtudentium ſcholarium.* 518

4 *Vtrum plures Magiſtros eſſe in vno Religionis Collegio deroget eorum perfectionis ſtatui.* 519

5 *Vtrum Religioſi mẽdicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe teſtamentorũ executores.* 520

6 *Vtrum Religioſi mẽdicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe Regum & Reginarum Confeſſores,* 521

7 *Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poſſint eſſe ſecularium Principum officiales.* 522

8 *Vtrum Religioſi mendicantes cum perfectionis ſtatu poßint ſe de negotijs ſecularium intromittere.* 523

9 *Vtrum Religioſi mendicantes poſſint cum perfectionis ſtatu largiores eleemoſynas recipere, quàm alij pauperes mendicantes,* 524

Quæſt. CVI. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Religioſis in communi poſſeſſiones habentibus, vbi Quinque quæruntur. 525

1 *Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in cõmuni repreſentent Chriſti et Apoſtolorum perfectionis ſtatum.* 526

2 *Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in cõmuni ſint in ęquali perfectionis ſtatu cum Religioſis mendicantibus.* 527

3 *Vtrum Religioſi habentes poſſeſſiones in cõmuni cum eorum perfectionis ſtatu poſſint mendicando eleemoſynas recipere.* 527

4 *Vtrum Religioſi profeſſi in vna Religione cũ eorum perfectionis ſtatu poſſint prȩfici in prælaturam alterius Religionis.* 528

5 *Vtrum ingredientes Religionem elapſo probationis anno teneantur ex voto in Religione permanere ſicut profeſſi.* 529

Quæſt. CVII. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Euangelij prædicatoribus, vbi quæruntur Quatuor. 530

1 *Vtrum Prædicatores abſque peccato poſſint in prædicatione Euangelij aliqua verba humanæ letitiæ immiſcere.* 531

2 *Vtrum abſq; peccato Prædicatores poſſint conatum apponere, in complacendo auditoribus.* 531

3 *Vtrum Prædicatores Euangelij abſq; peccato poſſint curam apponere in ornatu verborum.* 532

4 *Vtrum Prædicatores abſq; peccato poſſint populi ſcelera tacere, non pronunciando eis.* 533

Quæſt. CVIII. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Doctoribus, & ſacræ Scripturæ Expoſitoribus, vbi quæruntur Quatuor. 534

1 *Vtrum dignus magiſtrari in Theologia teneatur ſcire oẽs ſcientias humanas.* 534

2 *Vtrum dignus magiſtrari in Theologia teneatur ſcire omnium gentium linguas. pagina* 535

3 *Vtrũ dignus magiſtrari in Theologis teneatur ſcire ius canonicum.* 536

4 *Vtrum dignus magiſtrari in Theologia: ſi non magiſtratur perdat aureolam.* 537

Quæſt. CIX. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Medicis, vbi Decẽ quæruntur. 538

1 *Vtrum Medici ſint honorãdi præ alijs profeſſoribus aliarum artium.* 538

2 *Vtrum Medici ſi non ſint de legitimo thoro nati poſſint ſine peccato Medicorum officium exercere.* 539

3 *Vtrum tutius ſit quòd homo Medicis practicis, quàm Theoricis ſe in cura committat.* 540

4 *Vtrum tutius ſit plures Medicos habere in ægritudine, quàm vnum.* 541

5 *Vtrum Medici peccent dantes medicinas non in debitis ſignis aſtrorum.* 542

6 *Vtrum Medici peccent accipientes ſtipendium pro infirmitate quam ſciunt eſſe incurabilem.* 542

7 *Vtrum Medici peccent non monentes infirmos, vt animarum Medicos ante omnia debeant conuocare.* 543

8 *Vtrum Medici teneantur ex pręcepto pauperibus & Religioſis auxilium & conſiliũ impendere.* 544

9 *Vtrum medicinę ars Clericis & Religioſis ſit interdicta.* 545

10 *Vtrum Medici dãtes aliquam medicinam, vel facientes aliquam inciſurã ex qua ſequatur mors ſint irregulares.* 546

Quæſt. CX. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in notarijs, vbi Sex quæruntur. 547

1 *Vtrum ſolum habens iuriſdictionem temporalem poſſit publicos Notarios facere.* 547

2 *Vtrum ad notariatus officium debeant aliqui admitti niſi iurati.* 548

3 *Vtrum Notarius poſſit ſuum officium delegare:* 549

4 *Vtrum Notarius gerat officium vnius teſtis in inſtrumentis peractis per eum.* 549

5 *Vtrum Notarius factus Religioſus: poſſit Notariatus officium exercere.* 550

6 *Vtrum Clerici poſſint Notariatus officium exercere.* 551

Quæſt. CXI. Quomodo ſtatus perfectio repræſentatur in Aduocatis, vbi quærũtur Septem. 552

1 *Vtrum Clerici abſque peccato poſſint aduocationis officium exercere.* 552

2 *Vtrum omnes laici indifferenter ad officiũ aduocationis ſine peccato poſſint admitti.* 553

3 *Vtrum aduocati teneãtur ex præcepto Dei non pręſtare patrocinium in cauſa iniuſta.* 554

4 *Vtrum aduocati ſine peccato contra aduerſarium poſſint vti inſidijs & fallacijs.* 554

5 *Vtrum aduocati teneantur ad reſtitutionem recepti ſtipendij ſi ex eorum negligentia perdatur cauſa, quàm aſſumunt.* 555

6 *Vtrum aduocati accipiẽtes ſalarium vltra quantitatem in iure taxatam teneãtur ad reſtitutionem.* 556

7 *Vtrum Aduocati abſq; peccato poſſint pactum facere cum litigatore de media, vel quarta portione litis.* 557

Quęſt. CXII. Quomodo ſtatus perfectio repręſentatur in iudicibus, vbi Quinque quæruntur. 558

1 *Vtrum Iudex poſſit mutare pænam in lege taxatam.* 558

2 *Vtrum Iudex plus ad clemẽtiam, quàm ad rigidam iuſtitiam debeat declinare.* 559

3 *Vtrum Iudex habens taxatum ſtipendium pro ſuo officio teneatur ad reſtitutionẽ eorum quę aliter recepit.* 560

4 *Vtrum in eadem cauſa idem poſſit eſſe Iudex & Aduocatus.* 561

5 *Vtrum Iudex eodem iudicio debeat ab ęterno Iudice iudicari quo ipſe alios iudicat, &c.* 562

FINIS.

INDEX

RERVM NOTABILIVM

QVAE CONTINENTVR

In Summa Auguſtini Triumphi.

ABBAS diſpenſare non poteſt cum Monacho, vt habeat proprium, nec in alijs eſſentialibus. pag. 475. col. 1. lit. A
Abelis ſanguinis exclamatio nō fuit appellatio, vel accuſatio, ſed diuina Iuſtitia expreßio. pagina. 58. 2. F
Abraham non eſt mentitus, dicendo Saram eße ſororem ſuam. 292. 1. H
Abſolutionem à ſuperiori obtinere poteſt ligatus ab inferiori: quando illud ligamen ductum eſt ad Iudicem Superiorem, vel quando in vniuerſali abſolutione exprimitur abſolutio particularis illius ligaminis. 164. 1. F
Abſolutio Sacramentalis ex parte miniſtri conſiſtit in tribus: quæ ſunt, Poteſtas ordinis; Ordinis executio, & Sacramenti adminiſtratio. 339. 2. A
Abſoluens Sacerdos non temere dicit: Abſoluo te, licet ignoret, an ille ſit verè abſolutus, iudicat enim illum in foro: in quo tenetur illi credere pro ſe, & contra ſe. 304. 1. F
Abſoluere, quomodo poſſit inferior ab eo: quod ligauit Superior. 194. 2. G
Abſtinentia à cibo ſimpliciter præfertur ſumptioni cibi, in caſu tamen hæc illi anteponitur, & ſimilia. pagina 513. 1. C
Acceptio perſonæ non eſt, aliquod ſignum exterioris reuerentiæ diuiti, magis quàm pauperi exhibere. pagina 254. 1. H & 2. F
Acceptio perſonæ in Eccleſiaſtica prælatura eſt vnu alteri præferre ex indebita cauſa. 255. 2. D
Acceptio perſonę in Prælato, circa electionē faciendā quando ſit mortale peccatum. 256. 2. F
Acceptio perſonę eſt exhibere honorem homini propter diuitias, & potentiam in conferendis beneficijs ſpiritualibus, in ſubuentione temporalis ſubſidij, & executione ſecularis iudicij, non autem in exhibitione reuerentię exterioris. 257. 1. A
Acceptio perſonę quandoque eſt peccatum mortale, quandoque veniale, quandoque neutrū. 257. 1. B
Accuſatio, denunciatio, & proclamatio differunt. pagina 67. 1. B
Acquiſitionis rerū triplex modus, videlicet honeſtus, & à iure conceſſus. Inhoneſtus, ſed à iure permiſſus. Inhoneſtus, & à iure prohibitus. In primo licet acquirere, & retinere. In ſecundo, non licet acquirere; ſed licet retinere. In tertio nō licet acquirere, nec retinere. 332. 2. E
Actiua vita eſt prior contemplatiua generatione, communior adminiſtratione, difficilior executione, & proximorum ſubuentione vtilior. Contemplatiua tamen eſt illi ſimpliciter præferenda. 482. 1. F
Actus, quod non progrediatur à potentia, poteſt ex tribus contingere. 419. 2. A
Adminiſtratio præſupponit confirmationem, & confirmatio electionem, ſicut actio virtutem, & virtus ſubſtantiam. 227. 2. D
Adorans Crucem, non adorat materiam illam, ſed Chriſtum crucifixum: cuius imaginem repræſentat. pagina 75. 2. C
Adoratur imago, vt terminus, à quo non ad quem. pagina 263. 1. B
Adorare dicit actum externum. 263. 2. A
Aduentus Chriſti, quę bona nobis contulerit. 92. 1. E
Aduocati officio fungi coram ſeculari Iudice prohibitum eſt Clericis, non autem coram Iudice Eccleſiaſtico, & id, quatuor cōditionibus ſeruatis. 552. 2. F
Aduocati boni quinque conditiones habere debent. pagina 553. 2. A
Aduocati, qui eſſe non poſſunt. Ibidem
Aduocare cur quilibet poßit in propria cauſa, non autem in aliena. Ibid. 2. D
Aduocati quando peccant dantes conſilium in cauſa iniuſta, ita quòd teneantur ad reſtitutionem totius damni. 554. 2. E
Aduocati cognoſcentes cauſam: quam defendendam ſuſceperunt eſſe iniuſtam, quid facere debeant. pagina Ibidem. F
Aduocatis licitum eſt occultare veritatem, non tamen vti falſitate. 555. 1. C
Aduocati tenentur ad reſtitutionem recepti ſtipendij, ex neſcientia, ex pigritia, & ex fraudulentia eorū. pagina Ibid. 2. D
Aduocato, quando licet recipere ſtipendium vltra quantitatem à iure taxatam. 556. 2. G
Aduocatus poteſt vendere iuſtum patrociniū: Quia licet ſcientia ſit ſpiritualis, vſus tamen eſt per opus corporale. Ibidem. H
Aduocatis non licet paciſci cum cliente de portione aliqua litis. 557. 2. D
Agibilia ſunt in triplici genere. Ad quæ tenemur, vt præce-

præcepta. Ad quæ inducimur, vt conſilia. Ad quæ non inducimur, neque tenemur, vt indifferentia. 334. 2. E

Aleatores tenentur reſtituere lucrum ex illo ludo acquiſitum. 332. 2. F

Altari ſeruiens de altari viuere debet, & naturali & Diuino iure, non tamen niſi auctoritate Apoſtolorũ, & Epiſcoporum, & ſucceſſorum eorum. 441. 1. B

Amor duplex, Amicitię, & concupiſcentię, ille excedit hunc in tribus. 465. 1. D

Amoris in Deum vel proximum triplex gradus extenſiuus, intenſiuus, & recognitiuus, & hi in tres diſtinguuntur. 464. 1. H

Anania, & ſapphira peccatum puniuit D. Petrus non præcedẽte fraterna correctione, quia illud fuit notum Diuino, & non humano modo. 65. 2. D

Angeli poſt incarnationem filij Dei non permiſerunt ſe amplius adorari: tamquam iam natura humana excelſiore, & nobliore illis facta. 75. 1. D. & 116. 2. G

Angelis commiſſum eſt regimen vniuſcuiuſque hominis. 113. 2. A

Angelis non eſt communiter commiſſa adminiſtratio omnium Sacramentorũ, duas ob cauſas. 114. 1. H

Angelis quibuſdam maiores ſunt aliqui homines in pręmio glorię. 116. 2. E

Angelis ineſt maior aſſimilatio ipſi Deo per dona naturę. At per dona gratuita poteſt eſſe maior in homine. 116. 2. H

Angelica natura, quantum ad naturę conditionem maior eſt, quàm natura humana in Papa, & quocunque homine, ſed quantum ad Dei repræſentationẽ, maior eſt humana quàm Angelica. 74. 2 H

Angelus, & Deus ipſe figurari poteſt, nõ propria, ſed tranſumpta figuratione. 75. 1. C

Angelorum nulli commiſſa eſt cura totius mundi, ſed ſoli Papa. 113. 2. B

Angelus eſt maior homine, ex natura conditione, ſed Diuina authoritate poteſt ad plura ſe extendere authoritas hominis, quam Angeli. Ibidem. C

Angelus, de ſingulari Dei mandato poſſet miniſtrare Sacramenta. 114. 1. H

Angelus ſi quem baptizaret ille eſſet rebaptizandus. pagina Ibidem E

Angelos bonos contingit eſſe diſcordes circa eandem rem, quamdiu illis nota ſiat Diuina voluntas circa eam. 21. 1. D

Animę ſalus ſeruanda ſemper, ita vt nemo ſibijpſi, nec alius eam auferat, corporis autem, ita ſeruari debet, vt nullus ſeipſum illa priuet, non autẽ, ne ſibi auferatur ab alio, ſi ſaluti animę illam amittere expediat. 28. 1. G

Antichriſti aduentui pręcedet triplex diſceſſio in mundo. 129. 1. B

Apoſtatare multos à Religione non arguit ſtatum imperfectiorem. 516. 2. H

Apoſtolorum ordini connumerantur aliqui Sancti, non quantum ad dignitatis officium, ſed quantum ad ſanctitatis meritum. 107. 1. D

Apoſtoli quatuor dignitates à Chriſto immediatè conſecuti ſunt. Ibidem.

Apoſtoli omnes fuerunt Epiſcopi, & immediatè Vicarij, & teſtes doctrinę eius. 107. 2. D

Apoſtolis cęteris data eſt poteſtas ligandi, & ſoluendi per deriuationem à capite ſcilicet à D. Petro, & ſic in omnibus Epiſcopis, & Presbyteris eſt per deriuationem à Papa. 123. 2. B

Apoſtolica Sedis Priuilegium auferentes, & impugnantes nõ immerito hęretici appellãtur. 170. 2. H

Apoſtoli dabant Indulgentiam authoritate Chriſti, ſic Epiſcopi authoritate Papa. 178. 2. G

Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Doctorum, & Paſtorum locum habentium in Eccleſia: quę munera ſint propria. 372. 2. F

Apoſtoli vocati fuerunt ad ſtatum Religionis, & Prælationis ab æterno. 423. 1. A. C

Apoſtoli in Prælationis ſtatu, quoad executionem, prius ad Religionem, & poſtea ad Prælationem vocati fuerunt. 440. 1. E

Apoſtoli fuerunt vocati ad perfectionis ſtatum non præſuppoſita obſeruatione mandatorum. 424. 1. F

Apoſtoli poſt eorum vocationem proficiebant in perfectione ex quatuor. Ibidem. 2. G

Apoſtolos fuiſſe baptizatos Chriſti baptiſmate, tripliciter oſtenditur. 425. 2. B

Apoſtoli habuerunt familiarẽ Spiritumſanctum, poſt Aſcenſionem, quoad Euangelij prædicationem ſicut antea habuerant familiarem Dei filium, quoad præſentialem conuerſationem. 429. 2. B

Apoſtoli non indigebant libris propter ſuam ipſorum præuiſionem, ſed propter aliorum informationem, & propriam ipſorum conſolationem. 429. 2. D

Apoſtoli circumducebant mulieres propter illarum deuotionem, Apoſtolorum adminiſtrationem, ipſarum approbationem, et propter virorum ipſarum conuerſionem. 431. 2. B

Apoſtolorum perfectio ſuperauit ſtatum perfectionis ſequentium cunctorum Prælatorum, in quatuor. pagina 436. 1. F

Apoſtolorũ vnus fuit perfectior altero in ſingulari aliquo dono. 436. 2. E

Apoſtolorum ſtatus perfectio ſuperauit ſtatum perfectionis D. Ioan. Baptiſtę, & diſcipulorum eius. pagina 437. 1. A

Apoſtoli omnes receperunt ab ipſo Chriſto poteſtatem ordinis; poteſtatem autem iuriſdictionis non niſi à D. Petro. 439. 1. D

Apoſtoli ſoli, & non ſeptuagintaduo diſcipuli fuerunt vocati ſingulariter ad tria. 438. 1. E

Apoſtolorum ſtatus Prælationis reſpectu ſtatus Religionis fuit perfectior, dignior, vtilior, & difficilior pagina 440. 1. E.

Apoſtolis, & prædicatoribus prohibuit Chriſtus ſolicitudinem pro uitę neceſſarijs, & dedit facultatem accipiendi ea ab illis: quibus ſpiritualia miniſtrabant. 442. 2. F

Apoſtoli non indigebant manibus laborare 443. 2. D

Apoſtolis fecit perfectionis ſtatũ continẽtia. 446. 1. H

Apoſtoli ſeruauerunt continẽtiam ex voto. 448. 2. E

Apoſtoli vouerunt vota cõia & ſpecialia. 451. 2. C

Apoſtoli Chriſto aſſiſtentes erant perfecti & perficiendi. 502. 1. F
Apparatus exterior Papa poteſt referri in gloriam Chriſti propter reuerẽtiam Sacerdotij Chriſti, propter populi ſubiecti obedientiam, & propter malorum reprimendam malitiam. 497. 2. A
Appellatio omnis de rebus arduis, & grauibus deferri poteſt ad Papam, non autem quæ de cauſis minimis interponitur. 6. 1. H
Appellare, à Papa ad Deum ridiculum eſſe oſtenditur tripliciter. 56. 2. G
Appellationis *cauſa non eſt alia quam oppreſſorum releuatio.* 56. 2. H
Appellare *à ſententia Papæ ad Deum debet homo nõ via appellationis, ſed ſupplicationis, & orationis.* pagina 57. 1. D
Appellatio *importat tria; videlicet ordinem iudiciarium, temporis determinationem, & propria iuſtitia defenſionem.* 58. 1. F
Appellare *à Papa ad Deũ eſt appellare contra Deum quia eſt reſiſtere ordinationi Diuinæ.* 58. 1. F
Appellare *à Papa præſente ad futurum, res eſt ridiculoſa.* 60. 1. F
Appellare *à Papa ad Cardinales eſſet appellare à Domino ad illi ſeruientes.* 60. 2. H
Appellare *non licet à Papa ad Concilium generale, quia Concilium nec congregari, nec per ipſum aliquid determinari poteſt ſine auctoritate Papæ.* pagina. 61. 2. D
Appellatio *quid ſit.* 249. 1. A
Appropriatio *rerũ non dicitur eſſe ſecundum ius naturale. non quòd ſit contra illud, ſed quia non ſecundum ipſum ſed ſecundum ius poſitiuum facta eſt.* pagina 287. 1. B
Archa Noe *fuit figura Papæ, quatenus fuit figura Chriſti: cuius Papa eſt Vicarius.* 68. 1. G
Arca Noe *repræſentat Chriſtum multipliciter.* Ibid.
Arca Noe *fuit diſpoſita iuxta proportionem corporis humani in longitudine, latitudine & profunditate.* pagina Ibidem
Argumentum *à ſimilitudine quãtum in vno congruit, tantum in alio diſcrepat.* 35. 1. B
Argumentum *à maiori ad minus non valet, niſi quando magis, & minus uniformiter ſe habẽt.* 47. 1. A
Argumentum *à ſimilitudine non dicit identitatem, ſed diſparitatem.* 87. 2. A
Articulus Credo *in vnum Deum rectè poſitus eſt contra negantes vnitatem Dei, & illius prouidentiam in gubernando, & iuſtitiam in pręmiando, vel puniendo.* 83. 1. A
Articulus *quòd Deus ſit Creator omnium viſibilium, & inuiſibilium rectè poſitus eſt contra dicentes Mundum eſſe æternum, vel factum ex pręiacente materia, & contra Manichæos, & contra eos qui non credunt niſi quæ videntur.* 84. 1. H
Articulus *de Spiritu ſancto plura habet quam articulus Patris, & Filij; quia plures errores inſurrexerunt contra illum, quàm contra iſtos.* 90. 2. G
Articuli *fidei continẽs quæ ad diuinitatem & quæ ad humanitatem aſſumptam pertinent, Vnde ſeptem ab hac, & totidem ab illa formantur.* 93. 2. A. & 309. 2. B.
Articulum *vnum nõ credens eſt incredulus & errãs, non autẽ hęreticus, niſi pertinax, exiſtat.* 169. 1. C
Articuli *fidei nõ poſſunt imminui quoad ſubſtantiam credibilium. poſſunt tamen variari per explicationem, & ordinationem ad extirpandas hæreſes contra illas inſurgentes.* 310. 2. G
Articuli *neceſſitate conſecutionis finis cogunt omnes. neceſſitate coactionis nullos. neceſſitate obſeruationis omnes Chriſtianos.* 311. 1. D
Articulorum *fidei diſtinctio.* 310. 1. E
Articulorũ *in additione diſpenſare poteſt Papa multiplicando, vel explicando, vel reducendo.* Ibidem.
Aſtrologi *diuinatores corpora cæleſtia pro Deo conſtituunt, opera noſtra à grato Dei ſeruitio ſubtrahunt, & quod proprium eſt Dei creaturis tribuunt.* pagina 261. 1. A
Aſtrologia *deſeruiẽs humanę vtilitati non eſt probibita.* Ibidem. B
Aſtrologia *probibetur ſecũdum illa: quibus illius profeſſores determinare volunt: quæ ex voluntate hominis dependent, & non quæ. agricolæ, nautæ, & medici obſeruant ſecundum aſtrorum motus circa effectus corporales.* Ibidem. C
Aſtrologia *inter artes liberales cõputatur quia olim gentilium liberorum filij ea imbuebantur.* Ibid. D
Attingere *Deum poteſt quis ſolo charitatis affectu, ſine omni mandatorum obſeruatione, immo cum eorum trãſgreſſione pcedente vt in Saulo.* 423. 2. C
Attributa *appropriata quàm conuenienter appropriẽtur perſonis Diuinis.* 88. 1. F
Auctoris *opera multa enumerantur in vita ipſius.*
Auctoritatem *maiorem habet Papa in toto mundo, quàm quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi.* 341. 1. B
Audientium *excitandorũ per prędicatores modi quinque.* 531. 1. A
Auguſt. Triumphus *Anconitanus huius operis auctor laudatur in Epiſtola prima.*
D. Auguſtinus *fuit electus Epiſcopus per ceſſionem Valerij Epiſcopi. Vel ſi hic non ceſſit viuens. D. Auguſt. fuit coadiutor illius adhuc viuentis, & eo mortuo fuit electus Epiſcopus.* 20. 1. E
D. Aug. *mutauit Sententiam in bonũ, ex lectione Marci Tull. Ciceronis.* 487. 2. B
D. Aug. *locus de ijs qui in peccato mortali patiuntur propter fidem, declaratur.* 187. 2. A
Aureola *quid ſit.* 537. 2. D
Aureola *non datur Doctoribus, niſi ob ſingularem victoriam de eiectione dæmonum à tota multitudinę per publicam doctrinam.* 538. 2. F
Auxilium *Dei ſperantes non debemus nobis ex parte noſtra deeſſe.* 505. 2. D
Auxilio *humano deficiente, quærendum eſt Diuinum, ſed uia ſupplicationis, non appellationis.* 59. 2. B

B

BAptizare *poteſt Laicus ſolum in articulo neceſſitatis.* 117. 2. C

Baptiſ-

Baptiſmus pręcedit omnia Sacramenta in neceſſitate: Eucharistia in dignitate: Matrimonium in antiquitate. Ordo in adminiſtrandi poteſtate. 307. 2. D
Bellum committi in die, feſto poteſt intelligi tripliciter. 271. 1. E
Bellanti pœna ſtatuitur, quando nulla ſuperioris poteſtate concedēte, vel pracipiente in ſanguinem alicuius armatur. 272. 2. F
Benedictini monachi quoad corporalium exercitationem ſuperant ceteros Religioſos. 327. 2. A
Benefactoribus tria conſideranda. 414. 2. E
Beneficium conferre bono, dimiſſo meliori, propter eius paupertatis ſubſidium, & honeſtatis obſequiū non eſt acceptio perſona. 253. 2. D
Beneficium dari propter adminiſtrationem eſt de iure, diuino. Quod vero plura, vel pauciora dētur vni, eſt de iure poſitiuo. 367. 1. C
Beneficia plura habens non tenetur recitare horas canonicas niſi ſemel in die. 362. 1. G
Beneficia Eccleſiaſtica ita diſtribuenda, vt ſingulis benemerentibus prouideatur de neceſſarijs, & nō vt vnus abundet, alius verò eſuriat. 377. 1. A
Beneficiatus poteſt adminiſtrara beneficium per aliū ex ſuperioris auctoritate. 357. 2. A
Beneficiati in pluribus Eccleſijs, cuius officium dicere debeant. 363. 1. A
Beneficiati ægrotantes excuſantur à recitatione horarum, & participant de illis: quas reliqui in Eccleſia recitant. 364. 1. E
Beneficium temporale, ex ordine natura, & charitatis conferendum eſt magis familiari propinquo, & intimo, ſed ſpirituale magis idoneo, & digniori. pagina 376. 1. G
Beneficium duplex ſpirituale: quod datur in Sacramentorum adminiſtratione, & temporale; quod datur in vitę pręſentis ſuſtentatione. 363. 2. B
Blaſphemia ex infidelitate procedēs punitur ſicut hęreſis. 172. 1. G
Bona corporalia proſunt ad ſalutem, ſi ordinantur ad ſpiritualia. 13. 1. B
Bona animi non poſſumus amittere inuiti, corporalia verò etiam nolentes amittimus. 51. 1. C
Bona corporalia tripliciter ordinantur ad ſpiritualia. pagina 183. 1. C
Bona triplicia, Infima, vt corporalia, & temporalia. Media, vt intellectus, voluntas, & reliquę potentię anima. Suprema, vt virtutes infuſę, & acquiſita. 255. 1. B
Bona Eccleſiaſtica diſpenſanda, pro ſuſtentandis miniſtris Eccleſię. Pro reparandis Eccleſijs, & pro pauperibus, & peregrinis recipiendis. 381. 1. C. & 237. 2. C
Bona Eccleſia ſunt Papę tamquam diſpenſatoris, non tamquam Domini, vel poſſeſſoris. 386. 2. H
Bona ſtabilia Eccleſia non poteſt Epiſcopus alicui legare. 509. 1. D
Bona mobilia poteſt Epiſcopus non ex teſtamento, ſed ex donatione diſtribuere moderate inter ſuos, etiā in mortis articulo. Ibidem. 2. A
Bona ſtabilia empta de pecunia Eccleſię ſunt Eccleſia. Ibidem. B
Bona Epiſcopi morientis non diſtincta à bonis Eccleſia, quomodo diſpenſanda. Ibidem 2. C
Bonorum creatorum tria genera, Delectabilia, Vtilia, & Honorabilia. 262. 2. H
Bonum volumus Deo per illius communicationem, non autem per illius conſecutionem. 465. 2. D
Bonum per bona media procurandum. 507. 2. C
Bonus dicitur quis vniuerſaliter voluntate, & charitate, per alia dicitur bonus ſecundū quid. 99. 2. C

C

CANONES Summorum Pontificum diſpenſationem recipiunt quantum ad eorum mutationem. Quantum ad eorum additionem, & multiplicationem, & quantum ad eorum interpretationē, & explicationem. 319. 1. D
Canones tractant de ijs de quibus, & Theologus, ſed diuerſimode, & ponuntur quinque differentia tractandi. 537. 1. A
Canonibus ita authoritatem praſtat Papa, vt ſeipſum non ſubijciat illis. 223. 1. A
Canonizare aliquem quid ſit. 95. 2. D
Canonizatio Sancti in tribus principaliter conſiſtit. pagina Ibidem
Canonizādi modus: qui modo ſeruatur non erat apud primitiuam Eccleſiam, quia tunc omnes Sancti moriebantur Martyres, & miracula erant euidentia. pagina 96. 1. F
Canonizandus pro Sancto debet eſſe vniuerſaliter, & non ſecundum partem bonus. 99. 2. G
Canonizandis neceſſaria bona fama. 101. 2. A
Canonizatio Sanctorum non fit niſi duodecim per ordinem ſeruatis. 104. 2. E
Canonizatio Sancti non eſt facienda ſtatim, propter miraculorum raritatem, propter operis arduitatē, & propter fidei firmiatem. 105. 1. D
Canonizans Martyrem Papa ſeruat eūdem ordinem quem in canonizando confeſſore, quoad diſcutiendam, & inquirendam cauſam, non autem quantum ad motiuum cauſa canonizationis. 106. 1. H
Canonizans Martyrem non ſolū debet inquirere cauſam, ſed modum patiendi. 106. 1. H
Canonizandi non ſunt omnes: qui beata vita fruūtur. pagina 108. 2. E
Canonizari in ſanctum poteſt quis doctor etiam quòd nō prohibeatur aliter ſentiri de ſcriptis illius, quàm ipſe ſenſerit. 92. 1. G
Canibus rabidis negādus eſt panis doctrinę famelicis autem communicandus. 536. 1. H
Capitis naturalis quatuor ſunt conditiones ſpirituali capiti pulchrè conuenientes. 118. 1. H
Caput cum membris conuenientiam, in habitu apparentiam, & influentiam habere debet. 529. 1. B
Capitulum quando poteſt conferre beneficia Epiſcopi Sede vacante. 359. 1. B
Character imprimitur in ſuſceptione cuiuſcunque ex ſeptem ordinibus. 6. 2. H
Character nouus non imprimitur in Epiſcopatu, ſed impreſ-

impreſſus perficitur, nāque Epiſcopus poteſt alios ordinare, quod non poſſunt Sacerdotes inferiores. pagina 6 1. H

Character non imprimitur in Papatu, quia tunc Papa non poßet renunciare Papatui, & non poſſet eligi in Papam, niſi qui eßet Epiſcopus, vel Sacerdos. 40.1. H

Cardinales dicti ſunt à cardine, quia ſicut in cardine vertitur totum oſtium, ſic inter eos vertuntur omnia negocia conſiliabilia totius mundi. 60. 2. H

Cardinales ſunt ſicut conſiliarij, & ſicut famulantes, & ſeruientes Papa. Ibidem

Cardinales comparantur ad Papam ſicut terra ad cœlum. Vnde ſicut cœlum alterat terrena, & hęc non inſurgunt contra cœlum ſic eſt Papa erga inferiores poteſtates. Ibidem.

Cardinales aſſiſtũt Papæ, vt Apoſtoli aſtiterunt perſonaliter Chriſto ante illius mortem & Aſcenſionem. 71. 1. C

Cardinales aliquando ſuborta cauſa poſſunt mitti à Papa, & Epiſcopi ex ſuborta cauſa aſſiſtere poſſunt Papæ ad ipſius beneplacitum. Ibidem 2.C

Cardinales non aſſiſtunt Papæ tamquam limitantes, vel determinantes illius poteſtatem, ſed tamquàm miniſtrantes, & conſulentes. 97. 1. D

Cardinalium Collegium mortuo Pontifice non poteſt conferre beneficia Eccleſiaſtica. 359. 1. C

Cardinalibus vacante Sede cætera negocia interdicuntur, vt electioni Papæ magis intenti ſint. pagina. Ibidem. 12. A

Cardinalibus meritò conuenit electio Pontificis Romani, cum & ipſi Rom. Eccleſiæ clerici appellentur. 28. 1. F

Cardinales, perfectorum, & non perficiendorum ſtatũ repręſentant. Ideo perfecti viri ad illum aßumendi ſunt. 502. 1. F

Cardinales quales eße debent ex D. Bern. verbis. pagina 501. 2. D

Cardinales Diaconi qua ratione pręferantur Epiſcopis, & qua ratione Epiſcopi illis. 503.1. A

Cardinales quia Clerici Romanę Sedis honoris dignitate pręferuntur omnibus alijs Pręlatis. Ibidem

Cardinales principaliter ordinantur ad perfectionem dilectionis Dei, Epiſcopi principaliter ad perfectionem dilectionis proximi. Ibidem. B

Cardinalibus, ſicut debetur primus locus ſuper Pręlatos ratione Eccleſię cui aſſiſtunt, ſic eiſdem conuenit ardens charitas ratione ſtatus: quem repręſentant, & inſtitia æquitas ratione officij quod adminiſtrant. Ibidem 2. C

Cardinalium, magis quàm Epiſcoporũ perfectionis ſtatui conuenit rerum abdicatio. Ibidem

Cardinaliũ electio eſt in mero Papę arbitrio. 504.2.F

Cardinales cur conueniat elegi de toto orbe terrarum, magis quàm omnes de vna tantum patria. pagina Ibidem. G

Cardinales cur Eccleſia non conſueuit eligere de Alemania. 505. 1. A

Cardinalium poteſtas in eligendo Pontifice eſt à De[illegible] pagina. 35. 1. D

Caſus Papę reſeruati Sex. 163.2.C

Caſus, qui excipiuntur, ne ad Papam veniant pro obtinenda abſolutione ob iniectionem manuum in clericos. Ibidem.D

Caſus, in quibus percutiens clericum non incurrit excommunicationem. Ibidem

Catonis dictum pulcherrimum de ſuperſtitionibus. pagina 262. 1. F

Charitas non poteſt tolli ab inuito, ſed ſuffragia Eccleſiæ poſſunt ſubtrahi etiam nolenti. 162. 2. E

Cauſam iniuſtam amittens non læditur, ſed iuuatur, lędebat enim ipſe proximum. 556. 1. F

Cedere poteſt quilibet iuri ſuo: quod ſibi in fauorem proprium, & non alterius, v. g. Reip. eſt conceſſum. 323. 2. D

Charitatem ſe habere non poteſt quis ſcientia certitudinali, ſed coniecturali. 187. 2. A

Charitatis in Deum quatuor gradus. 494. 1. E

Charitas ponit in ſtatu perfectionis formaliter, reliquæ virtutes materialiter, & inſtrumentaliter. pagina 447. 1. A

Charitatis pręcepto tenemur exponere vitam corporalem pro liberando proximo à morte ſpirituali, in caſu neceſſitatis. 497. 1. D

Catholica fides habet vniuerſalitatem, vnitatem & authoritatem. 308. 2. H

Chriſtianos ab infidelium dominio ſubtrahere poteſt Papa, propter iniuſtè acquiſitum dominium. Propter iniuſtum vſum, & propter indecentem ſtatũ. pagina 135. 2. B

Chriſtiani peccantes grauius puniendi, quàm Pagani, & Iudæi. 158. 2. E

Chriſtianis non eſt impoſita à Chriſto maior neceſſitas circa exteriora, ſed interiora opera. 269. 2. D

Chriſtiani quia magis liberi libertate Spiritus ita magis debent ceßare ab operibus ſeruilibus ſeruitute ſpirituali. Ibidem

Chriſtiani omnes maiores, & minores tenentur obedire Papę ſicut & olim Iudęi omnes Summo Sacerdoti. 247. 1. C

Chriſtus habuit poteſtatem Sacerdotalem, & Regalem, quod manifeſtatum eſt in eius Incarnatione, Conuerſatione, Paſſione, & Reſurrectione. 10.2.H

Chriſtus non dixit Regnum ſuum non eſſe in hoc mundo, ſed de hoc mundo. 11. 1. D

Chriſtus quare noluit fieri Rex ab hominibus. Ibi.2.C

Chriſtus expoſuit doctrinam ſuam omnibus diſputandam, tamquam veram, ſecus Machometus, quia ſuam habuit ſuſpectam. 15. 2. C

Chriſtus inquantum Dominus adoratur dulia, inquantum Deus, latria. 72. 2. H

Chriſtus ſolus eſt caput vniuerſę Eccleſiæ ſecundum interiorem influentiam. Papa verò ſecundum exteriorem pręſidentiam. 118. 2. H

Chriſtus eſt oſtium. D.Petrus & ſucceßores eius clauigeri Regni Cœlorum, ab ipſo Chriſto in eum credentibus promiſit. 122. 1. E

Chriſto ſoli conuenit habere claues poteſtatis excellentia. Ibidem. G

Chriſtus cur habitauit in Iudęa. 128. 1. E

Chriſtus

Chriſtus accepit poteſtatem ſuper gentes ob crucis victoriam. 128. 1. E
Chriſtus licet non honorauerit Romam præſentia ſua, elegit tamen eam, vt eſſet caput Eccleſiæ ſuę. pagina Ibid. 2. E
Chriſtus quomodo liber à ſolutione tributi. 135. 1. A
Chriſtus in ſua oblatione dignior fuit mortem in cruce vincere, & cœleſtem ianuam fidelibus aperire, quàm à mortuis reſurgere. 217. 1. D
Chriſtus quare quandoque rogatus, & quandoq; non rogatus ſanauit ægrotos. 256. 1. E
Chriſtus exiſtit in nobis tribus modis. 217. 2. C
Chriſtus quomodo diſpenſauit in lege Moyſi quoad pręcepta ceremonialia, moralia, & iudicialia. pagina 314. 1. E
Chriſtus vtramque perfectionis iuſtitiæ partem in carne aſſumpta exemplo monſtrauit. 394. 1. E
Chriſtus manibus non laborauit. 402. 2. G
Chriſtus quare cibos ſibi ab alijs miniſtratos recipiebat. Ibidem. H
Chriſtus elegit paupertatem in ingreſſu, progreſſu, & egreſſu præſentis vitæ. 403. 2. D
Chriſtus habuit in communi non diuitias naturales, ſed aliquas ex artificialibus. 405. 1. A
Chriſtus quare noluit ſoluere tributum de pecunijs quas in communi habebat. 406. 1. F
Chriſtum ita viuere conueniebat, vt ille modus viuendi conueniret ſtatui perfectorum, & infirmorum. pagina 408. 2. F
Chriſtus venit in mundum ad ſanctorum contemplationem, & peccatorum conuerſionem. 409. 2. B
Chriſtus exercuit actus vitæ contemplatiuæ, & actiuæ. Ibidem. C
Chriſtus declarauit vnà cum humanitate ſua ſuam quoque Diuinitatem. 410. 1. E. & F
Chriſtus, & præcurſor eius contrarijs vijs inceſſerunt, quatuor ob cauſas. Ibidem. 2. F
Chriſtus honorauit matrem ſuam, in eius adoleſcentia, in aliorum præſentia, in eius abſentia, & funerali diligentia. 411. 2. D
Chriſtus diuerſimode ſe habuit cum ſuis conſanguineis, numquam autem eorum vitia approbauit. pagina 412. 2. G
Chriſti actiones fuerunt non ad illius perfectionē, ſed ad noſtram informationem. 413. 2. C
Chriſtus quomodo obedierit homini. 415. 2. D
Chriſtus potuit mereri, & perfici merito accidentali: quo meruit naturę humanæ exaltationem Diuini nominis donationem. Omnium creaturarū ſubiectionem, & omnium linguarum confeſſionem. pagina 417. 2. C
Chriſtus votum obedientię ſolemnizauit in conſecratione ſua: quę facta eſt in inſtanti ſuæ conceptionis. pagina 418. 1. H & 2. G
Chriſtus gratis non eſt mortuus finaliter. 185. 2. B
Chriſtus non potuit exercere actum copulæ coniugalis propter illius ad ipſum repugnantiam, & incondecentiam. 419. 2. B
Chriſtus ſi genuiſſet generaſſet humanum ſuppoſitū. pagina 420. 1. F
Chriſtus de quolibet ſtatu mundi aliquid accepit. pagina 421. 1. A
Chriſtus ſi coniugalem copulam exercuiſſet nullo modo à perfectionis ſtatu decidiſſet. Ibid. 2. A
Chriſtus vitam vixit virginalem, non propter perfectionis ſuæ conſecutionem, ſed propter membrorū ſuorum imitationem. 422. 2. E
Cibis pluribus quare vti liceat, non autem pluribus vxoribus. 282. 2. F
Circa continentiam ſeruandam, quę conuenientia ſit inter Occidentales, & Orientales clericos. pagina 454. 2. H
Circumciſio conferebat gratiam, non ex eius officio, ſed propter Dei pactionem ex quadam inſeparabili concomitantia. 198. 1. F
Claues in Eccleſia ſunt ſpirituales, quantum ad ſuos principales, & immediatos effectus, ſed quantum ad ſecundarios, temporalia etiam omnia illis ſubduntur. 123. 1. A
Claues Eccleſię, cur potius dicantur claues cœlorū, quàm inferni. Ibidem. 2. C
Clauis rectus debet eſſe vſus. 185. 1. D
Clauium poteſtate aperitur, & clauditur non ſolum regnum ſpirituale, ſed etiam temporale. 122. 2. H
Clauium poteſtate nullus iudicatur iudicio modi temporalis immediata executione, ſed immediata iuriſdictione omne rectum iudiciū fit in Eccleſia virtute clauium. 122. 2. H
Clauium poteſtas in Papa vna eſt, ſed actus ſunt plures. 124. 1. F
Clauium Poteſtas in Papa, vt Papa eſt, magis dicit poteſtatem iuriſdictionis, quàm ordinis. 125. 1. A
Clauium actus tres. 124. 1. F
Clemens ad euitandum malum exemplum in poſteris renunciauit Papatui. 19. 2. D
Clerici in minoribus ordinibus conſtituti poſſunt aſſumi in Prælatos, dummodo infra breue tempus poſſint in Presbyteros, vel Epiſcopos promoueri. pagina 42. 1. G
Clericorum obedientia ad Papam eſt principalior, vniuerſalior, & immediatior, quàm laicorum. pagina 130. 2. H
Clericis prǽeſt Papa poteſtate ordinis, & iuriſdictionis, laicis verò tantum poteſtate iuriſdictionis. pagina 131. 1. A
Clerici dicuntur eſſe in ſtatu perfectionis, non ſimpliciter, ſed in comparatione ad laicos. 457. 2. B
Clericis prǽcipue, & vniuerſaliter mandatur, vt diebus feſtis vacent diuino cultui. 271. 2. B
Clerici non poſſunt exercere Notariatus officium maximè in negocijs ſecularibus, & Epiſcopi id illis permittentes peccant. 551. 2. A
Clericus, ſi officium aduocati faciat contra Eccleſiā in qua habet beneficium, quomodo, & quando eſt puniendus. 552. 2. H
Clerici in ſacris conſtituti, ſi homicidium committūt ad Papam mittuntur, qui cum talibus difficilè diſpenſare conſueuit. 278. 1. G
Clerici Romani ſunt ſucceſſores Cardinalium in nominatione, non in iuriſdictione. 29. 1. B

Coacta

Coacta ſeruitia non ex coactione, ſed ex voluntaria ſubſequentia, non ſpernit Deus. 142. 1. F
Coadiutor datur prælato impotenti, & innocenti: qui autem reus eſt deponitur. 251. 1. A
Cogendus nullus ad credẽdum coactione abſoluta, ſed mixta, & conditionali. 142. 1. G
Cogitatio de craſtino in quo ſenſu prohibita à Chriſto. pagina 443. 1. A
Coguntur ſanctè pij viri ad bonum. 142. 1. F
Collegum eſt cauſa Papatus, non quoad authoritatem, ſed quoad determinationem perſonę. 35. 2. B
Collegium Cardinalium Sede vacante habet poteſtatem Papæ in radice, quantum ad id: quod eſt materiale in Papatu, nõ autem, quo ad authoritatem: quod eſt quid formale, nam quantum ad hoc numquàm moritur talis poteſtas. 36. 1. G
Collegium Cardinalium Papa mortuo nihil poteſt, niſi quod eis per ſtatutum illius, vel prędeceſſorum eſt conceſſum. 37. 2. A
Collegium Cardinalium poteſt ſubrogare alium pro Camerario, vel pœnitentiario ſi contingat hos mori Sede vacante. Ibidem
Collegium Cardinalium Sede vacante poteſt rebelles Eccleſię excommunicare. 359. 1. D
Committere poteſt Papa totum officiũ Papale quoad iuriſdictionem, non autem quoad canonicam electionem, vel immediatam adminiſtrationem. pagina 383. 1. C
Comprehendere poteſt viator Deum: non per ipſius comprehenſi incluſionem, ſed per viſionis ipſius conſecutionem. 398. 2. E
Commune bonum præfertur bono priuato in eodem genere operis. 514. 1. G
Communitas non eſt excommunicanda, ex imitatione Diuinæ miſerationis, ex Eccleſiæ prohibitione, ex periculi euitatione, & ex naturali ratione. 165. 1. C
Communitas excommunicari non poteſt, quia ei non conuenit agere nec pati, quæ ſunt ſuppoſiti. pagina 232. 1. F
Communicare poſſunt iuſti in Eccleſia ſpiritualia bona per communionem charitatis, ſed non Indulgẽtias, quia non habent iuriſdictionem. 181. 2. C
Communio duplex in Eccleſia, charitatis, & iuriſdictionis. Ibidem. B
Communitati vici præſunt Presbyteri. Ciuitatis, Epiſcopi. Prouinciæ, Archiepiſcopi. Regni, Patriarchæ, & Primates. Totius orbis Papa. 10. 1. G
Conceſſum dicitur quod non eſt prohibitum, ſi nec in ſe, nec in ſua cauſa, ſi nec implicitè, nec explicitè prohibitum ſit. 166. 1. G
Concilium generale deberet eligere Papam ſi Collegium Cardinalium penitus deficeret, & non clerus Romanus. Namque ſic, faciliùs vitaretur ſchiſma; quod poſſet oriri, & tolleretur dubitatio: ad quem in tali caſu electio illa ſpectaret. 28. 2. H
Concilium generale non habere authoritatem ſine Papa intelligitur de illo quod congregatum fuiſſet Papa viuente, quia nec ſine Papa congregari poſſet. pagina 29. 1. C
Concilium generale congregatum per Papam. Papa mortuo, & deficiente Collegio Cardinalium poſſet determinare omnia ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentia. Ibidem. D
Concilij generalis eſſet deponere Papam in hæreſim prolapſum. tunc enim deſinit eſſe Papa, & poteſtas remanet in Eccleſia. 54. 1. H
Concilium generale non poteſt congregari niſi per Papam: quando eſt Papa, qualis non eſt effectus hæreticus. Ibidem. 2. F
Concilij poteſtas maior eſt poteſtate Papæ maioritate potentiali, & Papa eſt maior maioritate actuali; et ideo ſimpliciter maior. 61. 1. F
Conciliorum canones non recipiunt diſpẽſationem in his, quæ pertinent ad fidei catholicæ explicationẽ, ſed in illis: quæ ſpectant ad ſtatus fidelium diſpenſationem. 320. 2. E
Concupiſcentia rei alienæ accipitur vt nobis innata ut rationabiliter ordinata, vt eſt in nocumentum proximi deliberata, & vt eſt opere conſummata. Duobus vltimis modis eſt peccatum mortale. 296. 2. B
Concupiſcentia carnalis, vt eſt in nobis inchoata, eſt cohibenda, vt deliberata, eſt prohibenda, vt opere exteriori conſummata, eſt punienda. 297. 1. C
Concupiſcentia carnalis fuit in omnibus præterquam in Chriſto, & matre eius. 298. 1. E
Concupiſcentia ex ſuggeſtione, & ex aliqua delectatione non eſt mortale peccatum, ſed initium peccati, at ex completo conſenſu fit mortale. 299. 1. C
Concupiſcentia carnalis frenandæ remedia. 301. 1. A
Confeſſarius non debet audire confeſſionem illius quẽ ſcit eſſe excommunicatum, niſi ſibi conſtet, quòd abſolutus fuerit. 164. 1. F
Confeſſarius electus ex facultate Papæ abſoluit in foro conſcientiæ ſolum. Ibidem. 1. E
Confeſſio ſemel facta ritè ſortitur ſuum effectum primarium, & ſecundarium. 345. 1. C
Confeſſio ritè facta ſemper conſequitur ſuum effectũ, etiam ſi ſit reiterata. Ibid. 2. C
Confeſſio in quinque caſibus reiteranda. 346. 1. G
Confeſſio triplex. Completa & Sacramentalis, hęc de pręcepto ſemel in anno facienda eſt. Incompleta, & conditionalis, coactiuè facienda eſt plus quã ſemel. Meritoria & ſalutaris conſultoriè facienda eſt, quoties fieri poteſt. 346. 1. F
Confeſſionis tempus. 347. 1. C
Confeſſionis reiteratione conſequimur remiſſionẽ peccatorum venialium, & augumentum gratiæ. pagina 345. 1. C
Confeſſores ſancti per modum perfectum diligendi Deum & proximum poſiti ſunt in ſtatu perfectionis. 464. 1. H
Confeſſores principum debent eſſe prę cæteris in ſcientia, in virtutibus, & operum pietate ad id muneris idonei. 522. 1. G
Confiteri plusquàm ſemel eadem peccata non poteſt Papa præcipere. 345. 1. A
Confiteri omittens quando peccat. 347. 1. B
Confiteri differens: qui habet paratum Sacerdotem non propterea dicendus eſt, ꝙ contemnat Sacramẽtum pœnitentiæ. 347. 2. A

Confir-

Confirmationem, vt conferat non poteſt committi ſimplici Sacerdoti. 385. 1. A
Conformare tenemur voluntatem noſtram voluntati Diuinę in his quę ſunt de pręcepto, non in his quę ſunt de conſilio. 31. 2. C
Coniugale vinculum diminuiſſet in Apoſtolis perfectionis ſtatum. 447. 1. D
Coniugati maiorem concupiſcentiam habent in carne quàm continentes, propter continuam experientiā, propter perſeuerantiam, & auxilij deficientiam. pagina Ibid. 2. A
Conſanguineos ſuos quomodo Chriſtus tractauit. pagina 412. 2. G
Cōſanguineum ęque dignum eligere dimiſſo extraneo non eſt acceptio perſonarum, ſecus autem, ſi conſanguineus eſſet indignus. 253. 2. G
Conſcientiam rectam dictantem quę ſunt facienda ex debito tenemur ſequi, non quę dictat quę ex congruo. 31. 2. D. & 253. 2. C
Conſcientia remorſus poteſt quandoque eſſe ſine culpa. 201. 1. A
Conſcientia erronea ligat ad conſilia, & ad indifferentia. 334. 2. E
Conſcientia erronea non ligat ad malum ſimpliciter, & per ſe, ſed ſecundum quid, & per accidens. pagina Ibidem. G
Conſcientiam erroneam habens de malo faciendo non eſt perplexus, quia conſcientiam illam debet deponere ad pręceptum ſuperioris. Ibidem. H
Conſcientia recta quę creditur eſſe recta magis ligat extenſiuè. Pręceptum verò Papę magis ligat intenſiuè. 335. 2. A
Conſecrationis verba proferuntur in perſona Chriſti, & non in perſona Sacerdotis. 9. 2. B
Conſecrari dicitur, nō ſolum: qui ſacra adminiſtrat, ſed etiam qui ea recipit.
Conſenſus completus in peccatum eſt finitus in genere naturę, ſed infinitus in genere moris. 299. 2. A
Conſeruatores Religioſis, & Chriſti pauperibus dare conuenit Papę. 388. 2. F
Conſeruatores datos per Papam, tria habere cōgruit. pagina 389. 1. B
Conſeruatores qui dandi ſunt Religioſis conuenit eſſe Clericos in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutos. pagina Ibidem. 2. A
Conſeruatores in quibus defendere habent ſibi commiſſos. 390. 1. F
Conſilium triplex. Non fraudulentum. Fraudulentum in efficax, & fraudulentum efficax. 329. 1. A
Conſtantinus impoſuit coronam Papę vt miniſter obſequens, & non ſicut auctoritatem prębens. pagina 226. 2. E
Conſtantinus eo iure potuit partem bonorum temporalium Imperij tradere in perpetuum Eccleſię: quo homo bonorum ſuorum partem Deo dare tenetur. 237. 2. C
Conſtantinus dedit Papę adminiſtrationem temporalium ad honoris venerationem, & dominij recognitionem. In quem finem Imperator bona quę habet à Deo accepit. 238. 2. F
Conſtantini donationem irreuocabilem eſſe, duabus rationibus oſtenditur. 339. 2. C
Conſtantinus non conſtituit Papam caput omniū Sacerdotum principaliter & effectiuè, nam id acceperat à D. Petro, ſed ſolum inſtrumentaliter & adminiſtratiuè. 218. 2. H
Conſuetudo poſtponenda eſt veritati, & rationi. pagina 206. 2. A
Conſuetudini, & conſtitutioni cuilibet eſt derogandum: quę abſque peccato mortali obſeruari non poteſt. 330. 2. F
Contemplatio qualis faciat ad perfectionem. pagina 479. 2. A
Contemplatiua vita eſt ſecurior perfectis, actiua eſt ſecurior perficiendis. 480. 1. E
Contemplationum duo genera. Ibidem. G
Contemplatiua ſimpliciter eſt perfectior, quàm actiua, licet quandoque contingat actiuam eſſe perfectiorem contemplatiua. 481. 1. D
Contemplatiua vita eſt pręferenda actiuę, quia dignior, quia ſecurior, quia iucundior, quia ſanctior, & quia diuturnior eſt. 482. 1. H
Contemplatiuę vitę finis eſt veritas per ſe, Actiua verò eſt operatio per ſe. Ibidem 2. H
Continentia in Chriſto non fuit ad conſequendū perfectionis ſtatum in ipſo, ſed ad illum alijs demonſtrādum. 420. 2. F
Continentia ſuperat coniugium in ſex pręeminentijs. pagina Ibidem. G
Continentiam feciſſe in Apoſtolis ſtatum perfectionis oſtendunt Chriſti conſilium. Chriſti exemplum. Apoſtolorum documentum, & ipſius continentię premium. 446. 1. H
Continentia à Clericis primitiuę Eccleſię ſeruata fuit, non tamquàm iuſſa, ſed ad Apoſtolorum imitationem. 455. 1. A
Continentia quandoque eſt de pręcepto. 460. 2. G
Continentiam ſeruantes ſine voto excedunt coniugatos in opere perfectionis, non autem in ſtatu perfectionis. 469. 1. C
Contritus debet magis velle pati quamcumque pœnā in genere, quàm peccare mortaliter. 200. 2. F
Contritio, & confeſſio, & interior ſatisfactio debent expleri in ipſius pœnitentis perſona, ſatisfactio autem exterior poteſt compleri per alium. 176. 1. E
Contumacia conſentire omnes de communitate probabile non eſt, ideo Communitas non eſt excommunicanda, ſed priuatę perſonę. 165. 1. D
Contumacia habet annexam idolatriam hęreſim, impœnitentiam, & erga pręcipientem irreuerentiā. pagina 231. 1. C
Copula carnalis etiam coniugalis diminuit ſtatū perfectionis, quia diminuit feruorem charitatis propter tria. 447. 1. D
Cordis corporalis quatuor conditiones cordi ſpirituali accommodata. 118. 2. G
Correctio fit tribus modis, ſcilicet. Per modum ſimplicis admonitionis. Imperij & comminationis, denunciationis & accuſationis: primus tantum modus adhibendus in corripiendo Papa. 64. 2. E

Correptio

Correptio, qua inferior corripit ſuperiorem debet habere diſcretionem, ſubiectionem, & dilectionem. pagina 64. 2. G
Correptio fraterna de publico peccato publicè facienda eſt, & de ſecreto ſecretè. 65. 2. A
Correptionis fraternę ordo ſeruandus eſt in peccatis occultis vergentibus in damnum priuatum: non autem in ijs quæ faciunt ad damnum Reipub. vt eſt crimen hæreſis. 66. 1. A
Correptionem fraternam ſic mandauit Dominus fieri, vt ſalua fama, prouideatur conſcientia. At vbi nõ poteſt fama ſaluari, cum eius præiudicio conſulatur conſcientiæ. 66. 2. G
Correptione fraterna an corripiendus Papa ſi peccat. pagina 64. 1. H
Correptio fraterna non eſt facienda de omni peccato. pagina 67. 2. A
Corpus humanum proportionatum debet eſſe ſepties longius, quàm latum, & decies longius, quàm altum. 68. 1. H
Corporis humani longitudo ſumitur à vertice capitis, vſque ad veſtigia, latitudo, à dextra in ſiniſtram, & altitudo à dorſo ad ventrem. Ibidem
Corporis Chriſti Sacramentum quia eſt cibus grandium, ſanctificationem in ſuſcipientibus per alia Sacramenta factam requirit. 306. 2. E
Corpus Chriſti habet triplicem modum eſſendi. In perſona ſcilicet ipſius. In Cœlo, & in Sacramẽto. pagina 95. 1. A
Corpus Chriſti verè conficitur in fermentato, ſicut in azymo. 154. 2. H
Credenda ſcire eſt omnium fidelium, eadem autem ſcire defendere contra impios eſt maiorum de Eccleſia, & maximè Sum. Pont. 77. 2. C
Credit homo non coactus neceſſitate coactionis, ſed coarctatus neceſſitate finis. 83. 1. B
Credenda non creſcũt ſubſtantialiter per additionem, ſed accidentaliter per explicationem. Ibidem
Credenda ſunt quæ immediatè faciunt ad ſalutem noſtram, licet non viſa, nec probata, non autem ſic citò multa alia. 105. 2. C
Credibilia à Doctoribus explicantur, & declarantur, Scibilia verò docentur, & probantur. pagina 372. 1. G
Crimina ſpiritualia conuenienter bonorum corporaliũ ſubtractione puniuntur. 173. 1. A
Cupiditas ſex mala facit. 294. 2. H
Curam habet Deus de gubernatione omnium rerum, ſed ſingulari modo de poteſtate Summi Pontificis Eccleſiam ſuam gubernantis. 8. 1. H
Curam magis ſingularem habet Deus de Sacerdotum regimine, quia ex bono regimine ſpirituali dependet etiam bonum regimen corporale. pagina 9. 1. B
Curia conſueuit potius recipere, quàm facere bonos, & plures boni in ea defecerunt, quàm mali pro feceriut. 502 1. E
Curationem animæ ægroti ſequuntur tria bona notabilia. 543. 2. C

D

DARE abſolutè beatius eſt quàm accipere, ſed in caſu poteſt eſſe econtra. 409. 1. B
Damnati citra condignum puniuntur. 202. 1. E
Damnatorum triſtitia ex tribus inſurgit. 201. 2. A
Damnatorum pœna accidentalis proueniens ex ſocietate malorum, quibus nocuerunt ſuis malis exemplis, minuitur ſi illi non damnantur, ſicut & ſanctis augetur accidentalis gloria. 203. 1. D
Deceptio citra dimidium pretij non inducit reciſionẽ contractus, eſt tamen peccatum. 291. 2. B
Decimas à Laicis poteſt petere Papa pro Eccleſiæ vtilitate. 380. 2. G
Decimarum nomine quæ dantur res cum ſint mere corporales poſſunt cedere in vſum Laicorum, ſed non niſi pro Eccleſiæ vtilitate. 381. 2. A
Decimæ triplici ex cauſa impoſitę in lege Moyſi, ſcilicet. Propter miniſtrorum templi ſuſtentationem. Propter ſacrificiorum oblationem, & propter pauperum & hoſpitum receptionem. 381. 1. C
Decimas Eccleſiarum ſolus Papa imponere & concedere poteſt. Ibidem D
Decimas de bonis Eccleſiaſticis à Clericis poteſt petere Papa, conuerſurus illas in proprios vſus, quãdo indiget. 382. 1. E
Decretales Summorum Pontificum maioris ſunt authoritatis, quàm dicta Doctorum. 489. 1. B
Defunctorum animæ quatuor modis ſoluuntur à pœnis. 521. 1. B
Delectabilia tactus ſunt prohibita, quia mala: Delectabilia guſtus ſunt mala, quia prohibita. 299. 2. B
Delectatio moroſa non eſt mortalis ob durationem temporis, ſed ob deliberationem conſenſus. 300. 1. F
Dęmones quandoque verè faciunt inſolita: quæ nobis videntur miracula. Quandoque verò non faciunt, ſed ſenſus hominum decipiunt. 102. 1. C
Dæmonum inuocatores dupliciter peccant in primum præceptum decalogi. 259. 2. B
Dei ſolius eſt agere immediatè per ſuam ſubſtantiam. pagina 227. 2. D
Deus eſt cauſa cuiuslibet entis entitatem, & bonitatem habentis in genere cauſæ efficientis, formalis, & finalis. 4. 2. H
Deus prouidentia generali habet curam de bobus, & de omnibus creaturis, ſingulariter tamen de ſua Eccleſia. 43. 1. B
Deus poteſt eximere vnam creaturam à iuriſdictione alterius, non autem à iuriſdictione ſua, quia ſic negaret ſe eſſe Deum. 62. 2. G
Diabolum conſulere licet ſuper re occulta per Diuinę poteſtatis coactionem, non autem per inuocationẽ, vel aliquam cum dęmonibus pactionem. 260. 1. G
Diabolus deformem mulierem formoſam facit apparere. 433. 2. C
Dij plures nuncupatiuè, & adoptiuè, ſed ſubſtantiuè vnus tantum Deus eſt. 85. 1. C
Diligendi Deum modus triplex. 396. 1. H
Diligendi Deum modus: qui etiam præcepto, & qui eſt in conſilio. 397. 1. A

Diligunt

Diligunt Deum alio modo ipſæ tres perſonæ Diuinæ, alio modo beati, alio viatores. Ibidem 2. D
Diſcipuli Chriſti non fuerunt coacti ad ieiunandum: quia præſentia Chriſti faciebat eos iuſtiores ieiunantibus. 473. 1. D
Diſcurrere de loco ad locum pro ſalute fidelium non minoris eſt meriti, & laboris, quàm proprijs manibus neceſſaria ad vitam ſibi procurare. pagina 516. 2. G
Diſpenſare non poteſt Papa cum dæmonum cultoribus. 260. 1. G
Diſpenſare non poteſt Papa cum Aſtrologis, & Planetarijs. 261. 1. A
Diſpenſandi ſuper iuramentum cauſæ debitæ. pagina 264. 1. F
Diſpenſat Papa in præceptis primæ tabulæ non per ipſorum præceptorum tranſgreſſionem, ſed per ipſorum tranſgreſſorum abſolutionem. 265. 1. B
Diſpenſatio ſuper votum ſolennis continentiæ dicitur non poſſe fieri, quia ſic difficile, & raro. 266. 1. E
Diſpenſat quomodo Papa in ſeruilibus operibus faciẽdis in die feſto. 269. 2. C
Diſpenſatio duplex Iuris, & Iudicis. 278. 2. E
Diſpenſare non poteſt Papa in his, quæ ſunt contra Diuinam inſtitutionẽ, contra naturæ ordinationem, & contra Diuini præcepti obligationem. 282. 1. G
Diſpenſare poteſt Papa in omni humana lege. pagina 316. 1. H
Diſpenſatio dicitur diſſipatio: quando eam non exigunt rationis, & Reip. vtilitas. 350. 2. E
Diſpenſator debet eſſe non ſolum fidelis, ſed etiam prudens. 357. 2. C
Diſpenſatores rerum Eccleſiaſticarum ſibi primo, & Eccleſiæ ſuæ ſeruientibus neceſſaria miniſtrare debent, & poſtea pauperibus. 405. 2. D
Diſpenſare poteſt Papa in voto continentiæ cum clerico. 455. 1. B
Diſputare de poteſtate Papæ vtile eſt propter ignorantiæ remotionem. Propter veritatis elucidationem, & propter doctrinæ Chriſti vitãdam ſuſpicionem. pagina 15. 1. D
Diſtinguuntur ſcientiæ non ex rebus conſideratis, ſed ex modo diuerſo conſiderandi. 536. 2. H
Diuitias poſſidere, vt per eas diuinum præceptum impleatur, eſt de ratione vitæ Apoſtolicæ. 13. 1. C
Diuitiæ impediunt à conſecutione beatitudinis ob nimiam ſolicitudinem, & attentionem, ob inſatiabilem cupiditatem, & ob mentis elationem. pagina 400. 2. H
Diuturna vacatio Eccleſiæ poteſt eſſe bona, ſi fiat propter bonum finem. 21. 2. B
Doctor Eccleſiaſticus debet attendere, vt doceat, delectet, & flectat. 532. 1. F
Doctores Theologiæ ex neceſſitate tenentur ſcire linguam eorum, quos docere debent, cæteras autem linguas expediret eos ſcire, propter infidelium conuerſionem, ſacræ Theologiæ pleniorem intellectionem, & docentium maiorem fructificationem. pagina 535. 2. D
Doctores quando poſſunt licitè de ſcientia docenda paciſci, numquam tamen ſcientiam vendentes, ſed operas ſuas locantes. 372. 1. F
Doctorum dicta diſpenſanda, ſeu emendanda Diuina lectione, inconcuſſa ratione, & Eccleſiæ determinatione. 318. 1. H
Doctrina alicuius poteſt improbari non improbato authore, & econtra. 492. 1. G
Doctrina veritas non eſt tacenda, nec omittenda propter ſcandalum particulare, ſed ſi omnes ſcandalizarentur eſſet pro tunc dimittenda. 534. 2. E
Doctus in ſacris litteris, & legitimè opus doctoris faciens non carebit aureola, quam non aſſequentur inſignibus doctoratus inſigniti, & docti, ſi alios non docuerint. 538. 2. E
Dominus eſt Papa omnium rerum per iuriſdictionem, & iuſtitiæ obſeruationem. 389. 2. B
Dominis temporalibus reddẽda ſunt temporalia, quaſi pro ſtipendijs, quia miniſtri Dei, & Papæ. 12. 2. H
Domini, & ſerui naturaliter, qui dicantur. 138. 1. F
Dominium temporale datum eſt in obſequium regiminis ſpiritualis. 25. 2. C
Dominium iuſtum non poteſt habere peccator ſuper iuſtum in his, quæ ſunt animæ, ſed in his, quæ ſunt corporis. 35. 2. D
Dominium ſupra alios eſt beneficium naturæ. pagina 138. 1. F
Dominium tyrannicum poteſt effici naturale, & naturale tyrannicum. 155. 2. D
Dominium, quod fuit ante Papatum fuit vſurpatum, & tyrannicum, vt Cain, & filiorum. 212. 2. F
Dominium recto titulo acquiſitum ſecutum eſt Sacerdotium. Ibidem G
Dominium, vt dicit naturæ gradus diſtinctionem, fuiſſet ante peccatum, non autem vt dicit ſubiectionẽ ſeruitutis. 213. 1. A
Dominium temporale tripliciter conſideratur. pagina 214. 1. G
Dominium, vt opponitur ſeruituti, nulli homini conuenit naturaliter affirmatiuè, ſed naturaliter negatiuè. 221. 1. B
Dominium quando dari poteſt ſubditis, inuitis ipſis. pagina 251. 2. B
Dominium temporale habetur tyrannicè, vel quantum ad acquiſitionem, vel quantum ad executionem. 214. 2. G
Dominium triplex, vſus rei, Rei, & diſpenſandi, vel adminiſtrandi rem. 406. 2. H
Dominium diſpenſandi res omnes creatas effectiuè, & principaliter reſidet in Chriſto, & in Vicario eius, adminiſtratiuè autem, & inſtrumentaliter apud Chriſti fideles. 407. 1. B
Dubia quamdiu ſine peccato credi poſſunt. 110. 1. F
Dubitare de ſingulis rationes pro, & contra adducendo, vt ex ſolutione ipſarum veritas magis eluceſcat vtile eſt. 15. 2. B
Dubius in fide etiam voluntaria electione infidelis eſt, non tamen eſt hæreticus, niſi ſit pertinax. 169. 1. B
Dubium in fide eſſe contingit quinque modis. pagina 168. 2. G

E

ECCLESIA imitatur iudicium Dei in veritate, non autem in modo iudicandi de veritate. pagina 161. 2. B
E ecleſia, quæ eſt congregatio fidèlium, numquàm deficit, & ſi non remaneret, niſi vnus fidelis, in eo remaneret Eccleſia. 36. 2. H
Eccleſia mortuo Papa non amittit iuriſdictionem, ſed ad tempus actualem iuriſdictionis adminiſtrationem. 37. 2. B
Eccleſia etiam tempore Antichriſti non deficiet vniuerſaliter. 129. 2. C
de Eccleſia eſſe tripliciter intelligitur. 137. 1. A
Eccleſia vtitur omnibus, etiam infidelibus ad profectus ſuos. Ibidem
Eccleſia eſt vna vnitate fidei, & charitatis. pagina 150. 1. F
Eccleſia, quæ eſt corpus Chriſti myſticum, habet duplicem vnitatem, ſcilicet membrorum ad caput, et membrorum ad inuicem. 150. 1. F
Eccleſia, quomodo tunica inconſutilis. 1501. H
Eccleſia cur in dignitatibus Eccleſiaſticis nominãdis imitata ſit magis ritum gentilium, quàm Iudæorum. 217. 1. C
Eccleſia multos abuſus tolerat, quia non fuerunt deducti in iudicium, & ob difficultatem correptionis. pagina 361. 2. B
Eccleſia regitur authoritate ſcripturæ. Traditionibus generalibus, & particularibus. Ad primas duas omnes ubique tenentur. 362. 1. F
Eccleſia recipit & tradit ea, quæ ſunt fidei. pagina 490. 2. G
Eccleſia Romana eſt prima Sedes omnium Eccleſiarum. 503. 2. C
Eccleſia, in corrigendis peccatis Dei iudicium imitãdo, quinque modis vtitur. 140. 2. F
Eccleſia quanta fecerit Deus, quæ non fecit propter Angelos. 8. 2. E
Eccleſiæ nomine non intelliguntur principaliter muri & bona temporalia, ſed magis animæ fidelium. pagina 32. 2. G
Eccleſia vnitate priuatus recipit in Sacramento Spiritum ſanctum, non quo fiat Deo gratus, ſed quo ſuſcipiat characterem, vel illius perfectionem. pagina 152. 1. F
Eccleſię militantis iudicium falli, & fallere poteſt, non autem Diuinum. 163. 1. A
Eccleſię ſuffragia prodeſſe poſſunt fidelibus per modum meriti, & per modum ſatisfactionis pœnę. pagina 194 2. G
Eccleſiæ adminiſtratio conſiſtit in ordinibus diuerſoru Prȩlatorum, in adminiſtratione Sacramentorum. In diuerſis prȩceptis ſubditorum. Et in omnibus poteſt Papa diſpenſare, prout exigit Eccleſię vtilitas. 305. 2. A
Eccleſiæ pulchritudo in quo conſiſtat. 324. 1. G
Eccleſiæ maximè neceſſarij ſunt tres actus, ſtudium Diuinorum. Exhortatio populorum, & doctrina magiſtrorum. 326. 1. H
Eccleſiam errare non poſſe quomodo exponitur. pagina 126. 2. F
Eccleſiaſticę perſonę non recipiunt immediatam temporalium adminiſtrationem, quam ipſę perſonaliter ſint executurę, ſed quantum ad miniſteriale commiſſionem. 238. 2. G
Eccleſiaſticę res non ſunt diſtribuendæ, niſi in vſus ad quos ordinatę fuerunt. 406. 1. F
Eccleſiaſticarum rerum dominium reſidet in Papa. pagina 509. 2. C
Electio Dei non infert violentiam his, quæ futura ſunt. pagina 18. 2. G
Electio fiebat per ſortes ante Pentecoſtem, ſed poſt Pentecoſtem per hominum electionem. Ibidem. H
Electio Papæ examinanda eſt, vt canonicè celebretur, non autem vt facta diſcutiatur tamquam approbanda, vel reprobanda, quia non habet ſuperiorem in terra. 24. 1. G
Electio Papę vitiari poteſt ex parte eligẽtium, ex parte electi, & ex parte electionis. 23. 1. B
Electio ſolius Papæ eſt ipſius confirmatio. 24. 2. E
& 224. 1. H
Electio Papę cito, & ſolemniter populo annuncianda eſt propter illorum gaudium. 26. 2. F
Electio Papę olim conceſſa Romanis. 27. 1. C
Electio Papæ nunc pertinet ad ſolos Cardinales, tum quia repræſentant perſonas Apoſtolorum Chriſto aſſiſtentium, tum etiam quia citius adhibetur remedium, quando negocium ad paucos reducitur. pagina Ibidem. D
Electio Papæ facienda eſt (ſi poteſt) in loco vbi Papa obijt, & communitas illius terræ debet facere obſeruare quæ ſtatuta ſunt circa Papæ electionem. pagina 29 1. D
Electo ſufficit, vt ſcientia, & vita ſit idoneus, vnde & eligenti ſatis eſt eligere talem. 31. 1. A
Electio in Paſtorem bona eſt, quando eligitur bonus in vita, & in ſcientia ſuffragante alia bonitate, quæ requiritur ad Prælaturam. 31. 2. D
Electione ordinaria ſoli Clerici vocantur ad munera, quæ ſunt Clericorum; Diſpenſatoria autem electione, etiam Laici vocantur ad aliqua munia Eccleſiaſtica. 385. 2. C
Electione hominum ſemper creatus fuit Papa poſt D. Petrum ad vitandum hominum fallibile iudicium, ad euitandum poſteriorum exemplum, & ad habendum populi teſtimonium. 19. 2. A
Electione, potius quàm ſucceſſione Papam fieri conueniens eſt. 20. 2. G
Electiones Pontificum olim præſentabantur, ſicut ex nunc denunciãtur eorum creatio, & coronatio principibus Laicis, ad euitanda ſchiſmata, & vt nullus hęreticorum, vel ſchiſmaticorum audeat contradicere. 26. 1. H
Electionem Papæ prȩcedere debet tractatus, & in primis inuocatio Spiritus ſancti, vt ab eligentibus remoueat corruptionem, fictionem, & malam conſpirationem. 38. 2. F
Electionem Papæ præcedere debet tractatus de modo eligendi,

eligendi, & comparando perſonam ad perſonam, zelum ad zelum, & numerum ad numerum. pagina Ibidem

Electionis Papę taxata fuit certa forma, videlicet, vt conueniant ad illius electionem ſaltem duæ partes Cardinalium. Quod congruum eſt propter impetrandum Diuinum auxilium. Propter remouendũ periculum. Et propter dictæ electionis ſingulare Priuilegium. 22. 1. F

Electores Papæ poſſunt eſſe inter ſe diſcordes ſine ipſorum peccato. 21. 1. C

Electioni omnium poteſtatum cooperatur Deus, ſed ſingulari modo in electione Summi Pontificis. pagina 8. 2. G

Electioni cæterorum Prælatorum pręter Papam ſufficit maioris, & ſanioris partis conſenſus: quia, ſi quod dubium contingat poteſt Superioris iudicio definiri, quod non eſt in electione Summi Pont. pagina 22. 2. E

Electionis de ſe factæ ad munus Eccleſiaſticum per ſecularem poteſtatem conſentientis pœna. pagina 507. 2. D

Electus de proprio Collegio ſatis eſt, ꝙ ſit idoneus, ſed qui eſt extra Collegium debet eſſe cæteris melior, & optimus. 30. 2. H

Electus confirmatus nondum tamen conſecratus poteſt Indulgentias dare. 181. 1. B

Eleemoſyna pro Miſſa accipitur, non in pretium Miſſę, ſed in ſtipendium vitæ celebrantis. pagina 112. 2. G

Eleemoſyna non poteſt fieri de re ſimoniacè accepta per dantem, vel accipientem: ſed bene per Superiorem. 331. 2. C

Eleemoſynam quando tenetur reſtituere Religioſus, cui eſt ſufficienter prouiſum. 377. 2. D

Eleemoſynam recipiens ſub prætextu paupertatis, tenetur de cupiditate pęnitere, non tamen tenetur ipſam reſtituere, ſed pauperibus elargiri. 378 2. E

Eleemoſynarum largiendarum quinque cauſæ præcipuę ſunt in Religioſis mendicantibus. 525. 1. C

Eligere bonum dimiſſo meliori ſi ſine debita cauſa fiat, & in caſu quo eadem facilitate poſſit eligi melior, in foro conſcientiæ nõ erit ſine perſonarum acceptione. 253. 2. B

Eligere ſibi potuit D. Petrus ſucceſſorem, quia nondum ſtatutum quid erat in contrarium. 19. 2. D

Eligere ſufficit idoneum, intelligas quãdo non ſit comparatio inter doctiorem & minus doctum, & meliorem, & bonum. 30. 1. H

Eligere nobilem, & potentem, ſolum quia nobilis, non eſt conditio debita, eſſet autem, ſi id fieret ad Eccleſię vtilitatem. 255. 1. B

Eligendus ſemper eſt optimus de conſilio, de pręcepto autem ſatis eſt eligere bonum. 31. 2. A

Eligendus eſt ſemper, cæteris paribus, melior bonitate intrinſeca. 255. 1. B

Eligendum minus malum de duobus, quando vtrũque eſt præſens, & in actu eligendi, non autem ſi alterum futurum. 471. 1. D

Eligens poteſt conformare ſe aliorum voluntati, quando maior par eligentium iam dederint vocem ſuam minus idoneo. 30. 1. G

Eligens, in caſu, in quo tot eſſent, qui eligerent magis ſufficientem, quot minus doctum, ſi ſuo ſuffragio augendus eſſet numerus alterius partis, tenetur ſuffragium ſuum ferre doctiori. 30. 1. H

Eligens in Prælatum diuitem aliquem: quia diues, omiſſo paupere magis digno: quia pauper eſt, acceptor eſt perſonarum. Ibidem 2. F

Eligentes Papam ſecurius faciunt præmiſſis quæ oportet, celeriter electionem facere, quàm illam protrahere, quia citius periculo Eccleſiæ occurritur, & præſumptio humanæ confidentiæ vitatur. 39. 1. C

Eligentes Papam non recto ſine multum peccant, & quandoque fruſtrantur ſuo fine. 8. 1. H

Eligi aliquos in Paſtores contingit, vel ad vitę æternæ hæreditatem, vel ad Eccleſiæ, & humani generis vtilitatem. 18. 2. F

Eligi ſemper ſanctiorem in Prælatum, an velit Deus incertum eſt, nam minus ſanctus poteſt eſſe melior in Pręlatione. 31. 2. C

Eligit Deus, quem eligit charitas Eccleſiæ, & communis conſenſus eligentium. 39. 2. B

Eloquentia quędam magis iuuenilem, & quædam magis ſenilem decet ætatem. 533. 1. D

Epiſcopi eliguntur, & confirmantur authoritate Papæ. 2. 2. H

Epiſcopi dicuntur fratres Papę ob naturę conformitatem, ob meriti æqualitatem, & ob ordinis dignitatem; non autem iuriſdictionis paritate. pagina 7. 1. C

Epiſcopi poſſunt eſſe maiores Papa nondum ordinato poteſtate ordinis, at Papa etiam Diaconus, eſt omnium ſupremus quoad poteſtatem iuriſdictionis. pagina Ibidem 2. A

Epiſcopi repręſentant perſonas Apoſtolorum, non vt Chriſto aſſiſtebant, ſed potius, vt diffuſi in orbem terrarum ſinguli aliquam partem mundi in ſortem prędicationis acceperunt. 27. 2. D

Epiſcopi omnes dicuntur Summi Sacerdotes quoad poteſtatis ordinis impreſſionem, quia omnes habent illam in ſupremo gradu. Quoad verò illius executionem ſolus Papa dicitur Summus Sacerdos, quia ſolus poteſt eam vniuerſaliter executioni mandare. pagina 42. 1. H

Epiſcopi, & non alij inferiores miniſtri, dicuntur ſponſi ſuarum Eccleſiarum 137. 2. B

Epiſcopi maiorem poteſtatem habent prędicandi quã Religioſi, quia illi poteſtate ordinaria id faciunt, hi autem delegata. 341. 1. C

Epiſcopi propriè ſunt in perfectionis ſtatu, non autem Presbyteri ſeu Diaconi. 458. 2. F

Epiſcopi non poſſident quaſi proprias Eccleſiarum diuitias, ſed tamquam communes diſpenſant. pagina 485. 2. D

Epiſcopus Nouarienſis xxvj. in ordine Gratioſus nuncupatus, fuit de Authoris familia, vt legitur in principio vitę.

Epiſcopos fratres eſſe Papæ, quot modis intelligi poteſt. 7. 1. C

Epiſcopi præferuntur expoſitoribus ſacræ Scripturæ ſi non ratione ſcientię, ratione poteſtatis. pagina 489. 2. B
Epiſcopi perfectiori modo repræſentant ſtatum Apoſtolorum, quàm Religioſi. 506. 2. H
Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum in quatuor à Chriſto illis collatis, in quibus patet ipſorum ſupra Monachos ſtatus perfectio. Ibidem. F
Epiſcopi, de quibus bonis, & quomodo diſponere poſſint. 509. 1. D
Epiſcopi habent iuriſdictionem deriuatam, & taxatã à Papa. 160. 2. G
Epiſcopi, cum habeant authoritatem deriuatam, non poſſunt Indulgentias dare poteſtate propria. pagina 178. 2. E
Epiſcopi dicuntur ordinarij, iuris taxatione, non particulari conceſſione. Ibidem. 2. G
Epiſcopi propriè Paſtores ſunt; Presbyteri verò Epiſcoporum coadiutores. 440. 2. H
Epiſcopis Monachis, iuxta aliquos, non licet comedere carnem. 477. 2. D
Epiſcopis quomodo conueniat rerum temporalium cura. 508. 2. E
Epiſcopis non licet teſtamentum condere de bonis Eccleſiæ, niſi de licentia Papę. 509. 2. C
Epiſcopis non interdicitur procuratio viduarum, & ſimilia, niſi quòd immediatè hęc per ſe exercere non debent, ſed alijs committere, vt ipſi orationi, & prędicationi vacare poſſunt. 523. 2. A
Epiſcopis licet habere proprium, niſi paupertatem vouerint. 453. 1. C
Epiſcopo remanet cura totius plebis, etiam poſtea quam illam Presbytero, & Parocho commiſit. pagina 121. 1. 2. B
Epiſcoporum perfectioni magis conuenit vita contemplatiua, quam actiua. 479. 2. A
Epiſcoporum confirmatio, depoſitio, & translatio pertinet ad Papam. 46. 1. E
Epiſcopus non poteſt dare Indulgentias ſubdito non ſuo, poteſt tamen illum ligare, & quando, & cur. pagina. 179. 1. D
Epiſcopus diſpenſare poteſt ſuper omnes caſus ſibi nõ interdictos. 278. 2. E
Epiſcopus diſpenſat cum homicidis in homicidio ſimplici. Ibidem
Epiſcopus ſubeſt Archiepiſcopo ex ordinatione Eccleſię. 343. 2. A
Epiſcopus tenetur ex voto prouidere ſuis ſubditis circa quatuor. 368. 2. H
Epiſcopus in ſex caſibus poteſt petere ceſſionem, in quibus renunciatio eſt admittenda. 369. 1. A
Epiſcopus non poteſt transferre ſe ad Religionem, niſi Papa cum illo diſpenſet. Ibidem. B
Epiſcopus tenetur de ſua portione bonorum Eccleſiæ dare pauperibus, ſicut quilibet alius Chriſtianus. pagina 510. 2. E
Epiſcopus quàm cautus eſſe debeat in diſtribuendis portionibus tribus de bonis Eccleſiæ vltra ſuam. pagina Ibidem
Epiſcopus non poteſt exercere aduocati officium, niſi in proprijs cauſis. 523. 2. A
Epiſcopale officium an poſſit committi Sacerdoti ſimplici. 184. 2. H
Epiſcopalis ſtatus includit quatuor, quibus Religioſorum ſtatus caret. 507. 2. B
Epiſcopatus nomen includit aliqua bona appetenda, & aliqua reſpuenda, neutra tamen procuranda. pagina 257. 2. C
Epiſcopatus quoad impreſſionem characteris non eſt diſtinctus à Sacerdotio, ſed quantum ad characteris perfectionem. 384. 2. H
Epiſcopatus non eſt ordo deſtinatus à Presbyteratu quoad corpus Chriſti verum, ſed quoad corpus Chriſti myſticum. 385. 1. A
Epiſcopatus Chriſti eſt caput totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. 439. 1. C
Error eſſet in fide credere aliquem poſſe appellare à Papa ad alium hominem, vel ad Deum ipſum. pagina 63. 2. B
Euangelij prædicatio an completa per totum orbem, D. Auguſt. Ioan. Chryſoſt. & Origenis opiniones. pagina. 235. 2. C
Euangeliſtę non enarrarunt expreſſionem aliquorum Sacramentorum, quia non ſunt de neceſſitate ſalutis. 302. 2. E
Euchariſtia Sacramentum eſt perfectius cæteris in continentia, non autem in receptionis potentia; pagina 307. 1. E
Euchariſtia neganda illi, quem Sacerdos ſcit habere impedimentum pertinens ad forum iudiciale, non autem ſi pertinet ad forum conſcientię. pagina 348. 1. F
Exaudit ſemper pius pater Deus, vel liberando, vel patientiam tribuendo, vel in melius id, quod petitur, commutando. 59. 2. B
Examinatio electionis, ſicut & accuſatio ſimpliciter eſt de iure Diuino, & naturali; at ſecundum aliquas conditiones eſt de iure poſitiuo. 233. 2. A
Excommunicati iniuſtè, ſi in fide & pietate perſeuerant, à pio Patre Deo, qui in occulto videt coronãtur. 59. 2. A
Excommunicati per Papam non omnes damnantur. pagina 162. 2. H
Excommunicati traduntur Satanæ ſecundum præſentem iuſtitiam per ſubtractionem ſuffragiorum, & priuationem Sacramentorum. 163. 1. C
Excommunicati ſunt, qui deferunt ad Saracenos non ſolum arma, ſed etiam qui pecuniam. pagina 166. 1. E
Excommunicatis nõ interdicitur verbum Dei audire. pagina 487. 2. A
Excommunicati à iure, vel à Iudice non ſunt abſoluendi à Papa, niſi conſtiterit de emendatione à culpa commiſſa. 163. 2. B
Excommunicatio Principis, ſeu communitatis nõ omittitur ſolum ob ſcandalum, ſed ob periculum ſchiſmatis, vel contemptus ipſius excommunicationis. pagina 64. 2. H
Excommunicatio aliud eſt ab eradicatione. pagina 81. 1. A

Excommunicatio eſt actus poteſtatis iuriſdictionis, non autem ordinis. 160. 2. H
Excommunicatio minor incurritur per quodlibet peccatum mortale. 161. 1. D
Excommunicatio minor eſt priuatio Sacramentorum. pagina Ibidem
Excommunicatio minor incurritur in multis caſibus. pagina Ibidem
Excommunicatio maior non niſi pro peccato mortali ferenda eſt, nec pro omni mortali. Ibidem
Excommunicatio maior quibus caſibus incurratur. pagina Ibidem. 2. A
Excommunicatio Papalis in vno tantum caſu non eſt tenenda nec timenda. 166. 1. G
Excommunicatio eſt grauior pœna quàm interdictū, & ſuſpenſio. 165. 2. A
Excommunicatio eſt pœna, quam infligit Eccleſia, nō ad interitum, ſed ad correctionis remedium. pagina 487. 1. A
Excommunicare non poſſunt Diaconi, niſi propter ſibi commiſſam iuriſdictionem. 441. 2. D
Excommunicatione per ſe non tollitur charitas, ſed tolluntur illa media quibus homo in charitate conſeruatur, & augmentatur; & ad eandem recuperandam diſponitur. 161. 2. B
Excommunicationis ſententia in ſeptem caſibus non eſt timenda, nec tenenda. 162. 1. F
Excommunicatur quomodo quis iniuſtè per pœnam, non per culpam excommunicati. Ibidem H
Excommunicatus cogitur dare pecuniam dum abſoluitur, non in pretium abſolutionis, ſed in pœnam abſoluti. 112. 2. G
Excommunicatus iniuſtè non ligatur in cœlo. pagina 163. 1. A
Excommunicatus minori excōmunicatione poteſt excommunicari etiam maiori, & non vna tantum, ſed pluribus, pluries, & à pluribus. 166. 2. H
Excommunicatus, cum ſit eiectus extra Eccleſiam non poſſet amplius excommunicari, ſi non remaneret aliquid indelebile per quod annumeratur cū populo Chriſtiano. 167. 1. A
Executores eſſe teſtamentorum non derogat perfectioni Religioſorum. 521. 1. A
Exemptio quid ſit. 322. 1. F
Exemptos poſſe Papam facere probatur. 321. 2. D
Eximere non poteſt Papa quēquàm à ſua iuriſdictione ſpirituali. 322. 2. G
Exodi verba ex cap. 19. accommodantur ad tres Eccleſię proprietates. 69. 1. D
Extraneo exhibetur maior reuerentia magis ex timore ſeruili, ſed familiaritate coniuncto exhibetur maiori ex filiali dilectione. 34. 2. F

F

FALLI aliquem contingit quatuor modis. pagina 290. 2. G
Falſum teſtimonium ſemper eſt mortale, quando profertur in his, quę ſunt fidei, vel contra iuſtitiā proximi, vel ſuiipſius. Ibidem E
Falſum, erroneum, Hęreticum quid ſit. pagina 165. 1. H
Fama bona proficua eſt ad bonorum operum executionem, Ad peccatorum euitationem, & ad aliorū venerationem. 101. 1. C
Famam alicuius non facit ſola turba, ſed etiam, & maximè teſtimonium maiorum. Ibidem. 2. B
Familiaritas parit contemptum inter ſtultos: non inter ſapientes. 34. 2. F
Fatua virgo dicitur, propter intentionis vanitatem. pagina 476. 1. E
Fœmina nulla, nec vetula, nec affinitate coniuncta peculariter à Clericis aſſumenda eſt ad domeſticum obſequium. 433. 2. D
Fœminę quam conuenienter admittantur in Eccleſijs, vbi degunt etiam clerici, nō autem in domos earum priuatas. 434. 2. F
Feſtis diebus bellum in litibus fieri ordinariè non licet. in brutis capiendis, & in beſtibus expugnandis neceſſitate imminente licebit. pagina 272. 1. F
Fidei, & bonis moribus non aduerſantia poſſunt auditores ſequi ſecundum opiniones Doctorum: Quæ autem ſupradictis aduerſantur, ſi quis credat non excuſatur, nec propter ignorantiam, nec propter ſimplicitatem. 169. 2. C
Fidei in cauſa, & in periculo vniuerſæ Reipub. Congregatio fidelium habet locum Prælati, & Eccleſię, ad quam referendi ſunt incorrigibiles. pagina 66. 2. F
Fidei negocia poteſt Papa committere, minora quidē aliquibus Doctoribus, & Magiſtris, maiora verò Concilio generali. 383. 2. C
Fidei veritas non ſolum eſt credenda, ſed etiam eſt confitenda pro loco, & tempore. videlicet, quādo aliquid ſubtraheretur honori nominis Chriſti, & vbi infideles inſultarent contra Chriſti nomen. pagina 51. 1. A
Fidelem ab infideli iudicari cur D. Paulus prohibuit. pagina 135. 2. D
Fidelem cum infideli contrahere matrimoniū quare prohibeatur: non autem, ne fidelis factus permanere poſſit cum coniuge adhuc in infidelitate permanente. 136 1. E
Fides neceſſaria homini, vt in vita ſpirituali Deo coniungatur. Vt in vita morali in agendis dirigatur. Et vt in vita intellectuali perficiatur. 82. 2. F
Fideliter loquitur, qui falſa dicit, ſic credens, vt loquitur, econtra infideliter, qui vera dicit, credens falſa dicere. 98. 1. G
Fieri poßunt multa, licet facta non fuerint. pagina 303. 1. C
Filij futuri Principes quomodo educandi. pagina 210. 1. E
Filij debent rependere parentibus reuerentiam, obedientiam, & ſuſtentationem. 273. 2. D
Finis vnus diuerſis vijs attingi poteſt. pagina 410. 2. F
Fornicationem ſimplicem eſſe peccatum mortale probatur. 284. 2. H

Fratribus minoribus interdicta eſt executio teſtamentorum, non quia mendicationi, vel perfectioni, ſed quia interpretationi regulæ eorum per Papam repugnat. 521. 2. B
Furtum reliquiarum ſanctarum etiam ex deuotione, improbatur. 111. 2. D
Furtum, quia habet ſecundum ſe circunſtantiam malam, numquàm recipit diſpenſationem, ſicut homicidium. 278. 1. E
Furtum opponitur tribus fructibus lucis gratiæ. Ideo mortale, & indiſpenſabile humana authoritate. pagina 286. 2. H
Furti materia in caſu neceſſitatis de propria fit communis, numquam autem materia fornicationis. pagina 287. 2. D
Furari pro conſeruanda vita proximi quando liceat, opiniones Authoris & aliorum. 288. 2. E
Furtum aliquando poteſt bene fieri, numquã autẽ mentiri. Ibidem. H
Furtum paruarum rerum non cum animo inferendi magnum nocumentum proximo, non eſt propriè furtum. 289. 2. D
Furto pro quolibet non infertur pœna mortis, niſi aggrauetur ex aliqua circunſtantia. Ibidem

G

GENERARE poſſe in Diuinis dicit proprietatem non poteſtatem. 88. 1. H
Generare non poſſe in filio eſt conditio, non imperfectio, non indignitas, ſed proprietas. Ibidem
Generationis filij articulus quinque de illa complectitur. 89. 1. B
Gladius ſecularis eſt Eccleſiæ, quia ad illius iuſſum educendus. 3. 2. B
Gladius duplex in Eccleſia, ſpiritualis ſcilicet & corporalis, hoc vtuntur Principes ſeculares ad ſeparandam animam à corpore naturali, illo paſtores Eccleſiæ ad ſeparandam animam à corpore myſtico. 164. 2. E
Gladio vtroque vti poſſunt miniſtri Eccleſiæ contra delicta præterita: quia facta, & contra futura: ne fiant. Ibidem
Gratia non deſtruit naturam, ſed operatur ſupra illã. pagina 1 8. 1. F
Gratias eſſe ampliandas quomodo intelligatur. pagina 179. 1. C
Gratuitum dicitur aliquid, vel ex parte operis, vel ex parte operantis. 450. 1. F
Græci patres circa proceſſionem Spiritus ſancti etiam à filio, idem reuera ſentiunt, quod fides catholica tenet, diſcrimen eſt in modo loquendi. 153. 2. C
Græci, quare vtantur forma illa ſua in baptizando in tertia perſona. 154. 2. G
Græcos Eccleſia reputat ſchiſmaticos, & hæreticos nominat verò tantum ſchiſmaticos, quia à ſchiſmate illorum peccatum inchoatum eſt. 153. 2. B
Græcos ad fidei obedientiam venientes Eccleſia non rebaptizat. 154. 2. F
Græcorum baptiſmus validus eſt, licet peccent ritum, & formam Eccleſiæ non ſeruando. Ibidem E
Gregorius Papa V. tempore Othonis Imperatoris ſeptem electores Imperij inſtituit in Alemania, & cur. 206. 2. D

H

HAERESIM tria conſtituunt, Rei credibilis difformitas, Dogmatis nouitas, & defendendi pertinacitas. 156. 2. E
Hæreſis vnde dicatur. 78. 1. F
Hæreſis nomine quid intelligat D. Paulus 1. Corin. 2. pagina Ibidem H
Hæreſis ipſo facto incurritur ſi ſit contra determinationem Papæ. Ibidem 2. E
Hæreſis crimen à Iudice ſpirituali & Eccleſiaſtico cognoſcendum eſt. 80. 1. E
Hæreſis, & Idolatria crimina non legitur ſuiſſe punita vnquam ſine expreſſo mandato Eccleſiæ. pagina 81. 2. B
Hæreſis totãm vitam ſpiritualem ſurripit. 172. 1. E
Hæretici quomodo dicantur malefici: Dæmonum conſultores, item ſimoniaci, & auari. 78. 1. H
Hæretici condemnantur ab Eccleſia condemnatione mortis ſpiritualis, quæ eſt excommunicatio, & etiã mortis corporalis, ſed hanc non infligit immediatè per ſeipſam, ſicut illam. 80. 2. G
Hæretici, cur morte corporali non puniuntur ſine mandato Eccleſiæ. Ibidem. H
Hæretici, quando dicendi ſunt illi qui baptizant imagines, & violant Sacramenta. 1. 0. 2. F
Hæretici puniuntur ab Eccleſia quatuor modis, videlicet, Excommunicatione, Depoſitione, Temporalium amiſſione, & militari perſecutione. 172. 2. G
Hæretici quomodo proſint Eccleſiæ. 174. 1. E
Hæretici tolerandi quando ſine fidelium exterminio exterminari non poſſunt. 173. 2. D
Hæretici pro Chriſto morientes, non ſunt Martyres. pagina 461. 2. D
Hæreticorum bona, ſi Clerici illi ſint, vel laici, ſub iuriſdictione temporali Eccleſiaſtica, fiſco Eccleſiæ ſunt applicanda. Aliorum verò laicorum eorum Principibus ſecularibus. 172. 2. H
Hæretici dum puniũtur, tria conſideranda. Peccati grauitas. Eccleſiæ corrigentis charitas, & fidelium vtilitas. 173. 2. B
Hæreticis pœnitentibus numquam negantur Sacramẽta, reſtitutio verò bonorum, & corporalis vitæ conſeruatio non ſemper eis conceditur. 174. 2. E
Hæreticus licet ex genere peccati grauius peccet, ex circunſtantia tamen aliqua illius peccatum leuius eſſe poterit aliquo peccato alicuius catholici: & econtra de peccato catholici. 50. 1. H
Hæreticus quilibet intelligitur admonitus, & à Iudice, & à iure. 51. 1. C
Hæreticus quis. 78. 1. F
Hæreticus relapſus cur tradatur interficiendus. pagina 153. 1. A
Hæreticum, & ſectarium eſſe contingit quinque modis, videlicet. Contra Articulorum, & Conciliorũ San-

Sanctorum Patrum determinationem. Contra ſacrę Scripturæ approbatam expoſitionem. Contra ritus Eccleſiæ obſeruationem. Contra Sacramentorum Eccleſiæ deuotionem, & contra recta fidei proteſtationem. 78. 1. G

Hæreticos inquirere eſt Epiſcoporum, & Inquiſitorũ, communiter, & diuiſim. 80. 1. E

Hæreticos attendendos, & cauendos admonuit Chriſtus. Ibidem. F

Homo reducitur quandoque in Deum per Angelos in his, quę ſe tenent ex parte intellectus, ſed ex parte affectus miniſterialiter per Papam, & alios Eccleſię miniſtros. 113. 2. D

Homo quomodo intelligatur relictus in manu conſilij ſui. 455. 2. D

Homo diligendus propter ſe participatiuè, non terminatiuè. 466. 1. E

Hominum malorum tres modi, Doctrina, Conuerſatione, & intentione. 102. 1. F

Homogeneis in partibus eſt eadem ratio totius & partis quoad prædicationem, nõ quoad actionem, vel paſſionem. 229. 2. B

Homines omnes etiam Pagani ſunt oues Chriſti iure creationis, & ſufficienter iure redemptionis, non autem fidei adhęſione. 136. 2. H

Hominum miniſterio multa fecit Deus, quę poſſet ex ſeipſo facere. Poteſt enim per ſeipſum immediatè quicquid poteſt mediantibus creaturis. 18. 1. E

Homicida reputatur conſentiens in homicidium factũ ipſo ignorante. 164. 2. G

Homicida propter diuerſas cauſas ad Sedem Apoſtolicam pro diſpenſatione mittuntur. 278. 2. F

Homicidium committitur, vel nocendi cupiditate, vel iuſtitia æquitate, vel ineuitabili neceſſitate. Primũ omnino prohibetur. Secundum præcipitur. Tertium permittitur. 279. 1. B

Honor exhibetur Deo dupliciter, videlicet ratione cõmunis poteſtatis: qua analogia quadam conuenit cum creaturis. Et ratione ſingularis maieſtatis. Qui ratione prima exhibetur, poteſt etiam ſine peccato exhiberi creaturis, non autem qui ratione altera, hic latria dicitur, ille dulia. 72. 1. H

Honor qui exhibetur ſanctis exhibendus eſt etiam Papæ. 74. 1. F

Honor qui debetur Diuinitati Chriſti, debetur etiam illius humanitati, ſed non per ſe, & primo, & gratia ſui, ſed per accidens, & vt coniuncta diuinitati, vt de carbone ignito, & veſte. 73. 2. C

Honor exhibetur alicui, vel ratione meriti, vel ratione officij. 76. 2. F

Honor non ex ſpiritualibus, ſed ex mundanis bonis interdicitur Religioſis. 518. 1. F

Honorandi ſunt contrahentes honorem ex radice: ſi ſunt radicis imitatores, non autem, ſi ſunt illius extirpatores, ſicut Iudęi ſuorum Patrum. 145. 1. C

Horas canonicas, beneficiatus ſine rationabili excuſatione omittens recitare, mortaliter peccat. pagina 361. 1. C

Horas recitare, habetur ex generali traditione. At ſub hac vel illa forma, eſt ex traditione ſpeciali: quæ ſeruanda eſt ab illis: qui in illa Eccleſia militant. 362. 1. G

Horas canonicas recitare tenentur in ſacris conſtituti, licet non habeant beneficium temporale. habent enim beneficium ſpirituale, & ex conſequenti ius etiam ad temporale. 363. 2. C

Horas canonicas omittenti vult Author imponi, vt illas eaſdem ſequentibus diebus recitet: vt peccato ſatisfaciat. 366. 1. E

Horæ canonicæ dicuntur: quia regulariter certis horis ſunt dicendæ. 364. 1. G

Horæ canonicæ propter honeſtas occupationes poſſunt perſolui in tribus vicibus. Ibidem 2. F

Hoſtia Sacerdotis noui teſtamẽti dicitur cæleſtis quatuor modis. 515. 1. B

Humilitas maximè facit ad ſtatum perfectionis fundatiuè, & conſeruatiuè propter quatuor. pagina. 467. 2. A

Humilitas numquam conuenit Deo, at homini ſemper. 468. 1. E

Humiliatur meritò homo homini etiam peccatori. pagina 468. 1. F

I

IACOBVS Epiſcopus Hieroſolimitanus protulit ſententiam in Concilio Apoſtolorum authoritate D. Petri. 121. 2. B

Idolatria eſt, bonum creatum adorare, quaſi Deum. pagina 261. 2. H

Idolatrarum triplex genus iuxta triplicia bonorum creatorum genera. Ibidem

Ieiunare cur non faciebat Chriſtus Diſcipulos ſuos. pagina 394. 1. H

Ieiunio imploratur diuinum auxilium, ſed magis oratione. 411. 2. A

Imago artificialis eſt terminus à quo adorationis, non autem terminus ad quem. 75. 2. C

Imaginũ adoratio prohibetur, vt imago eſt res quædam, non autem vt eſt ſignum rei adorabilis. pagina 263. 1. B

Imperator, nec alius Princeps ſecularis habet nunc aliquam iuriſdictionem in electione Papæ, ſed in eligentium incluſione, vt ſcilicet faciant obſeruare: quæ ſtatuta ſunt circa Summi Pont. electionẽ. pagina 25. 1. C

Imperator quomodo dicatur praeſſe omnibus prouincijs. 137. 2. B

Imperator recipit gladium à Deo, quia à Papa, qui eſt Vicarius Dei. 206. 1. D

Imperator, cur dicatur Rex Romanorum. 222. 1. H

Imperator electus confirmandus eſt, & id ad Papam attinet. 224. 2. F

Imperator vngendus eſt, & conſecrandus. 225. 2. A

Imperator, qui aſſumitur in defenſorem Eccleſiæ, in tribus debet illi ſeruare fidelitatem, quę continentur in iuramento, quod Imperator tenetur præſtare Papę. 227. 1. A

Imperator non habet adminiſtrationem, niſi prius per Papam confirmatus fuerit. 228. 1. E

Impe-

Imperator electus, & confirmatus debet ad ſolennitatem, & euidentiam, etiam vugi, conſecrari, & coronari. Ibidem 2. F

Imperator electus ante confirmationem adminiſtrationem accipit in Regno Alemaniæ. 229. 2. A

Imperator adminiſtrat Regnum Alemaniæ magis, vt Rex, quàm vt Imperator. Ibidem D

Imperator ſubeſt Papæ ſubiectione filiali in ſpirituali ſubiectione, & ſubiectione miniſteriali in temporalium adminiſtratione, vnde poteſt in eum vtroque gladio animaduertere. 231. 2. D

Imperator, vel Reges ſunt conſeruatores iuris miniſterialiter. Papa ſolus principaliter, & authoritatiuè. 387. 2. C

Imperatores Chriſtiani pro æterna vita Pontificibus indigent, & Pontifices pro curſu temporalium tantùmodo Imperialibus legibus vti debēt. 33. 2. B

Imperatorem poſſet Papa per ſeipſum eligere, rationabili cauſa ſic exigente: ſicut alij authoritate Papæ illum eligunt. 216. 1. C

Imperatorem ex hæreditate ſuccedere melius eſſe, quàm per electionem creari, tribus rationibus probatur. pagina 210. 2. E

Imperatorem eligit Eccleſia, ne Papa ſe implicet negocijs ſecularibus. 225. 1. F

Imperatorem poſſe deponi à Papa probatur ratione, & exemplis. 230. 1. H. & 2. F

Imperatoribus benemeritit de Eccleſia olim data fuit poteſtas eligendi Papam, quæ tamen poſtea fuit rationabiliter ſubtracta. 25. 2. A

Imperatori aliquid præcipienti contra præceptum Papæ, & libertatem Eccleſiæ non eſt obediendum. pagina 432. 1. G

Imperatori non ſunt ſubiecti omnes Pagani. 137. 1. A

Imperatoris eligendi ius conceſſum eſt illis, qui illud habent, non in fauorem illorum, ſed Eccleſiæ. pagina 206. 1. D

Imperatoribus, & Regibus conceſſit olim Papa aliquod ius in electione Summi Pontificis, & Eccleſiæ adminiſtratione ob pullulationem hæreticorum, quod poſtea ſibi reaſumpſit. 214. 1. F

Imperatoris eligendi varia olim ratio. 222. 2. G

Imperatoris electionem, necnon, & perſonam electam examinare ſpectat ad Papam. 234. 1. E & 2. G

Imperatori quare neceſſaria confirmatio per Papam, & non alijs regibus omnibus. 228. 1. G

Imperator dum coronatur, ſex per ordinem ſeruāda: quæ Cant. 4. habentur in verbis egredimini filiæ Sion &c. 226. 1. G

Imperium hæreditarium eſſe, poſſet Papa ſtatuere, & Imperij electores poſſet Papa creare alios quā Germanos. 208. 1. C

Imperium temporale à ſpirituali deriuatur, & illud eſt luminare minus; hoc autem minus in Eccleſia. pagina 213. 2. D

Imperium: qua authoritate à Romanis ad Græcos, & à Græcis ad Germanos translatum fuerit, & cur. pagina 221. 2. A. & 222. 1. F

Imperium Romanum an duraturum vſque ad finem ſeculi. 235. 2. B

Imperium Romanum durabit vſque ad finem ſeculi, quantum ad iuriſdictionem, ſed non quantum ad actualem adminiſtrationem, & integrationem. pagina 236. 1. F

Imperium Romanum erit diuiſum in fine ſeculi. pagina 237. 1. A

Implicatio in miniſterio Eccleſiæ ſecularis, non eſt implicatio negociorum ſecularium. 270. 1. F

Impoſſibilitas perpetua abſoluit à præcepti obligatione, & impletione, temporalis verò quam diu durat impoſſibilitas. 273. 2. B

Imputatur homini, non quod ex ſe non poſſit vincere carnalem concupiſcentiam, ſed quia non inuocat liberatorem. 298. 2. F

Incarnationis miſterium nunciatum fuit homini per Angelum, quantū ad ſubſtantiam facti; ſed quātum ad multas circumſtantias circa illud, Angeli edocti fuerunt per Apoſtolorum prædicationem. pagina 115. 2. D

Indulgentia non datur per modum promulgationis ſententiæ, ſed per modum debitæ ſolutionis, & communicationis. 176. 2. F

Indulgentia non poteſt fieri de theſauro alicuius congregationis ſolius, cū non ſuperabundet. 180. 1. E

Indulgentia meritò datur prædicantibus fidem catholicam, vbi ea periclitatur. 182. 2. H

Indulgentia vt valeat, neceſſariæ ſunt in dante authoritas, & iuſta cauſa. In recepturo fides cum charitate, & adimpletio cauſæ. 188. 2. H

Indulgentia quomodo remittat tertiam, vel quartam partem peccatorum. 346. 2. F

Indulgentiam vniuerſalem ſolus Papa concedere poteſt. 175. 2. D

Indulgentiam poteſt concedere Papa exiſtens in peccato mortali, quia eſt actus iuriſdictionis. 177. 1. C

Indulgentiam dare nō poſſunt Epiſcopi in aliena diœceſi, niſi in ea celebrando, & de licentia ordinarij illius loci. 179. 1. B

Indulgentiam dare non poſſunt viri ſancti in Eccleſia, ſi non habent iuriſdictionem. 181. 2. C

Indulgentiam non prodeſſe exiſtentibus in peccato mortali probatur quatuor rationibus. 187. 1. B

Indulgentiam, vt quis pro alio acquirat, duo requiruntur. 189. 2. B

Indulgentiam danti tria ineſſe debent. 195. 2. B

Indulgentiam, quod quis non conſequatur, tria impedire poſſunt. Ibidem

Indulgentiam acquirens quis in minori charitate, & tunc decedens, ita cito euolat in cœlum, ſicut eādem accipiens, & decedens in maiori charitate. pagina Ibidem

Indulgentiarum theſauro ſtipendiari poſſunt ſolum milites Chriſti, id eſt ſoli baptizati. 197. 1. B

Indulgentiarum faciendarum ſufficientiam non eſſe merita membrorum ſine meritis capitis; quod eſt Chriſtus. 184. 2. H

Indulgentiarum quantitatem Papa taxat Epiſcopis. pagina 178. 2. E

Indulgentias concedere propria authoritate poteſt ſolus Papa. Ibidem

Indul-

Indulgentias concedendo Papa non tollit ordinem Diuina iuſtitia. 196. 2. F

Indulgentię valent ad remiſſionem peccatorum. pagina 180. 1. H

Indulgentia conuenienter dantur pro actibus exterioribus, quod declaratur ex parte ipſius Indulgẽtia, ex parte pœna per illam toleranda, & theſauri, de quo ſit ipſa Indulgentia. 187. 2. E

Indulgentia, cur potius dentur pro corporalibus, quã pro ſpiritualibus bonis. Ibidem

Indulgentia poſſunt dari pro pure ſpiritualibus bonis, ſi adſit neceſſitas, vel vtilitas Reip. 183. 2. A

Indulgentia pro bonis corporalibus dantur non finaliter, ſed inſtrumentaliter. Ibidem

Indulgentię dantur principaliter pro ſpiritualibus bonis, & pro corporalibus, vt ad ſpiritualia ordinantur. Ibidem B

Indulgentię non acquiruntur ſola voluntate faciendi: quod præſcribitur: quia tantum valent quantum ſonant. 184. 1. E

Indulgentia danda cauſa iuſta, iuxta aliquorum opinionem, qua non approbatur. 184. 2. G

Indulgentię danda cauſa iuſta æſtimanda eſt ex neceſſitate loci, vel Eccleſię. Ibidem

Indulgentia dandę non eſt rationabilis cauſa, ſola voluntas Papa. 185. 1. D

Indulgentia danda numquam deficere poteſt cauſa effectiua. Finalis autem terminatiua poteſt deficere. pagina Ibidem. 2. B

Indulgentia integrum effectum in illis, qui Indulgẽtiam conſecuti ſunt, quadrupliciter retardari poteſt. 195. 2. A

Indulgentia fiunt de theſauro collecto ex merito Paſſionis Chriſti, & Apoſtolorum, & Martyrum. pagina 197. 1. B

In Indulgentijs acquirendis plus datur, quàm recipiatur ex parte ſatisfacientis, ex parte verò dantis eſt econuerſo. 184. 2. H

Infantes per rationem, & voluntatem parentum ſuorum ſalutem conſequuntur. 143. 2. D

Infernus numquàm in bono accipitur in ſcriptura. pagina 198. 2. F

Infernum eſſe infra terram, tripliciter probatur à D. Auguſtino. Ibidem

Infideles, ſi pacifice cum Chriſtianis conuerſantur nõ ſunt priuandi ijs, qua ſine peccato poſſidere poſſunt, ſecus ſi Chriſtianos perſequuntur. 138. 2. F

Infidelis grauius punietur pro peccato infidelitatis, quàm alius pro quocumque alio peccato perpetrato, ſed pro eodem peccato grauius punitur fidelis, quàm infidelis. 50. 1. H

Infideles violentia abſoluta de facto compulſi ad fidem, non ſunt cogendi ad illam tenendam, qui verò violentia mixta cogendi ſunt. 141. 2. B

Infideles, qui numquam acceperunt fidem non ſunt cogendi ad fidem ſuſcipiendam, ſed illi qui acceptam reiecerunt. Ibidem

Infideles, quorum ſperatur conuerſio, cõpellendi ſunt terroribus, non ad ſuſcipiendam fidem, ſed ad non ponendum obicem. Ibidem

Infidelium vita omnis, & actio quando dicatur eſſe peccatum. 138. 1. H

Infidelium infantes numquàm conſueuit Eccleſia baptizare inuitis parentibus, nec de hoc poteſt fieri ſtatutum à Papa. 143. 1. D

Infidelitas dicit repugnantiam eorum, qua ſunt fidei, & ſic ſemper aggrauat, & quandoque ſimul dicit ignorantiam, quę ſi non ſic affectata alleuiat. pagina 51. 1. B

Infidelitas quoad genus peccati grauiſſimum eſt peccatorum. 152. 2. F

Inimicis proprijs de præcepto communicanda ſunt bona corporalia, in caſu neceſſitatis. Inimici autem fidei priuandi ſunt omnibus, qua habent. pagina 173. 1. A

Inimicorum dilectio quomodo de pręcepto, & quomodo de conſilio. 197. 1. D

Inobedientia poteſt accipi pro communi, & pro ſpeciali vitio. 452. 2. E

Interprętatio priuilegiorum futura valida in iudicio, eſt ſolius Papa. 352. 1. G

Inuitis conferenda ſunt aliquando temporalia, & ſpiritualia quoque beneficia. 544. 2. H

D. Ioannes Baptiſta quomodo ſciebat, & neſciebat Chriſtum. 303. 1. B

Iob dicentem quod non reprehẽdebat eum cor ipſius, quomodo intelligere oportet. 298. 2. G

Ioſeph admonuit fortè fratres ſuos, antea quam accuſaret illos, licet non ſit ſcriptum. 67. 2. C

Iocoſe mentiens habet intentionem, ſi non decipiendi, tamen falſum aſſerendi. 292. 1. H

Iudas Scarioth fuit ſcriptus aliquando in libro vita per præſentem iuſtitiam, ſemper autem deletas per æternam ſententiam. 438. 2. F

Iudęi inter Chriſtianos faciunt ad comparationem pulchritudinis fidei noſtrę, & vt ex ipſis hoſtibus habeamus veritatis noſtrę teſtimonium. 142. 2. G

Iudęi non ſunt moleſtandi à quopiam propria authoritate. Ibidem

Iudęi cogendi ſunt ad laborãdum manibus, ne Principes fraudentur ſuis redditibus, & non fiant participes vſurarum ipſorum. 144. 1. G

Iudęi, & alij infideles puniri poſſunt à Papa pœna temporali directè, & indirectè etiam ſpirituali. pagina 147. 1. D

Iudęi non ſunt grauandi exactionibus propter ſcandalum vitandum, propter Eccleſię prohibitionem, & propter periculum fugiendum. 149. 1. B

Iudæi iuſtè expoliarunt Aegyptios. 173. 1. A

Iudęi expoliarunt Aegyptios Diuina authoritate. pagina 287. 1. A

Iudęi, cur puniti: quod interfecerint Chriſtum, non quia hominem tantum occidiſſent, cum tamen non niſi ſecundum humanam naturam mortuus fuerit. pagina 93. 1 A

Iudæis conceditur antiquas eorum Synagogas reſtaurare, non autem nouas ædificare. 142. 2. G

Iudæis nulla publica officia iniungenda. 145. 1. A

Iudæis, quomodo permittantur habere ſeruos Chriſtianos, & quomodo non. Ibidem 2. D

I N D E X.

A Iudęis non habentibus, niſi res vſurarius, tutius eſt nihil nec pro eleemoſyna recipere. 148. 2. E
Iudæorum decima, & oblationes, & eleemoſyna, quæ recipi poſſunt. Ibidem
Iudęorum conuerſatio non eſt interdicta Chriſtianis, niſi in aliquibus caſibus. 146. 1. F
Iudæos melioris eſſe cõditionis ſecundum quid, quàm Chriſtiani, non eſt inconueniens: nã ſimpliciter ſunt peioris conditionis. 149. 2. B
Iudex debet iudicare ſecundum leges, hoc eſt, ſecundum legum æquitatem ex diuerſis legibus collectã, non autem ſecundum vnius legis rigorem. pagina 245. 1. A
Iudex non poteſt vendere iuſtum iudicium. 556. 2. H
Iudex bonus ſemper iudicat ſecundum leges, quia licet non ſemper ſecundum verba legis, tamen ſemper ſecundum legis intentionem. 158. 2. H
Iudex non tenetur reſtituere pecuniam, in quam commutauit pœnam mortis rei. 521. 1. B
Iudex, & Aduocatus non poteſt eſſe, quis in eadem cauſa. 561. 2. B
Iudex debet iudicare pauca arbitrio ſuo propter quatuor. 562. 1. H
Iudex, quare efficiatur irregularis iuſtam ſanguinis ſententiam pronuncians, non autem Medicus. pagina 546. 2. G
Iudicare debet Iudex ſecundum legem, niſi circũſtantię aggrauantes, vel extenuantes aliter ſuadeant. pagina 558. 2. G
Iudicare quæ poſſumus ſine culpa. 562. 2. F
Iudices recipientes ſtipendium aliquod præter ſibi taxatum pro iudicio ferendo, tenentur illud reſtituere illi, in cuius iniuriam fuit latum. 560. 2. G
Iudicum, & Aduocatorum quoad eorum officium triplex differentia. 561. 2. A
Iudicia peruertuntur timore, cupiditate, odio, & amore. 560. 2. G
Iudicio humano quæ iuſta videntur interdum ad iudicium Dei relata, iniuſta inueniuntur. 57. 2. A
Iudicio eodem nec ſubſtantialiter, nec effectiuè, nec formaliter, nec finaliter iudicant Deus, & homo. pagina 562. 1. H
Iudicio, in quo iudicaueritis iudicabimini D. Matt. 7. exponitur. Ibidem 2. H
Iudicium legis differt à iudicio Iudicis, quia hoc eſt particulare, & de particularibus, illud vero eſt vniuerſale, & de vniuerſalibus. 558. 2. F
Iudicium duplex, iuris & Iudicis. Illud inuariabile, hoc autem variabile. 278. 1. H. & 558. 2. F
Iudicium humanum neſcitur liquidè quando iuſtum eſt, vel iniuſtum ob defectum iudicum, vel teſtiũ, vel accuſatorum, vel defenſorum. 1159. 2. A
Iudicium duplex poteſt dari de homine ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſecundum æternam ſententiã, hoc fit ſecundum interiorem conſcientiam, illud autem ſecundum exteriorem euidentiam. 98. 1. E
Iudicium humanũ de homine in pręſenti vita dicitur dies hominis iudiciũ Dei in fine ſeculi dicitur dies Dei. 58. 1. G
Iudicij viã rẽ ſuam repetere licet imperfectis & perfectis, niſi in modo excedatur. 521. 1. C
Iura proniora ſunt ad abſoluendum, quàm ad condẽnandum. 144. 2. H
Iura imperant aliqua, vt quæ ſunt neceſſitatis; quædã verò ſuadent, vt quæ ſunt vtilitatis. 31. 1. A
Iura ciuilia multa relinquunt impunita, quæ per diuinam legem iudicantur. 33. 1. B
Iuramentis, & votis ſemper intelligitur etiamſi non ſit apposita, conditio debita, & honeſta. 44. 2. E
Iuramentum, & votum tres comites habere debent veritatem, iudiciũ, & iuſtitiã. Ibi. 1. E. & 232. 2. G
Iuramentum nullus præſtat alicui, prius quam Papa, nam illi pręſtatur iuramẽtum in ipſo baptiſmo. pagina 133. 1. B
Iuramentum, qui præſtitit duobus Prælatis, ſi non poteſt obedire ambobus, cui, & quando potius obedire debeat. Ibidem
Iuramentum præſtatur propter terminandam, vel non incurrendam controuerſiam. 227. 2. A
Iuramentum ſoluitur, ſi eſt illicitum, ſi eſt incautum, & ſi repugnat ſuperioris mandato, & cum talibus conditionibus ſeruatum, non eſſet iuratio, ſed periuratio. 232. 2. G. H
Iuramentum diſpenſatur non formaliter, vt quòd nomen Dei in vanum aſſumatur, ſed materialiter, vt ſcilicet quod iuratur in iuramento non includatur. pagina 164. 1. E
Iuramentum pro Dei honore, vel pro Republica factum non poteſt abſolui ab illis, qui illud recipiũt. pagina Ibidem 2. H
Iuramentum exquiritur, quia homines maximè timẽt incurrere peccata, quæ ſunt contra Deum, & non ita, quę contra proximum. 293. 1. A
Iuramento in quolibet, vel nominatur creatura ab ipſo Deo creata, vel ſcriptura ab ipſo inſpirata, vel nominatur creator, vel ſimul creator, & creatura. 266. 2. F
Iuramentorum quędam per ſe nulla ſunt, quædam dubia, ſuper quæ diſpenſat Epiſcopus. Quædam certa. Et ſuper huiuſmodi ſolius eſt Papa diſpenſare. pagina 265. 1. A
In iuramento conſiderantur forma iurandi, & finis iuramenti, diſpenſare non poteſt Papa ſuper formã, ſed ſuper finem. 266. 2. G
Iurantem poteſt abſoluere priuata perſona, pro cuius vtilitate factum eſt iuramentum. 264. 2. H
Iurare, licet ſit periculoſum, tamen cogente neceſſitate præſtandum eſt cum debita cautela. 227. 2. A
Iurare non licet per Idolum, quia nihil eſt, nec per Diabolum, quia in veritate non ſtetit. 266. 2. G
Iurare per creaturam quomodo licet. Ibidem
Iuratio omnis falſa, eſt pernicioſa, vera eſt periculoſa, nulla verò eſt ſecura. 226. 2. G
Iuriſdictionis poteſtas confertur alicui, cui non confertur poteſtas ordinis. 41. 2. D
Iuriſdictionis munera non tolluntur, niſi per ſuperiorẽ, quem non habet Papa. Ideo per ſeipſum renunciare poteſt. 46. 1. F
Iuriſdictio datur Papę in electione, non in conſecratione. 125. 1. C

Iuriſdi-

Iuriſdictionem quis habere poteſt, vel ordinariã, quæ eſt per iuris taxationem, vel delegatum, quæ habetur per ſpecialem commiſſionem. 181. 1. B

Iuriſdictionis in poteſtate in temporalibus nullus eſt æqualis Papę, quoad vniuerſalem iuriſdictionem, & immediatam authoritatem, ſed quoad immediatam executionem, & adminiſtrationem Imperator, & alij Principes poſſunt eſſe maiores Papa. pagina 7. 1. B

Ius naturale dicitur omnium nationum, vel quantum ad obligationem, vel quantum ad obſeruationem. pagina 282. 2. E

Ius poſitiuum ſeruandum eſt ſolum quandiu conſonat iuri naturali. 287. 2. C

Ius naturale multipliciter accipitur. 355. 2. A

Iuſtitia duplex, priuata, & publica: & niſi vtraque ſalua, non poteſt Papa maleficum dimittere. pagina 244. 2. E

Iuſtitia eſt omnis virtus, non effectiuè, ſed præceptiuè. 559. 2. D

Iuſtitię Diuinę inſtrumenta punienda ſunt iudicio Diuino, & humano ob prauam illorum intentionem. pagina 157. 1. D

L

LABOR corporalis ordinatur præcipuè ad peccatum præcauendum, ad peccatum puniendũ, ad ocium fugiendum, & ad victum conquirendũ. pagina 473. 1. D

Laborare manibus facit ad perfectionis ſtatus conſeruationem, non autem ad illius conſecutionem. pagina Ibidem. 1. B

Laborare manibus eſt pręceptum naturæ in caſu naturali, & ſpirituali. 403. 2. F

Lacrymatus eſt Ieſus ſuper Lazarum ad declarandã ſuam humanitatem, ad oſtendendam veram pietatem, & ad firmandam in nobis fraternam charitatem. 413. 2. D

Laicis non licet pędicare. 337. 2. B

Laicis præeſt Papa immediata iuriſdictione, ſed non immediata executione, niſi in quinque caſibus. pagina. 131, 1. A

Laico poteſt committi poteſtas iuriſdictionis, non autem ordinis. 385. 2. B

Laicus, licet polleat ſanctitate vitę, non debet aſpirare ad ſummum ſacerdotium, quia electio non caderet ſuper materia congrua. 42. 1. F

Laicus ex commiſſione Papæ poſſet excommunicare, beneficia conferre &c. 385. 2. B

Laicorum maior ſeruitus, quàm clericorum. 131. 1. D

Latini baptiſmum conferentes iuxta formam Gręcorum grauiter peccarent, tamen non eſſent rebaptizandi ſic baptizati. 154. 2. E

Latria, & ſacrificium ſunt ſoli Deo exhibenda. pagina. 263. 2. B

Legatus Papæ licet non ſit Sacerdos poteſt dare Indulgentias. 180. 2. E

Legatus Papæ non Sacerdos, licet non poſſit remittere peccata mediãte Sacramẽto per ipſum adminiſtrato, poteſt tamen mediante officio, quia poteſt committere Sacerdoti, vel Epiſcopo, vt illud adminiſtret. Ibidem. 2. F

Legatus poteſt facere ad remiſſionem peccatorum plus mediante officio, quàm mediante Sacramento. Ibidem 2. G

Legationis munus non repugnat ſtatui perfectionis Cardinalium. 505. 2. A

Legatorum conditiones. Ibidem

Legem humanam poſitiuam mutari contingi propter humanorum actuum variationem, & propter ipſius legis perfectiorem inuentionem. 243. 2. C.

Leges Imperiales quatenus ſunt ab hominibus ſeruanda. 241. 2. B

Leges illę obligant in foro cõſcientię, quę iure Diuino, vel naturali habent vim obligandi. 242. 1. F

Leges, quatuor modis poſſunt iuſtitiam continere. pagina. Ibidem G

Leges Imperatoris, & cuiuſcumque alterius Principis nullius ſunt roboris, niſi fuerint auctoritate Papę confirmata, & approbata. 5. 2. D

Legibus Imperialibus poteſt Papa vti, non quantum ad coactionis dominium, ſed quantum ad veritatis obſequium. 245. 2. A

Legis litterę quis aduerſatur, qui non intentioni. pagina. 167. 2. D

Legis tria genera. Poſitiua humana, quę ponitur, & deponitur. naturalis: quę ponitur, & non deponitur, & Diuina: quę nec ponitur. nec deponitur. Ideo æterna eſt. 139. 1. A & 243. 2. B

Legis ciuilis interpretatio quadruplex pertinet ad Papam. 354. 1. H

Lex ſuperioris non poteſt tolli per inferiorem. 37. 1. D

Lex omnis iuſta dependet a Diuina lege effectiue, & deriuatiue & materialiter, & ſubiectiue. 240. 2. F

Lex æterna ſtrictè, largè, & largiſſimè accipitur. pagina. 243. 2. D

Lex duplex in foro conſcientia non immobilis, quæ certificat de agibilibus in vniuerſali, & dicitur lex naturalis. Altera mobilis de caſibus particularibus, & dicitur conſcientia. 244. 1. E

Lex euangelica arcta eſt labore, ſed facilis amore Moſaica vtroque modo erat arcta. 270. 2. H

Lex Moſaica prohibebat concupiſcentiam quantum ad legiſlatoris intentionem, & expreſſionem, licet non quantum ad pœnæ contra tranſgreſſores taxationem, & inquiſitionem. 293. 2. D

Lex Moyſi quomodo intelligatur, quod cohibebat manum, & non animum. 294. 1. F

Lex Moyſi prohibebat concupiſcentiam interiorem ſed non præſtabat gratiam pro illa vitanda pagina. Ibidem G

Lex euangelica dicitur perfectior, non propter prohibitorum pluralitatem, ſed propter adiutricem charitatem. Ibidem

Lex noua differt à veteri: quia in noua confertur gratia ad uitandam concupiſcentiam, & pro illa etiam taxatur pœna, quod non faciebat vetus pagina. Ibidem 2. G

Lex Moyſi promittebat obſeruatoribus eius bona temporalia

poralia, ſicut & temporalem pœnam imponebat. Sed noua promittit, & minatur æterna. Ibidem
Lex humana in puniendo tranſgreſſores ſuos differt in tribus à Diuina. 295. 1. D
Lex probibet aliqua explicitè, & aliqua implicite, pagina 299. 2. A
Lex Diuina quatuor modis corrigit humanã. 242. 2. H
Lex naturæ tripliciter accipitur. 313. 1. C
Lex naturę per peccatum non eſt corrupta, ſed obtenebrata. Ibidem B
Lex aliqua recipit diſpenſationem, vel propter imperfectionem, vt lex Moſaica. Vel propter inexplicationem, vt lex naturæ. Vel propter negociorum occurrentium variationem, vt lex humana. at lex Euangelica nullo horum modorum admittit diſpenſationem. 314. 2. G
Lex euangelica diſpenſationem recipit in conſilÿs, non autem in pręceptis. 315. 1. D
Lex naturæ tripliciter conſideratur. 333. 1. D
Lex naturæ ſicut multipliciter variata, ſic multipliciter fuit interpretata. 355. 1. C
In lege naturæ ſecundum eius vniuerſalem rationem Papa non poteſt diſpenſare, ſed quantum ad illius additionem, vel ſubtractionem. 313. 1. B
Libertati, & veritati Euangelÿ repugnaret ſeruitus veteris legis, non autem ſeruitus corporis. 134. 1. E
Liberum arbitrium non tollitur, ſed iuuatur per auxilium gratiæ. 201. 2. D
Libri, qui leguntur in Eccleſia, in triplici genere ſunt quo ad approbationem ab Eccleſia. 491. 1. C
Libri Sanctorum per Eccleſiam canonizatorum quomodo ab Eccleſia ſint approbati. 492. 1. G
Libros approbat Eccleſia, vel per conceſſionem legendi vel per prohibitionem aliter opinandi. Ibidem
Loca quatuor erant occupata infra terram ante Chriſti mortem, quorum vnum omnino expoliauit. aliud in fine mundi expoliabitur, alia duo numquam. pagina. 198. 2. G
SS. Lucia, & Cecilia vouerunt virginitatem coram Deo, licet exteriori ſigno profeſſa illam non fuiſſent. pagina. 470. 1. F
Ludentium pari voluntate lucrum erogandum eſt pauperibus. At ſi alter trahitur ad ludum, huic reſtituendum. 332. 2. G

M

MAgiſter in Theologia debet ſcire ius canonicum illud tractaturus nõ in foro exteriori, ſed interiori, non inter hominem; & hominem, ſed inter hominem, & Deum. 537. 1. D
Magiſterÿ gradum tollere, eſt impedire ſtudÿ profectum. 519. 2. D
Magiſterium in ſacra Theologia magis conuenit Religioſis, quàm ſecularibus. 517. 2. D
Magiſtri interpretantur canones per modum diſputationis. Papa verò per modum determinationis. pagina. 352. 2. H
Magiſtris in Theologia quomodo conueniat ex officio prædicare. 342. 2. E
Magiſtris Theologis prouideri, iubent canones, de prouentibus Eccleſiaſticis, vt ſe totos occupare poſſint in alÿs docendis. 377. 1. A
Magiſterÿ gradum conuenire Religioſis mendicantibus oſtenditur. 517. 2. C
Magiſtros plures eſſe, & fieri plus expedit Collegÿs, quàm quod pauci in certo numero ad Magiſterium admittantur. 519. 2. D
Mala opera ſunt aliqua ob indebitam materiam. Aliqua propter indebitam circumſtantiam. Aliqua ob indebitum finem, illa poſſunt aliquando ſine peccato fieri, non autẽ quę tertÿ ſunt generis. 292. 1. G
Maleficia quæ permittit Deus ſubſequi, non niſi per exorciſmos, & huiuſmodi alia eccleſiaſtica medicinę munera curanda ſunt. 262. 1. H
Malitia humana detegitur, quæ occaſionem accipit ad luxuriam ex geſtis ſanctorum, non autem imitandi eorum virtutes. 433. 2. D
Malum quo communius, eo magis corrigendum. pagina. 361. 2. C
Maria virgo, vt valde ſancta adoranda eſt dulia, quæ & alÿ ſancti, & Papa, vt vero mater Dei adoranda eſt hyperdulia. 74. 1. G
Marię virgini congrua fuit incorruptio carnis, nõ propter Diuinitatis corporalem coniunctionẽ, ſed propter fomitis peccati extinctionem. Ibidem H
Marito quando lex permittat adulterantem cum vxore ſua, impune occidere. 281. 2. C
Maritus non committit vſuram accipiendo ſuperabundantiam ex fructibus dotis: quia non accipit eam pro vſu rei: Eadem ratione nec Dominus feudi. &c. pagina. 379. 1. A
Martini Cardinalis legati exemplum. 505. 2. C
Martyres ſuperant Religioſos in ſtatu perfectionis. pagina 462. 2. E
Martyres præcipue conſtituuntur in ſtatu perfectionis. 460. 2. F
Martyrÿ perfectam rationem tria faciunt, Propriæ voluntatis, & vitæ abdicatio. Mortis violenta perpeſſio. Et iuſtę cauſæ terminatio. 461. 1. D
Martyrÿ palmam aliqui conſecuti ſunt ſine martyrio. Ibidem 2. C
Martyrium eſt commune Eccleſiæ non minus, quàm quodcumque aliud virtutis opus. 462. 2. F
Martyrium eſt commune bonis, & malis, non autem cauſa. 106. 2. F
Martyrium ponit hominem in ſtatu perfectionis, non ob ſolam animi ad illud præparationem, ſed quando actu recipitur. 460. 2. G & H
Matrimonÿ certos gradus determinat Eccleſia, quæ ob diuerſas cauſas vno tempore concedit, quod in alio prohibet. 286. 2. E
Matrimonio carnali, vt eſt in officium, conueniunt quatuor, quæ optime accommodantur matrimonio ſpirituali. 117. 2. A
Matrimonium ante peccatum in paradiſo fuiſſet in officium naturæ, non autem in remedium peccati. pagina. Ibidem
Matrimonium quare prohibitum in certis caſibus. pagina. 285. 2. D

Matrimo-

Matrimonium non conſummatum diſſolui per ingreſſum alterius coniugis in Religionem, ex diuina inſtitutione, & ex iuridica ratione comprobatur pagina. 366. 2. H

Matrimonium verum eſſe poteſt inter coniuges: qui concordi voluntate vouerunt continentiam, vt inter matrem Chriſti ſanctiſſimam, & Ioſeph. pagina. 367. 1. C

In matrimonio diſpenſando, vel non, tria conſiderantur. 285. 2. C

Medici debent eſſe de legitimo matrimonio nati ſicut & alij reipublica adminiſtratores: & illegitimi nō debent eligi, niſi cum eis diſpenſetur per eum: qui eſt reip. prouiſor. 540. 1. F & G

Medici debent obſeruare ſigna aſtrorum in dandis medicinis. 542. 1. H

Medicus non peccat accipiendo ſtipendium de cura ægritudinis: quam ſignificauit ſe habere pro incurabili. 543. 1. B

Medici debent monere infirmos ad uocandum medicum animę. Ibidem 2. D

Medici tenentur impendere curam ſuam pauperibus eam implorantibus: qui nec per ſe, nec per alios releuari poſſunt. 544. 2. F

Medici tenentur curare Religioſos, cum ab illis recipiant curationem animarum ſuarum. Ibidem. 2. G

Medicina eſt dignior alijs ſcientijs practicis, ex parte ſubiecti: legum ſcientia eſt dignior ex parte finis: ex parte modi ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa. 539. 1. D

Medicinæ artis conditio, & ægritudinis, ac perſonæ cōſideranda eſt in curando ægroto. 541. 2. A

Medicinę ars Religioſis eſt interdicta quantum ad exercitium practicum, non autem quantum ad conſilium. 545. 1. D

Medicis practicis magis, quàm theoricis eſt vtendum. 541. 1. A

Medicis, ne in exercenda illorū arte, irregulares fiant, neceſſaria eſt ſcientia, conſcientia recta, & rei decentia. 546. 2. E

Medicos honorandos docet ſacra Scriptura propter Deū, propter medicū, & propter infirmū 539. 1. B

Medicos plures magis, quàm vnum præſtat vocare ad curandum infirmum. 541. 2. A

Medicum accerſire differens propter morbum corporis. quomodo peccabit quis, & non, ſi differat confeſſionem. 347. 1. D

Medicorum experientia conſurgere poteſt vel ex originis, eorum diſpoſitione, vel ex particularium applicatione. 540. 2. G

Membra ſpiritualia principaliter recipiunt influxum ſpiritualis capitis, corporalia vero ſecundario, pagina. 118. 2. H

Mendacium eſt falſa uocis ſignificatio cum intentione fallendi. 291. 2. B.

Mendacium, quia habet ſemper finem malum ſcilicet fallendi, nunquam poteſt bene fieri. 292. 1. G

Mendacium eſt maius peccatum qualitatiue: homicidium vero quantitatiue Ibidem 2. E

Mendacium non eſt dicendū pro aliqua vtilitate. Ibid.

Mendicantium ordines ſuperant alios Religioſos in imitatione modi viuendi Apoſtolorum. 527. 2. A

Mentiri in confeſſione, accuſando ſe ex humilitate, vel ob vtilitatem de peccato non facto, graue eſt peccatum. 290. 2. F.

Merens maius non meretur minus, niſi illa eodem modo ordinentur. 184. 1. F.

Meretur nec de condigno, nec de congruo ex ſe, nec æternum, nec temporale bonum, ille, qui exiſtit in peccato mortali: Sed remunerantur ſi quę bona fecit. quia ſic decet Deum bona remunerare. 191. 2. B

Meretrices non obligantur ad reſtitutionem turpis illarum quęſtus, peccant tamen mortaliter acquirendo. 332. 2. E

Meritorium eſt opus vnum magis, quàm aliud: quod fit maiori conatu, & ardentiori promiſſione, cum maiori oblatione, & firmiori obſeruatione. 469. 2. B

Meritum duplex: eſſentiale, & conditionale. & quid vtrumque. 177. 2. D

Meritum inſurgit ex parte merentis, ex parte principij formalis, & ex parte operis meritorij. 481. 1. A

Meriti ſunt opera, vel quantum ad conatum voluntatis, vel quantum ad qualitatem operis, vel quantum ad primitatem radicis. 513. 1. A

Militiam imperialem, ſiue regalem iuſtitiam ſeruantē inſequitur pacis vnitas: Diuini cultus Sanctitas: Rerum temporalium vbertas: & Doctrina veritas. pagina. 223. 2. A

Militare quomodo licet iuſtè ſub Rege ſacrilego. pagina. 137. 2. B

Miniſtris Sacramentorum non ſolum conuenit propinquitas reſpectu agentis, ſed etiam conformitas reſpectu patientis. 114. 2. G

Miniſtrantibus temporalia præfixus fuit modus, vt nō principaliter temporalis ſubſidij, ſed deſiderio cæleſtis præmij id facerent. 438. 2. G

Miracula quandoque fiunt per malos homines, & nō per bonos, ob maiorem fidem in illis, quàm in illis pagina. 102. 1. G

Miracula facit Deus diuerſimode. 110. 1. H

Miracula ſunt ſigilla litterarum Dei: quas per fidem accipimus. 83. 1. A

Miraculum maius fuiſſet, ſi mundus ſine miraculis ad fidem conuerſus fuiſſet. Ibidem.

Miſſa non celebranda in memoriam Sancti nō canonizati, quia illa eſt communis oratio. 99. 1. A

Miſericordia ſemper eſt miſcenda iuſtitia in iudicādo: & ſemper tutius eſt declinare ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam. 159. 2. A

Miſericordia accipitur dupliciter, vel vt eſt redditio ſecundum exigentiam meritorum, vel vt eſt redditio promiſſionis Dei. Ibidem.

Moyſes ſignificabat Chriſtum, vt legiſlator: Aaron vt ſacerdos, maior tamen fuit Moyſes: quia fuit legiſlator, & ſacerdos. 6. 1. F

Moyſis, & Aaron culpa in educenda aqua de petra fuit vanagloria. 102. 2. E

Moyſes auctoritate Dei elegit ſibi ſucceſſorem, ſed non de cognatione ſua. 20. 1. F

Monachus in eſſentialibus à ſolo Papa in caſibus ne-

ceſſitatis diſpenſari poteſt, & in accidentalibus ab Abbate ſuo. 474. 2. H
Monachi ſi nō doctrina, orationibus iuuant Eccleſiam pagina. 325. 2. B
Monachi quietius vacare poſſunt contemplationi, ſi ſunt exempti, quàm ſi ſubiecti Epiſcoporum viſitationi. Ibidem.
Monachi ad aliqua tenentur ex voto, ad aliqua propter votum. 370. 1. E
Monachi in duobus caſibus poſſunt etiam ſine diſpenſatione tranſire ad regulam laxiorem. Ibidem 2. G
Monachi ſunt propinquiores Epiſcopis, quam presbyteri, quoad ſtatum perfectionis. 459. 2. A
Monachi Sacerdotes, & litterati poſſunt aſſumi ad curam animarum, ſicut presbyteri, monachalem tamen profeſſionem non relinquendo. Ibidem. C. & D
Monachi ſunt omnino alieni iuris, ideo nil proprij ſibi acquirunt, ſed omnia monaſterio. 474. 1. G
De Monacho non monachum poteſt facere Papa. pagina. Ibidem 2. H
Monachi differunt à ſæcularibus in quibuſdam eſſentialiter: & in quibuſdam accidentaliter. Ibidem.
Monachi non promittunt ex voto ſeruare regulam, ſed vouent obedientiam ſecundum regulam. 477. 2. D
Monachi exempti plus tenētur obedire Abbati, quàm Epiſcopo. 132. 1. G
Monachorum bona patrimonialia efficiuntur monaſterij. 475. 1. C
De Monachis, & eorum prædicatione opiniones. pagina. 339. 2. A
Monachos merito aſſumit Papa ad prædicandum. pagina. Ibidem. D
Monachum non teneri ex præcepto regulę ad abſtinentiam, à carnibus comedendis, probatur et ex modo profitendi, & ex modo diſpenſandi. 477. 2. D
Monaſterium ob non obſeruantiam regulę poteſt conuerti in Eccleſiam ſæcularem. 370. 2. G
Mons, & Segor parua ciuitas, de quibus Gen. 19. quid ſignificant. 421. 2. D
Mora temporis ex ſe non facit, quòd actus ſit virtuoſus, vel vitioſus, ſed ordinatio illius in bonum, vel in malum finem. 39. 1. B
Mora protracta in electione, vt de perſona magis idonea prouideatur, vel vt diſcordia apparens inter eligentes ad vnionem reducatur, vel vt Diuinum auxilium per plures impleretur, non eſt vitioſa, ſed bona. Ibidem. C
Mortem ſibi inferre nemini licuit, niſi Spiritus ſancti iuſſu. 280. 1. G
Mortem qui ſibi ipſis attulerunt, exempla Ibidem. F
Mortis periculo ſeipſum exponere laudabile eſt in quatuor caſibus. 463. 1. B
Mortalis culpa de ſe eſt æterna, ſicut & pœna inferni. Quòd autem habeat remedium eſt ex Dei miſericordia. 201. 1. A
Mortuus poteſt accuſari, & excommunicari in tribus caſibus, ſcilicet ſi mortuus eſt in hæreſi, ſi conſtituit ſuos hæredes ipſos hæreticos. & ſi mortuus eſt in notorijs criminibus, maxime ſi habuit ſpatium pœnitendi, & contempſit. 55. 1. A
Mortuus hæreticus licet ſit abſens quantum ad perſonam, eſt tamen præſens quoad defectum culpę pagina. 55. 1. C
Mors naturalis abſoluit totaliter ab actibus viuentiū: ſpiritualis viro ſolum à repugnantibus. 273. 2. B
Mors debetur culpæ, & non naturæ, vt ſic: & ideo non licet occidere hominem, vt ſic, ſcilicet vt maleficum. 277. 2. D
Morum diuerſitas duplex: quarum altera impedit, ne quis monachus eligatur in prælatum, in non ſua Religione. 529. 2. A
Mulier data eſt viro in triplex adiutorium 419. 2. B
Mulieres quare admiſit Chriſtus conſortio Apoſtolorum. 431. 1. A
Mulieres ſequi prędicatores verbi Dei, conſuetū erat apud Iudæos: quare apud illos culpa non erat. pagina. 432. 1. E
Mulieres circumducendi poteſtate non eſt vſus D. Paulus ob quatuor cauſas. 432. 2. E
Mulierum conſortium à Clericis fugiendum probatur ſex rationibus. Ibidem. 433. 2. E
Mundus per quatuor ſtatus tranſitum habet iuſtitiæ. ſcilicet originalis. Peccati, Gratię, & Glorię. pagina. 421. 1. D
Murmur Græcorum de miniſterio viduarum actibus Apoſtolorum quale fuerit 432. 2. E
Mutuans in caſu neceſſitatis, vt panem accipiat vltra ſortem, non eſſet vſurarius, ſed illius ſimilis. pagina. 379. 1. B

N

NAtura beneficium à nullo tollitur ob peccatum. pagina. 138. 1. C
Neceſſitate imminente, ne tētare videamur Deum, interponenda eſt actio ſpiritualis pro ſalute corporali. 272. 1. F
Neceſſitatis articulo exiſtente, ceſſat rerum appropriatio: quia eſt contra ius naturale de conſeruanda vita: qua in tali caſu, niſi re aliena accepta, conſeruari non poteſt. 287. 2. C
Negatio Diſcipulorum Chriſti in quibus profuit illis. pagina. 437. 2. B
Negligētia poteſt eſſe iuſta cauſa, vt quis amittat rem ſuam, non tamen vt quiſquis alius eam iuſtè poſſideat. 331. 1. A
Negligentia in repetendo res ſuas infra tempus pręſcriptionis, ſine peccato eſſe poteſt. Ibidem.
Negotiorum quædam ſæcularia, ſed non ſæcularium perſonarum: Quędam ſæcularium: ſed non ſæcularia: Quędam ſæcularia, & ſæcularium: & quædam nec ſæcularia, nec ſæcularium 524. 1. F
Neſciat ſiniſtra tua, &c. Matth. exponitur. 470. 1. H
Nolite vocari rabbi Matth. 23. exponitur tripliciter. pagina. 518. 1. E
Nomen Dei aſſumitur in vanum contra præceptum Dei ſex modis. 264. 1. E
Nomina prædeſtinatorum ſcripta ſunt in libro vitæ per æternam ſententiā: Et omnium exiſtentium in gratia per præſentem iuſtitiam horum deleri poſſunt,

ſunt, non autem illorum 438. 2. F.

Notarij cur debeant eſſe iurati. 548. 2.G

Notarij ſerui: qui liberi credebantur, inſtrumenta ſunt valida. Ibidem 2.H

Notarijs non licet delegare ſuum officium propter tria inconuenientia, quæ ſequerentur. 549. 1. C

Notarij debent eſſe legitimi, & iurati. 548. 2.F

Notariorum neceſſitas. 547. 2. D

Notarios creare eſt ſolius Papæ, vel Imperatoris, & illorum, quibus ab his conceſſum fuerit Ibidem.

Notarios conſtituere poteſt Epiſcopus in tota ſua diœceſi, quibus tamen non liceret conficere inſtrumenta, niſi de negotijs Eccleſiaſticis. Ibidem.

Notarius quis. Ibidem. B

Notarius non repellendus à teſtimonio, nec quis alius, niſi propter malitiam ſuam. 550. 1. E

Notarius factus Religioſus amittit officij executionē, non autem poteſtatem conficiendi inſtrumenta. Vnde de iuſſu iudicis ſpiritualis, & de licentia ſui ſuperioris poſſet exercere officium in negotijs Eccleſiaſticis. Ibidem 2. H & 551. 1. D

Notorium quid dicatur, malefactoris confeſſione, Teſtium probatione. & rei euidentia. 390. 2. F

O

OBedientiam conſtituiſſe Apoſtolos in ſtatu perfectionis, ex tribus patet. 449. 2. B

Obedientia nos vnit Deo per voluntatis Dei impletionem; Caſtitas verò per aſſimilationem. 452. 1. B.

Obedientia facit opera noſtra meritoria, effectiue, inſtrumentaliter, & conſeruatiue. Ibidem.

Obedientia quomodo differt à ſubiectione, & ſeruitute. 416. 1. G

Obedientiam ponere in Chriſto neceſſe eſt, propter primi peccati ſatisfactionem, propter ſacrificij ipſius Chriſti acceptationem, & propter naturæ humanæ ſeruatam conditionem 415. 2. D

Obedientiæ votum, præ cęteris ponit hominem in ſtatu perfectionis. 458. 2. F

Obedire debent laici magis Papæ, quàm Imperatori. pagina. 132. 1. E

Obedire debet homo ſoli Deo, quantum ad interiorem voluntatis motionem: Papæ quantum ad totius Religionis Chriſtianæ conuerſationem. Nulli quantum ad corporis naturale operationem: Diuerſis, quantum ad corporis exteriorem adminiſtrationem. Ibidem 2.G

Obedire debet nauta in nauis regimine magis gubernatori nauis: et miles in bello magis duci exercitus, quàm Papæ. 133. 1. A

Obedire homini propter hominem non eſt perfectionis, ſed amoris ſeruilis. 495. 1. C

Obligatio perpetua ad opera perfectionis conſtituit ſtatū perfectionis, non autem quæ ad alia. 448. 1. E

Obſtetrices ægyptię fuerunt remuneratæ, non de mendacio, ſed pro beneficio benignitatis. 291. 1. H

Occaſio directa mali nulli eſt danda. Indirecta autem dari poteſt. cum ſcilicet illud bonum, quod eſt mali occaſio alicui, bonum, eſt neceſſitatis. 55. 2. D

Occidentales Clerici maiores ordines ſuſcepturi, continentiæ votum emittere debent.

Occidere non licet virgini, nec ſe, nec corruptorem ſuum pro virginitate ſeruanda. 470. 2. H

Occidere cur liceat inuaſorem ad vitam defendendā, non autem pro virginitate ſeruanda. 471. 1. D

Occiditur homo ſine peccato, in quatuor caſibus. pagina. 277. 2. C

Officia plura poteſt Papa committere vni, propter perſonę idoneitatem, officialium paucitatem, & Eccleſiæ neceſſitatem. 373. 1. A

Officia, & beneficia, quę poteſt ordinare, & conferre poteſtas ſęcularis, poteſt & ſpiritualis. 372. 2. H

Olei ſacri tria genera ſunt in Eccleſia. 225. 2.C

Opera immediate à Deo facta ſunt perfecta: in ijs autem, quæ facit mediante creatura, ob huius defectibilitatem, imperfecta eſſe contingit. 5. 1.A

Opera ſanctitatis poſſunt bene fieri in occulto, & palam. 100. 2. H

Opera facta intra tempus à commiſſo peccato mortali, vſque ad confeſſionem, non ſunt mortua, ſi ille interim contritus extitit. 147. 2. B

Operatur Deus ſupra, non contra naturam. 450.1. G

Operum, quę propter Chriſtum proximis impenduntur, tria ſunt genera. 484. 2. E

Opus ex voto ſeruatum, licet in ſe quandoque non ſit voluntarium: tale tamen eſt reſpectu obedientię, quam ille vouit. 451.2.D

Opus perfectionis, eò cęteris perfectius, quò pluribus, quàm alia eſt communius. 484. 2. G

Oratio immediatè poteſt intrare ad Deum; quia gratię innititur, non autem appellatio, quæ innititur ſcientię. 59. 2. A

Ordines duo erant in Eccleſia primitiua. 306. 1. F

Ordinis Sacramentum eſt vnum tantum, vnitate ordinis. Ibidem. 2. E

Ordinis ex ipſa aſſumptione non tenentur omnes ſuſcipientes ad continentiam, vt patet in Gręcis Sacerdotibus. 345. 1. D

Ordinibus minoribus prędistis licuit ſemper, & licet contrahere matrimonium, & illo vti. 454. 2. H

Ordinibus maioribus iam decoratis numquam licuit vxores ducere: Gręcis autem licuit, & licet vt olim contracto. 455. 1. A

Ordinibus ſacris annexum eſt continentię votum, non ex natura rei, ſed ex pręcepto Eccleſię. Ibidem B

Ordo de ſe habet rationem boni, quod apparet etiam in ipſis malis bene à Deo ordinatis. 4. 2.E

Ordo triplex eſt in Eccleſia, quo Clerici ordinantur ad Laicos, Quo laici ordinatur ad Clericos, & quo Laici ordinantur ad Laicos. 9. 2. D

P

PAcem prędicans pręcipit iuſtitiam, cuius illa eſt effectus. 428. 1. H

Pagani, qui credere nolunt, iam iudicati ſunt poteſtate clauium. 136. 2. H

Pagani agentes contra legem naturę, iuſtè poſſunt puniri. 139. 1. B

Pagani non ſunt ſubiecti Papæ de facto, ſed de iure. Ibidem C
Pagani cogendi ſunt ſeruare leges à Principibus latas: quorum dominio ſubduntur. Ibidem 2. D
Pagani, & alij barbari non chriſtiani non ſunt cogendi ad faciendum aliquid: quod lędat eorum ſuperſtitionem, ſicut nec cogendi ad fidem. Ibidem.
Pagani non poſſunt puniri pœna ſpirituali, vnde tales clericum percutientes non incurrunt excommunicationem. 140. 1. F
Paganorum ritus quare tolerentur ab Eccleſia. Ibidem 2. H
Palatia vitanda ſunt à Religioſis, ambitionis, non charitatis cauſa. 523. 2. B
Papa deponit, & priuat Epiſcopos. 2. 2. G
Papa non ita immediatè, niſi in quibuſdam caſibus exequitur poteſtatem iuriſdictionis temporalis, ſicut ſpiritualis. 3. 2. D
Papa poteſt auferre poteſtatem iuriſdictionis, non autem ordinis: quę in characteris impreſſione, tam in Epiſcopo, quàm in Sacerdote, licet diuerſimode, imprimitur. Ibidem.
Papa cōſecratur vt ſacerdos, coronatur vt rex. 10. 2. G
Papa habet poteſtatē non ſolum ſuper ſpiritualia, ſed etiā ſuper temporalia bona, vt patet ex eorū bonorum productione, ordinatione, & motione. 12. 1. H
Papa ſi non ordinat bona temporalia ad ſpiritualia, abutitur, & non vtitur illis. 13. 1. B
Papa ad ſui ipſius & miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentationem debet eſſe cōtentus redditibus Eccleſię: ſed quoad bonorum ſpiritualium ordinationem habet poteſtatem ſuper bona omnium fidelium. Ibidem C
Papa cur eligatur hominum electione, & non immediatè à Chriſto. 17. 2. D
Papa ſubterfugit humanum, ſed non Diuinum iudicium. 24. 1. H
Papa non recognoſcit temporalia ab Imperatore, vel ab alijs Principibus propter aliquam poteſtatem: qua non ſubijciantur illi; ſed propter immediatam adminiſtrationem, vel propter pacem Eccleſię conſeruandam, vel propter reſtitutionem ab illis factā de bonis: quæ tyrannicè ſibi vſurpauerant. pagina. 25. 2. B. & 215. 1. A
Papa electus vnus ex collegio Cardinalium habet cognitionem ipſorum Cardinalium: quorum conſilio vſurus eſt in agendis, eſt inſtructus de rebus, & ordinationibus Eccleſię, nouit vſum conſuetum clauium, ſunt illi cogniti ſubditi, & fideles ipſi Eccleſiæ, & magis propinquam habent diſpoſitionem: quàm cæteri ad tantum regimen. 34. 1. G
Papa eligens Epiſcopum dat etiam eidem authoritatem, non autem Cardinales eligentes Papam. nam eius authoritas eſt immediatè à Chriſto. Ibidem
Papa ſolus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis ſuper totam Eccleſiam, & in hoc diſtinguitur illius poteſtas, à poteſtate aliorum, non autem in ijs: quæ pertinent ad diſtinctionem, vel perfectionem ordinum. 41. 1. B
Papa non habet ſibi ęqualem in papatu, in poteſtate autem ſacerdotali, & Epiſcopali omnes ſacerdotes & Epiſcopi ſunt ſibi æquales. 42. 1. E
Papa, vt Papa, niſi ſit Sacerdos, non habet poteſtatem ſupra corpus Chriſti verum. Ibidem.
Papa poteſt habere omnē poteſtatem pertinentē ad Papam, & tamen carere ordinis poteſtate Ibidem F
Papa renunciando papatui poteſt mereri, puta, ſi neſciat, vel non poſſit ſuo munere fungi. Demeretur autem ſi idoneus, renunciet. 44. 2. E
Papa, ſicut per ipſum recipit iuriſdictionem, conſentiendo electioni eius, ita poteſt ſeipſum ab illa abſoluere, conſentiendo eius ceſſioni. 46. 1. E
Papa repræſentat ſacerdotium Chriſti, non quantum ad perſonam, ſed quātum ad officium Ibidem 2. G
Papa à nemine iudicandus eſt, niſi deprehendatur deuius à fide. 50. 1. G. & 51. 2. G
Papa deprehenſus in hæreſi non eſt Papa. 50. 1. G
Papa paratus ſuam ſententiam reuocare, nec etiam pro hæreſi deponendus eſt. Ibidem 2. F
Papa eſt ſupra ius, ideo iura poſitiua eum non ligant. pagina. 51. 1. B
Papa non eſt deponendus, nec pro ſimonia: quæ de iure natura prohibetur, quia nec propter alia peccata, ſed propter ſolam hæreſim. 52. 2. G
Papa non habet ſuperiorem niſi Deum: à quo iudicandus ſit pro ſuis criminibus. Deus autem maiori pœna puniet, quo plures illis culpa in interitum corruerint. Ibidem H
Papa forte deſineret eſſe Papa ob incorrigibilitatem, ſi diceret peccata ſua non eſſe peccata, non autem ob id ſolum: quòd in peccatis perpetrandis perſeueraret. 53. 1. A
Papa non eſſet deponendus, nec pro hæreſi, niſi per plures teſtes idoneos conuictus, quàm quot neceſſarij eſſent ad depoſitionē aliorum prælatorū Ibid. 2. B
Papa mortuus in hæreſi, excōmunicari poteſt 55. 1. B
Papa ſolus dicitur Vicarius Dei, quia ſolum quod ligatur, & ſoluitur per eum habetur ligatum, & ſolutum per ipſum Deum. 57. 1. B
Papa præſens eſt maior, & perfectior, quam Papa futurus, quia hic eſt in potentia, ille in actu. 60. 1. F
Papa virtute propria eligit Cardinales, ipſi autem eligunt Papa authoritate ipſius Papæ. 61. 1. B
Papa poteſt determinare negocia Eccleſiæ ſine conſilio Cardinalium, Decet tamen ipſum cum illis ea tractare, vt maturiori conſilio fiant. Ibidem C
Papa, vt caput Eccleſię, influit in membra, & non recipit ab eis. Ibidem. D
Papa non poteſt facere ſtatutum, vt quis poſſit ab eius ſententia appellare. 62. 1. G
Papa poteſt eximere ſubditum a iuriſdictione ſui prælati, & non à iuriſdictione ſua. Quia ſic, negaret ſe eſſe caput totius Eccleſię Ibidem
Papa ſoluit tributum de bonis temporalibus, quia ſubijcere poteſt illa poteſtati aliorum, ſine præiudicio ſuæ iuriſdictionis. 63. 1. A
Papa in crimine hæreſis publice reprehendēdus, at in alijs peccatis, ſecretè, & alijs adhibitis circumſtantijs. 651. 2. C
Papa, vel Epiſcopus alteri ſuccedit, vel mortis interuentione, vel ob culpam, depoſitione, vel propter inſuffi-

inſufficientiam, vel imbecillitatem corporis reſignatione. Quorum nullo modo potuit Chriſtus perſonaliter cedere. 70. 1. H

Papa quilibet poteſt dici ſucceſſor D. Petri: quia quilibet Papa ſuccedit perſonaliter cedenti. Ibidem.

Papa nonicitur ſucceſſor, ſed vicarius Chriſti Ibid.

Papa melius, quàm angelus repreſentat Deum, & quantum ad natura conformitatem, & quantum ad officij poteſtatem. 74. 2. H

Papa apertè malus honoratur, non quia malus, ſed quia Papa. 76. 2. G

Papa poteſt addere ijs, quę ſunt fidei, quantum ad dubiorum interpretationem, & determinationem, & quantum ad occultorum, & implicitorum explicationem. 79. 1. B

Papa canonizando Sanctum. nõ efficit in illo ſanctitatem, ſed approbat exiſtentem. 96. 1. G

Papa non tenetur ex neceſſitate requirere conſilium Collegij in canonizandis ſanctis, ſed de congruo. pagina. 97. 1. A

Papa optime facit adhibens conſilium in ijs: quæ pertinent ad Deum, & ad fidem Chriſtianam. Ibidem

Papa canonizans aliquem ſecundum præſentem iuſtitiam non errat. 98. 1. G

Papa maior eſt Angelo in dominio, quia poteſt (ſicut fecit D. Paulus) etiam bonum angelum excommunicare. 111. 1. C

Papa ſolus eſt ſponſus Eccleſię. 117. 2. C

Papa cum hoc, quod eſt caput, dici poteſt quoque cor Eccleſiæ. 118. 2. C

Papa eſt Epiſcopus immediatus cuiuſlibet Eccleſię ſecundum iuriſdictionem, non autem ſecundum adminiſtrationem. 119. 1. D

Papa ſuccedit Chriſto in vniuerſali iuriſdictione, & D. Petro in perſonali adminiſtratione. Ibidem 2. D

Papa ſecundum officium, & iuriſdictionem vniuerſalem eſt Epiſcopus vniuerſalis Eccleſiæ, & quantũ ad perſonalem adminiſtrationem eſt Epiſcopus vrbis Romę. 120. 1. F

Papa Ideo Epiſcopus Romanus: quia ſuccedit D. Petro: qui hanc Eccleſiam ſuo martyrio, & corporis ſui præſentia honorauit, & honorat. 119. 2. C

Papa tenet locum D. Petri in Eccleſia, Epiſcopi tenent locum Apoſtolorum, at presbyteri habent locum ſeptuaginta diſcipulorum. 121. 1. A

Papa poteſt facere per ſeipſum, vel alijs committere facienda in quibuſlibet Eccleſijs, quæ ipſarum Epiſcopi in eis facere poſſunt, & amplius. Ibidem B

Papa præeſt Eccleſiæ per poteſtatẽ clauium. 122. 1. E

Papa per poteſtatem clauium pręeſt ſpiritualibus & temporalibus membris Eccleſiæ. Ibidem. 2. H

Papa verus eſſet: qui eligeretur in Papam, etiam ſi nullum haberet ordinem. 125. 1. A

Papa errare non poteſt in poteſtate clauium per ſe, & formaliter, ſed per accidens, & materialiter poteſt in illa excedere, & errare. 126. 1. E

Papa non tenetur ex neceſſitate reſidere in aliquo determinato loco. Ibidem 2. G

Papa licet poſſit omnia, tamen ea debet velle, & poſſe quæ iuſtitia, & laudabilis conſuetudo requirit. pagina. 127. 1. B

Papa non debet diſcurrere in perſona propria per mũdũ, ſed per miniſtros, potẽtia ſua virtuali 128. 2. E

Papa debet conſeruare, & non tollere debitam ſubiectionem ad Principes ſæculares. 132. 1. E

Papa ſtudere in primis debet ad liberandos homines à ſeruitute animę. 134. 1. E

Papa poteſt ob crimina damnare omnes liberos chriſtianos ad ſeruitutem accidentalem, non autem ad naturalem, vel conditionalem. Ibidem. 2. G

Papa præeſt omnibus, etiam paganis, quia vicarius eſt Chriſti. qui plenam habet iuriſdictionem ſuper omnem creaturam. 136. 2. G

Papa debet eſſe legis æternæ imitator, legis naturalis obſeruator, legis verò poſitiuæ, & lator, & immutator, pro temporum congruentia. 139. 1. A & B

Papa prohibet ſe vocari Pontificem vniuerſalem, ad vitandam notam ſuperbiæ. 176. 1. F

Papa dat indulgentiam, vt caput Eccleſiæ, & vt eiuſdem membrum eandem recipit, ſicut & dum abſoluitur in foro conſcientiæ. Ibidem 2. F

Papa In danda indulgentia habet ſe in ratione inſtrumenti, & non ſubiecti: econtra verò, cum illam recipit. 177. 1. B

Papa exiſtens in peccato mortali non habet gratiam Indulgentiæ ad propriam ſalutem, ſed ad miniſterium ſalutis aliorum. Ibidem 1. C

Papa vtitur clauibus ad remiſſionem peccatorum dupliciter, S. mediante ſacramento. & indulgentias concedendo, ac ſuffragia communicando. 193. 2. D

Papa illud poteſt recto vſu clauium, ordinaria, & legitima poteſtate, quod facit poteſtate non excedente, & claue ſcientia non errãte. 194. 1. G

Papa, quibus concurrentibus poteſt per indulgentiã aliquem abſoluere, vt decedens nõ tranſeat per ignem purgatorium. 195. 2. A

Papa poteſt impedire gaudium, quod damnati haberent de damnatione ſuorum inimicorum, impediendo talium inimicorum damnationem. 201. 2. C

Papam in quibus caſibus poteſt fauere alteri parti eligentium Imperatorem. 209. 1. A

Papa nõ debet ſibi vſurpare immediatam omniũ temporaliũ executionem, ſiue adminiſtrationẽ 216. 1. F

Papa eſt cauſa miniſterialis omnium credentium in genere cauſę finalis, efficientis, & formalis. Vnde maior eſt Imperatore in cauſalitate. 217. 2. C

Papa poteſt eligere Imperatorem quemcumque, & vndecumque in auxilium, & defenſionem Eccleſię. 222. 2. H

Papa deponendo Principem aliquem, non tollit dominationem, ſed poteſtatis abuſionem. 230. 2. H

Papa abſoluit à iuramento quantum ad illicitam iurationem. 231. 2. F

Papa non eſt ſolutus à legibus, quantum ad iuſtitiam directiuam, ſed quantum ad vim coactiuam, & quantum ad virtutem poteſtatiuã. 246. 2. F & 1. G

Item quantũ ad condemnationis iudicium, & non quantum ad operationis exemplum.

Papa exigẽte id Regis, vel ſubditorum nequitia poteſt in quolibet regno regem inſtituere. 251. 2. A

Papa in rebus Eccleſiaſticis plenum habet dominiū. Ideo etiam ſine praſcriptionis ſtatu poteſt auferre iuriſdictionem rerum eiuſmodi ab adminiſtratoribus earum. 330.2.G
Papa non cogit ad vouendum, ſed ſponte vouentem ad obſeruationem voti. 345. 2. A
Papa plus poteſt mediante officio, quàm mediante ſacramento. 346. 2. E
Papa dans ſpiritualia, vt temporalia recipiat, dupliciter peccat. 386. 2.G
Papa perfectiori modo reprę ſentat perfectionis ſtatū Chriſti, & Apoſtolorum, quàm Religioſi, tum ratione ſucceſſionis, tum ratione obligationis. pagina. 495. 1. B
Papa etiamſi non fuerit perfectus, eſt tamen in ſtatu perfectionis. 436. 1. F
Papa ſucceſſit D. Petro in exteriori apparatu, quoad iuriſdictionem. Conſtātino autem, quoad actualem poſſeſſionem, & adminiſtrationem. 497. 1. C
Papa vice Chriſti habet dominium, & vſum rerum, non ſolum Clericorum, ſed etiam omnium Laicorum. 499 2. D
Papa mutare poteſt omnem perfectionis ſtatum, nam poteſt diſpenſare in omni voto ſolemni. 500. 2. G
Papa, quia vicarius Chriſti ſpiritualium, & temporalium Domini, eſt maior quocumque rege, & Imperatore. 216. 1. E
Papa negante Chriſtum, etiam per violentiam ſibi factam, negandum eſſet, illum eſſe Papam. 50. 2. G
Papam deſinere eſſe Papam ob malam doctrinam, non autem ob mala opera, declaratur Matth. 23. ſuper id: Super cathedram Moyſi: 53. 1. A
Papam poſſe excommunicare angelum intelligitur duobus modis. 115. 1. B
Papam reſidere in Romana ſede magis congruum eſt ob dicta ſedis prarogatiuas. 126. 2. H
Papam maiorem eſſe Imperatore in auctoritate probatur. 218. 2. F
Papam decet aliquos eximere ab immediatis Prę latis. 324. 2.E
Papa conuenit aſſumere iudices ſęculares ad terminandas lites, magis, quàm id per ſe ipſum facere. pagina. 33. 1. C
Papę electio, & modus eligendi roboratur in collegio auctoritate Papa. 35. 1. D
Papa eſt congregare concilium, quęſtiones de fide terminare, & dubia circa illam interpretari. 54. 2. F
Papę poteſtas congruè ſignificatur per montem Sinai, propter eius ſublimitatem, & authoritatē. 69. 2. A
Papę non exhibetur honor: qui debetur Chriſto, cum ſit pura creatura. 72. 2. E
Papa exhibetur honor ratione poteſtatis: qua cum ſine bonitate, & ſcientia inueniri non debeat, ideo nō eſt ei ſubtrahendus honor: qui debetur ſanctis, ratione ſanctitatis vita, & veritatis doctrina, pagina. 74. 1. F
Papę exhibetur honor, qui & angelis: 75. 1. A
Papa non exhibendus eſt honor, qui imagini Chriſti. pagina. 2. C
Papa, etiam apertè malo, exhibendus eſt honor, non in teſtimonium virtutis ſua, ſed illius, cuius exiſtit vicarius. 76. 2. E
Papę eſt determinare qua ſunt fidei, quia eſt caput vniuerſa Eccleſia, & D. Petri ſucceſſor: qui primo confeſſus eſt perfectam fidem, Domino reuelante, & pro cuius fide Saluator rogauit. 77. 1. C
Papa eſt determinare quid ſit hareſis. 78. 2. E
Papa ſolius eſt canonizare Sanctos. 96. 1. E
Papa iuriſdictio maior eſt, quàm cuiuſlibet angeli. pagina 113. 1. D
Papę committitur cura omnium hominum, etiam poſt mortem ipſorum. Ibidem 2. C
Papa obediendū eſt in iis, qua ſunt cōtra ius poſitiuū, non autem contra Diuinum, vel naturale. 130. 1. G
Papa dominio omnes ſubijciuntur, mediate, vel immediate. 131. 1. A
Papa omnes ſubijciuntur de iure Diuino, presbyteri verò ſubijciuntur Epiſcopo de iure naturali. pagina. 132. 1. F
Papa iuriſdictio ſuper omnes, & ſingulos Chriſtianos differt à iuriſdictione aliorum Pralatorum; quia eſt immediatior, & vniuerſalior. 160. 2. F.
Papa ſolius eſt ligare, & ſoluere omnes, & in omni caſu. 163. 2. B
Papę ipſi ignota eſt ſua poteſtas, in iis maximè, qua poteſt facere per communicationem theſauri Eccleſia. 194. 1. H
Papa leuitati nō eſt tribuendum, ſi, exigente Reip. vtilitate, mutat canones pradeceſſorum, immo. & ſtatuta ſua. 207. 2. C
Papa eſt leges imperiales corrigere. 242. 2. H
Papa non licet reo miſericordiam ſine iuſtitia facere, ſed ſalua iuſtitia, licet. 244. 2. E
Papę pracepta non eſſe ſecundum Diuinam legē, & Deum non eſſe cum illo, dupliciter intelligi poteſt. pagina. 247. 2. A
Papę eſt corrigere omnes Principes publicè peccantes, etiam in exteriori foro. 249. 2. D
Papę adminiſtratio includit totius Reip. vtilitatem, ſubditorum vniuerſalitatem, & ius ampliandi, vel reſtringendi aliorum poteſtatem. 264. 2. F
Papę pręceptum quomodo liget magis, quàm conſcientia erronea. 334. 2. H
Papę pręceptum non ligat in conſilijs, nec in indifferentibus, ſed in Dei pręceptis. 339. 2. E
Papa eſt conſeruare omnes in iure ſuo. 387. 2. B
Papę apparatus exterior referendus eſt in Chriſti honorem, propter quē tot Papę exhibentur. 497. 1. A
Papę tenentur obedire tamquam filij in ſpiritualibus, & corporalibus, omnes de Eccleſia 500. 2. H
Papę moribus, & vita apertè malo obediendum eſt. durat enim in eo nihilominus poteſtas: quę propter peccatum non tollitur, cum ſit gratia gratis data. 55. 2. B
Papalem poteſtatem renunciari poſſe, declaratur. pagina 48. 1. E
Papale dominium, quantum ad figuram, prę ceſſit omnes dominantes iuſto titulo. Quantum ad perſonam incępit in D. Petro. Quantum vero ad officium ſecundum immediatam adminiſtrationem aliquorū tempo-

temporalium, & ſecundum liberam executionem omnium ſpiritualium in vniverſo orbe, incępit poſt Conſtantinum. 213. 1. C.& D
Papale officium eſt maius Epiſcopali, quantum ad iuriſdictionem, non autem quantum ad conſecrationem. 384. 2. G
Papatum obtinent aliquando; qui ſi non ſunt boni homines, ſunt tamen boni pręlati: & quando etiam nō ſunt boni pręlati, ſunt tamen à Deo; quia ſub huiuſmodi principatu, boni purgantur, & mali conteruntur. 8. 2. H
Papatus, quantum ad officium, & auctoritatem: quod eſt quid formale in papatu, eſt immediate à Chriſto: ſed quoad perſonam, quod eſt quid materiale, eſt per electionem Cardinalium. 35. 1. C
Papatus adminiſtratio actualis, quod eſt quid formale, & materiale in papatu, moritur, mortuo Papa. pagina. 36. 2. E. & F
Papatus eſt nomē iuriſdictionis, & nō ordinis 42. 1. E
Papatus eſt ſingulariter à Deo, cooperante tamen homine. Ideo poteſt renunciari. 43. 1. B
Paradiſus tripliciter accipitur. 199. 2. E
Parentibus carnalibus, & ſpiritualibus non eſt abſolutè obediendum, & in quibus 130. 1. H
Parentibus ſubuenire eſt de iure naturę, ſecundum omnem ſtatum, quantum ad pręcepti obligationem, non tamen quantū ad illius executionē. 273. 1. D
Parentibus ſubueniens quando tenetur, magis honorat Deum, quàm ſi ingrederetur Religionem. pagina. 274. 2. E
Parentes dant filijs generationem, exhortationem, & ſuſtentationem. 275. 2. C
Parochus iuſtè petit portionem canonicam de relictis pro funeralibus. 557. 2. B.
Participans cum excommunicato à Papa, quando ſit & ipſe excommunicatus. 167. 2. C
Participans cū excommunicato, quando non incurrat excommunicationem. 168. 1. E
Participantes cum hęreticis ad illorum correctionem non incurrunt ſententiam excommunicationis. pagina. 171. 2. B
Particularia magis mouent, quàm res in generali propoſitę, Ideo non probatur, vt pœnitens ad illarum aliquas ſic conſiderandas, deſcendat. 200. 2. C
Paſtorum, & pręlatorum obedientia excedit obedientiam quorumcumque Religioſorum in vniuerſalitate, In difficultate, & In charitate. 455. 2. B
Paternitas, & filiatio in diuinis non dant propriè ſpeciem perſonis, ſed eas diſtinguunt, & conſtituunt. pagina. 85. 2. B
Pater in diuinis poſſet incarnari, & diceretur filius ſecundum naturam aſſumptam. 88. 2. E
Pater filiam adulterantem interficiens, licet à lege nō puniatur, parricidij tamen culpam incurrit. Et cur lex id illi permittat. 283. 1. A
Pater non habet poteſtatem coactiuam ſuper filios, ſed monitiuam. Ibidem. 2. A
Patrum terminos non tranſgrediuntur, qui illorum, ſeruata intentione, aliquid pro Eccleſia beneficio variant circa electiones. 223. 1. A
Patres primitiuę Eccleſiæ non habuerunt poſſeſſiones. 454. 1. E
D. Paulus fuit D. Petro ęqualis quantum ad defenſionem fidei, & in officio prędicationis: minor autē poteſtate prælationis, at maior prærogatiua electionis. 65. 2. C
D. Paulus quare ponatur à dexteris D. Petri in bullis Papę. Ibidem.
D. Paulus maior fuit angelis in iuriſdictione. 123. 2. B
D. Paulus ante Apoſtolatum fuit peritus litterarum ſęcularium, fuit diues, & parentela dignitate perſpicuus. 255. 1. C
D. Pauli Epiſtolæ non recipiunt diſpenſationem à Papa. 317. 1. D
D. Pauli doctrina fuit illi à Chriſto immediatè reuelata, eius adminiſtratio fuit ſibi ab eodem Chriſto immediatè delegata, & à D. Petro immediatè approbata, Ibidem C
D. Paulus non apud quoſcumque, quibus prædicabat, manibus laborabat. 444. 1. E
Pauper ſimpliciter melioris eſt conditionis, quàm diues, at non ſemper: V. G. in caſu acquirendæ Indulgentiæ per eleemoſynam. 184. 1. F
Paupertas eſt triplex, ſimulata, coacta, voluntaria, ac ſpiritualis. hęc habet annexam bonorum omnium temporalium voluntariam obiectionem, cordis humiliationem, & cæleſtium contemplationem. pagina. 399. 2. B
Paupertas in Chriſto non fecit in eo perfectionis ſtatū, quantum ad augmentum perfectionis, ſed quantum ad noſtræ imitationis exemplum. 400. 2. F
Paupertas coacta eſt pœna, voluntaria eſt iuſtitia. pagina. 402. 1. E
Paupertatis voto in Magiſtris non fieret præiudicium, ſi neceſſarij prouentus eis de bonis Eccleſiaſticis aſſignarentur. 377. 1. C
Paupertatis voluntarię quatuor genera. 516. 1. H
Paupertatis volūtariæ illud genus eſſe perfectius probatur, quod profitētur, qui ſpiritualibus vacantes, & verbum Dei prædicantes, viuunt de ijs, quę à fidelibus ad ipſos portantur. Ibidem. 2. E
Paupertatis modi omnes viuendi in Chriſti vita diuerſis temporibus exemplariter monſtrati ſunt. pagina. 526. 2. F.
Paupertatis voluntarię modus viuendī de poſſeſſionibus in communi non fuit monſtratus per Chriſtum, nec per Apoſtolos, propter tranſlationem Eccleſiæ breui futuram de Iudęis ad Gentiles. Ibidem G
Pax Chriſti eſt ordinata, vera, munda, & vnitiua. pagina. 427. 2. D
Peccatum primi Parentis cauſa fuit ſeruitutis animę, & corporis in poſteris. 133. 2. B
Peccatum includit delectationē, actionem, & voluntatis deformationem, & huic vltimo reſpondet pœna ęterna. 202. 2. G
Peccata remittuntur à ſolo Deo effectiuè; à Chriſto meritoriè, à Papa, & inferioribus ſacerdotibus, miniſterialiter. 122. 1. G
Peccatum conſiſtit ex ſuo formali, & materiali, & quid vtrumque. 150. 2. F

INDEX.

Peccatum commiſti in Deum, dupliciter dici poteſt: uel quia ſolus Deus illud ſciat, vel quod ipſe offendatur. 67. 2. A

Peccantibus non eſt facienda miſericordia, quod illam mereantur, ſed ad imitandam Dei bonitatem. pagina. 159. 2. C

Peccatores quomodo ſe habeant circa miracula facienda. 112. 1. B

Pecunia eſt fideiuſſor habendi rē quamlibet. 166.1. F

Pecunia non eſſet neceſſaria, non exiſtente alia, quàm viri, & vxoris communitate. Ibidem E

Pecunia ſeruata ad augendas opes excæcat recipientes, non autem qui ſolum ad victus neceſſitatem illam dono accipiunt. 409.1. A

Pecuniā expendi ab Apoſtolis voluit Chriſtus, non autem poſſideri ad theſaurizandum. 442. 2. H

Pecunia debita, per media non conuenientia recepta, non eſt reſtituenda, ſunt tamen puniendi qui falſitate, & alijs indebitis medijs vſi ſunt. 555.1.D

Perfectio ſtatus noui teſtamenti abſolutè præfertur perfectioni ſtatus veteris teſtamenti. comparando autem perſonas, ſe habent ſicut excedentia, & exceſſa. 193. 1.B.& C

Perfectio conſiſtit in remotione auaritiæ, carnalis concupiſcentiæ, & elationis ſuperbiæ. Prima acquiritur paupertatis: Secunda caſtitatis: Tertia obedientiæ voto. 349. 2. H

Perfectio religionum in tribus eſſentialiter conſiſtit. pagina. 422. 2. G

Perfectio formaliter conſiſtit in charitate, attingitur autem ſtatus perfectionis tutiori modo in religione, quàm in ſæculo manendo. 424. 1.H

Perfectio ſtatus religionis non præſupponit obſeruantiam præceptorum præcedentem. 423. 2.C

Perfectio ſtatus Apoſtolorum tria habuit ſingularia, vocationem, remunerationem, & de præſentia cum Chriſto conuerſationem. 435. 1. B

Perfectionis ſtatum in Papa non tollit, nec diminuit dominium, vel vſus rerum temporalium, modo paratus ſit illa, & corpus proprium exponere pro Chriſto, & eis rectè vtatur. 499. 2. D

Perfectionis maioris eſt prædicare Euangelium mendicando, quàm de communi adminiſtratione viuendo. 485. 2. A

Perfectionis ſtatus cauſa efficiens eſt, voti obligatio: formalis, dilectio Dei, & proximi: Materialis eſt benedictio habitus, vel perſonę conſecratio. Finalis, Dei cultus: & inſtrumentalis eſt abdicatio rerum temporalium. 396. 1. E

Perfectionis ſtatus cōſiſtit in attinctione finis. 420. 2.F

Perfectionis ſtatus tripliciter poteſt acquiri, ſcilicet per actum dilectionis, Per officij adminiſtrationem, & per voti perpetuam obligationem. 457. 2. B

Perfectionis ſtatum conſtituunt mutatio ſtatus, & operis ſupererogatio. 468. 2. H

Perfectionis ſtatus conſiſtit in abdicatione vitæ mundialis, in acceſſione ad Deum per ſpeculationem, & in contemplatione Dei per amorem. 479. 1. A

Perfecti multi ſunt: qui non ſunt in ſtatu perfectionis, & econtra. 447. 2. D. & 458. 1. G

Perfecti dici poſſunt in gratia perſeuerantes, vt ſtatus perfectionis opponitur, caſui culpæ, non autem propriiſſime. 458. 1.E

Perfectionis in via, non autem in ſtatu ponit opus ſupererogationis ſine voto. 469. 1. B

Perfectionem habens modo perfecto, poteſt illā transfundere in alterum, non autem, ſi modo imperfecto. pagina. 385. 1. B

Perfectionem cuiuslibet ſtatus quibus verbis docuerit Chriſtus. 349. 2. H

Perfectior viuendi forma in Chriſto reſpectu membrorum ſuorum fuit nihil ſeruare in communi, quàm ſeruare propter tria. 408. 2. G

Perfectius tanto quid contemnitur propter Chriſtum, quanto magis naturaliter amatur. 449.2. A

Perfectum aliquem eſſe, & in perfectionis ſtatu exiſtere differt in tribus. 495. 2. D

Perfectior eſt ſtatus Papæ, quàm cuiuslibet Epiſcopi. pagina. 494. 1. E

Perfectum omne ſimpliciter communicatur tribus perſonis. 88. 1. H

Periculis corporalibus ſe exponere propter bona ſpiritualia laudabile eſt. at vituperoſum ſe ſpiritualibus exponere propter bona temporalia. 257. 2. D

Periurium omne eſt falſum teſtimonium. Non econuerſo. 293.2. A

Periurium non punitur, vt homicidium, & furtum, quia non infert tantum damnū proximo. 172. 1. H

Periuri in his, quæ ſunt fidei, puniendi ſunt ſicut hæretici. Ibidem G

Perſonarum diuinarum vnitatis modum, & earundem diſtinctionem rectè determinat Inno. III. pagina. 86. 1. E

Perſonæ diſtinctæ non poſſunt eſſe diuinæ niſi per originem vnius ab altera. Ibidem. F

Perſona diuina addit ſupra eſſentiam relationem nō facientem compoſitionem cum illa. Ibidem 2.E

Perſonarum quædam omnino ſui iuris ſunt. Quædam omnino alterius. Quædam vero partim ſui, partim alieni iuris. 474. 1. F

D. Petro contulit Chriſtus quantam poteſtatem potuit miniſterialem, non autem principalem. pagina. 303. 1. D

D. Petro ſingulariter dedit Chriſtus claues eccleſiæ: quæ iuris dictionem ſupra ſpiritualia, & corporalia ſignificant. 2. 2. F

D. Petro ſoli commiſſa fuit a Chriſto omnium ouium cura. 439. 1. C

D. Petrus ſolus dicitur habere claues tribus modis ſingulariter. 123. 1. C

D. Petrus in quo reprehenſus fuerit a D. Paulo. pagina. 142. 2. H

D. Petrus minima reliquit, ſed non fuerunt æſtimata minima ex affectu. 435. 2. B.

D. Petrus ſucceſſit Chriſto, non in perſona, quia non ſunt plures Chriſti, vt plures Papę, ſed in officio, & poteſtate, vt illius vicarius. 70. 1. G

Philoſophi, quicquid veritatis dixerunt à noſtris literis acceperunt. Ideo quod eſt boni in eorum libris, non eſt negligendum. 537. 1. D

Piſcato-

Piſcatores quare elegit Chriſtus in Apoſtolos. pagina. 255. 1. C

Plura beneficia vt quis habeat diſpenſare; poteſt Papa, ob eccleſiæ neceſſitatem, & perſonæ dignitatem. pagina. 357. 2. A

Pluralitas beneficiorum non eſt de ſimpliciter malis, nec de ſimpliciter bonis, ſed de medijs. 359. 2. D

Pœna grauior cur quandoque ſecundum præſentem iuſtitiam pro minori culpa infligatur. 152. 2. G

Pœna grauior debetur vni peccato, quàm alteri, vel propter peccati maioritatem, vel propter peccantis pronitatem, vel propter nocumenti grauitatem. Ibidem E

Pœna multiplici quando quis iuſte punitur. 173. 1. B

Pœna damni eſt minima reſpectu pœnæ ſenſus, quantum ad doloris perceptionem, non autem quantum ad perpetuam durationem. 198. 2. H

Pœna æterna merito plectuntur contumaces in peccato martali morientes. 202. 1. H

Pœna poteſt eſſe aliquid vni, quod alteri vertitur in iuſtitiam. 401. 1. E

Pœna à lege taxata ſemper eſt iuſta in generali, non autem in particulari. 559. 1. B

Pœna debet correſpondere culpæ hac ratione, vt pro maiori culpa maior pœna, & pro minori minor pœna infligatur, non autem vt ad rigorem inferatur. Ibidem 2. D

Pœna ſecundum menſuram culpæ portanda, vel in ſe, vel in altero, vt in Chriſto. 176. 1. E

Pœna multiplicandæ iuxta multiplicationem culparum. 157. 2. D

Pœnam tollere, culpa remanente, nec poteſt, nec debet Papa. 263. 2. A

Pœnitentiæ forma, qua ſanatur anima, cur indicatiua, & extremæ vnctionis, cur deprecatiua. 304. 1. G

Pontifices ſummi quatuor papatui renunciarunt. pagina. 48. 2. H

Pontificum dicta contingit variari: quia ſunt de actibus humanis; quæ variabilia ſunt, pro cauſarum, & temporum congruitate. 489. 1. B

Pontificum electio ideo dicitur Deo reſeruata, quia licet Cardinales poſſint Papam eligere, non tamen poſſunt eum, ipſo nolente, reijcere. 49. 2. A

Populi conſenſus, & approbatio requirenda eſt in electione facta de Papa, & non in facienda. 26. 2. H

Poſſeſſionem bonorum ſtabilium Apoſtolis fuiſſe prohibitam non eſt dubium, propter tria. 443. 2. A

Poſſeſſiones habere quare, creſcente Eccleſia, captum fuerit. 454. 1. E

Potentia eſt triplex, recipiendi, reſiſtendi, & agendi in ſpiritualibus: Prima recipitur in baptiſmo: Secũda in confirmatione: Tertia in ordine. 307. 1. A

Poteſtas iuriſdictionis triplex, immediata, deriuata, & in miniſterium data. 2. 1. H

Poteſtas iuriſdictionis duplex, ſpiritualis, & temporalis. Ibidem.

Poteſtas ordinis eſt immediate a Deo in Papa, & in omnibus Prælatis. Ibidem. 2. F

Poteſtas iuriſdictionis eſt immediatè in ſolo Papa à Deo. Ibidem.

Poteſtas iuriſdictionis ſpiritualium, & corporalium rerum in Epiſcopis, & aliis Prælatis deriuatur, à Chriſto, mediante Papa. Ibidem 2. H

Poteſtas temporalis Principum regulatur à poteſtate ſpirituali. Huic præſtat iuramentum fidelitatis, eidem eſt ſubdelegata, & ab eadem ampliatur, & reſtringitur. 3. 1. B

Poteſtas ſpiritualis, & temporalis ſunt eiuſdem rationis analogice, licet non ſpecifice: quia ſatis eſt. vt hæc ad illam reducatur. Ibidem 2. C

Poteſtas imperialis dicitur eſſe à Deo, quia non eſt à Papa, vt homo eſt, ſed vt Chriſti vicarius Ibidem 2. G

Poteſtas omnis dicitur eſſe à Deo, Vt à cauſſa efficiente, ratione eius deriuationis: Vt à cauſſa formali, ratione eius ordinationis: Vt à cauſſa finali, ratione illius reductionis. 4. 1. H

Poteſtas malorum Principum dicitur non eſſe à Deo, ob prauam illius adeptionem, ob prauam executionem, & ob prauam eorundem intentionem pagina. Ibidem. 2. G

Poteſtas boni, & mali Pontificis eſt à Deo, abuſus tamen illius eſt à malo Pontifice, & non à Deo. Ibidem. 5. 1. B

Poteſtas Papæ eſt maior quacumque alia dignitate, cauſalitate, & authoritate. Ibidem 2. B

Poteſtati ordinis Papæ omnes epiſcopi ſunt æquales Papæ: nullus autem quoad poteſtatem iuriſdictionis pagina. 6. 2. H

Poteſtas Papæ eſt ſingularius à Deo: quàm poteſtas aliorum, quantum ad illius electionem, ad illius gubernationem, & quantum ad punitionem illorum: qui illam impugnant, vel illi non obediunt. 8. 1. G.

Poteſtas ordinis eſt vna vnitate reali in omnibus Epiſcopis, & Sacerdotibus. 9. 2. B

Poteſtas ordinis eſt vna, ratione vnius Sacerdotis authoritate propria conſecrantis, in cuius perſona offerunt omnes Sacerdotes, Ratione vnius rei oblatæ & vnius paſſionis commemoratæ. Ibidem

Poteſtas iuriſdictionis eſt vna in Papa, vnitate cuiuſdam ordinis. Ibidem D

Poteſtas ſpiritualis debet ſemper regulare corporalem, & ſæcularem. 10. 1. H

Poteſtas Papalis, quæ Chriſti eſt, vt mediante Papa adminiſtratur, eſt temporalis: ſed vt eſt ab ipſo Chriſto immediatè operata, eſt æterna. 13. 2. D

Poteſtas Papæ, vt eſt Chriſti vicarius, conſiſtit in debellatione tyrannorum, in ordinatione ſubditorum, & in admonitione, & exhortatione ad diuina præcepta obſeruanda. 315. 2. D

Poteſtas clauium data fuit ſingulariter D. Petro, quia ab eo erat deriuanda in alios: poteſtas vero ordinis immediatè ab ipſo Chriſto collata fuit omnibus Apoſtolis. 41. 1. B

Poteſtas ordinis, & iuriſdictionis diſtinguitur quatuor differentijs Ibidem 1. A

Poteſtas iuriſdictionis Eccleſiæ, mortuo Papa, remanet in vniuerſa Eccleſia, & in collegio Cardinalium pagina. 48. 1. E

Poteſtas, & non ſola ſcientia neceſſaria eſt in determinandis

nandis dubitationibus circa fidem emergentibus. pagina. 77.2. B
Poteſtas duplex in Eccleſia: vna ordinis, & cõſecrationis, altera iuriſdictionis, & executionis. 151. 2. D
Poteſtas ordinis eſt tanta, quanta confertur in ſacramento: Iuriſdictionis, quanta datur officio. Ibidem
Poteſtas ordinis eſt indelebilis, & æqualis in omnibus Sacerdotibus: non ſic de poteſtate iuriſdictionis. Ibidem
Poteſtas clauium reiteratur, non reſpectu eiuſdem, ſed alterius effectus. 167. 1. B
Poteſtas remittendi peccata exercetur, mediante officio, mediante ſacramento, & mediante miniſtro. pagina. 322. 2. G
Poteſtati Papæ cur multi detrahant. In Epiſtola auctoris.
Poteſtatis eiuſdem eſt aliquem actum relaxare, & illum poſſe, vt reiteretur, præcipere. 245. 1. B
Poteſtate iuriſdictionis in temporalibus nullus eſt æqualis Papæ. quoad vniuerſalem iuriſdictionem, & immediatam authoritatem: ſed, quod immediatam executionem, & adminiſtrationẽ, Imperator, & alij Principes poſſunt eſſe maiores Papa 7. 1. B
Præcepta habent iuſtitiam ſufficientem, & neceſſariã: cõſilia verò abundantem, & expedientẽ. 274. 1. F
Præcepta ſunt maiora conſilijs neceſſitate, non congruitate. 136. 2. G
Præceptum eſt cuique corripere delinquentem, non autem reparare potes, et ſimilia: Ideo pro huiuſmodi, & non pro illo, & ſimilibus dantur indulgentię. pagina. 181. 2. H
Pręceptum de non poſſidendis temporalibus nunquã fuit totaliter à Chriſto amotum, ſed aliquando relaxatum. 444. 2. E & H
Præceptum affirmatiuum quomodo obliget. 347. 1. B
Præcipientis inconſtantia non eſt, pro temporum diuerſitates præcepta, vel conſilia, vel promiſſa mutare. pagina. 444. 2. H
Præcipere poteſt Deus ſupra, & non contra virtutem. pagina. 450. 1. G
Prędicare quantum ad officij commiſſionem conuenit omnibus ijs: quibus animarum cura commiſſa eſt. Quantum autem ad officij executionem, non poteſt fieri ſine Papę authoritate. 338. 1. H
Prędicatio pertinet ad poteſtatem iuriſdictionis. pagina. 337. 2. A
Prædicatio Euangelij attinet ad poteſtatem clauium. pagina. 439. 2. A
Prædicatio Euangelij poteſt conuenire alicui tribus modis. 483. 2. A
Prædicantium verbi diſtinctio triplex quoad perfectionem ipſorum. Ibidem
Prædicationis munus procurare, vel recuſare, prouenire poteſt ex bona, & ex mala radice. 340. 1. H
Prædicationis opus eò cęteris perfectius, quò pluribus eſt communius. 484. 2. G
Prędicatores, qui ſe à Deo immediatè miſſos aſſeuerant, miraculo, vel ſcripturæ ſacrę teſtimonio id probare debent. 337. 2. C
Prædicatores, debere ſe conformare capacitati auditorum, tripliciter oſtenditur. Ibidem
Prædicatores poſſunt vti humana lætitiæ verbis, non ad exponendam ſacram Scripturam, ſed quandoq; vel ad morum informationem, vel ad audientium recreationem. 531. 1. D
Prædicatores poſſunt cum merito, & cum peccato ſtudere, vt dicendo placeant auditoribus. Et id ex fine ipſorum dignoſci poteſt. 532. 1. G
Prædicatoribus Euangelij eloquenter loqui conuenire ex tribus confirmatur. Ibidem. 2. G
Prędicatores tacere, & diſſimulare poſſunt, cum timetur, ne peiora committantur, peccata aliqua corrigendo, modo illa non ſint contra fidem, vel diuina præcepta. 534. 1 E
Prædicatori quanta fiducia eſſe debet de Dei prouidentia. 443. 1 A
Prædicatoribus non præcepit Chriſtus, ſed conceſſit, vt de ſtipendijs ſubditorum viuerent. Nam D. Paulus de proprijs laboribus viuebat prædicando Corinthijs. 453. 2. A
Prælati debent eſſe miniſtri omnium charitatis obſequio, non poteſtatis dominio. 230. 2. G
Prælati, ob prælationis officium non debent omittere ſubuentionem parentum in neceſſarijs. 128. 1. A
Prælati aſſumpti ex religionibus, ad quæ tenentur, & ad quæ non. 367. 2. D
Prælatis poſſeſſiones Eccleſiæ non quaſi proprias, ſed quaſi communes diſpenſant. 440. 2. E
Prælatis non fit præiudicium, ſed beneficium, cum aliqui ab eorum iuriſdictione eximuntur. 325. 2. A
Prælatis vltra ſcientiam neceſſaria eſt experientia. pagina. 30. 2. G
Prælatis non ſufficit, quòd non ſint mali, ſed portet, ꝗ ſint boni. Nec quod non ſint indocti, ſed oportet idoneos eſſe ad alios docendos. Ibidem.
Prælationis ratio perfecta, tria requirit. 441. 2. A
Prælatorum tranſlatio, depoſitio, renunciatio, confirmatio, exemptio, reſtitutio, nouorum conſtitutio, vnio dignitatum, non vacantium collatio. Imperatorum, Regum, & omnium Principum inſtitutio attinent ad Papam. 374 2. E
Prælatorum eſt vita contemplatiuæ, & actiuę vacare. pagina. 440. 1. H
Prælatura Eccleſiaſtica dignum faciunt, doctrinę veritas, vita ſanctitas, & iuſtitia æquitas. 252. 2. H
Prælatura, ſicut ſine peccato non procuratur, ita ſine peccato, illam procuranti non confertur. 257. 2. C
Prælaturam Eccleſiaſticam procurans, vel iniuſtus, vel ſuperbus. Ibidem B
Præſcriptio non liberat à reſtitutione in foro conſtientiæ illum: qui ullo vnquam tempore habet conſcientiam rei alienæ. 330. 1. G
Pręſcriptionum opiniones. Ibidem.
Preces Principum rogantium, vt aliqui ad prælaturã Eccleſiaſticam eligantur, poſſunt eſſe indebitæ tribus modis. 255. 2. D
Præſbyteri repręſentant in perfectionis opere Chriſti diſcipulos, in poteſtatis dominio, in adminiſtrationis officio, in charitatis vinculo, & in honoris pręconio. pagina. 511. 2. B

Presb.

Preſbyteri noui teſtamenti pręferuntur Preſbyteris veteris teſtamenti in deriuatione, in duratione, in perfectione, & in hoſtię oblatione. 514. 2. H
Preſbyteros, & diaconos ab epiſcopis diſtinctos ſemper fuiſſe, tripliciter oſtenditur. 456. 2. F
Primi motus poſſunt cohiberi, ſed non prohiberi propriè, 297. 1. C
Primogeniti omnes à Noe vſque ad Aaron fuerunt ſummi Sacerdotes. 212. 2. H
Princeps non eſt excommunicandus, vbi timetur periculum ſchiſmatis. 232. 1. F
Principes omnes recto titulo dominantes, per ſummos Pontifices ordinati fuerunt. 230. 2. F
Principes non ſunt Domini rerum ſubditorum ſuorum ſed tutores. 330. 2. H
Principes non poſſunt vltra ſtipendia debita accipere res a ſubditis inuitis, niſi in caſu neceſſitatis reipublicę. Ibidem.
Principi per leges iniquas ſubditis vim inferenti non eſt obediendum, ſi ſine ſcandalo, vel maiori detrimento poſſit illi reſiſti. 242. 1. H
Principibus ſecularibus quando ſubtrahenda ſit obedientia. 132. 1. G
Principibus angelicis commiſſum eſt regimen prouinciarum, & regnorum. 113. 2. B
Principium temporalium eſt includere electores Papę vt ſeruetur conſtitutio de illis: quę obſeruanda ſunt pro Papa eligendo. 29. 1. D
Priuata perſona inducens ad iurandum quem ſcit iuraturum eſſe falſitatem, grauiſſimè peccat, non autem publica perſona. ſed ob peruerſum iudicium inde ſecuturū, melius eſt, vt cedat officio. 293. 2. A
Priuilegia ſpecialia, vel generalia poſſunt reiterari per Papam, & quas ob cauſas. 351. 2. D
Priuilegij definitio per D. Iſidorum. 349. 2. A.
Priuilegijs in concedendis maior eſt poteſtas Papa, quàm aliorum omnium, in vniuerſalitate, in authoritate, & in dignitate. 350. 2. H
Priuilegiorum concedendorum cauſa triplex, ſcilicet Actuum humanorum variatio, communis iuris rememoratio, & cauſa innocatio. 349. 2. D
Priuilegium poteſt quis conſequi non ſolum ex principis voluntate, & authoritate, ſed etiam ex alijs cauſis. 351. 1. B
Prohibitum eſſe, quod non eſt conceſſum, & conceſſum eſſe, quod non eſt prohibitum, quomodo intelligatur. 45. 1. C
Promiſſio facta Deo iuramento firmata, eſt uotum, & iuramentum. 44. 1. E
Prophetare quid ſit. 103. 1. C
Prophetare poſſunt mali homines, vel diuina inſpiratione, vel bonorum angelorum reuelatione, vel dęmonum inuocatione. Ibidem
Prophetandi donum non ſatis eſt ad aliquem canonizandum. Ibidem 2. B
Propheta cur non ſit acceptus in patria ſua. 127. 2. C
Propoſitum ſolum ſe transferēdi ad terram ſanctam Cruce ſignatis non eſſe ſatis ad indulgentiam illam conſequendam, quomodo intelligitur. 188. 1. F
Proprium accipitur, vt opponitur fraternę charitati, & vt opponitur vitę communitati. 403. 2. D
Proprium non habebant Epiſcopi Eccleſię primitiua. pagina. 454. 1. E
Proprium tripliciter diſtinguitur, ſcilicet in temporale ſubſidium, carnale coniugium, & libertatis arbitrium: Et horum abdicatio tria conſtituit perfectionis vota. 458. 1: H
Proprijs poſſeſſionibus abrenunciare pertinet ad diſcipulatum Chriſti, & eaſdem in communi poſſidere ſtat cum perfectionis ſtatu ipſius Chriſti, & Apoſtolorum. 527. 2. H
Profeſſi habendi: qui in diſcretionis ętate per annum portauerit habitum Religionis. 530. 1. G
Prouidentia Diuinę non repugnat, quòd multa ſint contingentia, ſicut & qua ſunt neceſſaria, & ipſa neceſſaria faciliùs tolerantur, vel prudentius euitantur, ſi pręſciantur. 147. 2. F
Prouidet qui de beneficio, alicui bono, dimiſſo meliori ſi principaliter intendit prouidere Eccleſię, peccat: non autem ſi principaliter intendit prouidere perſona, vel ob ſeruitia praſtita Eccleſię, vel ob illius paupertatem. 375. 2. A
Prouidens, de beneficio familiari ſuo, potius, quàm extraneo, ob honeſtā cauſam non peccat. 376. 1. H
Prouidere de meliori, eſt conſilij, de bono eſt pręcepti. pagina. 375. 2. B
Prouiſurus de beneficio Eccleſiaſtico conſiderare poteſt beneficium quod eſt conferendum, locum, in quo confertur, & proprium ipſius conferentis intentionem. 376. 1. G
Prudens dicitur, qui bene nouit inuenire media ad finis intenti conſecutionem. 429. 1. B
Prudentia, qua pradicando vti debent pradicatores, quatuor debet habere conditiones. 428. 2. G
Prudens triplex iuxta triplex genus finis. 429. 1. B
Publica iuſtitia ſeruatur, ſi ex punitione rei, notabile damnum Reip. euidenter timeretur. Vel ſi ex dimiſſione eiuſdem, vtilitas reip. ſperetur.
Publica ſocietatis adminiſtratores cogi poſſūt ad admittendū aliquem in eā ſocietatem. quod non liceret de ſocietate priuata. 519. 1. B
Pueri defuncti non baptizati non ſunt capaces meriti paſſionis Chriſti, quia mortui ſunt membra Ada. pagina. 197. 1. D
Pueri defuncti in veteri lege non circunciſi, indulgentia capaces non erant. Ibidem. 2. D
Pueris in limbo exiſtentibus, non poteſt Papa aperire Ianuam paradiſi per indulgentias. 199. 2. E
Puniatur qua de cauſa in Rep. aliquod peccatum patris, plus in filio, quàm in patre.
Punitures Iudex reum magis ad clementiam, quàm ad ſeueritatem debet declinare. 559. 2. B
Puniri poteſt filius pro patre, pœna temporali, & corporali, ſed non pœna ſpirituali. 165. 2. A
Purgatorij pœnas patientibus proſunt indulgentia, licet non ſint amplius in ſtatu merendi, &c. 192. 1. H
Purgatorij pœnas citius euadit: pro quo (cæteris paribus) plura fiunt ſuffragia, ſiue pro illo ſpecialiter indulgentia acquiruntur. 190. 2. G
Purgatorij pœnas patientibus, quare videatur prodeſſe

deſſe bona facta ab exiſtentibus in peccato mortali. 192. 1. F
Purgatorium eſſe, tripliciter probatur. 193. 1. B
Purgatorium ſpoliari poſſe per Papam tripliciter intelligi poteſt. Ibidem 2. A
Purgatorium ſpoliari poteſt per abſolutam iuriſdictionem Papæ, quantum ad omnes, qui eius iuriſdictioni ſubijciuntur ſecundum meritum conditionale, et Sacramentale. Ibidem
Purgatorium expoliare non debet, nec poteſt Papa, ſecundum ordinatam executionem ſuæ iuriſdictionis. 194. 1. F

Q

QVæſtiones de rebus fidei, litigandi cauſa vitandæ ſunt, at pro veritatis inquiſitione vtiles. pagina. 79. 2. A
Quæſtionum quædam garrulę, & litigioſę: Quædam difficiles, & ſcrupuloſæ. Quædam quietæ, & fructuoſæ: Primę reijciendę: Secundæ ad auditoribus Papę examinandæ: Tertiæ ab ipſo Papa ſummariè ſunt terminandæ. 499. 1. B

R

RAtihabitio ſecundum iura diuina, & humana retrotrahitur, & mãdato comparatur. 164. 2. G
Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari &c. exponitur. pagina. 12. 2. G
Reges omnes ſubijciuntur iuriſdictioni Papæ etiam in temporalibus: licet Papa, propter bonum pacis, ea non vtatur, niſi in occidentali imperio. 248. 1. G
Reges poſſunt deponi à Papa, cum deficiunt, tam in particulari, quàm in vniuerſali iuſtitia. 250. 2. G
Regni Chriſti tres falſæ opiniones, vna conſanguineorum: alia gentilium Romanorum: tertia Iudæorum credentium, quæ reprobantur. 14. 1. G
Regnorum omnium tranſlatio, ſiue Iudæorum, ſiue gentilium, & Paganorum authoritate Papæ, vel eius, qui tunc temporis perſonam Papæ repręſentabat, facta eſt. 219. 2. A
Regnum Chriſti ſunt fideles eius in eum credentes, pagina. 11. 1. D
Regnum Chriſti non eſt de hoc mundo: quia non eſt modo humano Ibidem 2. A
Regula arctior non eſt ſimpliciter perfectior, quàm laxior, ſed inſtrumentaliter. 477. 1. C
Regula, quæ ſecundum D. Aug. ſeruanda eſt in ijs, quæ ſunt fidei. 79. 1. B
Regula nulla eſt ſimpliciter perfectior regula S. Auguſt. quia eſt regula Apoſtolorum. 477. 1. C
Regulares plus merentur merito eſſentiali in monaſterio manendo: ſed merito accidentali plus merẽtur ad indulgentias acquirendas, egrediendo. 189. 1. B
Regulares tranſlati ad ſtatum prælationis, debent deferre ſemper habitum ſuum. 367. 2. D
Regularis obſeruantia habet aliqua communia, & eſſentialia, vt vota: aliqua annexa, & ſpecialia, vt vigilię, ieiunia &c. & aliqua indicia, ſeu ſigna perſonalia, vt habitus. 368. 1. E
Regularis qua ratione poſſit ad arctiorem, parem, vel laxiorem regulam tranſire. 370. 2. F
Relapſi in hæreſim brachio ſęculari tradendi ſunt. pagina. 172. 1. F
Relapſi occulti non puniuntur, vt tales ab Eccleſia. Ibidem H
Relapſus quis iudicandus. 171. 1. D
Religionem non debet intrare filius, quando niſi per ipſum non poteſt ſubueniri neceſſitati parentũ, quod contingit in tribus caſibus. 274. 1. G
Religiones ordinare eſt ſolius Papę. 373. 2. A
Religiones inſtituuntur ad promotionem Eccleſiæ, ad chriſtianorum perfectionem: Et diuini cultus debitam ordinationem. Ibidem D
Religiones quoad tria vota nõ fuerunt inſtitutę à puro homine, ſed ſolum, quoad accidentalia quædam. pagina. 423. 1. C
Religionis maior arctitudo, & illius minor perfectio ſtant ſimul. 476. 2. F
Religionum conſtitutiones non habent firmitatem, niſi approbatæ ab Eccleſia. 423. 1. C
Religioſi poſſunt indulgentias conſequi. 188. 2. H
Religioſi mortui ſunt mundo quoad vitam ciuilem, & ſęcularem, & non quoad naturalem. 273. 1. C
Religioſi non abſoluuntur ab obligatione pręcepti de ſubueniendo parentibus, ſed excuſantur ab illius executione ex quibuſdam cauſis. Ibidem D
Religioſi non poſſunt conueniri coram Epiſcopis, niſi ob enormia crimina, vel de quibus non corrigerentur à ſuis ſuperioribus. 326. 2. H
Religioſi ſunt proprij ſacerdotes ſęcularium, vt proprium diſtinguitur contra alienum, & non vt contra commune. 343. 1. C
Religioſi laici tenentur horarum loco dicere tot Pater noſter, vel aliquid tale iuxta Religionis eorum conſtitutiones. 365. 1. B
Religioſi, qui proprie dicuntur. 273. 2. B
Religioſi non ſunt Domini quantum ad diſpenſationem, et adminiſtrationem earum rerum, quibus pro eorum neceſſitatibus utuntur. 407 2. D
Religioſi opera non ſponte facta reddit meritoria prima voluntas, qua in Chriſti ſocietatem ſe tradidit. 473. 2. B
Religioſi magis, quàm Papa repręſentant perfectionis ſtatum ipſorum Apoſtolorum quoad illa, quę faciũt inſtrumentaliter ad acquirendum perfectionis ſtatum. 495. 1. B
Religioſi nõ poſſunt relinquere acquiſita per ipſos ſuis illegitimis filijs, ſed tantum quæ ipſi filij, & mater proprijs laboribus acquiſierunt. 474. 1. H
Religioſi non tenentur adimplere omnia conſilia, ſed illa ſolum, ad quę ex voto ſe obligarunt. 517. 2. B
Religioſi, executores teſtamentorum non poſſunt eſſe niſi de licentia ſuperiorum, & delinquentes puniri poſſunt etiam ab Ordinarijs locorum. pagina. 521. 2. A
Religioſi in quibus ſęcularibus negocijs ſe immiſcere poſſunt. 524. 1. F
Religioſi, qui curant temporalia pro fratribus contempla-

templationi inſiſtentibus, recuperant diſpendium ſuum in merito propter obſequium fraterna charitatis. 527. 2. B

Religioſi non obſeruantes hoſpitalitatem; ad quam tenentur, ſunt puniendi, & ad reſtitutionem cogendi. Ibidem. C

Religioſi tenentur horas canonicas perſoluere ſi non propter beneficium ordinaria poteſtate receptum, tamen propter beneficium ſpontanea voluntate receptum. 365. 1. B

Religioſis, maximè in ſacris, interdictum eſt exercitium medicinæ artis propter tria. 545. 2. A

Religioſis maxime diſconueniunt ſuperfluitates. pagina. 528. 1. H

Religioſis habentibus poſſeſſiones in communi licet mendicare, ſi ex illis non ſuſcipiant neceſſaria ad victum, & veſtitum Ibidem

Religioſis conuenit habere in curijs Principum aliqua officia, & aliqua non. 323. 1. C

Religioſis, & perfectis uiris nō conuenit tolerare ſemper in opere iniurias, ſed in animi præparatione: pagina. 388. 2. G

Religioſis data fuit facultas audiendi confeſſiones ſęcularium, propter ſacerdotum ruditatem, propter confitentium pluralitatem. Et propter ſacerdotum familiaritatem. 344. 1. F

Religioſorum ſtatui non derogat eſſe de collegio ſtudentium ſacularium. 518. 2. F

Religioſorum perfectioni non repugnat, immo maximè conuenit eſſe Regum, & Principum aliorum confeſſores. 522. 2. G

Religioſorum fini, ad quem ordinati ab Eccleſia repugnat aliquando, quod non repugnat eorum perfectionis ſtatui. 528. 1. H

Religioſos eſſe exemptos ab Epiſcopis expedit populo Chriſtiano. 326. 2. F

Religioſos procurare prælationis ſtatum pro ſe deteſtabile eſt. 507. 2. D

Religioſos præferri in ſtatu perfectionis presbyteris poteſt intelligi tripliciter. 513. 1. A

Religioſum eſſe, qui promittis, tenetur coram Deo illud exequi, licet ab Eccleſia non poſſit compelli, niſi in ętate legitima conſtitutus, & per annum religionem fuerit expertus. 530. 1. F

Religioſus petēs licentiā, vt ſubueniat parētibus, etiā ſi non obtineat, credit auctor, ꝙ poſſit exire. 273. 2. A

Religioſus non tenetur obedire mandato prælati impedienti ſolutionem debiti officij diuini. 365. 1. D

Religioſus qua indigeat diſpenſatione, ſi ad ſęcularem Eccleſiam ſit transferendus. 369. 2. D

Religioſus debet de licentia abbatis ſubuenire parētibus de ſuo labore, & de his, quorum habet adminiſtrationem. aliter ſoluitur ab executione præcepti propter impotentiam. 474. 1. G

Religioſus vnius Religionis nō debet eligi in pralatum in Religione diuerſa. 529. 1. D

Relinquentium omnia propter Chriſtum Apoſtoli fuerunt procuratores. 524. 2. H

Reliquias, & corpora ſanctorum furtiue accipiens, ſanctis, & Papæ iniuriam facit. 111. 2. C

Reliquiarum corporum Sanctorum primitiuę Eccleſia incertitudo vnde. 110. 1. E

Reliquias ſanctorum irreuerenter tractare, non illis, ſed male tractantibus nocet. 111. 2. D

Reliquia tribus ex cauſis transferenda. Ibidem.

Reluctatio nulla maior in homine, quàm contra appetitum viuendi. 460. 1. H

Reluctatio contra appetitum viuendi perfecta eſt in Martyribus. Ibidem.

Rem alienam accipere in articulo neceſſitatis non eſt furtum propriè. 288. 2. H

Remedium appoſiturus debet ſupponere quod eſt deterius: iudicium autem facturus, debet ſupponere quod eſt melius. 356. 1. F

Remiſſio peccatorum fit mediante ſacramento, & mediante officio. 180. 2. E

Renunciare teneretur Papa papatui, vel reddere debitum vxori ſuperuinenti poſt electionem, quę credebatur mortua, ſi ipſa nollet ſeruare continentiam pagina. 23. 1. D

Renunciare poſſet Papa papatui, non obſtante voto, ſi Eccleſię expediret. 44. 1. G

Renunciare poteſt quilibet iuri ſuo, ſi illud non eſt ſibi per aliud acquiſitum, & non fiat præiudicium illi, qui tale ius acquiſiuit. 62. 2 H

Renunciatio, ſicut nec cōfirmatio Epiſcopi coram Metropolitano nō valet, niſi de Papę cōceſſione. 46. 1. F

Renunciare poteſt Epiſcopus in quinque caſibus. pagina. 369. 1. A

Repetendarū rerum in iudicio ſex boni fines 521. 1. C

Rerum appropriatio eſt de iure humano 332. 2. E

Res nulla ſoluit, vel ligat ſeipſam, ſicut nec vlla generat ſeipſam. 37. 1. D

Res auferri poteſt à Domino proprio quinque modis: quibus cōmittitur, vel furtū, vel rapina, vel latrocinium, vel ſacrilegiū, vel mercedis retētio 289. 1. D

Reſtituere tenetur quis, vel ratione delicti, vel rei, v[el] vtriuſque. 328. 2. G

Reſtituere non tenetur beneficium, qui illud obtin[uit] per ſimulationem bonitatis, vel paupertatis, debet tamen pœnitentiam agere de ſimulatione. 378. 2. E

Reſtitutionis faciendę de bonis per Papam confiſcatis opinio. 289. 2. B.

Reuelatum fuiſſe aliquid D. Paulo, quod non D. Petro, non eſt inconueniens. 430. 2. E.

Rex primus terræ fuit Cain. 212. 2. F

Reges omnes ſubijciuntur iuriſdictioni Papę etiam in temporalibus, licet Papa propter bonum pacis ea non vtatur, niſi in occidentali imperio. 248. 1. G

Reges poſſunt deponi à Papa, quando deficiunt tam in particulari, quam in vniuerſali iuſtitia. 250. 2. G

Rex de iure communi debet confiteri Epiſcopo illius ciuitatis, vbi habet proprium domiciliū. 522. 2. G

Romana ſedes tres prærogatiuas habet ſuper alias Eccleſias, ob quas congruum eſt Papam, in illa potius, quàm in quacumque alia reſidere. 126. 2. H

Romani, quare noluerunt colere verum Deum Hebræorum. 221. 1. A

Romanorum in ditionem ob quinque illorum virtutes tranſlatum fuit imperium. 220. 2. E

S

SAbbati obſeruatio partim perpetua, partim mitigata, partim oblata, ob morale, iudiciale, & ceremoniale, quod continebat. 267. 2. D
Sabbati, in diem Dominicam mutatio, diuina authoritate facta eſt. 269. 1. B
Sabbatum conuenienter mutatum eſt in Dominicam diem, propter ſignificatorum preeminentiam, propter ſignorum factorum excellentiam, & propter temporum conuenientiam. 268. 2. G
Sabbatum non admittit diſpenſationem quoad morale. Ibidem. 1. F
Sacerdos habet eandem poteſtatem ordinum, quam Epiſcopus quoad diſtinctionem. Sed non quoad perfectionē. Vnde Epiſcopus poteſt ordinare alios. quod non poteſt ſimplex ſacerdos. 40. 2. H
Sacerdotes leuitici non habebant poteſtatem regalem in executione, ſed in confirmatione, & depoſitione illius. 11. 2. B
Sacerdotes, qui iuriſdictionem non habent non poſſunt excommunicare, niſi ex approbata conſuetudine, vel ex commiſſione, vel forte in notarijs criminibus. pagina. 160. 2. H
Sacerdotes, qua ratione regibus praferuntur. 514. 1. A
Sacerdotes ægyptij figurabant ſacram Theologiam. pagina. 371. 2. D
Sacerdotibus regularibus de iure communi confertur poteſtas ordinis, non autem iuriſdictionis. pagina. 41. 2. D
Sacerdotis poteſtas naturaliter diuino iure ſubditur poteſtati Epiſcopi. 343. 2. A
Sacerdotium Chriſti magis figuratum fuit in ſacerdotio Melchiſedec, quam in leuitico. 11. 2. B
Sacerdotium Chriſti quatuor requirit in ipſo. pagina. 20. 2. G
Sacerdotium leuiticum non fuit æternum, nec quantū ad perſonas, nec quoad officium, & poteſtatem. pagina. 36. 2. G
Sacerdotium Chriſti quantum ad id, quod eſt formale, eſt æternum in Chriſto. Quia omnes ſacerdotes, omnes Epiſcopi. & omnes Papæ ſunt vnus ſacerdos, vnus Epiſcopus, & vnus Papa: qui eſt Chriſtus. Ibidem.
Sacerdotium triplex exiſtit in Eccleſia Dei, ſimplex, magnum, & ſupremum. 46. 2. F
Sacerdotium Chriſti eſt æternum ratione perſonæ offerentis, rei oblatę, & vnius, & eiuſdem paſſionis commemoratæ. Ibidem. G
Sacerdotium inſtitutum fuit ſtatim poſt diluuium, in Melchiſedec. 212. 2. H
Sacramenta continentur in articulis attinentibus ad humanitatem Chriſti, ſicut effectus in ſua cauſa. pagina. 94. 2. E
Sacramenta quomodo ſunt medicina contra ſeptem defectus hominum. Ibidem 1. H
Sacramēta recipiens a miniſtro priuato poteſtatē adminiſtrandi, præterquam in mortis articulo, mortaliter peccat, non nō autem ſi à miniſtro, qui careat ſanctitate. 114. 2. F
Sacramenta per ſolum Chriſtum potuiſſe inſtitui, & à nullo puro homine, probatur quatuor rationibus pagina. 302. 1. E
Sacramenti effectum ſine ſacramento conferre non poteſt Papa. 329. 2. A. & C
Sacramentorū aliquorum inſtitutio per Apoſtolos dicitur facta, quia per eos facta eſt eorum promulgatio, & adminiſtrationis executio. 302. 2. E
Sacramentorum effectus, ſine ſacramentorum adminiſtratione collationem potuit Chriſtus communicare homini puro, ſed non fuit congruum 303. 1. A
Sacramentorum formis, quas Chriſtus ſtatuit, vti debet Eccleſia, cum in illis diſpenſare non poſſit. pagina. 304. 1. F
Sacramentis adminiſtrandis non facit de neceſſitate ſanctitas, ſed idoneitas miniſtri. 114. 2. E
Sacrę ſcripturę authoritas præfertur cunctis ſcripturis alijs, Inde canones Apoſtolorum, mox Decretales ſummorum Pontificum, Quarto loco, Dicta ſanctorum Patrum, & deinde omnium illuſtrium virorum ſcripta: qui talenta ſibi tradita multiplicare in Dei Eccleſia ſtuduerunt. 488. 2. H
Sacre ſcripturę, & humana ſcientia, tradendi modū contrarium habent. 533. 1. C
Sacrę ſcripturę expoſitoribus Eccleſia tribuit locum honoris poſt Epiſcopos. 489. 2. B
Sacrificium eſt ille ſingularis honor, qui Deo vt Deus eſt, exhibetur, & nulli purę creaturę 72. 2. E
Sacrificium Miſſę offertur in memoria ſanctorum, ſed non offertur illis. 99. 1. A
Sacrificium quadruplex offertur de exterioribus bonis, De proprio corpore. De corde, & propria voluntate, & de propria vita. Hoc offerunt martyres. tria prima, religioſi. 462. 1. H
Sacrilegi, & malefici peccant in primum præceptum; quia colunt dæmones, quaſi, Deos, & illis oblationes, & ſacrificia faciunt 261. 2. D
Saluare poteſt Deus ſine ſacramentis, & non ſine fide. 311. 2. A
Sanguinis pœnam non infert Papa, niſi mediante brachio ſęculari. 147. 2. C
Samſon, & Iepte excuſantur: quod hic filiam, ille ſeipſum interfecerit. 277. 2. D
Sancti non ſemper apparet in proprijs corporibus. pagina. 110. 1. G
Sancti qui canonizandi, & venerandi. pagina. 108. 2. E
Sanctorum omnium; qui ſunt in patria, orationibus ſe commendat Eccleſia, Canonizat autem illos tantum: quorum moribus, & doctrina, & exemplis fuit informata. & à quibus beneficia per miracula fuit conſecuta Ibidem
Sanctorum corpora veneramur: quia fuerunt inſtrumenta, quibus dum viuerent, ſibi, & nobis meruerunt. 110. 1. G
Satanę traditur homo, quando ſibi ipſi relinquitur, & quando à corpore myſtico Eccleſiæ ſeparatur, Eccleſia tradit hominem ſatanę ſecundo modo, & non primo. 161. 2. C

Scandali paſſiui timore non ſunt amittenda neceſſaria ſaluti. 159. 1. A & 463. 2. B

Scandalum actiuum ſemper eſt vitandum, ſed paſſiuũ potius eſt permittendum, quàm, vt veritas doctrinæ, vel iuſtitiæ æquitas omittatur. 207. 2. D

Schiſma, & hæreſis magnam affinitatem habent, & facile à ſchiſmate ruitur in hæreſim. 153. 2. A

Schiſmatici, & hæretici figurati in Dathan Chorę, & *Abiron.* 153. 1. A

Schiſmaticorum tria ſunt genera, ſcilicet intentione tantum, operatione tantum, & vtroque modo: Primos tolerat Eccleſia: Secundos reuocat: Tertios domat. 155. 2. A

Schiſmaticum propriè quę diuiſio faciat. 150. 2. E

Schiſmaticus, hęreticus, & malus catholicus, qui propriè dicatur, 151. 1. B

Schiſmaticus ſacerdos vere conſecrat, ſi in forma Eccleſiæ conſecrat. dicitur autem, quòd execratur in odium criminis. 152. 1. E

Schiſmaticus poteſt quis eſſe, & non hæreticus. at non econtra. 151. 1. D

Scientia una dicitur dignior altera, ex re conſiderata, ex modo conſiderandi, & ex fine, ad quem ordinatur. 539. 1. D

Scientia iuſtè concupiſcitur, ſed cum periculo docetur. 258. 2. H

Scientiæ diſtinguntur non ex rebus conſideratis, ſed ex modo diuerſo conſiderandi. 536. 1. H

Scriptores Canonici *fuerunt ſapientes, & eloquentes.* 533. 1. B

Scripta non ſunt omnia, quę facta ſunt. 426. 2. E

Scriptura ſacra poteſt exponi ſecundum omnem ſenſum; qui alia authoritate, vel ratione probari poſſit. 490. 2. F

Scripturæ ſacrę aliquid addentes, vel diminuentes quod fidei veritatem corrumpat, ſeu errorem apponat, merentur pœnas, quas D. Ioan. *minatur: nõ autem quod declaret dubia, vel explicet implicita. pagina.* 79. 1. D

Scripturæ ſacræ interpretatio determinatiue eſt ſolius Papæ. 353. 2. B

Scripturam ſacram rectè exponendi ſex regulæ. pagina. 490. 1. H

Scripturam ſacram exponunt tria genera hominum Fures, mercenarij, & paſtores.

Scripturam ſacram exponentes debent velle ſequi ſententiam ipſius ſcripturæ, & non econtra. 78. 2. F

Septem ſacramenta nõ explicantur in articulis fidei. quia in ſymbolo ponuntur, quæ faciunt ad noſtram ſalutem principaliter, & non tantum, vt Medicina. 94. 1. G

Sepultum non fuit corpus Chriſti per eius diſcipulos optima Dei prouidentia. 437. 2. A

Secuti fuerunt Chriſtum diuerſi diuerſis modis, pagina. 438. 2. G

Seruilia opera dicuntur à culpa, vel fortuna, vel natura ſeruitute. 269. 2. B

Seruilia opera in die ſabbati fieri conceſſit Chriſtus in corporis neceſſitate. In proximi ſanitate, in Eccleſiæ vtilitate, & in ſuperioris poteſtate. 270. 1. H

Seruitus triplex, naturalis conditionalis, & accidentalis. 134. 2. F

Seruitus, ſicut, & timor eſt duplex, Filialis ſcilicet, & ſeruilis. 452. 1. E

Seruitutem ſuper omnia, excepta morte, refugit naturaliter homo. 449. 2. B

Seruitutem animæ abſtulit Chriſtus à ſuis fidelibus; non autem corporis, a quo in patria omnino liberabimur. 133. 2 B

Seruorum res dicuntur eſſe dominorum eorum, quantum ad tutelam, & reip. cõſeruationem. 149. 2. A

Signa, quibus ſanctitas aliquorum patefieri poteſt Eccleſiæ, ſunt communia bonis, & malis. ideo per certitudinem cauſa non poteſt ſcire omnes, quos canonizat eſſe in vita æterna, 110. 2. H

Simonia, quid 112. 1. H

Simonia eſt turpe lucrum in ſimoniacis, non autem ex parte Eccleſiæ, cui reſtitutio facienda iubetur, pagina. 331. 2. D

Simonia eſt contra ius diuinum, naturale, & poſitiuum. 386. 1. H

Simoniam iura naturę prohibitã poteſt incurrere Papa, non autem: quę ſolo humano iure cauetur. pagina. 51. 2. G

Simoniace datam, vel acceptam rem poteſt Papa dare alteri, quàm Eccleſiæ: in cuius iniuriam data, vel accepta fuit. & cui reſtituenda res ſimoniace accepta. 331. 2. A

Simoniacum abſoluere non debet Papa, niſi facta per illum reſtitutionem. Ibidem. B

Simulatio cautelę, & prudentiæ: qua verum interdum celatur: licita eſt. non autem deceptionis, & fraudulentiæ, qua falſum intenditur. 291. 2. C

Simulatione vti licet loco, & tempore, ad euitandum periculum, non autem ad inferendum fraudulenter alicui nocumentum. 555. 1. D

Sinai mons repræſentat Papam.

Solicitudinis uitandæ locus Matth. 6. *optime declaratur.* 315. 1. B

Solicitudinem temporalium prohibuit Chriſtus, non autem prouidentiam. 270. 2. G. & 498. 1. F

Solicitudo triplex: Quædam mortalis, quædam venialis, & quædam meritoria. 498. 1. F

Solitaria vita eſt perfectorum, etiam ſecundum Philoſophos. 475. 2. C

Solitarijs perfectis ſociat ſe Chriſtus per mutuam dilectionem, & internam locutionem, & refectionem, pagina. 476. 1. F

Sors eſt triplex, diuinatoria, conſultoria, & diuiſoria; Diuinatoria in primis prohibita propter idolatriã, pagina. 262. 1. G

Sorte diuinatoria, vel diuiſoria vtentes peccare poſſunt multis modis. Ibidem.

Speciei conſeruatio eſt maius bonum, quam conſeruatio indiuidui. tamen homo plus tenetur ad conſeruationem indiuidui, quam ſpeciei 288. 1. E

Speculatio, & contemplatio quomodo differant, pagina. 479. 1. B

Spritualе vinculum magis ligat, & ſtringit, quàm naturale. 21. 2. A

Fff 2 Spiritua-

Spiritnale, quod ſit ſolum ex opere operato, facilius conſtruitur, quàm deſtruitur: ſed vbi vltra opus operatum requiritur, etiam opus operãtis, facilius deſtruitur, quàm conſtruatur. 49. 2. B

Spirituali aliquid annectitur cauſaliter, & inſtrumentaliter. 112. 2. E

Spiritualis vita regimen in præſenti vita deriuatur in corpora per virtuoſam operationem: in vita æterna vero, per glorificationem. 121. 2. G

Spiritus ſancti plena miſſio facta fuit etiam Patribus veteris teſtamenti, licet non viſibiliter, niſi poſt Aſcenſionem Chriſti. 302. 1. H

Spiritus ſancti familiaritas proficua fuit Apoſtolis præcipuè quoad quatuor. 429. 2. B

Spiritus ſanctus quorum ſit cuſtos. 434. 2. E

Sponſi plures Eccleſiæ, miniſterialiter. 118. 1. E

Sponſus Eccleſiæ propriè ſolus Chriſtus. 117. 2. D

Sponſus vnus ſunt Chriſtus, Papa, & Epiſcopus, & Sacerdos. Ibidem.

Sponſus Eccleſiæ quis poteſt eſſe, vel iuriſdictione, vel ſacramentorum adminiſtratione. 180. 2. F

Statutum ſi fieret, ne Papa renunciare poſset papatui, eſſet contra veritatem propriæ conſcientiæ, & contra reip. vtilitatem. 45. 2. D

Status pluribus modis accipitur. 392. 1. F

Status in vita ſpirituali acquiritur pluribus modis, vnde Coniugatorum, Clericorũ, Religioſorum, & Prælatorũ diuerſi ſtatus in Eccleſia cõſtituuntur. Ibi. G

Status omnis perfectio à Chriſto fuit effectiue inchoata. Ibidem 2. E

Status omnis reducitur ad vnum caput, & ſine capite eſt caſus, non ſtatus. 439. 1. C

Studiorum ordinatione iuuatur fides chriſtiana in errorum vitatione, in vitiorum curatione, in iudiciorũ terminatione, & in populorum dominatione. pagina. 371. 2. A

Studentes ſeculares compelli poſſunt ad recipiendum Religioſos in eorum collegia. 519. 1. C

Studium non eſt maius bonum, quàm dicere officium Diuinum. 364. 2. F

Suffragia, & indulgentiæ proſunt omnibus in charitate exiſtentibus, per communicationem charitatis, & per debiti ſolutionem ſolum ijs: pro quibus fiunt vel accipiuntur. 190. 2. H

Superior qui eſt dignitate prælationis, inferior eſſe poteſt in multis alijs. 65. 1. A

Superioris ſuperbia in hac vita non eſt repellẽda propria virtute, ſed patienter toleranda. 59. 2. C

Superioris magis, quàm ſui ipſius ſententiæ ſtandum eſt. 344. 2. E

Symboli partes attinentes ad generationem multiplicata ſunt ob diuerſas nouas hæreſes circa illam inſurgentes. 88. 2. H

Symbolum nouum condere, eſt ſolius Papæ. 309. 1. A

T

T*Actus incontinentiæ inficit perſonam, & naturã: guſtus autem tantum perſonam. ideo illa per proprium ſacramentum fuit regulanda* 306. 2. F

Temporalia bona bene vtentibus ſunt inſtrumenta honoris, & reuerentiæ. 504. 1. F

Tempus quomodo dicatur redimi. 428. 2. H

Tentare perfectos ſolitarios expaueſcit diabolus. pagina 476. 1. F

Teſtamenti veteris patres non ſunt canonizandi à Papa, quia ſanctorum canonizatio requirit plenitudinem gratiæ, & apertionem ianuæ cæleſtis: quæ non habuerunt illi patres. 109. 1. C

Teſtis eſſe non poteſt, infidelis, infamis, criminoſus inimicus, cognatus, ſeruus, & pauper. 550. 1. E

Teſtis iuratus mentiri non debet pro releuanda iuſtitia proximi 290. 2. G

Teſtis habere debet ſcientiam veri, memoriam facti, & intentionem boni. 291. 1. A

Teſtium numero pari exiſtẽte pro abſolutione, & damnatione, reus eſt abſoluendus. Ibidem

Teſtium multiplicatio cur introducta in cauſis contra Clericos Romana curia. 53. 2. C

Teſtimonium prolatum extra iudicium, debet eſſe ſine iuramento, in iudicio vero debet iurari. pagina. 292. 2. H

Theodoricus rex totum negocium Pontificis eligendi reliquit Concilio. 29. 1. D

Theologus potius, quàm iuriſta eligendus eſt in Papã, ex parte Eccleſiæ, cui præficitur: ex parte ſtatus, in quo conſtituitur, ex parte ſcientiæ, qua perficitur: & ex parte iudicij, quod per Papam profertur. pagina. 32. 2. G

Thurificatio, & genuflexio, & alia id genus: quæ ad duliam pertinent, creaturis quoque exhiberi poſſunt. 72. 1. H

Tributum ſoluit Papa Imperatori non in recognitione dominij, ſed pro ſeruanda pace Eccleſiæ, & ſolum de bonis per principes ſæculares Eccleſiæ conceſſis. pagina. 6. 1. H

Tyranni reſiſtentes Papæ ſunt ſchiſmatici. 155. 2. B

Tyranni puniendi ſunt à Papa, ſpirituali, & quandoque etiam temporali pœna: ſed illa immediata executione, hac vero mediante ſæculari poteſtate. pagina. 158. 1. E

Tyrannicum dominium eſt contra iuſtitiam naturalem, regalem, & legalem. 157. 1. B

Tyrannus iniuſtè retinens dominium, vel perſeuerando in malo regimine, iure priuatur per Papam. pagina. 134. 1. F

Tyrannus quiſnam dicendus. 155. 2. A B

Tyrannos etiam ſi chriſtiani ſint, Papæ reſiſtentes poteſt Papa per crucem ſignatos debellare. 158. 2. F

V

V*Alentinianus imperator electionem de Epiſcopo faciendam à ſynodo etiam oblatam renuit, dicens, ad illos, & non ad ſe id ſpectare.* 25.

Vaſa ſacra fracta, præmiſſa oratione non amplius ſunt ſacra. 112. 2. H

Vendere, & emere in diebus feſtis, quibus, quomodo, & de quibus rebus concedi poſſit.

Venditionis forum fieri in diebus feſtis prohibetur omnino,

uino, niſi in caſu neceſſitatis ineuitabilis, aut naturalis neceſſitatis. Ibidem.
Verbum Dei in quatuor differt à verbo noſtro. 89. 1. D
Verbum Dei eſt delectabiliter audiendum. Ibidem.
Verbum Dei, per incarnationem factum eſt cognoſcibile, tangibile, & acceſſibile. 92. 1. E
Verbum habet comparationem ad rem ſignificatam, ad proferentem, & ad audientem, contra quæ facit mendax. 291. 1. D
Veritas dicitur à bonis in Spiritus ſancto, à malis autem licet in virtute Spiritus ſancti, non tamen in ſpiritu ſancto. 103. 2. E
Veritas duplex, rei facta, & rei facienda: ſubditus tenetur obedire contra primam, non contra ſecundam. 354. 2. G
Veritas publica, & veritas Euangelij non eſt omittenda propter ſcandalum: veritas autem priuata, ſi non omittenda, aliquando tamen tacenda eſt. pagina. 486. 2. H
Veſtes Chriſti quomodo plures, & vna. 411. 1. A
Virga, & calciamenta quomodo conceſſa, & prohibita Apoſtolis. 442. 2. E
Virgines non conſentientes corruptoribus violentiis ipſarum, non amittunt aureolam. 472. 1. F
Virtutes ſunt maxima bona formaliter
Virtus quid ſit. 125. 2. D
Virtutem conſiſtere in medio intelligi poteſt, vel ratione potentiæ, vel materiæ, vel circumſtantiæ, vel rationis. 446. 2. H
Virtus eſt quicquid præcipit Deus. 451. 1. G
Vitam propriam quiſque tenetur conſeruare, niſi in caſu fidei, vel maioris periculi vitandi, ſeu pro vtilitate Reipublicæ. 63. 2. C
Vita triplici viuit homo, & pro omnibus, & ſingulis fides neceſſaria eſt. 82. 2. E
Vita longa menſuranda potius ſecundum virtuoſam operationem, quàm ſecundum annorum multiplicationem. 276. 2. H
Vita ſocialis iuuat ad inſtructionem in intellectu ad monitionem in affectu, & correctionem in effectu. pagina. 475. 2. D
Vita ſolitaria maiorem perfectionem requirit, quàm ſocialis. Ibidem
Vita ſolitaria, etiam in operis perfectione, quæ eſt contemplatio Dei, excedit ſocialem, & facit ad exemplum Chriſti imitandum, ad eius auxilium impetrandum, & ad tumultum mundi fugiendum Ibidem 2. C
Vita Ioannis baptiſtæ fuit arctior, ſed vita Chriſti perfectior. Ibidem dicitur de Religione monachorũ & Apoſtolorum Epiſcoporum, & regularium. pagina. 476. 2. F
Viuendi nullus modus eſt, qui ſolicitudinem aliquam non requirat. 527. 2. B
Viuificare eſt opus commune Sanctiſſimæ Trinitati, tamen appropriatur congruè & filio, & Spiritui ſancto. 90. 2. H
Vna eſt fides vniuerſæ Eccleſiæ, & modernorum, & antiquorum. 77. 1. C
Vnctio ſacra exterior fit ad mentis illuſtrationem, vt in prophetis: Ad inimicorum fidei expugnationem vt in Imperatore: & ad Sacramentorum adminiſtrationem, vt in ſacerdotibus. 225. 1. D
Vnctionis extremæ forma ſola inter formas ſacramentorum eſt deprecatiua, quia expectatur in ea beneficium quoque corporale. 304. 1. G
Vocatur à Deo ille, quem eligit communitas Eccleſiæ. 5. 1. B
Voluntas nõ cogitur ad credendum, ſed quandoque vt conſenſus ad credendum adueniat, per pœnas, & flagella inducitur. 142. 1. F
Voluntatis bonitas ſtat cum ignorantia intellectus. pagina. 492. 2. F
Voluntati Diuinæ conformare debet voluntatem ſuam homo, non ſemper in iis, quæ Deus vult, ſed in iis, quæ ſcit Deum præcepiſſe. 455. 2. D
Votum quodlibet diſpenſabile eſt per Papam, ſi ſic Reip. expediat.
Votum peregrinationis exequi non tenetur, qui propterea non poſſet ſubuenire parentibus. 275. 1. A
Votum eſt maius vinculum, quàm ſubuentio parẽtum. ſi illud, quod vouetur, non aduerſatur præcepto diuino. Ibidem. B
Votum, quo ſubtrahitur ſubuentio parentum, non eſt profectus charitatis, ſed detrimentum. Ibidem. C
Votum ſolemnizatur per profeſſionem tacitam, vel expreſſam Religionis, vel per ſacram ordinationem. 367. 1. D
Votũ ſolemne ſolus Papa diſpenſare poteſt. 369. 1. B
Vouere eſt voluntatis, obſeruare neceſſitatis. pagina. 345. 2. A
Votum eſt ſpontanea voluntas Deo oblata. 418. 1. H
Voto ſeruata continentia, perfectior eſt, ex repromiſſa, ex vouente, & ex Deo, cui vouemus. 448. 2. E
Vota duplicia ſunt: communia, & ſpecialia. Apoſtoli vouerunt hæc, & illa. 452. 2. C
Votum, cum liget diuino, & naturali iure, quomodo diſpenſabile ſit. 455. 1. B
Vouentibus continentiam, non ſolum nubere, ſed velle nubere damnabile eſt. 432. 2. H
Voto factum opus excedit factum ſine voto in tribus. 469. 2. C
Vota filiorum poſſunt mutari per eorum parentes: ergo magis per Papam. 500. 2. H
Vſum rei conſumptibilis concedens, concedit & dominium vſus. 407. 2. B
Vſura eſt peccatum non ſolum ob nocumentum, quod infert, verumetiam, quia eſt contra naturam rei. pagina. 379. 2. C
Vſura eſt maius peccatum formaliter, quàm homicidium. 380. 1. F
Vſuram prohibent omnes leges. 124. 2. E
Vſuram peccatum eſſe, patet ratione rei: quæ datur vltra ſortem, & ratione cauſæ, ſcilicet vſus, pro qua datur. 378. 2 G
Vſuras promittens ſoluere debitor legitimè ſe obligare poteſt: creditor autem nunquam poteſt eas legitime exigere. 379. 1. B
Vſuras fieri cum infidelibus, & publicis Eccleſiæ hoſtibus non poteſt Papa diſpenſare. Ibidem 2. D

Vſurariapecunia non debet auferri per principes, in pœnam aliorum criminum, ſed reſtituenda eſt illis, à quibus vſurarij extorſerunt. 144.1.H
Vſurarij ſeruus quando tenetur ad reſtitutionem. pagina. 328.2.G
Vſurarium poſſet Papa abſoluere relaxando illi vſuras, ſed propter quatuor non debet id facere. pagina. 327.2.C
Vſurarius eſt contractus, in quo petitur ſuperabundantia ob pretij expectationem. 379.1.C
Vultum pecoris ſui quomodo ſacerdos agnoſcere debet. 348.2.F
Vxores plures habere eſt contra Dei, *& naturę inſtitutionem, Ideo non ſuſcipit diſpenſationē.* 282.1.G

Z

Z*Acharias Papa depoſuit Regem Francorum, quia tantę poteſtati inutilis erat, & Pipinum in locum illius inſtituit.* 3.1.C

FINIS.

Regeſtrum.

A, A, B, C, D, E, F, G, H, I, k, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, V, X, Y, Z, Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ii, kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Qq, Rr, Ss, Tt, Vu, Xx, Yy, Zz. Aaa, Bbb, Ccc, Ddd, Eee, Fff.

Omnes ſunt Terniones præter Fff, qui eſt duernio.



ROMAE,
Apud Vincentium Accoltum.
M. D. LXXXII.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA